


9
2 F
23



ANNALES SACRI.







ANNALES SACRI,

ET

EX PROFANIS PRÆCIPVI,

AB ORBE CONDITO AD EVMDEM CHRISTI PASSIONE REDEMPTVM:


AVCTORE

AVGVSTINO TORNIELLO

CONGREGATIONIS S. PAVLI CLERICO REGVLARI:

Ab eodem Quarta hac editione recogniti, et sexcentis locis aucti et locupletati.

TOMVS I.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, et Viduam Ioannis Moreti, et Io. Meursium.
M. DC. XX.



ECCLESIÆ EXALTATIO.



SYNAGOGÆ INTERITVS.

Cum Priuilegijs Cæsareo et Principum Belgarum.

BEATISSIMO PATRI
ET
DOMINO NOSTRO
PAVLO V.
PONTIF. MAX.

AVGVSTINVS TORNIELLVS



CONGREGATIONIS S. PAVLI
CLERICVS REGVLARIS
ÆTERNAM FELICITATEM.




N quartò, BEATISSIME PATER, DEO benè iuuante, Annales Sacri ab Orbe condito ad CHRISTVM passum, duobus Tomis comprehensi, à me postremis hisce vitæ meæ temporibus aliquot mendis expurgati, ac plurimis additamentis aucti, elegantioribúsq; Officinæ Plantinianæ typis diligentiori quàm anteà studio recusi emittuntur. Hos meritò sanè BEA-

TITVDINI VESTRAE offerre conſecraréque conſtitui, ratus me optimo ac ſapientiſſimo Pontifici, cunctiſque Eloquij ſacri ſtudioſis gratum eſſe facturum, ſi meas quoque lucubrationes multo tempore ac labore congeſtas pariter àc digeſtas, quæ præſertim ob ſacrorum temporum rationem ſatis, vt opinor, diligenter explicatam, ad ipſius Scripturæ ſacræ dilucidationem, faciliorémque intelligentiam ac recordationem, plurimùm conferre poſſe videntur, primario ac ſummo ſacrarum Scripturarum Patrono, & Cuſtodi fideliſſimo dedicarem. Et quidem id in prima editione, quæ Mediolani facta eſt, præſtandum eſſe videbatur. fateor. Verumtamen, cùm tunc anceps & incertus eſſem de Libri exitu, num gratus acceptúſque legentibus eſſet futurus: quî fieri poterat, vt ſine temeritatis nota auderem illum tanti Principis conſpectu dignum iudicare? At verò poſteaquam audiui ipſum Francfordiæ ad Mœnum per Ioannem Theobaldum Schœnvvetterum, me inſcio, magna celeritate ac feſtinatione impreſſum, ferè in omnes Europæ Prouincias fuiſſe diſtractum; ac deinde tertiò, me pariter inconſulto, ab heredibus Iacobi Fiſcheri ibidem fuiſſe recuſum; cogitaui quartam hanc editionem, nouiſſimè, vt dixi, accuratè recognitam & auctam, nemini, quàm SANCTITATI VESTRAE conuenientiùs eſſe dicandam. Quid enim tam congruens aut rationi conſenta-

ſentaneum,& propoſito ſuſceptóque conſilio meo magis accommodatum, quàm libros de rebus ſacris agentes, illi cuius curæ fideíque in primis ſacra omnia diuinitus concredita & commiſſa ſunt, & qui ſacra omnia in pectore ſacro geſtat, commendare? Huc accedit, quod facilè ſperare poteram, eoſdem libros, ſi ſub tali ac tanto patrocinio prodirent, & libentiùs à fidelibus excipiendos, & maiori fide ac alacritate perlegendos; atque adeò ex eorum lectione vberiores ad gloriam Dei (quò potiſſimùm animi mei ſpectat intentio) in ſancta Eccleſia fructus prouenturos. Denique talia tantáque ſunt SANCTITATIS VESTRAE erga noſtram Congregationem merita, ob multiplices gratias ad eius fauorem Procuratore noſtro Generali ſupplicante conceſſas, quas hîc recenſere nimis longum eſſet, vt (quando maius aliquid offerre non valeo) mea ſaltem hæc exigua grati animi ſignificatio, tam benè merenti Patrono pleno iure deberi omnino videatur. His atque aliis motus rationibus, BEATITVDINEM VESTRAM quantum poſſum humiliter obſecro, vt meam hanc propenſam voluntatem æqui boníque faciat, & pro ſuo paſtorali officio, communíſque boni cura, qua famulorum ſuorum ſtudia in commune commodum collata piè fouere ac prouehere conſueuit, hoſce quoque labores meos, qualeſcumque ſint, benignè excipere, probare, & ſuprema

quà in terris fungitur auctoritate, protegere non grauetur, atque humillimo seruulo suo, corpore quidem absenti, spiritu autem ad sanctissimos eius pedes prouoluto, Apostolicam benedictionem impartiri. DEVS Opt. Max. SANCTITATEM VESTRAM diu valdè seruet incolumem; détque vt quæ in terris præclara ad DEI gloriam Ecclesiæque bonum in singulos dies meditari ac moliri non desinit, faustè, feliciter, prosperéque eueniant; atque eidem SANCTITATI VESTRAE solidam, veram, ac sempiternam in cælis gloriam conferant.



PER-

PERILLVSTRI
AC
REVERENDISSIMO
D. CAROLO
A BASILICA PETRI
ECCLESIÆ NOVARIEN. EPISCOPO
AVGVSTINVS TORNIELLVS
CONGREG. S. PAVLI CLERICVS REGVLARIS
FELICITATEM.



SACRORVM Annalium ſeries hæc ita digeſta, præſtantiſſime atque ornatiſſime Antiſtes, neſcio planè quo modo, præter meam fermè opinionem in hanc formam redacta, nunc prodeat in lucem. Nam cùm ego nihil minùs, quàm de hoc Opere conficiendo cogitarem; ſed tantummodò quadam ductus cupiditate, non omnino, vt arbitror, reprehendenda, in eam curam & cogitationem incumbere cœpiſſem, vt quæ mihi Sacros libros volutanti dubia, præſertim in ratione temporum, occurrebant, diſſoluerem; factum eſt, quando plura iam me ſatis enodaſſe putaram, vt alia noua ſemper exurgerent; & aliquamdiu in tali ſtudio perſeuerans, tandem intelligerem, fieri nullo modo poſſe vt omnia plana redderentur, niſi altiùs, & à prima origine, ac deinceps tempora accuratiùs ordinare tentarem. Quod dum ſenſim & multo tempore ac labore molior; ecce, vix me aduertente, liber iſte exortus eſt. Hunc ergo cùm poſteà, pro ingenij mei tenuitate, aliquatenus augere, expolire, & tempora ſacra cum aliquot probarioribus Ethnicorum Epochis fideliter componere curaſſem, & viris in eo genere eruditis examinandum tradidiſſem; illiſque probantibus, in commu-

ne commodum, meorum quoque Superiorum iudicio & concessu, edi posse cognouissem: meritò illum tibi, optime Præsul, dicare constitui, qui patriæ meæ pastor es vigilantissimus, qui huius nostræ Congregationis summus Rector aliquamdiu extitisti, eamque sanctissimè gubernasti; qui denique cùm adhuc inter nos esses, me ad hæc studia colenda, tuo primus exemplo excitasti; tunc præsertim, quando à B. Carolo S. Praxedis Cardinali, Mediolanensi Archiepiscopo, ad grauissima negotia cum Rege Hispaniarum gerenda missus, & inde reuersus, narrabas nobis, te in ea legatione, quod à negotiis supererat temporis, totum in sacræ Scripturæ historiis ad rationem temporum disponendis posuisse. Sed vtinam id operis à te (quem constat scientia ac iudicio plurimùm valere, & esse litterarum, sacræque ac profanæ antiquitatis benè peritum) confici potuisset! Quandoquidem multo feliciùs, magisque pro dignitate illud præstitisses; &, vt mihi licet coniicere, iam nunc libros in eo genere omnibus numeris absolutos atque perfectos haberemus. Verùm posteaquam te à Summo Pontifice ad maiora vocatum, & Ecclesiæ Nouariensi præfectum, ad alia studium conuertere animúmque intendere coactum vidimus; ne argumentum hoc à nemine adhuc ex proposito pertractatum, quod Ecclesiæ Dei admodum vtile, ne dicam necessarium, videbatur, ampliùs desiderari sinerem, in animum induxi, quæ priùs ad id pertinentia, vt dixi, adnotaueram, recognoscere, emendare, ad meliorem ordinem redigere, & experiri, an fortè (quod Deo dante contigit) ipse illud quoquomodò possem absoluere. Itaque, quod te auctore prodire debuerat, vt tuo saltem sub patrocinio prodeat, illud etiam effecit, quòd mihi in hoc opus incumbenti non semel tuis sermonibus animum addideris; & vbi absolutum esse accepisti, valdè lætatus sis; atque vt typis mandaretur, non modò hortator, verùm etiam adiutor esse volueris. Accipe igitur, Reuerendissime Antistes, hosce meos qualescumque labores, in studio aliàs tibi admodum grato & iucundo exantlatos, pignus perpetuæ obseruantiæ erga te meæ: neque muneris paruitatem, sed ipsam magis animi propensionem attende; ac me, vt soles, ama.

AVCTOR

AVCTOR LECTORI.



NIVERSAM *rerum veterum, cùm humanarum præcipuarum, tum verò inprimis diuinarum memoriam, ab origine Mundi ad Christum in cruce passum, quæ ex Sacris potissimùm libris, aliísque probatis Auctoribus hauriri potuit, per ordinem temporum, séxque mundi Aetates deductam, duobus Tomis breuiter, quantum licuit, complexi sumus. Quorum primus memorabilia continet, quæ ab ipsis mundi Primordiis, ad prima templi Salomonis fundamenta contigisse didicimus; annorum trium millium ac viginti duorum interuallo; intra quod quattuor priores mundi Aetates excurrisse certum est.*

Alter ea tradit, quæ ad reliquas duas posteriores pertinent; nimirum quæ ab ipsius Templi fundamentis ad passionem obitúmque Redemptoris, mille ac sexaginta duorum annorum curriculo sunt gesta.

In vtroque autem Tomo, ad plurima Scripturæ sacræ loca dilucidè magis percipienda, plures quoque imagines æreis formis excusas adiici curauimus; quibus quæ non satis plenè verbis explicari posse videbantur, veluti ante oculos posita proponuntur.

In calce verò cuiusque mundi Aetatis addidimus tabulas Annales ad eamdem spectantes, quarum vsus in Operis Præfatione num. 5. latiùs describitur.

His accedent ad finem posterioris Tomi tres totius Operis Indices. Primus argumenta rerum præcipuarum, quæ pertractantur, indicabit. Alter loca Scripturæ sacræ, quæ adducta sunt, & aliquo modo explicata. Tertius denique Index erit vniuersalis & locupletissimus eorum omnium, quæ in vtroque Tomo continentur.

DON

DON COSMVS DOSSENIVS
Congregationis Clericorum Regularium S. PAVLI
Præpositus Generalis.


NNALES Sacros à R. P. Don Augustino Torniello, Assistente nostro, conscriptos, peritorum virorum, quibus id commisimus, accurata lectione & graui iudicio recognitos ac probatos, typis mandari, atque ad communem vtilitatem edi posse, quantum in nobis est, libenti animo concedimus. Dat. Mediolani in Collegio nostro sanctorum Apostolorum Pauli & Barnabæ, die XVII. mensis Iunij, M. DC. IX.

Don Cosmus Dossenius Præp. Generalis.

EGO Don Leonardus Griphius Clericus Regularis Congregationis sancti PAVLI, de mandato Reuerendissimi Patris Innocentij Granelli Inquisitoris Generalis Mediolani, &c. hos Annales Sacros vidi, & perlegi. Et quia nihil in ipsis S. Catholicæ fidei, bonis moribus, ac Regulis Sacrosancti Concilij Tridentini, & Indicis nuper editi, contrarium inueni, propterea ipsos imprimi posse iudicaui. Dat. in Collegio S. Alexandri die XI. mensis Octobris, M. DC. VIII.

D. Leonardus qui suprà.

ATTENTA fide reuisionis supradicta, iuxta tenorem contentorum in præfata attestatione, imprimatur.

Frater Innocentius Granellus Inquisitor Generalis Mediolani.

Aloysius Bossius Canon. Ord. Theol. pro Ill.mo Card. Archiep.

Vidit Saccus pro Excellentiss. Senatu.

DON HIERONYMVS BOERIVS
Congregationis Clericorum Regularium S. PAVLI
Præpositus Generalis.

ADDITAMENTA ad Sacros Annales, ab eorum Auctore conſcripta, eiſdemque propriis locis inſerenda, de conſenſu noſtro recognita & probata, recudi & in commune commodum edi poſſe, quantum in nobis eſt concedimus. Datum Mediolani in Collegio reſidentiæ noſtræ ſanctorum Pauli & Barnabæ, die X. menſis Auguſti, M. DC. XIX.

Don Hier. Boerius Præpoſitus Generalis.

EGO Don Leonardus Griphius Clericus Regularis Congregationis S. PAVLI de mandato Reu^mi^ P. Ioannis Mariæ Floreni, Inquiſitoris Generalis Mediolani, &c. vidi memorata R. P. D. Auguſtini Tornielli Additamenta ad ſuos Annales Sacros: eademque eodem modo, quo illos, probaui. Dat. Mediolani in Collegio S. Alexandri, die VI. menſis Auguſti, M. DC. XIX.

D. Leonardus qui ſuprà.

VISA ſupradicta atteſtatione, concedo vt prædicta Additamenta imprimantur.

Ego Fr. Io. Maria Florenus Inquiſitor Generalis Mediolani.

INFRASCRIPTVS S. Theologiæ Licent. Archipresbyter, & Cenſor librorum in ciuitate Antuerpienſi, Opus hoc Annalium Sacrorum R. P. Auguſtini Tornielli, non ſemel ab aliis lectum & probatum, nunc autem ab ipſo Auctore recognitum, & multis locis emendatum ac locupletatum, digniſſimum cenſeo quod denuò typis committatur, ac diuulgetur.

Laurentius Beyerlinck.

PRIVI-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.



ATTHIAS *diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & VVirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis, quòd cùm demissè nobis exponi curarint nostri & sacri Imperij fideles dilecti, Balthasar & Ioannes Moreti, Bibliopolæ Antuerpienses, sese publico rei literariæ bono, & communi eorum commodo, quos honestum cum vtilitate coniunctum Historices studium delectat, Annales Sacros Augustini Tornielli Nouariensis è Congregatione S. Pauli Clerici, enixè id postulante Auctore, qui eosdem plus quàm sexcentis locis à postrema editione auxerit & locupletarit, vti & Leonardi Lessij Societatis* IESV *Theologi Opera, propriis sumptibus prælo subijcere, & ornatiore typo vulgare decreuisse; metuere autem, ne, quod nonnumquam fieri solet, æmulorum fraude, qui editionem suam imitentur, ipsi sperato laboris ac impendij sui fructu, cum Auctoris de Republica literaria benè meriti iniuria frustrentur: eaq; de causa suppliciter nos rogarint, vt ipsorum hac in re indemnitati, & iustissimo dicti Auctoris desiderio Priuilegio nostro Cæsareo clementer consulere dignaremur: Nos, pro singulari nostra in rem literariam affectione, etsi meminimus heredes quondam Iacobi Fischeri Bibliopolas Francofurtenses, iamtum die 8. Augusti, anni millesimi sexcentesimi decimi sexti, Priuilegium Typographicum super dictos Annales Tornielli à nobis obtinuisse, tamen cùm hæc editio Auctoris voluntatem coniunctam habeat, & pleniores quàm antehac lucubrationes promittat, precibus huiusmodi benignè annuendum duximus, vti vigore præsentium annuimus. Ac proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuscumque negotiationem librariam exercentibus, seriò inhibemus & vetamus, ne quis prænominatos Annales Sacros Tornielli, ab Auctore recèns correctos & recognitos, vti nec Opera Leonardi Lessij, per decem annorum spatium à prima cuiusque editionis die computandum, intra sacri Romani Imperij Regnorumq; & Dominiorum nostrorum hereditariorum fines, simili aut alio quouis typo vel forma, siue in toto, siue in parte recudere, aut alij recudenda dare, vel alibi etiam impressa adducere, vendere, aut distrahere, clàm vel palàm, citra voluntatem & consensum prædictorum Balthasaris & Ioannis Moretorum eorúmve heredum præsumat. Si quis verò secus faciendo, Priuilegium hoc nostrum Cæsa-*

reum

reum spernere, negligere, aut transgredi conatus fuerit, cùm non solum huiusmodi libris, perperàm quippe recusis & adductis, quos quidem antedicti Moreti eorúmve heredes vbicumque deprehensos, siue propria auctoritate, vel Magistratus loci illius auxilio, sibi vendicare poterunt, de facto priuandum, verùm etiam pœna decem Marcharum auri puri fisco nostro Cæsareo fraudis vindici, & Moretorum vsibus ex æquo pendenda decernimus, omni spe veniæ sublata plectendum. Quæ tamen omnia, saluo Priuilegio nostro Cæsareo antedictis Fischerianis heredibus super Annales Tornielli concesso, & citra eiusdem derogationem intelligi volumus, dummodo istiusmodi libri nihil in se scandalosum, aut Orthodoxæ Religioni Catholicæ, sacriq; Romani Imperij Constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium, siue in Præfatione, siue in Textu, seu aliàs quocumque modo contineant, & iam dicti Moreti terna vt minùs singulorum Operum exemplaria propriis suis sumptibus quàm primùm ad Cancellariam nostram Imperialem transmittant. Mandamus ergo vniuersis nostris & Sacri Romani Imperij, Regnorúmque ac Ditionum nostrarum hereditariarum subditis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis existant, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, præsertim verò iis qui in Magistratu constituti vel proprio vel Superiorum nomine & loco ius ac iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam Priuilegium hoc nostrum Cæsareum temerè aut impunè transgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, si quos fortè compererint, præscriptâ pœnâ mulctari, aliísque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi eamdem mulctam euitare voluerint: harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die prima mensis Septembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo, Regnorum nostrorum Romani sexto, Hungarici nono, Bohemici verò septimo.

Signat.

MATTHIAS.

V[t] I. L. von Vlm.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium.

Io. Baruitius.

Additum Sigillum in cera rubra.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII
PRINCIPVM BELGARVM.


LBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, diplomate ſuo ſanxerunt; nequis *Annales Sacros, & ex Profanis præcipuos, ab Orbe condito ad eumdem* CHRISTI *paſsione redemptum, Auctore Auguſtino Torniello Congregationis S.* PAVLI *Clerico Regulari*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem excudat, aut alibi terrarum excuſos, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XX. Ianuarij, M. DC. XVII.

Signat.

De VVitte.

AVGVSTINI TORNIELLI IN SACROS ANNALES PRÆFATIO.

1 

QVANTVM diuinæ Scripturæ ſtudioſis ſacrorum Annalium cognitio conferat ad multa loca difficilia aperienda, & quæ inter ſe pugnare videntur conciliãda, aſſidua ſanctorum Patrum ſtudium, in hiſce difficultatibus hac potiſſimùm ratione explicandis poſitum, ſatis ſuperq́ue declarat. Etenim ſi ratio temporum, vt omnes vno ore prædicant, omnium dux hiſtoriarum & magiſtra ſemper extitit; ita vt ea ſublata, ex plurimis illarum valdeq́ue implicitis quæſtionibus, non ſecùs ac magni cuiuſdam labyrinthi anfractibus, abſque filo euadere aut extricare ſeſe nemo poſſit: quanto minùs ſacras profiteri hiſtorias ſine ſacrorum temporum doctrina quis audeat? Non igitur mirum eſt, ſi etiam Theologi, præſertim verò recentiores ferè omnes, inter ſelectos quoſdam Sacræ Theologiæ locos, quos ad Sacrarum litterarum ſcientiam maximè neceſſarios iudicarunt, illum (licet hactenus, vt arbitror, haud ſatis planè elucidatum) non in poſtremis poſuêre, qui eſt de recta dimetiendorum temporum ratione; ſine qua multos videas, alioquin eruditos viros, quotidie Sacros libros volutantes, qui tamen quæ ſæpiùs lectitauerint, ita confusè concipiunt, vt ſine errore, cùm opus eſt, ea proferre vix poſſint. Nam vt vno aut altero exemplo id comprobem; quot ex his inueniri putâs, qui etſi centies libros Exodi & Numerorum perlegerint, neſciant tamen quo ordine, quibúſve temporibus ac locis ille populus tentoria fixerit, manna coturnicibuſq́ue alitus, aqua de petra recreatus, à ſerpentibus percuſſus fuerit, & huiuſmodi ſexcenta alia? Quot item comperies, qui in ſucceſſionibus Regum Iuda & Regum Iſrael diſtinguendis, ex lectione libri Regum & Paralipomenon, ita animo inuoluuntur, vt ſeſe multis expedire implicationibus, nec magno cum labore poſſint? Sed, quod maius eſt, non deſunt etiam, qui ex ignoratione temporum, audeant aliquando non ſine contentione defendere, ſeptem puerorum Machabæorũ martyria fuiſſe poſteriora bellis à Iuda Machabæo & fratribus ſuis fortiter geſtis, eo decepti argumento, quòd hæc in primo libro Machabæorum, illa verò in ſecundo deſcripta ſint; haud percipientes, libros illos à diuerſis auctoribus fuiſſe compoſitos: quod certè vel mediocriter in horum temporum cognitione exercitatis mouere riſum quandoque ſolet.

TEMPORVM COGNITIO QVAM VTILIS ET NECESSARIA.

2. Age verò, quid de Theologis dicemus? ex quorũ schola multi sunt, qui quantumuis excellentis sint ingenij, nihilominùs, quoniam in recta temporum ratione callenda minùs accuratam operam nauarunt, vbi in aliquam ex his magnis sacræ Scripturæ difficultatibus inciderent, quarum solutio potissimùm ex annorum supputationibus pendet; veluti in eam, quæ est de Iudicum temporibus, id est de vera annorum summa, ab exitu de Ægypto ad prima Templi Salomonis fundamenta: vel de septuaginta annis Babylonicæ captiuitatis ritè distinguendis ac supputandis, aut de septuaginta hebdomadis Danieli reuelatis, vnde numerari, & vbi terminari debeant: cùm, inquam, eis hæ aut huiusmodi aliæ difficultates occurrunt, vsque adeò in his enodandis hæsitant, inaniterq; laborant, & non semel à Chronographorum varietate se confundi sinunt, vt non secùs ac nautæ qui cùm in syrtes impingunt, vel magnis laboribus inde exire nequeunt, eodem ferè modo isti post longissimas disputationes vel falsa asserant, vel nihil tandem concludant, nihil certi affirmare audeant, & Lectorem magis ac magis dubium atque perplexum relinquant: aut, quod peius est, aliquando opinionem aliquam responsionémve pertinaciùs, quàm par est, defendere profiteantur; non animaduertentes, quòd etsi responsio illa propositam difficultatem plenè fortassis euacuare videatur, aliàs nihilominùs non mediocres pariat; & aliqua iam satis explorata in dubium vocet. Vnde meritò istis illud Philosophi dictum obiici potest: Ad pauca respicientes facillimè enuntiant. quod procul-dubiò, quamuis in omni difficultatum genere valdè sit periculosum, præcipuè tamen vbi de sacris chronologiis agitur; in quibus non sat est, quòd aliqua responsio vnum aut alterum Scripturæ locum conciliet; sed oportet, vt eidem cetera quoq; per omnia respondeant. Quemadmodum enim ea est vis veritatis, vt omnia cõsona reddat, & nihil inordinatum relinquat; ita è contrario illud exploratissimum est apud omnes, præsertim in his quę sunt temporis, quòd vnicum erratũ plura alia necessariò secum trahit; & vbi semel à vero annorum tramite deflectere contigerit, totam temporũ seriem perturbari necesse est. Quamobrem, vt vno verbo dicam, non facilè veritatem assequi possunt, qui aliquam ex huiuscemodi difficultatibus tractare aggrediuntur, si non omnem priùs sacrorum temporũ ordinem probè tenere studeant. Sed & illud nonnumquam accidit, vt eadem temporum serie nequaquam benè perspecta & cognita, facile admodum sit in vero ac legitimo litterali sensu Sacri textus percipiendo decipi: quo quidem malè percepto, cùm ipse sit pręcipuum solidumq; allegoriarum atque aliorũ sensuum spiritualium fundamentum; necesse est in mysticis quoq; sensibus litteræ applicandis, seu ex littera eliciendis, sæpenumerò aberrare; quod nonnullis interdum Scriptoribus, & præcipuè verbi Dei Concionatoribus euenire solet. Enimverò, quemadmodum optimè docet sanctus Gregorius Homil. 2. in Ezechielem, ad hoc vt quis diuina mysteria veraciter ostẽdere valeat, opus est vt priùs historię radicem figat; & pòst, fructus spiritus per signa & allegorias proferat. Quantum autem ad historię, præsertim sacræ, radicem firmiter stabiliendam, ipsa temporum

temporum

porum ratio conferat, tota hæc nostra lucubratio demonstrabit. Itaque à memoratis erroribus, innumerisque alijs deceptionibus, vt studiosos sacræ Scripturæ, quantum Deus concesserit, liberos facerem, animum induxi librum hunc conscribere; cuius ope, qui eum ad manus habere; & tamquam fidum ductorem præeuntem, ac suo cursu viam vadumque monstrantem sequi non recusauerint, liberè possint & sine errore, sed potiùs magna cum animi oblectione & vtilitate Libros sacros, maximè quos vocant Historiales, perlegere, & torrentem istum sacrorum Annalium sine periculo pertransire.

LIBRI NVIVS VTILITAS.

3. In quo quidem Opere non fuit animus ex proposito sacram Historiam nouo stylo conscribere, sicuti à Iosepho factitatum nouimus, (qui tamen videtur nonnisi certis quibusdam locis, & quandoque etiam velut obiter de ratione temporum fuisse sollicitus.) Quis enim puriùs aut accommodatiùs valeat actiones sacras quàm verbis sacris explicare? Neque item duximus, sacrorum Bibliorum volumen varias in partes secare, easque variis in locis transpositas, ad ordinem temporum accommodare; quemadmodum à Cornelio Iansenio in textu suę Concordiæ Euangelicæ actum esse videmus. Non etiam visum est, sacram temporum rationem veluti omnino nudam exponere, ne id forsitan indecorum aut inuerecundum existimari posset: neque eamdem copiosa plenáve ac redundanti rerum gestarum narratione, tamquam latis quibusdam phaleratisq; historiæ vestibus amictam atque exornatam; sed strictis potiùs; & quasi decurtatis, quæ currenti impedimento non sint, indutam tradere cogitaui; & ea qua par est veneratione, Sacro codice integro atque intacto prorsus seruato, seorsum breuiter ordinateque percurrere Annales sacros, ab orbe condito ad humani generis reparationem in Christi passione obituque completam: hoc vno contentus munere, si, quæ ad historiam pertinebunt, strictim recensuero; & ad singulos annos; Sacri voluminis loca adnotauero, vbi ea, quæ hîc summatim tanguntur, fusiùs explicata sunt. Nisi fortè quædam breuiùs, obscuriusque tradita, interdum latiùs elucidare visum fuerit: aut vbi aliqua rationis temporum difficultas inciderit, quæ paucis explicari posse non videatur. Ita fiet, vt vnusquisque intelligat, Historiam sacram non aliunde pleniùs posse quàm ex Sacris libris hauriri: ordinem verò sacrorum temporum integrum ac germanum ex illis met quidem in primis, sed hac tamen nostra lucubratione adhibita, qua obscuriora quæque in hoc genere, quantum Deus dederit, elucidare conabimur, facillimè posse continuari.

AVCTORIS INTENTIO.

4. Vt autem Annales distinctè magis tradi, & in promptu haberi faciliùs possint, operæpretiũ duximus sequi vulgatam illam ac passim receptam horum temporum distributionem in sex, quas vocant, mundi Ætates; nonnihil tamen, si illarum terminos spectes, variatam. Cùm enim omnia tempora ab initio ad finem mundi, cõmuniter optimeque in tria præcipuè diuidi soleant; ac primum quidem Legis naturæ; alterum Legis scriptæ, seu Moysaicæ; tertium verò Euangelij, vel gratiæ tempus nũcupetur: si duo priora rursus, vt fit, tripliciter singula subdiuidantur, exsurgent

PARTITIO OPERIS IN SEX MVNDI ÆTATES.

proculdubiò, ab orbe condito ad Christum passum, sex, quas memorauimus, mundi Ætates; eritque prima, quæ ducitur ab Adam ad Diluuium expletum: secunda, à Diluuio, id est ab exitu Noë de arca, ad Abrahæ aduentum in terram Chanaan, siue ad promissiones sibi à Deo factas: tertia, ad exitum Israëlis de Ægypto, siue ad Legem scriptam: quarta, à Lege lata, ad ædificationem Templi Salomonis: quinta, ad eiusdem Templi desolationem: sextam verò ad passionem mortemque Redemptoris terminabimus: septimam autem, quæ est à passione, seu, vt aliis magis placet, à Natiuitate Christi ad finem mundi, quæ tota pertinet ad tempora Legis Euangelicæ, iam ab Illustriss. & Reuerendiss. Cardinali Cæsare Baronio luculentissimè non solùm edi cœptam, sed etiam pænè ad annum salutis nostræ millesimum ducentesimum, felici admodum progressu prouectam, aliis, quòd is morte sublatus præstare non valuit, ad nostra vsque tempora, vtinam eadem felicitate, deducendam libentissimè relinquemus; præsertim cùm ad iuuandos in hac parte sacræ Scripturæ studiosos, hæc à nobis prouincia potissimùm suscepta sit, pauca verò admodum ad septimam mundi Ætatem pertinentia, in Sacris codicibus habeantur, eaq; ab aliis, & præcipuè ab ipso Baronio, cumulatè explicata.

CONTROVERSIARVM RATIONES VNDE PETENDAE. ANNALIVM TABVLAE QVID PRAESTENT.

5. In calce verò cuiuslibet mundi Ætatis, rationes cõtrouersiarum inter auctores de summa annorum ipsius breuiter assignabimus: deinde cuiq; Ætati apponere satagemus compendiosiores quasdam ipsorum Annalium tabulas, ea qua fieri poterit diligentia ac studio dispositas; in quibus, præter ordinariam annorum directionem, veluti in paruo quodam speculo, licebit multa simul breuiter distinctèque intueri: nempe totam illorum temporum seriem satis appositè subordinatam, nec non plurima eorumdem temporum initia, quæ Arabes Iarich, Græci Epochas, Latini verò Æras vulgò nominant, à quibus ipsamet tempora deduci & dinumerari solent. item Sabbaticos, Iubileorumque ac Olympiadum annos, & prætereà singula propè tempora vitæ Regnique ac Principatus procerum, quorum ibi fit mentio, quando scilicet quisque natus, quo tempore ad Regnum assumptus, quando mortuus sit, quot annis cum ceteris vixerit regnaueritque, & huiusmodi alia; ac deniq; omnium illius Ætatis mundi temporum supputationes & concursus. Et licet huiusmodi tabulæ nequaquam ita componi possint, vt omnes anni, qui suo ordine in eadem linea ponuntur, inuicem omni ex parte concurrere valeant, propter diuersa eorum principia; quoniam anni Regum aut Iudicum non semper ab eodem anni tempore, sed ab eo, quo quisq; regnare seu præesse cœperat, sumunt exordium; neq; anni ab orbe creato idem habẽt principium cũ annis à Diluuio, vel à promissionibus, vel à Lege, vel à fundato Templo Salomonis, vel ab eodem euerso, vel ab initio Olympiadum, vel ab Vrbe condita: attamen quia illud nobis curæ fuit, vt semper, quantum fieri licuit, illos annos in eadem linea poneremus, qui inter se saltem pro maiori parte coinciderẽt, vt infrà pluribus in locis manifestũ fiet; idcircò, si ob indicatas causas aliquando contigerit (quod tamen rarò admodum fore putamus) aliquem annum cum altero eiusdem lineæ nulla ex parte con-

concurrentem inuenire; non multùm tamen à tali concursu aberit; quandoquidem cum anno præcedentis vel subsequentis lineæ aliquo modo concurrere comperietur: neque mirum videri debet, si in tanta annorum serie ac varietate leuis quidam huiuscemodi defectus deprehendatur.

6. Proinde illud in vniuersum hoc loco pium Lectorem admonitum velim, ne inter examinandos hosce Annales nimis diligens sit & exquisitus, siue in annorum concursibus præcisè exquirendis, siue in temporum particulis accuratiùs supputandis. Non enim humani est ingenij, in tam longo præsertim temporum spatio, ita singula ad vnguem definire, vt non aliquid, vel minimum, plus minúsve effugiat; præsertim cùm non ad futura tantùm tempora, sed ad præterita quoque aliquatenus extendi posse videatur irrefragabile illud Saluatoris dictum, Actorum 1. vers. 7. *Non est vestrùm nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, id est, quæ Deus ita præcisè manifestare noluit: & item illud Ecclesiastici cap. 1. vers. 2. *Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit?* Quare haud immeritò non professi sumus Ætatum Regumq; an nos subtiliùs expendere, sicuti sæpè solent Ptolomæus in suo Almagesto, & Iosephus Scaliger in suis de Emendatione temporum libris, quoto scilicet mense, cyclóve lunari, die aut hora cœperint desierintve. Nam hæc & similia libenter Mathematicis discutienda relinquimus; compendiosiorem viam, & sacrarum Scripturarum exempla secuti, quas manifestum est, consultò minutias temporum sæpè solere contemnere, & in recensendis annis nonnumquam fractos seu incompletos integris immiscere, vt in hoc ipsomet Opere liquidò constabit. Quamquam hæc sanè modica paucorum temporum, vt ita dixerim, confusio, vel potiùs indistincta traditio, seu minùs exacta supputatio, non tanti æstimanda est, vt à fide Annalium quemquam reuocare debeat; cùm præsertim videamus id non passim fieri, immò sæpiùs in Scripturis sacris tempora satis diligenter notata esse; plurimorumq; illustrium virorum ætates, & Regnorum durationes accuratè descriptas; aliquot item annorum supputationes liquidò expressas, quas paulò plus minúsve certum est veras reperiri. Hæc autem non frustrà in Scripturis tradita, neque sine magno Dei consilio hominumque vtilitate à sanctis Doctoribus tanto studio conquisita esse, fateri debent omnes. Vnde enim meliùs, quàm ex pura & sincera fideliterque distincta temporum serie, diuinarum promissionum & propheticarum prædictionum veritas exploratur? Quid igitur? nónne ex his perspicuum fit, & fidem indubitatam habendam esse sacris Annalibus, & tamen in his discutiendis computandísve subtiliùs aut curiosiùs quàm par est, non esse immorandum? præsertim cùm proximè accessisse ad veritatem, contentus quisque esse possit & debeat; satísque sit ad controuersias dirimendas, exploratum habere quo quid circiter tempore actum fuerit. Et hæc valdè optamus vt omnes memoria teneant: sic enim nemo iure nobis molestus esse poterit, vbi de vno tantùm circiter anno quæstio esse posse videatur.

TEMPORA NON NIMIS EXQVISITE PVTANDA.

ANNALIVM NOTITIA AD QVID CONFERAT.

7. Porrò, ne quis fortè nos existimet ad arbitrium nostrum aliqua finxisse; ideoq; ad credendum his, quæ dicentur, minùs propensus reddatur;

QVOMODO HIC TRADITA PROBENTVR.

Seiat velim, mihi in toto hoc Opere illud curę potissimùm fuisse, ne quidquam, nisi luce ipsa meridiana clarius, asserendum putarem sine conuenienti probatione ex ipsamet sacra Scriptura, quantum fieri potuit, diligentissimè desumpta, vel certè ex probatissimis Auctoribus accepta. non enim omnia, quæ ad hos Annales, præsertim verò Sextæ mundi ętatis pertinent, ex Sacris codicibus haberi possunt, in quibus multa consultò prętermissa sunt, multa breuiter tacta, vt suis locis videbitur: quæ tamen pro pleniori intelligentia diuinarum Scripturarum, ab Ecclesiasticis Auctoribus, immò etiam interdum ab Ethnicis ipsis desumere, non modò non vitio dandum est, sed potiùs laudabiliter fieri posse & debere, suo nos exemplo etiam ipsi sancti Patres docuere. Possent hîc innumera propemodum adduci loca SS. Hieronymi & Augustini, & aliorum, qui tamquam veri Istaëlitæ, Dei monitu, vasa aurea & argentea ab Ægyptiis mutuata, in donariis posteà Domini, ad vsum Tabernaculi & ornamentorum eius conficiendorum, summa cum pietate reposuerunt. Sed hæc missa faciamus, quæ à nemine in dubium vocari iure poterunt.

AVCTORVM IN RATIONE TEMPORVM CENSVRA.

CHRONOLOGIA HEBRAEORVM.

8. Illud potiùs hoc loco non prætereundum puto, non omnes, alioqui eruditissimos Scriptores, in his quæ ad tempora pertinent, inter se conuenire; neque omnes item in eo genere probandos esse. siquidem aliqui, inter quos est Nicolaus de Lyra super libri primi Esdræ cap. 1. & libri Esther cap. 1. & Daniel. cap. 9. sequuntur chronologiam Hebræorum; quam vt plurimùm mendosam esse & ridiculam, satis constat; præsertim cùm adeò superfluè addicta esse videatur litteræ Sacri textus, vt nihil ferè admittere audeat, quod in ea expressum non sit: tamquam si curæ fuisset Spiritui sancto, in Sacris codicibus omnium Gentilium historiam texere, & nihil omittere quod ad Regum exterorum & Monarchiarum tempora pertineret.

CHRONOLOGIA ANNIANA REPROBATVR.

9. Quidam verò, veluti Io. Driedo, Nauclerus, Valerius Anselmus, Io. Lucidus, Michaël Medina, Sixtus Senensis, & alij, secuti sunt aliam chronologiam, quam veteribus omnino incognitam, non longè à nostris tēporibus quidā Ioannes Annius Viterbiensis, nescio quomodo adinuentam, & antiquissimorum Auctorum, videlicet Berosi, Manethonis, Metasthenis, & Philonis nominibus honestatam, & à se commentariis auctam, in lucem dedit. quam imposturam priùs à Raphaële Volaterano Anthropologiæ suæ lib. 14. in verbo Berosus, detectam, posteà alij plures cordati Scriptores reprobarunt; quemadmodum refert Melchior Canus lib. 11. Locorum Theologicorum cap. 6. vbi de discernendis probatę fidei Auctoribus differens, pluribus cùm argumentis tum auctoritatibus prædictam Annij fictionem falsitatemque prodere nititur. Quod idem posteà fecit pluribus in locis, sed præcipuè libro 11. Commentariorum suorum in Danielem, Benedictus Pererius, vir inter Sacrorum librorum Expositores in ratione temporum disquirenda solertissimus, cuius nos diligentia in eodem studio nonnihil excitati sumus. Sed & ante Pererium Gilbertus Genebrardus Chronologiæ suæ lib. 1. Berosum Annij, fictitium appellat, & Franciscus Ribera super Zachariæ cap. 1. num. 25. *Remo-*

ueamus

neamus, inquit, *commentitium Metasthenem, qui vel nomine ipso indicat commentum; cùm nullus fuerit vmquam Metasthenes: Megasthenes dicere debuit qui finxit, si ludere legentes volebat.* Iosephus quoque Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum, in capite cui titulus est, De initio Merodac, aduersus Annij historiam acriùs inuehens, eam mendaciorum officinam vocat, & somnia sub nominibus Berosi, Philonis, & aliorum publicata; supponitque veri nihil in ratione temporum assequi eos posse, qui non sentiunt libros illos memoria auorum in Italia fuisse confictos. Denique nouissimè omnium, quos viderim, Franciscus Suarez in suis Commentariis super 3. part. Summæ S. Thomæ, Disputat. 1. Sect. 2. ait, Historiam Io. Annij ex falsis Auctoribus esse confictam, & nullam iam auctoritatem habere. Nos quoque infrà suis locis, prout sese occasio obtulerit, Annianæ historiæ intolerabiles aperiemus errores. Itaque ex his omnibus apparet, argumenta, quæ pro eiusdem Annij Chronologia adducit Hispanus ille, qui Monarchiam Ecclesiasticam patrio scripsit idiomate, leuiora esse, quàm vt à nobis hoc loco refelli debeant; quippe quæ non ex intima rerum perpensione, sed ex quibusdam exterioribus circumstantiis, & leuioribus coniecturis sint petita.

10. Nonnulli etiam, inter quos sunt Tertullianus & Clemens Alexandrinus, & ex recentioribus Genebrardus, & alij, vsi sunt tertia Chronologia, quæ ex annotatione annorum Regum cuiuslibet Monarchiæ colligitur. quæ quidem, tametsi non est improbanda, non tamen semper vsquequaque certa & secura est; quia huiuscemodi Scriptores, vt ab omnibus pænè Chronographis obseruatum est, in recensendis tot Regibus, aliquando quosdam obscuriores omittunt: interdum eos tantummodò cõmemorant, qui ex legitima successione vel electione Regno potiti sunt; iis, qui tyrannicè se in Regnum intruserunt, prætermissis: nonnumquam etiam Interregnorũ tempora prætereunt, aut annos patrum filiorumque, vel aliorum corregnantium, vtrique attribuunt, tamquam si totidem singuli seorsum, vnus post alterum, regnauerint: & non raro item extremos cuiusque Regis annos vix inchoatos pro completis enumerant; vel contrà pęnè completos pro incompletis reputant, & connumerare negligunt: quo fit, vt non semper inter se consentiant Auctores in hisce annis Regum recensendis. Quòd si quis etiam sacræ Scripturæ, Regum præcipuè & Iudicum libris, eamdem posse importari calumniam suspicetur; meminerit primò, quo auctore Diuina eloquia dictata, edita, & vsque nunc conseruata fuerint; & sic omnem cuiusuis erroris, etiam in ratione temporũ, vel minimam suspicionem facilè ab animo suo propulsare poterit: deinde, tametsi in Sacris litteris alicubi aliquid, quod ad Historiæ continuationem pertineat, omissum videatur, id multoties alibi expressum, vel saltem insinuatum reperiri; vt in hoc Opere sæpissimè demonstrabimus: postremò, sacrã Scripturam non semper ex sola Regum vnius Regni successione, eorumdemq; annorum dinumeratione, tempora metiri; sed etiam interdum ex collatione annorum Regum alterius Regni cum altero, sicuti Regum Israel cum annis Regum Iuda, & contrà; vt frequenter videre est

CHRONOLOGIA A REGVM ANNIS SVMPTA.

CHRONOLOGIA SACRA QVOMODO PROCEDAT.

in libris Regum (qua de re sub titulo De concordia temporum Regum corregnantium ſuper Iudam & ſuper Iſrael, breuem accuratumque tractatum ſcripſit Richardus de S. Victore ad B. Bernardum Abbatem Claraualleníem) interdum etiam ſubducendo longi temporis anteacti annos, vt exempli gratia fit ad Galat. cap. 3. verſ. 17. vbi ponitur præciſa annorum ſumma à promiſſionibus Abrahæ factis ad Legem datam: & lib. 3. Reg. cap. 6. verſ. 1. ab exitu Iſraelis de Ægypto, hoc eſt ab anno Legis datæ, ad tempus quo Salomon fundaméta Templi iecit: & Ierem. cap. 25. verſ. 3. ab anno decimotertio Regni Ioſiç ad quartum Ioakim, primumq; Nabuchodonoſor; & alibi fortè alias huiuſmodi temporũ ſubductiones in Scriptura ſacra expreſſas inuenies. Huc accedit, quòd aliquando etiam ex aliqua veluti temporum radice, quam, vt diximus, Latini Æram vocant, tempora deducit; vt, verbi gratia, in Ezechiele à transmigratione Ioachin Regis Iuda: & in libris Machabæorum, à Regno Græcorum. His adde, ſi placet, etiam Æram illam ex Sacris libris collectam, quam nos ab introitu Iſraelitarum in terram Chanaan deducemus, pro Sabbaticis Iubileorumq; annis diſcernendis valdè accommodatã. Ex quibus omnibus diſtingui poſſunt confuſiones, ſi quæ ſunt, annorum completorum cum incompletis; & ſi quid aliud eſt, quod ſacram temporum rationem perturbare poſſit. Vbi enim hæc omnia, & alia item eiuſmodi multa, conuenire viderimus (quod in tabulis infrà ponendis, pro ſuo quiſque arbitrio experiri poterit) magnum profectò argumentum habebimus partæ veritatis: cuius proprium eſt, nihil repugnans, nihil implicans in ſe admittere.

CHRONOLOGIA FASTORVM CONSVLARIVM.

II. Sunt etiam quibus valdè arridet quarta Chronologia, quæ per annos in Faſtis Conſularibus digeſtos, ab Vrbe condita deducitur. Sed hæc varia admodum apud antiquos reperitur Scriptores; inter quos magna in annis digerendis diſſenſio fuit, vt oſtendunt Onuphrius Panuinius lib. 1. Commentariorum ſuorum in Faſtis, cap. De anno & die Vrbis conditæ, & Carolus Sigonius in ſuo Faſtorum Commentario, cap. De Conſulibus primùm creatis; & ante ipſos Cicero tradidit in Bruto. Quod multiplici de cauſa potuit euenire: puta, quia quos alij Conſules, & ſine Conſulibus Dictatores ſępè interſerunt, eos omnino alij prætereunt: item ob dilata olim vel anticipata ſæpiſſimè à Senatu, ſiue ab iis ad quos ſpectabat, prout occaſiones ferebant, Comitia; & variatum tempus ineundi Conſulatum, ac durationis eiuſdem: conſtat enim, Conſules non ſemper fuiſſe annuos, ſed quandoque ſemeſtres, & quadrimeſtres, & bimeſtres, & menſtruos; vt docet Onuphrius ibidem lib. 1. cap. De Conſulatu. Et denique propter varias Kalendarij mutationes à Regibus & Imperatoribus Romanis factas.

KALENDARII MVTATIONES.

nam, vt ex Macrobio & Solino referunt Io. Lucidus in ſuo libello De vero die paſſionis Chriſti, cap. 2. & Onuphrius libro citato cap. De anno & partibus eius, Romulus I. Romanorum Rex, primum edidit Kalendarium; in quo conſtituit annum dierum 304. quos in decem tantummodò menſes partitus eſt, iuxta illud Ouidij primo Faſtorum:

Tempora digereret cùm conditor Vrbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

Hunc

Tunc verò annum inchoari voluit à mense Martio, in honorem Martis, à quo se genitum esse existimabat, seu ab aliis existimari volebat. Et cùm per viginti quattuor circiter annos perdurasset Kalendarium Romuleum, posteà Numa Pompilius, qui eidem Romulo proximè successit, secundum edidit Kalendarium; in quo additis anno Romuli diebus quinquaginta, annum instituit, more Græcorum, trecentorum quinquaginta quattuor dierum, ex quibus duodecim menses Lunares confici solent: vnde benè prosequitur idem Poëta loco citato:

At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras,
Mensibus antiquis præposuitque duos.

Adiecit prætereà idem Numa iterùm prædictis anni diebus diem vnum, in honorem imparis numeri à Pythagora celebrati; vnde factum est, vt annus Romanus tunc trecentorum quinquaginta quinque dierum euaderet: & nihilominùs Romani, vt tandem annum Lunarem cum Solari adæquarent, Græcorum exemplo intercalabant singulis octonis annis nonaginta dies, non vnica aut duabus tantummodò intercalationibus in vnoquoque octono anno, vt solebant Græci, sed quattuor; nempe intercalando alternis annis dies viginti duos, alternis verò dies viginti tres. Cùm autem intercalatores comperissent, in fine octoni anni superabundare octo dies, propter illum diem additum in honorem imparis numeri; vt hunc etiam errorem emendarent, tertio quoque octono anno intercalabant non nonaginta dies, vt fiebat in aliis octonis annis, sed tantummodò sexaginta sex; nimirum in anno secundò & sexto, sexdecim dies; in quarto autem & octauo, septemdecim; sicque compensabant illos viginti quattuor dies, qui spatio viginti quattuor annorum creuerant. Verùm cùm procedente tempore magna esset exorta confusio, vel propter sæpiùs, superstitionis ergô, intermissam intercalationem; vel vitio Pontificum illorum temporum, ad quos spectabat dictam intercalationem facere, qui quandoque in gratiam publicanorum protrahebant, quandoque verò contrahebant anni dies: Iulius Cæsar anno vitæ suæ pænultimo Kalendarium tertiò correxit, attribuens vnicuique anno dies trecentos sexaginta quinque, à mense Ianuario inchoandos: & quoniam intellexit, Solem nonnisi in dictis tercentis sexaginta quinque diebus, & ferè sex horis, cursum suum naturalem conficere; mandauit quarto quoque anno diem vnum intercalari; vt sic illa etiam quarta diei pars absumeretur. Denique Augustus post triginta sex annos à Kalendario Iuliano, cùm alium quemdam errorem deprehendisset, ex anticipata illius diei intercalatione emanatum, quarto loco Kalendarium reformauit, quod ad nostra vsque tempora in viridi obseruantia perseuerauit: donec tandem fel. rec. Gregorius XIII. Kalendarium postremò emendatum, quod Gregorianum appellant, edidit, atq; in vsum induci curauit. Ecce quot anni varietates à Romulea Kalendarij emendatione ad Augustanam, septingentorum scilicet quinquaginta ferè annorum spatio, factæ sunt. Et licet anni quandoque, debitis tandem peractis intercalationibus, æquati sint; non tamen proptereà omnis errandi occasio,

casio, in annis Consularibus distinguendis, & in ceteris singularibus actionibus suo cuique anno assignandis, euitari potuit: quoniam non ordinatè & præstitutis temporibus, quemadmodum apud Græcos, sed post decursas multorum annorum confusiones, id præstitum fuit. Vnde non mirum est, si Onuphrius Panuinius diligentissimus Fastorum indagator, cùm animaduertisset, prædictis aliisque de caussis plurimas in hac quarta chronologia exortas esse difficultates, variasque reperiri Scriptorum veterum opiniones, ex omnibus sententiis duas verisimiliores & magis receptas delegerit; alteram ex Varrone, & ex Fastis Capitolinis alteram; quas in suis Fastis ponere non est grauatus, vt quam quisque mallet sequeretur: tametsi inter eas vnius tantùm anni differentia deprehendatur.

CHRONOLOGIA OLYMPIADVM.

12. Demum alij quintam sequuntur chronologiam, quæ ex Olympiadum obseruatione consurgit: quæ profectò, vt magis probati Auctores communiter sentiunt, est omnium certissima, fuitque semper, etiam apud antiquos & probatissimos Scriptores, vsu recepta. Idcircò nos, relictis priorum chronologiarum asseclis, Hebræorum scilicet & Annij, vbicumque aliquid ex sacra Scriptura elicere non poterimus, si ante annum primum Regni Ioatham, in quo cœperunt Olympiades, id contigerit, ad Scriptores, qui tertiæ chronologiæ adhæserunt, optimorum inter eos habito delectu; exinde verò ad illos in primis, qui quintam, quæ Olympiadum est, chronologiam secuti sunt, confugiemus: non aspernantes etiam illam, quæ ab Vrbe condita, Fastisque Consularibus, ex Varronis potissimùm sententia, deducitur: memores eius, quod optimè docuit sanctus Augustinus lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 28. dicens quòd cognitio Historiarum, quæ per Olympiadum & Consulum tempora habetur, magnopere conducit ad plurima loca sacræ Scripturæ probè intelligenda, & horum ignorantia multos coëgit errare.

QVAM CHRONOLOGIAM AVCTOR SEQVI INTENDAT.

SACRA TEMPORA CVR ETHNICORVM AERIS COMPONENDA.

13. Quapropter nemini mirum videri poterit, si inter sacra hæc tempora, potissimùm verò in tabulis infrà dispositis, præcipuas Gentilium Monarchias, earumque Regum successiones, necnon aliquot eorumdem Gentilium Æras, ab Ethnicis Scriptoribus magis obseruatas, componere studuimus: puta eas, quæ à Nabonassaro, ab Vrbe condita, ab initio Olympiadum duci solent; & si quæ sunt huiusmodi aliæ. Non enim fuit animus miscere, vt aiunt, sacra profanis; sed sacrorum Annalium veritatem, Ethnicorum quoque temporum collatione, comprobare. Nam si tantopere studiosorum mentes oblectare solent, qui Christianæ fidei dogmata, tametsi certissima, quippe quæ æterna veritate nitantur, naturalibus tamen rationibus nullo modo aduersari, sed omnino consona esse declarant; cur non idem aliquo modo efficiet, qui sacros Annales, quantumuis certissimos, vtpote ex Sacris libris depromptos, etiam Gentilium Historiis nequaquam repugnare, quin potiùs cum ipsis optimè connecti ac colligari posse demonstrabit? Igitur eadem item de caussa, neque inutile iniucundúmve fore putaui, aliqua etiam, præsertim illustriora Ethnicorum gesta, propriis locis intexere, quibus, ni fallor, nostra hæc temporum series adhuc magis magisque comprobari poterit.

14. Ce-

14. Ceterùm neminem offensum velim, quòd tem historicam non methodo historica, sed per quæstiones interdum disputare ac tradere videar: quandoquidem id necessitate non voluntate factum intelligēt omnes antiquissimarum actionum studiosi. quippe qui, cùm non ignorent quantum huiusceemodi rerum inuestigatio obscuritatis habeat (vt proptereà mirum non sit, si sæpiùs de eadem re variæ & nonnumquam etiam contrariæ inueniuntur insignium Auctorum opiniones) certè simul etiam intelligent, non ratò necessarium fore, ad eruendam atque enucleandam veritatem, rationibus hinc inde adductis & probè discussis, rem diligentiùs examinare, ac denique non purum Historicum, sed, vt ita loquar, Scholasticum agere; mihique libenter, vt arbitror, hanc veniam dabunt. Etenim tametsi non me lateat, plurimos simplici potiùs & fluēti Historia delectari, quippe quibus iniucundum, vel etiam aliquando molestum videatur, cœptam semel rerum subsequentium narrationem interrumpere, & in eiusmodi quæstionibus & digressionibus immorari. Verumtamen ne, dum istis morem gerere studerem, alios veritatis accuratiùs inuestigandæ, firmiterque stabiliendæ magis sollicitos, spe sua frustrari, & multa in dubium vocari contingeret: satius esse putaui (Cardinalis Baronij exempla secutus) nostræ huic narrationi, vbicumque id opus esse visum fuerit, etiam illa intexere, quæ ad Historiæ veritatem demonstrandam comprobandamque pertinerent. Nam quę nos memoratis de causis prætetire non debuimus; facilè poterit, qui volet, legendo dedita opera pertransire, & sine vlla mora, solam rerum gestarum seriem persequi, vel potiùs ad libitum percurrere. Quod vt faciliùs fieri possit, has notas ☞ in marginibus ritè disponi curauimus, quarum prior nudam historiæ continuationem, posterior autem quascumque ab historia digressiones præmonstrat.

CVR ALIQVANDO PER QVAESTIONIS HISTORIA SIT TRADENDA.

CVR AVCTOR MALVERIT IN DVBIIS ENODANDIS IMMORARI

15. Sed & aliam pariter postulare veniā cogor, vt scilicet nemo miretur, si nostra hæc sacrorum Annalium traditio non prorsus continuata inueniatur, sed multoties interrupta, ita vt plurium in ea annorum acta desiderentur; quandoquidem certum est, aliter fieri non potuisse: etenim res ab vltima præsertim antiquitate gestas, puta quartæ, tertiæ, secundæ, & primæ mundi Ætatis, non aliunde, tamquam ex proprio fonte, quàm ex Sacris libris hauriri posse, nemo est qui nesciat. Atqui illud quoque exploratissimum habemus, (vt benè notat S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 2. & nos sub anno mundi 1666. num. 11. fusiùs explicabimus) Scripturæ sacræ Auctores, non puros esse Historicos, sed etiam Prophetas, ac proinde non omnia scriptis mandare curasse, sed illa dumtaxat, quæ latens aliquod mysterium continere, & hominum saluti conducere videbantur. Quare, si ipsamet Historia sacra multos sparsim annos omnino vacuos, hoc est, sine vlla rerum in eis gestarum memoria consultò præteriit, quis non videt, idem nos quoque facere coactos esse?

CVR ALIQVANDO INTERRVPTE HISTORIA SIT TRADENDA.

16. Postremò, quoniam ipsa rerum obscura traditio, quæ in sacris Scripturis non ratò offenditur, coget nos interdum vel inuitos Expositoris munere fungi, tametsi ad historicam narrationem id non pertinere minimè

CVR INTERDVM SACRI TEXTVS EXPONENDI.

nimè dubitemus: si aliquando vsu venier, aliquem sacræ Scripturæ textum exponere non in eo sensu quem prima fronte videtur exprimere, pium prudentemque Lectorem etiam atque etiam obsecramus, vt non statim huiuscemodi nostram expositionem reiiciat, sed vim argumentationum consecutionumque, & textuum collationem priùs diligenter perpendere non grauetur, quàm sententiam ferat. fieri enim sæpè solet, vt primo aspectu locus aliquis vno modo intelligendus esse videatur, quem tamen aliis locis collatum, accuratiusque, &, vt aiunt, aurificis statera, non populari trutina expensum, necessariò aliter explicari debere quiuis iudicabit. Quod tamen non passim, neque nisi grauissimorum Patrum auctoritate fulti, ac Catholicorum Doctorum sententiam secuti, faciendum duximus. Et hæc dicta sufficiant, vt vnusquisque intelligat, quis scopus, quæ mens, quæ consilia mea omnia fuerint in toto hoc Opere. Quod omnino, meque ipsum pariter, irrefragabili Sanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ libens volensque subiicio, paratus eiusdem iudicio potiùs quàm meo in omnibus acquiescere.

PRIMA Mundi ætas complectitur annos mille sexcentos quinquaginta sex.

SECVNDA,	annos	quadringentos quinquaginta sex.
TERTIA,		quadringentos triginta vnum.
QVARTA,		quadringentos septuaginta nouem.
QVINTA,		quadringentos viginti quattuor.
SEXTA,		sexcentos triginta octo.

ANNA-

ANNALES SACRI

PRIMAE MVNDI AETATIS AB ORBE CONDITO AD DILVVIVM EXPLETVM.

1. 

DE Sacris Annalibus ab exordio Mundi agere instituentes, opus sanè arduum ac valdè laboriosum aggredimur: quod vtique ab omnipotente Deo dirigi, iuuari, ac perfici, vel ex semetipso, tacita quadam postulatione flagitat atque expectat: & nos pariter eumdem Patrem luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, nobis adesse, fauere, opem ferre, quantum possumus, enixè atque humiliter imploramus. Vt igitur ea quæ dicturi sumus, aptè, & eo deinceps ordine quo res ipsæ à suo principio denuatæ sunt, atque ita quoque faciliùs tradi possint; operæpretium existimauimus, quædam hîc aliquanto altiùs repetere: ac priùs de summo omnium Opifice, rerumque primordiis, ab eodem ante tempora sæcularia dispositis, quantum ipse concesserit, & ad rem pertinere videbitur, pauca præmittere. Atque illud in primis, quod aduersus veterum Philosophorum errores Sacra testantur eloquia vel in ipso Genesis initio, & Prou. c. 8. vers. 22. & Ioan. c. 1. vers. 3. & c. 17. v. 5. videlicet, Mundum non ab æterno extitisse; sed certo quodam tempore, siue(vt magis propriè loquamur) in ipso temporis exordio, fuisse à Deo procreatum. Itaque ante omnia, duo hîc necessariò supponenda sunt: nempe, Deum esse, & eumdem esse rerum omnium conditorem. De primo quidem, quatenus naturali lumine cognosci potest, sic pater eloquentiæ, meritoque inter doctissimos quoque Philosophos computandus Cicero in calce lib. 2. de Diuinatione ait: *Esse præstantem aliquam æternamq; naturam, & eam suspiciendam admirandámque hominum generi, pulchritudo mundi, ordóque rerum cælestium cogit confiteri.* Et lib. 1. de Legibus, ante medium, ait: *Ex tot generibus, nullum esse animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei.* Quo sanè huius sapientis dicto quid aliud lepidè insinuatur, nisi eos non inter homines, sed inter bruta animalia esse censendos, qui neque quòd Deus sit scire aut nosse volunt? Prosequitur idem Auctor ibidem: *De ipsisque hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.* Sed & in toto pænè de Natura deorum libro 2. multa de hoc doctè ac præclarè disserit, tametsi res ei adeò clara videatur, vt ne egere quidem probatione existimari possit. *Quid enim*, inquit, *potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cùm cælum suspeximus, cælestiáque contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?* Et posteaquam hoc ipsum idem Auctor auctoritate Ennij Poëtæ comprobauit, protinus subiungit: *Quod qui dubitat, haud sanè intelligo, cur non idem, Sol ne sit, an non, dubitare possit. Quid enim est hoc illo euidentius? quod nisi cognitum comprehensúmque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vnà cum sæculis ætatibúsque hominum inueterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse.* Denique asserit, quod inter omnes omnium sententia constat, omnibus innatum esse, & in animo quasi insculptum, esse Deum. Et hoc deinceps longa

CICERO PROBAT DEVM ESSE.

longa oratione prosequitur multis confirmare rationibus, ex antiquis etiam Philosophis, Cleanthe, Chrysippo, Socrate apud Xenophontem, Zenone, & Aristotele petitis. Quę quidem Ethnicorum argumenta ad maiorem Atheistarum confusionem, eorum præsertim, qui clanculùm inter Christianos, tamquam inter pullos aquilarum adulterini, acie palpitantes, vel potiùs inter aquilas nycticoraces aut vespertiliones versari non verentur, hic adducere possemus, si id permitteret ipsa breuitatis meta, quam nobis ipsi præstituimus. Quamuis aduersus eosdem quoque satis pugnent, quæ efficaciter admodum disputat B. Thomas in vtraque sua Summa, nempe contra Gentes lib. 1. cap. 10. vsque ad 14. & Theologica, in tota primæ partis quæst. 2. Ad quos sanè Auctores vtinam miseri aliquando confugere in animum inducerent, eorum scripta voluere, vim argumentationum introspicere, perpendere, & æqua lance librare, quo densissimas noctis tenebras de cordibus suis, Deo benè iuuante, talibus saltem lucernis propellere possent. Sed non est nobis diutiùs immorandum in hac certissima veritate pluribus stabilienda, quam & naturalis quidam hominum, in magnis præsertim vitæ periculis, ad opem diuinam implorandam recursus, & non obscurus quoque ad qualemcumque saltem diuinum cultum instinctus, in omnes quantumuis barbaras nationes ab ipsa veluti natura inditus, ac pænè de matris vtero tractus, aut cum lacte nutricis haustus, apertissimè produnt: vt propterea mirum non sit, si Plutarchus sub finem libri aduersus Colotem dicebat: *Si terras obeas, inuenire possis vrbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias: vrbem templis diisq; carentem, qua precibus, iureiurando, oraculo non vtatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris auertere nitatur, nemo vmquam vidit. Sed faciliùs vrbem condi sine solo posse puto, qua opinione de diis penitus sublata, ciuitatem coire aut constare.* Sic Plutarchus. qui proculdubiò, quòd non Deum sed deos nominat, communem illorum temporum erroneamque de multitudine deorum opinionem simpliciter prodit. Denique si Deus, primus motor est, & prima rerum causa, vt Philosophi solo naturali lumine cognouerunt docueruntque; vtique necessariò consequitur, quòd si Deus non esset, neque ipse mundus esset, neque cælorum motus, neque quidquam aliud esse reperirive posset; & consequenter, neque nos ipsi qui hæc scribimus legimúsve, vllo modo esse possemus. Sublato enim primo illo esse quod dat omnibus esse, & primo illo motore qui cetera mouet, & prima illa rerum causa quæ cuncta producit ac conseruat, necesse est omnes quoque motus cessare, & cunctos effectus tolli, & ea quæ sunt, ampliùs non esse. Cùm igitur è conuerso euidens certumque sit, motum, ac mundum, & omnia, quæ in ipso videmus, reuerà esse, longè certius euidentiusque fit, Deum esse. Et hoc adeò verum indubitatumque est, vt oppositum dicere, sit absurdissimum, & capi nullo modo possit, tamquam quid ab omni humano sensu, iudicio, cogitatione intelligentiaque disiunctum, & rectæ rationi manifestè repugnans: itaque certissimum sit, Deum esse. Etenim hanc veritatem luce meridiana clariorem nemo vmquam sanæ mentis non admisit, recepit, amplexus, professus est. Non enim simplici quadam ignoratione, sed ea quam prauæ dispositionis appellant, compertum est, laborare perditos illos homines, de quibus in Psalmi 13. initio legimus: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Quemadmodum etiam clarè indicant, quæ ibidem subnectuntur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* & quæ sequuntur.

ADVERSVS ATHEISTAS.

PLVTARCHI DE CVLTV DIVINO SENTENTIA

QVOD DEVS SIT OMNIVM CONDITOR, EX CREATVRIS DIGNOSCITVR.

2. Alterum, quod hic supponendum dicebamus, erat, Deum esse rerum omnium conditorem. Quod & pæne innumera diuinæ Scripturæ testimonia asseuerant; & hæc tam vasta tamque benè disposita Mundi fabrica, ac præcipuarum eius partium, puta cælorum, stellarum, elementorum, aliarumque rerum mira varietas, pulchritudo, & consonantia, quid aliud arguunt, nisi diuinam supremi omnium Architecti in eisdem efficiendis, disponendis, ornandis, sapientiam? vt non immeritò scriptum sit in exordio Psalmi 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Idipsum demonstrant non solùm ipsa corporum cælestium magnitudo, eorumdemque ordinatissima motuum continuatio; verùm etiam sublunaria quæque, lapilli pretiosi, metalla, fossilia omnia, & innumera plantarum genera, si naturæ vires, mirabilesque singulorum effectus, quos non à se ipsis, neque ab alio quàm ab ipso Deo sortitos esse certissimum est, sedulò perpendantur; & si cum sancto Augustino Tract. 24. in Ioan. opera Dei mira ac stupenda in quolibet seminis grano considerentur; & quomodo ipse de paucis granis segetes creet atque multiplicet. Maximè verò omnium, ac multo euidentiùs hoc idem ostendunt ipsa animalia, & præcipuè perfectiora, si tot tantasque eorum proprietates facultatesque ad sui conseruationem, defensionem, proprij

prij corporis nutritionem, infirmitatum eis contingentium curationem, ac denique in procurandis alendisque filiis, pro specie ipsorum perpetuanda, diligentiam sollicitudinemque attendamus, & corpora item eorumdem tantis tamque variis membris, incomprehensibili artificio, ad multiplices ipsorum motus, necessariosque vitę vsus, quin etiam ad oblectamenta cuiusque naturæ conuenientia aucupanda, appositissime ac decenti proportione compacta, & concinnè admodum (sicuti oculis ipsis non iniucunde cernimus) accommodata: hæc enim apertissimè prædicant id quod dicitur Ecclesiastæ cap. 3. vers. 14. *His quæ fecit Deus non possumus quidquam addere nec auferre.* & Deuteronom. cap. 32. v. 4. *Dei perfecta sunt opera*: nimirum singula in genere suo. & quod in quodam Responsorio, infra Octauam Pentecostes, sancta canit Ecclesia; nempe Deum esse omnium artificem, omnem habentem virtutem, omnia prospicientem. Sed & adhuc longè mirabiliora sunt, & ad demonstrandam inæstimabilem diuini Conditoris virtutem efficaciora, quæ in corporibus nostris ceterorumque animalium intrinsecus latent; & solis eorum indagatoribus, aliqua saltem ex parte, sunt cognita; nempe ossium dispositio, iuncturæ, ligamenta, cartilagines, membranæ, musculorum multitudo, complexus & implexus, organa sensuum inexplicabili magisterio fabricata, & alia item plurima ad alios vsus, puta ad voces, ad loquelam, variasque modulationes & cantus, ad generationem & conceptionem, ad cibos sibi proportionatos sugendos, carpendos, vorandos, mandendos, deglutiendos, concoquendos, distribuendos, & huiusmodi. His adde vasa multiformia, ad diuersi generis excrementa excipienda, retinenda, ac certis temporibus emittenda, congruis locis mirabiliter aptata: denique viscera omnia, præsertim insigniora, iecur, cor, cerebrum, & quæ ab ipsis procedunt, nerui, arteriæ, venæ; quæ (vt ait Cicero lib. 2. de Natura deorum) *crebra multaq; toto corpore intexta, vim quamdam incredibilem artificiosi operis diuiniq; testantur.* Videat accuratus Lector plura quæ de his idem Auctor ibidem elegantissime, vt solet omnia; & si libet & vacat, adhuc plurima, quæ diligentissimè Galenus in libris de Vsu partium, tradiderunt; & intelliget, nihil aliud æque horum Philosophorum mentes ad diuinæ naturæ notitiam erigere valuisse.

3. Hæc quæ hactenus tetigimus, & eiusmodi alia, si non perfunctoriè, vt communiter fit, sed penitiori quadam consideratione; neque cum ethnicis Philosophis tantùm, sed cum sanctis quoque & Ecclesiasticis Doctoribus, potissimum verò cum valdè pio ac religioso viro, & egregio nostri temporis Scriptore, Ludouico Granatensi, in suę ad fidei Symbolum Introductionis parte prima, vbi hoc argumentum latissimè atque eloquentissimè prosequitur, contemplari voluerimus; proculdubiò re ipsa comperiemus, mirabilia, quæ de rebus in hoc mundo existentibus, ac præcipuè de intestinis animalium partibus, & organis, vel leuiter indicauimus, non ab ipsismet animalibus, neque ab vlla alia præterquam à diuina potentia fieri proficiscive potuisse. Quod & apertè Scriptura sacra nos docuit Ecclesiastę cap. 11. vers. 5. dicens: *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Et item in persona generosæ illius mulieris, quæ 2. Machab. cap. 7. ver. 22. coram filiis suis id constanter asseuerabat: *Nescio*, inquiens, *qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem.* Quin etiam longè ante hos, Iob cap. 10. vers. 10. dicebat Domino: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me; ossibus & neruis compegisti me?* Igitur manifestè patet, quòd subministrare animalibus vitam viuacemque potentiam, animare & ordinare membra, vegetare sensus, formare semina, alimenta donare, & huiusmodi alia, diuinæ solius est potestatis. Cuius memorati aliique admirabiles effectus, ideò (quemadmodum loco suprà numero præcedenti citato sanctus asserit Augustinus) nostris passim admoti sunt sensibus, quò erigeretur mens, & exhiberi oculis vbi exerceretur intellectus, *vt inuisibilem Deum per visibilia opera miraremur; & erecti ad fidem, & purgati per fidem, etiam ipsum inuisibilem videre cuperemus.* Sic ille. Denique Apostolus ad Rom. cap. 1. vers. 20. docet, ex horum visibilium contemplatione, olim Philosophos solo lumine naturali (vt ibidem Expositores declarant) Deum existere, cognouisse. *Inuisibilia enim*, inquit, *ipsius* (hoc est Dei, nempe eius potentia, sapientia, & bonitas, per quæ eius natura manifestatur) *à creatura*, id est à creatione, *mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* & consequenter, *sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas.* Videat, obsecro, prudens Lector, quæ S. Iuannes Chrysostomus Homil. 9. ad Populum Antiochenum, memorata Apostoli

stoli verba declarans, suo more luculenter & ornatè disserit; quorum pauca de multis hîc retulisse sufficiat: *Ante omnium oculos*, ait, *creaturam in medio proposuit* (subaudi Deus) *vt ex operibus Creatorem coniiciant; quod quidem & alius dicebat* (nempe Sapiens paulò pòst citandus) *Ex magnitudine & pulchritudine creaturarum, proportionabiliter ipsarum Auctor consideratur. Vidisti magnitudinem? considera potentiam Conditoris cum admiratione. Vidisti pulchritudinem? sapientiam obstupesce; quod & Propheta demonstrans, dicebat: Cæli enarrant gloriam Dei. Quomodo igitur narrant, dic mihi? Vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua. Quomodo igitur narrant? per ipsum aspectum: cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam, per tantum temporis permanere; tamquam vocem audiens, & ad aspectum discens, adoras eum, qui tam pulchrum & admirabile corpus creauit. Tacet cælum; sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit; per oculos, non per aures nos docens: hic enim sensus naturâ est illo certior & manifestior. Si enim per libros docuisset & litteras; litterarum quidem peritus scripta didicisset; nesciens verò, nihil inde adiutus abiisset, si quis alius non induxisset. Et diues quidem librum emisset, pauper autem emere non potuisset. Rursum, vocem quidem illam per litteras significatam sciens, intus positam nosset; Scytha verò, & Barbarus, & Indus, & Aegyptius, & omnes lingua carentes illa, nihil docti abiissent. Hoc autem de cælo dicere non licet; sed & Scytha, & Barbarus, & Indus, & Aegyptius, & omnis homo super terram incedens, hanc vocem audiet. Non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram. Visibilium autem participatio eadem, neque differens sicut linguarum. In hunc pariter librum & idiota & sapiens intueri potuerunt, & pauper & diues; & quocumque quis venerit, in cælum respiciens, sufficientem capiet doctrinam ex aspectu. Quod quidem & ipse Propheta innuens & demonstrans, quòd vocem creatura Barbaris emittit & Græcis, & omnibus vniuersaliter hominibus sic intellegi facilem, dicebat: Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces earum. Quod autem dicit, tale est: Non est gens neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non possit: sed talis est ipsarum vox, vt ab omnibus hominibus audiri possit.* Hæc & plura eiusmodi alia, quæ breuitatis studio prætermimus, ibidem prosequitur idem sanctus Doctor. Itaque vt vno verbo rem perstringamus, verissimum est, non modò cęlos, sed & vniuersa hæc quæ in hoc mundo conspicimus, tacitas quasdam esse omnium creaturarum voces, quæ pariter, licet non eodem modo, cum S. Propheta in Psal. 99. vers. 3. in auribus aures audiendi habentium perpetuò exclamant: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Quare non immeritò S. Augustinus in Psal. 26. vers. 6. dicebat: *Circumeat animus tuus per vniuersam creaturam; vndique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Quidquid te delectauerit in arte, artificem commendat: magisq́; si circumeas vniuersa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos; magna opera Dei sunt. Vides terram; Deus fecit semina innumera, diuersitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos, vsque ad terram, nihil relinquas, vndique tibi omnia resonant Conditorem, & ipsæ species creaturarum, voces sunt quædam Creatorem laudantium.*

CONTRA IDOLOLATRAS.

¶ 4. Non igitur mirum est, si Sapientię cap. 13. per totum, haud immeritò certè, conqueritur Sapiens de quorumdam hominum vanitate, vel potiùs dixerim, insipientia; qui ex rerum creatarum pulchritudine, non solùm ad summi Dei creatoris cognitionem mentis oculos eleuare non studuerunt; sed in ipsarum vana dumtaxat contemplatione persistentes, vel etiam delitescentes, easdem deos esse existimarunt. Ponam hîc verba Sacri textus, vt res clarior fiat: *Vani*, inquit, *sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est; neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset Artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum deos putauerunt. Quorum si specie delectati, deos putauerunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter*, (siue, vt exponit B. Chrysostomus numero præcedenti citatus, *proportionabiliter*) *poterit Creator horum videri.* hactenus Sapiens. qui ibidem pòst pauca pronuntiat, quòd his qui sic errant non debet ignosci. *Si enim*, ait, *tantum potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum* (id est mundi naturam assidua contemplatione assequi) *quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt?* sic ille. Sed si infelices isti sunt & inexcusabiles; quanto infeliciores & minùs excusatione digni sunt hi, de quibus ibidem subiungitur: *Et inter mortuos sors illorum est, qui appellauerunt deos, opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem, & similitudines*

tudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ. & cap. 15. verſ. 6. *Maiorum,* ait, *amatores digni ſunt, qui ſpem habeant in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.* & eſt, ac ſi dicere voluiſſet: Qui ciuſmodi idola faciunt, diligunt, aut coluut, malorum ſunt amatores, & digni qui in talibus ſpem ſuam reponant. Hos idololattas rident, ibidem & capitibus ſequentibus idem Auctor, & Ieremias in toto Baruch cap. 6. & alibi Scriptura non ſemel.

5. Sed, his omiſſis, iam redeundum eſt ad id, de quo agere cœperamus, nempe ad ſupremum rerum omnium Conditorem, de cuius natura priùs aliquid vel primis tantùm, vt dicitur, labris degustandum videtur, antequam ad eius operationes deſcendamus: id enim recta ordinis ratio poſtulat. Porrò ipſum eſſe naturam quamdam, omnium quæ ſunt aut eſſe poſſunt perfectiſſimam atque eminentiſſimam, naturaliter ſcire poſſumus. Nam ſi quid ea perfectius ſublimiúſve reperiri aut excogitari vmquam poſſet, illud vtique, & non aliud illo minus, Deum eſſe, fateri oporteret. Et hunc item vnum eſſe, etiam Philoſophi cognouerunt. Siquidem contemplantes ordinatiſſimam hanc rerum vniuerſitatem, in qua tot tantaque rerum genera ita inter ſe ſubordinata eſſe conſpiciuntur, vt ſeſe inuicem, veluti per quoſdam gradus, in naturarum ſuarum perfectione tranſcendere ac ſuperare videantur (quemadmodum patet conſideranti primò elementa, dein mixta quæ vocant imperfecta, vt ſunt nix, pruina, grando, & ſimilia; mox perfecta, nempe lapides diuerſi generis, metalla & eiuſmodi; poſt hæc varias plantarum animaliumque ſpecies, alias aliis perfectiores, vſquequo veniamus ad homines & Angelos, inter quos etiam gradatim alij aliis eminent, ac denique ad ipſum Deum, vltra quem ampliùs aſcendi non poteſt) nihil aliud arguere potuerunt, quàm ipſum Deum eſſe vnum, eumdemque ſuper omnia perfectiſſimum. Quod etiam ipſis declarabat ſucceſſiua mouentium ſeries, & cauſarum ſubalternatio, donec ad ſupremum motorem, & cauſam cauſarum, quæ pariter vnus Deus eſt, deueniatur. etenim rationi admodum repugnat, in his dari poſſe proceſſum in infinitum. Porrò rerum ſubalternationem, quam ſuprà indicauimus, breuiter tetigit Eccleſiaſtes cap. 5. verſ. 7. illis verbis: *Excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat ſeruienti.*

DE NATVRA DEI.

DEVM ESSE VNVM.

6. Verùm enimuerò primam hanc rerum omnium cauſam, & ſupremum motorem, quem dicimus Deum, in eſſentia vnum eſſe, trinum verò in perſonis, nempe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & totam ſimul hanc Trinitatem ad mundi huius fabricam concurriſſe, non ex Philoſophorum dogmatibus, neque lumine naturali, intelligere valemus: ſed ex diuinis addiſcere oraculis oportet; quibus fidem non adhibere, impium eſſet: & item ex communi ſacrorum Theologorum ſchola, quæ ſanam hanc doctrinam, tamquam ex intimis ſacræ Scripturæ penetralibus maximo ſtudio ac diuina illuſtratione erutam, palàm profitetur docetque: nimirum, primam illam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, quam Patrem appellamus (quoniam iuxta humanæ intelligentiæ modum, veluti principium quoddam eſt & origo totius Diuinitatis) ſe ipſum intelligendo, producere conceptum quemdam perfectiſſimum, quem ſecundam Trinitatis perſonam, & Filium dicimus, ſeu Verbum illud æternum, de quo legimus Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* Vtramque verò perſonam, ſcilicet Patrem & Filium, ſeſe inuicem mirum in modum diligentes, communi quadam atque ineffabili ſpiratione, tertiam producere perſonam, quæ Amor ſiue Charitas quandoque dicitur, iuxta illud Ioan. 4. *Deus charitas eſt.* interdum verò, communi nomine, Spiritus (qua voce ſignificari Deum, habemus in Euang. Ioan. cap. 4. verſ. 24. *Spiritus eſt Deus*) communiter autem, & veluti per antonomaſiam, à ſacris Theologis, atque ab vniuerſa pariter ſancta Eccleſia, & à ſacra item Scriptura, Spiritus ſanctus appellatur. Verùm quod attinet ad ſecundam Trinitatis perſonam, Scriptura ſacra (quemadmodum docet Theodorus Ancyræ Epiſcopus Homil. de Natiuitate Domini, quæ habetur in Concilij Epheſini tom. ſiue lib. 3. cap. 10.) vt congruam diuinæque gloriæ conuenientem doctrinam tradere ſtudeat, aliquando eam Patris Filium, aliquando Verbum, interdum verò etiam Splendorem appellat. Filium, inquam, dicit, vt vnam eamdemque æterni Patris ac Filij ſubſtantiam eſſe oſtendat. Siquidem conſtat inter nos, Filium eiuſdem cum Patre eſſe naturæ. At verò, quia apud nos Filij productio non ſine ipſius parientiſque paſſione fieri ſolet; vt in æterni Filij generatione nihil tale eſſe ſciremus, eumdem Patris Verbum vocat. verbum enim ab hominibus non ſolùm ſine difficultate ac dolore, ſed etiam ſæpè magna cum delectatione proferri conſueuit, iuxta illud Iob c. 4. verſ. 2. *Conceptum ſermonem tenere quis poterit?* Denique quoniam in humanis, filius

DEVM ESSE TRINVM.

ætate semper minor est Patre; ne idem quoque in diuinis esse, perperàm credi posset, eumdem Filium (ad Hebr. cap. 1. vers. 3.) appellat Splendorem Patris. Splendor namque vnà cum luce producitur existitque. Itaque (vt optimè citatus Auctor concludit) Generationis impatibilitatem, Verbum significat; Consubstantialitatem, Filius indicat; Coëxistentiam, Splendor insinuat. Sanè, quod dictum est, Deum Patrem generare Deum Filium, & vtrumque simul producere Spiritum sanctum, non eo prorsus modo fieri accipiendum est, quo in nobis ipsis spiritualiter experimur: quandoquidem & amor ille, qui ex mutua inter nos dilectione producitur, accidentalis res est; & humana mens cùm rem aliquam intelligit, conceptum quemdam eiusdem rei accidentalem in se ipsa gignit, qui pro diuersitate rerum intellectarum variari ac multiplicari consueuit. Sed longè altiori atque excellentiori modo æternus ille Pater, in quo nihil prorsus accidentale est, nihil à seipso alienum (quidquid enim in Deo est, Deus est) vniuersa bona sua, hoc est, totum seipsum intuens, ac cumulatissimè perfectissimeque (quod ei proprium ac singulare est) intelligens atque comprehendens, conceptum vnum simplicissimum ac perfectissimum, quem dicimus vnicum Dei Filium, consubstantialem, coæternum, sibique per omnia parem generat, & vterque, Pater scilicet & Filius, deifico quodam atque incomprehensibili mutuæ charitatis amore, Spiritum sanctum, verum sempiternumque Deum, ipsisque per omnia æqualem, vt Theologico vtar termino, æternaliter producunt. Quomodo autem ista fiant, siquis interroget, vtique non aliter responderi potest, nisi quemadmodum de alia pariter occultissima Dei operatione rectè S. Augustinus Tractatu 26. in Ioannem monet, dicens: *Noli velle iudicare, si non vis errare.* etenim hæc & huiusmodi alia Dei arcana, curiosiùs quàm par est, inuestigare nemo debet; ne, sicuti scriptum est, scrutator Maiestatis opprimatur à gloria. Quin potiùs diuinam bonitatem humiliter demirari ac venerari debemus, necnon etiam debitas ei gratiarum actiones exsoluere; tum quòd inscrutabilem sempiternamque Verbi sui generationem in mentibus quoque nostris, modo paulò antè indicato, aliquatenus adumbrare non indignum duxerit; vt hac etiam inter alias de causa, hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum fuisse, testante Sacro eloquio, constet: tum quòd populo Christiano, non communem quamdam, sicut & ceteris gentibus, diuinæ Maiestatis suæ notitiam, viribus ingenij humani à Philosophis intellectam, concesserit; sed insuper aliam quoque illa multò sublimiorem, & valdè reconditam, quæ omnem humanam intelligentiam superat, nimirum altissimæ Trinitatis mysterium, mira pietate reuelare ac patefacere non sit dedignatus. & denique (quemadmodum hortatur sancta Mater Ecclesia in Catechismi Romani par. 1.) Deum sine intermissione rogare nos conuenit, vt qui diuino beneficio hæc credimus, aliquando in æterna tabernacula recepti, digni simus qui videamus, quæ tanta sit Dei Patris fecunditas, vt se ipsum intuens atque intelligens, parem & æqualem sibi Filium gignat: quóve modo duorum idem planè & par charitatis amor, qui Spiritus sanctus est, à Patre & Filio procedens, Genitorem & Genitum æterno atque indissolubili vinculo inter se connectat; atque ita diuinæ Trinitatis vna sit essentia, & trium personarum perfecta distinctio. Verùm pauca hæc de interna illa Deitatis operatione, quæ tribus diuinæ essentiæ personis non eadem est, sed singulis propria, atque ab æterno, breuiter præmisisse sat sit.

RERVM CREATIO A SANCTISSIMA TRINITATE PROFECTA.

7. Nunc ad eam, quæ exterius se extendit, & aliquando initium habuit, videlicet ad vniuersi procreationem, pro instituti nostri ratione, veniamus. hæc namque tribus hisce diuinis personis, vt sacri omnes Theologi sentiunt, communis est; quod etiam nonnulli elicere nituntur ex illis Genes. verbis: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Quia, inquiunt, in textu Hebraico, pro *Deus* non habetur אֱלוֹהַּ *Eloah*, quod significat *Deus*, sed אֱלֹהִים *Elohim*, in numero plurali, hoc est, *Dij*, putantque id diuinitus factum esse, vt vel sic quodammodò innotescere posset, non quidem esse plures Deos (præmittitur enim *creauit* in numero singulari) sed in vno Deo, seu in essentia diuina, quæ vna & simplicissima est, esse tres personas, Patrem scilicet, & Filium, & Spiritum sanctum; easque omnes ad rerum creationem concurrisse. Verùm hæc illius loci expositio non vsquequaque firma videtur. Quia (quemadmodum benè probat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 6.) non ibi tantùm, sed & aliàs quoque passim in Sacro eloquio nomina pluralia cum verbis numeri singularis apud Hebræos coniuncta reperiuntur. Cuius rei nulla alia ratio assignari posse videtur, nisi quia, inquit, apud ipsos Hebræos consuetudo est, vt nomen plurale aliquando rem singularem significet: Latini autem eiusmodi consuetudinem non habent. Et propterea neque

quę LXX. Interpretes, neque S. Hieronymus verterunt *Dij*, neque vllus alius ita vertere auderet: quod est argumento, ea nomina in his locis pluralem significationem non habere, sed singularem. Ergo quod dicebamus de diuinarum personarum concursu ad rerum productionem, multo meliùs atque efficaciùs deduci potest ex Psalmo 32. v. 6. vbi legimus: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus earum.* Verbum enim Domini, vt sacri testantur Expositores, Filius est Patris; & Spiritus oris eius, Spiritus sanctus est. Apposite igitur Rupertus Abbas Tuitensis Commentaria sua in Genesim inscribere maluit, De Trinitate & operibus eius; vt hoc titulo indicaret, omnia quæ ibidem de creaturarum productione narrantur, opera esse totius Trinitatis. Quod etiam docuerat B. Augustinus Tom. 2. Epist. 102. quæ est ad Euodium, his verbis: *Non putemus à Patre aliam, & à Filio aliam, & à Spiritu sancto aliam esse conditam creaturam, sed omnia & singula, quæ creata sunt, vel creantur, Trinitate creante, subsistere.* & sanctus Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 3. in princ. (qui liber inter opera sancti Augustini circumfertur:) *Principaliter itaque*, inquit, *tene, omnem creaturam, quæ non est Trinitas Deus, ab ipsa sancta Trinitate, quæ solus Deus æternus & verus est, creatam ex nihilo. Ac sic vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Thronos, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, opus atque creaturam esse sanctæ Trinitatis, quæ est vnus Deus, rerum omnium creator & Dominus, æternus, omnipotens, iustus, & bonus, habens naturaliter vt semper sit, & mutari aliquando non possit.* Sic ibi citatus Sanctus; vbi plura quoque alia ad hoc ostendendum prudens Lector inueniet. Denique in Officio sanctissimæ Trinitatis sancta canit Ecclesia: *Benedicta sit sancta, creatrix, & gubernatrix omnium, sancta & indiuidua Trinitas.*

8. Vt igitur hinc Historiam nostram exordiamur, summus ille rerum Opifex, trinus in personis, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, in essentia verò vnus Deus Opt. Max. qui naturaliter simplicissimus, increatus, æternus, immensus, & omnino independens semper exstitit, eritque, à nemine, præterquam à se ipso comprehensibilis; in se, & ex se substantialiter, & supra quàm quod dici, aut capi potest, felicissimus ac beatissimus; ille, inquam, supremus omnium Princeps, immensæ ac nimis metuendæ maiestatis (qui, vt dicitur in Apocalyp. cap. 19. vers. 16. *habet in vestimento, & in femore suo scriptum; Rex regum, & Dominus dominantium:* & vt habetur prima ad Tim. cap. 6. vers. 16. *solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; cui honor, & imperium sempiternum:* & denique, vt ait sanctus Leo Papa Serm. 2. de Natiuit. *Ille Deus omnipotens & clemens, cuius natura bonitas, cuius virtus potentia, cuius opus misericordia est:* & de quo in Psal. 89. vers. 2. dicitur: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.*) mundum quidem condere (cùm sit ipse immutabilis) ab æterno decreuerat, vt ex proprio atque indeficienti omnium bonorum suorum fonte, veluti riuulos quosdam deriuaret, & inæstimabiles omnipotentiæ, sapientiæ, ac bonitatis suæ diuitias ostenderet, quemadmodum in magnificentissimo illo Assueri Regis conuiuio quoquomodò adumbratum legimus Esther cap. 1. sed tamen non nisi certo quodam, vt ita dixerim, tempore, mundum ipsum & omnia quæ in eo sunt producere voluit; tum vt inde postmodum cunctis manifestiùs notum faceret, se esse primum Auctorem omnium, & primam cunctarum rerum causam; magisque declararet infinitam vim diuinæ virtutis suæ, quæ non solùm res ex nihilo, sed etiam, quando ei complacuit, efficere potuerit: tum etiam vt euidentiùs declararet, se non ex necessitate, aut propria vtilitate, quasi creaturarum famulatu indigeret; sed ex libera voluntate, & puro diffundendæ bonitatis suæ studio, vniuersi fabricam construxisse; cùm ex ea nihil gloriæ suæ essentiali accresceret, sed per tot sæcula, vel potiùs, vt ita dixerim, per tot æternitates, sine ipsis creaturis, in se ipso æquè felicissimus semper extiterit; & vt ait Psalmista, bonorum nostrorum ipse non egeat.

DEI QVAEDAM DESCRIPTIONES.

DEVS CVR MVNDVM CREARE VOLVERIT.

9. Itaque *in principio*, vt ait Moyses, id est ante omnia tempora sæcularia; nimirum intra immensam illam æternitatis suæ latitudinem, quando scilicet infallibili voluntatis suæ proposito complacuit, *creauit Deus cælum & terram*. Sed hîc, antequam vlteriùs progrediamur, necessarium videtur tacitæ cuidam obiectioni occurrere. Dicet enim fortasse aliquis: Quomodo hoc verum est, si Ecclesiastici cap. 1. vers. 4. legimus, quòd prior omnium creata est Sapientia? & cap. 24. vers. 5. ipsamet Sapientia de se idem testatur, dicens: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*, & vers. 14. *Ab initio*, inquit, *& ante sæcula creata sum*. Et Prouerb. cap. 8. vers. 24. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant, necdum*

AN PRIMO CREATA SIT SAPIENTIA.

montes graui mole constiterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, &c. Respondemus, quòd licet ex his posset fortè quis suspicari, Deum ante productionem cæli & terræ, creasse spiritum sapientiæ, ac per ipsum posteà reliqua omnia perfecisse: attamen certum est, præcitata, & si quæ sunt alia eiusmodi Scripturæ loca, non ita esse accipienda, ac si velint significare, ipsam Sapientiam propriè ac reuerà fuisse creatam; sed potiùs cum Cornelio Iansenio, in suis citatorum librorum Commentariis, interpretanda esse, ac si innuere voluissent, ipsam Sapientiam ante rerum creationem exstitisse. Quod etiam clarè indicant verba, quæ in eodem Prou. cap. vers. 23. habentur: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* & in cap. Ecclesiastici adducto vers. 5. *primogenita ante omnem creaturam*. non dicit, ante alias creaturas; sed, *ante omnem creaturam*, id est ab æterno (quemadmodum de Filio Dei dicitur) genita. sensus igitur germanus locorum, quos citauimus, est; diuinam Sapientiam ab æterno quidem exstitisse, sed humano more quodammodò dici posse, quòd concepta, & veluti per spiritualem quamdam parturitionem edita fuerit, vel creata ab initio: quoniam cum priùs ante mundi constitutionem lateret in Deo, posteà per prima ipsius Dei opera, in ipso mundi initio facta, manifestari cœpit; & veluti simul cum ipsis mundi primordiis produci, hoc est, in lucem edi. & hoc quoque videtur posse elici ex his quæ loco Prouerb. allegato vers. 22. habentur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio*. Hæc siquidem possessio (vt ait B. Hieronymus in epistola 139. quæ est ad Cypnanum tom. 3.) significat, quòd semper Filius in Patre, & Pater in Filio fuerit. Et (quemadmodum rectè etiam ipse exponit Iansenius) *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, idem est, ac si diceremus: Dominus habuit me in initio operationum suarum, imò etiam antequam quidquam faceret à principio: id est, ante ipsam creaturarum productionem. Et ratio quoque adstipulatur, Sapientiam ab æterno exstitisse. Nam si, vt par est, per Sapientiam intelligamus Dei sapientiam: profectò cùm illa nihil aliud sit, nisi ipsemet Deus seu naturalis filius Dei, cui specialiter ipsa attribui solet sapientia, implicat dicere, hanc Sapientiam aliquando habuisse principium: Deus enim æternus est. Si verò per sapientiam intelligamus illam quam aliquando Deus suis solet communicare creaturis: neque hæc propriè & absolutè creata dici potest, cùm sit quædam diuinæ increatæque sapientiæ participatio. Neque ante omnem creaturam genita potest intelligi, quòd ipsis creaturis fuerit communicata; quoniam rationabiliter supponere oportet, ipsas priùs creaturas esse productas, ac deinde eis sapientiam fuisse communicatam. Nam sicut in homine non nisi formato priùs corpore, infunditur anima, ita eidem homini non nisi post inditam animam, communicatur sapientia. Constat itaque, diuinam Scripturam locis suprà adductis, & alibi non semel, quotiescumque de diuina Sapiētia, tamquam de re ab ipso Deo separata loquitur, & introducit ipsam dicentem, se cum Deo, quando præparabat cælos, & cetera primorum sex dierum opera moliebatur, adfuisse, & cum ipso Deo cuncta componere studuisse, & eiusmodi alia; constat, inquam, eam humano more loqui, vt vel sic faciliùs, & aliqualiter quæ Dei sunt, humana mens capere valeat: etenim ipsa præ sua exiguitate, quæ in Deo vnum sunt, non nisi sensim, & per partes, atque ad humanarum rerum similitudinem, percipere potest.

RERVM CREATIO.

10. Vt igitur ad id vnde digressi sumus, redeamus, verum est quod ait Moyses: *In principio creauit Deus cælum & terram:* id est hoc vniuersum, siue omnem creaturam, tam spiritualem quàm corporalem: siquidem cæli & terræ nomine, etiam in ipsis contenta, & consequenter omnis creatura comprehendi potest. Nisi fortè hisce verbis sanctus Propheta etiam indicare voluerit, Deum in principio, hoc est, ante alia quæ subsequenter in Sacro textu narrantur, creasse cælum & terram; videlicet cælos, & elementa, ita vt cæli vocabulo omnes cæli significari videantur; terræ verò, omnia quæ sub cælo sunt. Solent autem cæli in vniuersum ad tres potissimùm reduci; nempe ad Empyreum, vbi sedes est Beatorum, Sidereum, quo omnes quotquot sunt mobiles cæli orbes amplectimur; & Aëreum, quod subtiliora duo elementa signare videtur, aërem scilicet & ignem; quos propterea Moysen in sua narratione non expressisse aiunt, quod eos vulgus cælum esse existimaret. vel si mauis, illum cuncta quattuor elementa, terræ vocabulo indicasse, vtpote quæ, vt infrà sub die mundi primo, num. 1. osten-

CAELI QVOT, ET QVID CAELI NOMINE.

ostendemus, in massa terrea quodammodò contineri videantur: necesse erit dicere, Moysen cæli voce tantummodò Sidereum ac Empyreum indicare voluisse. Neque enim à sensu Moysaico alienum putamus (quemadmodum etiam multi ex sanctis Patribus, Theologisque Doctoribus sentiunt) cæli nomine etiam Empyreum fuisse indicatum: tametsi illud à ceteris, cùm natura, tum creatione, vt numero sequenti patebit, valdè diuersum sit, & tempore Moysi, communiter Iudæis esset omnino incognitum. Nam cur in huius Vniuersi creationis narratione prætermitti ea res debuit, quæ eiusdem pars maxima, & præcipua, nobiliorque est? Etenim quamquam satis videri poterat, si Moyses, qui rudiori populo hæc scribebat, vt eum ab errore Gentilium reuocaret, adorantium Solem & Lunam aliaque astra; si inquam docuisset, hæc & cuncta quæ videntur, ab inuisibili Deo esse creata, vt vel sic ipsi desinerent creaturas tamquam deos colere; quin potiùs ex earum pulchritudine & præstantia, summi creatoris eminentiam maiestatemque agnoscerent, eique omnem cultum venerationemque adhibere in animum inducerent: attamen sanctus vir ac Propheta non erat nescius, scripta sua ad posteros quoque ac peritiores esse peruentura, qui Deum Opt. Max. non modò visibilium, sed etiam inuisibilium factorem esse faterentur. Quare cùm optimè teneret, se propter datam sibi à Deo primordiorum Mundi notitiam, sapientibus ac insipientibus esse debitorem; ex quo historiam creationis Vniuersi diuino nutu scribendam susceperat, prudentissimè ita stylum suæ narrationis temperare studuit, vt æquè omnibus prodesse ac satisfacere posset: & quæ de totius Mundi opificio scriberet, sic ab imperita multitudine, quatenus ei opus esse videretur, commodè capi valerent; vt pariter eleuatiora quoque ingenia, ad primam rerum productionem cùm naturali, tum etiam diuino lumine altiùs contemplandam, promoueret. Itaque, vt arbitror, non inconuenit cum multis sacris Theologis ac sanctis Patribus ponere, cælum Empyreum, vel pariter cum ceteris, vel potiùs vno saltem momento ante alios cælos à Deo fuisse conditum, Angelicisque spiritibus refertum. Quandoquidem constat, opinionem illam, quam tangit Augustinus Eugubinus in sua Cosmopœia, de cælo Empyreo, quòd scilicet cum ipso Deo coæternum fuerit, esse erroneam, vel pænè hæreticam, ideoque à suis codicibus, Ecclesia iubente, penitus expungendam. Nam, vt ait sanctus Augustinus lib. 8. super Genes. ad litteram cap. 23. *Trinitas ita est æterna, vt ei coæternum aliquid esse non possit.* & præterea stat illud inconcussæ veritatis axioma, à quo suum Tertullianus librum quintum aduersus Marcionem exorditur: *Nihil sine origine, nisi solus Deus.* & illud item Ioan. cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* & denique illud Iustini Martyris in Dialogo cum Tryphone de Veritate Christianæ religionis, non procul ab initio: *Quæcumque secundùm Deum sunt, aut erunt vmquam, ea naturam corruptibilitati obnoxiam obtinent, abolerique & vlteriùs non extare possunt: solus autem ingenitus,* (hoc est sine principio) *& incorruptibilis est Deus, & propterea Deus est: omnia verò reliqua genita sunt, & corruptibilia.* Sic ille. subaudi, quia etiam illa quæ incorruptibilia dicimus, & à parte post æterna, per supremam tamen diuinam potentiam ad nihilum redigi possent, si Deus vellet; vt nos sub die Mundi 1. n. 2. probabimus. IVSTINI MARTYRIS DE SOLIVS DEI AETERNITATE SENTENTIA.

11. Vt autem, antequam ad alios cælos deueniamus, aliquid de ipso Empyreo, Angelicisque spiritibus in eo creatis, in medium afferamus, dicimus primò cum sacra Theologorum schola, cælum Empyreum esse corpus cæleste, omnium quę in vniuerso mundo sunt celsissimum atque amplissimum: siquidem super omnes cælos, à Philosophis atque Astrologis lumine naturali cognitos, latissimè distenditur; & propterea in Scripturis sacris, per excellentiam, cælum cæli dicitur, & cæli cælorum appellatione signatur. Differre autem à ceteris, certum est, non solùm quòd magnitudine ac nobilitate reliquos omnes longè admodum superet; verùm etiam, quòd cùm ceteri in continuo motu circulari sint, illud immobile ac stabile semper maneat; vt propterea non defuerint ex Theologis, qui ipsum non sphæricam, vt ceteri, sed quadratam habere figuram dicere non dubitauerint. Et cùm alij non vno eodemq; tempore, plasmati simul ac perfecti fuerint, sed veluti per partes fabricati (priùs namque sine proprio ornatu, mox luce astrisque decorati, ac propriis item motibus donati, atque ad perfectum redacti sunt) illud simul ac à Deo creatum est, illicò etiam vsquequaque perfectum, ac modis omnibus absolutum fuit; nec non sublimi quadam claritate ac maiestate illustratum, ita vt totum diuina quadam & innata luce præfulgeat, luce, inquam, admodum rara, quæ radios non emittit, nec mortalium oculis cerni potest, cuiusmodi lux ignis in propria sphæra esse perhibetur; vt appositè de ipso Empyreo dictum accipi DE CAELO EMPYREO.



cipi possit, quod de superna illa ciuitate Ierusalem Ioan. in Apocalyp. cap. pænult. vers. 23. ait: *Non eget sole, neque luna, vt luceant in ea. nam claritas Dei illuminauit eam.* Quòd enim ibi sub prædictæ Ciuitatis typo, Empyreum designetur, ex his quæ paucis interpositis subiungunrur, manifestum est. Sequitur namque: *Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium; nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* Porrò cælum Empyreum ab illo summo tanti operis Artifice constitutum fuisse Beatorum sedem, in qua tum Angelos ibidem creatos, tum posteà homines quoque de huius mundi ergastulo sine macula illuc translatos, perpetuoque mansuros, ipse Deifica visione sua in immensum lætificaret beareṫque; nemo est qui ambigat, dicente Domino Matth. cap. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* vt propterea mirum non sit, si S. Ioannes Damascenus lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 6. (vt ibidem nonnulli exponunt) existimauerit, hoc esse tertium illud cælum, ad quod se raptum testatur Apostolus 2. ad Cor. cap. 12. ibique profitetur se vidisse arcana Dei, quæ non licet homini loqui: & item si, hac de causa, cælum Empyreum, & regio viuorum, & terra viuentium, atque à mitibus possidenda, in Scripturis sacris interdum appellari cõsueuit. Vnde S. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 3. super illa Matthæi verba; *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: Illam*, inquit, *credo terram, de qua in Psalmo dicitur: Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium: significat enim quamdam soliditatem & stabilitatem hereditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum, tamquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra; & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra. ipsa est requies & vita sanctorum.* Sic S. Augustinus. Potuit fortè etiam Empyreum, terræ vocabulo notari, siue quòd ad huius terræ similitudinem stabile sit; siue quia, quemadmodum terra hæc pro mortalium, ita illud, vt dictum est, pro immortalium habitatione destinatum fuerit.

DE ANGELORVM CREATIONE.

12. Ceterùm in hoc Empyreo cælo, vt diximus; summa illa bonitas innumerabilem propemodum beatorum Spirituum multitudinem, in nouem ordines, tresque hierarchias (quemadmodum S. Dionysius Areopagita lib. de Cælesti hierarch. cap. 6. & B. Greg. Homilia 34. in Euang. ante medium, & alij tradunt) ordinatissimè distributam, ad sui ipsius gloriam famularumque procreauit; vnde & Danielis cap. 7. vers. 10. legimus: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Atque his omnibus eximia bona sua, præ ceteris creaturis, cumulatissimè communicauit. Nam licet ab ipsa natura ac perfectione diuina, quæ simplicissimus ac purissimus actus est, in immensum deficerent, distarentque (nulla enim inter creaturam & Creatorem, tamquam finiti ad infinitum, proportio esse potest) attamen illis naturam adeò nobilem, ac super alia opera eius eminentem elargitus est, vt nihil post ipsummet Deum perfectius esset, nihil quod ad ipsam Diuinam essentiam propius accedere posse videretur. Neque enim ex anima & corpore, aut vt ceteræ res naturales, ex materia & forma; sed prorsus immateriales & simplicissimi, quantum creaturis competere potuit, à Deo facti sunt, ex actu dumtaxat & potentia (vt Scholasticorum more loquar) compositi. Et insuper (quod longè excellentius fuit) eosdem Angelos admirabili gratiæ suæ, & scientiæ, & potestatis munere exornauit, *simul eis* (vt ait S. Augustinus lib. 12. de Ciu. cap. 9.) *condens naturam, & largiens gratiam.* Nam si Ioan. cap. 8. versic. 44. de diabolo dicitur, quòd in veritate non stetit: vtrique (quemadmodum infert Catechismus Romanus super 1. Symboli articulo) perspicuum est, eum, reliquosque desertores angelos ab ortus sui initio gratia prædiros fuisse, & consequenter etiam Angelos bonos, & vniuersaliter omnes. Quos tamen Deus ita ad æternam beatitudinem ordinauit, vt ad eam promerendam, vel æternæ infelicitatis reatum subeundum, vnicus illis liberæ voluntatis actus, adhæsionis scilicet Deo, vel auersionis ab illo, sufficeret; quo vel in gratia perpetuò confirmari, vel ab ea perpetuò excludi possent.

QVOD ANGELI IN GRATIA SINT CREATI.

ANGELOS ESSE SAPIENTISSIMOS.

Quòd autem Angeli etiam excellenti admodum scientia ac sapientia sint prædiri, certissimum est, dicente Domino Matthæi cap. 18. vers. 10. quòd ipsi *in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est:* in eo enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Et præterea 2. Reg. cap. 14. vers. 20. legimus: *Tu Domine mi Rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, vt intelligas omnia super terram.*

ANGELORVM POTENTIA.

Denique Angelorum potestatem demonstrauit Regius Propheta in Psal. 102. illis verbis: *Potentes virtute, facientes verbum illius.* Vnde non mirum est, si propterea sæpè in Sacris litteris, virtutes & exercitus Domini appellantur.

13 Quamquam autem de Angelorum creatione Moyses in Genesi expressè non meminerit; quippe quòd in populo illo carnali spiritualium eius [illegible] creaturarum nulla

nulla tunc haberetur cognitio: oportet tamen eam quoque, licet subobscurè, puta cæli aut lucis nomine, ibidem aliqualiter fuisse indicatam, vt optimè probat S. Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 9. constat enim, in ipsa huius Vniuersi creatione etiam Angelos debuisse comprehendi. Nam & inter alia Domini opera in Cantico trium puerorum, quod habetur Danielis cap. 3. ipsi in primis connumerantur. ibi namque sic legimus: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula*. & continuò subiungitur: *Benedicite Angeli Domini Domino*, ac deinceps, eodem modo aliæ creaturarum species ad idem faciendum excitantur. Quod & clariùs manifestatur in Psalmi 148. initio, vbi Regius Propheta cunctas pariter inuitat creaturas ad laudandum Dominum; incipiensque ab Angelis, tamquam à nobilioribus, ait: *Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius*. Dein successiuè prosequitur similiter hortari solem, & lunam, & stellas; ac tandem huiusce exhortationis causam aperiens, protinus addit: *Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*. ac si apertiùs dixisset: Ideò vos hortor & obtestor vt laudetis Dominum, quia ipse plasmator & Creator vester est. Ecce ergo Angelorum creationem, quam, vt diximus, Moyses subobscurè dumtaxat indicauerat, quomodo Regius Psaltes non solùm à Deo factam explicitè pronuntiauerit, sed etiam qualiter facta fuerit, apertissimè tradiderit: solo scilicet verbo, ac nuda suæ voluntatis significatione, & in summa, non maiori negotio, quàm quæuis alia, quantumlibet minima.

ANGELORVM CREATIO QVOMODO A MOYSE INDICATA.

14. Ceterùm inter omnia cælestium Spirituum agmina, primus omnium Angelorum, idemque perfectissimus ac nobilissimus fuit Lucifer, quemadmodum sentiunt plerique ex sanctis Patribus, Græcis ac Latinis; quorum sententias sigillatim profert Auctor Glossę litteralis magnæ, super Genes. cap. 1. In primis verò B. Gregorius lib. 32. Moralium cap. 24. (aliàs 18.) id præclarè admodum colligit ex illis verbis Iob cap. 40. vers. 14. *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum*. Et item ex Ezechielis cap. 28. v. 12. vbi sub persona regis Tyri, figurata locutione, eiusdem Luciferi perfectiones fusiùs Propheta recenset, dicens: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui: & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te*. hactenus Prophetæ verba, quæ optimè exponit declaratque idem sanctus Doctor vbi suprà. Cuius tota de primatu Luciferi sentētia, ad verbum refertur in Decreto de Pœnitentia dist. 2. can. 45. Plura etiam in eamdem sententiam ex eodem Ezech. c. 28. appositè differit Rupertus Abbas lib. 1. de Victoria verbi Dei cap. 8. & ibidem quoque exponens quæ idem Propheta cap. 31. vers. 3. vsque ad 10. sub nomine regis Assur, pariter de Lucifero tradit, dicens: *Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus*, &c. ipsius Luciferi pulchritudinem & super alios Angelicos spiritus eminentiam ostendit, speciatim ponderans illa verba, quæ ibidem sequuntur: *Excelsus altitudine, & inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius*. & illa item quæ (quibusdam interpositis) ibi pariter subiunguntur: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquauerunt summitatem eius, & platani non fuerunt æqua frondibus illius; omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius*. Vbi rectè citatus Auctor per cedros, & abietes, & platanos, reliquas Angelorum dignitates interpretatur, tamquam si in tribus illis cælestium Spirituum hierarchiis nihil esset cum Luciferi sublimitate conferendum. Sed præterea quæ citati Auctores adferunt, idem quoque quod ipsi probare intendunt, inferri posse videtur ex illo Psal. 109. versiculo: *Ex vtero ante Luciferum genui te*. Nam alioqui nihil Christo dignum diceret, si ipsum ante primum Angelum, hoc est ante primam perfectissimamque omnium Dei creaturarum, fuisse genitum, non indicaret. Denique ad hoc ipsum, veluti sensibili quodam signo exprimendum (si ex visibilibus inuisibilia coniectari licet) fortè permisit Deus, vt Cain Adami primogenitus fuerit quodammodò caput omnium impiorum hominum, & primus qui fraternum sanguinem iniustè per inuidiam fuderit; & qui pariter primò ciuitatem condiderit; vt vel sic visibiliter adumbraret in terris, quod inuisibiliter gestum fuerat in cælis: nimirum de Lucifero; qui cùm esset primus omnium quos Deus condiderat Angelorum, fuit quoque primus, qui fratres suos seducens, spirituali morte peremit. Vnde & de ipso dicitur Ioan. cap. 8. vers. 44. *Ille homicida erat ab initio*. Et Sapien. cap. 2. ver. 24. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*. & factus inuisibile omnium

DE LVCIFERO ANGELORVM PRINCIPE.

omnium iniquorum caput, ipſe fuit primus auctor ædificandæ ipſorum ciuitatis: illius, inquam, quæ omnino contraria eſt Ciuitati Dei & bonorum: de qua plurima eademque præclara S. Auguſtinus alibi quidem ſæpè, ſed præcipue in libris vigintiduobus, quos de ipſa egregie admodum ſcripſit & inſcripſit.

LVCIFER QVOMODO ET CVR A DEO DESCIVERIT.

15. Ipſe ergo primarius eminentiſſimusque omnium Angelorum Princeps Lucifer (ſicut & ille qui poſteà primus fuit inter homines) ingratiſſimè à ſuo Creatore deſecit. Cùm enim excellentiam ſuam, & vt ita dixerim, rotam pulchritudinis ſuæ, pauonis more, inordinatiùs admirans, quòd ceteris omnibus antecelleret, plus iuſto ſibi complacuiſſet; Deum quidem tantorum bonorum auctorem, præ ſublimi ſua cognitione, non ignorauit: verumtamen (quemadmodum de Philoſophis prodirur ad Rom. cap. 1. verſ. 21.) non ſicut Deum glorificauit, aut gratias egit; ſed (quatenus de ſpirituali creatura dici poteſt) euanuit in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eius. Nam (vt ex Ezechielis cap. 28. verſ. 17. patet) quando eleuarum eſt cor eius in decore ſuo, perdidit ſapientiam ſuam. ſubaudi, non naturalem, ſed gratuitam. Etenim cùm perſpicaciſſimo illo ſupernaturali lumine, quo ſupra ceteros Angelos diuinitus fuerat illuſtrarus, præuideret, infinitam Dei bonitatem in immenſum ſui ipſius diffuſiuam; quaſi parum eſſet, quòd tanta creaturis bona contuliſſet, nullum terminum aut modum largiſſimæ bonorum ſuorum communicationi poſiturum, donec eas diuinæ faceret conſortes naturæ, vt dicitur 2. Petri cap. 1. verſ. 4. ac denique ſe ipſam hypoſtaticè atque indiſſolubiliter creaturæ rationali copularet: ratus infelix, neminem, niſi ſe, tanto dignum honore reperiri poſſe; ſiue (quemadmodum de ſuperbo Aman dicitur Eſther cap. 6. verſ. 6. *cogitans in corde ſuo, & reputans, quòd nullum alium rex, niſi ſe ſic vellet honorare*; ob idque magis adhuc animo intumeſcens, dixit in corde ſuo verba illa blaſphemiæ plena, quę poſtmodum ſub perſona regis Babylonis retulit Iſaias cap. 14. verſ. 13. dicens: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Sed & (tamquam ſi id iam factum eſſet) pariter blaſphemans addidit illa, quæ ſub nomine regis Tyri tradit Ezechiel cap. 28. verſ. 2. *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi.* & illa item, quæ idem Propheta cap. 29. verſ. 3. de Pharaone Ægypti rege, qui pariter fuit figura Luciferi, ait: *Ego feci me ipſum.* Atque hoc pacto (vt in ſucceſſu oppoſito verbis vtar Apoſtoli) *rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*: ſimilitudinemque illam Dei perfectiſſimam, quæ ſoli naturali Filio Dei conuenit, qui eſt ſplendor glorię, & figura ſubſtantiæ Patris, verus Deus de Deo vero, lumen de lumine, ſuperbe nimis appetiit, atque inſolenti admodum vſurpatione quodammodò rapere ſe poſſe pręſumpſit.

AD ANIMI SVBMISSIONEM COHORTATIO.

O nos miſeros, ad quos Luciferi ſuperbia quodammodò tranſiuit! O nos infelices & improuidos! quàm noxiæ nobis quoque ſunt & exitiales eiuſmodi animoſitates, ſeu animorum intumeſcentium elationes, ſiue magnarum rerum (vt ita dixerim) prætenſiones, quæ in nobis interdum ex mentis leuitate, aut diabolica ſuggeſtione, ſemper verò ex noſtri ſtatus ignoratione, proueniunt; & quò altiùs extollunt, eò miſerabiliùs incautos præcipitant. Satagamus, obſecro, hæc & eiuſmodi pernicioſa germina ab agro noſtræ mentis euellere, & (quemadmodum benè conſulit Sapiens Prouerb. cap. 4. verſ. 23.) omni cuſtodia ſeruare corda noſtra, ac diligenter obſeruare, ne tale quid nobis dormientibus ſuperſeminet in eis antiquus hoſtis; ſed vt primùm tales motus inſurgere aut pullulare ſentimus, eoſdem confeſtim propriæ humilitatis conſideratione compeſcere, & (vt etiam Ethnicus Philoſophus Cicero 1. de Officiis ſuadebat) quanto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſſiùs gerere: vt poſſimus verè aliquando cum ſancto Propheta dicere: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Et ne Luciferum imitari velle videamur, qui cùm intenſiùs diuina perſcrutans conſilia, diuino ſcilicet numine aperiente didiciſſet (liceat hîc Poëtæ verbis vti) manere alta mente repoſtum illud Altiſſimi firmum, ratum, atque immutabile diuinæ voluntatis propoſitum, quo ab æterno decreuerat, vt increatum Dei Verbum, non Angelorum, ſed hominum naturam aſſumeret; ita vt homo, non Angelus, aliquando Filius Dei, & Deus verè diceretur, eſſetque; & fore, vt non alicui Angelorum, ſed homini Deus diceret, *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* & rurſum: *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* & poſt pauca: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* & iterùm: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.* vt latiùs videre eſt ad Hebr. cap. 1. quæ omnia certum eſt dici de Chriſto, quem ibidem verſ. 6. Apoſtolus vocat Primogenitum. & de quo ad Rom. cap. 1. verſ. 4. ait: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundùm ſpiritum ſan-*

ctifica-

ædificationis. & ad Coloss. cap. 1. vers. 15. ait: *Qui est*, inquit, *imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ*. & quem princeps Apostolorum Petrus Epistola 1. cap. 1. vers. 20. ait præcognitum fuisse ante mundi constitutionem. & præterea cùm illud etiam penetrasset acerrimus futurarum rerum indagaror Lucifer, diuinæ voluntatis esse, vt iidem Angeli non solùm prædicto hominique Deoque inseruirent, sed etiam essent administratorij spiritus in ministerium missi propter eos homines, qui hereditatem caperent salutis, vt habetur cap. ad Hebr. citato: hæc & huiusmodi nimis indignè ferens superbissimus omnium Lucifer, spreta statim in corde suo iustissima Dei dispositione, ab ea recessit; quantumuis sciret, aut scire posset, Deum homini potius quàm Angelo se personaliter vnire statuisse: non quia Angelicam naturam despiceret, non quia penes ipsum vlla esse posset personarum acceptio; quippe qui cùm sit omnium Dominus, nemini quidquam magis debeat; sed liberè cui voluerit, sine vlla vllius iniuria, possit dona sua tribuere, iuxta illud Matthæi cap. 20. vers. 15. *An non licet mihi quod volo facere?* Verùm quia dicta cum homine vnio erat naturæ Dei conuenientissima: quandoquidem hoc pacto summa illa bonitas multò latiùs excellentiusq; ad omnes res creatas diffundebatur: nam Angelica natura spiritualis cùm sit, contrà verò cælestium corporum elementorumque tota corporalis, humana autem ex spirituali corporaliq; composita; proculdubiò humanam assumens Deus, quodammodò omnem sibi creaturam arctissimo quodam vinculo copulabat: atque se ipsum, suamque infinitam bonitatem, non per partes, sicuti in rerum creatione; sed modis omnibus, atque in immensum (quod proprium summi boni est) omni creaturæ, tum spirituali tum corporali, congruentissimè communicabat. Quandoquidem (vt optimè docet Homil. 29. in Euang. B. Gregorius) *omnis creaturæ aliquid habet homo: habet namque commune esse cum lapidibus, vigere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.* Verumenimuerò omnia hæc, vt diximus, ausu quodam valdè temerario paruipendens rex super omnes filios superbiæ Lucifer, proprio ac inordinato deceptus amore, propriamque gloriam diuinæ ordinationi audacissimè præferens (quoniam excæcauerat eum malitia sua) continuò cœpit non modò seipsum à Dei creatoris sui obedientia subtrahere, sed etiam ei totis viribus aduersari; aliosque Angelos (vt humano more de spiritibus cælestibus loquamur) tentare, ad defectionem sollicitare, atque omnino à Dei seruitio auertere: indeque primò Satanæ, qui aduersarius apostatáve interpretatur, & tentatoris nomen accepit, iuxta illud Matth. cap. 4. vers. 3. *Et accedens tentator*, &c.

CVR DEVS HVMANAM POTIVS QVAM ANGELICAM NATVRAM ASSVMPSERIT.

LVCIFER ANGELOS AD DEFECTIONEM SOLLICITAT.

16. Verè ergo, vt dicebamus, obscuratum est insipiens cor eius, & multò magis quàm postrà Philosophorum, de quibus loquebatur Apostolus: quin etiam longè plus quàm aliorum hominum. Nam si insipientes sunt, qui propterea Dei mandata non recipiunt nec seruant, quòd Deum non esse existiment, iuxta illud Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*: quanto cunctorum hominum insipientium insipientissimus fuit Lucifer, qui sciens quòd Deus non solùm est, sed etiam inquirentibus se remunerator est, vt dicitur ad Hebr. cap. 11. vers. 6. & insuper, quòd arma eius potentia sunt destruere omnem munitionem & consilia, & omnem altitudinem extollentem se aduersus eum; & in promptu habet vlcisci omnem inobedientiam, vt legimus 2. ad Corinthios cap. 10. vers. 4. vsque ad 7. nihilominùs eidem reluctari, & primus contra eum pugnare non est veritus: ignorans miser, quod posteà non ignorauit homo; ille, inquam, qui dicebat: *Quis restitit Deo, & pacem habuit?* Iob cap. 9. vers. 4. Ecce quomodo superbia malitiam parit; malitia verò cordis excæcationem; hæc autem in sensum dari reprobum quodammodò poscit & flagitat. Discant hoc Luciferi exemplo, qui aliis præeminent, & qui ad arcana Dei percipienda diuino lumine magis illustrantur, aut aliquo alio singulari dono sunt præditi, non propterea extolli, nec sibi quidquam arrogare, sed magis de se humiliter sentire, memores (quod etiam Philosophos non latuit) pauca esse quæ scimus, in comparatione eorum quæ ignoramus; & Deum maiora aliis conferre semper posse. Meminerint item, quod B. Gregorius Homil. 9. in Euang. sollicitè considerare nos admonet; *ne scilicet qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, grauiùs inde iudicemur; cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum: tanto ergo esse humilior atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* hæc ille. Videant igitur qui grandia à Deo acceperunt, ne si minùs grati inueniantur, & Dei beneficia minùs recognoscere, eumque minùs quàm par est glorificare studuerint; se ipsos tum collatis, tum quibus altiora conferantur, indignos reddant: vel etiam (quod magis timendum est) ne in sensum dari reprobum, ac deinceps in peius iugiter ruere permittantur. *Si enim*, vt di-

LVCIFERI INSIPIENTIA.

ALIA HORTATIO AD HVMILITATEM ET GRATITVDINEM

citur 2. Pet.c. 2.verf.4. *Angelis peccantibus* Deus *non pepercit*; quanto minùs parcet hominibus, illorum extollentiam atq; ingratitudinem imitantibus? *Consideret ergo homo* (vt ait S. Gregorius lib. 32. Moralium sub finem cap.18.) *quid elatus in terra mereatur, si & prælatus Angelis, Angelus in cælo prosternitur. Vnde & benè per Prophetam dicitur* (nimirum Isaiæ cap. 34. verf.5.) *Inebriatus est in cælo gladius meus.ac si apertè diceret: Qua ira feriam superbos terra, perpendite, si ipsos etiam, quos in cælo iuxta me condidi, pro elationis vitio percutere non peperci.* Hæc ille. nos autem cœptam prosequamur historiam.

DE PRAELIO ANGELORVM IN CAELO.

17. Contra Luciferum, ita vt dictum est insanientem, alter Angelorum Princeps, nomine Michaël, sancto diuini honoris zelo accensus, cum multis aliis qui eum sequebantur, insurgens, pro Deo pugnare, iustissimaque eius consilia commendare, extollere, & vt his omnes humiliter acquiescerent cohortari acriter nitebatur. Interim Domino (qui iustus est in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis) sinente quos naturâ liberos condiderat, pro suo quemque arbitrio agere, vt vel æternam beatitudinem, ad quam eos (quemadmodum suprà num. 12. dictum est) ordinauerat, promereri, vel ea se indignos reddere; & consequenter aut iustè in Dei gratia irreuocabili sententia confirmari aut reprobari possent. & tunc desciscentibus à suo Creatore angelis malis, creduntur boni in fide Christum cognouisse, eumdemque in Verbo intuentes, ac diuinæ voluntati obsequentes, humiliter adorasse; quemadmodum sub anno mundi 4084.num. 13. probabitur; atque ita factam esse malorum angelorum irreparabilem reprobationem, & perpetuam in Dei gratia bonorum confirmationem. Hęc fuit magna illa seditio, & prælium in cælo factum, non armorum motibus, sed voluntatum dissensionibus, de quo obiter quoque meminisse videtur S.Ioannes Apoc. c.12. versic.7. vbi ait: *Et factum est prælium magnum in cælo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, & non praualuerunt, neque locus inuentus est eorum ampliùs in cælo.* subaudi, Empyreo. In quo conflictu magna Angelorum multitudo, tertia scilicet eorum pars (quemadmodum nonnulli eliciunt ex eodem Apocal. cap. vers. 4. vbi dicitur, quòd *cauda* draconis *trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* id est, in inferiores partes terræ) in superbiam elata, à Creatore suo ad Luciferum desciuit, ob idque à Dei gratia, & ab altissimo illo perfectionis statu, cum suo principe Lucifero, in profundum malorum deiecta, illicò cecidit; iuxta illud Lucæ cap.10. verf.18. *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* & illud Apocal. cap.citato verf. 9. *Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocabatur diabolus, & satanas, qui seducit vniuersum orbem; & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt.* Quamquam enim dubium non sit, quæ in Apocalypsi traduntur, propheticas quasdam esse prædictiones earum rerum quæ militanti Ecclesiæ superuenturæ erant, vt colligitur cap. eius 1. v.1.& 19. & proptereà, quæ adduximus loca, communiter rectéq; de diabolicis certaminibus aduersus eamdem Ecclesiam, Antichristi præsertim temporibus, ineundis, interpretari soleant: nihilominùs eadem quoque de memoratis Angelorum præliis, initio mundi gestis, non incongruè accipi posse videntur, quemadmodum exponit Hugo Cardinalis super cap. Apocal. 12. & non obscurè item Arethas, à Ribera ibidem citatus, indicat, dicens, quòd cùm Michaël dux exercitus non tulerit diaboli superbiam, & bellica virtute illum à sua in cælo conuersatione iam olim abiecerit, rursum in aduentu Antichristi pro Sanctis pugnabit. sic ferè ille. Quem si quis interroget, vbi nam acceperit, quòd Michaël de cælesti conuersatione diabolum expulerit: certè non nisi de eodem Apocal. libro id sumpsisse fateri cogetur. ergo quæ ibi traduntur, non tantummodò de futuris in Ecclesia Dei quæ in terra est, sed etiam de iam factis in ea quæ in cælo condita fuit, rectè possunt debentq; intelligi: ergo sicuti ex dicto libro ipse colligit, Michaëlem cum diabolo quòdam conflixisse: ita possumus & nos ex eodem colligere, quòd diabolus olim de cælo traxerit tertiam partem Angelorum; & idem, sub mundi finem, per Antichristum inducet in errorem multos eorum qui in fide stabiles esse videbantur. Et sic eiusmodi alia ibidem tradita, ad vtrumque sensum, sine vllo errore accommodari poterunt: præsertim, cùm magna similitudo esse videatur inter ea quæ prius in cælesti regno Dei, ac posteà in terrestri, quod est Ecclesia, sunt gesta: & constet Scripturæ sacræ proprium esse ac peculiare, vt in vnaquaque narratione sit plurimorum sensuum, eorumdemque pariter verissimorum, fecundissima. Sed ad id vnde digredi cœpimus, reuertamur.

18. Vt igitur tam grandem Angelorum ruinam, secundùm altissima optimaq; suorum inscrutabilium iudiciorum consilia repararet verè pius, verè misericors Dominus, naturam quoque humanam, prout ab æterno disposuerat, procreare voluit; propter quam

LVCIFER ET ANGELI EIVS DE CAELO PVLSI CONTRA HOMINES BELLVM PARANT.

quam etiam vniuersum hunc sensibilem mundum condiderat. Hoc vt cognouit Lucifer, & qui cum eo pulsi de cælo fuerant; tanta ac tam graui clade accepta, nihilo meliores facti (quòd à Dei gratia irreuocabili casu excidissent) non modò à stultitia sua desistere non valuerunt (quoniam de Angelo dicitur: *Quidquid apprehendit, immobiliter apprehendit)* quin potius in malitia sua obstinatè persistentes, cùm aduersus Angelos bonos, in Dei gratia iam confirmatos, nihil se ampliùs posse certò scirent; inuidia tabescentes contra hominem, quem ad beatitudinem, de qua ipsi turpiter eiecti fuerant, creandum nouerant; in ipsum malignitatem suam exercere, ipsum tentare, calumniari, ac modis omnibus persequi decreuerunt, vt ex eodem Apocal.cap. vers. 12. colligi potest, vbi legimus: *Va terra, & mari; quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Et idem adhuc clariùs innotescit ex typo, qui ibidem subiungitur, illius mulieris quæ paritura erat, ante quam stetit draco, vt deuoraret filium eius: cui cùm nocere minimè potuisset, iratus draco, abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata eius. Quibus verbis satis superque insinuatur id quod posteà Dominus in Euangelio Ioan. cap. 8. vers. 44. dicebat, satanam ab initio homicidam fuisse, & ab eo vsque tempore Agnum, hoc est Christum, occidisse, de quo Apocalyps.cap. 13. vers.8. dicitur: *Qui occisus est ab origine mundi*, subaudi, mentaliter: siquidem ex tunc diabolus inuidiam atque iram magnam conceperat contra Christum, & eos qui per ipsum erant salutem consecuturi: quos non solùm in ipso mundi exordio in Adam & filiis persequi cœpit, quemadmodum suis posteà locis dicemus; sed & deinceps pariter successiuè per singulas generationes omnimodis insectari numquam destitit, non per se solùm suosque malignos spiritus (quod magno nostro periculo quotidie experimur) verùm etiam per malitiæ suæ alumnos, prauos inquam homines, quibus dicebat Dominus loco Ioan. proximè citato: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.* Sed neque ab hac pessima persecutione cessabit malignus vsque ad consummationem sæculi, hoc est, vsque ad extremum vniuersalis Iudicij diem, qui est terminus eidem à Deo præfinitus, & permissus, ad vexandos exercendosque suis tentationibus homines. vnde Matth. cap. 8. vers. 29. conquerebantur de Christo dæmones dicentes: *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti ante tempus torquere nos?* & Lucæ cap. 8. vers. 31. rogabant eum, ne mitteret eos in abyssum. Porrò ne quis putet Luciferum hæc impunè agere; recolat primò quod scriptum habemus in Epistola Iudæ Apostoli vers. 5. *Commonere*, inquit, *vos volo, scientes semel omnia; quoniam Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit: Angelos verò qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Et 2. Petr. cap. 2. vers. 4. legimus: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari*, &c. Recolat item quod dicitur Matth. c. 25. vers. 42. ignem æternum paratum esse diabolo & angelis eius. Et quæ scribit Ezechiel cap. 28. versu 16. vbi posteaquam perfectiones donaque Lucifero diuinitus tradita, quæ nos suprà num. 11. retulimus, recensuit, subiungit: *In multitudine negotiationis tua repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti; & eieci te de monte Dei, & perdidi te, ô cherub protegens, de medio lapidum ignitorum; & eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te vt cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tua polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui qui comedat te; & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. Omnes, qui viderint te in gentibus, obstupescent super te: nihili factus es, & non eris in perpetuum.* hucusque verba Ezechielis. Denique attende quæ de eodem Lucifero habentur Isaiæ cap. 14. vers. 12. & 15. *Quomodo cecidisti de calo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In calum conscendam*, &c. *Similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

LVCIFERVM ET SVOS QVAE MANEANT POENAE.

ANGELI PRIVS, AN CVM MVNDO CONDITI.

¶ 19. Vtrùm autem longè antequam creatus sit mundus iste quem videmus, creati fuerint Angeli, quod multi ex Patribus Græcis, & aliquot item ex antiquioribus Latinis sensere, quorum loca sententiasq; ad verbum refert Auctor Glossæ litteralis magnæ in cap. 1. Gen. an potiùs simul cum hoc mundo sint conditi, prout tenuit S. Augustinus lib. 11. de Ciuit. c. 6. & latiùs c. 9. & alibi non semel, & post ipsum omnes ferè Latini Patres, & Magister 2. Sent. dist. 2. & B. Tho. in Sum. par. 1. q. 61. art. 3. cum tota penè Theologorum schola, ipsis Theologis disputandum discutiendumque relinquimus: illud tantummodò addentes, posteriorem opinionem, quam etiam Innocen-

tius III. & Concilium magnum Lateranensе priori prætulit, meritò nobis quoque potiorem videri, præsertim si ad mentem Hugonis de Sancto Victore referatur; qui lib. 1. de Sacramentis, part. 1. cap. 9. & 10. putat, in primo temporis momento, quo factum est cælum & terra, simul quoque creatos esse Angelos; & per illam moram, qua terra mansit inanis & vacua, id est ante creationem corporeæ lucis, eos fuisse in via ad merendum ac demerendum: quando autem facta est lux, & diuisa à tenebris, tunc discretos esse bonos à malis; & illos quidem in gratia fuisse confirmatos, hos verò in malis obduratos. Ita vt quod agebatur in mundo sensibili, figura & imago esset eorum quæ fiebant in intelligibili. Illud verò certissimum est, Angelos non solùm ante conditum hominem fuisse creatos, sed iam etiam aliquos ipsorum per peccatum à Deo defecisse; vt colligi potest Sapient. cap. 2. vers. 24. vbi dicitur: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Ex hoc namque Scripturæ loco, sanctus Ioannes Chrysostomus Homil. 22. in Genes. argumentatur, diabolum à sua dignitate, antequam formaretur Adam, excidisse. *Nam si* (inquit) *non ante factum hominem excidit, quando in tanta dignitate manens inuidit homini? Neque enim consentaneum est, Angelum incorporeum, & in tanta dignitate constitutum, inuidisse homini corpus gestanti: sed inuidit, quòd iam ex superna gloria in extremam ignominiam deiectus fuerat. Licet igitur incorporeus esset, videns tamen hominem, tantum in corpore honorem beneuolentiâ Conditoris sortitum, inuidia exarsit; & deceptione, ad quam serpentis opera vsus est, hominem mortis supplicio fecit obnoxium. talis enim malitia non potest non grauiter ferre aliorum felicitatem.* Hæc S. Chrysostomus.

MVNDVS QVOMODO EX NIHILO FACTVS.

20. Verùm, posteaquam de mundo superiori, qui Beatorum sedes est, pro tenui captu nostro pauca hæc, quæ necessaria videbantur, prælibauimus; tempus est, vt ad inferiorem hunc nostrum descendamus, ac de eius origine, nec non de his quæ deinceps in eo acta sunt, prout instituti nostri ratio postulat, ex sacris potissimùm Scriptoribus, breuiter ordinateque agere incipiamus. Et primò quidem supponere oportet, quod tametsi certum sit atque indubitatum, quin & de Fide, Mundum ex nihilo esse factum, vt aperte traditur 2. Machab. cap. 7. vers. 28. illis verbis: *Peto, nate, vt aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* & Sapien. cap. 2. vers. 2. legimus: *Quia ex nihilo nati sumus:* verumtamen certum quoque est, Orbem terrarum non immediatè ex nihilo, sed ex materia inuisa esse creatum, quemadmodum disertis verbis exprimitur Sap. cap. 11. vers. 18. *Manus tua*, inquit, *creauit orbem terrarum ex materia inuisa*. Vbi quidam antiqui codices pro *inuisa*, habent *informi*, vt testatur S. Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 2. Quare si mediante materia inuisa siue informi, Mundus ex nihilo factus est; vtique oportet ipsam materiam inuisam ex nihilo immediatè fuisse à Deo creatam; alioqui nullo modo vera esse posset memorata sacræ Scripturæ assertio; quòd scilicet ex nihilo plasmatus sit Mundus. Et hinc proditur error Seleucianorum, & aliorũ item quorumdam hæreticorum, qui materiam inuisam ex qua factus dicitur Mundus, crediderunt nequaquam à Deo fuisse creatam, sed ipsi Deo fuisse coæternam: contra quos disputant Irenæus lib. 2. cap. 11. & Tertullianus in lib. aduersus Hermogenem cap. 4. & Eusebius lib. 7. de Præpar. Euangelica cap. 8. Dionysij & Origenis rationibus, & Gregorius Nyssenus lib. de Hominis opificio cap. 24. & alij.

DE MATERIA INVISA SEV INFORMI.

21. Verumenimuerò, quid per materiam inuisam seu informem accipiendum sit, non omnes conueniunt. Etenim, vt docet S. Thom. in quæstionibus disputatis q. 4. artic. 1. in corp. duæ fuerũt hac de re opiniones, Catholicæ veritati minime repugnantes; quarum prima, quam idem S. Doctor tribuit B. Augustino, tenet, materiæ informis nomine in Scriptura sacra debere accipi materiam absque omni forma, in potentia tamen existentem ad omnes formas. Altera, materiam non omni forma carentem, sed quæ nondum habeat vltimum naturæ suæ complementum & decorem. Igitur primæ opinionis sectatores existimarunt, materiam inuisam seu informem, esse illam, quæ à Peripateticis materia prima dicitur, & inter tria rerum naturalium principia connumeratur. nec defuerunt qui putarint, Moysen quoque huius meminisse Genes. cap. 1. vers. 2. licet satis obscurè, illis verbis: *Terra autem erat inanis & vacua.* siue (vt habet editio LXX. Interpretum) *terra autem erat inuisibilis & incomposita. Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Quo loquendi modo, inquiunt, diuinus Vates de re omnino insensibili verba faciens, vt à rudiori quoque populo, cui Genesim scribebat, aliqualiter capi posset, conatus est naturam memoratæ materiæ primæ, quæ vix à doctis viris intelligi potest, quibusdam rerum sensibilium terminis exprimere, & certis

veluti

veluti similitudinibus circumscribere: & primò, quoniam ipsa materia prima omnium est susceptiua formarum, appellauit eam terram aquis opertam: terra enim valdè materialis est, & præsertim si madida sit, ad varias formas atque figuras suscipiendas admodum accommodata. vnde veteres Græciæ Sapientes, materiam omnium rerum Hylen siue Hylum appellarunt, quæ vox terram aquis permixtam, id est, cœnum limúmve significat. Et quia vlterius materia prima obscuram quamdam & ferè nullam habet actualem existentiam, cùm sit in pura potentia, rectè non simpliciter terram, sed terram inanem & vacuam Propheta nuncupauit: quas voces Aquila & Theodotion, (vt videre est in Scholiis ad editionem LXX. Interpretum adiectis) interpretati sunt, vanitatem & nihilum; non quia reuerà materia nihil penitus sit, sed quia parum habet entitatis: definitur enim à Philosopho 7. Metaph. text. 8. quod neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud tale quidpiam dicitur. Præterea quia nullam habet propriam formam, qua cerni, dignosci, terminarive possit; sed interminata, ac propterea etiam pæne imperceptibilis est; (siquidem non per se, sed tantummodò per analogiam ad rerum artificialium materiam, cognoscitur) appositè informis, & incomposita, & inuisa seu inuisibilis dicta est, & tenebrosa abyssus; quæ vox profunditatem significat visu impenetrabilem. Alij contrà putant, hanc quam modò retulimus opinionem non posse Moysaicis verbis accommodari, dicentes, quòd materia prima, secundum Philosophos, vt diximus, in pura potentia est; at verò prima illa cælorum elementorumque substantia, quæ in principio mundi à Deo creata esse dicitur, licet nondum haberet vltimum naturæ suæ complementum & ornatum, non erat tamen omnino informis & in potentia, sed per formas cæli terræque actualiter existens, vt ex ipsa Moysis narratione perspicuum est. dicitur autem (inquiunt isti) in lib. Sapientiæ, materia inuisa, siue informis; non quia penitus esset inuisibilis, & formæ expers, cuiusmodi materiā primam à Philosophis describi asserimus: sed dicitur inuisa eo modo, quo Beda in Hexaëmeron & alij exponunt, videlicet quoniam prædicta cælorum elementorumq; corpora valde adhuc erant rudia & materialia, & sine illa luce, ac formositate, ornatúve, quem postea subsequentibus diebus acceperunt, conspici nequaquam poterant aut discerni. Et hoc idem (subdunt) indicare voluisse Moysen, cum dixit, terram fuisse inanem & vacuam, quia scilicet necdum in montes & colles, vallesque & campos distincta, nec hominibus aliisque animantibus & plantis repleta, sed his omnibus vacua, obscura ac tenebrosa, atque sub aquis altè obruta & abscondita erat. Et certè ex Sacro textu benè isti videntur argumentari. Sed quia nimis durum videtur, substantiam in se perfectam, & propriis cælorum terræque formis imbutam, ac distinctam, ob id solùm quòd conuenientem sibi ornatum nondum esset assecuta, appellatam esse in libro Sapientiæ materiam inuisam, seu informem, ex qua factus est Mundus; præsertim cùm ipsi cæli ac terra primariæ partes sint eiusdem Mundi, & ipsorum appellatione totus quodammodò Mundus in sacris Scripturis sæpissimè indicari videatur: idcircò alij aliam quamdam excogitarunt materiam inuisam, siue informem, inter memoratas mediam; nimirum non omni prorsus forma expertem, neque aliqua particulari cælorum terræve forma indutam, sed generali dumtaxat quadam forma præditam, & in potentia ad omnes alias suscipiendas. Et hæc materia ad primam reducitur, quam isti putant non à formis quas quotidie suscipit, mutatque, suam qua in mundo est, actualem accipere existentiam: quoniam cùm eas continuò amittat, nouasque suscipiat, (corruptio quippe vnius generatio est alterius) sequeretur, dictam materiæ primæ existentiam in continua suæ actualitatis acquisitione ac amissione versari, quod istis videtur inconueniens: propterea existimant, materiam primam habere obscuram quamdam & vniuersalem naturæ suæ conuenientem formam, per quam actualiter existat; fuisseque ab initio ad modum corpulentæ cuiusdam rudis indigestæque molis, quæ totum spatium sub Empyrei concauitate existens impleret: ex qua postmodum mole corpora omnia, tam cælestia quàm elementaria, priùs aliqualiter formata ac distincta fuere; mox luce, motibus, aliisque ad eorum ornatum pertinentibus decorata, demum ad eam perfectionem, quam nunc videmus, perducta, numeris omnibus absoluta sunt. Et hæc materia inuisa vel informis, fortè illa eadem est, quam Anaxagoras aliique ex antiquis Philosophis appellarunt Chaos: huic enim videtur optimè respondere illa eiusdem Chaos descriptio, quam elegantissimè Ouidius lib. 1. Metamorphoseos expressit his versibus:

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum,
Vnus erat toto naturæ vultus in Orbe,

Quem dixere Chaos, rudis indigestaq; moles,
Nec quidquam nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan;
Nec noua crescendo reparabat cornua Phœbe:
Nec circumfuso pendebat in aëre Tellus
Ponderibus librata suis, nec brachia longa
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaq; erat & tellus, illic & pontus & aër:
Sic erat instabilis tellus, innabilis vnda,
Lucis egens aër: nulli sua forma manebat,
Obstabatq; aliis aliud; quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Sed quidquid sit de varia prædictæ materiæ inuisæ intelligentia, illud (vt dixi) ex Sacro eloquio cōstat, Mundum à Deo ex ipsa fuisse productum, ipsam verò ex nihilo esse creatam: & consequenter, absolutè loquēdo, Deum originaliter cuncta ex nihilo creasse, quod maximè Deo, tamquam primæ ac nobilissimæ causæ, conuenire videtur. Cùm enim causa nobilior paucioribus ad operandum egeat adminiculis, & ars, quæ nobilissimam habet actionem, acquirat subiectum ex materia & forma compositum, puta lignum, aut æs, vt faciat statuam: natura autem solam exigat materiam primam, vt cùm ex aëre fit ignis: ergo Deus, qui in infinitum naturæ superat nobilitatem, proculdubiò nihil prærequiret; sed ipsam quoque materiam primam ex nihilo produxisse necessarium erit: alioqui, si ex alia eam fecit, de ea idem quæri posset; & consequenter, oporteret dari processum in infinitum.

MODVS CREATIONIS CAELI ET TERRAE.

22. Itaque non videtur inconueniens ponere, vt dictum est, Deum primò in vno instanti creasse ex nihilo materiam primam à Philosophis cogitatam, sed non à singulis eodem nomine appellatam; siue ea sit omnino informis, siue potiùs generali tantùm forma prædita, illam videlicet, cuius meminit liber Sapientiæ, & subobscutè per Moysen quoque verbis suprà adductis potuit indicari. In alio verò instanti, de potentia illius materiæ eduxisse illam cæli terræque substantiam adhuc quodammodò informem, seu prima illa cælorum elementorumque corpora rudia atque indigesta, quæ posteà Moyses narrat subsequentibus sex diebus paullatim ab ipso Deo ad debitam perfectionem decoremque fuisse perducta. Quæ positio diuinæ potentiæ nihil derogare videtur. Nam si Deus, qui proculdubiò poterat vnico actu cuncta non solùm ex nihilo creare, sed etiam illicò perfectissima facere, maluit nihilominùs primò res imperfectas producere, mox eas ad suam perfectionem perducere; vt Sacri eloquij textus manifestè declarat: quid prohibet opinari, eumdem prius materiam primam ex nihilo creasse, mox ex ipsius potentia paullatim, vt diximus, cetera omnia quæ voluit, eduxisse? præsertim cùm in ipsis sacris Scripturis nihil huic positioni contrarium reperiatur; quin potiùs hæc easdem Scripturas cum dictis Philosophorum, in aliquo saltem, concordes reddere videatur: & præterea Moysis sapientiam prudentiamque summopere commendare; qui Mundi originem tali narratione descripserit, quæ, vt dictum est, satisfacere doctis pariter atque indoctis cumulatè posset. Ita nimirum ipse à Deo edoctus, eiusque exemplo commonitus fuerat Moyses: qui cùm aliquando Dominum de suo nomine interrogasset, audiuit ab eo primum illa verba: *Ego sum qui sum. Sic dices filijs Israël: Qui est, misit me ad vos.* Deinde protinus illa: *Sic dices filijs Israël: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos.* Qua profectò nominis conduplicatione certum est, ipsum Deum non eruditis tantum, sed rudioribus quoque ingenijs sese demittere & accommodare voluisse. Sed hæc, ad excitanda studiosorum ingenia, tetigisse sufficiat; legentiumque iudicio relicta intelligantur. Et hactenus quidem de Mundi primordiis: nunc ad ea, quæ simul cum cæli motu, quem raptus vocant, & quo tempora sæcularia primùm mensurari cœperunt, ac successiuis deinde temporibus acta sunt, accedendum videtur.

MVN-

MVNDI DIES PRIMVS.

DE CREATIONE CÆLI ET TERRÆ.

1. VT igitur iterùm veluti ad caput redeat narratio nostra, dicimus, quòd siue ante omnia mobilia, siue (si magis placet) statim post materiam primam ex nihilo creatam, Deus in principio, id est (vt exponit Caietanus ad litteram) in primo instanti temporis cum cælo concreati, creauit cælum & terram; videlicet cælos & elementa, quantum quidem ad eorum substantiam, perfecta; de cetero adhuc incomposita & incompta; vt latiùs suis locis explicabitur. Sicuti namque per cælum rectè accipi possunt omnes cælorum orbes, nondum propriis inter se motibus plenè distincti, astrisque exornati; ita per terram reliqua etiam elementa, quandoquidem omnia quodammodò in massa terrestri confusè contineri videntur. Ignem enim (vt scribit S. Basilius Homil. 1. in Hexaëmeron) ex ipsa pluribus in locis, præcipuè verò in Ætna Siciliæ monte, sæpiùs erumpere, notum est: aërem item è cauernis subterraneis in terræmotibus exilire, & fontes aquarum pariter ex terræ visceribus promanare conspicimus.

QVOMODO CÆLI INCORRVPTIBILES, ELEMENTA VERO SINT CORRVPTIBILIA.

2. Verumenimuerò, quemadmodum ex Philosophorum doctrinis constat, cælos natura sua esse incorruptibiles; ita certum est, elementa esse naturaliter corruptibilia, & sibi inuicem contraria, vt ex mutua ipsorum conflictatione apparet: quotidie siquidem videmus, alterum ab altero secundùm partes perimi; & manifestum est, quòd corruptio vnius est generatio alterius. Quamquam ad huius Vniuersi cõseruationem, diuina dispensatione, tali sint æquilibrio disposita, vt alterum ab altero penitus aboleri non valeat. Ac propterea non mirum est, si quæ in cælis sunt, omnia mirabiliter pacata & ordinata semper manent: contrà verò, quæ sub ipsis existunt, perpetua quadam, eademque inordinata commotione iugiter agitari ac fluctuare videntur. Ceterùm non elementa solùm, sed & cælos ipsos, & omne quod creatum est, quantumuis naturam habeat incorruptibilem, posse nihilominus per supremam Creatoris potentiam prorsus annihilari, certissimum est. Qui enim potuit illud solo nutu ex nihilo facere, consequens est, vt non minori negotio idem valeat ad nihilum redigere. Porrò cælorum substantiam, quam diaphanam esse cernimus, non fluidam, sicuti aër; sed admodum solidam esse, testatur Iob cap. 37. vers. 18. dicens: *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Cuius dictum si non (vt quidam putant) de ipso aëre, qui interdum cæli vocabulo significari solet, sed magis propriè (vt plurimi grauesque sentiunt Doctores) de ipsis cælorum orbibus exponendum est; & si simpliciter, prout verba ipsa sonant, ad litteram debet intelligi, nempe cælos reuerà esse substantiâ subtilissimos, non secus ac æs, aut vitrum, aut crystallum; certè num de tota eorumdem cælorum substantia; an fortè, per synecdochen, tantummodò de astris, (quæ, iuxta communiorem Expositorum Aristotelis sententiam super lib. 2. de Cælo cap. 7. densiores cæli partes esse, ac propterea ipsa dumtaxat lucere dicuntur) accipiendum sit, dubitari potest: quoniam S. Basilius Homil. 1. in Hexaëmeron, & post ipsum etiam B. Ambrosius lib. 1. Hexaëmer. cap. 6. ex Isa. cap. 51. vers. 6. eliciunt, substantiam cæli esse subtilem tenuemque, & non solidam: & eamdem sententiam ex eodem S. Basilio confirmat B. Ioannes Damascenus Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 6. Quod si verum esset, vtique ad eiusmodi Scripturæ loca inter se concilianda, satis commoda videretur esse prædicta partium cæli distinctio, nempe, quòd astra ipsa sint solidissima; cælorum verò spatia subtilia & peruia. Sed quoniam iidem SS. Doctores memoratam sententiam suam deducunt ex textu LXX. Interpretum, qui sic habet: *Deus firmauit cælum sicut fumum.* vel: *Cælum sicut fumus firmatum est.* lectio autem editionis Vulgatæ ibidem valdè diuersa est, & sensum longe diuersum videtur exprimere. inquit enim: *Quia cæli sicut fumus liquescent.* nimirum in die dissolutionis ipsorum; quæ dissolutio, B. Hieronymo ibidem attestante, non solùm loco Isaiæ citato, sed etiam in Psal. 101. vers. 27. & Matth. cap. 24. vers. 35. & 2. Petr. cap. 3. vers. 7. 10. & 11. prænuntiata est; & ab eodem S. Doctore exponitur pro mutatione ipsorum in formam multò præstantiorem: propterea quòd astra tantùm solida sint, non autem etiam reliqua cælorum substantia; neque certò asserere, neque negare omnino me posse video; sed præstare magis, totum de hac re iudicium Lectoris prudentiæ relinquere: præsertim cùm præcitata LXX. Interpretum verba B. Hieronymus vbi suprà ita exponat, ac si dictum esset; quòd omnis cælorum firmitas, & robur, & fortitudo, vento inanissimo, & fumo qui in auras soluitur, coæquetur. Nam si S. Doctor dixisset, cælorum firmitatem vento

CÆLORVM SVBSTANTIA FLVIDA AN SOLIDA.

& fumo non coæquari, sed coæquandam esse, nimirum in die mutationis eorum; profectò & ipsa L X X. Interpretum lectio prorsus cum Vulgata coinciderer, & nulla propositæ difficultatis excitandę occasio interuenisset. Sed si citata verba sancti Iob (vt multi probatique Auctores crediderunt) ita interpretari debent, ac si dicere voluisset, quòd cæli, licet videantur, sintve substantiæ ad modum aëris & fumi, fluxæ, mobilis, labilis, leuissimæ ac tenuissimæ; nihilominus per diuinam potentiam sic sunt durabiles atque perpetui, tamquam si ex durissimo ac solidissimo ære fusu concretoque conflati fuissent. Si, inquam, hic est legitimus ac verus Prophetæ sensus, vtique cessant omnes memoratæ difficultates, & cuncta redduntur consona; ita vt nihil prohibeat dicere cum Philosophis, astra quidem esse propriis cælis densiora & solidiora, cælorum verò substantiam (vt ex allegatis Isaiæ verbis colligunt citati Patres, & ex adducta verborum S. Iob expositione elicitur) esse subtilissimam, & vbique perujam, quemadmodum tam multi ac varij motus astrorum, quę per ipsam circumferuntur, planè indicant; non tamen ipsis astris minus esse durabilem atque perpetuam.

CAELOS ET ELEMENTA PROPRIIS LOCIS ESSE CREATA.

3. Ceterum, in memorata, de qua agere cœpimus, rudi indigestaque rerum productarum congerie, quam aliqui, vt dictum est, materiam inuisam appellandam existimarunt, cælos elementaque vllo vmquam tempore actualiter inter se omnino commista & confusa extitisse, nullatenus admittendum putamus: quin potius credimus, singula propriis locis, eo fere modo & ordine quo nunc sunt, à summo illo rerum Opifice primò fuisse creata & disposita, prout cuiusque natura & conditio postulare videbatur. Etenim de terra habemus in Psal. 118. vers. 90. à Deo fundatam esse, & permanere, nimirum in loco suo naturali, in quo ab initio fundata fuerat. Et in Psal 103. versu 5. legimus: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Est autem stabilitas terræ, sua innata grauitas, in loco omnium infimo sita, hoc est (vt Philosophi omnes Astrologique fatentur) in ipso totius vniuersi centro, quò nihil inferius reperiri potest, nec à sphærica altissimaque cælorum conuexione seu circumferentia remotius. Propterea enim omnia grauia (nisi ab aliquo obstaculo retineantur) suo pondere ad ipsum naturaliter feruntur, ita vt si fieri posset puteus adeò profundus, qui totam crassitiem terræ rectà vsque ad oppositam eius superficiem penetraret, atque in quouis eiusdem putei ore lapis quantumuis grauis demitteretur, ipse proculdubiò sua grauitate non nisi ad centrum descenderet, neque posset vlterius ferri, nisi ea difficultate, qua denuò vnde demissus fuerat traheretur; quia nimirum terræ mundique centrum, omnium quæ in mundo sunt locorum infimus est, & omnium quæ grauia sunt solidissimum fundamentum à Deo positum fuit. Super hoc igitur circumextendi terram omnium corporum naturalium grauissimam congruebat; neque alibi naturaliter fundari, aut conquiescere permanereve conuenientius potuisset. Et hanc esse immobilitatis suæ causam, latè probat Macrobius lib. 1. de Somnio Scipionis cap. 22. De aquis quoque, quòd à principio immediatè essent super terram, eamq; vndiq; operirent, ex Sacro textu euidenter apparet. Idem de aliis duobus elementis, aëre scilicet & igne, æquum est credere: cùm enim aquis leuiora sint, naturaliter etiam super duo priora, statim ac creata sunt, esse debuerunt. Et eadem ratione ignem supra aërem produci oportuit. De cælis pariter, quòd super omnia elementa ab initio suæ creationis extiterint, inde fit clarum, quòd nusquam legimus, eos de loco, in quo primùm conditi sunt, vel tantisper fuisse dimotos. Neque prædictis obstat diuisio aquarum, de qua inferius sub die Mundi 2. num. 1. dicemus, quòd eorum pars super terram relicta, altera verò supra cælos posita fuit: quia si reuerà aquæ super cælos sunt, illas, secluso miraculo, alterius esse speciei necesse est, vt sub Die mundi citata num 4. ex beato Thoma probabimus. Si verò, quod magis credimus, illæ sunt, quæ ex vaporibus in media aëris regione eleuatis generantur: proculdubiò, vt primùm sunt genitæ (nisi ibidem aliquamdiu vi ventorum retineantur) inde deorsum ad locum suum naturaliter feruntur. Quare constat, vt diximus, res à principio nequaquam inter se actualiter fuisse confusas, vt nonnulli putarunt; sed aliqualiter distinctas, ac locis sibi propriis situatas, licet adhuc essent incompositæ atque inornatæ.

PRIMA MVNDI DELINEATIO.

4. Fuit igitur prima hæc cælorum elementorumque productio, veluti prima quædam ac rudis totius Mundi delineatio seu adumbratio, ab illa suprema Dei sapientia, quæ semper in omni opere suo ordinatissimè procedit, profecta: quam postea propriis veluti coloribus ac figuris eadem diuina Sapientia perpoliuit, quando reliqua omnia successiuè digerens atque componens, quæ ad perfectam Mundi dispositionem ornatumque deesse videbantur, adiecit, atque absoluit. Sunt autem quæ post prima illa cælo-

cælorum elementorumque corpora fecit Deus, cetera omnia, quæ vel in prædictis corporibus primò factis reperiuntur, vel ex ipsis constant. Ad hæc namque duo capita reduci possunt. Nam astra, quæ, vt diximus, Philosophi aiunt densiores sui orbis partes esse, ideoque sola lucere; in ipsis cælis collocata cernimus: sublunaria autem ex elementis constare, quis nescit? Sanè cuncta hæc primis sex diebus facta fuisse, testatus est Moyses Exodi cap. 20. vers. 11. dicens: *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* & Genes. cap. 1. quænam singulis hisce diebus producta fuerint, ordinatè describit; cuius nos quoque ordinem hic sequi intendimus: nam de illa Ecclesiastici sententia cap. 18. vers. 1. ex qua colligit sanctus Augustinus omnia simul fuisse creata, quomodo sit intelligenda, nos infrà commodiore loco explicabimus, nimirum sub 6. Mundi die, num. 32. & 33.

5. Prima igitur mundi die, quæ mox ab Hebræis, prima sabbati; ab Ethnicis verò, dies Solis; à nostris autem, dies Dominica dicta est; post creata cælorum elementorumque corpora, ante alia Deus lucem hanc corporalem, quam oculis conspicimus, condidit, quæ non modò cælorum, verùm etiam ceterarum rerum sensibilium decus est atque ornamentum præcipuum & maximum, sine quo cuncta, veluti in tenebris sepulta, delitescerent: vt propterea rectè Auctor lib. 4. Esdræ cap. 6. vers. 40. dixerit: *Tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quò appareret opus tuum.* id est, quò videri possent opera tua: atque hoc pacto, vt dicitur ad Hebr. cap. 11. vers. 3. *ex inuisibilibus visibilia fierent.* Congruum verò fuit, & quodammodò necessarium (ex quo Deus sex diebus cuncta patrare decreuerat) primo die fieri lucem, ac motum primi mobilis; sine quibus, dies ipsi inter se distingui ac secerni posse non videbantur. Sanè hanc lucem arbitror fuisse globum quemdam magnum, in quo indistinctè erat, saltem virtualiter, omnis lux omnium planetarum & astrorum. Quem globum quidam dixerunt fuisse elementum ignis, siue ignem priùs latentem in terra, indeque, Deo iubente, exilientem, qui in suprema mundi parte protinus ascendit, vt sic toti mundo lumen suum claritatemque impertiret. Alij tum ex antiquis Patribus, tum ex sacræ Scripturæ Expositoribus & Scholasticis Doctoribus, crediderunt fuisse veluti nubem quamdam lucidam, qualis nonnumquam videri solet in aurora, quæ postea nubes vel Sole creato statim euanuerit, vel ex illa factus sit Sol. Sed ne longior sim in recensendis variis de hac prima luce opinionibus; dico, multo probabiliorem esse illam, quæ fuit primò Dionysij Areopagitæ, & quam posteà, aliis refutans, probarunt beatus Thomas par. 1. q. 67. artic. 4. & q. 70. artic. 1. & aliquot Genesis Expositores; nimirum, lucem illam, seu prædictum globum communem lucis naturam in se continentem, fuisse ipsummet solare corpus adhuc informe; quod non per miraculosam successiuamque radiorum suorum emissionem ac retractionem, vt aliqui arbitrati sunt, sed sua præsentia & absentia, id est per motum, quem vocant raptus, efficiebat diem ac noctem: illicò enim ac creatum fuit corpus solare sic imperfectum, simul cum primo mobili; ac vniuerso cælo, ferri cœpit circulariter ab Oriente in Occidentem; & hoc modo diuisit Deus lucem à tenebris in toto primo triduo; *appellauitque lucem Diem,* videlicet, vt vocant, artificialem; *& tenebras noctem; factúmque est vespere & manè dies vnus,* id est primus, vel ex vno die artificiali & vna nocte, dies vnus naturalis & completus, qui fuit omnium primus; & eodem modo reliqui duo, qui proximè secuti sunt. Atque ita hæc diei noctisque distinctio eâdem mensurâ facta est, qua postmodum quarto die facere cœpit Sol omnino absolutus atque perfectus. Et hinc illa soluitur quæstio, Quomodo Sol factus sit quarta die, cùm ex quo ipse raptu suo efficit diem, nulla ante ipsius creationem præcessisse videatur dies.

DE LVCIS CREATIONE.

DE SOLARI CORPORE.

6. Ceterùm oportet præfatum corpus luminosum creatum fuisse in horizonte Orientali, respectu illius regionis, in qua primi homines habitarunt; alioqui primus dies non fuisset æqualis ac similis subsequentibus. Nec obstat, quòd dicitur, factum esse vespere & mane diem vnum; vnde quidam colligunt, primam lucem creatam esse in meridie, vel paulò post, quando scilicet dies tendere incipit ad vesperam: quia sensus illorum verborum, vt benè explicat S. Basilius Homil. 2. in Hexaëmeron, non est indicare priùs fuisse vesperam, quàm manè; sed priùs commemoratur vespera, tamquam diei finis; & posteà manè, qui est finis noctis; vt hinc constet, priorem fuisse diem artificialem, quàm noctem: quandoquidem primus ille mundi status, ante exortam lucem, non noctis, sed tenebrarum vocabulo signari consueuit: nox enim ea temporis portio dicta est, quæ propriè contradistinguitur ad ipsum diem.

SOLARE CORPVS IN QVA CAELI PARTE CREATVM SIT.

7. Distinxit verò Deus lucem à tenebris, assignans cuique tempora sua, quoniam,

vt

DISTINCTIO LVCIS ET TENEBRARVM CVR. vt tangit Theodoretus q. 7. in Genes. licet inter se contraria essent, futurum tamen erat, vt ambo necessaria forent tam hominibus quàm etiam bestiis, quamuis non eodem modo. Nam lux hominum operibus ac laboribus præcipue confert; tenebræ autem ad quietem. feris verò contrà tenebræ ad laborem, in procurandis sibi alimentis; lux autem ad quiescendum aptior videtur, iuxta illud Psal. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ; Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur, exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum.* Ceterùm, illud amplius habet lux, quod cùm ea quæ facta sunt apparere faciat, omnibus animantibus visum habentibus occasionem quodammodò præbet, singulis pro suo captu, collaudandi eum, qui tantarum rerum varietatem & pulchritudinem operatus est.

AD PRIMVM MVNDI DIEM PERTINENTIA. 8. Ad hunc eumdem primum diem pertinere possunt ea omnia, quæ paulò ante lucis corporeæ productionem facta fuisse creduntur, videlicet cæli Empyrei Angelorumque creatio, & memoratæ ceterarum rerum materiæ primæ, & præterea etiam prima aliorum cælorum elementorumque productio: nam etsi, propriè loquendo, dies naturalis ab vno Solis ortu ad alium definiri consueuerit: attamen, quia totum quoque auroræ tempus, quod Solis ortum præcedit, communiter ad eumdem diem pertinere ac reduci videtur; ideò, quamuis in prima die nulla præcesserit aurora, si, vt dictum est, prima lux in Orientali horizonte creata est; cùm prædicta, paulò antè sint condita, idem ferè est, ac si in ipso auroræ tempore fuissent creata; & quod paulò ante lucem factum est, rectè ad eumdem diem qui cum luce exoritur, referri potest, prout reuerà referri videtur Exodi cap. 20. vers. 11. vbi dicitur: *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.*

DIES MVNDI SECVNDVS.



I. DE FIRMAMENTO. DIE orbis secundo, quem Hebræi secundam sabbati; nos verò, ritu Ecclesiastico, Feriam secundam; vulgò autem, retento Ethnicorum more, diem Lunæ dicimus; fecit Deus firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum; vocauitque Deus firmamentum, Cælum. Vbi firmamenti cælique nomine, proculdubiò Scriptura sacra videtur indicare voluisse omne id quod vulgariter cælum esse existimatur, videlicet totum interuallum, quod à terræ marisve superficie circumquaque in altum protenditur, vsque ad primum mobile. Nam & vis vocis Hebraicæ, pro qua Latinè redditur firmamentum, vt aiunt illius idiomatis professores, magis propriè videtur expansionem seu extensionem significare: & in eodem primo Genes. cap. legimus, Deum fecisse luminaria in firmamento cæli, & in ipso item cælo posuisse stellas: & paullò pòst, ter ibidem, aues vocantur volatilia cæli. Ex quibus satis manifestè colligi potest, Moysen in loco citato, firmamenti cælique vocabulo, totum prædictum spatium complecti voluisse. Quamquam non incongruè multi egregiique Doctores, hîc pro firmamento aquas ab aquis diuidente, per Synecdochen, accipiunt partem dictæ expansionis; nimirum eam, quæ à terræ marisque superficie sursum vsque ad mediam aëris regionem expanditur, in qua pluuiæ gignuntur, vt infrà num. 5. latiùs dicemus.

QVID FECERIT HOC DIE DEVS. 2. Verumenimuerò, quando dicitur Deus in hoc secundo die fecisse firmamentum; non debemus arbitrari, quòd tunc aliquam substantiam de nouo creauerit, puta memoratam aëris, vel etiam ignis, ac cælorum extensionem; vel quòd tunc saltem eamdem substantiam ita extensam in prædicta elementa cælosque distinxerit: quandoquidem omnia hæc diximus in primo temporis instanti fuisse præstita, nimirum die primo, quando creauit in principio Deus cælum & terram, id est, cælos & elementa, quantum spectat ad ipsorum substantiam: inferiùs autem, ipsam cælorum distinctionem atque absolutionem quarto die factam esse dicemus. Quid igitur operatus est secundo hoc die Deus? Respondemus breuiter, diuisionem aquarum. efficiens, vt prædicta expansio, quæ priùs erat super omnes aquas, mox esset veluti vastum quoddam sepimentum, perpetuò firmatum inter ipsas, ita vt deinceps nequaquam possent simul redire, ac pariter, vt anteà, iugiter permanere. Et hoc posito, non videretur absurdum id quod in littera dicitur, *vocauitq. Deus firmamentum, Cælum*, ita exponere, hoc est, voluit Deus vt cælum, in sensu numero præcedenti exposito sumptum, post hæc diceretur, essetque firmamentum, siue sepimentum diuidens aquas ab aquis, hoc

hoc est (vt explicat Auctor lib. 4. Esdræ cap. 6. verſ. 41.) *diuiſionem faciens inter aquas, vt pars quædam ſurſum recederet, pars verò deorſum maneret*. Quæ verba dupliciter exponi poterunt iuxta duplicem memoratæ diſtinctionis aquarum intelligentiam, quæ infrà num. 4. & 5. à nobis explicabitur.

¶ 3. De cetero, neminem iure mirari poſſe putamus, quòd ſubſtantia adeò mobilis, ſicuti ſunt aër, & ignis, & cælorum orbes, firmamenti nomine nuncupetur; ſi meminerit eorum quæ tradit S. Auguſtinus lib. 2. de Geneſi ad litteram, cap. 10. *Nomen*, inquit, *firmamenti non cogit, vt ſtare cælum putemus: firmamentum enim non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, aut propter intranſgreßibilem terminum ſuperiorem & inferiorem aquarum intelligere licet*. His S. Auguſtini dictis conſona quoque ſcribit Rupertus lib. 1. de Trinitate & operibus eius, cap. 22. dicens: *Firmamentum, non ſolidum quid, aut durum, vt vulgò putatur; ſed aër eſt extenſus, & adeò ſubtiliatus, vt licet videri queat, rectiùs tamen ſpiritus dici poßit, quàm corpus, teſtante Eccleſiaſte cap. 1. verſ. 6. cùm dicit de luminaribus quæ viſibiliter in eo feruntur: Luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Hoc itaque cùm ſolidum non ſit, ſed neque ita corpulentum, vt hæc inferior pars aëris; aliunde tamen Scriptura illud nuncupauit firmamentum, videlicet, eò quòd diuidat aquas ab aquis*. Hucuſque Rupertus, qui ſecundam ex duabus mox referendis opinionibus ſequitur. cui in eo quod dixit, Firmamentum rectiùs dici poſſe ſpiritum quàm corpus, adſtipulatur etiam Auctor lib. 4. Esdræ loco proximè citato; vbi abſolutè eum appellat ſpiritum, dicens: *Et die ſecundo creaſti ſpiritum firmamenti*. vbi illud *creaſti* interpretari debet eo modo quo numero præcedenti diximus intelligenda eſſe illa Geneſis verba, *Vocauitq; Deus firmamentum*.

CVR SVBSTANTIA MOBILIS DICTA SIT FIRMAMENTVM.

4. Sed quod attinet ad memoratam hanc diuiſionem aquarum, duæ circumferuntur opiniones, ambæ probabiles, ambæ veritati catholicæ nullatenus aduerſantes; tametſi ſecunda pluribus multo probabilior videtur, vt num. ſequenti dicemus. Prima igitur eſt eorum, qui putant verè & realiter hac ipſa die diuiſas eſſe aquas quæ erant ſuper terram, & earum partem ſuper omnes cælos mobiles fuiſſe tranſpoſitam, vt ibidem perpetuò permaneret. Quod nituntur aliis quoque Scripturæ locis comprobare; nimirum Daniel. cap. 3. verſ. 60. *Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, Domino*. Et Pſalm. 103. verſ. 3. *Extendens cælum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius*. Et adhuc clariùs Pſalm. 148. verſ. 4. *Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini*. per illud namque, *Quæ ſuper cælos ſunt*, non alios, niſi prænotatos cælos cælorum, Propheta indicaſſe videtur. Quod ſi ita eſt, profectò locus iſte admodum vrgere dignoſcitur. Et quamquam nec ſenſus, nec humana ratio demonſtrare videatur, poſſe aquas eſſe ſupra ſidereum cælum: attamen, vt ait S. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litteram cap. 5. *Maior eſt Scripturæ auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas. Vnde quomodo, & quales aquæ ibi ſint: eas tamen ibi eſſe, minimè dubitamus*. Ex qua S. Doctoris ſententia inferre poſſumus, vanum quoque eſſe ſcrutari, quem vſum habeant aquæ illæ in hoc Vniuerſo, & an ſint, quod quidam vocant, cælum aqueum, aut cryſtallinum, ſiue glaciale; & an ea ſit vniuerſalis cauſa frigoris, quod in hoc mundo, vbicumq; Solis ardore abigi temperarive non poteſt, maximè dominatur. Quod ſanè opinari forſitan non videretur abſurdum. Nam ſi frigus non eſt pura caloris priuatio, ſed agens quoddam poſitiuum, vt Plutarchus in libello de Primo frigido pluribus manifeſtiſque probat argumentis, & nos videmus multa frigore cogi, ſtipari, ac condenſari; atque animalium corpora ferè non minùs à frigore, quàm ab ipſo calore ſenſibiliter pungi grauiterque affligi: vtique oportet ponere aliquod primò frigidum quo cetera frigeſcant, quod præſtare poſſe videntur dictæ aquæ: quemadmodum è conuerſo dicitur eſſe aliquod primò calidum quo alia caleſiunt, nempe ignis, vt ſupponit idem Plutarchus in citato ſuo libello; vbi non ſemel primi frigidi qualitates opponit igni tamquam primo calido. Certè Auctor illius Hymni, quem ſancta Eccleſia ex Breuiario Romano canit Feria 2. ad Veſperas, vbi ait: *Vt vnda flammas temperet, Terræ ſolum ne diſſipent*. videtur ſenſiſſe, ideò has aquas à Deo in ſublime fuiſſe tranſpoſitas, vt calorem à corporibus cæleſtibus, & præſertim à Sole cauſatum temperarent, ne nimio ardore terram exureret. Sed de prædictis aquis earumque vſu nulla omnino certa haberi ſcientia poteſt, cùm tota illarum notitia ex ſola ſacrarum Scripturarum reuelatione dependeat: nulla autem in Sacro eloquio de ipſis mentio habeatur, niſi locis citatis, in quibus tantummodò innuitur, aquas ſuper cælos eſſe locatas. Quòd ſi quis fortaſſe videatur non poſſe capere, quî fieri poſſit, vt aquæ, quæ naturaliter multo craſſiores ſunt & grauiores, quàm ſint aër & ignis, & corpora

DE DIVISIONE AQVARVM.

QVOD VNA EARVM PARS REVERA SIT SVPER CAELOS.

pota cælestia; nihilominùs supra ipsos cælos perpetuò stare queant: meminerit, quemadmodum admonet Rupertus lib. 1. de Trinitate cap. 25. globum hunc inferiorem, ex aquis terraque compositum, in medio aëris vndequaque circumfusi immobiliter pendere; & in se ipso, tamquam in base firmissima conquiescere. Quis verò nesciat, non minùs impossibile videri, memoratam hanc orbis terrarum massam, omnium quæ in Vniuerso sunt, naturâ suâ ponderosissimam, in medio aëris, qui tam tenuis est, vt percipi vix possit, sustineri; quàm aquarum sphæram supra sidereum cælum posse consistere? præsertim si cæli substantia solida esset, quemadmodum nos suprà sub primo Mundi die num. 2. indicauimus. Igitur, si primùm nos oculis pænè ipsis cernimus, alterum profectò non esse incredibile fateri debemus. Sed & adhuc magis cessare poterit huiuscemodi admiratio, si doctrinam B. Thomæ attendamus, qui par. 1. quæst. 68. art. 3. ad primum ait: ***Quòd si per aquas superiores, illas intelligamus, quæ super cælum sidereum esse dicuntur: oportere eas esse alterius naturæ ab istis inferioribus, & firmamentum distinxisse aquarum naturam; ita vt aliæ naturaliter essent sub firmamento, aliæ autem supra ipsum circumquaque diffusæ, perpetuò permanerent.***

QVOD SIT IN MEDIA REGIONE AËRIS. 5. Altera opinio est, prædictas aquas esse illas quæ in media aëris regione gignuntur, & in pluuias densatæ decidunt: ad cuius confirmationem aliquot Scripturæ loca adduci solent, quæ de huiusmodi aquis, tamquam in cælo existentibus, loqui videntur: vt est illud Isaiæ cap. 55. vers. 10. ***Quomodo descendit imber, & nix de cælo.*** & Psalm. 146. vers. 8. ***Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam.*** clarum est autem, nubes, & aquas quæ ex ipsis fiunt, siue in ipsis continentur, non operire cælos, sed mediam aëris regionem. Legimus item, Scripturam sacram non semel vti hisce verbis, ***Claudere***, aut ***aperire cælum***, seu ***cataractas cæli***; pro dare, aut prohibere pluuias: quemadmodum patet Genes. cap. 7. vers. 11. cap. 8. vers. 2. & Lucæ cap. 4. vers. 25. quibus aliisque locis manifestè cæli nomine significat mediam aëris regionem, in qua pluuiæ generantur. Hanc eamdem opinionem S. Augustinus lib. 2. super Genes. ad litteram, laude dignissimam iudicat, & sine vlla Fidei offensione credi posse testatur; & B. Thomas pariter vbi suprà eam probat; & ex recentioribus plurimi hanc priori anteponere videntur, tamquam Scripturæ rationique magis consentaneam, & ipso quoque sensu perceptibilem: atque ad alia Scripturæ loca pro priori opinione adducta respondent, de cælo aëreo esse intelligenda, vt ex suprà dictis manifestum est. Nec obstare, quòd Daniel. cap. 3. & Psalm. 148. aquæ non supra cælum, sed supra cælos esse dicantur: quia (inquiunt) Hebræa vox, quæ Latinè cælum seu cælos reddi solet, caret singulari, quemadmodum apud nos Vercellæ, Venetiæ, Syracusæ, & huiusmodi: itaque idem est, super cælos, ac si dictum esset, super cælum, nempe aëreum. Et vbi dicitur: ***Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ super cælos sunt.*** Non dicit, quæ super eos, vel super cælos cælorum, sed, quæ super cælos sunt, id est, quæ sunt super cælum aëreum, vt suprà exposuimus. Et præfati Auctores, ceterique omnes huius opinionis sectatores, rectè firmamentum hìc accipiunt per Synecdochen, id est partem pro tota prædicta extensione, vt dictum est. Verùm contra hanc opinionem opponi potest, quòd in media aëris regione reuerà non manent aquæ in sua propria forma, sed in proximis generationis earum caussis, hoc est, sub specie nebularum, exhalationum, & vaporum, qui in frigidiori illa aëris parte naturaliter apti nati sunt in aquam conuerti; statim autem ac perfectam aquæ induunt formam, cùm ipsa suapte natura grauis sit, non potest aliquamdiu ibidem subsistere, sed necesse est vt ilicò incipiat suo pondere in terram descendere. At verò Sacer textus non videtur loqui de loco generationis aquarum, sed de loco proprio diuinitus assignato illi aquarum parti, quæ ab inferioribus aquis diuisa fuisse dicitur, & super cælos translata; & videtur insinuare, eam in sua forma non minùs naturaliter supra cælos permanere, quàm ea quæ sub cælo est, naturaliter super terram manet, vt prima habet opinio, quæ profectò mihi magis arridet. Nec obstat dicere, quòd Scriptura sacra cæli nomen pro aëre sæpiùs vsurpare soleat: quia certissimum quoque est, eamdem sæpissimè cæli seu cælorum vocabulo cælestes orbes significare consueuisse. Sed quoniam quæstio hæc ex illis est, quæ à nobis certò definiri non possunt, libentissimè eam prudentis Lectoris iudicio discutiendam relinquimus: illud tantummodò hìc addentes, quod Cardinalis Bellarminus in Psal. 103. agens de proximè memorata priori opinione, quæ habet, aquas esse super æthereum cælum, quod firmamentum dicitur, non autem supra cælum aëreum tantùm; ait, hanc videri esse communem Patrum sententiam: & pro ea inter ceteros adducit SS. Basilium Homilia 3. Hexaëmeron, Chrysostomum Homil. 4. super Genesin, Ambrosium lib. 2. Hexaë-

Hexaëmeron cap. 3. & 4. Augustinum lib. 2. super Genes. cap. 4. & in Psal. 103. Eucherium lib. 1. in Genes. cap. 3. Prospetum cap. 1. in Genes. & Theodoretum quæst. 11. in Genes. ac Bedam lib. de Natura rerum cap. 7. & 8.

DE HIS QVÆ IN MEDIA AERIS REGIONE GIGNVNTVR.

6. Sanè opus hoc diei secundi, si etiam iuxta secundam Doctorum sententiam, de aquis quæ in media regione aëris gignuntur, accipiatur; mirabile admodū fuit, & mortalibus multùm vtile: siquidem hoc est, quod non sine magna admiratione contemplabatur Iob cap. 37. vers. 5. dicens: *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia: qui præcipit niui vt descendat in terram, & hiemis pluuiis, & imbri fortitudinis suæ.* & Ieremias cap. 10. vers. 13. *Ad vocem suam*, inquit, *dat multitudinem aquarum in cælo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ; fulgura in pluuiam facit*, &c. & Amos cap. 9. vers. 6. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius.* & B. Greg. Nazianzenus Oratione 2. de Theologia, prope finem: *Quis aquam*, inquit, *in nubibus vinxit, eámque partim in nubibus fixit (ô facinus admirandum!) verbo retentam, tametsi natura sua fluxam & labilem: partim in totius terræ faciem tempestiuè & æquabiliter effudit, velutq́; seminauit.* sic ille: qui ibidem incomparabili eloquentia & copia, multa alia ad hanc rem pertinentia prosequitur. Et certè quis non miretur, aquas natura fluidas & graues ab aëre adeò tenui & raro aliquamdiu sustineri ne decidant; constringi item & congelari, atque in niues, pruinas, grandinesq́ue conuerti; denique à ventis, summi Dei arbitrio, huc atque illuc interdum, ad castiganda hominum errata, ordinariè verò ad innumera mortalibus beneficia conferenda, transmitti? Quis item nesciat, quanta sit pluuiarum vtilitas? his namque terra irrigatur, ac fecunda redditur, largasq́ue fruges opportuno tempore profert; his fontes, amnes, lacus, ad mortalium vsus, reficiuntur, cisternæ puteiq́ue implentur, plantæ crescunt, animalia sitim sedant, ac mirabiliter, in æstiuis præsertim ardoribus, recreantur. Cogita quales ærumnas tempore siccitatis patiatur terra; vt non immeritò dixerit Psalmista Psalmo 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*; & intelliges, quanta sit imbrium necessitas & commoditas, & quàm rectè proptereà pro tanti beneficij recognitione frequenter cantet Ecclesia: *Benedictus es Domine in firmamento cæli, & laudabilis, & gloriosus in sæcula.*

MVNDI DIES TERTIVS.

TERRA AB AQVIS NVDATA.

1. TERTIO die, qui tertia Sabbati, seu tertia Feria, & vulgariter Dies Martis appellatur, discoopertæ sunt plagæ orbis terrarum ab aquis. Nam vt primùm, iubente Domino, congregatæ sunt aquæ in vnum locum, apparuit arida, quam Deus vocauit Terram, congregationesq́ue aquarum appellauit Maria; atque ita exinde terra, quæ priùs tota sub aquis manserat, multis in locis stare super ipsas visa est, vt quodammodò super ipsas fundata videatur, iuxta illud Psalmi 135. vers. 6. *Qui firmauit terram super aquas.* & Psalmi 23. vers. 2. vbi loquens Propheta de orbe terrarum, ait: *Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.* Non enim sensus Psalmistæ est, quòd reverà fundamenta terræ posita firmatáve sint super aquas maris aut fluminum, cùm potiùs è contrario ipsas aquas à terra sustineri palàm sit: sed voluit his verbis indicare Regius Psaltes, Deum die tertio, ad plantarum procreationem, vsumq́ue animalium mox creandorum, fecisse terram altiorem aquis; ita vt, ex quo super maria fluminaque eminere cœpit, quoquomodò super aquas fundata firmatáve esse ac dici posse videatur.

QVOMODO TERRA FVERIT AB AQVIS NVDATA.

2. Sanè quomodo hæc terræ super aquas eleuatio, & aquarum congregatio in vnum locum facta sit, multipliciter ab Ecclesiasticis Scriptoribus exponitur. Et primò quidam putant, id per maximas validorum ventorum vrentium immissiones esse peractum; quandoquidem hoc pacto desiccatas fuisse Diluuij aquas, innuitur Genes. cap. 8. vers. 1. illis verbis: *Adduxit spiritum* (id est, vt exponit Lyranus, ventum siccum) *super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Et eodem modo diuisit Dominus mare Rubrum filiis Israël: nam *cùm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum; diuisaq́; est aqua.* Exod. cap. 14. vers. 21. Sed hoc videretur naturaliter fieri non potuisse, nec sine magno miraculo, quod sine magna necessitate ponendum non est: siquidem ventus, quantumuis validus & vrens, non videtur vno die tot tamq́ue latè expansas terræ regiones ab aquis adeò immensis denudare valuisse. Dicere autem cum Augustino Eugubino in sua Cosmopœia, hanc terræ exsiccationem multo tempore fuisse peractam; & primò

quidem plagas ad polum Arcticum vergentes, quæ altiores esse dicuntur; posteà paulatim reliquas, vi Solis aquas exsiccantis, vt ipse arbitratur, siue vt alij, vi ventorum vrentium fuisse derectas; videtur repugnare Sacro textui, aperte asserenti, hanc terræ denudationem die tertia esse factam; & communi Theologorum sententiæ, qui ponunt, prima sex dierum Dei opera, per diuinam omnipotentiam, pænè in instanti, singula esse patrata. Alij magnam hanc terræ partem ab aquis denudatam putant per ipsarum aquarum condensationem; quæ prius cum essent subtiliores, vt nunc sunt aquæ pluuiales, vel etiam (vt quidam sentiunt) adhuc magis tenues, nimirum veluti est materia vaporosa, aut nebulosa, seu caliginosa, iuxta illud Eccli. cap. 24. vers. 6. *Et sicut nebula texi omnem terram.* & Iob cap. 38. vers. 9. *Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem*, necessariò maiorem locum occupabant, totamque terram vndique operiebant. At verò posteaquam vehementer incrassatæ sunt, sicut nunc videmus esse aquam maris; multò minori locu contin...ri potuerunt, altioresque terræ partes siccas relinquere.

3. Non desunt etiam, quibus visum est, Deum sua omnipotenti virtute terram, quæ tum forte sub aquis erat circumquaque æqualis, illicò mutata aliquatenus exteriori eius figura, inæqualem reddidisse, ita vt alicubi eminentias admodum grandes, alicubi vero profundas latasque quodammodò in immensum coneauitates haberet, in quibus aquæ prius æqualiter per vniuersam terræ superficiem vndique diffusæ, posteà naturaliter tamquam in vasis quibusdam amplissimis confluendo sese reciperent, altioresque terræ plagas denudatas ac derectas relinquerent; atque ita vniuersum orbem terrarum ex aquis terrisque mira varietate distinctum efficerent; quemadmodum in paruis hisce globis, in quibus arte Mathematica totus inferior hic mundus delineari pingive solet, contemplari possumus. Huius sententię videtur etiam fuisse Regius Propheta in Psal. 103. vers. 6. vbi referens statum, quem habebat orbis terrarum ante hunc tertium diem, ait: *Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aquæ.* hoc est, tam magna aquarum abysso vndique circumdatus erat, vt montes etiam operire potuisset. Sequitur: *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt.* quibus verbis perspicuè exprimitur mirabilis vis & effectus diuinæ iussionis, quæ in hoc die tertio facta est, quando dixit Deus: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida.* siquidem illæ, veluti præ formidine in fugam versæ, statim magno impetu confluxerunt in locum sibi à Domino præparatum, de quo subiungitur: *Ascendunt montes, & descenduut campi, in locum quem fundasti eis.* quæ verba explicant, inæqualitatem terræ eodem tempore à Deo factam, in partes scilicet, quasdam quidem maximè eleuatas atque eminentes, quasdam verò valdè depressas & humiles, ad quas commode ac naturaliter aquæ potuerunt confluere, & latas sublimioresque orbis plagas, nudas siccasque relinquere. Postremò ait: *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* ac si diceret: Et hic eas in locis humilioribus veluti quibusdā terminis conclusisti, vt inde amplius exire non queant, neque rursus obruere terram. Verùm si montes & valles, omnisque hæc quam videmus terræ inæqualitas, non hac die tertia, sed potiùs in ipsa terræ creatione, nimirum die mundi prima, quando creauit Deus cælum & terram, facta est, quemadmodum videtur colligi posse ex illis memorati Psalmi verbis, *Supra montes stabunt*, hoc est stabant, *aquæ*, vt nonnulli Hebraici idiomatis Professores interpretantur: certe melius erit dicere, prædictam terrarum detectionem per aquarum densationem, vt diximus, fuisse peractam: quia scilicet quando aquæ, id est, vapores illi aquei ac nebulosi, qui prius omnes terræ partes non solùm humiles & planas, sed etiam celsas & montosas vndiq; operiebant, posteà iussu Domini condensatæ sunt, statim minorem locum occupantes, & grauiores redditæ, naturaliter suo pondere ad decliuiora loca descenderunt, & magnam altioris terræ partem detectam reliquerunt. Sed vtrùm vno tantùm ex enumeratis modis, & quo, an forte (quod non est improbabile) omnibus simul concurrentibus, tam citò perfecta sit hæc terrarum exsiccatio, nequaquam certò definiri potest; cùm certissimum sit, Deum infinitis, vt ita dixerim, alijs medijs idem efficere potuisse, & in Sacro eloquio primaria dumtaxat huius rei causa exprimatur, nimirum ipsa Dei iussio, illis verbis: *Congregentur aquæ in locum vnum*, &c.

QVID SIGNIFICET ILLVD, IN LOCVM VNVM.

4. Ceterùm, quod dicitur, *in locum vnum*; *vnum* debemus accipere, non numero, sed specie. Etenim non mare vnum dumtaxat in mundo est, sed multa multis terræ tractibus separata; quæ tametsi ferè omnia cum Oceano aliqualiter coniungi videantur; exstat nihilominus mare Caspium vndique conclusum, & item in Palæstina, circa re-

ca regionem olim Sodomorum & Gomorrhæorum, mare illud in quo influit Iordanes, quod Scriptura vocat falsissimum, quodque pariter ab Oceano penitus seiunctum est: quemadmodum & lacus plurimi in diuersis terræ partibus, qui nullam habent manifestam cum Oceano coniunctionem, nisi fortè per occultos subterraneosque meatus, per quos etiam aquæ maris iterum ad fontes ac flumina redeunt, iuxta illud Ecclesiastæ cap. 1. vers. 7. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur.* Quare quod dictum est, *Congregentur aquæ in locum vnum*; idem ferè est, ac si dixisset, Congregentur aquæ in loca vnius generis, videlicet humiliora. quod etiam apertè indicant verba, quę paulò pòst subduntur: *Congregationesq́; aquarum appellauit Maria*: non enim dicit congregationem, sed congregationes aquarum: neque inquit, appellauit mare, sed maria; vt non vnum tantùm, sed multa vnius speciei loca seu receptacula aquarum à Deo facta esse declararet.

5. Ex suprà dictis inferri potest, aquas ab hoc die mundi tertio non ampliùs efficere propriam sphæram terræ proximam ac superextensam, eamque multo maiorem, sicut priùs. Neque etiam verum esse quod multi, alioqui magni nominis Doctores, sensere, nimirum ipsas aquas, vt minorem terræ locum occuparent, ad præceptum Domini in maximam intumuisse altitudinem, ita vt etiam nunc longè ipsa terra altiores sint. Nam cùm omnia flumina, quæ per inferiores terræ partes semper ad ima decurrunt, tandem intrent in mare, vt ait Ecclesiastes cap. 1. vers. 7. necesse est ipsum mare non modò non celsius, sed multo ipsa terra humilius esse. Nec obstant multa Scripturæ testimonia, à præcitatis Auctoribus adducta, quæ oppositum confirmare videntur; qualia sunt illud Prouerb. cap. 8. vers. 29. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* & Ierem. cap. 5. vers. 22. *Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.* & Iob cap. 38. vers. 8. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens?* & post pauca: *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia; & dixi: Hucusque venies, & non procedes ampliùs; & hic confringes tumentes fluctus tuos.* & Psal. 103. ver. 9. *Terminum posuisti; quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* Ex quibus aliisque huiusmodi locis videtur, aquas vsque adeò super altitudinem terræ elatas esse, vt nisi diuina virtute continerentur, facilè naturaliterque possent iterum super ipsam confluere, totamque obruere. Sed non ita est: nam etsi naturales inclinationes creaturis irrationabilibus vel etiam insensibilibus à Deo inditæ, in Scripturis sacris interdum appellentur leges, (nimirum non essentialiter, sed quasi participatiuè, vt optimè declarat B. Thomas prima secundæ, quæst. 90. artic. 1. ad 1.) nihilominùs implicat dicere vel arbitrari, eiusmodi leges naturalibus rerum inclinationibus perpetuò aduertantes fuisse datas. Quare ex eo quod locis citatis legimus, Deum posuisse legem terminósve, aut præcepta aquis, ne transirent fines suos; non debemus inferre, quòd eas perpetuo miraculo, & contra propriam ipsarum naturam eleuatas contineat, ne ad ima fluere valeant; sed quòd eas in inferioribus terræ partibus collocauerit, vnde eleuari, cùm graues sint, & exire non possint.

Aquas non esse terra altiores.

6. Sequitur item ex his quæ hactenus dicta sunt, vanam omnino erroneamque, vel potiùs, vt sic loquar, chimericam esse illam Pauli Burgensis opinionem, quam in Additione prima super cap. 1. Genes. latiùs explicare conatur, vbi suadere contendit Oceanum facere veluti propriam aquæ sphæram, intersecantem ipsum terræ globum eo modo quem figura hîc in margine posita refert. Nam præterquam quòd rationibus etiam proximè adductis facilè reprobari hæc positio potest, euidenter quoque refellitur à Mathematicis seu Cosmographis; inter quos non desunt, qui manifestissimis probant argumentis, terram esse longè maiorem aqua; præcipuè verò Alexander Piccolominus, qui de hac re integrum egregiumque volumen à se Italicè scriptum edidit. omnes verò fatentur, ex aquis terrisque mira varietate, vt prædictum est, inter se distinctis, fieri globum vnum sphæricum, cuius centrum idem est cum centro totius mundi. Neque huic orbis rotunditati obstant, in terra montium altitudines ac vallium profunditates, in aquis verò ipsarum planicies: quia montes & valles terrarum quidem superficiem aliquanto asperam reddere possunt ad instar globuli lapidei minimè leuigati; minùs verò rotundam, in tantæ præsertim molis globo, nequaquam. Quod autem spectat ad aquas, scimus proprium ac naturale ipsis esse, non planam sed conuexam semper habere superficiem, vt cuiuis ad sensum patere poterit, si aut singulas aquę guttas in plano positas diligenter inspiciant, aut expansum aliquod vas ad summum aqua refertum, materiali aliqua regula radere attentauerit. vnde non mirum est, si ipsa quoque



que aqua maris, quò longiùs distat à littore, eò altior inuenitur, non tam quòd eius fundum ibi profundius sit, quàm quòd etiam ipsius superficies sensim in gyrum (vt diximus) naturaliter attollatur: atque hoc pacto memoratum Orbis globum, non in ea tantum parte planum aut depressum reddat, sed vbique sphæricum efficiat, ac veluti ad circinum rotundet. Porrò dicti orbis terrarum simul atque aquarum varietatem pariter ac rotunditatem etiam experimento didicerunt, qui per longas ac ferè immensas nauigationes, ad partes mundi priùs incognitas, non procul à nostris temporibus, peruenerunt. Hi namque cùm ex Hispaniis Occasum versus diu admodum nauigantes, cursum solis quodammodò imitati, per hemisphærium huic nostro suppositum ad Orientales insulas regionesque appulissent, ab his numquam retrocedentes, sed semper rectâ viâ Occidentem versus ad anteriora tendentes, tandem toto terrarum orbe circulariter emenso, trium annorum spatio ad idem Hispaniarum littus, vnde discesserant, reuersi sunt, vt ex noui Orbis historiis manifestum est.

QVOMODO TERRA DICI POSSIT DIE TERTIO CREATA.

7. Ex eo autem, quod in Sacro textu dicitur, *Et appareat arida*, clarè colligi potest, terram non fuisse in hoc tertio die factam, vt nonnulli crediderunt; sed cùm fuisset à principio creata sub aquis, vt suprà dictum est; postmodum in hac die, recedentibus aquis, remansit sparsim magna ex parte discooperta, & earenus in superficie exsiccata, vt commodè posset herbas plantasque producere. Nisi fortè intelligamus, terram die tertio esse creatam, id est perfectam & absolutam, in ea forma & figura quam modò videmus, videlicet adeò inæqualem, vt partes eius humiliores plenæ sint aquis; altiores verò, quæ ab ipsis eminent aquis, partim adhuc etiam magis ascendant in montibus & collibus, partim descendant in campis & vallibus, vt habemus in Psalmo 103. versu 8. variisque fluminibus irrigatæ, diuersi generis plantas ad vsus animalium hominumque producant.

DE PLANTARVM PRODVCTIONE.

8. Itaque terra, statim ac ab aquis, Deo iubente, denudata fuit, protulit quidem, vt diximus, omnis generis plantas; verumtamen non naturaliter, ex virtute seminis in ea sati; neque item naturaliter, eo modo quo nunc solet primò paulatim eas germinare, mox per successiua incrementa multo temporis spatio ad perfectum sui generis statum easdem perducere: sed ex vi verbi Dei, illicò protulit omnes herbarum arborumque species in statu perfecto, id est propriis frondibus, fructibus, seminibúsve onustas: quod indicant ea Genes. verba: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundùm speciem suam.* (tunc enim quæ vtcumque viuunt, perfecta esse dicuntur, quando possunt generare sibi simile, vt habemus ex Aristot. libro quarto Metheor.) Atque hæc instantanea, vt ita dixerim, plantarum productio, antequam naturaliter singulæ ex propriis seminibus oriri cœpissent in terra, tunc potissimùm necessaria fuit, vt posset illicò suppeditari cibus homini, & ceteris animantibus paulò pòst creandis. Non tamen verisimile est, eodem tempore in omni terrarum plaga eamdem perfectam plantarum productionem esse factam; sed tantummodò in his terræ tractibus, in quibus tunc conueniens huiusmodi plantis anni constitutio, nimirum vbi ver, æstásve aut autumnus aderat. Nam in partibus ad Arcticum siue ad Antarcticum magis vergentibus, vbi tunc hiems erat, quidam putant arbores sine foliis, floribus, & fructibus, aridas fuisse productas, vt esse solent tempore hiemis: sed ne cogamur dicere, prima Dei opera alicubi fuisse imperfecta, & aliquamdiu sic permansisse; fortasse melius est ponere, in talibus locis plantas non actu, sed potentia, in suis nimirum dumtaxat causis, esse procreatas; ac posteà congruis temporibus naturaliter natas auctasque, & ad perfectum fuisse perductas; non enim ait Scriptura omnes vbique terrarum plantas vno eodemque tempore à Deo esse factas, sed Deum fecisse tertio die omnia plantarum genera, videlicet in locis ad quæque earum ferenda accommodatis; id est, neque aut nimio rigore, aut extremo calore ariditateque inhabilibus, cuiusmodi etiam hodie plura reperiri, & sine plantis esse certum est.

DE PLANTIS HOMINI NOXIIS.

9. Neque hîc dubitandum est de Rosa, num ab initio facta sit, vt modò est, cum spinis; & de aliarum spinarum ac tribulorum, & item venenatarum plantarum productione, num hoc die facta fuerit, vel potiùs post Adæ peccatum, in pœnam scilicet ipsius. Etenim quemadmodum constat, peccatum primi parentis non mutasse naturales hominum proprietates; sic nec rosæ, aliarúmve rerum. Et ratio dictat, oportuisse ad perfectionem Vniuersi, omnes herbarum arborumque species hoc die esse factas, sicuti posteà die quinto omnia animalia aquatica, sexto verò cuncta terrestria condita sunt; inter quæ pariter multa hominibus noxia reperiri certissimum est; nimirum

creata

creata ad vindictam, vt colligitur Ecclesiastæ cap. 39. vers. 35. & 36. Quòd si in primis sex dierum Dei operibus tot plantarum animantiumque differentiæ defuissent, quomodo cuncta quæ fecerat, valde bona & perfecta dici potuissent? Itaque quemadmodum Deus, antequam animalia hominesque procrearet, plantas producere voluit bonas, vt essent illis in cibum, sic præuidens ipsius hominis casum, in præuaricationis eius pœnam, produxit rosam cum spinis, herbasq; & animalia noxia quæ homo, si non peccasset, certò dignoscere, ac variis modis, sine vllo incommodo, deuitare potuisset; & nihilominùs etiam post peccatum, eidem in multis vsui esse poterant, vt patet de Theriaca, quæ vtiliter ex noxiis animalibus simplicibusque componitur.

10. De his verò herbarum seu plantarum generibus, quæ non ex semine aliquo, sed ex quadam putredine, certis præcipuè temporibus ac locis, tam in terra quàm in palustrium aquarum superficie generari videmus; cuiusmodi sunt tubera, & boletorum plura genera, & agaricus, aliaque huiusmodi, quæ siue è terra, siue ex arborum truncis, vel etiam ex quodam genere petrarum in locis vliginosis posito, paulatim erumpere conspiciuntur; & herba item illa, quam muscum vocant, aliæque nonnullæ, quæ pariter super arborum cortices ac tectorum tegulas nascuntur, & lens palustris, quæ in stagnis aquarum oritur, & ceteræ huiusmodi. (Quid enim mirum est ex putri materia plantas gigni, cùm ex eadem animalia quoque generari, quæ plantis longè perfectiora sunt, in confesso sit apud omnes?) De his inquam, & item de arboribus illis, quæ mediam quamdam naturam sortitæ videntur inter duas diuersi generis plantas, cuiusmodi sunt quæ nuces Persicæ dicuntur, & Pira coronea, & Piralimonia, & Limonia citria, & huiusmodi sexcenta alia; quarum poma mediam certè figuram, saporem, ac naturam redolent inter binos quos referunt diuersi generis fructus: quę (si verum est quod fertur) non à natura, sed potiùs hominum industria, ab occulto quodam inserendi, seu radices seminave commiscendi aut alterandi artificio, solis quibusdam hortorum cultoribus cognito, primam originem duxisse creduntur: proculdubiò, si de his & similibus quæratur, num eodem die creata sint, quo ceteræ plantæ, idem pænè iudicium ferri poterit, quod de animalibus ex putri materia ortis, vel ex commistione diuersarum specierum generatis, infrà sub die Mundi 6. num. 1. dicemus. DE PLANTIS QVAE EX PVTRI MATERIA ARTEVE NASCVNTVR.

11. Porrò differentias plantarum, quæ pænè sunt innumerabiles, & vires earum, multi diligenter indagare scriptisque mandare conati sunt: sed quemadmodum contigit ceteris rerum naturalium Scriptoribus, puta his qui de stellis, de animalibus, de fossilibus, & huiusmodi aliis scripserunt, minus est quod ipsi summo labore, studio, & industria consequi potuerunt, quàm quod eos præterit: tanta est summi illius rerum Conditoris in vnoquoque genere virtus, affluentia, & varietas, atque humanæ mentis imbecillitas, vt non modò vniuersaliter, sed etiam in vnaquaque facultate verissimum illud sit, quod Philosophorum præcipui fassi sunt, nimirum, *Maxima pars eorum quæ scimus, minima est eorum quæ ignoramus.* PLANTARVM DIFFERENTIAE VIRESQVE.

12. Eodem tertiò die, in quo diximus terram à Deo suam postremam accepisse perfectionem; probabile admodum est, creata quoque fuisse in visceribus eius cuncta metallorum ac mineralium, omniumque fossilium genera; tametsi de his Moyses nullum verbum fecerit, siue quia hæc nullum naturæ essendive gradum ipsâ terrâ ceterisque rebus omnino inanimatis sublimiorem haberent; siue quia vocabulo terræ, cuncta quæ intra ipsam naturaliter gignuntur, comprehendi maluerit: alioqui etiam reconditas ventorum, nubium, pluuiæ, niuis, pruinæ, grandinis, tonitruorum ac fulminum, quæ in aëre generantur, origines describsisse debuerat; & si quæ alia in aliis fiunt elementis. DE FOSSILIVM GENERIBVS.

13. Eodem item die (vt est opinio Doctorum communior) quando scilicet produxit in vniuerso orbe omnis generis plantas eo modo, quo superiùs declaratum est; hortum quoque quemdam peculiarem, amœnissimum ac deliciosissimum Dominus condidit, arboribus pulcherrimè consitum, ac suauissimorum fructuum vbertate refertissimum, qui communiter dicitur Paradisus terrestris; de quo Genes. cap. 2. in editione Vulgata legimus: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem*, &c. Ex quo loco B. Hieronymus in lib. Traditionum Hebraicarum in Genes. ponderans illa verba, *A principio*, colligit, Paradisum factum fuisse ante cælum & terram. Verùm si non de Paradiso spirituali, qui est vita æterna, parata ante mundi constitutionem, sed ad litteram de Paradiso terrestri loquitur sanctus Hieronymus, necesse est, ipsum intelligere voluisse, ante cælum & terram, id est, priusquam perfecti essent cæli & terra, & omnis ornatus eorum; quod non die tertio, DE PARADISO TERRESTRI. QVANDO FVERIT CONDITVS.

sed sexto expleto, factum esse certissimum est; quandoquidem quarto die cæli sideribus, quinto autem & sexto terra animantibus exornata fuêre. Constat autem, illud *A principio* magnam habere latitudinem, & non esse necessariò referendum ad initium primi diei, sed sufficere vt possit referri ad vnum ex primis sex diebus, commodiùs verò ad tertium: non ratio suadet, ipsum Paradisum fuisse plantatum ante hominis creationem, & eodem tempore quo primùm ceteræ plantæ sunt conditæ, vt iam dictum est. Quare arbitror, toto cælo aberrare eos, qui putant ipsum fuisse factum post plasmatum hominem: maximè verò demiratus sum Genebrardum, qui in sua Chronologia asseruit, Deum plantasse hunc Paradisum secundo die: cuius sententiæ, profectò animus refugit assentiri, quoniam tunc terra vndique operiebatur fluctibus; non enim diuisæ sunt aquæ ita vt apparere posset arida, nisi die tertio; & consequenter, non potuit terra priùs producere plantas oleraque virentia, cum fructibus ac seminibus suis, quibus constat, hortum illum fuisse consitum. Et præterea sequeretur, plantas ante diem tertium esse productas, quod manifestò Sacræ repugnaret historiæ.

QVAE DE PARADISO TERRESTRI SCRIPTVRA TRADIDERIT.

14. Ceterum, ex vulgato sacræ Scripturæ textu nil aliud de hoc Paradiso habemus, nisi quòd produxit in eo Dominus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue; & in medio eius posuit duas arbores, quarum altera Lignum vitæ, altera Lignum scientiæ boni & mali appellata est; & quòd à fluuio quodam poterat irrigari, qui per eumdem locum pertransibat, & inde posteà diuidebatur in quatuor capita seu flumina; quorum primo nomen erat Phison, qui lambit terram Heuilath, vbi nascitur aurum optimum, & bdellium, & lapis onychinus: secundo Gehon, qui circuit omnem terram Æthiopiæ: & tertio Tigris, qui vadit contra Assyrios: & quarto Euphrates. Postremò, quòd posteà Dominus in Paradisum transtulit Adamum, vt operaretur & custodiret illum.

QVAESITA QVAEDAM DE PARADISO TERRESTRI.

15. Verumenimuerò, circa ea quę breuiter tangit Moyses de Paradiso terrestri, multa quæri possunt. Primò, An ipse prædictorum quattuor fluminum origines cursúsque notauerit prout reperiebantur temporibus suis, quando scilicet Genesim describebat; vel potiùs, prout erant in exordio mundi, aut ante Diluuium. Secundò, Num ille fluuius qui irrigabat Paradisum, in ipsomet scaturiret, an alibi oriens, ad ipsum flueret Paradisum, ac per ipsum pertransiens, eumdem irrigaret. Tertiò, Vtrùm illa quattuor flumina egrederentur de fluuio Paradisi in ipso Paradiso, vel statim in egressu fluuij de Paradiso, an verò posteaquam parum aut multùm processerat extra Paradisum. Quartò, Quænam sint flumina, quæ Moyses appellat Phison & Gehon; & num adhuc existent. Quintò, Quid per terram Heuilath, & per Æthiopiam accipere debeamus. Sextò, In quanam orbis plaga seu regione situs esset hic Paradisus. Septimò, Vtrùm adhuc supersit. Octauò, An omnia ligna Paradisi essent fructifera, & ad esum apta. Et postremò, Quid sentiendum sit de duabus arboribus in medio Paradisi collocatis.

DE QVATTVOR FLVMINVM PARADISI DESCRIPTIONE.

16. Vt igitur ad prædicta breuiter aliquid respondeamus, dicimus ad Primum, probabilius videri, Moysen memoratorum fluminum initia cursúsque descripsisse, prout temporibus suis erant, & videri poterant: alioqui vereri debuisset, ne à Geographis falsa probaretur esse eius historia, præsertim cum de immutatione à Diluuio facta nihil ipse meminerit. Et hoc etiam ipsius textus verba indicare videntur. Nam licet vbi loquitur de fluuio Paradisi Genes. cap. 2. vers. 10. Vulgata editio verbo vtatur præterito imperfecto, *egrediebatur*; tamen ibidem quando agit de eiusdem fluuij diuisione in quattuor fluminum initia, vtitur verbo præsenti; *Qui* (inquit) *diuiditur in quattuor capita*. Et eodem modo prosequitur, singula eadem flumina dinumerans, vbi subiungit: *Nomen vni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Heuilath.* & post pauca: *Nomen fluuij secundi Gehon, ipse est qui circumit omnem terram Aethiopiæ; nomen verò fluminis tertij Tigris, ipse vadit contra Assyrios; fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.* Ecce quomodo de vnoquoque loquitur per verba de præsenti, *est, vadit, circuit, circumit.* Immò verò in textu LXX. Interpretum, non solùm vbi singula quattuor flumina describuntur, sed etiam vbi fit mentio de illo fluuio, à quo illa quattuor deriuantur, semper ponuntur verba de præsenti: sic enim legitur: *Flumen autem procedit ex Eden ad irrigandum Paradisum, quod inde diuiditur in quattuor initia, nomen vni Phison, hoc est quod circuit totam terram Heuilath, vbi est aurum, & aurum terræ illius bonum, & ibi est carbunculus, & lapis prasinus: & nomen flumini secundo, Gehon, hoc est quod circuit totam terram Aethiopiæ: & flumen tertium Tigris, hoc est quod vadit contra Assyrios: & flumen quartum Euphrates.* Præterea in vtroque Textu videmus fieri mentionem de Assyriis & Æthio-

Æthiopibus: atqui ante Diluuium neque Assyrios exstitisse, neque Æthiopes, constare poterit ex his, quæ sub anno Mundi 1931. num. 24. 25. 26. & 50. dicentur: vbi Assyrios ab Assur filio Sem, & Æthiopes à Chus filio Cham, qui post Diluuium nati sunt, prodiisse docebimus.

17. Ad Secundum dicimus, quòd quamuis Vulgata editio videatur insinuare, fluuium illum in ipsomet Paradiso exoriri, illis verbis: *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum*, si intelligamus, eumdem esse locum voluptatis, & Paradisum: attamen, quia ex contextu LXX. Interpretum appatet, locum voluptatis fuisse totam regionem Eden, in cuius Orientali parte plantatus fuerat hortus, seu Paradisus; propterea videtur vterque Textus sine vllo errore etiam in hoc sensu posse accipi, vt velit denotare, fluuium illum scaturiginem suam habuisse in loco voluptatis, id est in regione Eden; & deinceps properasse Orientem versus ad irrigandum in transitu suo Paradisum. DE FLVVIO PARADISI.

18. Ad Tertium responderi potest, neque ex textu Vulgato, neque ex LXX. Interpretum editione liquidò haberi, quòd diuisio illa fluuij in quattuor capita seu flumina fieret intra Paradisum, aut in egressu eius, prope aut procul ab ipso Paradiso. Nam illa verba, *Qui inde diuiditur*, &c. ad singulos memoratos sensus adaptari commodè possunt. Et quæ in eiusmodi rebus adeò antiquis ex Scriptura sacra elicere non possumus, proculdubio eadem nos ignorare simpliciter fateri debemus: non enim aliunde expiscari queunt. DE EIVSDEM FLVVII DIVISIONE.

19. Ad Quartum: De duobus fluminibus, Phison scilicet & Gehon, duplex habetur opinio; altera, quæ communior est, putat, Moysen per Phison intellexisse Gangem, & per Gehon, Nilum: quod & quidam confirmare nituntur ex Eccli. cap. 24. vers. 35. vbi comparatur sapientia ipsi Phison, tamquam flumini omnium maximo; & Ierem. cap. 2. vers. 18. vbi loco eius quod editio Vulgata vertit, *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* in LXX. Interpretibus legimus, *Vt bibas aquam Gehon?* Quæ opinio (vt ex sequentibus innotescet) non videtur posse sustineri, nisi supponamus, Moysen descripsisse quattuor illa Paradisi flumina, prout ante Diluuium, non autem ipso Moyse viuente exstabant, quod tamen nos supra num. 16. refutauimus. Altera opinio est eorum qui credunt, quòd licet fortè locis citatis per Phison & Gehon Scriptura sacta intellexerit Gangem & Nilum; non tamen in Genesis cap. 2. quoniam ibidem perspicuè dicitur, quòd Phison & Gehon ab vno, eodemque amne exoriebantur. Atqui Ganges & Nilus à partibus Mundi adeò ab inuicem remotis, ac pænè oppositis, suas ducunt origines, vt nullatenus ab vno eodemque amne deriuari posse videantur. siquidem Ganges ab Indiæ regionibus ad Aquilonem vergentibus oritur, Nilus verò ab extremis ferè terminis Africæ Australibus. Nisi supponere velimus, Nili Gangisque alueos & fontes, Diluuij temporibus ad diuersas posteà regiones fuisse translatos. Itaque existimant secundæ huius opinionis sectatores, fieri posse, vt quamuis fortè olim Ganges & Nilus nuncuparentur Phison & Gehon, nihilominus hæc eadem nomina duobus quoque aliis fluminibus alibi existentibus communia fuerint: quod non est improbabile; quandoquidem constat, non solum aliquot flumina, sed & diuersas vrbes, & pagos, & regiones, & loca, eamdem nominis appellationem fuisse sortita. Ceterùm an memorata duo flumina, Phison videlicet & Gehon, in secundo sensu accepta, id est quatenus à Gange & Nilo diuersa, hodie reperiantur, incertum est. Quare cùm videamus Ethnicos scriptores de Euphrate & Tigri sæpius, tamquam de fluminibus insignioribus, meminisse; de reliquis verò duobus, Phison scilicet & Gehon, nihil prorsus: verisimile admodum videtur, quod tempore Moysis, vt infrà num. 23. dicemus, ex Euphrate Tigrique in regione Eden pariter copulatis, efficeretur fluuius ille Paradisi; qui posteà in quattuor capita seu flumina diuidebatur, quorum duo, priorum, Tigris videlicet & Euphratis, nomina retinerent; duo autem reliqua, Phison & Gehon nuncuparentur: procedente verò tempore, vt fit in aliis fluminibus, ob varias eorum reuolutiones, aut aliqua alia de causa, Tigris & Euphratis ostia paulatim magis dilatari, ipsius verò Phison & Gehon sensim occludi cœpisse; ac tandem eorum alueos vel omnium exaruisse, cunctis ipsorum aquis ad Tigrim & Euphratem deuolutis; vel, (si forte dicti fluuij erant iidem cum his duobus, qui, vt tradit Auctor proximè citandus, ab Euphrate oriebantur, & quorum alter, regnante Nabuchodonosor, dicebatur Armacalis, alter verò Acracanus) posteà à dicto Rege fuisse obstructos, quemadmodum scribit Abydenus ab Eusebio relatus lib. 9. de Præparatione Euangelica prope finem. Quòd si adhuc Phison & Gehon extare concesserimus, DE PHISON ET GEHON.

dicere oportet illos deinceps adeò exiles atque in hominum opinione obscuros esse redditos, vt mirum non sit, si ab Ethnicis scriptoribus non sint memorati. Quamuis fortè veriùs tutiúsve dicere possimus, non solùm duo hæc flumina, Phison scilicet & Gehon, postmodum omnino fluere desiisse; sed insuper totam prædicti fluuij quadripartitam diuisionem hodie penitus esse sublatam. Nam Tigris & Euphrates, ex quo semel in ingressu Chaldææ, hoc est aliquanto supra ciuitatem nomine Bagdet, in antiquæ Babyloniæ ruinis fabricatam, in vnum coire incipiunt, exinde simul per eumdem vnum alueum in mare Persicum exonerantur, quemadmodum videre est in nonnullis Geographorum tabulis, & refert Ioan. Boterus in suis Relationibus vniuersalibus Italicè conscriptis, parte 1. lib. 2. vbi disserit de Chaldæa.

20. Ad Quintum, videlicet de terra Heuilath & Æthiopię, sub hac distinctione responderi debet. Nam si vera esset opinio asserentium, Moysen vocabulo Phison signasse Gangem, & nomine Gehon, Nilum; proculdubiò oporteret per terram Heuilath, quam Phison lambit, accipere aliquam Orientalis Indiæ regionem hoc nomine appellatam: & per Æthiopiam, quam circuit Gehon, illam quæ in Africa est, & hodie sub Preteiannis seu Abyssinorum Imperio manet, vt testatur Abraham Ortelius in suo Orbis Theatro, tabula 4. & 99. Si verò Phison & Gehon à Gange & Nilo diuersa sunt, vt altera habet opinio, conuenienter admodum possumus (quod etiam admonet Pererius) per Heuilath accipere regionem illam olim inter Assyriam & Ægyptum positam, cuius fit mentio Genes. cap. 25. vers. 18. vbi de Ismaële dicitur, quòd habitauit *ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios.* & lib. 1. Regum cap. 15. vers. 7. legimus: *Percussit Saul Amalec, ab Heuila, donec venias ad Sur, quæ est è regione Aegypti.* Item per Æthiopiam, non illam existentem in Africa, quam ad Occidentem eluit Nilus, sed aliam, olim non longè ab Euphrate sitam, quæ erat etiam confinis Arabiæ, nec multùm quoque à Palæstina distare videbatur, vt manifestè colligitur lib. 2. Paralip. cap. 21. vers. 16. vbi hæc verba habentur: *Suscitauit ergo Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum, & Arabum, qui confines sunt Aethiopibus.* Et hos puto esse illos, qui cum Zara eorum Rege venerant contra Iudam decies centena millia, quos, Deo benè iuuante, percussit Asa Rex Iuda, vt describitur 2. Paralip. cap. 14. Non enim probabile est, tantam Æthiopum multitudinem vsque ab remotissimis Abyssinorum regionibus venisse contra Iudam; neque Moysen ex tam longinqua, sed magis ex proxima aliqua regione duxisse vxorem illam, quæ Numeror. cap. 12. dicitur Æthiopissa.

VBI NAM ESSET PARADISVS TERRESTRIS.

21. Ad Sextum, Vbinam esset Paradisus terrestris, dicimus Primò, reiiciendam esse opinionem illam, quæ Iosepho tribuitur, existimantem Paradisi terrestris nomine totam hanc terram debere intelligi: & illam item, quæ putat, extra ipsam terram ab hominibus habitatam, hoc est vltra vastissimum Oceanum, fuisse conditum Paradisum: huiuscemodi namque opinionibus aduersatur Scriptura sacra, vt probè ostendunt Cardinalis Bellarminus & Pererius locis infrà citandis, vbi etiam optimè refellunt illorum sententiam, qui prope Lunæ globum, terrestrem Paradisum posuere. Secundò dicimus, ex Sacra historia, si sequamur textum Vulgatæ editionis, sciri non posse in quanam mundi parte paradisum hunc Deus plantauerit: quia Genesis cap. 2. vbi de hoc agitur, nulla fit mentio regionis seu loci particularis in quo fuerit plantatus; sed tantummodò tangitur tempus generaliter illis verbis: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio.* & post pauca, locus item cum sola voluptatis circumstantia signatur, vbi subditur: *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum.* Qua narratione illud solùm exprimitur, quòd locus ille erat deliciosus; sed vbinam esset, subticetur. At si sequamur textum LXX. Interpretum, qui loco citato sic habet: *Et plantauit Deus Paradisum in Eden, ad Orientem,* &c. Et paulò pòst: *Flumen autem procedit ex Eden ad irrigandum Paradisum.* proculdubiò possumus colligere, Paradisum fuisse plantatum in plaga orbis Orientali & in regione quæ Hebraicè dicebatur Eden; seu (vt aliqui exponunt) in parte Orientali ipsius regionis Eden, quam ad Orientem respectu Palæstinæ fuisse sitam, ex inferiùs dicendis apparebit. Et licet non sim nescius, hanc vocem Eden significare delicias, & nonnumquam absolutè pro loco voluptatis seu delicioso posse accipi; illud tamen perspicuum est, etiam in Sacris libris pro nomine proprio loci seu regionis sic appellatæ vsurpari, vt patet Genesis cap. 4. vers. 16. Ezechielis cap. 27. vers. 23. lib. 4. Reg. cap. 19. vers. 12. & Isaiæ cap. 37. vers. 12. Et probabile admodum est, eamdem vocem Eden, etiam Genes. cap. 2. pro regione Orientali sic dicta sumi debere, quemadmodum proculdubiò sumitur in cap. 4. eiusdem

dem libri, vbi dicitur: quòd *egressus Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden*. nam cum in vtroque Genes. capite adiungatur particula illa, *ad Orientem*, seu (quod idem est) *ad Orientalem plagam*, vtique datur intelligi, vocem illam Eden vtrobiq; in eadem significatione fuisse acceptam, vt clariùs LXX. Interpretes expresserunt. Nec propterea sequeretur absurdum, quod hinc deducit Cardinalis Bellarminus, nempe Caino datum fuisse pro exsilio Paradisum: quia responderi potest, vel regionem illam fuisse adeò longè lateque extensam, vt in ea procul admodum à Paradiso exsulare potuerit Cainus: vel Cainum non propriè in Eden exsulasse, sed (vt magis apertè tradit textus LXX. Interpretum) in Neel, contra Eden, id est in alia regione, quæ posita erat contra Eden.

22. Vtrùm verò regio illa, quia erat valdè deliciosa, idcircò denominata sit Eden, quod delicias seu voluptatem significat: an è conuerso, ideò vox Eden posteà cœperit pro voluptate & delicijs vsurpari, quoniam olim fuerit nomen loci deliciosi ac voluptuosi; quemadmodum aliqui credunt, vocem Iubilationis ideò iucunditatem denotare, propterea quòd deducta sit à Iubal filio Lamech, qui fuit vir iubilosus & iucundus; *pater* scilicet *canentium cithara & organo*, vt legimus Genes. cap. 4. vers. 21. Respondere possumus, hanc dubitationem eamdem ferè esse cum illa, qua quæritur, Vtrùm nomina seu vocabula priùs suas habuerint significationes proprias, impositaque sint rebus, prout ipsarum naturis congruere aptiùs videbantur, quod Platonicis placuisse creditur: an è contrario, nomina ipsa seu vocabula indifferenter & ad placitum olim imposita rebus fuerint, vt sensisse videntur Peripatetici, & verisimile est accidisse in diuisione linguarum: posteà verò à rerum naturis suas acceperint significationes atque etymologias. Sed quidquid sit de hac quæstione, quam hîc pleniùs discutere, ad rem non pertinet; dicimus iuxta Sacram historiam, in exordiò mundi nomina primò fuisse imposita rebus ab Adamo, qui cùm pro sapientia ei diuinitùs tradita rerum naturas vocumque significationes optimè dignosceret, conuenientia singulis rebus nomina accommodauit, vt innuitur Genes. cap. 2. vers. 19. vbi dicitur, quòd idcircò Deus adduxit animalia ad Adamum, vt videret quid vocaret ea: id est, vt consideraret quęnam singulis nomina magis congruentia imponeret. & statim subditur: *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* & paulò pòst, videlicet vers. 23. legimus, quòd Adam vocauit nomen vxoris suæ Virago, quia, inquit, de viro sumpta est. Igitur vt ad rem redeamus, respondere possumus quęsito, dicentes, credibilius esse, Adamum ideò appellasse locum illum Eden, quod delicias significabat, quia iudicauit nullum aliud nomen magis conuenire ipsi loco, quem videbat supra modum esse deliciosum. Et hæc obiter dicta sint.

DE NOMINUM IMPOSITIONE.

23. Si quis autem adhuc curiosiùs percunctetur, vbinam fuerit dicta regio Eden; dicimus, probabiliter credi posse, eam fuisse vbi nunc est Mesopotamia, aut non longè ab illis partibus; illę etenim regiones propriè in Scriptura sacra Orientales appellantur; & sunt primæ, quæ à priscis illis hominibus habitari cœperunt, vt optime probat Pererius loco inferiùs citando; & præterea Ezechiel loco superiùs adducto, inter negotiatores Tyri iungit habitatores Eden cum habitatoribus Charam, seu Haran, quam esse in Mesopotamia constat Genes. cap. 28. vers. 5. & 10. item Isaias vbi suprà, inter gentes ac regiones à Regibus Assyriorum domitas, connumerat Eden & Haran, innuens non valdè eas ab inuicem distare. Neque verò huic opinioni officit, quòd ibi nullus ex quatuor Paradisi fluminibus oriri comperiatur: neque etiam quòd illę regiones non adeò sint temperatæ, sicuti dicitur fuisse regio Paradisi, in qua homines nudi sine vllo nocumento morabantur, vt patet Genes. cap. 3. vers. 7. Ad Primum enim dupliciter responderi potest. Nam iis qui putant, per Phison & Gehon debere intelligi Gangem & Nilum; respondere possumus, capita alueosque prædictorum fluminum Diluuij tempore fuisse immutatos, vt suprà tactum est, & mox num. 28. pleniùs explicabitur: iis autem, qui Phison & Gehon diuersa à prædictis flumina esse existimant, satisfieri poterit, si dixerimus, esse satis credibile, quòd temporibus Moysi Euphrates & Tigris multò superiùs quàm nunc, id est longè supra Chaldæam, in ipsa tamen regione Eden, quam valdè amplam fuisse diximus, iungerentur; ac simul per eumdem alueum, ad locum vbi plantatus fuerat Paradisus, defluentes, vnicum efficerent fluuium, qui deinde in quatuor diuideretur: quorum duo priora, quæ ab Occidentali parte fluebant, Phison & Gehon appellarentur; reliqua verò duo, quæ per plagas magis Orientales pertransibant, propria Tigris & Euphratis nomina retinuerint: paulatim autem succedentibus temporibus, & eiusdem fluuij inundationibus, ceteris

VBI FVERIT REGIO EDEN.

ceteris ostiis limo arenáve occlusis, nunc tandem per vnicum alueum quattuor illa flumina in sinum Persicum deuoluantur; vt suprà probatum est ita hodie reperiri: quod nemo mirari debet, cùm sæpissimè videamus alibi quoque maximas fieri huiuscemodi fluminum mutationes. Ad Secundum, de illa aëris temperie, quam ponunt Doctores in Paradiso terrestri; scilicet quòd ibi esset ver perpetuum, nulla frigora, nulli æstus, nullæ pluuiæ, neque nubes, neque niues grandinesve, aut aliud quid huiusmodi: hæc, inquam, loci illius amœnitas, vel comparatiuè ad alias mundi partes accipienda est, ita vt reliquis omnibus Paradisi regio temperatior fuerit; quod etiam de ipsa Mesopotamia & regionibus ei proximis dici posse videtur: vel si omnimodam perfectissimamque aëris temperiem in Paradiso mansisse velimus, necesse est dicere, eam non omnino naturaliter, sed præter ordinarium naturæ cursum tunc temporis, Deo sic disponente, accidisse; naturaliter namque nulla est orbis pars, in qua non fit aliquando aliquis vel modicus caloris aut frigoris, humiditatisve aut siccitatis excessus: potuit tamen Deus ex speciali quadam sua prouidentia & priuilegio, per secundas causas, præsertim verò varia certis temporibus ventorum immissione, locum illum ab æstu & frigore, & item à pluuiis & ariditate omnino præseruare, atque hoc pacto temperatissimum atque amœnissimum reddere. Sicuti enim aliquando in media hieme accidit, flante austro, aërem tepescere; & media æstate, flante aura frigidiore, æstum temperari: eodem modo etiam in Paradiso terrestri potuit ex diuina dispensatione amœnitas perpetua produci & conseruari, donec tandem Deo placuit locum illum Diluuio penitus abolere. Quòd autem modo iam exposito aëris temperies in Paradiso terrestri produceretur, colligi etiam posse videtur ex illis verbis quæ habentur Genes. cap. 3. vers. 8. *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*, &c. Quid est enim dicere, *ad auram post meridiem?* nisi quoquomodò insinuare, quòd Deus illam diei partem, quæ naturaliter calidior esse solet, aura suaui ad temperiem reduci curabat. Facilè igitur ex his solui poterunt Cardinalis Bellarmini argumenta, quibus probare nititur, fieri non posse vt Paradisus fuerit in Mesopotamia, aut non longè ab ea, quia regiones illæ non sunt omnino temperatę, & Diluuium non potuit aërem loci vbi fuerat Paradisus immutare, & quia ibi non oriuntur quattuor flumina Paradisi.

AN ADHVC EXSTET PARADISVS TERRESTRIS.

24. Erat septimum quæsitum, An adhuc exstet iste Paradisus; quod quidem est valdè dubium; sunt enim de hac re duæ prorsus inter se contrariæ opiniones: altera quæ asserit exstare, sed vbi sit, nesciri; altera quæ putat ipsum fuisse in Mesopotamia, sed ab aquis Diluuij esse subuersum. Vtraque harum opinionum necesse est vt supponat aliquod miraculum. Nam si cum reliqua terra Diluuio obrutus fuit Paradisus, oportet quòd tunc Henoch (quem constat ante Diluuij tempora de communi hominum cœtu fuisse translatum, & adhuc etiam viuere) miro quodam modo fuerit alicubi præseruatus: si verò nunc quoque manet Paradisus, proculdubiò consequens est, ipsum mirabiliter ab Diluuij aquis fuisse protectum: repugnat enim aëris clementiæ & bonitati, quam sancti Patres in eo posuere, dicere, ipsum in altissimo quodam terræ loco situm, vbi naturaliter aquæ Diluuij pertingere non potuerunt. Nam quæ admodum altiora sunt loca, quò mediæ regioni aëris sunt viciniora, eò etiam sunt frigidiora, & humanæ habitationi magis incommoda.

25. Posteriorem sententiam, nimirum quòd Paradisus Diluuio interierit, quę fuit quorumdam recentiorum, nempe Augustini Eugubini, Hieronymi Oleastri in Genes. Francisci Vatabli in Annotationibus ad cap. 2. Genes. & Cornelij Iansenij in cap. 143. suæ Concordiæ Euangelicæ, latè admodum defendere & confirmare conatur Pererius lib. 3. suorum Commentariorum in Genes. vbi pluribus quæstiunibus multa de Paradiso terrestri disputat. contrà verò Cardinalis Bellarminus tomo 3. suarum Controuersiarum, in lib. de Gratia primi hominis, vbi pariter à cap. 10. inclusiuè, vsque ad finem libri, de eodem Paradiso plura differit, & præcipuè cap. 12. 13. & 14. hanc secundam nititur opinionem infringere, & sustinere priorem, quam dicit fuisse veterum Patrum, Irenæi, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, Bedæ, & aliorum, & præterea omnium ferè Scholasticorum, & (quod maius est) videtur quodammodò defendere, eam esse de Fide. Quod si verum esset, vtique oporteret eidem sine vlla mentis hæsitatione subscribere: sed quoniam id nullibi ab Ecclesia determinatum inuenimus, & manifestum est, pręcitatos Doctores, qui oppositum sentiunt, esse Catholicos, ipsorumque libros passim absque vlla hęresis suspicione admitti, tamquam à sacris Inquisitoribus subscriptos & approbatos: idcircò, supposito quòd hæc sit quæstio ad

vtramque partem disputabilis; dicimus, priorem quidem sententiam esse tutiorem, quia communiur est, & magis recepta; nihilominus alteram etiam valde probabilem videri, præsertim si rationes, quæ pro ipsa faciunt, accuratiùs perpendantur. Cùm autem hæc dubitatio adeò perplexa sit, vt nihil certi definiri posse videatur; satis esse duximus, potiora tantummodò quędam argumenta, quæ vtrimque afferri solent, hîc breuiter recensere, iudicium verò Lectori reseruare.

26. Itaque pro priori opinione argui pòtest primò sic: Diluuium missum fuit propter peccata hominum, vt clarè patet Genes. cap. 8. vers. 5. vsque ad 14. ergo non videtur debuisse destruere nisi terram habitationi hominum post lapsum destinatam; non autem Paradisum terrestrem, qui tantummodò pro hominibus in statu innocentiæ permanentibus à Deo fuerat præparatus; cuius rei signum est, quòd statim post peccatum inde eiecti sunt Adam & Heua, & posita est custodia, ne quis deinceps ex eorum progenie, tamquam peccato originali iam infecta, illuc ampliùs ingredi posset. Secundò communiter creditur, Henoch & Eliam in propriis corporibus degere, & in Paradiso terrestri commorari: legimus namque Ecclesiastici cap. 44. vers. 16. Henoch translatum esse in Paradisum; neque videtur ibi de alio Paradiso debere intelligi, quàm de illo de quo hîc loquimur; ergo sequitur, ipsum adhuc superesse. Tertiò, Scriptura sacra manifestè dicit, de Paradiso terrestri egredi quattuor flumina, videlicet Phison, Gehon, Tigrim, & Euphratem; de quibus non semel fit mentio in Sacris libris, tamquam de fluminibus, quæ etiam post Diluuium reperiantur; ergo videtur, etiam ipsum Paradisum, vnde illa exeunt, exstare. Nulla item ratio apparet, cur Diluuio Paradisus destrui debuerit; neque vspiam legimus ipsum interiisse; neque aduersatur Scripturæ sacræ, quòd aliqua pars terræ fuerit à Diluuio præseruata. nam licet Genes. cap. 7. vers. 19. dicatur, quòd *aqua præualuerunt nimis super terram, opertiq; sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo*; attamen in eodem capite vers. 21. & 22. legimus quoque vniuersos homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ erat, interiisse; & post pauca subiungitur: *Remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in Arca*, & tamen omnes admittunt, Henoch non fuisse in Arca, neque mortuum esse; vnde quemadmodum ab hac vniuersali propositione, Mortui sunt vniuersi homines, præter Noë, & qui eum eo erant in Arca, certum est, excipi debere ipsum Henoch, qui nec mortuus est, nec erat in Arca; quoniam proculdubiò interpretanda est Scriptura, tamquam si loquatur de his tantùm, qui in communi hominum conuersatione viuebant; non autem de Henoch, qui ad singulare quoddam vitæ genus, à ceteris mortalibus valdè diuersum, speciali Dei dono translatus fuerat: ita vbi Scriptura dicit, aquas operuisse omnem terram sub vniuerso cælo; intelligenda est illa terra, quæ data fuerat communiter hominibus post lapsum inhabitanda; non autem illa, in qua plantatus fuerat Paradisus, ab his tantummodò, qui statum innocentiæ retinuissent, incolendus.

QVOD PARADISVS TERRESTRIS ADHVC EXSTET.

27. Pro altera verò opinione ita possumus ratiocinari: Si Paradisus terrestris proprius erat locus hominum in statu innocentiæ permanentium; certè eo sublato, non videtur inconueniens arbitrari, quòd Deus simul cum reliqua terra ipsum quoque Paradisum Diluuio interire permiserit, cùm præsertim finis vsusque ipsius iam cessasset. Quin etiam ex eodem fundamento deduci potest, non esse admittendum, quod asserunt primæ opinionis defensores, nempe, Paradisum terrestrem conseruatum fuisse propter Henoch & Eliam, quos in eo vitam agere pro certo habent. scimus namque eos in peccato originali, sicut ceteros Adæ filios, esse conceptos; vnde videtur, locum illum eis conuenire minimè potuisse: si enim aliquis post Adæ peccatum ibi transferendus fuisset, conuenientius videbatur, Ieremiam aut Ioannem Baptistam in eo loco debuisse collocari, quos in matris vtero sanctificatos nouimus. Quid igitur? ergòne, quòd Henoch & Elias adhuc viuant, in dubium vocamus? nequaquam. Sed quòd sint in illo Paradiso, de quo eiectus est Adam, ex præmissis negari posse asserimus. Nam licet Ecclesiastici cap. 44. vers. 16. dicatur, Henoch translatum esse in Paradisum, vt habet lectio Vulgata, cui credimus; non tamen Scriptura explicat se loqui de hoc Paradiso; & scimus Paradisi vocem, non semel in Sacris libris vsurpari pro aliquo delicioso loco, seu horto fructiferis arboribus consito, vt patet Cant. cap. 4. vers. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* & Ecclesiastæ c. 2. vers. 5. vbi editio Latina habet, *Feci hortos, & pomaria*, Græca lectio & item Chaldaica Paraphrasis habent, *hortos & paradisos*, vt videre est in Bibliis Regiis: vnde nihil repugnat Scripturæ, si dicamus, ipsum Henoch non in hoc Paradiso de quo agimus, sed in alio delicioso loco, qui Paradisi nomine significatus sit, fuisse collocatum: aut si

QVOD PARADISVS TERRESTRIS INTERIERIT.

quis

quis mordicus in Adami Paradiso positum velit; dicemus, ipsum Diluuij tempore alibi fuisse translatum, & nunc eum Elia morari, donec ad disceptandum aduersus Antichristum ambos venire opus sit.

28. Quòd autem amplius non supersit memoratus Paradisus, illud etiam persuadere potest. Nam cùm in nulla orbis plaga à quoquam adhuc per tot sęcula non modò inueniri potuerit, sed neque ipsius aliquod vllum vestigium vel minimum vllo in loco apparuisse prodatur, profectò satis probabiliter credi posse videtur, ipsum non amplius superesse; sed aquis Diluuij, Deo permittente, fuisse abolitum. dicere enim quòd in loco prorsus inaccessibili positus sit, aduersatur Scripturæ dicenti, Deum collocasse *Cherubim ante Paradisum voluptatis, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Signum est ergo, quòd locus ille non erat per se inaccessibilis; alioqui ad quid illa custodiæ appositio? Ne igitur frustrà à Deo positam fuisse illam custodiam dicere compellamur; necesse est fateri, quòd ante Diluuium aliquos ab eius ingressu illa auerterit, redireque compulerit: quod si aliquando etiam post Diluuium contigisset, profectò sciri hoc indicio saltem posset, in quanam orbis parte situs esset iste Paradisus. Præterea ex descriptione fluminum Paradisi, quæ habetur Genes. cap. 2. siue sequamur communiorem sententiam dicentium, per Phison & Gehon debere intelligi Gangem & Nilum; siue aliam, quæ putat debere accipi duo alia flumina, ab Euphrate Tigrique olim deriuata; videtur posse deduci, non amplius superesse Paradisum ibidem descriptum. Nam prima sententia posita, sic argui potest: Moyses dicit, quòd fluuius, qui eumdem Paradisum irrigabat, diuidebatur in prædicta quattuor flumina: at nunc, si Geographorum tabulis ac libris credimus, certissimum est, eadem flumina non ab vno eodemque amne, vt ita dicam, ramificari; sed habere singula proprias origines seu fontes, eosque in oppositis fermè orbis terrarum partibus, atque inter se per infinita propemodum spatia distantes. Nilus namque in extremis ferè Australibus Africæ regionibus exoritur, ac deinceps longissimo cursu contra Aquilonem defluens, tandem in Mediterraneo mari demergitur: contrà verò Euphrates & Tigris, ab Aquilonari orbis plaga, hoc est, ab Armenia egredientes, ad Austrum per multas circuitiones properantes, postremò in mare Persicum exonerantur. Ganges autem remotissimè à prædictis, nempe in Orientalibus Indię prouinciis prodiens, easque longis itineribus alluens, demum in Indicum oceanum deuoluitur. Cùm igitur (supposito quòd Phison & Gehon sint Ganges & Nilus) certissimè tenendum sit, prædicta quattuor flumina ante Diluuium ab vno Paradisi fluuio originem habuisse, vt Sacra testatur historia: nunc autem perspicuè & quodammodò ad sensum pateat, rem longè aliter se habere; atque ad subterraneos occultosque meatus recurrere (quẽadmodum facere coguntur omnes prioris sententiæ sectatores) in tanta præsertim ac tam immensa locorum distantia, res sit adeò incerta & obscura, vt vix imaginari, nedum astrui posse videatur; quid aliud rationabilius cogitare aut proferre possumus, quàm Paradisum illum terrestrem, in sacra Scriptura descriptum, (Deo ita permittente) cum aliis terrarum partibus fuisse aquis Diluuij obrutum, & omnino euersum? Valdè etenim rationabile est credere, vastissimas illas aquarum inundationes hinc atque illinc per annum integrum tanta vi recurrentes, seu (vt dicitur Genes. cap. 8. vers. 3.) euntes & redeuntes, totam ferè ipsius terræ superficiem dimouisse; neque solùm ædificia cuncta penitus diruisse, arboresque eradicasse; sed etiam alicubi ingentes foueas excauasse, alicubi magnos terrarum aggeres congessisse, colles plurimos humili solo æquasse, valles repleuisse, veteres fontes obturasse, nouos aperuisse, fluminum alueos cursusque in diuersa commutasse, & vt vno verbo dixerim, vniuersam pęnè ipsius terræ faciem à priore valdè differentem reliquisse; ita vt minimum non sit, si præcipua illa quatuor Asiæ Africęque flumina, quæ priùs ab vno eodemque Paradisi fluuio initia sua mutuabantur, postmodum (quantum attinet ad eorum originem & cursum) adeò inter se disiuncta & variata fuerint, vt præter nomina, nullam cum prioribus similitudinem retinuisse videantur, & quodammodò potiùs alia à primis esse, dici possint.

29. Si verò concesserimus, vt alij sentiunt, per Phison & Gehon non Gangem & Nilum, sed alia flumina debere intelligi, quæ etiam tempore Moysis, ex Tigri atque Euphrate in vnum coëuntibus, tamquam rami ab vno fluuio deducerentur, eo modo quo in Genesi describuntur: etiam hoc supposito, potest eadem inferri conclusio, scilicet, non ampliùs exstare Paradisum. Nam cùm clarum sit, eas regiones, per quas hæc flumina pertransibant, communiter fuisse satis cognitas, atque à sublato Diluuio sem-

ſemper valde habitatas; proculdubiò, ſi poſt Diluuium Paradiſus remanſiſſet illæſus, facile fuiſſet illis gentibus ipſum adinuenire; & ſi in eo ingredi non potuiſſent, ob cuſtodiam ibi à Deo poſitam, ſaltem in quanam illarum regionum parte eſſet, exquirere, atque aliquo modo comperire, ſeu probabiliter coniectari valuiſſent. Cùm igitur è conuerſo conſtet, à nemine proditum eſſe, quòd vllo vnquam tempore poſt Diluuium Paradiſi locus, aut vllum ipſius veſtigium à quoquam reperiri potuerit; certè fit conſequens, ipſum Diluuio eſſe deletum. Et licet hac poſita ſententia conſequatur, non tantam terræ mutationem à Diluuij aquis in loco Paradiſi contigiſſe, quantam neceſſe eſt ſupponere factam eſſe, ſi admittamus Phiſon & Gehon fuiſſe illa flumina, quę hodie vocamus Gangem & Nilum: non tamen propterea ſequitur, maximas, quas retulimus, mutationes, in aliis terræ partibus minimè fuiſſe relictas: nam ratio ipſa dictat, neque aliter credi poſſe videtur, quàm quòd Diluuij inundationes, vt dictum eſt, pæne omnia ſubuerterint, quamuis non eodem modo vbique, ſed alicubi magis minúſve, prout in maximis fluminum incrementis fieri conſpicimus. Neque verò eſt quòd quis opponat, columbam ſtatim poſt Diluuium attuliſſe ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo; idque ſignum eſſe, quòd aquæ Diluuij non modò tantas in terris mutationes non reliquerint, ſed neque oleæ plantam eradicauerint; quoniam nemini mirum videri debet, quòd inter montium petras aliquæ olearum plantę reſeruatæ fuerint, quæ poſt quadragintaſeptem dies, à diſcoopertis montium cacuminibus, virentia folia ramoſque tenellos protulerint, è quibus vnum columba, debili licet roſtro, auellere, atque ad Arcam portare potuerit.

30. Sed iam ad id, quod octauo loco propoſitum fuerat, veniamus, nimirum ad arbores plantaſque in Paradiſo productas: & videamus, num omnes eſſent fructiferæ, ita vt de ipſarum fructibus veſci homines ceteræque animalia poſſent, quemadmodum colligit Beda in ſuo Hexaëmeron, ex illis Scripturæ verbis: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ.* & quæ ſequuntur. Ex his enim arguit citatus Auctor, quòd ante reatum hominis, nil noxium terra protulit, nullam herbam venenatam, nullam arborem ſterilem: *Cùm*, inquit, *manifeſtè dictum ſit, quòd omnis herba & vniuerſa ligna data ſint hominibus, ac volatilibus, terræ quoque animantibus cunctis, in eſcam.* His addere poſſumus, quod dictum eſt Adamo: *Ex omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* ergo ſignum eſt, quòd cunctæ Paradiſi arbores erant fructiferæ, ac fructus proferebant ad veſcendum aptos. Sed his non obſtantibus, quod attinet ad arbores plantaſque fructiferas (nam de venenatis ac noxiis, ſuprà num. 9. actum eſt) oppoſita ſententia veritatem habet. Siquidem non eſt credendum, multas arborum ſpecies, quæ tametſi fructum non ferunt ab hominibus comeſtibilem; ſunt tamen ſpecioſiſſimæ, & ad multa valdè vtiles; puta platanos, abietes, vlmos, & eiuſmodi alias, in exordio mundi defuiſſe; aut tunc quidem fuiſſe frugiferas, poſt lapſum verò hominis, fructus ad eſum accommodatos ferre deſiiſſe. Si enim peccatum bona ipſius hominis naturalia non abſtulit, quanto minùs arborum & plantarum? Præterea ex Scripturæ ſacrę textu clarè habemus, Deum produxiſſe in Paradiſo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; quę profectò verba, ratio dictat, in ſenſu diſiuncto potiùs quàm coniuncto eſſe accipienda; cùm præſertim conſtet, aliquot eſſe plantarum ſeu lignorum genera, nequaquam pulchra viſu, quæ tamen fructus proferunt valdè ſuaues, vt ſunt vitis, pepones, & ſimilia; quę in Paradiſo defuiſſe, nullatenus credendum eſt. Igitur ex lignis Paradiſi alia erant ſuaues admodum fructus producentia, alia verò ſine fructibus quidem cibariis, ſed nihilominus viſu pulcherrima. Quod etiam comprobari poteſt Ezechielis auctoritate, qui Prophetiæ ſuę cap. 31. verſ. 8. teſtatur, in Paradiſo extitiſſe cedros, platanos, & abietes; quas conſtat non ferre fructus ad eſum humanum aptos. Igitur illud, *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuerſa ligna, vt ſint vobis in eſcam.* & illud pariter: *Ex omni ligno Paradiſi comede.* proculdubiò accipienda ſunt non de omni herba & ligno abſolutè, ſed de omni planta ferente fructus comeſtibiles.

AN PARADISI PLANTAE OMNES ESSENT FRVCTIFERAE.

31. Iam verò quod attinet ad prædictas duas arbores in medio Paradiſi collocatas, ſi quæratur, cuius nam ſpeciei fuerint; reſponderi poteſt; quòd ſi arbor vitæ non ab extrinſeco & ſupernaturali quodam Dei munere (vt quidam ſenſerunt) habebat illam vim præſeruandi hominem ab interitu, ſed id ex vi propriæ naturæ eidem diuinitus inditæ præſtare poterat, vt aliis magis placet, & multo probabilius videtur; præſertim cùm certum ſit, hominem etiam poſt lapſum, eiuſdem ligni beneficio à morte præſer-

ARBORES VITAE ET SCIENTIAE BONI ET MALI CVIVS SPECIEI ESSENT.

uari potuisse, nisi adhibita Paradiso custodia prohibitus fuisset sumere deinceps de ligno vitæ: si, inquam, arbor ista naturaliter operabatur in producenda & consetuanda hominis vita; profectò consequitur, quòd fuerit specie à cunctis alus arboribus à Deo creatis longè diuersa. siquidem nulla alia arbor talem valet effectum producere. Cùm igitur eius operatio esset singularis, & ab omnibus aliis ceterarum arborum virtute differret; oportet quòd etiam natura eius & species esset eiusmodi: contrà verò, arbor scientiæ boni & mali non videtur fuisse diuersa ab aliis, sed vna ex ipsis, quandoquidem Adami interitus, qui ex illius esu consecutus est, non fuit effectus naturalis dictæ arboris, seu fructus eius, qui in se noxij nihil habebat; sed inobedientiæ. Non enim homini illa arbor fuerat interdicta, quòd mala esset, sed quia prohibita; prohibita, inquam, non propter aliud, quàm ad commendandum puræ ac simplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus est rationalis creaturæ sub creatore Domino constitutæ, vt optime tradit S. Augustinus lib. 13. de Ciuit. cap. 20. Quare superuacaneum est quærere, An illa arbor fuerit Ficulnea, vel Malus Citria (quam Citromalam, & Malum Medicam plantariæ rei professores appellant, quòd è Media primùm deuecta fuerit) aut Aurantia, aut Limonia malus, aut alia; cùm sic potuerit esse Prunus, vel Pyrus, vel quid simile. Et propterea à nullo huiuscemodi arborum fructu abstinere tenemur, quoniam quodnam illud fuerit, ignoramus; & constat vanam ac futilitatis plenam omnino illam esse coniecturam, ob quam imperitum vulgus, quæ ab Hetruscis Lomia dicuntur, poma Adami nuncupare maluit, quòd scilicet in eorum cortice satis inæquali, etiam fixuræ quædam appareant, perinde ac si dentibus demorsa essent. Valeat igitur etiam opinio illorum, qui leuiter admodum suspicantur, prohibitam arborem, non aliam fuisse nisi ficulneam, propterea quòd Adam & Heua, statim ac de fructu vetitæ arboris manducauerunt, de eiusdem potiùs quàm alterius plantæ foliis fecerunt sibi perizomata, quia nimirum illa eis tunc erat propinquior, & folia eius ad manus magis habebant: cùm è conuerso longè credibilius videatur, quod alij argumentantur, videlicet, nullo modo fuisse ficulneam; quoniam cognito suæ transgressionis reatu parentes nostri, si ex fici esu id accidisset, probabile est, ipsos non modò illius folia sumere, sed ne ipsam quidem ficulneam, præ nimia eius abominatione, denuò ampliùs aspicere sustinuisse. Creditur autem arbor scientiæ boni & mali hanc sortita appellationem ab euentu, vt communiter sacri putant Theologi. Nam sicuti pars illa deserti Pharan, dicta est Sepulchra concupiscentiæ, quia ibidem interfecti sepultique sunt, qui carnes concupierant, Numer. cap. 11. vers. 34. Et quemadmodum locus ille, in quo olim Abraham foderat puteum, seu fontem, dederatque pro eo Abimelech Domino terræ illius agnas septem, dictus posteà est Bersabee, id est fons septem, scilicet agnarum; seu fons vel puteus iuramenti, quia ibi vterque iurauerat, Genes. cap. 21. vers. 30. Ita aiunt, hanc arborem dictam esse scientiæ boni & mali, ab eo quod acciderat; quia scilicet per comestionem illius fructus vetiti, experimento didicerant parentes nostri, bonum quo priùs fruebantur, & multa mala quæ eis deinceps propter illam inobedientiam subsecuta sunt. Vel etiam sic dicta est ab eo quod venturum erat, quod præuidens Deus, sic arborem bis appellauit ante lapsum hominis; nimirum Genesis cap. 2. vers. 9. & 17. nisi fortè id per anticipationem à Moyse relatum est, vt quidam putant. Quamquam meliùs fortassis dici possit, vt alij existimant, quòd nomen hoc ea arbor accepit à deceptione, quæ Adamo & Heuæ facta est à serpente, quando dixit eis: *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum*. Cuius rei signum quoque est, quòd post hæc Dominus subsannauerit eos, ironicè dicens: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* non quia reuerà Adam & Heua, post esum ligni vetiti, non statim consecuti fuissent dolorosam illam experimentalemque scientiam boni & mali, quam habent, qui bono amisso, in mala prolapsi sunt; sed quia non illam suauem atque iucundam adepti fuerant, quam habent in cælo Beati, quamque falsò eis promiserat dolosus serpens, cùm dixit: *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.*

ARBOR SCIENTIAE BONI ET MALI VNDE SIC DICTA.

AN LIGNVM VITAE PERPETVO POSSET A MORTE HOMINEM PRAESERVARE.

32. Sed de ligno vitæ maius dubium est, vtrùm sic dictum sit, eò quòd habeeret facultatem præseruandi perpetuò à morte naturali hominem, vt nonnulli ex Patribus, videlicet S. Augustinus loco proximè citato, & cap. sequenti, & S. Ioan. Chrysostomus Homil. 18. in Genes. & alij: an tantummodò ad valde longum tempus, vt præcipui ex Scholasticis Doctoribus, nempe B. Thomas par. 1. q. 97. art. 4. & Scotus in 2. Sententiarum dist. 19. q. 1. & alij sensisse videntur. Certè, memoratorū Patrum sententia videtur Scripturæ sacræ magis consentanea. Nam constat Adamum fuisse eiectum de Paradiso, ne fortè mitteret manum suam, & sumeret etiam de ligno vitæ, & comederet, & viueret

viueret in æternum. sic enim legimus Genes. cap. 3. vers. 22. Præterea ad Rom. cap. 5. vers. 12. dicitur, quòd propter peccatum mors intrauit in mundum. & Sap. cap. 1. vers. 13. *Quoniam Deus mortem non fecit.* & post pauca: *Impij autem manibus & verbis accersierunt illam.* Ex quibus omnibus apparet, quòd si homo non peccasset, potuisset prædicti fructus esu viuere in æternum. Et ratio quoque adstipulatur. Nam si (vt sentiunt Physici) naturalis causa mortis est defectus humidi radicalis, qui dum calorem naturalem continuò alit, continuò etiam ab eo consumitur, sicuti oleum lucernæ, quo deficiente, lux ipsa quoque extinguitur: certè cùm illa eiusdem humidi radicalis reparatio, quæ quotidie fit per communis cibi sumptionem, non possit naturaliter ita fieri, vt id quod reparatur sit æqualis perfectionis cum eo quod consumptum est, quia virtus illa corporis, quæ habet vim alterandi cibum, & in sui nutrimentum conuertendi, semper aliquatenus, quemadmodum alia agentia naturalia, repatitur; & consequenter successiuè semper humidum radicale minus perfectum generat: propterea necesse est sensim hominem senescere, ac vitam eius debilitari, & tandem deficere, sicuti proculdubiò paulatim minueretur, ac tandem extingueretur lucerna, si loco olei puri iam consumpti iugiter reponeretur oleum semper minùs aptum ad alendum lumen. At verò si daretur talis naturæ cibus, qui sine vllo corporis labore, & sine vlla eius nutritiuæ virtutis alteratione posset in sui substantiam transmutari; vtiquè continua & æquiualens illa humidi radicalis reparatio possit calorem naturalem perpetuò fouere, & vitam semper producere. Talem ergo credimus fuisse illum arboris vitæ fructum, qui si à Deo naturalem habebat facultatem refouendi calorem naturalem, & restaurandi humidum radicale in ea perfectione, quæ reperiri solet in statu perfectæ virilitatis; consequens est, vt quotiescumque ex eo Adam manducasset, semper reflorescere eius caro potuisset; & sic viuere in æternum. neque impossibile videtur, quòd aliquando ex causa finita, consecutiuè, & quodammodò per accidens, sequatur effectus perpetuus; nam sicuti generatio hominis aut equi, quæ finitæ virtutis est, successiuè reiterata, speciem humanam aut equinam perpetuare potest; ita quoque successiua illa humidi caloris reparatio, poterat Adami vitam perpetuam reddere, eo ferè modo quo uos quotidie videmus in Ecclesiis lucernas perpetua olei consumpti repositione, perpetuò viuas accensasque seruari. Nihilominùs, quia credibilius est, Deum non posuisse Adamum in Paradiso terrestri, vt perpetuis temporibus ibi maneret; sed potiùs vt aliquando ipsum, sine obitu (id est, eo modo quo exoptare videbatur Apostolus 2. ad Cor. cap. 5. vers. 4. dicens: *Nolumus expoliari, sed superuestiri*) de terrestri ad cælestem Paradisum eum transferret, in quo ampliùs ad immortalitatem conseruandam non egeret edere de ligno vitæ. Ad conciliandas Doctorum, quos citauimus opiniones, dicere possumus, quòd illius arboris fructus vim habuit conseruandi hominem, donec Deo placeret ipsum ad Beatorum vitam in cælum transferre; ita tamen, vt si eidem Deo placuisset Adamum in Paradiso terrestri perpetuò degere, potuisset ibidem esu dictæ arboris, in æternum ab omni senio & naturali carnis defectu incolumis præseruari: talis enim erat naturalis eiusdem arboris facultas. Et si quæratur, Ad quid illa arbor, si, & quando ipse Adam ad cælestem Paradisum euolasset? Respondeo, eam Adami quoque filiis posteà idem præstare potuisse, donec singulos ad cælestia regna, sine obitu, transferre Domino placuisset; & deinceps aliis eorum descendentibus successiuè vsque in perpetuum. De hac arbore videtur mentio haberi in ea visione, quæ demonstrata est Ioanni Apocalyp. cap. vlt. vers. 2. vbi dicitur: *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Simile quid legimus in visione illa Ezechielis cap. 47. vers. 12. de quodam torrente, in cuius ripis, inquit, *orietur ex vtraque parte omne lignum pomiferum; non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius; per singulos menses afferet primitiua, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* Verùm hęc Scripturę loca non corporaliter, sed spiritualiter intelligenda sunt: nec ad Paradisi terrestris fluuium lignum, que quidquam attinent, sed ad statum Ecclesiæ triumphantis ac militantis præmonstrandum. Nam prior illa visio fluuij ac ligni vitæ proculdubiò significat torrentem voluptatis gloriæ æternæ, quo fruuntur in cælo Beati, vt communiter sentiunt Apocalyps. Expositores. Ille verò alius torrens, cum lignis pomiferis Ezechieli demonstratus, signabat doctrinam Euangelicam, quæ animos hominum spirituali cibo potuque abundè reficit in hac Ecclesia militanti, vt optimè exponit S. Hieronymus. Ceterùm de summa Paradisi terrestris temperie, amœnitate, fecunditate, ac deliciis, vide plura, si libet, apud S. Basilium Homilia vnica de Paradiso, S. Augustinum lib. 14. de Ciuit. cap. 10.

cap. 10. S. Ioannem Damascenum lib. 2. de Fide orthodoxa cap. 11. S. Isidorum Originum lib. 14. cap. 3. Rupertum Abbatem lib. 1. in Genes. cap. 37. Extant etiam de mirabilibus eiusdem Paradisi commodis ac deliciis nobilia S. Alcimi Auiti carmina lib. 1. sui Poëmatis De initio mundi, quod habetur Bibliothecæ Patrum Tomo 7. & item alia ibidem non minus præclara Claudij Marij Victoris lib. 1. Commentariorum suorum in Genes. metricè conscriptorum. Quæ quidem omnia hic referre superfluum duximus, quòd in confesso sit apud omnes, & communiter pro indubitato axiomate supponatur, locum illum fuisse amœnissimum ac deliciosissimum, quemadmodum etiam planè indicat ipsa eius appellatio. Siquidem Paradisus nomen est voluptatis. significat enim hortum ad omnem recreationem ac iucunditatem homini adferendam accommodatissimum. vnde non immeritò S. Ioannes Damascenus vbi suprà appellat ipsum lætitiæ ac voluptatis omnis promptuarium.

MVNDI DIES QVARTVS.

I. & DE SOLIS, LVNAE, AC STELLARVM CREATIONE.

QVARTO die, vel quarta Sabbati, seu Feria, nimirum Die Mercurij communiter appellata, vt quæ ad exornandos cælos spectabant, perficeret Conditor orbis Deus, solis splendorem (quemadmodum tradit Catechismus Romanus super 1. Symboli articulo) lunæque & ceterorum siderum ornatum addidit, atque vt essent in signa, & tempora, & dies, & annos, ita cælorum orbes certo & constanti cursu temperauit, vt nihil perpetua eorum conuersione mobilius, nihil mobilitate illa certius videri possit. Sic ille. Igitur hoc die Deus lucem in globo lucido, quem solem informem diximus, collectam, distinxit; atque in cuncta luminaria cæli mirabiliter dispertiuit, videlicet in Solem, Lunam, & Stellas, singulis septem Planetis, singulos cælos propriosque motus attribuens. Stellas autem, quas ad differentiam Planetarum fixas vocant, in octaua posuit sphæra. Itaque hoc die reuerà & propriè Sol factus esse dicitur; quamuis non omnino quoad ipsius substantiam, quæ pariter cum cælo, seu cum prima lucis creatione, facta esse creditur; sed quia hodie, ex memorata impurioris lucis distributione inter astra (si tamen illa propriam habent lucem) remansit ipsum solare corpus veluti defæcatum, & vsquequaque absolutum atque perfectum, vel si nullam in se lucem habent sidera, præter eam quam iugiter à sole accipiunt, vt communiter sensisse videntur Astrologi; aucto diuinitus hodie lucis priùs creatæ, seu lucidi illius globi splendore, tanto Sol purior ac lucidior, quàm in primo triduo esset, redditus fuerit, vt non immeritò propriam, quam vsque nunc retinet formam, hoc demum die quarto, & non priùs accepisse credatur. In quo autem anni mense, seu Zodiaci signo, sol creatus fuerit, infra sub die mundi 6. num. 37. vsque ad 42. inclusiuè disputabimus, vbi agemus de tempore quo conditus est orbis. De multitudine verò ac differentiis stellarum hic dicere, superuacaneum putamus, quoniam ad Astrologos pertinet. Sed tamen non omittendum videtur, quamobrem Deus hanc lucis partitionem in tot luminaria distribuerit, magna scilicet & parua; siue, cur præter solem etiam alia luminaria fecerit. Ad quod quidem benè aliqui respondent, Vt conuenientem ac magis proportionatum diuersorum animalium mox creandorum obtutibus splendorem temperaret. Sed meliùs, vt luminaria ipsa sic multiplicata ac ordinata, essent *in signa, & tempora, & dies, & annos*, quemadmodum exprimitur in littera: sol namque per motum diurnum, qui est primi mobilis, in circulos raptus, ortu suo & occasu dies noctesque distinguit. Altero autem motu, qui ei proprius est, per circulum Zodiaci, annum terminat, eumdemque duobus Solstitiis, & totidem Æquinoctiis, in quattuor partes seu tempora secat; videlicet Ver, Æstatem, Autumnum, & Hiemem, varietatesque dierum ac noctium efficit. Nam primi tres mundi dies, omnes inter se æquales fuisse creduntur, quoniam globus ille luminosus nullo alio motu quàm diurno, seu primi mobilis, ferebatur. Luna autem cursu suo proprio, menses secernit. Per stellarum verò dispositiones, signa quædam in Zodiaco & reliquis cæli partibus confinguntur, quorum figuris & motibus Astronomi, necnon & Nautæ, atque Agricolæ, in suis ad communem vtilitatem obseruationibus dirigi solent. Et prætereà, cùm astra, vt aiunt Philosophi, luce motuque suo in hisce inferioribus agant; rectè ad tam varios multiplicesque effectus in hoc mundo inferiori producendos, fecit Deus in superiori tot tantasque lucis motuumque diuersitates. Quare, vt vno verbo dicam, quidquid Philosophi omnes atque Astronomi, ab orbe condito vsque in præsentem diem, per tot millia annorum spatia, tanto labore

labore ac studio in ipsis cælorum motibus, aspectibus ac effectibus obseruare atque adinuenire, necnon tantis voluminibus conscribere, posterisque mandare potuerunt, poteruntque vsque ad finem mundi; id omne, & multo plura, in hoc quarto mundi die, à summo illo rerum Opifice, vno verbo ac simplici voluntatis suæ ostensione peracta, optimeque dispofita atque in suis causis prætordinata fuisse, dubium non est.

2. Mira verò Dei dispensatione factum esse creditur, vt prædicta cæli luminaria, quæ tamquam secundæ causæ concurrere solent ad plantarum aliarumque rerum sublunarium generationem & conseruationem, & consequenter, ante ipsas creari debuisse videbantur; nihilominùs post ipsarum plantarum productionem condita fuerint. Hoc etenim argumento ostendere voluit Deus, se verè esse primarium omnium auctorem & conseruatorem, ac sine vllo secundarum causarum adminiculo, quandocumque ei complacet, omnia posse peragere & conseruare. Necnon etiam eadem actione quodammodò præpostera, præmonstrasse videtur summa illa Sapientia, quanta mox non modò Gentilium, sed etiam quorumdam Iudæorum (vt nos in Mundi primordiis num. 4. diximus, & sub anno mundi 1545. num. 64. & alibi dicemus) futura cæcitas foret, qui stellarum & lunæ, præsertim verò solis pulchritudine decepti, & quòd horum influxibus hæc inferiora gigni & conseruari, ac nonnumquam corrumpi viderent; illis tamquam diis honorem diuinum habituri essent: cùm tamen, si ordinem creationis rerum, vt par erat, attendere voluissent, proculdubiò intelligere potuissent, solem, ceteraque astra cæli, non esse deos, sed opera manuum Dei; neque à se ipsis splendorem omnem, quem emittunt, vimque influendi in hæc inferiora habuisse; sed à luce illa primitus creata, vel potiùs originaliter ab ipso omnium creatore Deo; qui quemadmodum potuit plantas sine sole ac reliquis astris producere ac vegetare, ita quoque sine ipsis potuisset reliqua omnia sublunaria generare & conseruare.

CVR CAELI LVMINARIA POST PLANTAS FVERINT CONDITA.

MVNDI DIES QVINTVS.

1. QVINTO mundi Die, seu quinta Sabbati, aut Feria, quæ & Dies Iouis dicitur, creauit Deus cuncta piscium, cetorum, conchyliorum, & in summa aquatilium genera; & item omnes auium, aliorumque volatilium species. quæ omnia primam ex aquis originem duxisse credimus, vt ex textu Vulgato Genes. paulò pòst citando, manifestum est; quem libentissimè hîc præsertim sequimur, quoniam præterquam quòd iste Textus est maioris in S. Ecclesia auctoritatis quàm alij, videtur etiam hoc loco conformior doctrinis præcipuorum sanctorum Patrum & Theologorum, qui idem sentiunt; videlicet quòd Deus non modò pisces, sed & aues quoque pariter ex aquis produxit, quemadmodum ex Hymno S. Ambrosij sancta canit Ecclesia, dicens: *Magna Deus potentia, qui ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim leuas in aëra, demersa lymphis imprimens, subuecta cælis irrigans, vt stirpe vna prodita, diuersa rapiant loca.* Verumtamen propter illa verba Genes. cap. 1. vers. 20. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, sub firmamento cæli.* & paulò pòst: *Omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suum.* non debemus inferre, ipsa aquatilia & volatilia producta fuisse ab aquis tamquam à causa efficiente; siquidem vera ipsorum efficiens causa fuit Deus, vt ibidem dicitur: *Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem,* &c. Sed dicuntur aquæ prædicta animalia produxisse, id est, præbuisse materiam ad eorum generationem. Nec propterea credere debemus, pisces & volatilia ex quattuor elementis nequaquam constare, sed tantummodò ex aqua, quandoquidem infrà Genes. cap. 2. vers. 19. dicuntur etiam ipsa volatilia ex humo fuisse formata. Et licet de reliquis duobus elementis, aëris scilicet & ignis, in animalium creatione Moyses nullam fecerit mentionem, fortassis quòd rudiori populo verba faceret, sciretque plerosque sphæram ignis ignorasse, aëremque tamquam vacuum existimasse: non inde tamen fit consequens, ignem quoque atque aërem, ad mistorum, præsertim perfectorum, qualia sunt pisces & aues, generationem minimè concurrisse: sed quando dicimus, pisces aues que ex aquis esse productas; debemus intelligere, à prædominio, non quidem absolutè, quoniam in cunctis ferè animalibus videtur terreum prædominari elementum, sed comparatiuè ad ea animalia terrestria, quæ postmodum sexto die procreata sunt: siquidem constat, pisces & aues respectu terrestrium animalium, humidioris esse temperamenti. quamuis illud

DE PISCIVM AVIVMQVE CREATIONE.

inter pisces & aues intersit, quòd humiditas, quæ excedit in piscibus, frigidior esse creditur & crassior, aquæque similior; quæ autem in volatilibus, aliquanto calidior & subtilior, nimirum nubilosi ac vaporosi aëris naturæ proximior. Quo fit, vt non immeritò naturalem quamdam habeant volatilia leuitatem, & propensionem eleuandi se in hac inferiori aëris regione, quæ valde humida & vaporosa est; supra ipsam autem, vbi aëris elementum purius distenditur, nequaquam valeant eleuari: signum profectò non leue, quòd in horum animalium temperamento non purioris aëris elementum prædominetur, sed humidioris, ac terræ proximi; quod quia quodammodò subtilioris aquæ naturam magis redolere videtur; ideò rectè dictum est, aues ex aquis esse productas; quæ aquæ prout in aliquot volatilium generibus magis aut minùs vaporosæ, subtilioresque, & calidæ sunt, efficiunt vt illa altiùs aut humiliùs (ceteris paribus) auolare conspiciantur.

INTER PISCES ET AVES DISCRIMINA.

2. Ceterùm, licet sit inter pisces & aues magna diuersitas, quandoquidem in vniuersum pisces longè admodum volucribus sunt fecundiores, & multiplicis generis, vt quodammodò innuit Scriptura in Psal. 103. vers. 25. dicens: *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.* nusquam verò (quod sciam) dicit aues esse innumerabiles. Item inter pisces sunt qui mole corporum valdè superant omnem terrestrium animalium magnitudinem; contrà verò, maxima auium longè minor est quàm sint quadrupedia etiam mediocria, vt in nostro hoc hemisphærio communiter cernimus. Nisi fortè verum est, quod ex Marco Paulo, viro, inquit, fide dignissimo, refert, grauis sanè auctor, Ioannes Mauburnus Bruxellensis, in suo Roseto exercitiorum spiritualium, tit. 33. qui est de regione creaturarum, cap. 4. nimirum reperiri auem, quæ dicitur Cusch, tantæ procentatis (agit enim ibi de magnitudine creaturarum) vt elephantem subleuet in aëra. Et insuper aliam, nomine Troæcoque, quæ facili volatu, balænas, cete, & naues onustas, in aëre ex vnguibus vescitur, more quo apud nos miluus murem dilaniat. Quamquam (dato quòd hæc historia vera sit) si Marcus Paulus à Mauburno citatus (quem nos non vidimus) dictarum auium magnitudinis nihil aliud expressiùs meminit, certè nobis non videtur satis firmum dicti Mauburni argumentum, quo ex tantæ fortitudinis actionibus, tantam arguit earumdem volucrum magnitudinem: quandoquidem & de quodam pisciculo semipedali, quem Latini ab effectu Remoram, Græci Echeneidem vocant, legimus apud Plinium lib. 32. cap. 1. quòd tanta vi pollet, vt quinqueremem, aut aliud magnum eiusmodi nauigium plenis actum velis, clauo aut puppi adhærens, remorari ac retinere facilè queat. Cuius portenti ibidem clara Imperatorum, quibus id accidit, referuntur exempla. Vnde non irrationabiliter idem quoque de dictis auibus suspicari posse videtur; eas scilicet, quamuis pluribus sint terrestribus aquatilibusque animalibus corpore minores, viribus tamen esse multo fortiores. Ad quod suspicandum, illud etiam me mouet, quòd Henricus Hassia, ab eodem Roseti Auctore vbi suprà citatus, super Bibliorum initio asserat, animalia aquæ in tribus excedere animantia terræ & aëris; scilicet quantitate, numero, &, vt ipse loquitur, monstruositate; & causas assignat. Sed, vt ad rem redeamus, illud item inter pisces & animantia terrestria differt; quòd pisces, & quæ in aquis iugiter degunt, aut pedibus cruribusque omnino carent, aut ea adeò breuia, lacertarum more habent, quemadmodum & crocodili, vt his corpora sustinere vix possint: ideoque rectè quæcumque viuunt in aquis, inter reptilia connumerari solent. At verò volatilia fere omnia, satis longa & firma habent crura, quibus corpora conuenienter eleuata fulciuntur, & ferunt. Denique pisces vt plurimùm dentibus donati sunt, ex volucribus verò paucæ. E conuerso autem, inter pisces auesque plurimæ etiam reperiuntur similitudines, si naturalem, in quo degunt, locum, & corporum qualitates, ipsorumque morus inuicem conferantur. Etenim vtraque eorum habitatio, aër scilicet & aqua, sunt diaphana, vbique peruia, de facili penetrabilia, agitabilia, & humida. Siquidem inferior hæc aëris pars, in qua volitant aues, humore quodam aqueo ferè semper imbuta manet, & interdum etiam sensibiliter madida est, & in aquam facilè transmutabilis. Magna item leuitas atque agilitas tam in auium quàm in piscium corporibus cernitur; & horum pinnæ ac squamæ, illarum alas ac pennas admodum imitari videntur; & æquè aues ac pisces auribus extrà prominentibus, necnon mamillis quoque & vesica, ne ipsorum fortè agilitatem retardare possent, & aliis item de causis, carere dicuntur. Et multa auium genera quoquomodò, non secùs ac pisces, circa aquas versari, & inde sibi victum expiscari maximè delectantur. Postremò, qualiter in aquis natant pisces, cauda veluti nautico guberna-

IN QVIBVS CONVENIANT PISCES ET AVES.

culo

culo cursum suum moderantes ac dirigentes, non absimili ferè modo in aëre volitant aues. Quibus fortè naturalibus quotidianisque exemplis homo erudiri à Deo potuit, in actionibus quoque humanis, finem, qui caudæ quodammodò respondere videtur, esse illum, qui nostras in ipsummet dirigit operationes. Non immeritò igitur, ob memoratas etiam piscium auiumque similitudines, creduntur eadem pariter die, & ex eadem fermè materia, creatæ volucres & pisces.

§ 3. Libet hic attexere quæ de ipsis piscibus & volucribus disertè memorat B. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. de Theologia, vt ex his paucis liceat de reliquis philosophari, & coniicere quanta sint & quàm mirabilia opera Dei, quæ hoc mundi die in aquis aëreque sunt facta. DE PISCIBUS ET AVIBUS EX NAZIANZENO. *Age mihi*, inquit, *piscium quoque naturam considero per aquas labentium, ac per humidam naturam, vt ita dicam, volantium, ac proprium quidem aërem trahentium, in nostro autem periclitantium, quemadmodum nos quoque in aquis solemus: mores etiam eorum, & affectus, & coitus, & generationes, & magnitudines, & pulchritudines, certas item mansiones & aberrationes, conuentus ac secessiones, & proprietates, terrestribus animantibus penè consimiles; nonnullorum consortio, & contrarias tam in formis quàm in nominibus proprietates. Ad hac greges auium tecum reputo, quamq́; varia & multiplici figura sint, variisq́; coloribus: qui fiat, vt alia muta sint, alia canora, quaq́; horum suauissimi cantus sit ratio, & à quo hanc facultatem acceperint. Quis lyram cicadis in pectore dedit? & cantus illos atque garritus, quos, cùm meridiano solis æstu ad musicam incitantur, in arborum ramis fundunt, ac nemora cantu implent, viatoremq́; garritu suo prosequuntur? Quis cantum cygno contexit, cùm pennis in auram expansis, modulatum sibilum edit? Mitto enim illas vi expressas voces, & quidquid artes aduersus veritatem ingeniosè comminiscuntur. Quid causa est, cur arrogans ille, & Medicus (hoc est ex Medio deuectus) pauo, elegantiam gloriamq́; adeò affectet, vt quoties aliquem propiùs accedentem viderit, aut etiam feminis, vt aiunt, sese ostentare voluerit (nec enim pulchritudinis suæ ignarus est) protinus elata ceruice, pennisq́; in orbem concinnatis, atque oculis illis aureo quodam gemmantiq́; fulgore in acernum contractis, corporis sui elegantiam amasiis suis cum fastuoso incessu, velut in theatro spectandam proponat?* & post pauca subiungit: *Tu verò mihi naturalem quoque animantium rationis expertium solertiam suspice, rationeḿque declara. Quomodo volucres in petris, & arboribus, ac tectis, non minùs elegantes quàm tutos, & alendis pullis accommodatos nidos elaborant? Vnde apibus & araneis tantus laboris & industria amor; vt & illæ fauos construant, & sexangularum fistularum, sibique ex aduerso respondentium adiumento contineant, vtq́; ipsis firmitatem comparent, per intermedium septum, angulares rectis alternatim innectant, idq́; in tam caliginosis aluearibus, obscurisque figmentis: & hæ rursus per vsque adeò tenuia & subtilia stamina multipliciter intensa, sinuosas telas contexant, (& quidem ex tam exiguis principiis, vt vix vllo oculorum acie possint perspici) eásque simul & pro domicilio habeant, & pro imbecilliorum animalium venatione, ad famem depellendam? Quis Euclides hoc artificium imitando expresserit, de lineis pertractans nusquam extantibus, atque in demonstrationibus anxio labore desudans? Quis Palamedes? (qui etiam instruendi exercitus artem motúsque adeò & figuras, nullis aliis præceptoribus vsus quàm gruibus, didicisse fertur, cùm videlicet eas ordine ac multiplici volatus genere moueri perspexisset.) Quinam Phidiæ, & Zeuxides, ac Polygnoti, Parrhasij etiam, Aglaophontes, qui incredibili quadam elegantium formorum pingendarum sculpendarúmque peritia claruerunt? Quis Gnosius Dædali chorus (concinnam illam Nympham intelligo) ad omnem artis elegantiam confectus & expolitus? Quis Cretensis labyrinthus difficiles exitus & anfractus habens, identidemq́; in sese artis imposturis incurrens?* hucusque Nazianzenus. Innumeræ aliæ admirabilesque paucis his animalium hac die creatorum dotibus ac proprietatibus ab eodem Auctore recensitis, adiici possent ex aliis Scriptoribus petitæ, si tempus otiumque suppeteret; sed neque id breuitas ab initio proposita pateretur.

MVNDI DIES SEXTVS.

1. SEXTO Mundi die, quem Hebræi sextam Sabbati, nos verò sextam Feriam, & Diem Veneris appellamus, creauit Deus animalia terrestria, iumenta scilicet, & reptilia, & bestias terræ, Genes. cap. 1. vers. 24. Ad hæc enim tria capita reduci posse videntur vniuersa animantia irrationabilia, quæ potissimùm degunt in terra. nam quæ nec pedes habent, nec crura, saltem longiora ac solidiora, quibus totum corpus à terra eleuatum, firmiter sustinere ac ferre valeant, rectè reptilium vocabulo complecti videntur: reliqua verò, DE TERRESTRIVM ANIMALIVM CREATIONE.

ſi ſunt naturaliter domeſtica, & diſciplinabilia, vſibuſque humanis plurimùm inſeruientia, iumentorum nomine deſignantur: quæ autem talia non ſunt, communiter inter beſtias terræ computari poſſunt. At verò animalia, quę ex putri materia, & item quę ex diuerſarum ſpecierum commiſtione generantur; ſiue ea ſint aquatica, ſiue volatilia, ſiue terreſtria; ſaltem in ſuis cauſis, eodemmet die, quo alia eiuſdem generis, creata eſſe, nemo dubitare debet. Nam ſicuti omnia cuiuſuis ſpeciei indiuidua quodammodò dici poſſunt in exordio mundi fuiſſe creata, quia in primis cuiuſque ſpeciei indiuiduis, vt aiunt, cauſaliter & effectiuè continebantur, ita etiam animalia, quæ ex diuerſarum ſpecierum coitu gignuntur, potentialiter, vt dicitur, contineri videntur in illis ſpeciebus, vnde generantur: & quæ ex putri materia fiunt, virtualiter erant in ſuis cauſis ab exordio mundi creatis. Sed quid dicemus de his animalibus, quæ amphibia dicuntur, quòd in terris pariter & in aquis vitam ducant, quanam die producta fuerint? Ad hoc breuiter probabiliterque dici poteſt, rationabile videri, quæ magis in aqua verſari ſolent, die quinto; quæ verò diutiùs in terra, die ſexto fuiſſe facta.

QVAE EX PVTRI MATERIA NASCVNTVR. QVAE EX DIVERSIS SPECIEBVS GENERANTVR. QVAE DICVNTVR AMPHIBIA.

2. Verùm quia ſuprà diximus, Deum feciſſe animalia quædam aquatica, quædam volatilia quæ per aëra feruntur, & quædam item terreſtria; ſuſpicari meritò quiſpiam poterit, num aliqua etiam, vt ita dixerim, ignea animantia Deus aliquando creauerit. Ad hoc reſpondere poſſumus, in igne quidem elementari, hoc eſt in ipſa ignis ſphæra, num aliqua ſint viuantve animalia, ſciri nullo modo poſſe. De igne autem iſto inferiori, qui apud nos eſt, refert Ariſtoteles lib. 5. de Hiſtoria animalium cap. 19. quòd *in Cypro inſula, arariis fornacibus, vbi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiola in medio igne naſcuntur pennata, paulò muſcis grandioribus maiores, quæ per ignem ſaliunt atque ambulant, & ab igne dimota, emoriuntur.* vbi idem Auctor ſubiungit: *Nonnulla corpora eſſe animalium, quæ igne non abſumantur, ſalamandra claro argumento eſt: quæ, vt aiunt, per ignem inambulans, eum extinguit.* Sic ille. Sed quidquid ſit de præfatis beſtiolis, quæ à Græcis Pyrauſtæ vocari dicuntur; certè de ſalamandra, quamuis, vt fertur, aliquantiſper in igne illæſa morari poſſit, quòd ipſa frigidiſſimi ſit temperamenti; ſi tamen diutiùs ibi detineatur, ab igne tandem conſumi ſolere, probatiſſimorum Auctorum experientia teſtatum habemus. Vtrùm autem vllum aliud animalium genus reperiatur, quod ab igne lædi non valeat, ignoramus. Dicimus tamen, nobis id non impoſſibile videri: quandoquidem ipſi vidimus quoddam ligni genus ſatis leue, & aſpectu valdè combuſtibile, quod ex Ianuæ montibus delatum aiebant; cuius modica ſanè portio cultello ſecta, & in referto carbonum ardentium foco iniecta, ibidemque me præſente aliiſque multis inſpectantibus diu relicta, non modò non abſumi, ſed neque accendi vel minimùm lędi vnquam potuit. nam forcipe mox inde detracta, omnino vt priùs integra cernebatur. Scimus etiam Plinium lib. 19. cap. 1. ſcripſiſſe de quadam lini ſpecie, quæ ignibus iniecta non modò non abſumitur, ſed nec vllo modo læditur, ac propterea à Latinis Linum viuum dicitur, à Græcis verò Arbeſtinum. vbi & hoc addit, ſe vidiſſe ex eo mappas in focis conuiuiorum ardentibus poſitas, ac ſordibus exuſtis, ſplendeſcentes igni magis quàm poſſent aqua. vide, ſi libet, ibi de hoc lino alia plura. Quare ſi in ligno & lino, rebus alioquin natura ſua valdè combuſtibilibus id cernitur, quis neget idem in aliquo animali poſſe contingere?

AN SINT ALIQVA ANIMALIA IN IGNE DEGENTIA. LINVM VIVVM AB IGNE NIL LAEDI.

3. Ceterùm, quia hactenus de irrationabilium animalium creatione egimus; & de ſingulis eorumdem ſpeciebus diſſerere nimis longum eſſet, præſertim cùm de ipſis plurimi extent libri, tum ab Ariſtotele, tum ab aliis conſcripti; viſum eſt hîc pauca ponere, quæ in vniuerſum de ipſorum differentiis ac naturis per modum admirationis eleganter diſſerit B. Gregorius Nazianzenus, loco ſuperiùs num. 3. præcedentis diei citato, in hæc verba: *Viſne aliorum quoque animantium diſcrimina, quibus tum à nobis, tum inter ſe differunt, naturas etiam, & generationes, & educationes, & regiones, & mores, ac velut in Repub. vitæ functiones enumerem? Qui fit igitur vt alia ſocietate delectentur, alia ſolinaga ſint? Alia herbis, alia carnibus nutriantur? Alia iracunda ſint, alia manſueta? Alia cum hominibus verſari atque ali ſoleant, alia indomita atque libera ſint? Alia ad rationem & diſciplinam propiùs accedant, alia à ratione ac diſciplina prorſus auerſa ſint? Alia pluribus ſenſibus, alia paucioribus prædita ſint? Alia torpida, alia incedendi facultate, alia etiam ſumma pernicitate donata ſint? Alia magnitudine & pulchritudine, aut alterutro horum excellant, alia autem perexigua ſint, aut deformiſſima, aut etiam vtroque vitio laborent? Alia ſtrenua ſint, alia imbecilla? Alia iniuriam propulſent, alia ſuſpecta & inſidioſa ſint, alia incauta? Alia induſtria reique familiaris adminiſtrandæ laude floreant, alia prorſus inertia ſint & improuida? Quódque priùs dicendum erat? qui fit vt alia humi ſerpant, alia*

DE ANIMALIBVS TERRESTRIBVS IX NAZIANZENO.

corpore

corpare recto sint? Alia certa sede acquiescant, alia in vtroque elementa degant? Alia elegantia studiosa sint, alia ab omni arnatu abharreant? Alia coniugata sint, alia à caniugij vinculis libera? Alia pudica, alia libidinosa? Alia multùm fecunda, alia parum? Alia dinturnæ vita, alia breuis? Concidat atque abruatur aratia necesse est, si sigillatim omnia persequi tentet. Hæc Nazianzenus. Sed illud mirabile est, quòd inter tot tamque varias animalium species ac differentias, non minùs in paruis minutissimisque eorum corporibus, quàm in magnis ac proceris, elucet sapientia atque omnipotentia Dei. Vnde satis scitè beatus Hieronymus in epistola ad Heliodorum, quæ Epitaphium Nepotiani inscribitur, dicebat: *Creatarem non in cælo tantùm miramur & terra, sole & Oceano, elephantis, camelis, equis, bobus, pardis, vrsis, leonibus; sed & in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, & istiusmodi genere, quorum magis scimus carpara, quàm nomina, eamdemq; in cunctis veneramur salertiam.* Hæc S. Hieronymus: cui addimus, interdum magis admiranda videri quæ in animalibus paruis, quàm quæ in magnis conspiciuntur. Nam (vt benè ait S. Augustinus lib. 3. in Genes. ad litteram cap. 14.) *Creat Deus minima carpara adeò acuta sensu, vt maiore attentiane stupeamus agilitatem muscæ valantis, quàm magnitudinem iumenti gradientis, ampliúsque miremur apera farmicarum, quàm anera camelorum.* Sic ille. Quod quidem duobus patentissimis exemplis, nempe culicis & teredinis, declarat Plinius lib. 11. cap. 2. cuius verba, quia ad huius rei explicationem sunt admodum accommodara, hic ponere visum est: *In magnis*, inquit, *carporibus, aut certè maioribus, facilis officina sequaci materia fuit. In his tam paruis atque tam nullis, quæ ratia, quanta vis, quàm inextricabilis perfectia? vbi tat sensus callocauit in culice? & sunt alia dictu minora. Sed vbi visum in eo prætendit? vbi gustatum applicauit? vbi adoratum inseruit? vbi verò truculentam illam, vt portione maximam vocem ingenerauit? qua subtilitate pennas annexuit? pralangauit pedum crura? dispo suit ieiunam caueam vti aluum? auidam sanguinis, & potissimùm humani, sitim accendit? telum verò perfodiendo tergori quo spiculauit ingenia? atque vt incapaci, cùm cerni non possit exilitas, ita reciproca geminauit arte, vt fodiendo acuminatum pariter sorbendáque fistulasum esset. Quos teredini ad perfaranda robora, cum sono teste, dentes affixit? potissimúmque è ligno cibatum fecit? Sed turrigeras elephantorum miramur humeros, taurorúmque calla, & truces in sublime iactus; tigrium rapinas, leonum iubas, cùm rerum natura nusquam magis quàm in minimis tota sit.* Hucusque Plinius. Quòd si quæ dicta sunt de vi dentium teredinis rodendi ligna etiam valdè dura; & de vi atque artificio aculei culicum, quo pariter terebrare valent pellem, & sugere sanguinem hominum, mirabilia sunt; certè mirabiliora videri debent, quæ in animalibus adhuc multò minutioribus conspiciuntur, cuiusmodi sunt tineæ, quæ vim habent corrodendi pannos; & pulices ac pediculi, præsertim quos, quòd in pullis nascantur, pediculos pullinos Italicè vocamus, qui licet adeò exigui sint, vt vix oculis discerni possint; non tamen minùs molesti sunt gallinis, quàm pulices aliis animalibus, & pediculi maiores, hominibus. Itaque ex his omnibus, quæ à proximè citatis Auctoribus accepta, hîc inserere operæpretium duximus, discere licebit, primò videri Deum quodammodò in rebus magnis potentiam suam, in paruis verò sapientiam ostẽdere voluisse: & propterea quàm sapienter & quanta cum admiratione exclamauerit Regius Propheta in Psalm. 97. vers. 1. de Domino dicens: *Quia mirabilia fecit.* & in Psalm. 110. vers. 2. *Magna apera Domini, exquisita in omnes valuntates eius.* & in Psalm. 135. vers. 4. *Qui facit mirabilia magna salus.* & in Psalm. 138. vers. 14. *Mirabilia opera tua.* & alibi sæpè huiusmodi alia, quæ breuitatis causa prætereo. cui subscripsit Ecclesiasticus cap. 11. vers. 4. inquiens: *Mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & inuisa opera illius.* ac si dicere voluisset, ea à nemine capi posse. Deinde ex suprà relatis inferre possumus, quanta & quàm mira fecerit Deus, quando sola suæ voluntatis significatione, eadem animalia tam multiplicia, & adeò inter se varia ac diuersa creauit. Vt fortasse etiam tam sensibili exemplo demonstraret, se tamquam Dominum omnium, ad huius vniuersitatis harmoniam constituendam, creaturis suis dona sua diuersimodè distribuisse, ac disposuisse omnia in mensura, numero, & pondere, vt dicitur Sapientiæ cap. 11. vers. 21. plus minúsve diuidens singulis prout vult., Quod & posteà spiritualiter egit in hominibus. Siquidem ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 7. constat, quòd *vnusquisque praprium danum habet ex Dea, alius quidem sic, alius verò sic.* & cap. 12. vers. 4. & sequentibus, diuisiones gratiarum, ministrationum, & operationum sunt: quemadmodum ibidem idem Apostolus confirmat similitudine corporis humani, quòd cùm vnum sit, plura tamen & diuersa membra habet, non eumdem actum habentia, sed alia aliis infirmiora, ignobiliora,

perfe-

perfectiora, & plus vel minùs necessaria, & hoc idem ipsemet Dominus noster Iesus Christus docuit Matthæi cap. 25. vers. 13. in parabola talentorum, quæ, inquit, homo dedit seruis suis, vni quinque, alij duo, alij verò vnum. Sed hæc primis, vt dicitur, labris degustanda, hîc præbuisse sufficiat, vt protinus redire liceat vnde digressi sumus, nimirum ad animalium irrationabilium creationem. Circa quam vnum adhuc disquirendum restat, videlicet, An Deus ab initio vnum tantùm par, nempe masculum & feminam cuiuscumque speciei creauerit, sicuti in humana specie; an verò plura. Ad hoc dicimus, De homine quidem certissimum esse, quòd Deus à principio *fecit ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ*, vt hiscemet verbis traditur Actorum. cap. 17. vers. 26. & videtur hæc propositiò ex sacra Genesi esse desumpta, in qua legimus, Deum fecisse primò Adam, & deinde ex eius costa Heuam, ex quibus postea per naturalem generationem propagatum fuit genus humanum in vniuersa terra. De singulis verò irrationabilium generibus nihil tale in toto Sacro eloquio reperimus scriptum; sed tantummodò, quòd die quinto fecit Deus cuncta animalia quæ in aquis degunt iuxta species suas, & omne volatile secundùm genus suum: & die sexto bestias terræ, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo: nec vsquam exprimit singularem aliquam memoratorum animalium speciem, nisi cetorum (si tamen ceti omnes vnius sunt speciei.) sed vtcumque sit, etiam & de ipsis per verba pluralia loquitur, dicens: *Creauitq́; Deus cete grandia.* Quibus verbis benè potest insinuari, non duo tantùm, sed etiam plura tunc fuisse creata. vnde fit probabilius, Deum plura irrationabilium animalium paria in vnaquaque ipsorum specie mirabiliter produxisse, quæ deinceps naturali propagatione vbique admodum sunt multiplicata. Et quidem de animalibus in aqua degentibus non videtur aliter dici aut excogitari posse: quandoquidem, vt omittam quædam maria ab Oceano penitus seiuncta, videmus etiam multa flumina & lacus ab inuicem distinctos, & per longa terrarum spatia distantes, in quibus eædem piscium species plurimæ inueniuntur. Oportet ergo in singulis ferè lacubus & fluminibus vnum saltem par dictarum specierum immediatè à Deo fuisse productum. Siquidem ipsi pisces ab vno ad alterum lacum transire non potuerunt; neque omnes eiusmodi species ab hominibus de vno lacu marive aut fluuio ad alios credibile est fuisse translatas. Meritò igitur iussio illa diuina Genes. cap. 1. vers. 20. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis*, &c. non signanter ad has vel illas, sed vniuersaliter ad aquas facta est. vt scilicet in singulis iam memoratis aquarum receptaculis producerentur illæ animalium species, quas in ipsis naturaliter viuere conspicimus. Idem quoque sentiendum videtur de aliis animalibus, quæ in aëre terraque versantur. Nam sicuti credendum putamus, non vnam terræ regionem tantùm, sed multas in ipso mundi exordio plantarum multitudine ac varietate diuinitus fuisse repletas, quæ plantæ earumque fructus vniuersaliter pro animalium vsu & sustentatione creatæ fuerunt: proculdubiò etiam probabile est, in eisdem quoque regionibus plurima singulorum ferè generum animalia fuisse producta, quæ his vti vescive possent, ne aliquamdiu plantæ illæ frustrà ibi extitisse videantur. Huc accedit, quòd non est par ratio hominis & aliorum animantium. nam omnes homines ab vno propagari valdè consentaneum fuit; quia homo factus est vt esset princeps ac dominaretur omnibus animantibus: principatus verò iste videtur conuenientiùs ab vno quàm à pluribus debuisse auspicari. Præterea ab vno deduci debuit humanum genus, vt primus Adam figura esset secundi, quemadmodum Apostolus indicare voluisse videtur 1. ad Cor. cap. 15. vers. 45. dicens: *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* & item, vt secundus Adam ex opposito respondere posset primo, iuxta illud quod idem Apostolus loco citato vers. 21. dicebat: *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Plures eiusinodi alias contrapositiones inter Christum & Adamum non semel repetitas inuenies in Epistola ad Rom. cap. 5. vers. 15. vsque ad 20. De aliis verò animalibus nihil adduci posse videtur, quamobrem singulæ ipsorum species ab vno potiùs quàm à pluribus primò prodire debuerint. Quinimmò cùm omnia irrationabilia facta sint propter hominem, conuenientiùs videbatur plura de singulis speciebus (maximè eorum quæ vsui magis homini esse debebant) à principio fuisse creata, vt citiùs multiplicarentur, & his, vel saltem ipsorum pellibus homo vti posset ad indumenta tabernaculaq́; sibi conficienda: alioquin necesse fuisset vt saltem vna animalium species sine propagatione deperiret, quando pęnè in ipso mundi initio occisa sunt prima illa animalia, ex quorum pellibus factæ fuerunt primæ illæ tunicæ, quibus induti

ANIMALIVM IRRATIONABILIVM VNVM AN PLVRA PARIA A DEO CREATA.

induti sunt Adam & Heua paulò antequam de terrestri Paradiso eiicerentur. Quod sanè nullatenus admittendum est. Ceterùm, quamuis in ipsis mundi primordiis plura singularum specierum animalia irrationabilia, vt dictum est, à Deo facta esse credi possit: videtur tamen ad Adamum in Paradiso terrestri adducta fuisse tantummodò bina de singulis speciebus, masculum scilicet & feminam; quoniam ea sufficere poterant ad nomina singulis imponenda.

4. Eadem die sexta, post omnium animalium irrationabilium creationem, fecit Deus rationale animal, nimirum hominem, ad imaginem & similitudinem suam, Genes. cap. 1. vers. 26. & 27. vt præesset ceteris omnibus, iuxta illud Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris*, &c. formauit autem Dominus humanum corpus de limo terræ, vt dicitur Genes. cap. 2. vers. 7. *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*; id est creauit animam, eamque statim indidit corpori. *Et factus est homo in animam viuentem*; hoc est, & factus est homo animal viuens. Quærunt aliqui, Num corpus primi hominis ante animam factum fuerit, quemadmodum in aliorum hominum generatione priùs in vtero formatur embryo, quàm animetur. Sed si primus homo vno temporis momento creatus est, vtique cessat omnino ista quæstio; siquidem oportet vtrumque simul in eodem instanti fuisse productum, cùm vtraque, corpus scilicet & anima, sit essentialis pars hominis. Si autem in corporis plasmate mora aliqua intercessit, vt supponere videntur, qui huiusmodi quæsitum proponunt: dicimus, necessarium esse quòd in vltimo instanti plenè absoluti corporis creata quoque simul & infusa ei fuerit anima. Nam si primus homo in ætate perfecta, vt suo loco dicetur, conditus est, oportet omnia corporis organa ita fuisse absoluta, vt statim ac factus est homo, anima ipsius his vti posset in suis operationibus. quod non vsu venit in aliis generationibus, in quibus sensim & multo tempore formatur homo; & vt primùm aliqua dumtaxat concepti embryonis organa, nimirum vitalia, formata sunt; eidem anima illicò creata infunditur: ita vt licet tunc ille embryo sic animatus, homo sit; nihilominùs priùs actu vitâ dumtaxat plantæ viuat, mox animalis, ac demum hominis; prout deinceps harum potentiarum organa successiuè paulatim perficiuntur. Sed hîc & aliud quæri potest, nimirum, Cur Deus hominem, quem tanto ornatu decoraturus erat, ex substantia adeò abiecta composuit? Cur materia ex solis splendore sumpta hominem non condidit? sed ex terra, terræque puluere, elemento vtique infimo, omniumque pedibus conculcato illum effinxit? Ad hoc respondet Theodotus Ancyræ Episcopus, in Concilij Ephesini tom. seu lib. 6. c. 10. relatus, dicés: *Quandoquidem hominem sua imagine honoraturus erat, ipsum ex vili natura formauit, ne fortè honoris abundantia insolesceret; & si quando plusculum honoris ipsi deferretur, abiectæ natura sua memoria, à fastu compesceretur; simulque reminisceretur, si quem honoris gradum obtineret, eum non ob sua natura dignitatem sibi obtigisse, sed ob largitoris munificentiam. Pertinebat itaque & hoc quoque ad Creatoris benignitatem, vt natura, qua Dei imagine decoranda erat (vnde vtique magnam supercilij occasionem concipere poterat) formaretur è terra.* Sic Theodotus. Si quis autem insuper quærat, Cur Deus hominem ad imaginem suam facere voluerit; consulat S. Leonem Papam, qui Serm. 1. de Ieiunio decimi mensis, sic habet: *Si fideliter, dilectissimi, & sapienter creationis nostra intelligamus exordium, inueniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset Auctoris: & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, diuina benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos vtique reparat gratia Saluatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.*

DE HOMINIS CREATIONE.

CVR DEVS HOMINEM DE TERRA FORMAVERIT.

CVR AD IMAGINEM SVAM ILLVM CONDIDIT.

5. Sanè humanum corpus, licet ex quattuor elementis, & à prædominio, è terra factum sit, quemadmodum cetera terrestrium animalium corpora: attamen adeò in primis qualitatibus optimè temperatum, & in compactione membrorum benè dispositum & conformatum, atque in organorum omnium, cùm interiorum tum exteriorum multiplicitate ac varietate mirabiliter distinctum exornatumque fuit, vt longè admodum vniuersis ceterorum animalium corporibus, tum pulchritudine, tum ad plures variasque functiones aptitudine antecellat; nec iure quisquam queri possit, quòd inter omnia animantia solus homo nudus inermisque nascatur: quandoquidem, duobus singulariter sibi à Deo datis, ingenio nimirum & manibus, commodè potest omnia sibi indumenta, & munimenta, aliaque ad vitæ vsus excogitare atque conficere. Vide, si placet, de his plurima non minùs doctè quàm elegáter & ornatè tradita apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum. Quin etiam eisdé donis valet homo cuncta animalia, quantumuis naturaliter se fortiora, aut velociora, aut proceriora, superare, comprehen-

DE HVMANI CORPORIS PERFECTIONE.

prehendere, ac propriæ subiicere seruituti: vt hoc fit, quod eidem indulsit Deus, Genes. cap. 1. vers. 28. dicens: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*. Quod & deuotè recolit Regius Psaltes in Psal. 8. illis verbis: *Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris*. Neque verò humani corporis minuit excellentiam, quòd hominem contingat in quibusdam à brutis superari; puta quòd ipsum in acie luminum vincant aquilæ & lynces; in olfactu, canes ac vultures; in cursu, cerui, & similia; quoniam hæc ex quodam excessu primarum qualitatum naturaliter prouenire necesse est, qui si esset in homine, proculdubiò ipsum ad multa alia necessariò inhabilem redderet. Et nihilominùs constat, quòd tametsi quædam animalia rem sensibilem homine celeriùs, aut magis de longinquo percipere valeant; aut à vehementiori obiecto minùs lædantur, vt pulli aquilarum ab aspectu solis; longè tamen meliùs homo atque excellentiùs cunctas rei sensibilis differentias varietatesque, quàm qualibet animalia, dignoscere ac diiudicare poterit. Quare iure meritò Seneca lib. 2. ad Ebutium Liberalem, de Beneficiis cap. 29. & Lactantius lib. de Opificio Dei, contra quosdam acriùs inuehuntur, illorumque impudentiam damnant, qui prædicta non considerantes, de ipso Deo; seu de natura grauiter conqueruntur, quòd ceteris largior animalibus quàm homini fuisse, illisque abundantiùs prouidisse videatur: atque eosdem ingratos insanosque appellant, quòd diuina beneficia homini collata, non pro merito æstimauerint, nec datori Deo gratias egerint. Quòd si præfati Auctores iure illos asserunt esse culpandos, qui de humani corporis, quæ nunc cernitur, conditione perperàm conqueruntur; quid dicturi fuissent, si illam quam primis nostris parentibus Deus donauerat, sibi ante oculos posuissent? quæ nimirum, præter ceteras eximias eius dotes, etiam illam habebat incomparabilem, quòd tametsi naturaliter mori poterat, summo tamen Dei beneficio ad manum habebat vitæ lignum, cuius esu (vt sub die mundi 3. nu. 32. dictum est) vitam in optima sui status constitutione perpetuò conseruare valeret.

De hominis opificio.

¶ 6. Hic dicendum esset aliquid de mirabili hominis opificio, quod non minùs ac magni huius mundi fabrica, in stuporem induxit omnium pæne excellentium virorum ingenia, vt proptereà ipsum hominem, microcosmon, hoc est, paruum mundum, nuncupare non dubitauerint. Sed quia res est adeò multiplex & copiosa, vt paucis perstringi nullo modo posse videatur; & instituti nostri ratio non permittit nos in eiusmodi diutiùs immorari; satius visum est, prudentem Lectorem talia scire cupientem, ad Scriptores in hoc genere præstantiores remittere. Quorum alij magis quæ ad corpus variaque eius organa inæstimabili artificio fabricata, & super quam dici potest, exquisitè ad omnes vsus, actusque, & voluntates animæ ea regentis accommodata, pertinent; vt Galenus in libris de Vsu partium, & Anatomistæ omnes, ac præcipuè Andreas Vesalius ipsorum omnium facilè princeps. Alij verò magis quæ ad animam, eiusque potentias tum sensibiles tum rationales spectant; vt S. Gregorius Nyssenus in libro quem de Opificio hominis inscripsit; & B. Thom. parte prima, quæst. 90. vsque ad 103. fusiùs inuestigare conati sunt. Alij denique ad vtramque hominis substantiam pertinentia, breuiori compendio eruditè eleganterque complecti studuerunt; quemadmodum fecit Cicero lib. 2. de Natura Deorum, & Lactantius Firmianus in lib. cui titulus est, de Opificio Dei, vel de Formatione hominis. Nouissimè autē omnium Ludouicus Granatensis, in suæ Introductionis ad fidei Symbolum part. 1. cap. 23. vsque ad 35. Et horum quidem trium primi ac postremi non minùs Lectorem iuuare quàm oblectare potest oratio: vtrique enim admodum competere videtur illud Poëtæ Lyrici: *Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci*. Sed & plura de multis variisque donis primo homini à Deo collatis, breuiter tangit Ecclesiasticus cap. 17. nimirum, de creatione eius ad imaginem Dei, de potestate ac dominio super cuncta animalia eidem tradito, de sensibus exterioribus & interioribus, de loquela, de intellectu, consilio, disciplina, scientia, lege, & huiusmodi aliis, quæ omnia fusiùs prosequuntur illius loci Expositores. Hæc & plura alia his similia sunt, quæ B. Gregorius Nazianzenus, quomodo in homine disposita & composita fuerint, non desinit admirari; cuius dicta hîc referre non grauabor, quoniam multa de homine mirabilia paucis complectuntur. Inquit enim in Oratione secunda de Theologia: *Quæ hæc mistio nostra est? quis motus? quomodo id quod immortale est, cum re mortali copulatum est? qui fit vt anima circumferatur, & vitam impertiat, & affectuum sit particeps?*

De donis homini a Deo collatis ex Ecclesiastico.

Ex Nazianzeno.

quî fit vt mens & circumſcripta ſit, & interminata; in nobis maneat, & motus fluxioniſq; celeritate omnia perluſtret? quî fit vt ſermonis opera percipiatur viciſſim, ac communicetur, ac per aërem groſſetur, & cum rebus ipſis ingrediatur? quî fit vt cum ſenſibus conſuetudinem habeat, ac rurſus à ſenſibus in ſe ipſam colligatur? Atque vt quæ priora ſunt dicam, quæ prima noſtri effictio & coagmentatio in naturæ officina? quæ etiam poſtrema formatio ac perfectio? quæ cibi appetitio ac diſtributio? quis nos ſponte ad primos illos fontes ac vitæ facultates duxit? Quomodo cibis corpus, animus contrà ſermone ac doctrina nutritur? Quis naturæ tractus, mutuáque affectio parentibus & liberis, vt amore contineatur & conſeruetur? Quî fit vt ſtatæ ſint facies, & lineamentis ita diſtinctæ, vt cùm earum propè infinitus ſit numerus, propria tamen cuiuſque figura, nulla, modis omnibus abſoluta, ſimilitudine repræſentari queat? Quî fit vt idem animal mortale & immortale ſit, illud interitu, hoc procreatione? Vt enim aliud morte ſubducitur, ita rurſus ipſi aliud ſubrogatur, non ſecùs atque in fluminis tractu nequaquam fixi ſtabiliſque. Multa de hominis membris & partibus adhuc commemorare poſſem, déque mutua eorum concinnitate: quippe quæ naturæ & rationis lege, non minùs ad elegantiam quàm ad vtilitatem coniungantur ſimul, ac diſtinguantur; præcellant, ac dignitate inferiores ſint; vniantur, ac diſtrahantur; contineant, ac contineantur. Multa etiam de vocibus & auribus, quî nimirum fit, vt illæ per vocalia inſtrumenta ferantur, hæ verò eas excipiant, ac per intermedij aëris percuſſionem atque impreſſionem inter ſe iungantur. Multa item de oculis ineffabili modo cum ſenſilibus rebus conſortium habentibus, ac ſolo voluntate, & ſimul cum voluntate ſeſe mouentibus, eodémque modo cum mente affectis. Pari enim celeritate & illa intellectibilibus iungantur, & illi rebus iis quæ ſub cernendi ſenſum cadunt. Multo præterea de reliquis ſenſibus, qui velut admittendis externis rebus deſtinati ſunt, nec ratione percipiuntur. Multa denique de ea, qua in ſomnis fruimur quiete, atque in ſomniorum figmentis, de memoria, de reminiſcentia, de ratione, de ira & cupiditate, reliquiſque, vt vno verbo complector, quibus paruus hic mundus, id eſt homo, gubernatur. Hæc Nazianzenus raptim, de mirabilibus quæ in homine reperiuntur. Plura quoque eiuſmodi diſertè admodum tradita, videre licet apud Philonem in libro de Somniis. Sed ex his obſecro, pauca hæc, veluti pro arrhabone, accipe. De ſenſibus agens, quibus & vocem, neſcio quo modo, annectit: *Poſſumus,* inquit, *dicere, quinqueſariàm eos diuidi, habere ſua quemque inſtrumenta naturæ opificio, viſum oculos, auditum aures, nares odoratum, & ceteros pariter: hos menti nuntiare de colorum, figurarum, vocum, vaporum ſaporumq; proprietatibus, & in vniuerſum, de corporibus eorumq; qualitatibus. Eoſdem eſſe animæ apparitores; ad quam, quidquid vident audiúntve, deferunt: & ſi quid extrinſecus immineat noxium, prævident præcauéntque, ne quod improuiſum & immedicabile malum dominæ obrepat. Similiter de voce noſtrum eſt iudicium, aliam eſſe acutam, grauem aliam, & quantum à concinna & inconcinna diſcrepet, ab exiliore grandior, déque aliis plurimis diſcriminibus generum, colorum, diſtantiarum, coniunctorum diſiunctorúmque, de diateſſaron, diapente, diapaſon, ſymphoniis, atque etiam de articulata voce, quam ſolus homo ſortitus eſt, quædam nouimus: à mente hanc proficiſci, in ore articulari, lingua plectro abſolui, atque ita expreſſam, ſermonem iam non nudam vocem informémque fieri, ſed eum mentis eſſe interpretem.* Sic ille. Et hæc de hominis ſtructura in vniuerſum ſint dicta. Nam de nomine primi hominis, cùm idem ſit Latinè Homo, quod Hebraicè Adam; conſequens eſt, ipſum Adamum, ſeu primum hominem, nullo proprio, ſed ſpeciei dumtaxat nomine fuiſſe appellatum: ſiquidem omnes ab eo deſcendentes, homines nuncupantur.

EX PHILONE.

DE NOMINE PRIMI HOMINIS.

7. Quoniam autem multa ſunt, propter quæ, inter omnes creaturas à Moyſe recenſitas, ſolus homo dicirur factùs ad imaginem & ſimilitudinem Dei; operæpretium duximus, ab eo primùm, quod hiſtoriæ magis conſentaneum, & in ipſo Sacro textu euidentiùs inſinuari videtur, auſpicari. Nam poſt illa verba, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, continuò ſubiungitur, *Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæq; terræ*. Ex quibus verbis videtur indicari, in hoc potiſſimùm eſſe accipiendam hanc imaginem & ſimilitudinem Dei, quòd quemadmodum ipſe Deus verè finis eſt omnium, *vniuerſa* namque *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, vt dicitur Prouerbiorum capite 16. verſic. 4. ita homo eſt quodammodò finis cunctarum rerum, ſaltem ſenſibilium, vt infrà fuſiùs num. 30. demonſtrabimus. Si enim ſol, & luna, & ſtellæ omnes creatæ ſunt *in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt*, vt expreſsè traditur Deuteronomij capite 4. verſic. 19. conſtat proculdubiò, etiam reliqua quæ minùs nobilia ſunt, propter eumdem hominem eſſe facta; ac ſuper omnia hominem ſingulari quadam ſuperioritate donatum,

CVR HOMO DICITVR FACTVS AD IMAGINEM ET SIMILITVDINEM DEI.

esseque veluti Deum quemdam in terris visibilem, & dominum omnium.

8. His addere poterit plurimas quoque alias Dei similitudines, qui per singula alia Dei dona naturalia & gratuita discurrere voluerit, homini specialiter elargita. Nam cùm ei tantummodò (missos nunc faciamus Angelos, quorum hîc non meminit Moyses) dederit naturam ratione intelligentiaque prædıtam, cuius tam excellentis muneris gratia, homo quoad animam, in qua imago Dei magis elucet, est incorporeus, immortalis, atque intellectu, voluntate, liberoque arbitrio, vt infrà num. 27. docebimus, insignitus, & consequenter sapientiæ, virtutis, ac diuinæ gratiæ, felicitatisque æternæ capax, & meritò propterea cunctis aliis animantibus prælatus: rectè ad imaginem Dei factus dicitur: quoniam hæc & eiusmodi omnia, quæ aliquatenus in homine sunt, modo quodam in immensum supereminentissimo ac perfectissimo in Deo existunt. Quamquam neque illud quoque omittendum videtur, hominem dici ad imaginem Dei esse conditum, quia omnia naturarum genera, quæ ad quattuor, nimirum ad existentia, viuentia, sentientia, & intelligentia, reduci posse videntur; atque in Deo eminentissima sunt, in homine per participationem esse reperiuntur; vt propterea hominem omnis creaturæ nomine signari testetur B. Gregorius Homil. 29. in Euangelia. Denique sicuti Deus in magno hoc mundo vbique est per essentiam, præsentiam, & potentiam; sic anima hominis in corpore suo, quod microcosmos, id est paruus mundus, nuncupari solet, tota in toto esse perhibetur, & tota in qualibet parte: & ipse homo per imaginationis suæ potentiam, quodammodò vbique, hoc est in qualibet mundi parte, quandocumque ei libuerit, esse ac versari posse videtur. Sanè quòd aliqua Dei similitudo, prout dictum est, in homine reperiatur; præter irrefragabilem diuinæ Scripturæ assertionem, tribus quoque aliis modis aliqualiter ab effectibus colligi atque indicari potest. Ac primò, quia homo, quod attinet ad vim eius cognoscitiuam, quodammodò quamdam videtur infinitam habere mentis capacitatem, per quam ad omnes propemodum res cognoscendas habilis atque idoneus apparet, & sciendi desiderio nihil pænè imperscrutatum relinquit. Vnde est illud præclarum Aristotelis dictum primo Metaphys. *Omnes homines natura scire desiderant.* ac si apertius dixisset: Homo ita natura comparatus est, vt innatum eius sciendi desiderium, tamquam interminatum, quamuis ad omnia, non solùm terrestria, sed etiam cælestia, quodammodò se extendere audeat; numquam tamen ad sciendi finem perueniat. Secundò, quod spectat ad voluntatis humanæ libertatem, videmus eam non tantum indeterminatè ad omnia ferri, atque ad quælibet particularia & finita bona sese extendere; verum etiam infinitum quemdam, & quodammodò inexplebilem earumdem habere appetitum: vt non immeritò sanctus Bernardus in Serm. 3. de Resurrectione Domini, posteaquam plura aduersus propriam voluntatem scitè admodum disseruit, hæc subinferat: *Sed numquid contenta erit hac iniuria? addit adhuc, & quod in se est, omnia quoque qua Dei sunt, tollit & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per vsuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur vniuersum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter: nemini, qui sit in propria voluntate, posset vniuersus mundus sufficere.* Hæc & alia multa, quæ ibidem citatus Sanctus de propria voluntate fusiùs prosequitur, tametsi, quatenus diuinæ voluntati aduersantur, execranda sint; nihilominus in eo quòd infinitam quamdam humanæ voluntatis potentiam arguunt, nescio quid diuinum & Deo simile in ea ponere videntur. Quid plura? Nonne constat, humanæ voluntatis appetitum ita esse natura sua inexplebilem, vt non nisi summo bono, quod infinitum est, saturari posse videatur? nónne hoc apertè attestabatur Regius Propheta, quando in Psalm. 16. exclamans, *Satiabor*, dicebat, *cùm apparuerit gloria tua?* Et sanctus Augustinus lib. 1. suarum Confessionum cap. 1. nónne ad Deum deuotè conuersus protestabatur dicens: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te?* Scimus autem quia naturale est, vt simile appetat ac conquiescat in suo sibi simili. Tertiò, naturalis illa perpetuitatis cupido in hominum animis insita, quid aliud quàm summi Dei æternitatem aliquatenus pro modulo suo æmulari videtur? Denique, quis neget ad Dei imaginem ac similitudinem factum esse hominem, cuius operationes his quæ à Deo fiunt similes esse conspicimus? Etenim sicut in hoc vniuerso multiplices ac variæ creaturæ inueniuntur, quas Deus in esse quod habent conseruat, & quibus facultatem tribuit exercendi opera & actus singulis proportionatos, ad eosdem ipse tamquam primaria omnium causa concurrens; sic in humano corpore (quod paruum, vt diximus, vocant mundum) multa variaque membra existunt,

ſtunt, quæ nimirum ab ipſa anima, in qua imago & ſimilitudo Dei eſt, conſeruantur, atque ab eadem operandi facultatem accipiunt. Proinde, quemadmodum Deus operatur omnia in omnibus huius mundi creaturis, eodem ferè modo anima in omnibus ſui corporis membris: ita vt ipſa per oculos videat, per aures audiat, per pedes ambulet, &c. ac præcipuè per manus cuncta artificialia, (quæ non minora numero ac varietate in hoc mundo, quàm ipſa naturalia quodammodò eſſe videntur) ferè ad ſimilitudinem eorum quæ Deus naturaliter facit, efficiat. Ars enim ſemper, quantum poteſt, imitatur naturam. Si ergo inter effectus, qui à Deo, & eos qui ab homine prodeunt, aliqua ſimilitudo eſt; vtique oportet quòd etiam ſit inter eorum cauſas efficientes. Sed neque ſolùm anima hominis aliquam habet Dei ſimilitudinem quoad eſſentiam; verùm etiam (licet multo obſcuriorem) quoad perſonarum trinitatem: quandoquidem (vt benè notat Cardinalis Bellarminus ſuper Pſalm. 41. verſ. 4. in anima mens eſt intelligens, quaſi Pater: & notitia producta, quaſi Verbum Patris: & amor à mente per notitiam productus, quaſi Spiritus. Et præterea (vt communiter notum eſt) in anima ſunt tres primariæ eius potentiæ, nimirum memoria, intellectus, & voluntas, quæ tres diuinas perſonas vtcumque repræſentant.

9. Porrò quoniam, vt legimus in calce Pſalm. 91. *rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo*; ad memoratam quoque imaginem Dei, quæ reperitur in homine, pertinet illud quod dicitur Eccleſiaſtæ cap. 7. in fine: *Hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum:* rectum, inquam, non ſolùm corpore, quod rectà cælum ſpectare conſpicitur, quemadmodum eleganter etiam hiſce verſibus expreſſit Ouidius primo Metamorphoſeos: DE HOMINIS RECTITUDINE.

Pronaq; cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, calùmque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

ſed etiam, & in primis, quod ad animam pertinet, ſine vlla iniquitate & inclinatione ad peccatum, ita rectum, vt in cunctis actionibus, veluti erecto ad cælum ſpiritu, hoc eſt ſine vlla curuitate ſeu inordinata ad res terrenas deflexione aut retractione, rectà in Deum creatorem ſuum tendere poſſet. Supponit ergo iſta hominis rectitudo non ſolùm carentiam cuiuſuis tortuoſæ iniquitatis & peccati, ſed etiam actus perfectos, omnes virtutis numeros complentes; & conſequenter abſolutionem quamdam cunctarum hominis partium ac potentiarum, & conuenientiſſimam inter eas ſubordinationem; ita vt in homine neque corpus animam aggrauaret, eiúſve operationes vllatenus retardaret; neque in ipſa anima, potentiæ inferiores ſuperioribus vmquam reluctarentur; quin potiùs eiſdem ad nutum deſeruirent, ac miro quodam nexu iunctæ, inuicem ſe iuuarent; & denique humana mens ac ratio in omnibus ſubdita eſſet Deo, ac legibus ab eo latis. Ex hac humani ſpiritus rectitudine, quæ nihil incompoſitum, nihil inordinatum indecorúmve admittebat, producebatur in Adamo interna illa pax, quæ ipſum etiam in hac vita quodammodò beare poterat. De qua diſſerens B. Auguſtinus lib. 1. de Sermone Domini in monte, cap. 4. ſic eam deſcribebat, dicens: *In pacificis ordinata ſunt omnia, nullúſque motus aduerſus rationem rebellis eſt, ſed cuncta obtemperant ſpiritui hominis, cùm & ipſe obtemperet Deo.* Et ſuprà cap. 2. *Pacifici*, inquit, *in ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes, & ſubiicientes rationi, id eſt, menti & ſpiritui, carnaléſque concupiſcentias habentes edomitas, ſiunt regnum Dei. In quo ita ſunt ordinata omnia, vt id quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiiſque communia: atque id ipſum quod excellit in homine, id eſt mens & ratio, ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa Veritas vnigenitus filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſe ipſe ſubiiciat. Et hæc eſt pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita conſummati perfectíque ſapientis.* Sic B. Auguſtinus. Denique iſta pax quæ in primo homine reperiebatur, facile poterat oſtendere, quòd ipſe meritò dici poſſet filius Dei, iuxta illud Matthæi cap. 5. verſ. 9. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* & conſequenter, quòd ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſſet. Siquidem filius, imago dicitur & ſimilitudo patris. vnde de Adamo legimus Geneſ. cap. 5. verſ. 3. *Et genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vocauitq; nomen eius Seth.*

10. Ex his itaque inferre poſſumus, primum hominem (quod etiam communiter aſſerunt Doctores) in gratia, quam vocant gratum facientem, fuiſſe à Deo creatum, ſine qua, prædicta rectitudo mentis, & perfecta ſenſuum ſubiectio rationi, conſiſtere non poteſt. Et conſequenter non in puris, vt aiunt, naturalibus fuiſſe relictum, ſed iuſti- HOMO CREATUS FUIT IN GRATIA, ET CUM IUSTITIA ORIGINALI.

tia originali donatum, cuius radix in prædicta humanarum potentiarum ordinatione, & supernaturali subiectione rationis ad Deum, quę est per gratiam gratum facientem, consistit, vt optime docet B. Thomas par. 1. quæst. 100. art. 1. ad 2. Cùm igitur originalis iustitia virtus quædam sit vniuersalis, quæ aggregationem omnium bonorum habituum ad spiritualem hominis rectitudinem pertinentium complectitur; vtique necessariò infertur, cunctas Adami potentias, ac præcipuè primarias, nempe intellectum ac voluntatem, omnibus bonis habitibus fuisse præditas. Habuit ergo Adam intellectum valdè perspicacem & illuminatum, qui benè nouerat non modò omnia quæ homo naturaliter scire potest, aut ei nosse conuenit, habens nimirùm omnes scientias, cùm speculatiuas, tum practicas siue agibiles, artesque ingenuas; sed multa insuper notitiæ earum rerum, quæ naturalem cognitionem excedunt; illa scilicet, per quæ posset in suum finem supranaturalem tendere: & in summa, callere cuncta poterat, quæ per discursum, tum ex naturalibus, tum ex supranaturalibus principiis sibi à Deo inspiratis deduci ac deriuari possunt: etenim hæc propria est humani intellectus rectitudo, per quam à recta veritatis via aberrare aut detorqueri nequit, & per quam primus homo non solùm in huius vitæ necessariis ac conuenientibus sibi suisque corporalium instrumentorum adminiculo prospicere, verùm etiam cunctas actiones suas ad finem supranaturalem, hoc est ad cælestem beatitudinem, ad quam se nouerat creatum, consequendam, sine vllo impedimento ordinare ac dirigere poterat. Porrò Adamum habuisse in prima sui creatione perfectissimam hanc rerum scientiam, etiam apertè testatur Ecclesiasticus cap. 17. vers. 5. his verbis: *Et disciplina intellectus repleuit illos: creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit illis* (loquitur autem ibi de nostris primis parentibus Adamo & Heua.) Sed & ex eo quod Genes. cap. 2. vers. 19. & 20. dicitur, Deum adduxisse cuncta animalia coram Adamo, vt videret quid vocaret ea: colligunt Doctores, Adamum fuisse omni scientia præditum; alioqui non potuisset singulis nomina ipsorum naturis conuenientia imponere. Quod verò attinet ad voluntatem; oportet Adamum hisce potissimùm virtutibus fuisse imbutum, mira scilicet erga Deum & ea quæ Dei sunt religione seu pietate, & debita ergà proximum iustitia: in his enim Dei & proximi charitas posita esse videtur. Super omnia autem, in vtraque memorata Adami potentia, oportet excelluisse prudentiam singularem, per quam quæ appetenda & quæ fugienda essent non solùm sagaciter prçcognoscere; sed & illa quidem deligere, hæc verò penitus deuitare posset. Denique iustitia originalis diuinitus Adamo collata, posuit in parte eius sensitiua admirabilem temperantiam ac fortitudinem, quibus vis irascibilis pariter ac concupiscibilis, necnon cęteræ quæ ab his procedunt animæ passiones seu affectiones, maximè frænantur, & in officio siue in debita rectitudine, hoc est sub omni rationis regimine, continentur. Ecce quot quamque eximiis donis naturalibus ac supernaturalibus Adami animum exornauit Deus, vt his aliisque eiusmodi recto tramite posset perpetuò in Deum tendere, ac sine vllo offendiculo, secundùm eius voluntatem ac legem, iugiter ambulare. Ita decuit summum illum rerum Opificem, cuius perfecta sunt opera, hominem condere cum ea animi rectitudine, quæ statui suæ naturæ perfectissimo congrueret. Sed vtinam in ea ipse homo permansisset, & non potiùs ab ea vltrò recedens, se ipsum totamque posteritatem suam in tot tantasque obliquitates, ac miserabiles perniciosasque confusiones pertraxisset; vt etiam ipsismet posteris suis, nimirum infidelibus, primordia generis humani ignorantibus, posteà occasionem præbuerit, humanam deplorandi conditionem, quòd quodammodò naturaliter ad mala quæque propensior sit, & ad ea quæ recta sunt, non sine magna contentione perduci posse videatur: tamquam si maximum hoc malum, diuinæ largitionis defectu, non autem ex lapsu primi parentis nos perpeti oporteat. Sed quomodo tandem tanto huic hominum infortunio cum magno fœnore gratiarum subuenerit pius & misericors Deus, aliàs dicendum erit.

QVALITER HOMO FACTVS SIT IMMORTALIS.

11. Iam verò, quia etiam immortalitatem homini à Deo concessam, iuxta illud Sap. cap. 2. vers. 23. *Deus creauit hominem inexterminabilem*, id est (vt exponit Iansenius) in incorruptione, diximus ad Dei imaginem quæ in homine est pertinere: videndum est, quanam immortalitate homo donatus fuerit. Et primò quidem satis euidens est, non illa quæ soli Deo competit, cuius meminit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 16. de ipso Deo dicens: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem*, &c. hæc siquidem immortalitas duo includit, quæ nulli creaturæ competere possunt; alterum est æternitas, non solùm (vt verbis Theologorum vtar) à parte pòst,

sed

ſed etiam à parte antè, non enim Deus tantummodò eſt, eritque, ſed etiam fuit ſempet immortalis: cùm autem ipſe ab extrà nullam habeat creaturam ſibi coæternam, vtrique ſequitur, nullam creaturam à parte antè eſſe immortalem. Dixi, Ab extrà, quia certum eſt, in mente diuina, omnia, etiam creata, ab æterno fuiſſe: nihil enim noui poteſt accidere. Alterum eſt, quòd Deus ita immortalis eſt, vt neque etiam per diuinam potentiam poſſit non eſſe talis; atque hęc quidem impotentia non modò vllam in Deo imperfectionem ponit, quin potiùs ſingulariſſimam atque eminentiſſimam perfectionem; quemadmodum aliæ huiuſmodi, puta quòd non poſſit peccare, non eſſe bonus, iuſtus, omnipotens, &c. At verò creaturæ omnes (vt ſuprà ſub 1. Mundi die, num. 2. dictum eſt) quantumuis naturam ſortitæ ſint immortalem, vt Angeli, poſſunt tamen per ſupremam Dei potentiam aboleri. Vt igitur ad rem veniamus, dicimus, hominem, quantum quidem ſpectat ad animam, ea immortalitate donatum, quæ communicata eſt Angelis: etenim anima hominis naturam habet incorpoream & immortalem, ſicut & reliquę intelligentiæ, licet ſit inter eas poſtrema. Quod verò attinet ad corpus; dicimus, Deum feciſſe hominem immortalem; quia tametſi corpus habeat natura ſua corruptibile, ex gratia tamen ſupernaturali habuit homo potentiam non moriendi donec in ſtatu innocentiæ permaneret: nam aduerſus primariam ſenectutis, necnon interitus naturalis cauſam, quæ eſt continua humidi radicalis imminutio atque defectio, ad quam neceſſariò conſequitur, pabulo ſcilicet deficiente, omnimoda naturalis caloris extinctio, ſine quo vita hominis conſiſtere nullo modo poteſt: prouiderat Deus homini de fructu ligni vitæ, qui ad eumdem humorem reparandum, caloremque refouendum, mirabiliter valebat, vt ſub 3. Mundi die, num. 32. dictum eſt. Ad ceteras verò mortis cauſas & occaſiones, tam extrinſecas quàm intrinſecas, opportuna quoque remedia præparauerat; ita vt homo, pro ſcientia naturali & prudentia ſibi tradita, & ipſo in primis Deo ipſum protegente ac dirigente, cunctas præcauere ac deuitare facillimè potuiſſet, ſi in eodem innocentiæ ſtatu permanere non detrectaſſet. Verumtamen, vt primùm in culpam lapſus ab eo receſſit, eiectuſque de Paradiſo terreſtri, prohibitus eſt ſumere ampliùs de ligno vitæ; illicò tendere paulatim cœpit ad interitum, amiſſaque prima illa animi rectitudine, genuit filios eadem labe infectos, qui poſtmodum ab ea magis ac magis deflectentes, ac ſemper in deterius prolapſi, euſque tandem iniquitatis ac malitiæ deuenerunt, vt ad exprimendam humani generis maximam peccatorum acerbitatem, Deus ipſe, qui natura ſua immutabilis eſt, pœnituiſſe dicatur feciſſe hominem, eumque vniuerſali Diluuio delere decreuerit, vt legimus Geneſ. cap. 6. Sed hæc pauca de homine facto ad ſimilitudinem Dei hic tetigiſſe ſufficiat, plura enim reperire apud ſacros Theologos quiſque pro ſuo libito poterit.

12. Illud potiùs hoc loco diſquiramus, vbi, & in quanam hominis ætate ac corporis conſtitutione creatus fuerit Adam. Et quidem de loco hoc ſolùm affirmare poſſumus, ipſum non fuiſſe plaſmatum in Paradiſo terreſtri; nam Geneſ. cap. 2. verſ. 15. hęc habentur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis*, &c. Si igitur Deus tulit, ſeu tranſtulit hominem; vtique de loco in quo eum creauerat, tranſtulit in Paradiſum voluptatis; ergo non in ipſo Paradiſo illum creauerat, ſed alibi: vbi verò, non exprimitur in Sacris litteris; attamen communiter creditur quòd in agro Damaſceno, qui à Meſopotamia, in qua Paradiſum terreſtrem ſatis probabiliter poſuimus, non valdè admodum aberat. Quod verò attinet ad ætatem, nemo eſt qui expreſſè teneat, Adamum creatum fuiſſe puerum ſeu infantem, quemadmodum naſcuntur ceteri homines. Nam ſicuti Deus plantas & animalia omnia, non paulatim, vt fit naturaliter, ſingula ad perfectum propriæ naturæ ſtatum perduxit; ſed illicò quæque in ſuo genere perfectiſſima procreauit, vt ſuprà dictum eſt: ita etiam hominem non in puerili aut infantili, ſed in iuuenili aut virili ætate, eaque perfectiſſima feciſſe, proculdubiò credendum eſt. Et quidem cùm Adamo & Heuæ tunc à Domino dictum ſit: *Creſcite, & multiplicamini*, &c. oportet illos ex tunc ad minus iam fuiſſe adultos, & ad generandum aptos. verùm quęnam fuerit propria Adami ætas quando creatus eſt, non plenè exploratum habemus: quandoquidem ſunt qui putant, ipſum tunc oſtendiſſe ætatem annorum circiter triginta quattuor: hæc enim videtur eſſe perfectior hominis ætas, qualis fuit ſecundi Adami Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri, quando hominem perditum ſua morte ac reſurrectione reparauit: qualis etiam futura creditur ætas iuſtorum in poſtrema corporum reſurrectione, vt nonnulli colligunt ex illis Apoſtoli verbis ad Epheſ. cap. 4. verſ. 13. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Alij autem ſatis rationabi-

VBI FACTVS SIT HOMO.

IN QVA ÆTATE FACTVS FVERIT HOMO.

nabiliter existimant, Adamum in iuuenili quidem ætate fuisse conditum, sed eam, habita ratione ad longiorem vitam hominum illorum temporum, non ante quinquagesimum annum contingere potuisse. Verum si vita priscorum illorum Patrum decuplo ferè communem horum temporum superabat, & modò iuuentus nonnisi ad trigesimum propè annum peruenire solet; oporteret eam tunc ferè ad trecentesimum pertingere valuisse. Et item, si hodie homines communiter nonnisi circa decimumquintum vitæ annum ad generandum idonei esse videntur; sequeretur, eos olim nonnisi multò post centesimum gignere potuisse: & tamen constat Genes. cap. 5. vers. 15. & 21. Malaleel & Henoch anno sexagesimoquinto genuisse, & fortè etiam multò prius. etenim, vt infrà sub anno Mundi 133. num. 3. dicetur, probabile admodum est, illam priscorum virorum progeniem, quæ cap. Genes. citato recensetur, non per primogenitos tantummodò fuisse deductam, sed per eos qui linea rectà præcesserant ipsum Noë, siue primogeniti essent, siue non; siquidem scimus, Moysen voluisse describere genealogiam ipsius Noë, per quem post Diluuium reparata est totius humani generis propagatio. Quare fateri cogimur, singulas priscorum ætates, puta infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis, & senectutis, non præcisè ad proportionem longitudinis vitæ ipsorum fuisse nostris ætatibus longiores: quanta verò inter illorum nostramque iuuentutem differentia intercesserit, certò definire non possumus. Sed vtcumque sit, sufficit id pro exploratissimo haberi, quod suprà dictum est, videlicet Adamum, quemadmodum animo & corpore in suo genere perfectissimum atque absolutissimuum, ita quoque in ætate perfectissima à Deo, cuius perfecta sunt opera, fuisse plasmatum.

13. Vtrùm autem corpus Adami valdè excesserit communem humanorum corporum constitutionem seu magnitudinem, quærendum modò est; nempe, an fuerit gigas, vt multi perperàm opinati sunt, fabulantes, ipsum, mox vt fuit de Paradiso terrestri eiectus, oceanum pedibus transuadasse, atque ad hunc nostrum hemisphærium inhabitandum venisse. Sanè Adamum fuisse inter gigantes maximum, probare nititur Io. Lucidus lib. 1. de Emendatione temporũ cap. 4. ex Iosue cap. 14. vers. 15. vbi hæc habentur: *Nomen Hebron antè vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Quòd autem Enacim essent gigantes, manifestè habemus Numer. cap. 13. in fine: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* sed vtique arbitror Io. Lucidum falli. Nam præter id quòd Caietanus ibidem (licet satis audacter) notat Interpretem, quòd non contentus munere interpretandi, etiam Expositoris officio functus sit, præbueritque occasionem fabellæ, quæ circumfertur de primo nostro parente, quòd scilicet in Hebron sepultus fuerit: non desunt alij quoque probati Auctores qui cum eodem Caietano sentiunt, nomen Adam loco citato debere sumi, non quatenus per antonomasiam signat primum omnium parentem; sed quatenus est nomen commune speciei: ita vt sensus Scripturæ eo loci sit, Hebron olim dictam esse Cariath Arbæ, id est Ciuitatem Arbæ; eò quòd Arba, qui illic inter filios Enacim erat sepultus, maximus homo fuerat. Eodem ferè modo eumdem locum exponit Cardinalis Toletus super Ioan. cap. 19. annot. 12. Neque item certum est, Scripturam voce illa, maximus, magis indicare voluisse corporis proceritatem, quàm quid aliud; potest enim, vt multis placet, rectè accipi, maximus, dignitate, aut nominis celebritate, aut virtute, aut aliqua alia excellenti prærogatiua. Vnde quidam (vt refert ibidem Lyranus) putant Scripturam maximi hominis vocabulo intellexisse Abrahamum, quem constat sepultum fuisse in Hebron, Genes. cap. 25. vers. 9. & clariùs cap. 23. vers. 19. & sic inter illius terræ gigantes. Nemo est autem qui nesciat, Abrahamum non gigantem, sed magnæ virtutis virum extitisse, & inter Patriarchas maximum; præsertim propter tot tamque præclaras sibi factas à Deo repromissiones, & in semine suo impletas. Obstat insuper Ioan. Lucido & sectatoribus eius, editio LXX. Interpretum; & præcipuè illa, quæ Romæ anno salutis 1588. quàm diligentissimè castigata & correcta prodijt, quæ citatum Iosue locum multo aliter interpretatur, & nullam prorsus Adami mentionem facit. inquit enim: *Nomen autem ipsius Chebron erat antea Ciuitas Argob, metropolis ipsorum Enacim hæc.* Postremò, quod magis vrget, existimare Adamum fuisse gigantem, repugnat & rationi, & sacræ Scripturæ. Rationi; quia ratio suadet, Adamum fuisse à Deo conditum, sicut animo rectum, vt patet Ecclesiastici cap. 7. sic etiam corpore perfectæ magnitudinis, qualis ea esse creditur, quæ in perfectæ ætatis hominibus communiter reperiri solet, non autem corpore giganteo, quod loco Numer. adducto, Scriptura sacra monstris comparare non abnuit. Ecquis verò asserere audeat, Deum, qui perfectissimus est in omnibus operibus suis, fecisse pri-

[...]NVM ADAM FVERIT GIGAS, ET CVIVS STATVRAE.

primum hominem corpore monstrosum? Repugnat etiam Scripturæ sacræ, quæ Genes. cap. 6. satis apertè insinuat, non priùs in mundo gigantes extitisse, quàm ex quo primùm filij Dei, id est, viri iusti, nimirum progeniti ex Seth, ingressi sunt ad filias hominum, hoc est, acceperunt sibi vxores de praua sobole Caini, vt mox suo loco dicetur. Quòd autem ipse Adam non fuerit circumcisus, nec idololatra, vt aliqui perperàm opinati sunt, sed fuerit Propheta, affirmat S. Epiphanius non longè ab initio sui Panarij. Certè Adamum prædixisse duos vniuersales rerum interitus mox futuros, alterum diluuio, incendio alterum, de quo meminit S. Petrus in sua secunda Canonica, scriptum reliquit Iosephus 1. Antiq. cap. 3. AN ADAM FVERIT CIRCVMCISVS, ET IDOLOLATRA, ET PROPHETA.

☞ 14. Eodem tempore, videlicet vt primùm plasmatus fuit Adam, tulit eum Dominus, *& posuit in Paradiso voluptatis*, quem ad hoc plantauerat; de quo plura superiùs dicta sunt; *vt operaretur & custodiret illum*, Genes. cap. 2. vers. 15. vt (inquam) operaretur, non operatione laboriosa & molesta, aut ad paranda sibi victui necessaria, sicuti post lapsum, quando audiuit, *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, Genes. cap. 3. vers. 17. sed vt deliciosè operaretur, & magna cum animi voluptate, quemadmodum de multis Regibus & Principibus proditum est; qui ex agri, seu vinearum hortorúmve cultura, maximam percipere solebant oblectationem. Vide quæ de agriculturæ deliciis, cùm temporalibus tum spiritualibus, tangit sanctus Augustinus lib. 8. de Genes. ad litteram cap. 8. & intelliges, quàm iucundum fuerit, ante culpam Adamo operari in Paradiso terrestri. Porrò si quis recolat absolutum propè imperium ac dominium, quod idem Adam habebat super cuncta animalia, quæ ei ad nutum parere non recusabant; quemadmodum posteà nonnumquam visum est contigisse quibusdam sanctis viris, puta sanctu Francisco, & sancto Antonio, quem Patauinum vocant; non quòd in ea vrbe natus, sed quia ibi mortuus ac sepultus est; quibus pisces auesque paruisse; & sancto Blasio aliisque Sanctis etiam feras ipsas obtemperasse legimus: si quis (inquam) hæc & huiusmodi ad memoriam reuocet, cognoscet non operosum aut molestum fuisse Adamo, custodire Paradisum à bestiis terræ ac volatilibus cęli, quippe qui sine vllo negotio posset iucundam quamdam in eis iurisdictionem exercere, & quasdam quidem ad edendos aliquos illius loci fructus, antequam marcescerent, admittere; quasdam verò ab his aliisve arcere prout ei bonum opportunúmve videbatur. ADAM AD QVID IN PARADISO TERRESTRI POSITVS.

15. Quomodo autem tulerit eum Dominus, an ministerio Angeli, quemadmodum Raphaël deducebat Tobiam; an quo pacto Angelus apprehensum per capillos Habacuc, in impetu spiritus portauit in Babyloniam; vel potius quo modo Spiritus Domini rapuit Philippum, transtulitque eum in Azotum; & sicuti diabolus assumpsit Iesum, & statuit supra pinnaculum Templi, superfluum est disquirere; cùm nec sciri possit, nec scire quidquam referat. Quamquam satis probabiliter dici potest, quòd si locus, in quo plasmatus fuerat Adam, erat valdè vicinus Paradiso terrestri; vtique credibilius est, Adamum, sicuti à Raphaële Tobias, fuisse illuc veluti manu deductum ab eo Angelo, per quem posteà non semel locutus est ei Deus; puta, quando præcepit ei ne de ligno vetito comederet; & quando vocauit eum, *Vbi es? Quare hoc fecisti?* &c. Si autem longè admodum distabat locus ille à Paradiso; necesse est dicere, Adamum fuisse eò translatum vno ex aliis prænarratis modis, aut aliquo alio simili, siquidem oportet modicum sanè tempus in hac translatione insumptum esse, vt superesset Adamo tempus ad alia eodem die peragenda, de quibus deinceps dicturi sumus. QVOMODO IN EVM TRANSLATVS.

16. Porrò in Paradisum terrestrem adduxit Deus cuncta animantia terræ & volatilia cæli ad Adamum, vt singulis ipse nomina imponeret. non sunt autem adducti pisces, tum quia sine singulari miraculo id fieri non potuisset; tum verò maximè, quoniam non videbatur tunc necessaria illa nominum impositio piscibus, vtpote qui in aquis delitescerent, nec ita frequenter videndi essent ab hominibus, præsertim primæ mundi ætatis, vt oporteret eos propria habere nomina, quibus in cōmuni collocutione distingui ac significari possent, quemadmodū vsu venire poterat de ceteris animalibus, quæ in terra & in aëre versantia, frequentiùs ab hominibus videnda erant. Non etiam videtur fuisse necessarium, quòd ad Adamum adducerentur omnia animalia, quæ ex putri materia nascuntur; quoniam constat plura iisdē ferè nominibus appellari, quibus illa eiusdem generis, quæ ex propagatione generantur. Putant verò Doctores, animalia CVR ANIMALIA AD ADAMVM DVCTA.

malia ducta fuisse ad Adamum, non solùm (quemadmodum exprimitur in littera) vt eis nomina imponeret, atque hoc pacto etiam tantorum diuersitate vocabulorum primum illud hominum idioma locupletaret, quod posteà, nisi homo peccasset, in omni humana progenie, & pariter in cunctis terrarum plagis perpetuò & vniformiter perseuerasset: sed etiam aliis de causis, puta, ad augendas illius Paradisi delicias, & vt Adam ex ipsorum animalium aspectu & contemplatione intelligeret, quantum ipse cunctis Dei beneficio præstaret, atque idcircò ad debitas ei gratias exoluendas magis ac magis incenderetur. Item, vt quia cuncta propter ipsum condita fuerant, ipse ea quodammodò tamquam dominus seruos suos præsens dignosceret; & ipsa pariter eum veluti proprium dominum recognoscerent. Et prætereà, vt Adam videns in singulis ipsorum speciebus adesse marem & feminam generationis adiutricem, ipse intelligeret, idem necessariò in humana quoque specie fieri oportere; & fortè propterea subdit Scriptura: *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius*, nimirum ad gignendam prolem, sicuti in ceteris videre erat animalibus; & continuò subnectit Heuæ creationem.

QVOMODO ANIMALIA AD ADAMVM PERDVCTA.

17. Porrò si hanc animalium coram Adamo coadunationem miraculosè, & vel vnico instanti vel modico temporis spatio factam fuisse concesserimus; poterit etiam admitti, totum hoc negotium, nempe tam ipsorum animalium conuocationem, quàm nominum impositionem, ante creationem Heuæ fuisse peractam. At si (quod magis credibile videtur) sine miraculo vtrumque factum fuit: necesse est dicere, quòd Deus, posteaquam transtulit Adamum in Paradisum terrestrem, eò etiam adduxit cuncta animalium genera, siue Angelorum ministerio, siue interiori quodam instinctu & impulsu ipsis animalibus tunc immisso, vt putat sanctus Augustinus lib. 9. de Genes. ad litteram cap. 14. vbi ait, quòd *iussio Dei peruenit non solùm ad homines, nec solùm ad aues & pecora; verùm etiam ad ea quæ sub aquis latent, sicuti ad cetum, qui glutiuit Ionam. Nec solùm ad ista maiora, verumetiam ad vermiculum: nam & huic legimus diuinitus iussum, vt radicem cucurbitæ roderet, sub cuius vmbraculo Propheta requieuerat*. Sic ille. Si, inquam, non per miraculum, & pænè in instanti, sed quodammodò naturaliter, hæc animalium coadunatio ad Adamum, modo proximè exposito, facta est; potuit certè Adam non solùm illicò ante creationem Heuæ, sed etiam post, prout opportunum ei videretur, considerata & benè perspecta ipsorum natura, singulis congruentia nomina imponere. Quo supposito, dicere oportet, verba illa Genes. cap. 2. vers. 19. *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius; appellauitq. Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ*. proculdubiò tamquam per anticipationem dicta intelligi debere.

HEVA QVANDO CREATA.

18. Eodem die sexto necesse est formatam fuisse Heuam; nam quòd facta fuerit post Adamum, præter id quod manifestè series ipsa Historiæ sacræ, quæ traditur Genes. cap. 1. & 2. declarat, etiam expressiùs asserit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 2. vers. 13. dicens: *Adam enim primus formatus est, deinde Heua*. Quòd autem non fuerit facta die septimo, vt perperàm credidit Catharinus, patet; quia Genes. cap. 1. vers. 27. vbi dicitur: *Masculum & feminam creauit eos*, post pauca subiungitur: *Viditq́. Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, & factum est vespere & manè dies sextus*. Ex quibus verbis, manifestè infertur, tum ipsam Heuam, tum reliqua omnia eodem die sexto fuisse absoluta. Nec obstat quod Genes. cap. 2. versic. 2. legimus: *Compleuitque Deus die septimo opus suum*. quia ibi illud, *die septimo*, proculdubiò intelligi debet exclusiuè, & idem est ac si dixisset, in fine sexti. non enim absolutè dicit: *Compleuitque Deus die septimo opus suum*. sed continuò addit, *Quod fecerat*. subaudi diebus sex præcedentibus; statimque subiecit, *Et requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat*. Igitur sex diebus omnia facta sunt, & die septimo cessauit Deus ab omni opere, vt ex sacra Genesi iam probatum est, & clariùs exprimitur Exodi cap. 20. vers. 9. vbi præcipit Moyses Hebræis, vt sex diebus faciant opera sua; in septimo autem cessent ab omni opere, & subiungens causam: *Sex enim*, inquit, *diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt; & requieuit in die septimo*. ergo euidentissimè consequitur, etiam ipsam Heuam non die septimo, sed sexto fuisse creatam.

HEVA VBI CREATA.

19. Non autem ita clarum est, vbinam formata sit Heua; videlicet num in eodem loco, in quo factus fuerat Adam, vt quodammodò insinuari videtur Genes. cap. 1. vers. 27. illis verbis: *Ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam creauit eos*. Et sentiunt Iosephus 1. Antiq. cap. 1. & Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. & Rupertus lib. 2. de Trinitate & operibus eius cap. 32. Nam è contrario communis Scholasticorum

fticorum opinio fuper 2. Sententiarum diftinct. 18. & in prima parte B. Thomæ quæft. 162. art. 4. eft, quòd Heua formata fit in Paradifo terreftri. Quod etiam fentit S. Bafilius Homil. 11. in Genef. quæ eft de Paradifo, & videtur quoque euidentiffimè colligi poffe ex continuatione hiftoriæ, quæ in Genefi defcribitur. Nam cùm cap. 1. verf. 27. dictum effet: *Et creauit Deus hominem ad imaginem & fimilitudinem fuam.* poftea cap. 2. verf. 15. dicitur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & pofuit eum in Paradifo voluptatis, vt operaretur & cuftodiret illum.* & paulò infrà, cùm dictum effet: *Non eft bonum hominem effe folum, faciamus ei adiutorium fimile fibi.* & non multò pòft: *Adæ verò non inueniebatur adiutor fimilis eius.* ftatim fubiungitur: *Immifit ergo Dominus Deus foporem in Adam; cumq; obdormiffet, tulit vnam de coftis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus coftam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Ecce quomodo ex ipfa quoque Sacri textus ferie videtur poffe colligi, primam mulierem in Paradifo terreftri fuiffe formatam. Quod fi verum eft; vtique prææalligata Genef. verba, *Mafculum & feminam creauit eos,* accipienda funt, tamquam per anticipationis figuram dicta, & ad infinuandum, quòd etiam ipfa Heua eodem die facta fuit, quo Adam, licet non continuò poft ipfum, neque in eodem loco, neque eodem modo, vt dictum eft.

20. Ceterùm de plafmate mulieris, quod ad eius animam fpectat, nihil in Sacro textu expreffum habemus. Vnde fupponendum eft, Deum in eius creatione, corporique infufione, nihil diuerfum egiffe ab eo quod fecerat in ipfa viri anima procreanda, corporique copulanda. Etenim certum eft, ipfam pariter Heuæ animam ad imaginem Dei fuiffe factam, rationalem, æternæ beatitudinis capacem, atque iifdem dotibus ac priuilegiis exornatam, ficut fuerat anima Adami. Quod etiam fatis apertè colligi poteft Ecclefiaftici cap. 17. verf. 5. vfque ad 13. ibi enim Scriptura facta nihil difcreuit inter dona conceffa Adamo & Heuæ, fed eadem vtrique pariter collata fuiffe commemorat. Vnde patet, mulieris animam, eiufdem naturæ cum anima viri creatam effe; & confequenter, eadem ratione, hoc eft, per modum infufflationis, corpori, ad ipfum viuificandum, effe inditam. Hoc fanè item videntur indicare ea Genef. verba quæ habentur cap. 1. verf. 27. *Et creauit Deus hominem ad imaginem fuam, ad imaginem Dei creauit illum; mafculum & feminam creauit eos.* Quo planè loquendi modò Scriptura facra infinuat, tam Heuam quàm Adamum ad imaginem Dei fuiffe creatos; & nullam aliam inter eos exftitiffe differentiam, nifi quòd alter ipforum mafculinum fortitus eft fexum, alter femineum: quæ differentia potiffimùm corporea eft, vt paulò pòft ex Ariftotele oftendemus. Præterea B. Thom. fup. cap. 3. ad Colof. lectione fecunda dicit: *Innouationem diuinæ imaginis in homine, qua per innouantem Chrifti gratiam facta eft, effe communem omnibus; quia facta eft fecundùm aliquid, quod conuenit omnibus; nimirum fecundùm mentem; aliàs,* inquit, *non pertineret ad hominem in quantum homo.* Et poft pauca, exponens illa Apoftoli verba, quæ ibidem in Sacris quibufdam exemplaribus (tametfi non in omnibus) reperiuntur; videlicet, *vbi non eft mafculus & femina.* fubiungit: *quia non differunt mente, fed fecundùm fexum corporeum.* Sic ille. Quòd autem hæc fexus differentia non fit effentialis, docet Ariftoteles lib. 10. Metaphyf. cap. 8. fiue text. 25. dicens: quòd mafculus & femina, animalis propriæ funt paffiones; fed non fecundùm fubftantiam, verùm in materia & corpore. Quapropter idem femen aut mas fit, aut femina, aliqua paffione affectum. Siquidem, vt ibi exponit B. Thom. cùm fuerit calor eius operans, fortis, fiet mafculus; cùm autem erit debilis, fiet femina. Igitur non differt femina à viro fubftantialiter, fed accidentaliter, ratione corporis, in aliquibus membris diuerfimodè conformati: ficut differt nafus concauus à fimo, vt idem Ariftoteles eiufdem lib. cap. 5. docet. Conftat ergo, virum muliere præftantiorem dici potiffimùm ratione fexus, non ratione fpeciei, quæ eadem in vtroque eft; quandoquidem vterque veraciter homo eft & nuncupatur. Vtrùm autem aliqua ex parte forfitan etiam perfectior dicenda fit anima viri quàm mulieris, haud ineptè, vt arbitror, quæri poteft. Non quòd, an vir magis homo fit quàm femina, difputare velimus, cùm clarum fit ex Philofophorum dogmatibus, & præfertim Ariftotelis in prædicamento fubftantiæ tex. 12. fubftantiam non recipere magis & minùs; fed quia fieri poteft, vt anima viri perfectioribus quibufdam habitibus donata fuerit. Et quidem fi ab exterioribus actibus humanis licet de intimis eiufdem animæ potentiis iudicium ferre, cùm perfpicuè videamus, viros, veluti fuapte natura, ad præclariora quæque negotia, quantumuis ardua ac difficillima, promptè capienda, fidenter fufcipienda, probè gerenda, ac denique feliciter expedienda, admodum præftare mulieribus; & inter

DE ANIMAE MVLIERIS CREATIONE.

VTRVM ANIMA VIRI PERFECTIOR SIT ANIMA MVLIERIS.

ter ipsosmet quoque viros, alios aliis esse sublimioris ingenij ac virtutis; certè manifestum sit, esse in hominibus quosdam perfectionis gradus, & in his, præcipuè inter virum & mulierem, vniuersaliter loquendo, nonnihil distare, ac proinde credi posse, primarias animæ potentias, nempe intellectum & voluntatem, & consequenter ipsam animam, nonnihil in viris esse perfectiorem, hoc est perfectionibus habitibus præditam. Ex alia verò parte, videntur etiam satis rationabiliter memorati effectus ad organa tantùm posse referri, quòd nimirum ea meliora aptiorave sint in viris, quàm in mulieribus. Et nihilominùs, non propter hoc tantùm videtur ordo rerum tum naturalis tum diuinus virum prætulisse mulieri eo modo quo declarat Apostolus 1. ad Corinth. cap. 11. vers. 3. dicens: *Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput verò Christi, Deus*. quia hæc Apostoli verba valde absoluta & vniuersalia sunt, nec sanè plurimas excipiunt mulieres, quas ex earum operationibus, constat habere organa intellectualia longe perfectiora, quàm multi habeant viri. Igitur tutiùs dicendum videtur, Deum quidem nihil essentiale, & consequenter nec ad diuinæ gratiæ in hac vita, gloriæque in futura percipiendæ habilitatem inter virum & mulierem discreuisse; sed tamen, diuina eius ordinatione sic exigente, vel fortè etiam in pœnam peccati primæ mulieris, quæ priùs exemplo, mox item suasu induxit primum hominem ad diuini præcepti transgressionem, voluisse, vt in hoc mundo vir caput esset mulieris, hoc est, vt mulieres subditæ essent viris; sicuti videmus interdum, viros ingenio ac virtute nihilo inferiores parere aliis, qui ratione officij aut status præsident. De cetero in æterna illa, quam expectamus, vita, sicuti certum est, aliquos viros etiam Angelis natura perfectionibus, ac specie differentibus, singulari quodam Dei beneficio fore præferendos, vtpote non minùs illis diuinæ gratiæ gloriæque capaces; & constat non Angelum, sed hominem ad hypostaticam Dei vnionem fuisse assumptum; & S. Ioan. Chrysostomus Homil. 32. in Epistolam ad Rom. SS. Apostolos Petrum & Paulum in supremo Angelorum ordine, hoc est, inter Seraphim collocasse visus est; quod & de S. Ioanne Baptista aliisque alij piè crediderunt: ita non inconueniit, quasdam quoque mulieres diuino munere non viris tantùm, sed ipsis etiam Angelis posse potuisseve multò perfectiores ac præstantiores euadere; quemadmodum euenisse Deiparæ Virgini dubitare nemo debet. Sed hæc accuratiùs discutere, non est præsentis negotij. Videat qui vult, plura, quæ in hoc genere subtiliter erudireque disserit Annibal Guascus in disputatione De humanarum animarum æqualitate.

DE CORPORIS HEVAE CREATIONE.

21. Dicamus nunc aliquid de corpore ipsius Heuæ, quod ab ipso Adami corpore non in aliqua dumtaxat membrorum conformatione; sed etiam in materia ipsius proxima, constat fuisse diuersum. Etenim non de limo terræ, sicuti illud, immediatè factum fuit: verùm ex vna de costis Adami, carne scilicet cooperta, vt posset vendicaesse eiusdem Adami sententia, quam de ipsa muliere protulit, dicens: *Hoc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Siue costa illa fuerit corpori eius superuacanea, & tantummodò ad formandam ex ea mulierem superaddita, vt multi putant: siue, vt alij, reuerà fuerit vna ex necessariis; pro qua posteà alteram priori similem Deus ipse suppleuerit. Sed quia Sacer textus Genes. cap. 2. vers. 21. apertè dicit; *Et repleuit carnem pro ea*. Considerandum est, num fortè Deo placuerit, Adami corpus vna deinceps costa caruisse, ad præsignandam animi eius imbecillitatem; & vt intelligeremus, non esse mirandum, quòd occasione mulieris, talem in corpore defectum ferret, qui posteà, propter eamdem ab illa etiam animi perfectione in qua conditus fuerat, deficere non est veritus. Decuit autem primam mulierem de viro fieri, non verò contrà; ad commendandam ipsius viri dignitatem, & ad declarandum, quòd, vt ex Apostolo præcedenti numero diximus, Mulieris caput est vir. Et ibidem paulò pòst subditur: *Vir imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim*, inquit, *vir ex muliere, sed mulier ex viro. etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*; nempe, vt esset ei in adiutorium ad procreandam, nutriendã alendamque prolem; immò etiam ad educandam, præsertim femineam; & masculinam quoque antequam ad adultam perueniat

CVR SOPOR IN ADAMVM IMMISSVS.

ætatem. Porrò conuenienter admodum immisit Dominus altum soporem in Adamũ; vt vel sic hebetato, ac veluti obstupefacto sensu tactus, sine dolore auelli ab eius latere costa posset. & item vt in ipso somno, veluti in ecstasim raptus, intelligeret, non modò Heuam de latere suo formatam (quod posteà expergefactus enuntiauit dicens: *Hoc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*.) sed & insuper penetraret mysterium, quod in hoc facto latebat, & post

multa

multa tempora manifestatum fuit ab Apostolo, ad Ephes. cap. 5. vers. 32. vbi postremis præcitatis Adami verbis statim subiungit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* apertè nobis insinuans, ipsam Heuam de costa Adami dormientis formatam, & posteà eidem coniugio copulatam, sine dubio præfiguraste fidelium Ecclesiam, ex latere Christi in cruce defuncti aperto eductam atque ædificatam (inde enim Sacramenta nouæ Legis dimanarunt, quæ gratiam conferunt, & per quæ omnis vera iustitia vel incipit, vel incepta augetur, vel amissa reparatur, vt tradit Concil. Tridentinum sess. 7. de Sacramentis) vel etiam ad præfigurandam eamdem Ecclesiam, quæ nuptiis spiritualibus, per eadem Sacramenta eidem Christo in hac vita quidem desponsatur, vt perfectiùs deinde in altera ipsi pariter Christo, tamquam virgo casta & sine ruga exhiberi, vinculoque indissolubili copulari atque vniri in perpetuum possit.

22. Illud verò etiam obseruandum est, Heuam duplici vocabulo ab eius viro fuisse appellatam: primò namque dicta est Virago, quòd de viro sumpta esset, Genes. cap. 2. vers. 23. Dein cap. sequenti vers. 20. vocata est *Heua, eò quòd mater esset* (subaudi, futura) *cunctorum viuentium*. prior nominis etymologia à proprietate præterita; posterior, à futura desumpta est: quia nimirum illa mulier, prima erat mater omnium hominum, qui singulariter & per excellentiam dicuntur viuentes, quòd præ ceteris animantibus nobiliori atque excellentiori vita viuant. Prima eius nominis impositio creditur facta illicò ac coram Adamo statuta fuit. altera, postquam audiuit: *Terra es, & in terram reuerteris.* vt ait S. Epiphanius lib. 3. Hæresi 78. post medium. Et quoniam idem Sanctus ibidem subiungit: *Et mirum est, quòd post transgressionem hoc magnum cognomen habuit.* Et reuerà mirandum videtur, quòd mulier posteaquam causa mortis fuit cunctis hominibus, appellata sit mater viuentium: nec citatus auctor vllam huius rei affert causam. Posset fortasse dici, vel id esse dictum per antiphrasim, sicuti quidam rex Ægypti, qui propriam matrem interfecerat, Philometer, hoc est matris amator nuncupari voluit. Vel Heuam itonicè appellatam, hoc est matrem viuentium, hominum scilicet iam ex tunc amissa immortalitate breuem ac miserabilem vitam ducere incipientium. Nisi fortè magis expediat dicere, Adamum, qui (Deo reuelante illis verbis serpenti denuntiatis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ipsa conteret caput tuum.*) redemptionem mundi futuram didicerat, spiritu prophetico appellasse vxorem suam, etiam post lapsum, matrem viuentium; quoniam ex ipsa vtique, per carnalem propagationem, proditurì erant etiam illi omnes, qui posteà virtute passionis Christi ad beatam æternamque vitam perducendi erant. Ceterùm ex hac duplici primæ mulieris nuncupatione, creditur produsse vsus binominæ appellationis, præsertim in mulieribus, vt patet de Sara, quam quidam putant alio nomine dictam fuisse Iescam; & de Esther, quæ etiam Edissa dicebatur, Esther cap. 2. vers. 7. & de aliis.

DE DVPLICI NOMINE PRIMAE MVLIERIS.

23. Sanè de Adamo & Heua, antequam laberentur in culpam, subdit Scriptura sacra Genes. cap. 2. in fine, quòd erant ambo nudi, & non erubescebant. Ex quibus verbis licet intelligere, quàm venusta specie & bona corporis habitudine essent prædìti, & quanta ipsorum esset (non quidem naturæ ipsius vi, sed quemadmodum asserit Catechismus Romanus parte prima cap. 2. num. 19. diuino beneficio) impassibilitas, quippe qui neque ad contegendam vllam eorumdem maculam, neque ad ipsorum corpora vllis monilibus exornanda, neque ad protegendum se à frigore, æstu, alisque cæli iniuriis, vllò prorsus vestium vsu indigerent. Et quanta item esset ipsorum animi puritas, & potentiarum eius integra subordinatio, ita vt nullum in se motum experirentur, cui verecundia deberetur, nihilque velandum putarent, quòd nihil refrænandum haberent; & denique nullam legem sentirent in membris suis, repugnantem legi mentis suæ. Quæ omnia ex singularibus illis animorum dotibus, quæ Dominus eisdem, quando ad imaginem suam eos condidit, cælitus præstiterat, emanasse certissimum est; nimirum ex iustitia originali, animi & corporis rectitudine, immortalitate, aliisque eiusmodi, de quibus nos suprà num. 6. vsque ad 10. multa disseruimus; & num. 18. eadem vtrique, nimirum Adamo pariter & Heuæ communicata fuisse, satis euidenter probauimus: constat autem quòd easdem dotes numquam amisissent, si admirabilem illum innocentiæ statum, in quo creati fuerant, perpetuò retinere studuissent. Sed iam ad vlteriora procedamus.

NVDITAS PRIMORVM PARENTVM QVID ARGVERET.

24. Creatis in tam felici statu Adamo & Heua, iisdemque tot ac talibus animi corporisque dotibus decoratis ac nobilitatis, hæc Deum addidisse comperimus. Primò, specialiter benedixit humano generi: est autem in Deo, benedicere, idem quod benefacere,

BENEDICERE QVID SIGNIFICET.

cere, iuxta illud Psal. 144. vers. 16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictiane.* & eodem fere modo accipitur etiam in hominibus, quando scilicet maiores benedicunt minoribus, vel precando eis aliqua bona: sicuti quando Isaac Genes. cap. 27. vers. 28. benedicens filio suo Iacob, dicebat: *Det tibi Deus de rare cæli, & de pinguedine terræ abundantiam,* &c. vel boni aliquid tribuendo, vt ibidem, quando ipse Isaac eidem Iacobo primatum in domo sua dedit, dicens: *Esto dominus fratrum tuarum,* &c. & propterea olim maiorum benedictiones plurimi à minoribus fieri, & admodum ambiri solebant. Sed & interdum, etiam ipsamet dona, quæ cuiuis conferri contingeret, benedictiones dicebantur, vt patet 1. Reg. cap. 25. vers. 27. vbi Abigail ferens munera Dauidi, ait: *Quapropter suscipe benedictianem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo,* &c. & Genes. cap. 33. vers. 11. Iacob munera offerens fratri suo Esau, dicit: *Suscipe benedictianem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens amnia.* vbi manifestè apparet, benedictionis nomine vocari munera, quæ à Deo ipse acceperat, & conferebat fratri. At verò quando nos benedicimus maioribus; puta Sanctis, & præcipue Deo, tunc benedicere, videtur vsurpari pro, laudare, vt idem sit dicere (Danielis cap. 3. vers. 58.) *Benedicite angeli Domini Damina,* quod ibidem clarius explicatur subsequentibus verbis, *Laudate & superexaltate eum in sæcula.* Laudamus autem Deum, siue nos ipsi, siue per alios, tum quia ipse ob eminentissimas eius perfectiones dignus est omni laude; tum verò etiam, vt vel sic pro suis benedictionibus donisque collatis, aliquas ei rependamus gratiarum actiones. Et hoc fortè est, quod innuere visus est Regius Propheta in Psalm. 117. vers. 1. dicens: *Confitemini Damino quaniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* id est, Laudate Deum propter bonitatem, aliasque infinitas perfectiones suas; & item propter multa eximiaque beneficia, quæ ab eo quotidie supra meritum vestrum misericorditer accipitis. Igitur quando Deus (vt superius dicebamus,) benedixit Adamo & Heuæ, benefecit eis, conferens ipsis singulares benedictiones, hoc est, singularia quædam beneficia, & præcipuè illa tria, quæ Genes. cap. 1. vers. 28. & sequentibus speciatim explicantur.

DIVINA BENEDICTIO QVID OPERATA SIT IN HOMINIBVS ET ANIMALIBVS.

Nam primò, dicens: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* tribuit eis fecunditatem; id est, propagandi seu multiplicandi appetitū pariter ac facultatem, vt habitatoribus implerent terram. Atque hæc quidem benedictio communicata item fuerat ceteris animalibus, quæ pariter, vi istius benedictionis, naturali quodā appetitu & impulsu ad generationem impelluntur. Non autem data est plantis, quoniam terra, quæ iussu Domini, Genes. cap. 1. vers. 11. eas primitus mirabiliter germinauit ac produxit, postmodum solis calore & cæli rore imbuta, recipiendo pariter ac fouendo quod ex ipsismet plantis naturaliter decidit semen, sola sine comite aut alio coitu eas multiplicare naturaliter potest.

DEVS DAT DOMINIVM HOMINIBVS PER CVNCTA ANIMALIA.

Dedit deinde Deus eidem generi humano quodammodò absolutum super cuncta terræ animantia dominium, & pænè omnimodam potestatem, ibidem subdens: *Et daminamini piscibus maris, & valatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ maventur super terram.* Tertiò, indicauit ipsi Adamo & Heuæ se dedisse omnem herbam, & arborum fructus, ac semina, in

DAT ESCAM HOMINIBVS, ET CVNCTIS ANIMALIBVS.

escam vniuersaliter, tam ipsis eorumque posteris, quàm reliquis animantibus, dicens: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vabis in escam, & cunctis animantibus terræ, omniq; valucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Nec obstat, hæc omnia haberi in cap. primo Genesis, creationem verò Heuæ in secundo: quia hoc accidisse per figuram anticipationis, clarè infertur ex littera, quæ ibidem quoque, videlicet cap. 1. etiam aliqualiter anticipat mentionem facere creationis Heuæ, dicens: *Masculum & feminam creauit eas.* Et subinde prosequitur, quæ suprà de benedictione generis humani retulimus, semperque loquitur in numero plurali: *Benedixitq; illis. Crescite & multiplicamini, & replete terram. Dominamini piscibus maris,* &c. *Ecce dedi vabis.* & quæ sequuntur. Ex quibus manifestè apparet, omnia hæc dicta esse post Heuæ creationem.

INTERDICIT DEVS HOMINIBVS ESVM LIGNI VETITI.

Post memoratas benedictiones iniunxit Deus primis hominibus præceptum de ligno scientiæ boni & mali non comedendo; de quo licet non desint, qui illud datum putent Adamo tantùm, ante creatam Heuam, vt ex ipsa Latini textus serie Genes. cap. 2. vers. 15. vsque ad 19. videtur posse colligi, à qua sine alio eiusdem Scripturæ textu aliter docente, aut sine sufficienti ratione non est discedendum: attamen probabilius videtur, vtrique fuisse denuntiatum, quod vtrumque pariter obligabat, & pro cuius transgressione vterque simul deinde punitus fuit: præsertim cùm in eodem textu Genes. cap. 3. vers. 1. clarè id expressum habeamus illis verbis: *Cur præcepit vobis Deus,* &c. & vers. 3. *De fructu verò ligni,*

quod

quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tãgeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquã morte moriemini, &c. Et idem ibi in numero plurali pariter explicat textus LXX. Interpretum Romæ quàm emendatissimè editus anno salutis 1588. qui Gen.c.2.v.17. sic habet: *De ligno autem cognoscendi bonũ & malum, non edetis de illo: qua die autem ederitis ex eo, morte moriemini*. Ecce quomodo constat, vtrique, Adamo scilicet & Heuæ simul datum fuisse hoc præceptum. Nec à mysterio vacat, hunc locum in lectione Hebraica, Chaldaica, & Vulgatæ editionis Latina, tradi in numero singulari; quia id factum creditur ad denotandum, quòd istud præceptum, licet proculdubiò ambos obligaret, primò tamen ac principaliter datum fuit Adamo; ita vt sufficeret sola ipsius Adami, non autem sola ipsius Heuę transgressio, ad vniuersam eorum sobolem inficiendam, vt latiùs infrà num. 32. declarabitur.

¶ 25. Igitur, vt de his quattuor aliquid hîc successiuè dicamus: quod attinet ad primum, hoc est, ad fecunditatem, multiplicandique facultatem homini cæterisque animantibus attributam, ante alia sciendum est, quòd quemadmodum Creator omnium Deus æternus est, ita etiã rebus à se creatis, quæ æternæ non sunt, quemdam æternitatis, vel potiùs cuiusdam vmbræ æternitatis, id est longioris durationis appetitum indidit; tametsi non eodem modo omnibus, sed aliquibus obscuriùs, clariùs aliis, pro naturarum conditione. Quo fit vt res omnes naturaliter quærant sui conseruationem, ita vt etiam inanimatæ obscuram quamdam innatam habeant curam conseruandi, quantum possunt, se ipsas in suo esse, quod à Deo acceperunt, velleque quodammodò videantur posse illud perpetuò retinere: vnde videmus aquæ, vel alterius liquoris guttam, ori versati vasis pertinaciter inhærere, nec inde posse refigi, nisi fortiter excutiatur; interdum verò eamdem in orbem redactam, & ipso vasis ori appensam, se quantum prævalet, sustinere, quasi vereatur, ne si in terram ceciderit, penitus absumatur, suumq́, esse amittat. Idem similiter intueri licet in lucerna extinctioni proxima, quæ manifestè vidétur cum ipsa extinctione luctari, quãdo bis tétve, quasi se ipsam ad reluctandum excitans, maiorem flammam magno conatu emittit antequam extinguatur. Ex quibus duobus exemplis disce reliqua. Res verò animatæ clariùs æternitati inhiare videntur: nam præter dictam facultatem conseruandi aliquamdiu propria indiuidua, viuentibus & non viuentibus communem, & cuius rei gratia animalibus speciatim etiam data sunt arma quædam, dentes, cornua, vngues, aculei, ad sui corporis defensionem, singula propriis ipsorum naturis accommodata; insuper acceperunt à Deo vim procreandi sibi similes, quod licet competat etiam plantis semina producentibus iuxta genus suum, multo tamen nobiliùs conuenit animalibus, quæ huius facultatis virtute, non naturaliter solùm, vt vegetabilia, sed etiam voluntariè species suas perpetuare, & quodammodò æternas facere ambiunt. Homines verò Dei gratiam adepti, non solùm speciem, verùm etiam propria ipsorum indiuidua, post vniuersalem mortuorum resurrectionem, æternitatem à parte pòst, immò & beatitudinem consecutura non dubitant. Porrò in hac vita memoratam in animalibus specierum perpetuitatem maximè iuuat, nutrit, prouehitque tum vehemens ille pruritus ipsis naturaliter insitus, qui ea ad propagationis actum valdè impellit, tum etiam ingens ille, solicitus, atque anxius amor, quo pariter secundùm naturam, erga prolem afficiuntur, pro qua diu in vtero gerenda, & tempore debito parienda, multa patiuntur, mox pro eadem donec paruula & imbecillis est, alenda, fouenda, educanda ac protegenda, diu noctuque nullis laboribus parcunt. Nam, vt omittam quanta pro filiis faciant homines, pro quibus thesaurizare non cessant, & sæpè non sine corporum animarumque suarum præiudicio: quis non videt auiculas (vt hoc tam vulgari ac domestico exemplo vtar) quanto studio, labore, & industria nidos luto, mollioribusque festucis solicitè conquisitis, delectis, collectis, appositeq; & loco apto dispositis componere, oua longo quodam incubitu fouere, pullis escas venari, atque charorum hiantibus oris peramanter immittere satagant? Sed & non ipsæ solum, verumetiam cetera animalia, quàm promptè fortiterque cùm opus est, pro paruulis tutandis, sese periculis exponant, & cum fortioribus dimicare non metuant? vt patet de gallina cum miluo, & de eiusmodi aliis. Quis, obsecro, tot tantosque labores tantopere vrget; tantasque animositates excitat, nisi prolis amor? Magna certe vis est huius amoris, qui non solis domesticis animalibus, sed ipsis quoque feris alioquin natura sæuissimis, artissimè à Deo insitus fuit: ad quid aliud, nisi ad prolem diligentiùs custodiendam & seruandam; & consequenter ad species ipsorum perpetuandas? Nun ergo mirum videri debet, si etiam illa animalia, quorum extinctioni homines quotidie magis incumbunt, siue commodi lucríve gratia, vt

vt sunt turdi, aliæque aues & quadrupedia in cibis suauiora; siue ne sibi noceant, vt lupi, serpentes, &c. si, inquam, hæc quoque numquam in mundo defecerunt, neque deficient, nimirum tanta parentum cura nutriti, protecti, & conseruati. Sed quid dicemus de his animalibus, qui dicti amoris non sunt capaces, vt omnia pænè piscium genera, aliaque permulta; quomodo eorum species tam diu conseruari potuerunt? Breuiter respondemus: Deum mira prouidentia, vt huic defectui occurreret, primùm quidem tribuisse illis multo copiosiorem propagationem, quàm aliis, vt patet de ipsis piscibus, in quorum ventre oua ferè innumera reperiuntur, quæ suo tempore emittunt. Deinde sapienter dispofuisse, vt pisciculi statim editi nulla parentum curatione indigeant, sed sibi ipsis necessaria procurare maximè nati aptique sint; quod & aliis huiusmodi animalibus, & aliquibus etiam ex his quæ homines sæpiùs aucupari solent, vsu venire certum est, vt verbi gratia qualeis, de quibus dicitur, quòd necdum totæ de ouo egressæ, statim illud aliquantisper secum trahentes, per arua cursitare & cibum sibi quærere incipiunt. Denique illud quoque animalia, quæ ab hominibus, siue ab aliis se fortioribus frequenniùs infectari consueuerunt, ad modum iuuat ne penitus destrui possint, quòd diuina ordinatione eis tributum fuit vt naturaliter faciliùs fugere, vel cautiùs latitare valeant. Et hæc de his satis.

CONTRA HAERETICOS OPPUGNANTES STATUM CAELIBATUS.

26. Verùm vt ad propagationem homini specialiter indultam sermonem conuertamus, aduertere oportet, quòd hæretici perperàm existimantes, in illis Scripturæ verbis, *Crescite, & multiplicamini*, &c. diuinum contineri præceptum, obligans omnes & singulos ad dandam operam liberorum propagationi, hinc occasionem arripiunt impugnandi statum cælibatus, tantopere in Scripturis sacris ab ipsomet Iesu Christo Domino nostro & ab eius Apostolo commendatum, atque innumeris deinde sanctissimorum virorum ac mulierum exemplis comprobatum. Sed profectò à veritate Catholica toto (quod aiunt) cælo aberrant hæretici. Etenim hisce verbis non præceptum dare hominibus voluit Dominus, sed generandi facultatem eis impartiri; quemadmodum iisdem pænè verbis fecerat animalibus ratione carentibus, & consequenter eiusmodi moralis præcepti omnino incapacibus. Et si hoc aliquo modo præceptum dici posset: certè cùm ad quid esset datum, planè indicent verba quæ subsequuntur, videlicet, *Et replete terram*. Si iste est finis & terminus talis mandati, quis non videt, quòd post repletam terram, cessare debuit eiusmodi obligatio? Vt proptereà non irrationabiliter quidam putauerint, prædicta verba vim quodammodò habuisse præcepti in primis dumtaxat illis mundi temporibus, quando hominum multiplicatio necessaria videbatur, pro replenda habitatoribus terra. Verùm, quæ, obsecro, necessitas aderat tunc faciendi tale præceptum? cùm solus ipse generandi appetitus, prædictorum vi verborum hominibus naturaliter à Deo inditus, & ingens illa voluptas actui coitus naturaliter adiecta, abundè sufficere possent cunctos fere homines ad eiusmodi actum non modò allicere, sed & quodammodò impellere? ac per consequens, sine illo præcepto satis multiplicari homines, & repleri habitatoribus terra potuisset? sicuti re ipsa repletam videmus, etiam si constet, quamplurimos vitam perpetuò cælibem traduxisse. Sed si omnibus & singulis præceptum fecisset Dominus, dicens: *Crescite, & multiplicamini*. Vtique etiam sub præcepto caderent ea, quæ ibidem subsequuntur: *& replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*. Quod quis non videt esse omnino absurdum? alioqui, quisquis aut terram sibi non subiiceret, aut pisces maris, cælive aues, & quadrupedia terræ non caperet ac possideret, tamquam reus mandatorum Dei violatorum censendus foret. Neque verò obstat quòd prædicta verba, *Crescite*, &c. imperatiuè sint tradita: quia eodem pariter modo locutus est Dominus ceteris animalibus, & pænè similiter ipsimet terræ, cùm dixit: *Germinet terra herbam virentem*, & quæ sequuntur. Et tamen propriè loquendo, non autem metaphoricè, nemo vere dixerit, Deum imperasse seu præcepisse brutis, & adhuc minùs terræ, quæ omnino insensibilis est: sed potiùs ipsum Deum prædicta omnia per modum imperantis protulisse, non tamquam volens præcepta facere; sed ad ostendendam verborum suorum ac voluntatis suæ efficaciam, cui non modò irrationabilia, verumetiam insensibilia, non minùs ac si sensu & ratione essent prædita, ad nutum obsequuntur; quemadmodum quando dixit: *Fiat lux, Fiat firmamentum*, & reliqua.

27. Denique si hæc verba, *Crescite*, &c. inducerent præceptum singulis hominibus amplexandi statum coniugalem; oporteret fateri, Scripturam sacram (quod nefas est arbitrari) sibi ipsi esse contrariam: quandoquidem negare non possumus, quin

Apo-

Apostolus 1. ad Corinth. in toto ferè cap. 7. præferat coniugio virginitatem & cælibatum. Et ipsemet Christus Matth. cap. 19. vers. 10. cùm de satis arcta coniugij lege disseruisset, dictùmque ei esset à discipulis suis: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*; respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Quibus verbis, inficiari nemo potest, quin apertissimè Christus homines ad vitam cælibem amplexandam sit vehementer adhortatus, vt optimè exponit S. Ioannes Chrysostomus Hom. 63. in Matthæum, sub medium. Quod certè non fecisset Dominus, si omnes & singuli diuino præcepto tenerentur ducere vxores, & filios procreare. Igitur, vt diximus, verba illa, *Crescite*, &c. non habuerunt vim præcipiendi, sed tribuendi hominibus eam facultatem, & illum naturalem appetitum multiplicandi genus suum, quem Dominus iisdem verbis tribuerat cæteris animalibus. Veruntamen, quod attinet ad huius appetitus executionem, illud inter bruta hominesque interest, quòd illa, irrationabilia cùm sint, naturali quodam instinctu & sensuali dumtaxat impulsu aguntur; isti verò, qui ratione sunt præditi, rectâ potissimùm ratione ac diuina lege in suis operationibus dirigi ac regulari debent. Postulat autem tum institutio diuina, tum recta ratio, non expedire vt singuli coniugio copulari teneantur; cùm id ad humanam speciem conseruandam, atque quantum opus est multiplicandam, necessarium non sit: contrà verò, rationi diuinisque consiliis valdè sit consentaneum, in sancta Dei Ecclesia aliquos, præsertim cultui diuino specialiter mancipatos, vitam cælibem agere: vt vel sic à curis sæcularibus, & à mundi illecebris, aliisque impedimentis liberi, accuratiùs ac puriori mentis affectu, corporisque seruitio, diuinis rebus vacare queant. Quod si in ipsis idolorum cultoribus, puta in virginibus Vestalibus, Gentilitas non abhorruit, sed continuato vsu probauit; quis in cultu veri & summi Dei, quem longè sanctiùs ac perfectiùs venerari par est, illud audeat improbare ac damnare? Deinde, si videmus quotidie multa animalium genera, tum volatilia tum quadrupedia, ab hominibus sine vlla Dei offensa castrari; quemadmodum altilia, vt ad esum pinguiora ac magis saporosa reddantur; & iumenta, vt in oneribus deferendis pacatiora fiant, faciliusque in aliis quoq; hominum seruitiis dirigi possint. Quin etiam constet, ipsos item homines apud quasdam nationes à propriis parentibus non per iniuriam eunuchos fieri consueuisse, sed vt sic idonei reddantur, qui ad inseruiendum mulieribus Principum conquiri, atque ipsorum quæstu longè vberrimo conduci valeant. Et scimus equos militares, etsi non castratione, certè diligenti admodum custodia à coitu præseruari, quò in bellis validiores euadant: quid miramur, si ex hominibus aliqui sine Creatoris offensa, immò cum eiusdem gratia, seipsos quodammodò per continentiam castrare contendunt, propter regnum cælorum? vt scilicet & contra diabolum fortiores, & in conspectu Dei gratiores, & ad omnes ipsius Dei nutus promptiores efficiantur, ac denique, vt puriùs sanctiùsque diuinis ministeriis interesse, & sanctissimo Deo vacare atque inseruire possint? præsertim cùm certissimum sit, vt quotidiana docet experientia, & monet etiam Apostolus 1. ad Cor. cap. 7. vers. 32. quòd vir & mulier nupti cogitant quę sunt mundi, & quomodo placeant sibi inuicem, & diuisi sunt; id est non plenè, sed ex parte tantùm in iis quæ Dei sunt occupari possunt: qui autem innupti, nulla alia premuntur sollicitudine, nisi hac vna, quomodo placeant Deo. Et hæc pauca hîc, veluti obiter, ad fauorem cælibatus, quantum ipsa occasio exigere videbatur, sint dicta. nunc ad institutum nostrum redeamus.

28. Diximus, Deum post indultam cunctis mundi animantibus fecunditatem, vt qui in suis indiuiduis non poterant, saltem secundùm species perpetuari valerent, secundo loco ipsis omnibus hominem specialiter præfecisse, eúmque tamquam omnium principem ac dominatorem constituisse; ius ei & potestatem amplissimam in cuncta animantia tribuens: vt propterea mirum non sit, si licitum est homini eadem venari, occidere, & in vsus proprios insumere aut conuertere: siquidem ius istud etiam post lapsum hominis permanet, tamquam ei naturaliter datum, propter naturæ rationalis excellentiam, & imaginem Dei eidem naturaliter inditam. certum est autem, ipsum hominem bona naturalia propter peccatum non amisisse, quoniam peccatum naturam non destruit. Videtur etiam specialiter homini eadem potestas à Deo confirmata post peccatum, quando scilicet exacto Diluuio dixit Deus Noë & filiis eius: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouentur super terram; omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. & omne quod mouetur*

DE HOMINIS DOMINIO SVPER CETERA ANIMANTIA.

& viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Genes. cap. 9. vers. 2. Itaque vt dictum est, etiam post lapsum habet homo ius dominij huius & potestatis super omnia animantia: & propterea, vt ait S. Iacobus Apostolus in sua Catholica cap. 3. vers. 7. *Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* & loquitur ibi Apostolus non de statu innocentiæ hominum, sed lapsus. & hoc idem etiam patet experientiâ; quandoquidem videmus, cuncta animantium genera ab hominibus subiici ac superari. Atque hæc quidem vis & potestas non in corporis, sed in animi viribus potissimùm sita est. Quis enim nesciat, hominem nudum inermemque nasci? contrà verò animalia multis variisque non solùm tegumentis, sed etiam veluti quibusdam loricis ad sui tutelam operta, & quasi armis ad aliorum offensam donata fuisse? aculeis, dentibus, cornibus, vnguibus, rostris, & huiusmodi? Quis item nesciat, hominem à pluribus feris membrorum agilitate, cursus velocitate, virium robore, & quorumdam sensuum acumine longè superari? non enim lyncis visum, aut vulturis canisve olfactum habet homo, neque ceruis velocior, aut leonibus fortior est, aut piscium auiumque mobilitatem assequi valet: & quamquam natando pisces quodammodò æmulari videatur, non tamen aues volando imitari adhuc potuit. At verò ratione, consilio, prudentia, ingenio omnibus antecellit. His itaque animi dotibus potissimùm, & præterea etiam, vt notauit Medicorum princeps Galenus lib. 9. de Vsu partium cap. 2. manuum adiumento, quibus arma, laqueos, hamos, sagenas, & infinita propemodum alia retium aliorumque huiusmodi instrumentorum genera fabricare valet, cunctis irrationabilibus dominatur. Hisce auxiliis eum in vsum comparatis, omne robur virium & ferocitatem ipsorum frangit, astutiam supplantat, impetum retardat: his frenat equos, domat elephantes, leones, vrsos, & omne feratum genus: his serpentes abigit, dracones necat, cete grandia, balenas, & omnia maris monstra, non minus ac paruos pisciculos, capit, interficit, & in vsus proprios conuertit. Quid plura? aues è cælo detrahit, pisces de profundo mari educit, & quædam etiam animalia è montium speluncis, & fermè ex ipsis terræ visceribus extrahit; adeò nullus est locus ita absconditus, nullus recessus ita abditus, in quo tutò permanere animalia, & hominis dominium eludere, aut omnino à se abdicare valeant. Sed hæc tum Ecclesiasticis Auctoribus, tum etiam ethnicis Philosophis notiora sunt, quàm vt pluribus explicari hoc loco indigeant.

DE DOMINIO HOMINIS IN ANIMALIA.

29. Verumenimuerò illud quoque indubitatum est, hoc hominis in animalia dominium, quantum spectat ad eius vsum, valdè esse post lapsum ipsius hominis imminutum & limitatum: quandoquidem in felicissimo illo innocentiæ statu, multo pleniorem ac perfectiorem habebat homo prædictæ potestatis vsum, & promptissimam executionem; ita vt neque ex parte sua vlla esset in præcipiendo difficultas, neque ex parte animalium vlla interueniret in obediendo homini repugnantia. Quia (vt quidam existimant) cùm tunc esset in homine longè maior industria, prudentia, solertia, ac peritia cunctarum proprietatum, & naturalium inclinationum ipsorum animalium, facilè poterat suis artibus & ingenio illa domare, & sibi omnino subdita atque ad nutum obsequentia reddere; quemadmodum nunc quoque aliquatenus interdum fieri videmus. Etenim non desunt, qui probatissimis quibusdam antidotis, siue vt vocant, præseruatiuis, vel etiam incantationibus (quod tamen sine grauissima culpa, vt patet Deuter. c. 18. vers. 11. fieri nequit) venenosos innoxiè contrectant serpentes: & qui succo, vt aiunt, hordei elephantos mansuefaciunt: & qui leones, vel eos plaga aliqua curantes, vel benè alentes commodeque tractantes, vel ad frigidiores regiones deferentes, ita naturali sua ferocia exuunt, vt cum eis etiam ludere non vereantur: & item qui psittacos, picas, aliasque volucres, sæpiùs iterata cibi admodum grati appositione ac retractione, docent humana verba proferre. Vide illud Persij in Prologo Satyrarum:

Quis expediuit psittaco suum chaire?
Coruos quis olim concauum salutare?
Picasq. docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingeniiq. largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

Ad hunc modum, sed multò faciliùs ac perfectiùs, & sine vllo labore aut culpa, putant aliqui, hominem ante peccatum potuisse cuncta animalia sibi in omnibus obsequentia reddere. Alij autem opinantur, quòd quemadmodum in statu innocentiæ Dei prouidentia cautum erat, ne animalia aut quidquam aliud nocere posset homini; ita etiam Angelico, vt creditur, ministerio prouisum fuerit, vt eadem animalia suapte natura

tura omnino imperio ac voluntati humanæ obtemperarent. Quidquid sit de causa & modo; constat de effectu, quòd omnia ad nutum homini parebant. At verò post lapsum non item; tametsi, Deo miserante, quædam nobis haud obscura prioris potestatis vestigia remanserint: ex quibus etiam ad credendum quanta prior illa fuerit, facilè adduci possumus. Etenim præterquam quòd nunc quoque potest homo quælibet animalia, quantumuis ferocia & callida, vi, arte, & ingenio domare, hoc est superare, occidere, capere, & in potestatem redigere, iuxta sancti Iacobi sententiam numero præcedenti adductam: constat etiam, aliqua ex omnibus ferè ipsorum generibus animalia, hominum artibus & industria aliquo saltem modo posse mitificari. Nam & de aspide à quodam Ægyptio aliquatenus cicur reddita, ex Philarcho refert Plinius libro 10. cap. 74. & de Heraclide Philosopho Pontico legimus in vita ipsius apud Diogenem Laërtium, quòd cùm adhuc esset puer, draconem enutriuit; & domestica deinceps conuersatione, donec vixit, secum habuit. De Augusto quoque tradit Plinius lib. 8. cap. 17. quòd Q. Tuberone, Fabio Maximo Coss. IV. Nonas Maij Theatri Marcelli dedicatione, tigrim primus omnium Romæ ostendit in cauea mansuefactam: Claudius verò simul quattuor. De altera item tigride mitificata, & Anastasio Imperatori ex India dono missa, refert ex Marcellino Glossa Ordinaria super Epistola Catholica B. Iacobi Apostoli, capitulo tertio. Deniq; plura huius generis exempla adducunt Ioan. Rauisius Textor, in sua Officina, cap. De diuersis animalibus mansuefactis, quorum ministerio vsi sunt homines: & Auctor Theatri vitæ humanæ, volumine 20. lib. 2. cap. De animalium domitoribus, cicuratoribus, & magistris. Nos verò paucis hisce contenti fuimus, quoniam si aspides, si dracones, si ipsæ tigrides omnium ferarum sæuissimæ, hominum industria mansuescere possunt; quanto idem fit credibilius de aliis animalibus minori feritate præditis? Verùm illud prorsus verissimum est, neque quemlibet hominem ad quælibet animalia vel capienda, vel mansuefacienda esse idoneum, neque vllum omnino reperiri hominem, qui naturaliter cunctis irrationabilibus imperare, ac vt sibi semper obediant, sicuti prius solebant, efficere queat. Siquidem præter aquatica humanis artibus mansuescere nescia, duo sunt aliorum genera, quæ humanum imperium communiter recusare omnium maximè solent; nimirum maiora & magis ferocia, vt sunt lupi, leones, tigres, &c. & minima atque infirma, cuiusmodi culices, pulices, & omne muscarum genus. hæc namque minus etiam cicurari valent quàm fortia & magna; & quodammodò insuper homini magis infesta sunt, vt quotidie experimur. Verumenimuerò, est quòd sanè plurimùm debeamus diuinæ bonitati, quę (posteaquam nobis ab eius obedientia recedentibus, iustum valde erat, vt ipsa quoque irrationabilia à nostra ditione desciscerent) ita vltionem hanc temperauit, vt & ea potissimùm ab omnimoda hominis subiectione subtrahi permiserit, quæ eidem minùs erant vtilia & commoda, cuiusmodi sunt feræ: reliquerit verò, quæ vsibus & oblectamentis quoque humanis magis erant idonea, nempe pecora, iumenta, canes, simias, psittacos, & id genus alia. Et prætereà indulserit, vt multa essent animalium genera, quæ tametsi non semper hominibus parere videantur, eisdem tamen naturali quadam inclinatione vt plurimùm famulari non renuunt, vel quodammodò scienter ac de industria, vt accipitres, falcones, & eiusmodi alia in variis aucupiorum lusibus quæstibúsve adhibita; & præcipuè canes, qui non modò pro dominis suis alacriter venari non cunctantur, verùm etiam eosdem dominos, cùm opus est, & quæ dominorum sunt, puta pecora & iumenta, ab hostibus, à lupis ferísque tutari, ac pro eisdem fortiter, & interdum quoque vsque ad mortem pugnare non metuunt: alia verò, licet nescia quòd pro homine laborent, non cessant tamen, quæ illi noxia sunt, omni studio diu noctúque insectari ac perdere; vt feles, de quibus non sine admiratione Plinius lib. 10. c. 73. dicebat: *Quo silentio, quàm lenibus vestigiis, quàm occulto speculatu in musculos exiliunt?* & ciconiæ, quæ venenosos quoque serpentes interimunt. Quod & potissimùm præstant ibes, soli, vt aiunt: Ægypto peculiares, de quibus Cicero lib. 2. de Natura Deorum: *Ibes*, inquit, *maximam vim serpentium conficiunt, cùm sint aues excelsæ, rigidis cruribus, corneo proceroq́, rostro: auertunt pestem ab Aegypto, cùm volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo inuectas interficiunt atque consumunt.* hæc ille. Quamobrem olim Ægyptij, vt erant omnino omnis veri Dei cognitionis expertes atque ignari, easdem ibides pro diis habere ac venerari non dubitarunt; honorem quem diuinæ prouidentiæ exhibere, atque ab eadem tale tantumque beneficium recognoscere debebant, irrationabilibus hisce animalibus ingratissimè tribuentes. Hic si quis pleniorem dictarum ibidum, & item serpentum alatorum notitiam desiderat, audiat quid de ipsis multò

ANIMALIA QVAEDAM AB HOMINE DOMITA.

QVAEDAM CICVRARI NON POSSVNT.

IBES A CICERONE DESCRIPTAE.

AB HERODOTO SERPENTES ALATI. multò ante Ciceronis tempora scriptum reliquerit Herodotus. Ipse enim prope medium libri 2. sic ait: *Fertur ex Arabia serpentes alatos ineunte statim vere in Aegyptum volare, sed eis ad ingressum planitiei occurrentes aues ibidem non permittere, atque ipsos intertimere; & ob id opus, Ibidem magno in honore ab Aegyptiis haberi. Arabes aiunt, confitentibus & ipsis Aegyptiis, idcircò se his auibus honorem exhibere. Eius auis species talis est. Nigra tota vehementer est, cruribus gruinis, rostro maxima ex parte adunco, eadem qua crex magnitudine. & hæc quidem species est nigrarum, qua cum serpentibus pugnant: at earum quæ pedes humanis similes habent (nam bifariàm ibidem sunt) gracile caput, ac totum collum penè candida, præter caput ceruicémque, & extrema alarum, natiúmque, quæ omnia sunt vehementer nigra; crura & facies alteri consentanea. Serpentis porrò figura, qualis hydrorum; alas non pennatas, sed glabras gerit, & alis vespertilionis valdè similes.* Hucusque Herodotus.

DE DOMINIO HOMINIS IN HOMINES. 30. Ceterùm si quis quærat, num Deus dominium quoque dederit homini in homines? (videmus enim alios aliis dominari) breuiter ex B. Thoma parte 1. quæst. 92. art. 1. ad 2. respondemus: Duplex ex Aristotele 7. Politic. cap. 14. reperiri dominium inter homines: alterum, quod totum pertinet ad dominantis vtilitaté; quod coactum, violentum, & tyrannicum appellant, ac seruile; quia sibi subditos graui seruitute premit: & hoc à Deo non est datum homini in statu innocentiæ existenti, sed postmodum diuina permissione in pœnam peccati, iure introductum fuit inter homines: nam vt sanctus ait Augustinus libro 19. de Ciuit. cap. 15. *conditio seruitutis, iure intelligitur imposita peccatori: proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noë iustus peccatum filij vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.* hactenus Augustinus. Alterum est dominium voluntarium & liberum, seu in liberos, quod ciuile dicitur, & naturaliter in omni communitate ac multitudine videtur esse perquam necessarium: alioqui, vbi non est debitus ordo superiorum & inferiorum, necesse est omnia perturbari & confundi. Et hoc dominium non solùm à Deo datum est hominibus, sed etiam Angelis; sunt enim inter ipsos alij aliis natura superiores. Verumtamen, quia huiuscemodi dominium, quod principaliter respicit bonum subditorum & totius communitatis, non omnibus conueniebat hominibus, sed quibusdam dumtaxat potestate ac prudentia præstantioribus: idcircò non dictum est homini vniuersaliter, vt dominaretur hominibus, sed tantummodò animalibus: quia ibi loquitur Scriptura de dominio, quod homini naturaliter quatenus homo est conuenit, & ad omnes & singulos pertinet.

31. Sed iam ad id, quod tertio loco propositum fuerat, veniamus; scilicet ad annonam, à Deo cunctis animantibus præparatam; quæ quoniam herbis & seminibus arborumque fructibus concluditur, consequi videtur, esum carnis in prima mundi ætate nemini fuisse concessum: quod inferius quoque sub anno mundi 1657. num. 11. vsque ad 16. speciatim respectu hominum comprobabimus. Et hinc oritur magna illa difficultas de his animalibus, quæ nunc naturaliter carnibus vesci videmus; vt sunt lupi, leones, vultures, falcones, & alia huiusmodi, vtrùm etiam tunc carnis esu nutrirentur, vt sentit B. Thomas parte 1. quæst. 96. art. 1. an etiam ipsa, sicut & cetera, tantummodò herbas fructusque comederent, vt arbitrantur Beda in Hexaëmeron, & sanctus Basilius in Homil. 11. in Genes. & alij. Et quidem primo aspectu non mediocriter mouet dictum B. Thomæ, qui ait, *Irrationabile esse opinari, naturam horum animalium fuisse immutatam, ita vt quæ nunc carnibus naturaliter vescuntur, priùs herbis naturaliter vescerentur.* Et est ac si hoc pacto argueret sanctus Doctor: Quod naturale alicui est, semper tale est, itaque si, verbi gratia, lupus & leo nunc naturaliter pascuntur carnibus; ergo semper, & consequenter etiam ante Diluuium videntur necessariò eodem cibo vesci consueuisse. At contrà, valdè vrget sacræ Scripturæ auctoritas, quæ adeò clare & generaliter loquitur, vt nullus relinqui posse videatur ambigendi locus. inquit enim Genes. cap. 1. vers. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omniq; volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Ecce quomodo tantummodò humi nascentia concedit in cibum hominibus, & ceteris animantibus, quæ terminis, vt ita dixerim, generalissimis complectitur, conceptis verbis, explicans cuncta animantia terræ, & omnia volucria cæli, & vniuersa quæ mouentur in terra, & demum, vt iterùm paucis omnia sine vlla exceptione comprehendat, addit: *Et in quibus est anima viuens.* Quis igitur audeat suspicari, nedum asserere, quòd ex prædicta generalitate excipienda

VTRVM ANIMALIA QVAE NVNC SVNT CARNIVORA, SIC FVERINT ANTE DILVVIVM.

sint

sint tot animalium genera, eaque ceteris nobiliora, quæ nunc carniuora dicimus; cùm ne vnum quidem vel minimum genus excipiendum fore, apertissimè præcitata verba demonstrent? Aut quis vmquam cogitare poterit, Deum, de quo legimus in Psal. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* & Matthæi cap. 6. vers. 26. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa.* & denique in Psal. 103. *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Quis, inquam, credat, vniuersalem Dei prouidentiam & bonitatem, quæ se extendit ad omnia, & (vt dictum est) etiam pullis coruorum, tamquam adulterinis, eò quòd albi sint, à propriis parentibus in nido derelictis, subuenire non negligit, tot ac tantis nobilioribus animalium generibus, qualia sunt quæ nunc carniuora appellamus, prouidere ab initio de cibis naturæ ipsorum conuenientibus non curasse? profectò renuit animus credere, quòd in prædicta communi omnibus animantibus prouisione, illa præsertim animalia, quæ ceteris præstare videntur, præterita fuerint. Quare necessarium videtur, ipsa quoque cum ceteris fuisse comprehensa, & eamdem cum illis escam fuisse sortita; alioqui non diu viuere, neque vsque nunc species suas conseruare potuissent. prætereà, si vera esset opinio illorum qui putant, Deum ab initio duo tantùm animalia, masculum scilicet & feminam, cuiusque speciei creasse, ac proinde ipsis, quemadmodum & hominibus, dixisse: *Crescite, & multiplicamini:* certè necessariò consequeretur, quòd animalia, quæ nunc sunt carniuora, tunc saltem per satis longum tempus non potuissent vesci carnibus, donec scilicet cetera multiplicata essent: alioqui si ex tunc, verbi gratia lupus ouem, & aquila columbam comedisset, nequaquam oues columbæque multiplicari potuissent; & multæ aliæ animalium species prorsus sublatæ atque omnino exterminatæ, mundum ipsum mancum imperfectumque reliquissent. His adde, quòd communiter omnes (paucis dumtaxat exceptis) concedunt, in arca non fuisse repositas carnes pro pascendis carniuoris, quod est admodum credibile, quia præceperat Dominus ipsi Noë Genes. cap. 6. vers. 21. vt tolleret secum ex omnibus escis, quæ mandi poterant, vt essent tam sibi quàm animalibus in cibum: atqui eo tempore esus carnis adhuc nemini à Deo concessus fuerat; ergo Noë non comportauit in arcam carnes: igitur durante Diluuio, nimirum anno integro, necesse est, non carnibus, sed esu aliorum ciborum, etiam ipsa quæ nunc sunt carniuora, fuisse sustentata: quod si verum est, vt credimus, & sub anno mundi 1656. num. 13. confirmabimus, oportet insuper fateri, eadem animalia etiam post egressum de arca per aliquod tempus non carnibus, sed aliis cibis fuisse alita, donec scilicet aliorum animalium species, quæ à carniuoris edi solent, ampliùs multiplicarentur. Itaque ex dictis manifestum est, quòd animalia, quæ nunc sunt carniuora, non semper fuere talia, sed aliquando ipsa quoque herbis & terræ fructibus, sicut & cetera, pascebantur. Nec hoc difficile credi poterit, si recolamus, quòd ante Diluuium longè meliorem habebant animalia corporis habitudinem; cuius rei signum est, quòd diuriùs admodum viuebant, vt patet de hominibus: & humi nascentia erant multo melioris succi, quàm nunc; ita vt etiam homines his tantummodò vescentes, non solùm possent satis commodam vitam degere; sed etiam longè robustiores euaderent, quàm ex quo carnibus vesci cœperunt.

32. Restat nunc ad rationem S. Thomæ in contrarium adductam respondere. Dicimus ergo, esum carnis in prædictis animalibus non esse proprietatem adeò naturalem, sicuti est esse risibile in homine: siquidem hoc cùm fluat ex principiis naturalibus ipsius hominis, inseparabile est ab ipso homine; illud autem nequaquam: nam in carniuoris, edere carnes, vna est ex illis proprietatibus, quæ ex corporum temperamento seu habitudine prouenire possunt, vel etiam ex longa consuetudine iam introducta: quæ proprietates non simpliciter & propriè dicuntur naturales, sed largo quodam modo; quemadmodum etiam vulgò dicimus, consuetudinem esse alteram naturam: & proptereà non sunt à subiecto inseparabiles; sed variata, vt sæpe fit, quam vocant, complexione, aut sensim mutata consuetudine, etiam ipsæ variantur. Quamuis fieri quandoque possit, vt permanente causa, ipsæ quoque perpetuò durent. Videmus enim quosdam veluti naturaliter aquam bibere, ita vt vini potum nullo modo sustinere possint: alios caseum, aut aliud ciborum genus, ita abominari, vt vllum vix videre sustineant; qui tamen posteà, vel, vt dixi, ex complexionis mutatione, vel etiam ex solo vsu, paulatim, & interdum non sine maxima difficultate introducto, vinum ita bibere assuescunt, vt deinceps sine eius potu diu viuere posse non videantur: & similiter cibos priùs

ingratos, magna cum suauitate & valetudinis augmento degustent & sumant. Scimus etiam pueros seu infantes nutriri lacte, senes verò potissimùm vino: sed hoc ordinariè accidit; quia valdè diuersa est corporis constitutio in infante, ab ea quę est in sene. Sed illæ aliæ proprietates, puta bibendi aquam, vel non edendi caseum, aut quid aliud, interdum, vt dixi, mutata causa, aut superata consuetudine, cessant; interdum verò, causa perpetuò permanente, & ipsę pariter permanent semper. Quod nunc vsu venisse credimus in carniuoris, quæ partim (vt dixi) ob corpoream constitutionem post Diluuium immutatam, partim ex longo vsu, iam per plures ætates & successiones admodum obfirmato, proprietatem hanc carniuoram, veluti quamdam alteram naturam induisse certum est; non quidem (vt arbitror) omnino ac naturaliter inseparabilem, sed ex accidenti; nimirum quia rationis expertia cùm sint, sensumque suapte natura in omnibus sequantur, fieri posse non videatur, vt relictis carnibus, induci possint ad edendas herbas & fructus, iam (quemadmodum dictum est) deteriores post Diluuium redditos, & ipsis modò penitus insuaues. Sed quæret hîc fortasse aliquis, quomodo, & qua occasione cœperint huiusmodi animalia, relicto herbarum fructuumque esu, vesci carnibus. Ad hoc dicimus, nihil certi posse nos in medium afferre, sed tamen non improbabiliter coniectari, quòd quia ceteris calidiora ac sicciora sunt, audiora quoque esse solent, & item audaciora, atque ad inferendam vim debilioribus promptiora. Cùm igitur post Diluuium aliquando experirentur, herbas & fructus iam deterioris succi factos, non æquè ac priùs, eorum naturali indigentiæ ac gustui satisfacere; fieri potest casu aliquo accidisse, vt dum præ famis impatientia, aut aliter in furorem acta, infirmiora insectarentur animalia, & morderent, semel degustata sanguinis carnisque suauitate, deinceps relictis paulatim herbis & fructibus, esui carnis ita adhæserint, & filios exemplo suo ita facere docuerint; vt tandem id eis in naturam transierit, si non omnino fortassis inseparabilem, certè separatu difficillimam. Sed iam cœptam prosequamur historiam.

QVOMODO QVAE NVNC DICVNTVR CARNIVORA COEPERINT ESSE TALIA.

☞ 33. Post tot beneficia & priuilegia primis nostris parentibus indulta, placuit Deo eosdem sanctissimis legibus instituere; & hoc est, quod quarto loco tractare proposueramus. Igitur tres primò leges eis ab initio creationis ipsorum dedit: Alteram nimirum naturalem, cuius primum præceptum est, Bonum esse faciendum & prosequendum, malum verò vitandum; vt rectè docet S. Thomas 1.2. quæst. 94. in corp. art. 2. Porrò ista lex dicitur naturalis, quia communis est cunctis hominibus, & tamquam ipsius hominis naturæ ingenita, nobisque naturali lumine manifestata; quemadmodum breuiter innuit Regius Propheta in Psal. 4. v. 7. illis verbis: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Et explicatiùs tradit Apostolus ad Rom. cap. 2. v. 14. & 15. vbi ait, quòd Gentes quando *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Alteram supernaturalem, scilicet de credendo ac sperando in Deum, ipsumq; super omnia diligendo: quam legem idē Deus non naturali sed supernaturali modo hominibus, ad ipsorum maius bonū dare solet; & ipsismet vel per internam inspirationem, vt primis hominibus, vel per Scripturas sacras, vel etiam per alicuius instructionem, declarare. Tertiam demum specialem, videlicet de ligno scientiæ boni & mali minimè degustando, eis imponere operæpretium duxit; vt huiuscemodi legibus manifestum faceret, se liberum hominibus arbitrium tribuisse: alioqui ad quid illis leges, præsertim pœnales, iniungere, qui non aliter, quàm quod præceptum prohibitúmve esset, facere possent? Rectè igitur Sapiens Ecclesiastici cap. 15. vers. 14. vbi testatur, Deum fecisse hominem liberum, adiungit etiam, & dedisse ei præcepta, dicens: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui; adiecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* hactenus Sapiens. Itaque, vt dixi, dedit Dominus primis nostris parentibus vnicum dumtaxat præceptum negatiuum; videlicet, ne de ligno scientiæ boni & mali comederent, sub pœna mortis incurrendæ; si de ipso edere ausi essent. Quod quidem præceptum, licet ipsi Adamo, vtpote qui caput erat mulieris, & totius humani generis origo, primò & principaliter factum sit; ambos tamen proculdubiò obligabat: nam & propter eius transgressionem vterque punitus fuit, vt nos infrà sub anno mundi primo, num. 12. vsque ad 21. fusiùs ostendemus. Quamuis si solus Adam illud non fuisset transgressus, non tota eius posteritas transgressionis illius pœnas lueret, vt etiam suprà num. 24. dictum est. Vir enim principaliter & actiuè concurrit ad generationem prolis, & ideò ipsa magis propriè à patre

DE LEGIBVS A DEO PRIMVM HOMINI DATIS.

DE PRAECEPTO ABSTINENDI A FRVCTV VETITO.

patre quàm à matre prodire dicitur: vnde etiam genealogiæ per paternam lineam, non autem per maternam rectè deduci solent. Et certum est, mulierem à Deo datam fuisse viro in adiutorium, quemadmodum legimus Genes. cap. 2. vers. 18. & 20. In adiutorium, inquam, ad gignendam prolem, sicuti optimè declarat S. Augustinus lib. 9. de Genes. ad litteram cap. 3. & 5. Vnde licet ipsa quoque necessariò ad ipsam concurrat generationem, non tamen tamquam principalis ac primaria generationis origo, quę sola est ipse vir. Cùm ergo solus Adam reuerà esset veluti primum caput ac seminarium totius humani generis, ex quo nimirum omne genus hominum erat propagandum & multiplicandum, vtique sequitur, quòd si ipse non peccasset, sed Heua tantùm, originalis culpæ labes ad posteros transfundi non potuisset. Creditur itaq; Deus tale quoddam fœdus cum ipso Adamo tunc iniisse, vt si is dictum mandatum perpetuò obseruasset, iustitia originalis, immortalitas, & gratia gratum faciens, aliaque eiusmodi supernaturalia dona eidem collata, etiam ad posteros suos veluti iure quodam hereditario pertransirent: contrà verò, quandocumque ipse inobediens Deo fieret, prædicta omnia non sibi tantùm, sed toti etiam posteritati suæ amitteret: non secus ac videmus perduellem ac rebellem regi, non modò bonorum quæ à rege acceperat, ipso iure iacturam facere, verùm etiam progeniem quoque suam eadem læsæ Maiestatis nota infectam, & consequenter regis gratia expertem relinquere. Et hoc est originale peccatum, quod nos miseri ex lapsu primi parentis contraximus; & cuius causa (Apostolo ad Ephes. cap. 2. vers. 3. teste) *eramus* (subaudi, ante Baptismum) *natura filij iræ, sicut & ceteri.* Sanè peccatum originale, iuxta S. Thomam 1. 2. quæst. 82. art. 3. est carentia iustitiæ originalis, per quam voluntas humana omnino subiecta erat Deo, eique in omnibus & per omnia obtemperabat. Hanc iustitiam perdidit Adam per suam voluntariam inobedientiam, quando de ligno vetito edere ausus est. Et quia tunc in lumbis eius tamquam in causa originali erant omnes homines; propterea (vt ait Apostolus ad Romanos cap. 5. vers. 12.) in ipso omnes peccauerunt; & peccatum illud ab illa origine, per successiuas generationes, ad omnes eius posteros pertransiit. Et ratio est, quia sicuti videmus, quòd homo generat hominem, non in specie solùm, sed & in multis aliis adiunctis sibi similem, puta diues diuitem, pauper pauperem, princeps principem, seruus seruum, & sic de aliis; ita necessarium fuit, quòd Adam non solùm homines specie sibi similes, sed etiam eiusdem conditionis, cuius ipse erat, nos generaret; & vt tamquam vniuersi generis humani caput, quod in se habebat, siue bonum siue malum, in filios tamquàm in propria membra influeret; præsertim attento fœdere, quod cum ipso Deum pepigisse iam diximus, nimirum vt si fidelis foret, bona ei diuinitus collata ad posteros quoque suos per ipsum deriuarent; sin minùs, eadem & sibi & illis perdita censerentur. Igitur certum est, quòd si de Adamo nati fuissemus, quando ipse iustitia originali, mentis rectitudine, diuina gratia, immortalitate, aliisque eiusmodi supernaturalibus donis erat præditus; vtique omnes iusti, & ceteris eisdem donis ornati ac dotati orti essemus. Quia verò è conuerso, de ipso peccatore ac paupere, hoc est, cunctis memoratis supernaturalibus donis spoliato nati sumus; ideò omnes sine his & eiusmodi bonis, pauperes ac peccatores, & morti obnoxij, & filij iræ, & (vt verbis Apostoli capite ad Rom. citato vers. 14. vtar) *in similitudinem præuaricationis* [seu præuaricatoris] *Adæ* nascimur. Contigit ergo nobis spiritualiter, quod corporaliter accidit his qui hereditario aliquo morbo laborant, qui illum ex intimis parentum visceribus traxisse dicuntur. Siquidem & nos, quoniam in Adam, vt dictum est, siue in lumbis eius existentes peccauimus, quando posteà per naturales generationes propagamur, ab eisdemmet eius lumbis hunc spiritualem morbum, scilicet peccati originalis maculam, reatumque, & mortis pœnam contrahimus. Et hæc pauca de peccato originali, cuius in historia facta est mentio, hic more nostro tetigisse sufficiat. Plura enim qui volet, apud sacros Theologos inuenire poterit. Sed si quis quærat, cur duabus primis legibus non contentus, tertiam insuper Deus adiicere voluerit; Respondent Doctores, id duplici de causa esse factum. nempe vt absolutum se Deus hominis Dominum esse euidentius ostenderet; qui etiam ea, quæ neque legi naturali, neque supernaturali aduersantur, neque vllo modo per se mala essent, ipse nihilominùs pro suo arbitratu, tamquam supremus omnium Dominus, absolute præcipere prohibereve posset. Vnde non ineptè quidam obseruarunt, quòd Deus Genes. cap. 1. & 2. numquam se Dominum à Moyse appellari voluit, nisi post indultum homini super cetera animalia dominium. Ad quid hoc, inquiunt? nisi vt specialiter ostenderet, se ita hominem animalium aliarumque rerum dominum constituisse, vt propterea ipse non desineret esse; vt semper fuit, eminentissi-

PECCATUM ORIGINALE QUOMODO CONTRAHATUR.

CUR PRAECEPTUM DE LIGNO VETITO NON DEGUSTANDO DATUM SIT.

nentissimus omnium Dominus: homines verò in cunctis ipsorum dominiis ei esse subordinatos, qui (vt dicitur Apocalyp. cap. 19. vers. 16.) ***habet in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.*** Sic multi Principes solent oppida sua aliis infeudare, quod est, eorumdem dominos instituere; supremo sibi semper, vt aiunt, dominio reseruato, per quod nihilominùs & oppidanis, & eorum dominis imperandi ius habent. Altera dicti præcepti causa est, vt vel sic in ipso primo homine, ac totius humani generis exordio, maximum virtutis obedientiæ bonum, & inobedientiæ detrimentum demonstraret: quandoquidem in tertio hoc præcepto nihil aliud quàm obedientia maioribus, in his quæ mala non sunt, exigi videbatur, Deo primùm tamquam supremo omnium Domino; qui nihil mali iubere potest; deinde aliis etiam potestatibus ab ipso institutis. Vt propterea scitè dixerit Apostolus ad Romanos cap. 13. vers. 1. omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse debere: ***Non est enim***, inquit, ***potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*** sic Apostolus. Quamquam illud inter dominos, merum, & mistum habentes imperium, & alios, interest, quòd primi possunt præcipere quæcumque per se mala non sunt, etiam sub pœna capitis, sicut olim fecit Salomon Semeo, quando imperauit ei ne transiret torrentem Cedron, alioqui sciret se moriturum 3. Regum cap. 2. vers. 36. & subditi parere tenentur. Ceteri verò Principes ac rectores præcipere possunt non nisi Legibus consentanea: quibus tamen, etiam in dubiis, parendum est. Et hæc sunt, quæ primis sex diebus à Deo acta esse, Sacra narrat historia.

MVNDVS SEX DIEBVS AN IN VNO INSTANTI SIT CREATVS.

¶ 34. Verumenimuerò, quoniam hactenus de iis, quæ sex primis diebus à Deo creata sunt, ex Sacro textu egimus; si quis successiuè huic rerum productioni ac dispositioni opponat opinionem S. Augustini lib. 2. de Genes. ad litteram cap. 6. & lib. 4. cap. 33. & alibi non semel declaratam, & aliorum, qui ipsum secuti putauerunt, Mundum non veluti per partes, sex dierum interuallo, sed simul totum vno temporis momento fuisse creatum ac perfectum: dicimus, huiuscemodi doctrinam non communiter ab omnibus, sed ab admodum paucis esse receptam, & plures habere contradictores; nouissime verò etiam Pererium, qui super 2. Genes. capite satis neruosè contra eam disputat. Et certè, ea posita, admodum difficile erit, ne dicam impossibile, multa sacræ Scripturæ loca, præsertim verò duo priora Genes. capita, rectè iuxta sensum dictæ opinionis exponere; ac alium sensum litteralem, diuersum ab eo qui ibidem conceptis verbis traditur, & manifestè historicus est, & planus, excogitare; & si id fieret, certè ille sensus non posset conciliari cum aliis Scripturæ locis, nempe Exod. cap. 20. vers. 9. & 10. cap. 31. vers. 13. vsque ad 16. & cap. 34. vers. 21. & cap. 25. vers. 2. & Leuit. cap. 23. vers. 3. & Deuter. cap. 5. vers. 13. & 14. Quibus in locis præcipitur, sex diebus operandum esse, in septimo autem quiescendum: & huius præcepti ratio redditur Exodi cap. 20. vers. 11. & item apertè ac ex professo replicatur cap. 31. vers. 17. quia nimirum sex diebus mundum Deus condidit, & in septimo requieuit, ac propterea illum sanctificauit, voluitque ab hominibus scriptæ Legis temporibus sabbatizari. Et forrè eadem quoque de causa creditur Dominus præcepisse (Exod. cap. 23. vers. 10. & Leuit. cap. 25. vers. 3.) Hebræis, vt sex annis terram colerent, & in septimo incultam ac minimè seminatam relinquerent. Et pari ratione, vt Hebraici generis serui sex annis dumtaxat dominis deseruirent Hebræis, in septimo autem ab eisdem liberi dimitterentur; vt patet Exod. cap. 21. vers. 2. & Deuter. cap. 15. vers. 12. & 18. Ad quid, obsecro, huiusmodi præcepta, si reuerà mundus vnico instanti, non autem sex diebus factus esset? Sed neque verum est, quod quidam dictæ opinionis sectatores asserunt, nimirum, illam sex dierum protractionem videri quodammodò omnipotentiæ ipsius Dei derogare, quasi non minori tempore idem præstare potuerit. Nam in illa sex dierum intercapedine, & triplicis mundi status repræsentatione, videlicet creationis, distinctionis, & ornatus rerum, distributè magis & euidentiùs ostendit Deus non modò omnipotentiam, sed & sapientiam ac bonitatem suam, quæ sunt tria ipsius primaria attributa. Omnipotentiam, in rebus de nihilo producendis, & his quæ singulis diebus faciebat, vnica iussione & vnico pariter instanti producendis. Sapientiam, in his quæ fecerat, sapientissimè distinguendis ac ordinandis, ita vt mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæreret ac niteretur: quod ad opus priorum trium dierum pertinuisse videtur. Bonitatem verò, in eisdem rebus iam productis, optimeque dispositis, mirabiliter exornandis, decorandis, ac perficiendis, quod tribus posterioribus diebus actum est. Præterea, non videtur memorata sancti Augustini opinio ex sacra Scriptura satis

firmi-

firmiter elici posse ac stabiliri: nam illa tria eiusdem S. Scripturæ loca, quæ pro illa adduci solent, multò aliter ab aliis Ecclesiasticis Scriptoribus exponi consueuerunt, & ita, vt non minùs nostræ communiorique, quàm B. Augustini sententiæ adaptari possint. Etenim quod dicitur Genes. cap. 2. versic. 4. *In die quo fecit Dominus Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, omnémque herbam,* &c. illud, *in die*, idem est ac si dixisset, *in tempore*, vel *in diebus*, sumpto numero singulari pro plurali, vt aliàs Scriptura solet, & è conuerso. Quod autem adducitur ex Iob cap. 40. vers. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* (dato quòd ibi Behemoth, vt multi putant, sumi debeat pro diabolo) licet ad mentem dicti sancti Doctoris exponi possit, quòd diabolus & homo in eodem pariter instanti fuerint creati, hæc tamen propositio si simpliciter & strictè accipiatur, falsa est, quemadmodum nos suprà in Mund. Primord. num. 19. ex S. Ioanne Chrysostomo ostendimus: quamuis latiùs accepta, ad mentem aliorum rectè etiam potest intelligi, perinde ac si diceretur, eos pariter in eodem mundi exordio esse factos; sumpto exordij vocabulo non strictè, pro primo indiuisibili temporis momento; sed (vt Scriptura sacra aliàs quoq; solet accipere) latiori quodam modo, quatenus scilicet totam successiuamque sex primorum dierum latitudinem complectitur. Vnde non incongruè inquiunt, quidquid intra prædictos sex dies actum est, id omne in Scripturis sacris ab initio Mundi actum dici: quandoquidem non de terra solùm, quæ primo die facta est, in Psal. 101. vers. 26. legimus: *Initio tu Domine terram fundasti*; sed etiam de Paradiso terrestri, quem nos sub die Mundi tertio, num. 13. diximus in ipsomet die tertio fuisse plantatum, Genes. cap. 2. vers. 8. dicitur: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*. Quin etiam de homine ipso, qui, vt ex Genes. cap. 1. apertè colligitur, factus est die sexto, eadem Scriptura sacra Matth. cap. 19. vers. 4. & alibi non semel, ab initio factum tradit. Si autem (vt multi alij) per Behemoth, non diabolum, sed maximum quoddam ex terrestribus animalibus, accipiamus: vtique sensus illorum verborum, *quem feci tecum*, erit, veluti si dictum fuisset, *quem feci eodem die*. constat enim, tam hominem, quàm reliqua animalia terrestria fuisse die sexto creata. Denique locus ille Ecclesiastici cap. 18. vers. 1. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*, non debet, inquiunt, intelligi quòd omnia eodem tempore siue in eodem instanti fuerint condita; sed illud *simul*, vt etiam ibidem exponit Iansenius, idem importat ac si diceremus *pariter*, siue *vniuersaliter*. In qua significatione accipitur quoque in Psalm. 13. vbi dicitur: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Simul, inquam, non tempore, sed vt dicitur, collectiuè. Et in Psalm. 48. *Simul insipiens & stultus peribunt*; id est, tam iste, quàm ille. vt sit sensus: Deum creasse omnia sine vlla cuiusuis rei exceptione, iuxta illud Ioan. cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

IN QVO SENSV OPINIO S. AVGVSTINI POSSIT ADMITTI.

35. Posset tamen opinio sancti Augustini in hoc sensu sustineri, si diceremus, omnia simul tempore creata fuisse, vel quantum spectat ad primam rerum materiam, quæ ex nihilo immediatè creata est; & in qua omnia, quæ posteà sex diebus successiue facta sunt, erant in potentia: non autem quod attinet ad ipsas rerum species mox de potentia illius materiæ à Deo eductas. Vel vt ait S. Thomas part. 1. quæst. 74. art. 2. ad 2. (quod in idem ferè incidit) omnia simul creata esse quantum ad rerum substantiam quodammodò informem, non autem quantum ad formationem, quæ facta est per distinctionem & ornatum: vt propterea credidit sanctus Doctor, Ecclesiasticum signanter vti verbo creationis. Eamdem pænè sententiam pluribus explicat B. Gregorius lib. 32. Moralium cap. 9. dicens: *Rursus quærendum est, quomodo Deus cuncta simul condidit, dum Moyses sex dierum mutatione variante, distinctè creata describat. quod tamen citiùs agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est: & quod simul exstitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Cùm enim simul factum cælum terráque describitur, simul spiritalia atque corporalia, simul quidquid de cælo oritur, simul factum quidquid de terra producitur, indicatur. Sol quippe, luna, & sidera, quarto die in cælo facta perhibentur: sed quod quarto die processit in specie, primo die in cæli substantia exstitit per conditionem. Primo die creata terra dicitur, & tertio arbusta condita & cuncta terræ virentia describuntur; sed hoc quod die tertio se in specie protulit, nimirum primo die in ipsa, de qua ortum est terra substantia, conditum fuit. Hinc est quòd Moyses distinctè per dies singulos condita omnia retulit, & tamen simul omnia creata subiunxit, dicens: Ista sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnémque herbam regionis. Qui enim diuersis diebus crea-*

creatum cælum & terram, virgultum herbámque narrauerat; nunc vna die facta manifestat, vt liquidò ostenderet, quòd creata omnis simul per substantiam exstitit, quamuis non simul per speciem processit. hinc illic quoque scriptum est: Creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam fecit eos: necdum enim Heua facta describitur, & iam homo masculus & femina perhibetur. Sed quia ex Adæ latere proculdubiò femina erat processura, in illo iam computatur per substantiam, à quo fuerat producenda per formam. Considerare tamen hæc in minimis possumus, vt ex minimis maiora pensemus. herba namque cùm creatur, necdum in illa fructus, necdum fructus sui semen ostenditur, inest verò ei, etiam cùm non apparet, fructus, & semen, quia nimirum simul sunt in radicis substantia, quæ non simul prodeunt per temporis incrementa. hæc S. Gregorius. Ex quibus apparet, dici posse, omnia simul quidem tempore in suis causis creata fuisse; non autem singula specificè producta. Meritò igitur sancta Mater Ecclesia in sacris Hymnis, qui ex Breuiario Romano publicè recitantur, licet in eo qui ad Dominici diei Matutinum canitur, habeat, Mundum prima die fuisse creatum, illis verbis:

Prima dierum omnium,
Quo mundus extat conditus.

nihilominùs rectè etiam in his Hymnis, qui per Hebdomadam ad Vesperas in diebus ferialibus ponuntur, sex primorum dierum opera seorsum singula propriis Hebdomadis diebus quo facta sunt specialiter reculit. Nam die Dominico primi diei opus, hoc est, lucis creationem, & diei ac noctis primam diuisionem celebrat illis versibus:

Lucis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis nouæ,
Mundi parans originem.
Qui manè iunctum vesperi
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.

& Feria secunda, diuisionem aquarum die mundi secunda factam ita canens:

Immense cæli conditor,
Qui mixta ne confunderent
Aquæ fluenta diuidens
Cælum dedisti limitem:
Firmans locum cælestibus,
Simúlque terræ riuulis,
Vt vnda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipent.

& Feria tertia, terram ab aquis nudatam plantas primò produxisse cõmemorat, dicens:

Telluris ingens Conditor,
Mundi solum qui eruens,
Pulsis aquæ molestiis
Terram dedisti immobilem.
Vt germen aptum proferens,
Fuluis decora floribus
Fecunda fructu sisteret,
Pastumq́; gratum redderet.

& Feria quarta, solem, & lunam, ceteraque astra formata fuisse asserit, inquiens:

Quarta die qui flammeam
Solis rotam constituens,
Lunæ ministras ordinem,
Vagósque cursus siderum.

& Feria quinta, piscium pariter ac volatilium ex aqua productionem, vbi ait:

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aëra.
Demersa lymphis imprimens
Subuecta cælis irrigans;
Vt stirpe vna prodita
Diuersa rapiant loca.

& Feria sexta, hominis, & cunctorum animalium terrestriũ creationem. inquit enim:

Plasmator hominis Deus,
Qui cuncta solus ordinans,
Humum iubes producere,
Reptantis & feræ genus.
Qui magna rerum corpora
Dictu iubentis viuida,
Vt seruiant per ordinem
Subdens dedisti homini.

Denique in Sabbato, quoniam tali die Deus cessasse dicitur ab omni opere quod patrarat, nullius diuini operis facta mentione, totus ferè Hymnus in Dei laudibus (nimirum pro rerum creatione prioribus sex diebus facta) concluditur in hæc verba:

Te manè laudum carmine,
Te deprecemur vespere;
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet sæcula.

AD QVID DEVS MVNDVM CONDIDERIT.

26. Sed posteaquam hactenus de Mundo à Deo condito actum est, quæret hîc fortasse aliquis, cur, siue ad quid, & quo modo, & quando Deus mundum fecerit. Ad primum respondit Sapiens Prouerb. cap. 16. versic. 4. dicens: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* nimirum primariò propter gloriam suam. Cui sententiæ B. Bernardus Serm. 3. in die Pentecostes addit: *Et omnia propter suos. aliter tamen propter se, & aliter propter suos; in eo quippe quod dicitur, Omnia propter se; præueniens commendatur origo. in eo autem quod dicitur, Omnia propter suos; magis exprimitur fructus sequens. Omnia*

nia fecit propter semetipsum, gratuita videlicet bonitate. Omnia propter electos suos, pro eorum scilicet vtilitate: vt illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Sic S. Bernardus. Verùm non propter electos tantùm, sed etiam vniuersaliter propter hominem, credere debemus Deum fecisse hunc mundum; vt scilicet per tanti tamque excellentis operis magnitudinem, summa eius potentia, sapientia, ac bonitas, cunctis innotesceret; &, vt ait Apostolus ad Rom. cap. 1. vers. 20. *Inuisibilia* Dei, *à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta* conspicerentur; *sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*. Atque item vt ex huiuscemodi cognitione homines ad ipsum Deum cùm amandum, tum colendum prouocarentur. Quare meritò subdit eodem loco Apostolus: *Ita vt sint inexcusabiles*, (nimirum huius mundi sapientes) *quia*, inquit, *cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*. Altero item modo dicitur Deus fecisse totam hanc mundi fabricam propter hominem, quem in ea plasmare disposuerat: quia videlicet ad eius commodum vsusque omnia sensibilia facta esse certum est, vt quotidiana docet experientia. Videmus enim cuncta non solùm animalia & plantas, sed etiam petras, terras, metalla, mineralia, & quidquid aliud in mundo est, siue magnum, siue paruum, omnia, inquam, & singula in gradu suo eidem homini deseruire, vel ad cibum, vestitum, morbos curandos, vel ad varia oblectamenta, quin etiam ad ipsum in multis erudiendum, & cùm opus est, castigandum: adde insuper, vt dictum est, & ad manifestandam hominibus infinitam Dei potentiam & virtutem, quę non minùs in minutissimis quibusdam animalibus, quàm in magnis elucet. nam etsi grandia quędam animalium corpora, puta cetorũ, vel elephantorum, & huiusmodi, cunctis admirabilia videantur, & diuinam Creatoris potentiam valdè admodum commendent: attamen, si alia quædam vsque adeò minima quorumdam animalium corpora, vt vix sensu percipi queant, attentiùs considerentur, & quomodo in tam exiguo corpusculo tot reperiri organa possint, quot varij eorum motus & facultates necessariò requirunt & ostendunt; proculdubiò non minùs admirabilem in ipsis quàm in magnis Deum esse comperiemus. Quin potiùs minima hæc (quippe quæ de cetero prorsus homini inutilia esse videantur) hac potissimùm de causa fuisse condita videntur, vt in his præsertim admirabilem Dei potentiam, sapientiam, & bonitatem, quæ etiam ad hæc adeò minima & contemptibilia tantopere se extendat, non sine stupore consideremus. Ceterùm si ipsimet *cæli*, qui (vt ait Psalmista) *enarrant gloriam Dei*; multis quoque aliis humanæ vitæ vsibus inseruiunt; si inquam, *solem & lunam, & omnia astra cæli creauit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt*, vt dicitur Deuter. cap. 4. vers. 19. & quod maius est, si etiam Angeli *sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis*, vt apertè testatur Apostolus ad Hebræos in calce capitis primi, quis dubitet cetera quoque minùs perfecta, & consequenter totum hunc mundum, propter hominem esse factum, & cuncta quæ in eo sunt, eidem ex diuina dispensatione famulari? Vt igitur ad caput nostra denuò recurrat oratio; si (vt probatum est) & propter semetipsum, & pariter propter hominem Deus creauit omnia: quis non videt hinc manifestè inferri, ipsum pro sua infinita bonitate, gloriam suam cum nostra vtilitate coniungere, & quodammodò non minora propter nos, quàm propter se ipsum facere voluisse? Quis ergo non miretur hanc æternam atque admirabilem eius erga nos dilectionem? quis propterea ad eam perpetuò recolendam, commendandam, prædicandam non incendatur? quis non in animum inducat, immò verò in corde suo firmiter statuat, tanto amori pro viribus respondere, talem ac tantum amatorem omni conatu redamare, summis laudibus extollere, ac denique eidem libenter parere, fideliterque deseruire?

37. Transeamus nunc ad modum, quo factus est mundus Quemadmodum enim Deus (vt super 1. Symboli articulo in Catechismo Romano legimus) sua bonitate ad ductus, quæcumque voluit, fecit; ita non exemplum aliquod aut formam, quæ extra se posita esset, cùm vniuersa conderet, secutus est: verùm quia rerum omnium exemplar diuina intelligentia continetur, id summus Artifex in se ipso intuens, ac veluti imitatus, summa sapientia & infinita virtute, quæ ipsius propria est, rerum vniuersitatem initio procreauit. Sic ibi. Procreauit (inquam) per simplicem ipsius Dei iussionem. Ita enim legimus Genes. cap. 1. *Dixit Deus: Fiat lux. Fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis. Congregentur aquæ. Germinet terra. Fiant luminaria. Producant aquæ*, &c. *Et factum est ita.* Vnde non mirum est, si hæc admirans Psalmista ait: *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*. Et sanctus Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ait: *Iussit Dominus, & factum est cælum: iussit Dominus, & facta est terra: iussit Dominus,*

QVOMODO FACTVS SIT MVNDVS.

RERVM OMNIVM EXEMPLAR DIVINA INTELLIGENTIA CONTINETVR.

& facta sunt maria: iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides, quàm operatorius sit sermo Christi? & post pauca subdit: *Cælum non erat, mare non erat, terra non erat; sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* hæc S. Ambrosius. Porrò quàm mirabile sit, quòd Deus solo suæ voluntatis imperio tam immensas moles erexerit, ita ostendit Bellarminus in libello de Ascensione mentis in Deum, Gradu 11. Nouimus, inquit, in ædificiis sine comparatione minoribus, quot instrumentis, quot machinis, quot administris architecti indigeant. Quis igitur cogitando assequatur, quomodo fieri possit, vt sola interna voluntate, quæ extra volentem non egreditur, opera tam immensa & tam varia fiant? Dixit Deus, vtique apud semetipsum. nam verbum Dei est in Deo, & est ipse Deus. Dixit, inquam, iubendo, & exprimendo imperium suæ voluntatis, Fiat cælum, & factum est cælum: Fiat terra, & facta est terra: Fiat lux, Fiat sol, Fiant stellæ, Fiant arbores, Fiant animantia, Fiant homines, Fiant Angeli; & facta sunt omnia. & post pauca: Sed & illud accedit non minùs mirabile, quòd ista omnia tam multa & tam magna, & ex tantis membris vel partibus composita, Deus momento fecerit. Apud nos ars & natura longo temporis spatio egent, vt opera sua perficiant. Videmus herbas multò antè seminari, quàm nasci: arbores multis sæpè annis egere, vt radices figant, vt ramos extendant, vt fructus producant: animantia fetus longo tempore in vtero gerere, ac posteà longo etiam tempore alere antequam adolescant. De arte nihil dico, quoniam notissimum est, opifices nostros nihil nisi in tempore, eoque satis longo, perficere. Quanta ergo in Deo potentia est, quæ dicto citiùs res maximas perficit? Et paucis interpositis, sequitur: Illud igitur est quod admiror, res singulas ab omnipotente Creatore momento fuisse perfectas. Ac de terra, & aqua, & aëre, & igne nemo ambigit, quin simul, & in momento, vt etiam omnes Angeli eodem momento, condita sint. De firmamento, & diuisione aquarum, notum est, omnia illa facta esse per solam verbi virtutem, dicentis: *Fiat firmamentum in medio aquarum.* & quidem in momento. sequitur enim: *Et factum est ita.* Quo loco S. Ioannes Chrysostomus Humil. 5. in Genes. ait: *Dixit solùm, & opus secutum est.* Sic etiam idem Auctor ad illa verba, *Germinet terra herbam virentem, & factum est ita: Quis* (inquit) *non obstupescat cogitans quomodo verba Domini germinet terra, quasi admirabili peplo terra faciem variis floribus adornet? vidisses subitò terram, qua anteà deformis & inculta erat, decore sua & ornatu quasi cum cœlo contendere.* & pòst ad illa verba, *Fiant luminaria*, sic loquitur: *Dixit solùm, & productum est hoc admirabile elementum, solem dico. Quid si addas, quòd eodem momento & eadem verba lunam & stellas omnes idem Conditor fecit?* & ad illa verba, *Producant aquæ*, &c. sic ait: *Quæ lingua ad Opificis praconia sufficiet? Nam sicut de terra dixit solùm, Germinet, & varia mox ac multiplex florum herbarúmque apparuit copia: sic & hîc dixit, Producant aquæ, & continuò tot reptilium volatiliumq; genera condita sint, quot neque sermone recenseri possunt.* hæc præfatus Auctor. Ex quibus omnibus apparet, quanta sit potentia vel potiùs omnipotentia Creatoris omnium Dei; quæ non solùm se extendit ad ea quæ impossibilia videntur, & reuerà sunt impossibilia omnibus aliis, ipso solo excepto; verumetiam ita res facit, vt ipse quoque modus faciendi omnem creatam superet intelligentiam, cùm ex nihilo, & in nihilo, & sine instrumentis, & sine tempore, solo verbo & imperio faciat. Complacuit autem Deo hoc pacto vniuersa producere, vt supremam auctoritatem suam, & miram voluntatis suæ efficaciam apertiùs manifestaret, doceretque eam, etiam ad illa quæ non sunt, sese extendere, iuxta illud ad Romanos cap. 4. vers. 17. *& vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* id est, ea facilitate, qua ipse, cùm sit Dominus omnium, vocat, imperatque cunctis rebus existentibus, vt quæ sibi placita sunt faciant; eadem quoque vocat imperatq; non existentibus, vt veniant ad esse; atque ita facit, vt statim sint, quæ priùs non erant. Et vt suam item infinitam potentiam proderet, cui non modò quidquam impossibile est; verùm omnia quæ vult, quando vult, & eo modo ac ordine quo vult, fine vllo cuiusuis auxilio, ipse tanta facilitate ac celeritate facit, quanta ne homo quidem dicere aut cogitare valet. Hoc autem quòd Ethnici quoque sapientes non ignorauerint, colligi potest ex M. Tullio, qui ad calcem lib. 3. de Natura Deorum, inducit Cottam coram sociis differentem ac dicentem: *Vos enim dicere soletis, Nihil esse quod Deus efficere non possit; & quidem sine labore vllo.* & hoc idem repetit etiam lib. 2. de Diuinatione, aliquanto post medium. Quam sententiam hîc referre libuit, vt omnes intelligant, veteres quoque Philosophos solo naturali lumine cognouisse, Deum esse omnipotentem. Quæ res euidenter maximeque declarat eminentissimam diuinæ essentiæ excellentiam. Nam (vt habet verissimum illud S. Dionysij Areopagitæ dictum in omni sacrorum

DEVM ESSE OMNIPOTENTEM ETIAM PHILOSOPHI COGNOVERVNT.

rum

rum Theologorum schola receptum) cùm in omnibus ac singulis rerum naturis tria inueniantur, videlicet essentia, potentia, & operatio; proculdubiò secundùm cognitionem, quam vocant A posteriori, alterum ab altero dignoscitur. Siquidem qualis est operatio, plus minúsve perfecta, talem indicat esse potentiam vnde illa procedit; & ipsa potentiæ conditio ostendit essentiæ conditionem. Cùm igitur tum ipsius Dei operatio, tum operandi modus (vt ostensum est) sit omnium perfectissimus atque eminentissimus; vtique necessarium est fateri, eius quoque potentiam esse infinitæ virtutis, & consequenter ipsius essentiam esse suprà quàm capi potest excellentissimam; & vel ex hoc ipso, omni laude, obedientia, reuerentia ac veneratione dignissimam. Sed hæc obiter. Ex dictis patet, mundum non ab æterno fuisse, vt falsò nonnulli ex antiquis Philosophis prodiderunt; neque ab intellectu quodam esse factum, vt censuit Anaxagoras; neque quantum attinet ad partem elementarem, à secundis diis, vt Platonici; multo minùs casu, & ex fortuito atomorum concursu, vt stulte crediderunt Democritus & Leucippus: sed neque ab ipso Deo ex necessitate naturæ processisse, sicut radius ex sole; aut ex corpore vmbra, vt perperàm sensere Peripatetici: sed ex libera summi Dei electione & voluntate. Quod etiam expressè habemus Apocal. cap. 4. in fine, his verbis: *Quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant*, (scilicet in mente diuina) *& creata sunt.* & in Psal. 134. legimus: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* & in Psal. 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Itaq; certissimum est, Deum non propria eius natura cogente hunc mundum produxisse, quemadmodum ignis non potest non calefacere: neque illum, tamquam opus suæ potentiæ prorsus adæquatum, ita procreasse, vt naturaliter non potuerit non talem mundum, id est nec maiorem, nec minorem, nec alterius formę, facere: quandoquidem è conuerso, quòd ipse Deus, vt diximus, propria voluntate mundum fecerit, eo modo quo nunc est; cùm tamen ipse proculdubiò sit longè amplioris, immò infinitæ virtutis ac potentiæ, ita vt per se, sine vllo causarum secundarum aut alterius rei adminiculo seu concursu, potuisset omnia hæc aliter & multo maiora facere; satis superque declarant innumera, quæ ipse postmodum diuersis temporibus per se suósque edidit miracula, nimirum opera supra omnem cuiusuis creaturæ virtutem, & non solùm præter vsitatum rerum ordinem, sed manifestè interdum etiam contra propriam ipsarum rerum naturam, qualia sunt, homines in igne illæsos aliquamdiu permanere, ambulare super aquas, mortuos ad vitam reuocare, & huiusmodi sexcenta alia: quæ profectò quid aliud nobis innuunt, nisi Deum esse naturarum pro suo libito conditorem & moderatorem, atque ea facilitate qua eas facit, posse ad nutum immutare, effectus suos suspendere, & quomodolibet ei placuerit alterare ac variare, tamquam voluntari suæ vsqueadeò subiectas, ab eaque omnino dependentes, vt in illis, & per illas, quidquid ei libuerit, efficere sine vlla repugnantia aut difficultate possit. verissimum enim illud est, quod ait Regius Propheta in Psal. 118. *Quoniam omnia seruiunt ei.* Ceterùm rationes, quibus prædictæ aliæque Philosophorum opiniones de origine mundi à fide Catholica deuiantes redarguuntur, peti possunt à S. Thoma sparsim pluribus in locis, præcipuè verò part. 1. quæst. 45. 46. & 47. & in Quæstionibus disputatis quæst. 3. quæ est de creatione, & lib. 2. Summæ contra Gentiles à cap. 31. vsque ad 46. & ab eiusdem sancti Doctoris Expositoribus locis citatis.

39. Restat nunc aliquid dicere, quando factus sit mundus. Cui quæsito sic breuiter satisfacere possumus: Quando ineffabili voluntatis Dei proposito complacuit, venitq; hora, quam inscrutabilis consilij sui altitudo, secundùm ordinatissimam rerum dispositionem, quæ in mente diuina est, ab æterno præstituerat. Verissima namque est illa B. Augustini Tract. 104. in Ioan. sententia: *Omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri fineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est. Quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas habent, in qua nulla sunt tempora.* Si verò quæratur de anni tempore quo creatus est mundus, verno ne, an æstiuo, autumnali, vel hiemali, Dicimus, prius aduertere oportere, quæsitum istud non esse vniuersaliter intelligendum de omni orbis parte: non enim fieri potest, vt vbique terrarum vno eodemque anni tempore fuerit ver, aut autumnus, æstas, vel hiems: nam quando in Antarcticis regionibus æstas est, constat in Arcticis esse hiemem, & è conuerso; & quando sol incipit elongare se ab Antarcticis plagis, & appropinquare Arcticis; in istis ver facere, in illis verò autumnum, & contrà. Debet igitur proposita dubitatio accipi de illo orbis climate, seu de illa regione, in qua erat Paradisus terrestris, vel in qua plasmatus est Adam, vel quam primi nostri parentes de Paradiso pulsi primùm incoluerunt.

QVANDO FACTVS SIT MVNDVS.

Vt autem ad quæsitum hoc breuiter respondeamus, dicimus, non posse certò definiri, quodnam anni tempus fuerit, quando factus est mundus; quoniam neque in Scripturis sacris clarè exprimitur, neque Doctores, qui de hac re scripserunt, inter se conueniunt. Itaque ne tempus in re tam ancipiti & incerta conteramus, sufficiat hîc Doctorum tantummodò opiniones recensere, & quænam probabilior videatur, ostendere, eamdemque aliquot rationibus confirmare. Tres fuerunt in hac difficultate opiniones: prima tenuit, mundum creatum esse tempore veris; altera, in æstate; postrema, in autumno. De hieme enim nemo, quòd sciam, suspicari potuit; quoniam tunc terra arida atque horrida est: vnde animalia recèns à Deo creata, neque pascua, neque cibos inuenire potuissent.

AN MVNDVS ÆSTIVO TEMPORE CREATVS SIT.

40. Sanè mundum æstiuo tempore creatum fuisse, quemadmodum asserit Gerardus Mercator in principio suæ Chronologiæ, refelli facilè potest; quoniam eo nititur fundamento, quòd Genes. cap. 8. vers. 11. dictum sit, columbam à Noë de arca emissam, die decima septima vel decima octaua mensis vndecimi, reuersam, tulisse ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo. & hinc colligit præcitatus Auctor, mensem illum vndecimum fuisse, quem nos Maium appellamus, qui incidit in vere, quo tempore solent oleæ ceteræque arbores folia virentia germinare: & inde infert, primum anni mundique mensem fuisse, quem nos Iulium dicimus, qui ferè in media currit æstate, & à quo Maius mensis vndecimus est. Supponit autem hæc opinio, priscos illos viros, præcipuè eos qui erant ante Diluuium, consueuisse inchoare annum ab eo tempore, quo conditus fuerat mundus: quod quidem etsi verum esse credimus, non tamen concedendam putamus illationem præcitati Auctoris, videlicet, Columba tulit ramum oliuæ virentibus foliis; ergo tunc erat tempus vernum: quia constat, oleas toto ferè anni tempore folia habere virentia. Et dato quòd tunc esset ver, non inde tamen omnino conuincitur, Iulium fuisse primum anni mensem, numerando annos ab orbe condito: quia non est certum, quomodo Scriptura ibi computet illos menses; videlicet num ab initio anni sexcentesimi primi vitæ Noë, an ab inchoato Diluuio; de qua re magna est difficultas, vt infrà suo loco dicemus. Quare nihil certi concludit Gerardi argumentum. Neque sufficit ad eius opinionem sustinendam, quòd Solinus cap. 35. referat, Ægyptios existimasse, mundi exordium eo tempore incidisse, quo sol signum Leonis ingreditur: quia cur ita senserint, non adducit; & quod gratis dicitur, gratis quoque reiici potest: nec Ægyptiorum auctoritas sine ratione adducta quemquam mouere debet, præsertim cùm ex Iosepho lib. 1. Antiq. cap. 4. & Cicerone lib. 2. de Natura Deorum, & Lactantio lib. 1. Diuinarum institutionum cap. 6. constet, eosdem Ægyptios ab antiquissimis temporibus consueuisse inchoare annos suos ab eo mense, qui nostro respondet Septembri; quos si ab orbe condito (vt creditur) deducebant, aut se deducere putabant, necesse est fateri, eos olim sensisse, mundum non æstiuo, sed autumnali tempore exordium sumpsisse. Et ratio dictat, hac in re magis esse credendum antiquissimis Ægyptiorum, vtpote qui primordiis mundi viciniores erant, quàm minùs antiquis.

ÆGYPTII VNDE ANNVM INCHOARENT.

AN VERNO TEMPORE.

41. Mundum autem in Æquinoctio vernali, vel saltem tempore veris fuisse conditum, est opinio celeberrima, quam secuti sunt non solùm Astrologi ferè omnes, qui ob id præcipuè signum Arietis, quod ingreditur sol ineunte vere, primum inter omnia Zodiaci signa posuisse creduntur: sed etiam plurimi præcipuique Scriptores Ecclesiastici, Græci ac Latini, & nonnulli ex Hebraicis; quorum aliquos hîc per suas classes citare non grauabor; nimirum ex Græcis, sancti Basilius in Hexaëmeron, Athanasius in Responsione ad quæst. 17. Antiochi, Gregorius Nazianzenus in Oratione in nouam Dominicam, Eusebius in libro, qui Omnimoda historia inscribitur, à Pererio in Genes. citatus; Cyrillus Ierosolymitanus, Catecheſi 14. Theodoretus in quæst. 72. in Exod. Damascenus lib. 2. de Fide orthodoxa cap. 7. Synodus Palæstina, à Theophilo Episcopo Cæsariensi iussu Victoris Papæ congregata, cuius meminit Beda in Exordio lib. de Sex ætatibus mundi, & alij. Ex Latinis, sanctus Leo Papa in Serm. 9. de Passione Domini, B. Ambrosius lib. 1. cap. 4. sui Hexaëmeron, Beda in Glossa interlineari super cap. 35. Genes. & in lib. de Ratione temporum cap. 28. & 40. & alibi non semel, S. Isidorus lib. 5. Etymolog. cap. De temporibus, Strabus, & Rabanus super Exodi cap. 12. Historia Scholastica in Genes. Linconiensis, Gualterus Monachus in lib. de Ætate mundi, Paulus Episcopus Forosempronienſis, & alij quos citat Ioan. Lucidus lib. 1. de Emendatione temporum cap. 2. qui & ipse est eiusdem opinionis, & Rabbi Iosue ab eodem Lucido allegatus, & alij plures. Rationes autem quæ pro hac opinione

nione solent adduci, ferè istæ sunt. Quia, inquiunt, vernum tempus vt plurimùm solet esse temperatè calidum & humidum, & consequenter generationi, vitæque plantarum atque animalium, aptissimum. Quare cùm tunc videantur quodammodò omnia nasci, nascentis etiam mundi tempus illud videtur exprimere. Item quia Genes. cap. 1. vers. 11. dicitur: *Germinet terra herbam virentem*; quod propriè fieri videmus in vere. Item quia videtur valdè conueniens, quòd eo tempore conditus fuerit mundus, quo etiam posteà per Verbi incarnationem & Christi passionem reparatus fuit; sed incarnatio Verbi & passio Christi facta sunt in vere; ergo. Item quoniam idcircò (vt aiunt) Dominus per Moysen præcepit Hebræis, vt à mense Nisan, qui partim nostro respondet Martio, partim Aprili, annum suum inciperent; non solùm quia tunc eos eduxerat de Ægypto, sed etiam propterea, quòd eodem tempore creatus fuerat, & redimi debebat mundus. Quæ quidem argumenta parum vrgere videntur. Nam posset his responderi, concedendo, quòd tempus veris, in quo propter temperamentum eius calidum & humidum, videntur nasci omnia, quodammodò nascentis mundi referr imaginem, vel (vt ita dixerim) infantiam; tempus autem autumni, in quo fructus iam maturi sunt atque perfecti, eiusdem mundi virilitatem, seu perfectam repræsentat ætatem. Sed sicut clarum est, Adamum & Heuam non esse natos naturaliter infantes, quemadmodum posteà ceteri homines, sed mirabiliter à Deo in ætate perfecta fuisse plasmatos, sicuti & cetera animalia omnia: ita credibile est, mundum, si naturaliter productus esset, fortassis à tempore veris initium sumere debuisse, vt citati Auctores, naturali ordine dumtaxat inspecto, opinati sunt: sed quoniam à Deo mirabiliter in statu perfecto creatus est, quando scilicet quæ in ipso nascuntur, ad propriam perfectionem iam peruenerant; idcircò magis conuenit dicere, mundum cœpisse ab autumno, quàm à vere. Ad illud autem, quòd aiunt dici Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem*; quod videtur indicare tempus vernum: replicari potest, ibidem quoque subdi: *Et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* & cap. 3. vers. 2. Heua fatetur tunc fuisse tempus fructuum, dicens: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur.* quod magis indicat autumnum. Ad illas conuenientias creationis & redemptionis mundi, dicere possumus, quòd tametsi non sint aspernandæ, non tamen tantam habent certitudinem, vt his omnino fidendum esse videatur. Postremò, ad illud de præcepto inchoandi annum Hebraicum à mense Nisan; non potest negari, quin principaliter datum fuerit in memoriam Israeliticæ liberationis de seruitute Ægyptiaca, vt testatur Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 4. quòd autem etiam quia in eodem mense creatus esset mundus, omnino incertum est; & neque ex Scriptura sacra, neque alia ratione probari potest. Itaque hæc opinio, quòd mundus verno tempore conditus fuerit, maiorem habet confirmationem à multitudine auctoritateque Doctorum qui eam sequuntur, quàm ab efficacia rationum, quæ pro ea adduci solent. Vnde non videtur improbabile, hosce Auctores vel simpliciter omnes Astronomorum sententiam recepisse, vel successiuè posteriores priorum opinionem, sine vlla rei discussione, vt aliàs interdum euenire solet, fuisse secutos: nam si responsiones ad ipsorum fundamenta iam adductas, & argumenta contra eos numero proximo adducenda diligentiùs expendissent, forsitan sententiam mutassent.

42. Tertia opinio, quòd scilicet mundus cœperit ab autumnali tempore, fuit quorumdam ex præcipuis ac antiquissimis Hebræorum Rabbinis, videlicet Iosephi primo Antiq. cap. 4. & Rabbi Eleazar in Genes. & Rabbi Abraham super cap. 7. Danielis. Eiusdem sententiæ sunt ex Latinis Scriptoribus Nicolaus de Lyra super Genes. cap. 7. & Abulensis super cap. 1. Genes. quæst. 21. & in priori parte sui Defensorij cap. 14. & Arias Montanus in suo libello de Sæculis, in Apparatu Bibliorum Regiorum inserto, & alij. Picus etiam Mirandulanus lib. 7. aduersus Astronomos cap. 6. videtur in eamdem magis inclinare sententiam. Quæ licet non sit à tam multis recepta, quemadmodum præcedens; potest tamen validioribus fortasse rationibus fulciri. Nam etsi certum sit, non omnes nationes ab eodem tempore suum inchoare annum consueuisse, sed quasdam ab æstate, puta Arabes, teste Iulio Firmico lib. 3. & Macrobio in lib. de Somnio Scipionis; aliquas à tempore veris, vt olim Romani, regnante Romulo; aliquas ab autumno, vt Ægyptij, Persæ, & nonnulli alij Orientales; quasdam denique ab hieme, vt fit apud nos à Kal. Ianuarij: attamen valdè rationi consentaneum videtur, mundum fuisse creatum in initio illius mensis, qui primus fuit in mensibus anni apud antiquissimas nationes, plagæ præsertim Orientalis, in qua prisci illi primæ ac secundæ mundi ætatis homines primum habitasse creduntur. Constat autem, teste

AB AVTVMNALI TEMPORE.

teste B. Hieronymo super cap. 1. Ezechielis, primum anni mensem apud omnes Orientales fuisse, quem Hebræi vocant Thisri, qui nostro quandoque Septembri, & quandoque Octobri respondere solet. Eamdem quoque consuetudinem fuisse apud Hebræos, viuente adhuc Moyse, satis euidenter constat ex Exod. cap. 23. vers. 16. vbi loquens Scriptura de festo Tabernaculorum, ait: *Solemnitatem quoque* (supple, ages) *in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* & cap. 34. vers. 22. eamdem solemnitatem iubet Dominus agi debere, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. Ex quibus locis euidenter apparet, finem præcedentis, & initium subsequentis anni apud Hebræos in autumno tunc incidere solitum fuisse: anni inquam vulgaris, nam annus sacer, à quo desumi consueuerat ordo celebrandi statutas per annum solemnitates, Paschæ scilicet, Pentecostes, Tubarum, &c. incipiebat à mense Nisan, qui nostro respondet Martio vel Aprili, vt præceptum fuerat à Moyse Exod. cap. 12. vers. 2. quod etiam affirmat Iosephus primo Antiq. cap. 4. vbi ait, Moysen in suis fastis instituisse primum anni mensem, illum qui apud Hebræos dicitur Nisan, quòd in eo ipsos de Ægypto eduxisset, eumdemque mensem omniũ, quæ ad rem diuinam pertinerent, exordium fecisse: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innouasse. Ex quo patet, olim etiam Hebræos anni sui initium ab autumno sumere consueuisse. His addi potest, conuenientius videri, ponere, annum inchoari consueuisse ab autumno etiam ante Diluuium, ita vt ipsum Diluuium, quod cœpit mense secundo, Genes. cap. 7. vers. 11. cœperit mense Nouembri, & sese extenderit ad tempus hiemale, quod naturaliter humidum esse solet & pluuiis obnoxium; quàm ponere, primum anni mensem incidisse in vere; ex quo sequeretur, Diluuium contigisse in æstate, quæ naturaliter sicca est, & pluuiis atque inundationibus minùs obnoxia. Nam etsi Diluuium non ex causis naturalibus tantummodò prouenisse credatur; verisimile tamen admodum est, Deum ad illud efficiendum causis quoque secundis & naturalibus, ac temporis opportunitate, vsum fuisse. Quæ quidem ratio militat, supposita opinione illorum, qui putant secundum illum mensem, in quo cœpit Diluuium, fuisse pariter secundum anni, qui tunc communiter agebatur. Quod nos quoque sub anno mundi 1657. num. 3. comprobabimus. Ad hanc eamdem nostram opinionem confirmandam facere poterunt, quæ nos sub anno mundi proximè citato, num. 4. & 5. dicemus.

ANNVS SACER INCIPIEBAT A MENSE NISAN.

43. Aliud argumentum, quo confirmari potest, mundum ab autumno cœpisse, tale est: Ex quo in autumno colligi reponique solent fructus maturi, & alij illicò seminari, videtur quodammodò sensibiliter insinuari, tunc annum naturaliter esse completum, & denuò renouari. Quid enim aliud portendit illa fructuum collectio & repositio, illa arborum exsiccatio, & foliorum casus, nisi quemdam anni exitum & interitum? & item noua illa semina in terram proiecta, quibus arua fecundatur, & nouam segetem pullulare incipiunt, nisi quoddam noui anni tunc subsequentis initium? Itaque si ipsum autumnale tempus nouæ rerum generationi præ omnibus naturaliter idoneum esse videmus, profectò non inconuenit ab ipso mundum inchoasse arbitrari. Alia ratio ad idem probandum, ab ipsa arborum perfectione desumitur. Conuenit namque pro certo habere, quòd quemadmodum Deus, cuius perfecta sunt opera, creauit hominem & cuncta animalia in statu perfecto, sic etiam produxerit arbores & plantas in ea perfectione, quæ magis illarum naturis congruebat, præsertim cùm eas ad cibum sustentationemque ipsorum animalium destinasset. Quis autem non videt, numquam arbores esse æquè absolutas atque perfectas, quàm cùm sunt onustæ fructibus maturis, & in suo genere optimis? quod quidem communiter contingit in autumno: plurima enim & nobiliora arborum genera ea potissimum sunt, quæ fructus edunt autumnales. ergo fateri oportet, mundum ab autumno exordium sumpsisse. Nec obstat quod aliqui dicunt, primas illas arbores bis in anno consueuisse fructus suos proferre, vere scilicet & autumno: quia primi homines non incoluisse creduntur regiones sub Æquinoctiali vel sub Zona Torrida existentes, in quibus id naturaliter contingere perhibent; in aliis verò regionibus non sine miraculo videtur tale quid contingere potuisse, præsertim vniuersaliter in omni lignorum specie. certum est autem, non esse confugiendum ad miracula, vbi potest naturaliter prouisum esse intelligi. Non etiam obstat prædictis responsio cuiusdam Ioannis in Summa Anglicana par. 1. dist. 1. cap. 1. à Ioan. Lucido citati lib. 1. de Emendatione temporum cap. 2. videlicet, non posse dici, quòd fructus & arbores in autumno sint in sua maxima perfectione, quia (inquit) tunc perfectum est in diminutione; citò enim minuitur ac deficit eorum perfe-

perfectio propter imminentem hiemem, quæ est occasio corruptionis huiuscemodi rebus inferioribus. Non inquam hoc obstat, quia videmus flores tunc primùm cùm perfecti fuerint, ab illa pulchritudine paulatim deficere, tabescere, & arefieri. Sed & homines ipsi, & cetera animalia, cùm ad virilitatem perfectumque ætatis suæ statum peruenerint, nónne paulò pòst ad senectutem properare incipiunt? Quid plura? pone tibi prudens Lector ante oculos rotam illam, à nonnullis non inutiliter confictam, belleque in quibusdam tabulis expressam, quæ repræsentat in ambitu suo cunctas res caducas atque mortales, quas cùm in summo ipsius rotæ eleuatas conspexeris, illicò ab eadem deorsum sensim ferri videbis; & intelliges commune esse cunctis rebus corruptibilibus, vt cùm ad perfectum sui status peruenerint, statim declinare incipiant, & tendere ad interitum. Non igitur valet argumentum citati Auctoris, Arbores hieme inchoante deficere incipiunt, ergo signum est illas in autumno non fuisse perfectas. immò signum est, in autumno fuisse perfectas, quia ineunte hieme declinare incipiunt.

44. Prædictis rationibus addere possumus aliá, quæ erit postrema, nempe, videri magis naturaliter proportionata alimenta pro hominibus ac ceteris animantibus à Deo fuisse prouisa, si ponamus mundum in autumno fuisse creatum, quando iuxta ordinarium naturæ cursum fructus maturi sunt, & apti per totam hiemem annumque sequentem conseruari; quàm si poneremus ipsius mundi exordia in vere, quo tempore nihil ferè aliud in plantis atque arboribus inuenitur, nisi flores & folia. Sed esto quòd Adam & Heua satis commodè vernalibus fructibus nutriri potuissent, & quòd de his dictum esset Genes. cap. 3. vers. 2. *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur*: non tamen videtur tempus veris potuisse naturaliter suppeditare talem tantamque fructuum copiam ac varietatem, quanta qualisque requiri videbatur ad cibanda tot tamque diuersi generis animalia, & ea præsertim, quæ cibis aridioribus, cuiusmodi esse solent autumnales, vesci consueuerunt. Hæc, quæ hîc adduximus argumenta, quamuis multò magis vrgere videantur, quàm quæ pro præcedenti opinione adduci solent, non tamen esse demonstrabilia, concedimus: ideoque facilè admittimus, non esse culpandos, qui mundum verno potiùs tempore productum putant. Est enim eorum quoque sententia rationabilis: tametsi nobis illa magis arrideat, quæ ipsam mundi originem in autumno ponit. Nam præter rationes hactenus pro ea adductas, ipsa etiam magis consonat & quadrat iis, quæ sub anno mundi 1656. num. 13. dicemus de Noë, qui primo vel secundo anni mense, videlicet non multò priùs quàm inciperet Diluuium, comportauit iubente Domino in arcam ex omnibus escis, quæ tunc mandi licitè poterant; nimitum tantam fructuum terræ copiam, quanta opus esse videretur pro se, familiaque sua, & cunctis animantibus, quæ in arca ab aquis Diluuij præseruanda erant, pascendis ac sustentandis; non pro modico dumtaxat tempore, sed per vnum & ampliùs annum. Etenim non viderentur eiusmodi fructus tam diu naturaliter, in arca præsertim vndique occlusa, conseruari potuisse, si non fuissent autumnales, & non multò antè collecti. Et hæc breuiter de sex primorum dierum operibus attigisse sufficiat: quandoquidem, qui plura desiderat, videre poterit Hexaëmeron S. Basilij, sancti Ambrosij, Bedæ, & si qui sunt alij; item egregium Ludouici Granatensis librum, quem in fidei Symbolo edidit; Tostatum quoque ac Pererium, & ceteros Genes. Expositores.

MVNDI DIES SEPTIMVS.

1. DIE mundi septimo, quem tum Hebræi tum nos Sabbatum appellamus, compleuit Deus opus suum quod fecerat, & requieuit ab vniuerso opere quod patrarat, Genes. cap. 2. vers. 2. non quòd in hoc quoque die Dominus aliquid, ad ipsius Mundi complementum, operatus sit; siquidem iam in calce præcedentis capitis dictum fuerat, quòd Deus die sexta *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*. & Exod. cap. 20. vers. 11. legimus: *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo*. Igitur nihil operis fecit Deus die septimo: sed quando dicitur compleuisse die septimo opus suum, illud *die septimo* accipiendum est exclusiuè, ac si diceremus: Die septimo, expletis omnibus ad Mundi fabricam pertinentibus, requieuit; hoc est, operari cessauit, iuxta illud Isaiæ cap. 1. vers. 16. *Quiescite agere peruersè*, id est, cessate. Cessauit, inquam, Deus, non absolutè ab omni opere; sed ab vniuerso opere quod patrarat: id est, non ab opere conseruandi, regendi, ac gubernandi mundum, diligen- QVID EGERIT DEVS DIE SEPTIMO.

diqúe homines in viam salutis, ad consequendam vitam æternam, ad quam creati sunt; de quibus profectò operibus intelligi debet dictum illud Ioannis cap. 5. vers. 17. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*: sed cessauit ab operibus creationis, distinctionis, & ornatus rerum; hoc est, à mundi fabrica quam fecerat: quia videbat illam, per ea quæ sex præcedentibus diebus acta fuerant, iam euasisse omnibus numeris absolutam atque perfectam; vt propterea superiùs dictum fuerit: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, id est, omnia simul, & singula seorsim, in suo genere & gradu erant valdè perfecta. Hîc si quis quærat, cur dicatur Deus requieuisse die septima ab operibus suis; respondent Doctores: Quia Deus, inquiunt, facto mundo, non requieuit in opere suo, quantumuis perfectissimo, tamquam ex eo vtilitatem aut delectationem capiens, prout sæpè solent homines (quod vitium est & infirmitas animæ, vt ait B. Augustinus libro 4. de Genes. ad litteram cap. 15.) ita suis operibus delectari, vt potiùs in ipsis, quàm in se requiescant ab eis. Deus autem, vtpote qui mundum fecerat, non quòd eo vllatenus indigeret, sed ex pura eius charitate, & sedulo diffundendæ bonitatis suæ studio, rectè dicitur requieuisse ab operibus suis, id est, vt ita dixerim, quodammodò extra opera sua, in se ipso; quippe qui non magis aut minùs beatus esset post mundi constitutionem, quàm ante, & in tota æternitate sua; in qua sola naturali ac propria beatitudine, hoc est se ipso contentus, semper eodem modo beatissimus permanet.

DE SABBATI SANCTIFICATIONE. 2. Porrò quoniam longè præstantior atque honorabilior est ipsa operis perfectio, quàm inchoatio aut prosecutio; iure merito Deus, illicò post absolutum sex diebus mundi opificium, benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, cessans ipse à creationis operibus. Benedixit, inquam, hoc est, benefecit diei septimo: siquidem ipsum præ ceteris hebdomadæ diebus in honore haberi voluit, sanctificando, id est segregando illum ab aliis, & ab omni vsu profano, & à cunctis operum seruilium exercitationibus, ac speciali quadam ratione eumdem suo cultui dedicando. Ita vt propterea non immeritò quidam existimauerint, hoc ipso die in cælis omnes Angelorum choros speciali quadam exultatione & iubilo in Dei laudes prorupisse, quòd tam præclarum & admirabile opus absoluisset: putentque de hisce diuinis laudibus accipiendum esse illud Iob cap. 38. vers. 4. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* & post pauca: *Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* id est, Angeli sancti, qui simul cum cælo creati fuerant, & sunt veluti astra quædam spiritualia ac lucidissima, vt etiam filij Dei rectè dici possint. Isti enim vt viderunt cuncta quæ fecerat Deus, nempe cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt, & præsertim seipsos omnium creaturarum nobilissimos; scirentque cuncta à Deo ex nihilo fuisse producta; vniuersúmque mundum non solùm ex nihilo factum, sed etiam in nihilo positum, sine spatio præexistente, aut loco in quo locari posset, ita vt ipse sibi locus esset; & nihilominus firmissimè fundatum super stabilitate sua: & hæc omnia & singula sine instrumentis, sine labore, sine tempore, sed solo verbo, solo suæ voluntatis imperio facta; vt etiam ipse modus faciendi omnem creatam superet non modò facultatem, verùm etiam intelligentiam. Hæc, inquam, & similia altissimè contemplantes sublimissimi illi cælestis aulæ spiritus, omnes cum ingenti stupore & iubilo laudauerunt summi Opificis omnipotentiam, perpetuum quoddam in cælis Sabbatum agentes. Veruntamen in terris ista Sabbati sanctificatio, nonnisi post multa sæcula in vsum venisse creditur, nimirum temporibus Moysi, quando sub præcepto data est filiis Israël. De cetero, neminem ad eius obseruantiam obligasse: quippe quæ ad tempus dumtaxat Moysaicæ legis, in quo Moyses Genesim conscripsit ac vulgauit, respiceret; & certum sit, nullum aliud præceptum positiuum primis nostris parentibus datum fuisse, præter illud, de abstinendo ab esu ligni scientiæ boni & mali. Quamuis autem non improbabile videatur opinari, quòd saltem Enos, qui fuit tertius ab Adamo, & de quo dicitur Genes. cap. 4. in fine: *Iste cœpit inuocare nomen Domini*. subaudi, non absolutè, (id enim prius fecerant Cain & Abel in suis sacrificiis, & vt credimus, ante ipsos etiam Adam) sed quòd ipse, qui cœperat inuocare nomen Domini pijs quibusdam adinuentionibus & obseruantiis, quemadmodum sub anno mundi 236. num. 4. declarabitur; inter alias, ipsam quoque Sabbati obseruantiam in vsum primus inducere curauerit, cessando ab operibus seruilibus ad honorem Dei, & ad aliqualem eius imitationem, quem sciebat eo die requieuisse, & eumdem diem sanctificasse, tum etiam, vt hac potissimùm ratione gratias Deo ageret pro ipsa mundi rerumque omnium creatione. Attamen de hac Sabbati obseruantia tunc temporis exercita, nihil certi affirmare possumus, præsertim cùm nulla eius in

in Scripturis sacris mentio habeatur. Vnde si in prima mundi ętate penes quosdam custodita fuit Sabbati sanctificatio, necesse est, non ex diuino præcepto, quod nullum tunc extabat, sed ex sola pietate id actum fuisse; & non multò pòst, nimirum in vniuersali illa hominum præuaricatione quæ subsecuta est, & mox generali Diluuio punita fuit, omnino defecisse: vel si à Noë viro iusto ac filiis eius retenta, aliquamdiu etiam post Diluuium viguit, oportet pariter eam citò, vel saltem multò ante Moysis tempora fuisse antiquatam, penitusque abolitam: quandoquidem nullibi gentium legimus, eam in vsu extitisse; & si alicubi aliquod eius vestigium, certè apud Hebræos, tamquam ceteris nationibus religiosiores, mansisse debuisset. Atqui (si Philoni lib. 1. de Vita Moysis vltra libri medium credimus) Israëlitæ, *cùm iamdudum quæsissent quisnam esset Mundi natalis dies, quo hoc vniuersum absolutum est; rem à suis maioribus ignoratam tandem didicerunt, non solùm oraculo* (Moysi videlicet facto) *verumetiam argumento manna manifestissimo; quæ cùm singulis aliis diebus mirabiliter plueret, colligeretúrque, si quid in crastinum asseruabatur, corruptum vermiculis scatebat; in Sabbato autem mirabilius, neque cadebat man, neque quod pridie pro biduo collectum fuerat, putrescebat.* Igitur, si Hebræi ante exitum de Ægypto, ignorabant quisnam esset dies Sabbati, quomodo poterant religionem eius à Deo olim institutam obseruare? Patet itaque, vt dictum est, nonnisi Moysaicę legis temporibus in vsu fuisse memoratum septimi diei cultum, nec post ipsam etiam semper, nisi penes Hebræos, perdurasse. Siquidem certum est, quòd deinde per legem Euangelicam in proximum diem, qui Dominicus dicitur, translatus fuit, & nonnihil item immutatus, non solùm quoad eius ritum & celebrationis modum, sed etiam quoad finem & intentionem: nam sanctificatio Sabbati, speciatim ad conditi orbis; Dominici verò diei, ad eiusdem orbis reparati beneficium recolendum instituta fuit: tamquam si illa septimi diei ab operibus seruilibus vacatio, ad consideranda quæ præcedentibus sex diebus opera naturalia, nempe creationis, distinctionis, & ornatus rerum, Deus pro homine fecerat, debitasque ei pro eisdem gratiarum actiones exoluendas, deseruire deberet: nostram verò octaui diei sabbatizationem, ad opera, quæ vocant gratię, ac præsertim nostrę redemptionis, multo prioribus excellentiora, à quibus eodem die Dominus requiescere cœperat, sedulò contemplanda, spiritualibusque exercitiis ac sacrosanctis sacrificiis recognoscenda, potissimum conferre ac dirigere debeamus; memores illius sententiæ, quam in Paschalis cerei benedictione sancta canit Ecclesia illis verbis: *Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.* Quamquam in eodem quoque Dominico die, quòd primus fuerit creationis pariter ac redemptionis mundi, eadem sancta mater Ecclesia (quæ omnia & singula Dei beneficia libenter recognoscere, ac statis præcipuè temporibus deuotè concelebrare solet) non prætermittit laudare Dominum, etiam pro ipsius mundi creatione, vt colligi potest ex Dominicalis Officij Inuitatorio, *Adoremus Dominum qui fecit nos.* & ex Psal. qui subsequitur vers. 3. *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius.* item ex Hymno, *Primo dierum omnium,*

Quo mundus extat conditus.

ECCLESIA IN DIE DOMINICO NON REDEMPTIONIS TANTVM, SED CREATIONIS QVOQVE DONVM RECOLIT.

potissimùm verò ex Cantico trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino,* &c. & Psalmo, *Laudate Dominum de cælis,* &c. qui in Laudibus recitari solent. In his enim videtur per modum laudis, rerum seu creaturarum omnium creationem recolere, & ab Angelis tamquam dignioribus ad ceteras progrediens, hortari singulas ad benedicendum & laudandum Dominum Creatorem: *Quia,* inquit, *ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.*

3. Ceterùm quia, vt diximus, septimi diei cultus apud Hebræos in omnimoda illa requie, seu operum seruilium abdicatione, consistere videbatur, propterea dies ille, Sabbati nomen accepit, quæ vox Hebraicè significat requiem, vt testatur Ioseph 1. Antiq. cap. 2. vnde & Sabbatizare, idem est, quod quiescere, seu vacare. Et hinc apparet, quàm longè à vero aberrauerint Plutarchus & Appion Alexandrinus: quorum primus lib. 4. Symposiacorum, seu Conuiualium quæstionum, quæst. 5. nomen Sabbati à Baccho deductum, & ipsius Bacchi cultores fuisse Iudæos, falsò credidit: fortassis ob caussam quam nos sub anno mundi 4032. num. 9. adducemus; *& quia Sabbos,* inquit, *vulgus nunc Bacchos vocat; & illi Bacchum se colere dicunt, quòd se mutuò ad potandum inuitant.* Alter verò scripsit, Hebræos ex Ægypto redeuntes inguinum vlceribus laborasse, qui morbus apud Ægyptios Sabbo nuncupatur; & septimo die quieuisse, ideoque eum appellasse Sabbatum. Quod dictum meritò subsannat Iosephus lib. 2. Contra dictum Appionem, non longè à principio.

CVR DIES SEPTIMVS SABBATVM DICTVM SIT.

POST

POST PRIMAM MVNDI HEBDOMADAM.

1. DE HOMINIS PRÆVARICATIONE, ET INGRATITVDINE.


ED iam tempus est, vt posteaquam hucusque vidimus quæ fecerit Deus propter hominem in prima mundi hebdomada, modò videamus quomodo deinceps ingratus homo se gesserit erga Deum, reddens ei mala pro bonis. Nam tot tantisque beneficiis ab eo acceptis, cùm vnicum dumtaxat præceptum positiuum, scilicet abstinendi à ligno scientiæ boni & mali, ab eodem Deo in recognitionem supremæ potestatis suæ accepisset; ne illud quidem diu obseruare, neque Creatori suo, in re præsertim tam facili, obedire sustinuit. Etenim Heua primùm, serpentina ac diabolica calliditate insipienter decepta, deinde Adam quoque, vxori suæ nimiùm credulus, de ligno vetito degustantes, incomparabile illud innocentiæ donum, ac Dei gratiam pariter amiserunt; & seipsos, sobolemque suam vniuersam peccato originali maculatam, mox in mala innumera præcipitarunt, *peremptores priùs hominum, quàm progenitores effecti*, vt ait S. Bernardus Homil. 2. super Missus est. Casum hunc miserabilem primorum humani generis parentum, etiam nunc cunctis hominibus deplorandum, Sacra narrat historia Genes. cap. 3. vbi illud in primis pro certo supponendum est, Heuam non propriè à naturali illo serpente, qui, vt erat animal rationis expers, naturaliter loqui, discurrere, ac ratiocinari cum ea nullo modo poterat, sed à diabolo principaliter fuisse delusam; qui tunc per serpentem, eo modo quo aliàs solet per arreptitios, humana verba proferens, infirmiori sexui primò fallaciis suis facilè persuasit, ac non multò pòst per ipsam Heuam etiam virum eius ad diuini mandati transgressionem induxit. Sanè non serpentem, sed dæmonem in serpente primos homines decepisse, colligi etiam potest Sap. cap. 2. vers. 23. vbi legimus, quòd *Deus creauit hominem inexterminabilem*: id est, vt sub 6. Mundi die num. 9. declarauimus, quodammodò immortalem: *inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* & Ioan. cap. 8. vers. 44. de diabolo verba faciens, *Ille*, inquit, *homicida erat ab initio.* quia scilicet primos homines ad peccandum inducens, morti obnoxios reddidit. Neque verò, quòd serpens visu horribilis esse videatur, ineptè vel parum scitè eo vsus est dæmon ad persuadendum Heuæ esum ligni vetiti: non enim veritus est, ne ipsa eius aspectum perhorresceret, aufugerétve; quandoquidem optimè ille nouerat, quàm essent homini ante lapsum cuncta animalia leniter subiecta, ita vt non modò ei læsionem inferre, sed ne vllum quidem timorem aut horrorem vel minimum incutere possent. nisi fortè etiam (vt nonnullis placuit) ad ipsam Heuam iucundiùs detinendam ac demulcendam, ex cunctis serpentium generibus formosiorem illum delegerit, quem scytalem appellant: de quo Solinus cap. 29. scribit, quòd *tanta præfulget tergi varietate, vt notarum gratia videntes retardet; & quoniam reptando pigrior est, quos assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes.* Sic ille.

CVR PER SERPENTEM DIABOLVS HOMINEM TENTAVERIT.

2. Verùm meritò hîc percunctari quispiam posset, cur potiùs per serpentem, quàm per aliquod aliud animal diabolus tentare Heuam voluerit? Ad quod respondemus cum B. Augustino lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 3. *Non esse putandum, quòd diabolus serpentem per quem tentaret elegerit; sed cùm decipere cuperet, nonnisi per illud animal potuit, per quod posse à Deo permissus est. nocendi enim cupiditas inest cuique à se, sed potestas à solo Deo est.* hæc S. Augustinus. Itaque diuina prouidentia factum credimus, vt non fortissimum ac superbissimum, sed callidissimum ex animalibus, pro medio seu instrumento ad deprauandos homines assumpserit dæmon; quia licet ipse esset omnium creaturarum fortissimus ac superbissimus, (siquidem de eo scriptum est Iob cap. 41. in fine: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret. omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.*) erat nihilominùs etiam ad malefaciendum omnium astutissimus. non minùs enim de ipso quàm de serpente accipiendum est quod dicitur Genes. cap. 3. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Et quoniam non habebat à Deo facultatem inferendi vim hominibus innocentiæ statum custodientibus, sed tantummodò illos tentare permissum ei fuerat, vt inde clariùs innotesceret, hominem libero arbitrio naturaliter esse præditum, quemadmodum suprà sub die Mundi 6. num. 31. ex cap. Ecclesiastici 15. probatum est; propterea diabolum non latuit, sibi cum homine non virium robore, sed artibus & astu tunc fore decertandum. Quod contrà euenit post lapsum, quando deuictum subiugatumq; hominem omnimodis vsqueadeò violenter oppressit, & sibi deseruire coëgit, vt paulatim totum fere mundum idololatria omniumq; vitiorum genere repleuerit. Sed & post re-

para-

paratum à Redemptore orbem, tametsi ille fortis armatus, per Christi crucem viribus ac spoliis exutus, de licentia quoque Dei multas & graues Ecclesiæ sanctæ persecutiones forinsecus excitauerit, olim in passionibus sancti Iob præfiguratas, tamen ipsius Ecclesiæ animam, quæ est fides charitate informata, illæsam seruare diuino præcepto coactus est. Quo fit, vt modò etiam, quamuis huiuscemodi multa nobis ab extrà intentare, intus tamen violenti nihil, sed fraudulenti multum moliri queat. Quod eleganter B. Bernardus in quodam Sermone, qui de quadruplici debito est, expressit, dicens: *Non timeo vobis, fratres, à viribus satanæ, cùm nouerim fortitudinem eius per Redemptoris nostri vulnera traductam & deductam ad nihilum; à versutiis & astutiis illius formido mihi & pro vobis, in quibus partim subtilitate naturæ, partim experientia temporum sub tot annorum millibus eruditus, fragilitatem humanæ naturæ quaquauersum se verterit, non ignorat. Sic ille insatiabilis homicida primis parentibus nostris non vrsos, non leones, non fortia terræ animalia delegauit, sed tortuosum & callidum serpētem, qui per sinuosa volumina nunc caput cauda, nunc caudam capite tegere consueuit. denique & serpens non fortior erat, sed callidior cunctis animantibus terræ, ait Scriptura.* hucusque S. Bernardus.

3. Igitur, vt ad rem redeamus, tentauit Heuam satanas (Deo sic permittente & disponente) per serpentem, vt ex callida huius animalis natura, eiusque ad clàm lædendum solerti atque astuta procliuitate, innumerabiles diaboli artes, quibus humanum genus occultè fraudulenterque persequitur, disceremus. Constat enim quòd quamquam inter animalia, alia quoque naturaliter admodum callida & astuta reperiantur, vt lupi, simiæ, vulpes, &c. nihilominùs ad insidiandum nobis, clamque lædendos homines, non tam propriæ commoditatis procurandæ, aut incommoditatis vitandæ, (vt cetera animalia) quàm solius malitiæ gratia, verissimum est quod ait Scriptura loco præallegato, serpentem vsque ab initio mundi fuisse cunctis animantibus terræ callidiorem; licet ante lapsum hominis, naturalem potentiam, quam ad nocendum habebat, actu exercere non posset, propter excellens illud dominium, quod tunc super omnia animantia homini à Deo datum fuerat. Fuit etiam valde conueniens, vt diabolus per serpentem magis quàm per aliud animal tentaret mulierem, ad insinuandum nobis, quòd ipse nunc quoque serpentis naturam quodammodò repræsentat, nimirum spiritualiter serpendo, per exteriores interioresque hominis sensus, infirmioresque potentias, vt ipsum, maligno quidem, sed suaui persuasionis suæ sibilo ac veneno sensim instillato, prorsus inficiat. Et quemadmodum serpens animal est lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, admodumque volubile: ita diabolus (quem Iob cap. 26. vers. 13. & Isaias cap. 27. vers. 2. colubrum & serpentem tortuosum appellant) & eius membra, impij videlicet homines, semper in suis actibus & conuersationibus per vias lubricas & tortuosas malignè procedunt, ad incautos decipiendos maxime accommodatas. Et sicuti constat, naturale odium esse inter serpentem & hominem, iuxta illud Genes. cap. 3. vers. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* ita inter hominem & diabolum implacabile ac perpetuum esse dissidium, & spiritualem luctam, ad quam nos armat Apostolus ad Ephes. cap. 6. vers. 11. dicens: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cælestibus.* Et denique admodum appositè per serpentem hæc diabolica tentatio facta fuit, vt ex similitudine serpentis, in quem se diabolus insinuauit, manifesta fieret abiecta nimis eiusdem diaboli vilitas, ad quam ex nobilissimo intelligentiarum ordine, ob nimiam superbiam suam, miserrimè deuenit, vt serpentibus quodammodò assimilari necesse habuerit, & pæne inter ipsos computari. Posset & hoc addi, libentissimè dæmonem elegisse sibi serpentem, tamquam superbissimæ intentioni suæ aptissimum medium, vt scilicet per vilissimum hoc animal, omnium nobilissimum atque præstantissimum, id est hominem, superaret ac prosterneret.

4. Sanè modus quo tentauit satan Heuam, fuit primò per semetipsum subtili quadam suggestione excitando in ea desiderium quoddam omnimodæ libertatis edendi de quolibet ligno Paradisi, & consequenter nonnullam quoque diuinæ prohibitionis displicentiam. Deinde, medio serpente (quem fortè mulier numquam anteà viderat, & audiens loquentem, putabat humana voce à Deo donatum) interrogauit eam illis verbis: *Cur præcepit vobis Deus*, &c. vt vel sic meliùs exploraret, quidnam interna illa suggestio operata esset. Vt autem illa respondit, Deum præcepisse eis ne ederent

QVOMODO DIABOLVS HEVAM TENTAVERIT.

ederent de ligno in medio Paradisi existente, & ne tangerent illud, ne fortè morerentur; intellexit astutissimus tentator, iam Heuæ aliqualiter displicere cœpisse Dei præceptum, quod planè indicabant illa verba per exaggerationem addita: *Et ne tangeremus illud.* (non enim hoc dixerat Deus:) & insuper penetrauit diabolus eam de pœna quoque transgressoribus indicta quoquomodò dubitare, subiungens illud, *ne fortè moriamur.* non obstante quòd Deus absolutè & sine vlla exceptione pronuntiasset: In quacumque hora comederitis, moriemini. Videns ergo diabolus mulierem aliquo modo iam ad sibi credendum dispositam, ilicò fraudulentum subintulit mendacium, dicens: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* quibus verbis facilè incautam fefellit mulierem, promptamque reddidit ad diuini mandati transgressionem, cùm metu pœnæ remoto, *Nequaquam morte moriemini,* tum blandimentis amplaque pollicitatione, *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Sunt autem verba hæc, si quis ea benè attendat, admodum ambigua, sophistica, & fallaciæ plena, vt hinc discere liceat, diabolum fuisse primarium sophisticarum deceptionum inuentorem, eique proindè antonomasticè conuenire illud Ecclesiastici cap. 37. vers. 23. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Siquidem æquiuocando, cuncta confundit, dum alio sensu loquitur versipellis, & alio sua dicta intelligi curat. nam quod ait, *Nequaquam morte moriemini,* verum quidem est, si de corporali & subitanea morte accipiatur (diu namque etiam post peccatum vixerunt:) sed non erat verum, quod ipse volebat intelligi, videlicet, quòd statim vita animæ, quæ Dei gratia est, non essent priuandi, & quod numquam immortalitatem corporis, quam à Deo acceperant, amittere possent. Vnde patet quàm verum sit, quod de diabolo dicebat Dominus Ioan. cap. 8. vers. 24. *Non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius,* scilicet mendacij. Nam & ea quæ sequuntur: *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri.* expressa continent mendacia, ingentemque blasphemiam, in eo sensu accepta, quem diabulus mulieri persuadere intendebat; nimirum quòd Deus inuideret homini maius aliquod bonum. Sciebat namque ille iniquus, illam oculorum apertionem non ad eos maiori lumine illustrandos ac beatificandos, sed ad propriæ miseriæ notitia confundendos, esse directam, quemadmodum re ipsa euenit, quando post lapsum cognouerunt se esse nudos, & erubescentes consuerunt folia ficus, vt facerent sibi perizomata. Talis est, tametsi longè peior, dolorosa illa oculorum apertio seu cognitio, visióve damnatorum, cuius meminit Sapiens cap. 5. vers. 2. *Videntes turbabuntur timore horribili,* &c. Denique in eo quod ait, *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* quid aliud indicare volebat impius seductor, quàm quòd diuinam quamdam seu angelicam visionem, scientiamque bonorum ac malorum omnium, ad hæc deuitanda, ac illa amplexanda, essent consecuturi? cùm nihilominùs è contrario benè nosset fraudulentus, ipsos ad falsorum Deorum, hoc est dæmonum similitudinem, miserrimam illam ac mœrore plenam boni per eos amissi cognitionem, & malorum, quæ ex peccato proficiscuntur, experimentalem scientiam, pro præmio suæ inobedientiæ habituros.

VERBA DAEMONIS AMBIGVA.

QVOMODO HEVA PECCAVERIT.

5. His itaque & huiuscemodi fallacibus verbis, & artificiosè ad decipiendum compositis, delusa mulier, primò quidem intus elatione quadam animi peccauit, paruifaciens violare mandatum Dei: *quoniam initium omnis peccati est superbia,* Ecclesiastici cap. 10. vers. 15. præsertim interior: & de eadem superbia legimus Tob. cap. 4. vers. 14. *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* & Prouerb. cap. 16. vers. 18. dicitur: *Contritionem* (id est perditionem, seu calamitatem, & fracturam, vt exponit Iansenius) *præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Siquidem ruina quæ occultè fit intus in anima, præcedit eam quæ manifestè subsequitur & apparet in opere; iuxta illud Matth. cap. 15. vers. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria,* &c. prius inquit, cogitationes malæ; deinde homicidia, & reliqua vitia, quæ actibus exterioribus committuntur. Post memoratum internum superbiæ actum, curiosiùs intentiusque prohibitum contemplans fructum mulier, atque ex externa pulchritudine internam eius suauitatem coniectans, non solùm comedit ipsa, sed & viro suo comedendum tradidit; sicque vterque peccatum inobedientiæ consummatum admisit. Ceterùm, si quis accuratiùs cuncta perscrutari ac perpendere voluerit, quæ infelix ista mulier in toto hoc cum serpente congressu cogitauit, dixit, egitque; profectò inueniet, eam multipliciter peccasse. Siquidem superba fuit, Dijs, hoc est Deo, aut Angelis, in cognitione & scientia assimilari affectans, diuinumque proinde paruipendens mandatum:

acediosa, illud pariter tædio habens: inobediens, ipsum voluntariè transgrediendo: & curiosa, fructum vetitum plus iusto & parum cautè contemplans, & gustare desiderans: gulæ quoque nimiùm indulsit, eumdem protinus comedendo: mendax item fuit, falsò referens, sibi interdictum esse etiam ligni tactum: & infidelis, quia de diuina assertione hæsitans, eam sub dubio retulit, & mox diabolo magis credidit dicenti: Non moriemini: quàm Deo pronuntianti: In quacumque die comederitis, moriemini. scandalosa insuper exstitit, cùm exemplo & suasu, viro suo ruinarum causas præbuit. & demum quodammodò impœnitens, quando peccatum suum non humiliter ac simpliciter fassa est, sed excusare contendit, dicens: *Serpens decepit me*. Ecce quanta in vno facinore sunt crimina: & in quot vitia ac præcipitia velociùs prolabuntur, qui semel à via virtutis declinare incipiunt.

6. Eadem pænè peccata, ad exemplum vxoris suæ, commisit Adam; nimirum superbiæ, quam subsannando exprobrauit ei Dominus, dicens: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Genes. cap. 3. vers. 22. Inobedientiæ, vt colligitur ibidem vers. 17. *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes*. & ad Rom. cap. 5. vers. 19. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi*. Immoderatæ cuiusdam indulgentiæ erga vxorem, de qua meritò obiurgatus est loco Genes. proximè citato illis verbis: *Quia audisti vocem vxoris tuæ*. Et præterea gulæ, vt notum est, ex vetiti fructus comestione. ac demum excusationis peccati: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. In qua defensione, videtur propriam culpam non solùm in sociam, sed obliquè quoquomodò etiam (quod peius est) in ipsius sociæ creatorem ac datorem Deum retorsisse. Verumtamen, tametsi non constet Adamum commisisse (quemadmodum de Heua dictum fuit) peccatum infidelitatis, quod ceteris suprà memoratis genere suo grauius est; neque idololatriæ, vt nonnulli perperàm opinati sunt: nihilominùs ex duobus saltem capitibus certum est, ipsum Adamum Heuâ multò grauiùs deliquisse; nimirum primò, quia ipse erat vxore sua in dignoscendis diaboli tentationibus sapientior, & ad easdam repellandas fortior, quare maiori poterat facilitate abstinere à peccato; & cùm ipse esset caput mulieris, non debebat in transgressione eam sequi, sed increpare, ac corrigere. Deinde propter grauitatem damni, ex ipsius Adami peccato secuti, quod fuit omnium maximum, non sibi solùm, sed & vniuerso generi humano, vt quotidie experimur, & tangit Apostolus ad Rom. cap. 5. vers. 12. dicens: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* non enim hîc per vnum hominem Heuam intelligit, sed Adamum; quem proptereà in eadem Epistola multipliciter contraponit Christo. Et confirmatur; quia, vt sacri sentiunt Theologi, si Adam non peccasset, nihil ei aut posteris eius Heuæ peccatum obfuisset. Nec refert quòd Ecclesiastici cap. 25. vers. 33. dictum sit: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*. quia nemini dubium est, quòd Heua priùs peccauit, & ipsa item dedit quidem occasionem peccandi Adamo, ac proptereà, vt aiunt, occasionaliter per ipsam omnes morimur; attamen in rei veritate, (vt etiam sub die mundi 6. num. 32. ostendimus) non ipsa, sed Adam vir eius fuit propria causa diffusionis culpæ originalis in omnem posteritatem, & corruptelæ totius humanæ naturæ: siquidem ipse, tamquam caput & origo omnium hominum, peccans commeruit omnia mala quæ deinceps subsecuta sunt, nimirum moriendi necessitatem, innocentiæ status & iustitiæ originalis amissionem, & cuncta denique alia corporis atque animi incommoda, quæ ex vitiata origine in omnes posteà propagines eius transfusa sunt.

ADAMI PECCATA.

CVR GRAVIVS PECCAVERIT ADAM QVAM HEVA.

7. Diximus de tentatione & lapsu primorum parentum; dicamus nunc aliquid de his, quæ posteà ipsis contigisse, ex Sacro eloquio habemus, initium sumentes ab eo quod dicitur Genes. cap. 3. vers. 7. *Et aperti sunt oculi amborum: cùmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata:* & deinceps prosequitur Sacer textus, enarrans qualiter audientes vocem Domini, præ timore absconderunt se; verumtamen vocati coram Domino, & interrogati, ac rei inuenti, iustam punitionis sententiam acceperunt, ac tandem de Paradiso terrestri eiecti sunt. Qua in re illud primò inruendum est, quòd in Adamo & Heua primis parentibus nostris, veluti in quodam speculo, videtur nobis imago quædam peccatoris ad viuum repræsentari; qui dum peccat, aut peccare parat, cæcus est, non videns quàm graue malum sit offensa Dei, & culpa mortifera, & quanta eam pœna sequatur. Vt primùm autem peccatum perpetrauit, tunc aperiuntur oculi eius, & agnoscit intus delictum suum, pro-

QVID ACCIDERIT ADAMO ET HEVAE POST PECCATVM.

QVAE SOLEANT ACCIDERE PECCATORIBVS

propria ipsum accusante conscientia, & intelligit quàm malum & amarum sit nunc à Dei gratia excidisse, & deinceps expectare vltionem culpæ, quam meruit sempiternam. Tunc aduertit peccator se esse nudum, id est diuinis exutum ornamentis,& virtutum vestibus denudatum, auditque intrinsecus, vel saltem audire deberet, vocem Dei dicentis sibi: *Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus? suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio innunge oculos tuos vt videas*, Apocalyp. cap. 3. vers. 17. Est autem collyrium, consideratio iustitiæ & misericordiæ Dei: aurum verò ignitum & probatum, feruens veræ charitatis ardor, qui animam ditare, beare, & vestire potest, operiens multitudinem peccatorum. Hoc aurum peccator pœnitendo emere suadetur, nimirum contritione, confessione, & satisfactione; quemadmodum fecisse legimus illam, de qua dicitur Luc. cap. 7. vers. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Non sic Adam & Heua, qui potiùs conuersi sunt ad consuenda folia ficus, vt his verenda tegerent, id est ad componendas excusationes in peccatis, quibus reatum suum quantum poterant occultarent. Hos, heu nimiùm imitari solent peccatores, qui leuioribus quibusdam foliis, hoc est argumentis, ex arbore amoris proprij decerptis, sibi applaudere, ac delicta sua extenuare, defendere, & operire satagunt. Sed quemadmodum Adam & Heua, etiam post perizomata sibi adhibita, non omnino potuerunt abigere verecundiam & timorem, præsertim quando vocari se à Domino ad iudicium audierunt: ita peccatores, quantumuis in hac vita suis foliis, id est excusationibus, diligenti admodum studio excogitatis & compositis, siue vt alij, mundanis quibusdam consolationibus sedulò conquisitis, & successiuè vna post alteram veluti inuicem copulatis & consutis, moliantur eludere, supprimere, aut saltem velare pudorem, animique confusionem, ex continuâ peccati repræsentatione contractam, & sedare synteresim interiora animi torquentem, verbisque Apostolicis perpetuò exprobrantem, *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* non tamen id consequi valent, neque iustum cohibere timorem, qui ab ipsis diuino iudicio separari non potest. Vnde meritò impius Cain post fratricidium sibi valdè metuebat, dicens Domino: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar.* & post pauca: *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* & ita Lamech, *Quoniam*, inquit, *occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies*, Genes. cap. 4. vers. 14. & 23. Quare certum est, verissimum esse quod Sapien. cap. 17. vers. 10. legimus, videlicet, *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia.* quod si verum est in reliquo vitæ tempore, verissimum tunc maximè esse constat, quando adueniente graui aliqua infirmitate, vel alio mortis periculo, peccatores ad tribunal Christi vocari se sentiunt: siquidem tunc, non secùs ac Adam & Heua, latebras quærunt, dicentes: *Domine quando veneris iudicare terram, vbi me abscondam à vultu iræ tuæ? quia peccaui nimis in vita mea. commissa pauesco, & ante te erubesco*, &c. Vel etiam vt dicitur Luc. cap. 23. vers. 30. *Tunc incipient dicere montibus Cadite super nos; & collibus: Operite nos.* Sed iam ad historiam redeamus.

QVOMODO APERTI SINT OCVLI PRIMORVM PARENTVM.

8. Igitur vt primùm peccauerũt primi parentes nostri, ait Scriptura, apertos esse oculos amborum. oculos (inquam) non corporis, quos constat priùs non fuisse clausos, non enim fructum vetitum videre, concupiscere, ac decerpere potuissent; sed oculos cordis, quos anteà peccandi libidine obcæcatos habuerant, ita vt mala quæ ex peccato ventura erant, prospicere non possent: post peccatum verò vtique cognouerunt se à diabolo esse delusos, & de felici innocentiæ statu deturbatos. Præterea, ex quo ipsi à debita Deo obedientia desciuerunt, iusto Dei iudicio non exteriora solùm, sed propriam quoque carnem sibi, hoc est spiritui rationique reluctantem experti sunt; quosdam videlicet obscœnos & inuoluntarios genitalium motus sentientes, quos cùm pro debita honestate compescere non possent, de eorum nuditate erubescentes, eadem perizomatibus contegere operæpretium duxerunt. Quod ante peccatum facere necessarium non fuerat, quoniam tunc ipsa quoque genitalia non minùs erant rationi voluntatiq; omnino obsequentia, ac manus, & pedes, aliaque huiusmodi membra, quæ nonnisi ad ipsius voluntatis nutum moueri quiescereve solent. Cùm autem nihil eis commodius occurreret, quàm folia ficus, quæ ad manum erant, & lata admodum sunt, atque intento operi satis commoda videbantur; ex ipsis simul nexis fecerunt sibi perizomata, id est succinctoria, siue subligacula, quæ etiam S. Augustini temporibus, vt videre est apud ipsum lib. 14. de Ciuit. cap. 17. campestria dicebantur, quoniam his iuuenes,

CVR FECERINT SIBI PERIZOMATA.

qui

qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: vnde qui ita succincti erant, campestratos vulgus appellabat. Porrò hunc subligaculorum vsum, naturali quadam disciplina, ab hoc primorum parentum exemplo deriuatum esse ad omnes ferè gentes, manifestum est. Nam, quæ frigidiores incolunt regiones, saltem in balneis aliisque similibus occasionibus, his vti consueuerunt: quæ verò calidiores, passim & ordinariè, præsertim verò in æstate, quando sine vestibus ac pęnè nudi incedunt. Exstant de hac re non pauca antiquissimorū Scriptorum testimonia, necnon recentiorum, ac præcipuè illorum, qui Noui orbis historias descripserunt, quos hîc referre superuacaneum puto.

9. Non multò, vt arbitror, post fabricata aptataque sibi perizomata, audientes Adam & Heua *vocem Domini deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*, id est, eo tempore quo dies iam declinare cœperat; perterrefacti, sese inter densiores Paradisi arbores abdiderunt: sed mox à Deo vocati, coram eo astare, non sine magno ipsorum rubore & pauore coacti sunt. Cumque interrogati, Adam primus culpam in eius sociam, & illa in serpentem retulissent, singulos iustus Dominus conuenienti castigatione puniuit. Et primò quidem serpenti sine vlla interrogatione, quia non erat reuocandus ad veniam, maledixit, dicens: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Genes. cap. 3. vers. 14. Nec quisquam miretur, Deum maledixisse serpenti qui nihil deliquerat, siquidem aliàs consueuit Deus maledicere creaturis, non solùm irrationabilibus, sed etiam insensatis, propter homines. Nam & paulò pòst maledixit terræ propter Adamum: *Maledicta terra in opere tuo.* & vniuersali Diluuio, propter peccata hominum, deleuit cum eis etiam cuncta animantia terræ, quæ nihil peccauerant. & Leuit. cap. 20. vers. 15. iussit occidi pecus, cum quo quispiam coiuisset. Quare non mirum est, si modò maledixit serpenti propter diabolum, qui eo ad decipiendum perimendumque hominem vsus fuerat. Quod fortè etiam factum est, vt inde coniicere possent Adam & Heua, quanto maiori essent ipsi animaduersione digni, qui ex propria electione peccauerant. Quòd si sancta Crux, per quam Christus mundi redemptionem & peccati expiationem operatus est, iusta Dei ordinatione in cunctis gentibus benedicta fuit; quis non videat, congruum quoque fuisse, vt è contrario serpens, cuius ministerio satanas interitum totius humani generis procurauerat, malediceretur? Et, si non ea Crux dumtaxat in qua Christus pependit, sed aliæ quoque cuiuscumque materiæ sint, quia illam repræsentant, eamdem benedictionem participant: nónne congruum etiam fuit, vt non ille solus serpens qui diaboli organum extitit, sed omnes quoque alij serpentes, eiusdem maledictionis consortes fuerint?

ADAM ET HEVA AD IVDICIVM VOCATI.

DEVS MALEDICIT SERPENTI.

10. Videtur autem ista serpentis maledictio tria mala continere; nimirum super pectus reptare, terram comedere, & cum homine perpetuas habere inimicitias. Sed dicet aliquis: Nónne omnia hæc erant serpenti, etiam ante maledictionem, connaturalia? nónne super pectus gradiebatur? nónne terram comedebat? & licet ex speciali prouidentia Dei non posset actu nocere homini in statu innocentiæ permanenti, nónne habebat virus & naturalem potentiam ad id efficiendum? Vtique hoc verum est. Quomodo ergo hæc, præsertim duo priora, ad maledictionem & supplicium iniuncta sunt serpenti, si vsque hodie nullum ei nocumentum incommodúmve adferre videntur? Respondeo dupliciter, Primò, quòd hæc quæ diximus, videlicet reptare super pectus & ventrem, terram edere, & habere virus homini noxium, ante prædictam maledictionem non faciebant serpentem homini abominabilem, vt patet de Heua, quæ ipsum non est auersata, quin potiùs cum eo aliquamdiu familiariter conuersata est: tum quia sciebat hæc (vt diximus) naturalia esse serpenti; tum etiam, quia nullum tunc detrimentum pati poterat ab eo. At verò post memoratam maledictionem, quoniam cœpit serpens posse veneno inficere hominem, propterea cœpit eidem adeò esse execrabilis, vt vix eum sine stomacho & horrore intueri sustineat. sine horrore, propter malignam eius naturam, & ipsis hominibus admodum perniciosam. sine stomacho autem, ob alias eius vilissimas qualitates, præsertim quòd super pectus gradiatur, & terram comedat; quæ deinceps vi diuinæ illius maledictionis, apud homines probro esse cœperunt. Secundò dicimus hasce maledictiones illatas esse serpenti, quia appositæ admodum sunt, ad significandas maledictiones spirituales contra diabolum fulminatas. Constat namque, quòd hæc serpentis maledictio, tametsi iuxta sensum historicum & litteralem ad verum serpentem pertineat, nihilominùs iuxta sensum mysticum, hîc principaliter à Deo intentum, referri debet ad diabolum, qui huius maleficij auctor fuit.

QVAE IN SERPENTIS MALEDICTIONE CONTINEANTVR.

MALEDICTIONES INFLICTAE SERPENTI, ALIAS DIABOLO ILLATAS SIGNABANT.

fuit. Est autem magna similitudo inter maledictiones diabolo & serpenti inflictas: nam quemadmodum serpens dicitur maledictus inter omnes bestias terræ, tamquam omnium ipse pestilentior; ita diabolus inter omnes damnatos, quorum ipse pessimus est, & cunctarum causa maledictionum: & sicut ille super pectus ventremque gradiendo circumuoluitur, atque hoc pacto corpus suum vbicumque voluerit, ad malefaciendum impellit; ita iste circumagendo ac commouendo binas hominis appetitiuas potentias, videlicet irascibilem, quæ in pectore esse dicitur; & concupiscibilem, quæ in ventre; ipsos homines, præsertim terrenis tantummodò actibus inhiantes, qui inter membra ipsius diaboli computari possunt, ad quæcumque mala perpetranda perducit. & item eo ferè modo, quo verus serpens reipsa comedit terram cunctis diebus vitæ suæ, eodem quoque figuratus serpens diabolus, vsque ad consummationem sæculi, spiritualiter terrenos homines depascitur, vt benè monemur 1. Petri cap. 5. vers. 8. *Aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret.* Vnde etiam beatus Gregorius super Psal. 101. de diabolo verba faciens, *Peccatores quoque*, ait, *in ventrem suæ malitiæ abscondit; ipsisq́ hominum perditionem desiderans, quodammodò reficitur, dum prauis eorum operationibus delectatur.* Et præterea, sicuti perpetuum exstat inter serpentem hominemq́ dissidium, & ille quidem calcaneo, quæ postrema pars est hominis, insidiare non desistit; homo verò contrà studet conterere principale illius membrú, quod est caput; cùm aliter eum interimere vix possit: ita satanas finem boni operis hominum vitiare conatur, vt totum eius meritum euacuet: homo autem, nisi satanæ capita comprimat, hoc est, principia tentationum eius ad petram, quæ Christus est, allidat; difficile admodum ea superare valet. Et denique quemadmodum diabolus etiam antequam tentasset hominem, iam erat ad pœnas æternas à Deo condemnatus; ita serpens, priusquam dæmonis instrumentum fieret ad fallendum hominem, iam memoratas, vt dictum est, sortitus fuerat qualitates. Ecce quàm bellè hæc inter se cohæreant.

GENESIS VERBA EXPONVNTVR. 11. Ceterùm hic non prętereundum videtur, quòd illa verba, quę dixit Deus serpenti, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*; nonnulli (vt testantur Beda in horú verborum expositione, & Eucherius lib. 1. cap. 3. in Genes.) de beatissima Dei genitrice Maria intelligunt, quæ quanto præ ceteris Deum magis dilexit, tanto grauiores cum diabolo inimicitias exercuit, & gloriosiores de ipso victorias reportauit. Nam vt eleganter ait B. Bernardus Homil. 2. super Missus est: *Cui hæc seruata victoria est, nisi Mariæ? ipsa proculdubiò caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia, deduxit ad nihilum.* hæc S. Bernardus. Porrò semen mulieris dicunt esse primò Christum, qui dat nobis victoriam, deinde omnes electos, qui pro lege Dei in hac vita cum diabolo decertant. Dæmonis autem semen, sunt eius tentationes, & item reprobi homines, per quos illas disseminare non cessat; de quibus reprobis conuenienter accipi potest, quod apud Ioan. cap. 8. vers. 44. dicebat Iesus Iudæis, *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* & Sap. cap. 2. in fine: *Imitantur autem illum* (nempe diabolum, de quo ibi loquitur) *qui sunt ex parte illius.* Et ipsa quidem diaboli capita, hoc est tentationes & persecutiones, Sancti omnes, Deo bene iuuante, compresserunt. Verumtamen ipse Christus longè excellentiori modo contriuit caput serpentis, qui non solùm in deserto, supra pinnaculum templi, & in alto montis cacumine tentantem se, strenuè superauit, sed etiam originalis peccati chirographum, & omnem diabolicam potestatem, pro totius mundi salute mirabiliter in cruce confregit. Et hoc est, quod ab origine mundi præcitatis verbis prænuntiatum fuisse aiunt; nimirum, aliquando nasciturum de Virgine Maria Christum, qui mundum sua morte & passione redimeret, & de diabolo ac regno eius omnimodis triumpharet. Libet hîc ponere verba S. Leonis Papę ex Serm. eius secundo de Natiu. Domini: *Deus*, inquit, *omnipotens & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim vt nos diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidia, prædestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia, inter ipsa mundi primordia præsignauit, denuntians serpenti, futurum semen mulieris, quod noxij capitis elationem sua virtute contereret; Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemq́ signans; qui natus ex Virgine, violatorem humanæ propaginis, incorrupta natiuitate damnaret.* hactenus sanctus Leo. Porrò hoc mysterium innotuisse Adamo, ipsumque illicò in

ADAM COGNOVIT CHRISTVM VENTVRVM, ET IN IPSVM CREDIDIT. Christum venturum credidisse, sperasseque ab eo tandem & à peccato & à malis inde secutis liberatum iri, communiter creditur, & necessariò credendum videtur, si verum est quod infrà sub anno mundi 930. num. 9. dicemus, videlicet, eumdem Adamum

mum salutem fuisse consecutum, & in Dei gratia decessisse. Certum est enim, neminem vmquam nisi in fide Christi potuisse saluari.

12. Mulctato serpente, mulierem quoque Deus triplici castigatione puniuit, inquiens: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* ecce prima. *In dolore paries filios.* ecce secunda. *Et sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* ecce tertia. nam mors fuit ei cum viro suo pœna communis. Videntur autem tria hæc mala tribus Heuæ delictis respondere: siquidem, quia ipsa vitum ad peccandum induxerat, iure condemnata est vt deinceps subiecta sit viro, & se ab eo agi, gubernari, & nonnumquam etiam eius dominatu premi patiatur. Deinde illa sensualis delectatio, cui nimium indulserat, cibum vetitum contemplando ac degustando, grauissimis partus doloribus compensata est. Et demum, quoniam serpenti crediderat dicenti, *Eritis sicut dij*, vt experimento dignosceret, quàm longè ab Angelorum beatitudine corruisset, ait: *Multiplicabo ærumnas tuas.* Quod verò statim subiungit, *Et conceptus tuos*, idem esse videtur, ac si dixisset: Et multiplicatio conceptuum tuorum, quæ alioqui fuisset tibi ad gaudiorum & consolationum multiplicationem, mox erit tibi ad augmentum mœroris, & plurimarum occasio afflictionum: tum propter dolores, perturbationes, ac varias indispositiones, quas sentiunt mulieres dum in vtero habent; tum propter plurimas, quæ ad matres potissimum pertinent, curas, sollicitudines, molestias, labores, in filiis nutriendis, educandis, edocendis, & vsque ad pubertatem perducendis; tum etiam ob multa, quæ non sine magno, matrum præsertim, dolore accidere solent filiis; puta si materno in ventre eos mori contingat; si monstrosi, aut aliquo corporis vitio deformes nascantur; si eis infirmitates aliquæ superueniant; si posteà amentes, stolidi, stupidive euadant; si casu aliquo repentino & inopinato luxentur, mutilentur, mortémve oppetant, aut quid aliud simile ipsis accidat. Et prætereà etiam propter mala, quæ mali filij parentibus adferre solent, nimirum quia inobedientes, superbi, & fastidiosi ingenij sint, rem domesticam dilapident, perditè viuant, aduersus parentes insurgant, vel aliter scandala ac flagitia perpetrent, Deo & hominibus odibiles efficiantur, & innumera huiusmodi alia. Etenim hæc & similia nonnumquam in parentum animos angunt & frangunt, vt eos breui, præ nimia cordis tristitia, miserè vitam animamque agere cogant. Et quamquam plurima, quæ memorauimus, videantur vtrique parenti esse communia: nihilominùs vt quotidiana docet experientia, videmus propter prædicta multò magis affligi solere matres, quàm patres; siue ob sexus infirmitatem, siue quia illæ cùm filios naturaliter ardentiùs diligant, consequenter etiam quælibet illis aduersa magis timent; & si quid tale eis accidat, aut ab eis ipsæ patiantur, magis sentiunt, & grauius ferunt. nimirum hæc ipsis à Deo vsque ab origine mundi inflicta est pœna, his verbis: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* quæ quidam sic accipienda putant, ac si dictum esset: Multiplicabo cum ærumnis conceptus tuos. vel, in conceptibus tuis ærumnas tuas, quod ferè in idem recidit. HEVAE CASTIGATIONES.

13. Sanè ipsam Heuam, ante omnes alias mulieres, aliqua saltem ex supradictis malis filiorum causâ fuisse perpessam, dubium non est: ipsi namque in primis hæc in pœnam peccati pœnitētia à Deo iniuncta fuit. Et quamuis incompertum habeamus, num ipsa aliquando abortum fecerit, aut monstrosam, aliquóve sensu aut membro mancam, vel defectuosam prolem edidierit; quod etiam nunc non omnibus mulieribus, sed quibusdam tantùm, & rarò admodum euenire solet: attamen in alendis, educandísque filiis, credibile est, Heuam non solùm vt aliæ postmodum mulieres multa incommoda pertulisse, sed etiam maiora & grauiora, quia cùm sola esset, multis auxiliis caruit, & plura, quæ deinceps vsu & arte adinuenta & prouisa sunt, ad commodiorem filiorum alendorum rationem pertinentia eidem in illo præsertim orbis principio defuisse censendum est. Et prætereà, quis dubiter eam à filio suo primogenito, quem constat fuisse pessimum, sæpiùs & multis modis fuisse afflictam? præsertim quando Abelem fratrem, virum probum ac iustum, Deóque & parentibus charum, iniustè interfecit? Quod facinus quàm grauiter ipsa præcipuè Heua tulerit, satis apertè indicatur Genes. cap. 4. vers. 25. vbi in ortu Seth, quasi aliquantulùm respirans, dixit: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* quasi diceret: Benedictus Deus, qui me dignatus est consolari super interitu dilecti filij mei Abelis, dando nunc mihi alium filium pro ipso. Denique etiam probabile videtur, eamdem Heuam multas quoque ærumnas sustinuisse occasione aliorum filiorum, quos post ipsum Seth genuisse creditur. nam filij, descendentésque ex Adamo, (præter generationem Seth) omnes videntur promiscuè inter perditos illius temporis homines connumerari, quos Scriptura sa- HEVA QVALES SVSTINVERIT AERVMNAS.

cra Genes.cap.6.vers.2. vocat filios hominum, ad differentiam filiorum Seth, qui soli, ob eorum pietatem, nomine filiorum Dei ibidem significari creduntur.

DE ALTERA HEVAE POENITENTIA.

14. Quod verò attinet ad secundam Heuæ iniunctam pœnitentiam, *In dolore paries filios*, fuit hæc quoque profectò grauis admodum castigatio; quandoquidem partus dolores mortis doloribus assimilari posse videntur, quia cruciatus valdè excessiuos efficiunt, & vt plurimùm cum vitæ periculo coniunctos, & quandoque etiam mortem inferentes. Vnde non mirum est, si tam frequenter Scriptura sacra, vbi maximas quorumdam pressuras exprimere intendit, parturientium exemplo eas veluti ante oculos ponere solita est: vt patet in Psalm.47. vers.7. & sæpissimè apud Prophetas, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, Oseam, & Michæam, tamquam omnibus notissimum sit, partus dolores esse omnium grauissimos. Quod tametsi ita sit, illos tamen benignus & misericors Dominus mitigare atque alleuiare interdum solet, compensando eos cum ingenti, de secuta prole, lætitia, vt ipsemet dicebat Iesus Ioan.cap.16. vers.21. *Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressura propter gaudium, quia natus est homo in mundum*. Quod si quis arguat, dolores partus esse mulieribus naturales, id est ex causis sibi naturalibus prouenientes, & consequenter non videri datos eis in pœnam peccati; dicimus, mortem non minùs esse homini naturalem, quam tamen eidem in pœnam delicti datam fuisse certum est, dicente Apostolo ad Rom.cap.5.vers.12. *& per peccatum mors*. etenim quemadmodum ex speciali gratia Dei, homo, si non peccasset, à morte præseruatus fuisset; ita mulier à doloribus partus. Quamquam autem quidam putent, mulieres in statu innocentiæ non sine nouo miraculo potuisse absque doloribus parere, ita tamen, vt quia id tunc fuisset eis visitatum & perpetuum, propterea non pro miraculo esset habitum: nobis tamen oppositum verius videtur. Nam si, vt ait Aristoteles lib. 7. de Histor. animalium, cap. 9. *ceteris animalibus partus non laboriosi eueniunt*. idque sine nouo miraculo; quis ambigat, idem quoque mulieribus in statu innocentiæ naturaliter euenire potuisse?

DE TERTIA HEVAE POENITENTIA.

15. Sed iam ad postremam Heuæ pœnitentiam deueniamus, quæ duas habet partes: *Et sub viri* (inquit Scriptura) *potestate eris*. hæc est prima pars: altera, quæ grauior est: *Et ipse dominabitur tui*. quod ideò subiunctum creditur, quia sunt nonnulli qui ita ab alterius potestate dependent, vt eis tamen tamquam dominis parere non teneantur; cuiusmodi sunt minores & pupilli, qui contractus quidem facere sine tutorum actorúmve interuentu & auctoritate non valent, verumtamen eos vt dominos nullatenus recognoscunt. Qui autem sub alicuius dominio sunt, multò maiori subiectione premuntur. igitur secunda memoratæ pœnitentiæ pars primam declarat, magisque contrahit & coarctat: ac si diceretur: Ita sub viri potestate eris, vt ipsum tamquam dominum perpetuò habere tenearis. De hac subiectione expressum habemus mandatum 1. Pet.cap.3. quod ita incipit: *Similiter & mulieres subdita sint viris suis*. Idem tradit Apostolus ad Coloss. cap. 3. vers. 18. *Mulieres*, inquit, *subdita estote viris, sicut oportet, in Domino*. Quomodo autem oporteat eas esse subditas, clarius explicat ad Ephes.cap.5.vers.22. dicens: *Mulieres viris suis subdita sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesia*. & post pauca subinfert: *Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*. vbi tum ex similitudine Christi ad Ecclesiam, tum ex illa particula, *in omnibus*, satis euidenter insinuarunt amplum dominium, quod habet à Deo vir in propriam vxorem. Et hoc idem confirmat sanctus Petrus loco proximè citato vers.5. exemplo sanctarum mulierum, & præcipuè Saræ, quæ Abraham virum suum, dominum vocabat, eique tamquam domino obedire non recusabat. ponam hic S.Petri verba, quæ sunt: *Sic enim aliquando & sancta mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subiecta propriis viris; sicut Sara obediebat Abraha, dominum eum vocans*. Apostolus quoque 1.ad Timoth.cap.2.vers.12. mulieri non permittebat dominari in virum: vtique quia sciebat, quòd magis è conuerso vir à Deo ius dominij in mulierem sortitus fuerat. Porrò grauitas huius dominij, ex amissione iustitiæ originalis profecta est: siquidem illa quamdiu in homine viguit, viri dominium rectum, æquum, ac rationabile faciebat, & memoratam subiectionem, tamquam iustam, debitam, ac diuinæ ordinationi conformem, mulieri voluntariam, facilem, suauemque reddebat: post peccatum verò permisit Deus vxores nonnumquam præ vana quadam superbia viris plus iusto teluctari, & propterea ab ipsis durius acccrbiusque tractari; quo factum est, vt illæ hanc subiectionem, tamquam nimis onerosam, & penè intolerabilem, auersari cœperint, eamdemque non sine magna difficultate & mole-

molestia sustinere. Et hæc est pœna, mulieri à Deo ob peccatum eius meritò inflicta. Quare huiuscemodi vexationes & pressuras, siue iustè siue iniustè à viris inferantur, debent ipsæ humiliter patienterque sufferre, & non propreteà se ab ipsorum debita subiectione subtrahere; quemadmodum de sancta Monica B. Augustini matre legimus, alijsque piis sanctisque mulieribus, quibus hæc pœnitentia, quantumuis grauis, mirum in modum profuit, non ad diluendas culpas tantùm, sed etiam ad diuina in cælis patientiæ, humilitatis, ac obedientiæ præmia promerenda. Et hæc dicta sint de diuina mulieris castigatione.

16. Veniamus modò ad iustissimam Dei sententiam contra virum latam. Hæc ipsum ad duas valdè graues pœnitentias condemnauit: nimirum ad victum magnis laboribus ac sudoribus sibi toto vitæ suæ tempore comparandum, quæ maxima quædam ac iugis miseria est: & deinde, ad mortem, quæ teste Aristotele lib. 3. Ethicorum cap. 6. est vltimum vitæ maximè omnium terribile. Prima condemnatio hisce verbis continetur: *Maledicta terra in opere tuo.* Vbi licet aduertere, non absolutè à Deo maledictam esse terram propter peccatum hominis, sed cum hac limitatione, *in opere tuo,* id est, in cultura mox ei necessariò per te adhibenda, vt magis paulò pòst declarabitur. Quid autem importet huiuscemodi maledictio, subsequentia explicant verba: *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane.* Genes. cap. 3. vers. 17. quod est ac dixisset: Quia inobediens fuisti mihi, exinde pauperem ac valdè laboriosam vitam ages; quoniam eiiciam te de feracissima hac Paradisi terra, quæ hactenus sine cultura, vel saltem sine labore tuo, largam præbuit tibi optimorum omnium fructuum abundantiam: & mittam te in terram aliam, ab hac longè diuersam, valdè infelicem, & in huius comparatione quodammodò maledictam, quæ vix etiam posteaquam multis grauibusque laboribus à te fuerit culta, præbebit tibi victui necessaria: quin potiùs loco herbarum lignorumque fructiferorum, infinitam pænè spinarum ac tribulorum copiam proferet, in quorum exstirpatione multùm te insudare oportebit, ne ab eis fruges, quas pro tui sustentatione seminabis, suffocari contingat. Itaque, vt diximus, non fuit à Deo terra propter hominem absolutè maledicta; id est, propria ac naturali sua fertilitate priuata: neque verum est, vt nonnulli perperàm putarunt, eam nonnisi post hominis peccatum spinas & tribulos producere cœpisse: sed ita ante, sicut post memoratam Dei sententiam, erat terra; alicubi quidem ex se fertilissima, vt in Paradiso terrestri; alicubi verò multò minùs; & etiam quibusdam in locis (vt nunc quoque conspicitur) omnino deserta & arida, nihil præter spinas tribulosque germinans, aut siluestres huiusmodi alias plantas, ad brutorum vsus, & vniuersi complementum; ne scilicet vllum in eo plantarum genus desiderari posset. At verò terra, quæ Adamo post eius condemnationem danda erat, quia tametsi non esset penitus infructifera, erat tamen prorsus inculta; ita vt ei necessarium foret, cum ingenti labore illam colere, & spinas tribulosque sæpiùs renascentes exstirpare, ac pro eis plantas ferere frugiferas, propterea dixit Deus: *Maledicta terra in opere tuo.* nimirum, quia tot tantorumque laborum occasionem eidem Adamo præbitura erat; quemadmodum sanctus Iob maledixit diei natiuitatis suæ, ob multas miserias, excessiuosque dolores, quos ipse in hac vita sustinere cogebatur.

DE IVSTISSIMA DEI SENTENTIA CONTRA ADAMVM LATA.

17. Cùm ergo propter Adæ peccatum non aqua, non aër, non ignis, maledicta fuisse legantur, neque in aliquo deteriorata, quamuis propter homines facta essent, sed neque terræ ipsi maledictio simpliciter & absolutè inflicta fuerit, nisi quodammodò per accidens, vt iam expositum est: tanto minùs probabile est, solem & lunam, ob primi parentis lapsum, vllam incurrisse maledictionem, aut claritatis suæ imminutionem. Quò fit, vt non videatur recipienda illa super Isaiæ cap. 30. vers. 26. Glossa interlinearis, quæ habet, solem, & lunam, quando Adam peccauit, fuisse minorata, & ad pristinam claritatem, quam nimirum in prima mundi dierum hebdomada ante hominis transgressionem habuerant, aliquando fore restituenda: videlicet, quando, vt ibidem Isaias ait, *erit lux lunæ, sicut lux solis; & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum* (subaudi, vt quidam aiunt, primorum mundi) *in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit.* Quæ posteriora Prophetæ verba, si, vt multi exponunt, de tempore redemptionis humanæ, quæ à Christo facienda erat, accipi debent; profectò oporteret Christi temporibus auctum mirabiliter fuisse solis ac lunæ splendorem, & tunc restituta fuisse hæc duo luminaria cæli ad pristinum, quem ante hominis lapsum habebant, lucis fulgorem: quod tamen re ipsa

REFVTATVR OPINIO GLOSSÆ INTERLINEARIS.

fuisse præstitum, scribere aut asserere adhuc ausus est nemo. Et quidem certum est Prophetam loco citato non propriè, sed figuratè loqui; ac lucis nomine vel temporalem Israëlis exultationem ob inimicorum eius interitum, vel cognitionem rerum spiritualium ex Christi doctrina copiosissimè illustrandam, vel lætitiam sempiternam in cælesti patria, supra quàm dici aut excogitari possit, percipiendam, indicare voluisse, vt ibidem sacri docent Expositores.

DE CONDEMNATIONE ADAMI AD MORTEM.

18. Altera Adami condemnatio, fuit ad mortem, non illicò, sed post multa tandem tempora omnino subeundam, vt exprimitur his verbis: *Donec reuertaris in terram de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, Genes. cap. 3. vers. 19. Tametsi non dubium est, quòd statim ac peccauerunt primi parentes, destituti illa Dei gratia, & ligni vitæ vsu, quo in vitam perpetuò seruari poterant, statim quodammodò mori cœperunt; hoc est, irreparabili quodam fluxu ad interitum paulatim tendere. Vt propterea scitè Ecclesiasticus cap. vlt. vers. 13. mortem obiter memorans, eam appellauerit defluentem, quòd sensim ac veluti guttatim in corpora nostra defluere videatur. & Sap. cap. 5. vers. 13. dictum sit, quòd & nos nati continuò esse desinimus. ac si dixisset: Continuo quodam fluxu interimus. Nam vt ait B. Gregorius Homil. 37. in Euangelia: *Ipse quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quàm quædam prolixitas mortis?* Et hoc est quod Adamo prædixerat Dominus Genes. cap. 2. vers. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Est autem mors veluti centrum quoddam, in quo tamquam lineæ desinunt cetera mala: nam cuncta quæ nos hic torquent, quid aliud sunt quàm quædam viæ ducentes ad interitum? ipsa verò mors, nónne finis, complementum, & terminus est corporalium omnium huius mundi malorum? Sanè licet mors sit naturalis homini; habet enim homo in se ipso naturales moriendi causas, nimirum qualitates & humores inuicem contrarios, ac perpetuò inter se pugnantes, donec tandem, vno superante, ipsa humani corporis compositio & constitutio intereat; attamen quia certum est, quòd si homo non peccasset, proculdubiò esu ligni vitæ, ac Dei omnipotentis gratia, (vt suprà dictum fuit) à morte præseruatus fuisset. ideò certissimum quoque est, eamdem mortem fuisse homini in pœnam peccati à Deo inditam seu permissam, sublatis pariter ab eo prædicta eius gratia & vsu ligni vitæ. Et quidem, quòd mors homini propter peccatum euenerit, est de Fide, ac propterea in dubium vocare non licet: id enim non semel repetitum habemus ad Rom. cap. 5. vers. 12. & deinceps, & Sapientiæ cap. 2. vers. 23. legimus, Deum creasse hominem inexterminabilem, inuidia autem diaboli mortem intrasse in orbem terrarum. Et scimus Deum comminatum esse primo homini mortem, si peccaret: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, Genes. cap. 2. vers. 17. Igitur quia in Adamo omnes peccauimus, ab eo originalem contrahentes culpam, omnes morimur: sic enim loco ad Rom. citato

LOCVS APOSTOLI EXPLICATVR.

dicitur: *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Sed si per peccatum mors, quæret fortè hic aliquis: Quid dicendum de Christo, & de beatissima eius Matre, qui non peccauerunt? Quid de sancto Ioanne Baptista, de Ieremia, & si qui sunt alij in matris vtero sanctificati, qui tamen omnes mortui sunt? Respondeo, Christum non pro suis, sed pro nostris peccatis esse mortuum; voluisseque pro salute mundi (culpa dumtaxat & ignorantia exceptis) cum humanitate nostra humanas quoque passibilitates, vt ita dicam, & peccati pœnalitates, assumere: aliqui, neque quòd verus homo esset, credi, neque genus humanum propria passione ac morte redimere potuisset. Similiter licet ipse Christus gloriosam Genitricem suam, ab omni culpa præseruauerit, & quosdam alios in vtero materno sanctificauerit; nihilominùs, ad sui imitationem, reliquit in eis easdem peccati pœnalitates, vt per illarum tolerantiam maiora sibi merita comparare possent; & insuper, vt quemadmodum de se dicit Apostolus ad Colos. cap. 1. vers. 24. suis passionibus adimplerent, quæ desunt passionum Christi in carne sua, pro corpore eius, quod est Ecclesia. id est, vt suis passionibus ditaret thesauros Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum, cuius caput est ipse Christus, per quem habent Sancti, qui sunt membra corporis eius, hoc est Ecclesiæ, vt patienter mundi huius mala sustinentes, diuina præmia sibi aliisque consequi possint: etenim passiones Sanctorum non solùm ipsis gratiam merentur, sed & ad satisfaciendum atque impetrandum pro aliis Ecclesiæ membris, quibus à Christi Vicario, thesaurorum spiritualium legitimo dispensatore, applicantur, plurimùm valent. Ceterùm hîc valdè admirari & commendare debemus immensam diuinæ bonitatis prouidentiam, quæ duas proximè memoratas vsqueadeò graues pœnas, nimirum vniuersam huius vitæ

labo-

laborum calamitatumque congeriem, & postremò mortem, hominibus ad peccati castigationem ita iniunxerit, vt etiam his qui non peccauerunt sint admodum vtiles, & peccatoribus, non solùm ad diluendas culpas, veniamque consequendam, sed etiam aliter multimodis prodesse possint: nam & sola vexatio dat intellectum, Isaiæ cap. 28. vers. 19. & laborandi necessitas otium sentinam omnium malorum arcet, petulantiam frænat, superbiam abigit, humilitatem souet; & denique (vt passim dici solet) Mala, quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt. Similiter nihil est, quod æquè nos à malis perpetrandis retrahat, ac certæ mortis consideratio & metus, iuxta vulgatum illud Ecclesiastici cap. 7. in fine: ***In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*** Incertitudo quoque horæ mortis nos sollicitos facit, & vt semper benè parati inueniamur, iugiter admonet: & præterea illud etiam boni mors in hominibus operatur, vt non sinat malos perpetuò malefacere, neque bonos in huius mundi ærumnis semper versari. Ecce quàm salubres & salutares homini pœnitentias iniunxit pius & misericors Dominus.

19. Post latam aduersus Adamum & Heuam iustæ condemnationis sententiam, miseratus eorum Dominus, quòd videret ipsos propter peccatum factos morti obnoxios, corruptibiles, admodumque passibiles, ac debiles ad resistendum frigori, æstui, ventis, imbribus, aliisque huiusmodi causis exterioribus, fecit eis tunicas pelliceas, quę possent eorum corpora protegere; præsertim cùm extra Paradisum, de quo paulò pòst eiiciendi erant, eos degere oporteret; vbi non eam ampliùs, quam in ipso terrestri Paradiso senserant aëris temperiem, habituri erant. Portò huiusmodi tunicas non immediatè à Deo factas, satis rationabiliter sentiunt Doctores. quoniam, quòd Deus ipse auper Angelos animalia occiderit, decorticauerit, atque tandem ex eorum pellibus tunicas concinnauerit, credere, non solùm de tali ac tanta maiestate, sed etiam de ipsis Angelis prorsus indignum videtur: quòd verò miraculosè eas fecerit, non probant; pro certo axiomate habentes, Non esse ponenda miracula sine necessitate; hoc autem per manus hominum satis commodè fieri poterat. Igitur credibilius putant, dictas tunicas ab ipsismet Adamo & Heua fuisse fabrefactas, necessitate nimirum eos ad hoc impellente, & Deo intus pariter inspirante ac docente. Qui enim ab initio cunctas rerum sensibilium species pro homine creauerat, eique primaria duo instrumenta cunctarum rerum conficiendarum tribuerat; alterum spirituale, & corporale alterum; videlicet ingenium, & manus (meritò à summis Philosophis per antonomasiam organa organorum appellatas) quibus sciret posserque cuncta ritè ad proprios vsus accommodare; quique eumdem hominem paulatim posteà, congruis nimirum & opportunis temporibus, specialibus quibusdam internisque suggestionibus docturus erat, qualiter rebus creatis ad proprias necessitates subleuandas vti deberet: credibile est, quòd tunc aperuerit sensum Adamo & Heuæ, vt occisis & decorticatis animalibus, quæ ad ipsorum seruitium creata esse non ignorabant, ex eorum pellibus sibi indumenta facerent: nullus siquidem alius vestium conficiendarum modus eis tunc commodior ac paratu facilior, in promptu fuisse videtur. Nam ex lana linóve, vel etiam ex palmæ foliis (vt posteà eremitæ) eas intexere, nonnisi multo tempore, labore, atque artificio potuissent. Quòd verò aliqui putarunt, tunicas illas ex quarumdam arborum corticibus fuisse compactas, sanè modicam habet probabilitatem; & magis nescio quid imaginarium redolet, quàm reale; præsertim cùm nusquam legerimus, aliquando homines talibus vsos vestibus: è conuerso autem, ex ethnicis quoque Scriptoribus constet, ab antiquissimis temporibus homines animalium pellibus tegi consueuisse; quod profectò ab hoc primorum patrum exemplo deductum esse, nemo dubitare debet. Fuit etiam non sine diuinæ prouidentia factum, vt mortuorum potiùs animalium pellibus, quàm quouis alio tegumento vterentur post peccatum homines, quò nimirum meliùs, ex quotidiana vestium quas gestabant inspectione, iugiter recordarentur se esse mortales; & quòd priùs se in honore creatos esse non intellexerant, mox comparatos esse iumentis insipientibus, & similes illis quodammodò effectos; atque hoc pacto propriam agnoscentes miseriam, humiliarent animas suas coram Domino, & misericordiam ab eo intensiùs impetrare studerent. Ad hoc quoque (vt arbitror) acriori licet medio, eos inducere intendebat Deus, quando vt vidit tali habitu indutos, seuera illa quidem eos, opportuna tamen ironia, irridere cœpit, dicens: ***Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.*** Genes. cap. 3 vers. 22. qua voce ***Adam*** vtrumque, virum scilicet & mulierem complexus est; siquidem Genes. cap. 5. vers. 2. legimus, ***Et vocauit nomen eorum Adam.*** Solet autem Deus interdum in hac vita subsannare peccatores, iuxta illud Pro-

DE TVNICIS PELLICEIS ADAMO ET HEVAE DATIS.

Prouerb. cap. 1. v. 26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit.* vt scilicet ipsorum ex peccato profectam ignominiam intuentes, ad illum, qui eos possit saluos facere, audiùs conuertantur: quemadmodum dicebat Regius Propheta in Psal. 82. verſ. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*

DE ADAMO ET HEVA E PARADISO EIECTIS.

20. His peractis, eiecit Deus Adamum & Heuam de voluptariis hortis, hoc est de terrestri Paradiso: quæ fuit veluti quædam sententiæ contra eos latæ executio. siquidem exinde priuati vsu ligni vitæ, quodammodò mori, id est ad interitum tendere cœperunt, & grauiter aëris iniurias ferre, ac terræ colendæ labores sustinere: & Heua non multo pòst conceptus molestias, & deinde partus dolores experiti. Quæ omnia proculdubiò eos sensim disponebant ad mortem, vel potiùs paulatim ac diu moti compellebant. *Ipse* enim *quotidianus defectus corruptionis* (vt ait B. Gregorius Homilia 37. in Euangelia) *quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis?* Sed ne aut ipsi, aut eorum posteri deinceps, cupiditate prorogandi vitam flagrantes, auderent tentare rursus ingredi in Paradisum, vt de fructu ligni vitæ decerperent; prouidè admodum Dominus vigilem pariterque inseparabilem Paradiso custodiam posuit, nimirum *Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*, Genes. cap. 3. in fine. hoc est (vt benè exponit, probatque Pererius) Angelos, strictos tenentes gladios ex vtraque parte acutos; qui non solùm visibilibus hisce armis arcerent inde homines, sed inuisibili ac spiritali virtute sua, etiam dæmones; ne & ipsi de ligno vitę sumerent, quo fallere possent homines illius cupidissimos; siue promittentes, siue etiam re ipsa dantes de ipso his, qui spreto Dei cultu ipsos adorarent.

QVANTVM TEMPORIS ADAM ET HEVA MORATI SINT IN PARADISO TERRESTRI.

21. Verùm hîc si quis quæras, quanto tempore morati sint Adam & Heua in Paradiso terrestri; dico, id præcisè sciri non posse: nam licet ex Sacro textu videatur colligi posse, quòd quo die peccauerunt, eodemmet de Paradiso eiecti sint; consequenter namque post lapsus ipsorum descriptionem narrat Scriptura sacra, eos de nuditate sua erubescere cœpisse, fecisseque sibi perizomata, & audita voce Domini, sese abscondisse; sed ab eo vocatos, ac successiuè interrogatos, condemnatos & eiectos esse. Quod sub finem illiusmet diei contigisse insinuant illa verba Genes. cap. 3. verſ. 8. *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* & quæ sequuntur. At verò scire quantum temporis in statu innocentiæ permansissent, hoc opus hic labor est. Nam neque ex Sacro eloquio id elici pòtest, neque de hac re vlla extat antiqua traditio, neque idem sentiunt Doctores: ex quo fit, vt etiam variæ sint de tempore quo manserunt in Paradiso terrestri opiniones. Quidam enim putant, ipsos eodemmet die quo creati sunt, & peccasse, & è Paradiso pulsos fuisse. ita vt, quemadmodum secundus Adam Dominus noster Iesus Christus feriæ sextæ hora, vt putant, prima, sputis fœdatus, illusus, percussus, & reprobatus est à Iudæis; & hora tertia desinente condemnatus, ductus est in montem Caluariæ crucifigi; & non multò pòst inter tertiam ac sextam horã felle potatus cruci affixus fuit; & postremò hora nona, quę erat, inquiunt, tertia post meridiem, cùm expirasset, latronem secum in paradisum introduxit: ita primus Adam hora sextæ feriæ prima, inquiunt, de luto formatus est; hora tertia translatus est in Paradisum terrestrem; & inter tertiam ac sextam horam de ligno vetito gustauit; ac demum hora nona cum Heua coniuge de Paradiso pulsus est. Sed quòd dicta horarum orationis distributio non ritè facta fuerit, constabit ex his, quæ nos sub anno mundi 4084. num. 14. dicemus. Aliis contrà videtur spatium vnius diei artificialis nimis breue, ad tot peragenda, quæ in Sacro textu scripta reperiuntur. Nam vt omittamus, eo die formata priùs esse de humo omnia animantia terrestria, & postremo loco ipsum Adamum, qui deinde in Paradisum transpositus est, vt operaretur & custodiret illum; datamq; sibi facultatem vescendi de omnibus illius loci fructibus, præterquam de ligno scientiæ boni & mali; & item potestatem dominandi piscibus maris, & volatilibus cæli, ac bestiis vniuersæ terræ; quæ omnia non in instanti, sed successiuè per conuenientia temporum interualla acta esse nemo ambigit: certè (secluso miraculo) non videtur verisimile, cuncta animalia potuisse in tam exiguo tempore ad Adamum adduci, & ab eo singula propriis ac ipsorum naturæ congruentibus nominibus appellari. debuit insuper aliquo tempore, licet breui, mansisse Adam sopore correptus, quando ex costa eius ædificatum est corpus Heuæ; cuius tentatio etiam rationabiliter videtur supponere, quòd priùs per aliquod tempus à serpente obseruata fuerit edere de ceteris omnibus fructibus, numquam verò de vetito; vt colligi potest ex responsione ipsius Heuæ ad serpentem: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur; de fructu*

verò,

verò, &c. Durum igitur nimis visum est multis Auctoribus, prædicta omnia ad summum intra spatium duodecim horarum esse coarctanda. Quare Abulensis super Genes. cap. 13. arbitratus est, Adamum fuisse de Paradiso exterminatum die immediatè sequenti ab eius creatione, hoc est die mundi septima; sed hoc planè repugnat Scripturę dicenti, Deum requieuisse die septimo ab omni opere. Alij putarunt Adamum mansisse in Paradiso terrestri octo diebus. Alij, quadraginta; & propterea Christum in deserto totidem ieiunasse, in remedium culpæ illius, nimirum vetitæ comestionis. Alij, plures annos, nempe quot Christus in terris conuersari voluit. Sed quidquid sit, communior Doctorum opinio est, ipsos pauco tempore in tam delicioso loco moratos esse. Non enim verisimile est, tabescentem diaboli inuidiam diutiùs potuisse tantam illorum sustinere felicitatem. Itaque si prima, quam retulimus, opinio vera non est; profectò videtur proximè ad veritatem accessisse illa, quæ putat, Adamum per vnam dierum octauam in Paradiso illo mansisse. nam quod aiunt Doctores, eodem die Adamum esse creatum, & è Paradiso pulsum; posset etiam satis conuenienter accipi, non de eadem die numero, sed de eadem hebdomadæ Fena, nempe sexta.

ADAM ET HEVA IN PARADISO TERRESTRI VIRGINES PERMANSERVNT.

☞ 22. Quoniam verò post eiectionem Adami & Heuę de Paradiso terrestri, Scriptura sacra continuò subiungit congressum ipsorum, dicens: *Adam verò cognouit vxorem suam Heuam, quæ concepit*, &c. Genes. cap. 4. vet. 1. nec vmquam anteà de hac re quidquam meminerat; hinc colligunt Sacrorum librorum Expositores, & sacræ Theologię Professores, Adamum & Heuam, quamdiu manserunt in dicto Paradiso, virgines permansisse, & consequenter, non statim executioni mandasse præceptum, si tamen præceptum illud dici potest, quod acceperant de procreanda sobole illis verbis: *Crescite, & multiplicamini*, &c. & hoc sine defectu; quippe quòd benè scirent, præceptum illud esse, vt aiunt, affirmatiuum, quod quidem semper, sed non ad semper obligare solet. quamquam proculdubiò illud etiam in Paradiso illo obseruassent, tempore ac loco conuenientibus, si longiori temporis spatio ibidem permansissent: ex accidenti igitur, & ob breuitatem moræ, hæc dilatio contigit; vel fortè etiam diuina dispensatione id factum fuit, ad præfigurandam perpetuam illam Sanctorum virginitatem, quæ post gloriosam corporum resurrectionem in Paradiso cælesti seruabitur; de qua meminit Matth. cap. 22. vers. 30. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei.* quod etiam repetunt sancti Marcus cap. 12. vers. 25. & Lucas cap. 20. vers. 35.

ADAM ET HEVA EGRESSI DE PARADISO COPVLANTVR.

23. Igitur Adam & Heua, nonnisi post egressum de Paradiso terrestri, coniugalem inter se copulam inire cœperunt. Vtrùm autem breui, aut multo pòst tempore, etsi certò definiri non potest; probabile tamen videtur, id paulò pòst contigisse, & consequenter Cainum & Abelem natos esse; alterùm in eodem primo mundi anno, alterum in secundo: quod satis apertè indicare videtur Sacer textus, qui, vt diximus, statim post descriptam illorum de Paradiso eiectionem sequitur, dicens: *Adam verò cognouit vxorem suam Heuam; quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.* Et illicò subiungit: *Rursumq; peperit fratrem eius Abel.* videlicet in secundo partu; quem in illo præsertim mundi exordio, in quo admodum necessaria erat hominum multiplicatio, verisimile est contigisse in proximè sequenti anno, ita vt non plus vno circiter anno Cain fuerit natu maior ipso Abel; vt etiam ex sub anno mundi 2. num. 1. dicendis colligi poterit. Porrò Cain fuisse primogenitum Adami & Heuæ, satis insinuant illa verba, quę in ortu eius dixit mater ipsius Heua, quando appellauit eum Cain, dicens: *Possedi hominem per Deum.* id est, gratia & benignitate Dei. Quia enim tunc, & non prius cœperat habere filium (quod est possidere hominem) idcircò vocauit eum Cain, quod Latinè interpretatur possessio, vt exponit Iosephus 1. Antiq. cap. 4. Beatus quoque Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 15. probat, Cain fuisse primum qui natus sit ex coniunctione maris & feminæ: *Neque enim*, inquit, *illo nato, dixisset Adam* [vel potiùs Heua] *quod dixisse legitur: Acquisiui hominem per Deum: nisi illis duobus ipse fuisset homo nascendo additus primus.* sic ille. Ex dictis ergo inferri potest, quòd

CAIN ET ABEL QVANDO NATI.

CAIN ADAMI ET HEVÆ PRIMOGENITVS

CAINI ORTVS.

24. Eodem primo mundi anno, mense circiter decimo, de Adam, qui, vt aliàs etiam dictum est, proditor hominum priùs quàm genitor fuerat, natus est Cain primogenitus eius, quem exilij sui initio genuit. Quare primus annus vitæ Cain fere totus concurrit cum anno Orbis secundo, vt in nostris tabulis notatum inuenies. Hoc si ita est, vt credimus; consequitur, fictitiam ac mendacem esse, falsoque attributam S. Methodio Martyri, visionem illam seu reuelationem, quam refert Petrus Comestor c. 25. historiæ Scholasticæ lib. Genes. Quòd scilicet Adam & Heua, cùm de Paradiso terrestri

VISIO METHODII REIICITVR.

ſtri virgines exiſſent, poſt annos quindecim genuerunt Cain primogenitum ſuum, & ſororem eius nomine Calmanan. Dein poſt annos totidem, hoc eſt anno ab eorum expulſione trigeſimo, procrearunt Abelem, & ſororem eius Delboram. Mox anno vitæ Adami centeſimo trigeſimo, Cain occidit Abelem; quem parentes eius planxerunt annis centum, & poſt planctum genuerunt Seth, qui (iuxta textum LXX. Interpretum, quem huius hiſtoriæ ſeu viſionis Auctor ſequitur) natus dicitur anno ducenteſimo trigeſimo patris. Porrò intra primos quindecim annos ante conceptum Cain decurſos, putant prædictæ reuelationis ſectatores, Adamum & Heuam in virginitate ſua permanſiſſe, peccatum, quod perpetrauerant, iugiter plangentes. Et poſt natum Cain cælibem rurſus vitam egiſſe per alios quindecim annos, id eſt vſque ad conceptum Abelem. & item tertiò, per illos centum luctus annos, in quibus planxerunt necem Abelis, nempe vſque ad genitum Seth. Quia, inquiunt, alioqui oporteret Heuam per tot ac tam longa annorum interualla fuiſſe ſterilem, quod non eſt credibile. Sed fictitiam, vt diximus, atque erroneam eſſe eiuſmodi reuelationem, inde colligitur, quòd multa falſa aliquibus veris mixta contineat. Nam quòd primi parentes noſtri, virgines in Paradiſo terreſtri permanſerint, & quòd Cain fuerit eorum primogenitus, iam ſuprà conceſſum & comprobatum eſt. Credere autem, Adamum & Heuam à coniugio abſtinuiſſe annis quindecim in pœnitentiam peccati inobedientiæ ab ipſis admiſſi, nimis abſurdum videtur: tum quia benè nouerant, ſe in ætate perfecta creatos, vt citò vacare poſſent liberorum propagationi, de qua illicò moniti fuerant illis verbis: *Creſcite, & multiplicamini*, &c. tum quia tot annis eam differre, potiùs fuiſſet nouus inobedientiæ actus, quàm pœnitentię: præſertim cùm iam certò ſcirent ſe eſſe morituros; ac de hora mortis, non minùs ac nos, eſſent ignari. Huc accedit, non eſſe veriſimile, eos tam diu potuiſſe ſtimulis concupiſcentiæ carnalis reſiſtere, quos multo acriores ac vehementiores poſt peccatum expertos eſſe, dubium non eſt. Quin etiam ſupponi pro certo poſſet, eoſdem præ omnibus poſteris ſuis, naturali valdeque rationali prolis deſiderio flagraſſe; quemadmodũ non obſcurè indicant præcitata Heuæ verba: *Poſſedi hominem per Deum.* id eſt, tandem Dei beneficio optatam conſecuta ſum prolem. Itaque ex his omnibus incredibile fit, Adamum & Heuam à carnali copula per annos quindecim abſtinuiſſe ante generationem Caini, & totidem ante conceptionem Abelis. Illud verò adhuc multò abſurdius, dicere aut opinari, Adamum, alioquin virum prudentiſſimum, plangere voluiſſe mortem filij ſui Abelis centum annis: peccatum verò ſuum tantummodò quindecim; & in eiuſmodi luctu ab actu coniugali, tunc temporis admodum neceſſario, per tot annorum decades abſtinere; quin potiùs procuraſſe quantocyùs obitum Abelis aliorum generatione filiorum reſtaurare, & quemadmodum ab anno mundi primo fecerat, per ſingulos ferè annos prolem ſuam augere. Denique memoratæ viſionis impoſtura inde etiam deprehendi poterit, quòd ſupponit, Adamum fuiſſe ducentorum triginta annorum quando genuit Seth, iuxta textum L X X. Interpretum, quem in hoc & in pluribus item aliis annorum numeris deprauatum eſſe, ex infrà ſub anno mundi 131. præſertim num. 7. dicendis apertiſſimè conſtabit.

AB ORBE CONDITO ANNVS II.

I. ABEL QVANDO NATVS. ANNO mundi ſecundo (vt ex proximè dictis, & proximè item ac num. 4. dicendis, admodum probabiliter inferri poteſt) credimus natum eſſe Adamo, circa poſtremos huius anni menſes, alterum filium, quem vocauit Abel, Gen. c. 4. v. 2. Si enim poſt Diluuium, in primo illo renouati orbis triennio, quando quattuor tantùm in vniuerſo mundo remanſerant coniugatorum hominum paria, Sem ſingulis annis genuit filios; quemadmodum ſub anno mundi 1657. num. 19. ex ipſomet Sacro textu colligi poſſe oſtendemus: certè non minùs, immò verò magis credibile eſt, in ipſo primo orbis initio, quando ſoli Adam & vxor eius Heua reperiebantur in mundo, eos tum ratione fecunditatis, ſimul & prolis multiplicandæ neceſſitatis, quam à Domino acceperant illis verbis: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* tum naturali prolis quo ardebant deſiderio; & denique, vt ſe tandem aliquando ex illo ſolitudinis tædio eximerent, quotannis filios procreaſſe. Sed dicet aliquis: Ergo neceſſe eſt Cainum lacte matris grauidæ fuiſſe alitum: nulla enim alia tum aderat nutrix, quæ ipſum lactare poſſet. Scimus autem lac prægnantium, infantibus noxium eſſe, vt quotidiano liquet experimento. Cuius rei cauſam quoque afferunt Phyſici, nimirum quòd eo tempore embryo, qui puriorem matris ſanguinem pro ſui nutritione trahit, deteriorem

CAIN LACTE PRAEGNANTIS INNOXIE ALITVS.

pro

pro lactis materia relinquit; quo fit vt lac, quod ex ea in mammis conficitur, minùs sanum præbeat infanti nutrimentum. Ad hæc dicimus, quòd licet tale lac sæpè infantes lædere non imus inficias, videmus tamen etiam satis frequenter pauperculas mulieres, dum editos lactant paruulos, denuò concipere; & quia alias conducere nutrices pretio deficiente non valent, prosequi eosdem infantes proprio quo cœperant lacte nutrire. Quorum etsi nonnulli, pro firmiori infirmiorive proprij aut materni corporis habitudine, magis minúsve patiantur, & interdum ea potissimùm de causa quidam periclitentur, aut pereant; plurimos tamen inde parum aut nihil detrimenti sentire & pati certum est; præsertim cùm iam apti sunt sorbiriunculas quasdam ex ouili vaccinóve lacte statim emuncto, siue iuscula, vel pulticulas, aut eiusmodi alia liquidiora fercula, aptè ad hoc nutricum arte parata, interdum sumere. Itaque si nostra hac tempestate, in qua, omnium consensu, corporeæ hominum constitutiones multò sunt quàm olim imbecilliores, fetarum mulierum lac non semper letale infantulis perniciosúmve est, maximè iis qui de pauperculis, agrestioribusque mulierculis nascuntur, ac propterea minùs delicatè ac molliter viuere ab ipso pænè ortu necessariò assuescere incipiunt, diuina, vt arbitror, dispensatione, tum matrum tum filiorum egestati sic consulente: quid miramur, si de Adamo & Heua priscis illis mundi annis nati (quod tam ipsi, quàm eorum parentes, robustioris admodum essent habitudinis) etiam lacte prægnantis aliquamdiu salubriter nutriri potuerint? accedente præsertim singulari quadam matris industria, in prædictis sorbiriunculis, aliisve huiusmodi appositè parandis ac prouidendis, quam eidem à Deo tunc specialiter inditam, dubitare non debemus, ad faciliorem nempe hominum multiplicationem, quæ eo potissimùm tempore valdè necessaria videbatur. Sed & potuit ipse Adam, qui omnium herbarum fructuumque vires optimè callebat, aliquid tum Heuæ comedendum attulisse, quod naturalem haberet facultatem optimi sanguinis adeò augendi, vt & pro alendo fetu, & pro lacte pariter optimo conficiendo, abundè sufficeret. Quamobrem nulla renus dubitandum videtur, quin Heua singulis annis quiuerit liberos concipere, parereque, ac sine vllo ipsorum incommodo educare; & consequenter hoc anno ad finem, vt dictum est, iam vergente, gignere Abelem. oportet ergo annum vitæ Abelis primum concurrisse pro maiori parte cum anno mundi tertio, vt etiam patet in tabulis.

2. Porrò duos hosce primos Adæ filios, Cain scilicet & Abel, vt primùm rationis vsum sunt adepti, valdè inter se differentis fuisse ingenij, manifestum est. Siquidem de Abel, quòd semper fuerit vir bonus ac timens Deum, facilè credi potest; quoniam ipsemet Dominus Matthæi cap. 23. vers. 35. appellat eum iustum: *A sanguine*, inquit, *Abel iusti*. & Genes. cap. 4. vers. 2. & 4. legimus quòd *Abel* cùm esset *pastor ouium*, *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum; & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*. Nusquam verò in sacris Scripturis apparet quòd fuerit malus. sicuti è conuerso nullibi reperimus, Cain quandoque fuisse bonum. Quòd autem fuerit valdè peruersus, liquidò colligere possumus ex Epistola Canonica sancti Iudæ Apostoli vers. 11. vbi ait: *Væ illis, quia in via Cain abierunt*. Et item ex Genes. cap. 4. vers. 5. vbi dicitur: *Ad Cain verò, & ad munera illius, non respexit*, supple, Dominus. Ex quo apparet, quòd non recta intentione, neque optimos terræ fructus; sed deteriores offerebat Domino: alioqui Deus, qui non est acceptator personarum, accepta habuisset munera eius, nonsecùs ac fratris. Et infrà sub annis mundi 130. num. 7. & 133. num. 1. ex Iosepho etiam demonstrabimus, eumdem Cain virum fuisse pessimum, & eius quoque progeniem sceleratissimam euasisse.

ABEL SEMPER BONUS.

CAIN SEMPER MALUS.

3. Ab his duobus fratribus, vita moribusque tantopere dissidentibus, constat exortas esse in hoc mundo duas illas mysticas ciuitates, Dei videlicet, & diaboli: de quibus luculenter admodum agit B. Augustinus in libris, quos à digniori inscripsit, de Ciuitate Dei. quarum altera ex his hominibus, qui secundùm hominem; altera ex illis qui secundùm Deum viuere satagunt, constituitur: hoc est, altera ex reprobis, qui præsciti sunt, & ad æterna supplicia cum diabolo destinati: altera ex electis, qui prædestinati sunt in æternum regnare cum Deo. Et primi quidem appositè à Caino originem duxisse dicuntur, qui prior natus est; quoniam, vt ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. vers. 46. *non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale*. ita inquit sanctus Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 1. *Prior natus est ciuis huius sæculi; posterior autem isto, peregrinus in sæculo, & pertinens ad ciuitatem Dei*. sic Augustinus. Propterea Cain dicitur fuisse agricola, cuius officium sedes permanentes videtur exigere, & magis terrena sapere: Abel autem pastor ouium, quod etiam à peregrinantibus exerceri valet:

A CAIN ET ABEL DVAE CIVITATES, DEI, ET DIABOLI, ORTAE.

nec ita mentem occupat, quin diuinarum quoque rerum contemplationi vacare possit. Insuper Cain dicitur in terris ædificasse ciuitatem, Abel autem nequaquam: quia nimirum, vt loco proxime adducto subdit S. Augustinus, *Superna est Sanctorum ciuitas, quamuis hîc pariat ciues suos, in quibus peregrinatur, donec regni eius tempus adueniat.* Sed & ipsa quoque memoratorum fratrum nominis etymologia declarat, eos fuisse veluti duo capita dictarum ciuitatum, in ipsisque adumbratas quoquomodò fuisse naturas propensionesq; ipsarum: etenim Cain, vt dictum est, interpretatur possessio. quę vox aliquatenus repręsentat procliuem quamdam & inordinatam ad res terrenas inclinationem; quę aperte conspicitur in huius mundi hominibus, qui in acquisitione, & possessione rerum caducarum felicitatem suam posuisse, & in hoc omnia pęnè studia operaque sua collocare videntur: contrà verò, Abel interpretatur luctus, seu vanitas, aut nihil, vt videre est apud Iosephum 1. Antiq. cap. 4. & hoc portendebat, quòd pij homines solent in hac vita, tum propria, tum etiam aliena peccata plangere; & pro nihilo ducere bona huius sæculi, tamquam vanitati subiecta. Præterea proditum est, Cainum procreasse filios, & eius successio describitur Genes. cap. 4. vers. 17. & sequentibus: de Abele autem nihil tale legimus, ad denotandum, quòd amatorum huius mundi ciuitas carnalibus propagari, augeri, & conseruari generationibus solet; ciuitas verò Dei spiritualem habet ex ipso Deo generationem, progressum, æternamquè durationem: siquidem ex his dumtaxat hominibus constat, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Quomodo autem quis ex Deo nasci possit, dicebat Dominus Nicodemo apud Ioan. cap. 3. vers. 3. his verbis: *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* & vers. 5. clariùs se explicans, repetit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, Oportet vos nasci denuò*; vbi proculdubiò intelligit de Baptismo, per quod ex Deo nasci seu renasci potest homo. Denique sicuti certum est, vt infrà suo loco dicemus, vtrumque, Cainum videlicet & Abelem, obtulisse Domino sacrificia, non tamen pari intentione ac pietate, ac propterea non vtraque fuisse accepta Deo: ita constat vniuersaliter omnes, tam bonos quàm malos, aliqualem Dei cultum profiteri, (est enim hoc à natura hominum cordibus insitum:) verumtamen quia mali, aut non recta fide, aut non puro corde, & ea qua decet pietate ac reuerentia id faciunt; ideò verum est quod dicitur Prouerb. cap. 15. vers. 8. *Victima impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia.* Sed quoniam hoc de duabus ciuitatibus argumentum, vt diximus, fusissime prosequitur sanctus Augustinus in libris paulò ante citatis; sufficiat hæc pauca de ipso hîc breuiter attigisse, si tamen illud addiderimus, Duas has ciuitates à prædictis duobus fratribus exortas, semper deinceps in hoc mundo extitisse. Nam licet de illa quæ ad Deum pertinet, forsitan dubitare quis posset, propterea quòd in Sacris libris linea iustorum descendentium à Noë ad Abraham videatur interrupta in Sarug, Nachor, & Thare, quos non iustos, sed idololatras fuisse, nos sub annis mundi 1850. num. 1. & 2086. num. 1. probabimus: attamen, si vera esset opinio eorum, qui putant Melchisedech eumdem fuisse cum Sem filio Noë (de qua re nos sub annis mundi 2118. n. 7. 8. & 9. & 2156. num. 1. & 2. agemus) proculdubiò constare posset, intra illud quoque tempus non defuisse aliquos, qui Deum veraciter colerent: præsertim cùm etiam Sale & Heber (de quibus nusquam legimus quòd fuerint idololatræ & mali) iisdem quoque vixerint temporibus. Siquidem hi duo longè ante ortum Sarug, Nachor, & Thare orti sunt, & post eos obierunt: Sale quidem anno vitę Abrahæ centesimo decimo octauo, Heber verò annis quattuor post obitum ipsius Abrahæ, vt patet in tabulis 2. & 3. mundi ætatis. & prætereà, quòd alij etiam boni viri, verique Dei cultores in sacris Scripturis nequaquam memorati, per eadem tempora extiterint, pro certo habet S. Augustinus loco paulò pòst citando. Quin & insuper addimus, quòd etiamsi à tempore Sarug ad Abraham nullos haberemus viros probos in Sacris paginis recensitos, mirandum tamen non esset: quandoquidem etiam à Zacharia & Malachia Prophetarum postremis ad Machabæos, & item à Machabæis ad Christum, nihil in Sacro eloquio de eiusmodi viris reperimus scriptum. & nihilominùs credendum vtique est, illis quoque temporibus plures extitisse, qui verum Deum pie colerent, quos (vt benè notat S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 2.) Scriptura sacra consultò præteriit, breuitati consulens, & ne esset hæc magis historica diligentia, quàm prophetica prouidentia. sic ille. Et nos aliàs diximus, Scripturæ sacræ intentum non fuisse, omnia quæ acta essent tradere, sed ea tantùm quæ ad hominum salutem, salutaremque ipsorum institutionem necessaria esse

QVOD SEMPER IN MVNDO EXTITERINT.

esse videbantur. Itaque (vt dicebamus) certissimè tenendum est, saltem aliquos bonos, multos verò malos in hoc mundo, nullo ferè vmquam tempore defuisse. Quod idem est ac si diceremus, Prædictas duas ciuitates, Dei videlicet ac diaboli, iugiter hactenus perseuerasse, & vsque ad mundi finem perseueraturas, licet non pari passu, neque semper eodem ciuium numero, eademve mundana felicitate; quoniam non vna eademque ratione diuina prouidentia vtramque regit & gubernat, sed singulas pro cuiusque conditione ac meritis. Nam, vt quædam impiorum benefacta (nemo enim est tam malus, qui non etiam quandoque boni aliquid operetur) non sine debita retributione relinquat, eos temporalibus quibusdam prosperitatibus remunerat, interdumque eleuari & exaltari permittit sicut cedros Libani, & eorum synagogam mirum in modum multiplicari & extolli; quamuis omnes posteà tandem perperuò puniendos in inferna demergat. E conuerso autem, quia (vt dicitur 1. Petri cap. 4. vers. 17.) *Tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei*, pios in hoc mũdo vt plurimùm variis modis affligi sinit ac deprimi, quò eorum peccata (*septies enim cadet iustus*, Prouerb. cap. 24. vers. 16.) hic corripiat ac diluat, vt posteà in æternum parcat. Et hoc est quod dicebat S. Gregorius libro 33. Moralium cap. 20. nimirum, *quòd Deus nec electis suis pietatem sine iustitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus premit: nec rursum reprobis iustitiam sine miseratione exercet, quia hic æquanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat.* sic ille. Proptereà etiam Deus bonorum ecclesiam sæpè à malis diuexari sinit ac minui, & interdum pænè ad nihilum redigi, quemadmodum euenisse videtur ante Diluuium, quando *corrupta est terra coram Deo, & repleta iniquitate; omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*, vt dicitur Genes. cap. 6. vers. 11. & 12. vbi, quoniam initio capitis sequentis dixit Dominus ad Noë: *Te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* videtur quodammodò insinuari, solum pænè ipsum Noë in toto orbe terrarum tunc repertum fuisse iustum. Verumenimuerò, tametsi ciuitatem suam Deus in hoc mundo, tamquam nauiculam in medio mari vndique ventis expositam, à variis frequenter iniquorum persecutionibus ac tentationibus admodum exagitari permittat; non tamen (iuxta id quod promiserat Matth. cap. vlt. in fine: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*,) eam vmquam omnino deseruit aut deseret; sed opportunis temporibus vota precesque suorum exaudiens, imperat ventis & mari, cunctisque admirantibus tranquillitatem facit. atque ita Ecclesiam suam continuis hisce vicissitudinibus inter aduersa & prospera exercet, moderatur, & prouehit. Et ne impij, qui & numero, & viribus, & astu præualere videntur, de multitudine, potentia, ac mundana prudentia sua gloriari possent; boni verò ob eorum pusillitatem, despondere animos; vel hoc vnico admodumque memorabili documento apertissime Diluuij tempore ostendit Dominus, quàm ei facile sit, quandocumque voluerit, & prauos quantumuis auctos, simul ac semel disperdere; & pios licet iam pænè extinctos, ab interitu præseruare, denuò erigere, augere, & exaltare. Vt proptereà mirum non sit, si Sacra volumina plena sint diuinis contra præuaricatores comminationibus, quò eos à peccatis reprimant; & innumeris ferè pollicitationibus & cohortationibus, quibus boni ad benè sperandum excitentur; quales præcipuæ sunt quæ in sacro Euangelio habemus, Marci cap. 6. vers. 50. *Confidite, ego sum, nolite timere.* & Ioan. cap. 16. in fine: *Sed confidite, ego vici mundum.* & Lucæ cap. 12. vers. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* & eiusmodi sexcenta alia. Sed hæc latiùs hoc loco prosequi, nihil aliud esset quàm ab instituto longiùs aberrare. Redeamus ad historiam.

QVOMODO ET CVR INTER SE DIVERSAE.

☞ 4. Post Caini & Abelis natiuitatem, tametsi Scriptura sacra nullum alium ex Adamo & Heua genitum memoret, vsque ad ortum Seth: nihilominùs credendum est (vt sub anno mundi primo, num. 24. & sub hoc etiam secundo mundi anno, num. 1. diximus) eos singulis quibusque annis genuisse. renuit enim animus credere, quòd bis per annos quindecim, & semel toto annorum centenario aut penitus ab vsu coniugali abstinuerint, aut prorsus fuerint infecundi; cùm certum sit, eos nequaquam naturalem, quam à Domino illis verbis, *Crescite & multiplicamini*, &c. acceperant fecunditatem, sicuti nec alia bona naturalia, per peccatum amisisse. Cùm igitur, vt suprà dictum fuit, ideò ipsi in ætate perfecta, & ad generandum valida, se creatos scirent, vt citiùs hominum propagationi vacare possent, terramque in illo præsertim mundi exordio vacuam, habitatoribus (vt ipsemet præceperat Dominus) replere: nullatenus dubitandum videtur, quin quamplurimos item alios inter Abelem & Seth genuerint filios & filias, & fortè vnum vel vnam singulis annis, vel etiam interdum geminos, qui posteà

ADAM ET HEVAM SINGVLIS PAENE ANNIS FILIOS GENVISSE.

posteà crescentes, partim adiuuerint parentes fratremque primogenitum in agricul- turæ operibus; partim Abelem in officio pastorali. Quis enim credat in tam longo annorum curriculo à duobus tantùm viris terram fuisse cultam, & ab vno dumtaxat curam pascendi greges fuisse exercitam? Huc accedit, quòd si Cain, quando inter- fecit Abelem, remansisset in mundo solus cum parentibus suis, ad quid dixisset Do- mino: *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me?* Et ne huc quispiam putaret de bestiis fuisse dictum; ipsa Domini responsio declarauit dicens: *Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Quod & in eodem sensu, nempe tamquam de hominibus pronuntiatum, accepit, accipique voluit Lamech, quando Genes. cap. 4. vers. 23. dicebat: *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. septuplum vltio dabitur in Cain; de Lamech verò septuagies septies,* vt nos infrà sub anno mundi 875. num. 2. explicabimus. Igitur, si verebatur Cain occidi ab ho- minibus, qui eum inuenissent in regione, ad quam profugus erciebatur: signum est, quòd tunc iam multiplicati erant homines in terra, nimirum iam nati ex Adamo & Heua, & ex ipsomet Caino, qui interim multos, vt dictum est, iam genuerant liberos; & ex his etiam nepotes non paucos. Nemo tamen mirari debet, si nullus ex dictis Adæ liberis inter Abelem & Seth genitis recensitus inueniatur: quoniam neque etiam in Sacro eloquio recensetur vllus eorum, quos post natum Seth idem Adam genuisse dicitur Genes. cap. 5. vers. 4. Solus itaque nominatur Seth, quemadmodum deinceps in singulis subsequentibus generationibus soli nominantur hi, per quos recta linea deuenitur ad Noë, cuius genealogiam Moyses describere intendebat: quoniam ipse cum tribus dumtaxat filiis, & propria filiorumque vxoribus, ex omni genere humano speciali Dei beneficio præseruatus ab vniuersali Diluuio fuit.

CAIN ET ABEL DEO SACRIFI- CANT. 5. Quod verò attinet ad primos duos Adæ filios Cainum & Abelem, nihil aliud de ipsis intra prænotatum, de quo nunc sermo est, tempus, proditum habemus, nisi quòd cùm ambo adoleuissent, alter, nempe Cain, ad imitationem patris agriculturæ operam dabat; alter verò pascendarum potiùs ouium munus sibi assumpsit: & nihilo- minùs vterque, siue quia sic à patre edocti institutique fuissent, siue etiam naturali lù- mine illustrati, de rebus ad se vel ad officia sua pertinentibus, certis temporibus mu- nera Domino offerebant; ille de frugibus terræ, hic de ouium gregibus. Sed vt ait Apostolus ad Hebr. cap. 11. vers. 4. *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo. Plurimam* dicit, hoc est, (vt exponit Theophylactus) pretiosiorem atque maiorem. siue (vt in Bibliis Regiis habet interpretatio Syriaca) longè præstantiorem. vel etiam (vt S. Chrysostomus dicit) honorabiliorem: vnde non mirum est, si hæc fuit Deo gra- tior, tum ratione ipsius hostiæ, quæ pretiosior erat atque vberior, tum verò maximè ratione maioris fidei ac deuotionis, qua offerebatur. Abel ergo, qui mira erga Deum pietate ferebatur, de primogenitis & pinguioribus ouibus sibique carioribus oblatio- nes Domino separabat: Cain verò, vt creditur, & suprà num. 1. probauimus, de pe- ioribus ac deterioribus terræ prouentibus, vtpote qui non toto corde Deum coleret, sed ex indeuota quadam consuetudine: quo deinceps factum est, vt cùm aliquando aduerteret fratris munera Deo accepta fuisse, sua verò nequaquam; inuidia eousque exarserit, vt se tandem à cæde fraterna temperare nullatenus quiuerit, quemadmo- dum infrà suo loco dicetur.

6. Puto autem quòd Abel oues agnósve, aut arietes, coram Domino totos incen- dere soleret; quia cùm tunc esus carnium adhuc concessus non fuisset, non est credi- bile, virum iustum, etiam occasione sacrificij, eas edere ausum esse: neque item creden- dum est, quòd huiuscemodi animalia Deo semel oblata, postmodum aut alicubi in- humata proiiceret, aut subtus terram putrescenda conderet, quemadmodum (detra- ctis tamen priùs pellibus) eum facere consueuisse putamus, quandocumque aliàs peco- ra eius mori aut occidi contingeret; quandoquidem de grege suo, lacte dumtaxat ad cibum, lana verò & corio, ad indumenta tabernaculaque conficienda, contentus fuisse creditur. Cain autem benè poterat oblata per eum Domino, posteà comedere, quia non animalia, sed tantummodò terræ fructus offerre consueuerat. Ceterùm hic mos offerendi animalia frugesque Domino; siue sacrificia ex animalibus, & libamina ex frugibus; à primis illis duobus fratribus postmodum transiuit ad posteros; & vsu re- ceptus in vniuersis penè mundi nationibus, perseuerauit per aliquot annorum mille- naria, nimirum vsque ad aduentum Christi; qui demum instante passione & morte sua, huiuscemodi sacrificiorum multiplicitatem (per quam diuersimodè, ac veluti per partes, ipsemet Christus, & sanctum sacrificium, immaculata hostia, siue holocaustum,

MOS SACRI- FICANDI DEO ANI- MALIA VN- DE ORTVS.

quod

quod de se ipso in cruce æterno exhibuit Patri, præfigurabatur) antiquauit; & pro tot differentiis hostiarum, nouum vnicumque corporis ac sanguinis sui, sub speciebus panis & vini, sacrificium Deo quotidie in sancta Ecclesia offerendum instituit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 130.

1. ANNO vitæ suæ circiter centesimo vigesimo octauo, vt videre est in tabulis, Abel à fratre suo Caino validè percussus interiit. Quod sic colligimus. Nam, vt sentiunt Caietanus & Pererius in Genes. oportet Abelem paulò antequam nasceretur Seth, fuisse occisum: alioqui, si hoc ante aliquot saltem annos ab ortu Seth euenisset, profectò primus, qui Adæ filius post interitum Abelis natus esset, (iam enim supposuimus Heuam singulis annis parere consueuisse,) magis debuisset dici datus pro Abele occiso, quàm ipse Seth. Itaque si paulò antequam nasceretur Seth, interemptus est Abel; & si annus vitæ Abelis primus (vt sub anno mundi 2. num. 1. iam probatum fuit) magis concurrit cum anno mundi tertio: vtique sequitur, ipsum fuisse annorum centum viginti octo, quando à fratre necatus est, vt apparet in tabulis.

ABEL A CAIN QVANDO INTERFECTVS FVERIT.

2. Vtrum verò toto vitæ suo tempore Abel in cælibatu permanserit, an non, ex Sacris libris certò scire non possumus. S. Epiphanius tamen contra Sethianos Hæres. 39. asserit, Abelem occisum esse priusquam duxisset vxorem: verùm vndenam hoc desumpserit, incompertum habemus: nisi fortè id elicere quoquomodò potuerit ex illis Heuæ verbis, quæ in ortu Seth protulit, dicens: *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*. ac si dicere voluisset, se Dei gratia tunc peperisse filium, ex cuius semine produturi erant multi boni ac Deum timentes viri, quemadmodum sperabat ex Abele, si non fuisset occisus antequam vxorem duceret. Sed an iste sit verus ac legitimus horum Heuæ verborum sensus, aliorum sit iudicium. Certè si Abel à Caino occisus, figura fuit Christi à Iudæis interempti (vt latè eleganterque ostendit Rupertus lib. in Genes. 3. cap. 6.) non videtur inconueniens opinari, ipsum quoque Abelem virginem obiisse, sicut & Christus; præsertim cùm hoc nullatenus Sacro eloquio aduersari comperiatur: sic enim figura magis responderet figurato. Quamquam probabile etiam valdè sit, ipsum Abelem non tamdiu sine vxore & liberis exstitisse, sed, sicut dicemus de Henoch & Noë, quos pariter constat fuisse viros iustos & sanctos, genuisse filios & filias. Non enim hoc repugnat sanctitati: nam licet post legem Euangelicam multò melius & perfectius sit, cælibem quàm coniugalem vitam agere, propter causas quas tangit Apostolus 1. ad Cor. cap. 7. ferè per totum: attamen ante ipsam virginitas nullius pretij erat, & sterilitas probro esse solebat. Et, præsertim in primis mundi ætatibus, videtur Domino magis placuisse, vt homines liberorum propagationi incumberent, ac propterea non modò ante, sed etiam post Diluuium dixisse eis: *Crescite, & multiplicamini*, &c. Sed de Abele, vtcumque res fuerit,

ABEL AN SEMPER VITAM CAELIBEM EGERIT.

3. Præstat hîc potiùs videre, quanam de causa, & qua occasione ab impio fratre occisus fuerit. Sanè causam tanti facinoris tetigit Ioan. Epistola 1. cap. 3. vers. 12. dicens: *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. & propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius, iusta*. Quibus verbis non obscurè insinuat, grande hoc scelus non ex leui radice, id est non ex simplici quadam subitaque iracundia prodiisse, nec repentino casu, sed ex mera ac præmeditata malitia, diabolicaque fraternæ bonitatis inuidentia; vt ex consequentibus manifestum fiet. Occasio autem, quemadmodum ex Genes. cap. 4. vers. 3. colligi potest, talis fuit: Cùm quadam die ambo sacrificia facerent, ecce ignis è cælo repentè demissus, totam (vt creditur) Abelis hostiam mirabiliter absumpsit, oblationes verò Caini nullatenus attigit. Dixi (vt creditur,) quia licet expressum non habeamus in littera, id tamen asserere non dubitant Sacri textus Expositores, & certè satis rationabiliter: quoniam constat, post multa quoque tempora sæpiùs Deum tali signo, & eodem pænè modo, declarare consueuisse, grata sibi admodum esse quorumdam sacrificia, vt patet de sacrificio Aaronis, Leuit. cap. 9. in fine; Gedeonis, Iudic. cap. 6. vers. 21. Dauidis, 1. Paralip. cap. 21. vers. 26. Salomonis, 2. Paralip. cap. 7. vers. 3. Eliæ, 3. Reg. cap. 18. vers. 38. Nehemiæ, 2. Machab. cap. 1. vers. 22. Igitur intelligens Cainus, Dominum fratris oblationem acceptam habuisse, suam verò non item; maligno quodam zelo accensus, cogitat fratrem de medio tollere. quod videns qui nouit omnia Deus, pro sua singulari miseratione (quoniam non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat) blandè admodum & paterno affectu Cainum corripit; & ne peccet in fratrem, suadere non desinit his verbis: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nónne si benè egeris, recipies;*

ABEL CVR A CAIN OCCISVS.

sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, Genes. cap. 4. vers. 6. quasi diceret: Quid tantopere furis Caine? cur crudelia meditaris, proiiciens me nunc, & statuens oculos tuos declinare in terram? Putásne benè irasceris? Seda, seda animum tuum, vt rectè iudicare possis, & expendere causam tantæ commotionis, quæ non est culpa fratris; quid enim mali fecit? sed maligna certè suggestio diaboli, qui te quoque nunc, vt prius parentes tuos, ad peccatum pertrahere conatur. Noli ergo, fili, noli locum dare diabolo; sed magis fortiter dimica, & resiste ei, & fugiet à te confusus: tibi verò benè erit, recipiésque coronam victoriæ. Sin autem tentationi cesseris, & malum agere volueris, scito quia mala pariter recipies. Ergo dum vales, dum res adhuc integra est, & tempus occasióque permittunt, derelinque furorem, cogita execrandam culpæ, & talis culpæ turpitudinem, cogita horrendam Dei vindictam, & pœnas tanto dignas flagitio, quas euitare nullo modo vnquam poteris; memento quòd te liberum creaui: & idcircò si tu volueris non consentire peccato, certissimè sub te erit, ac sub tuo imperio frænabitur hic inordinatus appetitus tuus, & libido ista peccandi non poterit præualere tibi, sed tu potiùs dominaberis ei, & omnino subiectum rationi sensum ac diuinæ legi obtemperantem tenebis. Sic solet nunc quoque semper pius & misericors Deus peccare volentes bonis inspirationibus præuenire, vt vel eos à peccatis retrahat; vel ipsi posteà inexcusabiles fiant, si se à perpetrandis malis reuocari non sinant: quemadmodum ipsi Caino euenit, qui his atque huiuscemodi saluberrimis consiliis atque admonitionibus magis ac magis obdurans cor suum, audire corripientem negligit; quin potiùs, quod peruersè cogitauerat, opere implere deliberat; nimirum ad hoc quoque (specialiter incitatus à diabolo, qui (vt quidam putant) verebatur, ne ipse Abel, quia iustus & sanctus erat, esset semen illud mulieris, de quo prædixerat Dominus serpenti, siue dæmoni: *Ipse conteret caput tuum*. Itaque Cainus dolosè seducto in agrum fratre, vbi neminem sui sceleris conscium reperiri posse putabat, Abelem nihil mali suspicantem derepentè aggreditur, & (an ferro, fustéve, aut saxo, incertum est, nec scire quidquam refert) tamdiu cædere non cessat, donec ipsum effuso sanguine efflasse quoque animam vidit, & condito subtus terram cadauere, abiit.

CAIN QVOMODO PVNITVS A DEO FVERIT.

4. Videamus nunc quomodo Dominus, qui tanta fecerat vt Cainum à fraterna nece diuerteret, quomodo, inquam, erga fratricidam se gerat: non enim subitò, velut ira percitus, grauiter eum increpat, & punit; sed magis, vt ostendat quia neque etiam cum peccatoribus sine misericordia agere solet, ipsum in iudicio accitum, prouocare priùs tentat ad pœnitentiam; & vt præbeat ei ansam confitendi criminis, veniamque petendi & impetrandi, magis ipse desiderans illi ignoscere, quàm ille sibi optaret ignosci, placidè interrogat: *Vbi est Abel frater tuus?* Quo proteruè admodum ac mendaciter respondente: *Nescio: num custos fratris mei sum ego?* patienter Dominus rursum & clariùs percunctatur: *Quid fecisti?* Sed illo ad hoc responsum non dante, & adhuc in sua proteruia ac contumacia persistente, subiungit Dominus: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Est autem iste clamor, vel internus conscientiæ vermis siue stimulus, & solicitudo quæ peccatoris mentem cruciatu angit vexatque perpetuo; vel ipsa diuinæ iustitiæ expostulatio aduersus delinquentes, cuius vox iugiter in auribus Dei clamat, nec aliquando vt conticescat supprimi vllo modo potest, donec illi vt par est castigentur: quandoquidem certissimum est, quòd Deus vel maturè, vel serò, nullum scelus omnino inultum relinquit. *Vox* ergo, inquit, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; nimirum vindictam aduersum te expostulans. quasi diceret: Ne putes Caine crimen tuum esse occultum, nec posse probari; & idcircò licere tibi responsum iudici negare. non est ita. en sanguis quem immaniter fudisti, testis est contra te irrefragabilis. en terra, *quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua*, te accusat. en euidentia facti, quæ te conuincit, ita vt iam non sit opus confessione tua, ad ferendam contra te iustæ condemnationis sententiam. Quid plura? nónne conscientia mille testes? nónne ipsa te condemnat? *Nunc igitur maledictus eris super terram. cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. vagus & profugus eris super terram*, Genes. cap. 4. vers. 11. Quibus verbis tripliciter mulctasse videtur Dominus Cainum. Primò, maledictione. maledictione, inquam, pessima, non qualis Adamo priùs data, quæ labores tantummodò in colenda terra respicere videbatur, *Maledicta terra in opere tua*: sed qualis aduersus serpentem dæmonémve fulminata fuerat; propter culpæ similitudinem, quæ tam in Caino quàm in ipsomet diabolo ex maligna radice, nimirum boni alieni inuidentia, processit. propterea iisdem pænè verbis dictum est: *Maledictus eris*,

ris,&c. quod proptiam tangit personam; & hæc maledictio intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius, ita vt pænè desperans dixerit: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.*

5. Altera animaduersio sic habet: Terra *cùm aperatus fueris eam, non dabit tibi fructus suas*. & videtur esse similis ei, quæ data fuit Adamo & posteris eius, in pœnam peccati originalis: verumtamen quia hæc specialiter etiam Caino in vltionem fratricidij irrogata est, ratio dictat, eam aliquid peius continere; puta quòd terra illa, ad quam eiici debebat Cainus, magis infecunda esset, & ad colendnm difficilior, quàm ea ad quam pulsus fuerat Adam; & magis obnoxia pruinæ, grandini, erucæ, locustæ, brucis, rubigini, & si quæ sunt alia huiusmodi terræ fructibus aduersantia. Tertia punitio est: *Vagus & profugus eris super terram*. quæ quodammodò videtur magis propria & visitata, sed mitior homicidarum pœna: solent enim ad minus in exsilium mitti, vel ipsimet post patratum scelus huc atque illuc vagari coguntur, & pauidè semper de loco in locum fuga transire, ne in manus iudicum deueniant, aut ne fortè ipsos quoque ab aliis inquiri & occidi contingat. Nam ferè sempet re ipsa probari videmus id quod Genes. cap. 9. vers. 6. legimus, *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Et hoc quoque videtur Deus addidisse prioribus in Cainum animaduersionibus, si diligenter illa ipsius Caini verba attendamus: *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me*. nam licet eidem Dominus responderit: *Nequaquam ita fiet; sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*. non tamen videtur Dominus absolutè pronuntiasse, quòd nequaquam interficiendus esset; sed cum aliqua ex his conditionibus, nempe quòd nequaquam vel statim, vel à quocumque, vel etiam impunè, vt fortè ipse putabat, interficiendus foret. Etenim si vera est illa Hebræorum antiqua traditio, de qua inferiùs suo loco agemus, constat ipsum Cain occisum fuisse à Lamech, qui ex linea Caini fuit, & septimus ab Adamo, vt patet Genes. cap. 4. vers. 17. & 18. creditur autem occisio Caini ibidem vers. 23. narrari, vbi idem Lamech subdidit illa verba: *Septuplum vltia dabitur de Cain.* quę videntur eumdem habere sensum, ac illa quę superiùs dixerat Deus: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*. hoc est, grauiter admodum. Ecce quòd non dixit Dominus: Non occidetur Cain; sed potiùs è conuerso: Caini interfector grauiter admodum punietur. ergo insinuauit Dominus Cainum esse occidendum, quæ fuit quarta pœna fratricidij, tribus prioribus addita. nec obstat quod sequitur in Sacro textu, *Pasuitque Daminus Cain signum, vt nan interficeret eum amnis qui inuenisset eum.* Siquidem illud signum, siue fuerit continuus quidam corporis eius aut capitis tremor, aut aliud simile; id tantummodò operabatur, ne à quolibet vel citò interficeretur: volebat enim Dominns ipsum diutius, nimirum vsque ad septimam generationem, miserrimam vitam ducere, ad posterorum exemplum.

CAIN ET ALII PECCATORES PRIVS AVDACES, MOX FIVNT TIMIDI.

6. Igitur audiens Cain, se ad tot tantaque supplicia adiudicatum à Deo & condemnatum, valdè admodum pertimescere sibi cœpit, & de sua salute desperare, dicens: *Maiar est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, &c. & de propria item vita, subiungens: *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me*. Sic solent reprobi homines. ante peccatum, vel etiam ante considerationem reatus peccati, procaces, proterui, audaces, & intrepidi sunt: post peccatum autem & apprehensionem iusti iudicij Dei, fiunt pauidi & pusillanimes, ita vt interdum etiam trepident timore, vbi timendum non sit. (timor enim, Tullio in Partitionibus oratoriis attestante, ex conscientia peccatorum exoritur) & quod peius est, minùs doleant de culpa, quàm de pœna quæ eos manet, magisque vereantur pœnas temporales, quàm æternas; *sicuti Cain, qui* (vt ait S. Bernardus in declamatione De bonis deserendis, super illa verba Matthæi cap. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.*) *occidendum sese causabatur infelix; tamquam pro magno beneficio habiturus, si prohiberetur occidi*. & protinus subdit: *Cansalationem miseram abtinuit, quam quærebat; & ablitus est cansolationis maximæ, pra qua multò studiasiùs supplicare, & remedium quærere aportebat*. Sic ille. Crediderim verò, Dominum concessisse Caino ne statim morte corporali puniendus esset, vt pro sua miseratione ipsum longiori tempore ad pœnitentiam expectaret; vel si emendari nollet, diu miserrimeque viuendo, non vnica dumtaxat, sed multiplici morte moreretur: siquidem, vt ait B. Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel cap. 10. *isti Cain langauitas indulta, vindicta est, eò quòd vixit in metu; & prolixum spatium multo cucurrit & infructuoso labore; qua pœna nihil grauius, quàm vt quis ipse sibi maiorum causa pœnarum sit*. Et insuper, vt longa eius infelicitas documento esset posteris, ne & ipsi talia patrare auderent. Addi quoque & illud potest, vt scilicet ostenderet Deus, quòd etsi reprobos inter-

MINVS DOLENT DE CVLPA, QVAM DE POENA.

CVR CAIN NON STATIM OCCISVS.

interdum, quoad quædam temporalia, exaudire videatur, id tandem ad maiorem ipsorum pœnam cedere solet.

CAIN QVOMODO EGRESSVS A FACIE DOMINI, ET VBI HABITAVERIT.

7. Post hæc Cain egressus est à facie Domini, id est ab illa præsentia corporali, in qua ei Dominus ad ipsum condemnandum apparuerat; siue etiam ab illa terra, in qua Dominus interdum se manifestare, & hominum sacrificia suscipere, & cum eis quandoque sub quadam corporali specie loqui solebat. Et quamdiu ferè posteà vixit Cain, profugus errauit, habitauitque in terra ad Orientalem plagam Eden, cuius loci, sub eodem prorsus nomine meminerunt Isaias cap. 37. vers. 12. & Ezechiel cap. 27. vers. 22. ibique filios procreauit, quorum genealogia vsque ad septimam generationem describitur Genes. cap. 4. vers. 17. & sequentibus.

QVALIS FVERIT.

Qualis verò deinceps fuerit Cainus, colligere possumus ex Iosepho, qui lib. 1. Antiq. cap. 3. asserit, eumdem fuisse virum pessimum, & post fratricidium, cùm eiectus esset à Domino de illa regione, & profugus vagusque tandem in Naide, quæ est ad Orientalem terram Eden, consedisset, ibique filios genuisset, non solùm illa exsilij castigatione vitam non emendasse, sed & in peius semper prolapsum, omnibus voluptatibus vel cum aliorum iniuria indulgens, & facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans; accitis vndecumque latrociniorum ac nequitiæ sociis, magistrum illis ad facinorosam vitam esse effectum, aliorumque plurium malorum auctorem exstitisse.

AB ORBE CONDITO ANNVS 131.

ADAM QVANDO GENVIT SETH.

1. ANNO postero inchoante, Adam expletis centum triginta vitæ suæ annis (vt ex regula hîc num. 2. assignanda deducendum putamus) nimirum ineunte anno ætatis suæ centesimo trigesimo primo, genuit Seth, Genes. cap. 5. versic. 3. quare primus annus vitæ Seth concurrit cum eodem centesimo trigesimo primo ætatis Adæ, vt videre est in tabulis. Post natum verò Seth, vixit Adam octingentis annis, & genuit filios & filias, ibidem. Eodem quoque anno probabile est, Cainum genuisse Henoch, à quo posteà denominauit ciuitatem, quam ædificauit, vt sub anno mundi 133. num. 1. Vtrùm verò iste Henoch fuerit primogenitus, seu natu maximus filiorum Caini, vt putat Iosephus, incompertum habemus. mihi tamen probabilius videtur, quòd non; quia vt ex Genesi cap. 4. vers. 17. apparet, Cain genuit Henoch non multò post occisum Abelem, id est anno vitæ ipsius Caini circiter centesimo trigesimo, vt ex supradictis infertur. Atqui non est credibile, ipsum, in illo præsertim mundi exordio, aut sine vxore, aut sine liberis, tam longo tempore exstitisse; quin potiùs iam valdè copiosam sobolem propagasse.

REGVLA IN GENERATIONIBVS OBSERVANDA.

2. Sed antequam singulas priscorum Patrum generationes recenseamus, tria hîc præmittere necessarium videtur. Primò, quòd cùm in qualibet generatione ille annus, quo pater dicitur generasse filium, verbi gratia annus centesimus trigesimus, quo Adam genuit Seth, possit tripliciter sumi; vel ac si esset tantummodò inchoatus; vel ita completus, vt iam annus proximus per plures dies aliquótve menses esset inceptus; vel demum, vt tunc fuerit præcisè expletus. Nos postremos singularum generationum annos hoc tertio modo accipiendos duximus, & hanc nobis regulam esse passim, &, vt dicitur, ordinariè obseruandam; non quia necessariò credendum putemus, Adamum tunc genuisse Seth, quando annum vitę centesimum trigesimum præcisè exegit, & Seth eodemmet die annum ætatis centesimum quintū expleuisse, quo genuit Enos; & sic de aliis: sed quia eamdem regulam secuti sunt ceteri boni Auctores, tamquam tutiorem, quippe quæ minus habeat errandi periculum. Quoniam si primo modo anni accipiantur & supputentur, summa ipsorum resultabit minor; si secundo modo, maior; si autem tertio, euadet media inter extremas: quamuis hæc differentia non sit valdè plurium annorum, vt quiuis, annos primæ & secundæ mundi ætatis seorsum tribus prædictis modis supputando, facilè experiri poterit.

PATRIARCHAE SERIVS GENVISSE CREDVNTVR, QVAM SCRIPTVM SIT.

3. Alterum quod hîc præmittere operæpretium videtur, est; non esse putandum quòd omnes primæ ac secundæ mundi ætatis Patriarchæ, qui in Sacro eloquio recensentur, eo tantùm anno, quo singuli Genes. cap. 5 & 11: dicuntur filium genuisse, & non etiam multò anteà vxores ducere, ac filios procreare cœperint. Quis enim credat, Iaredum nonnisi anno ætatis suæ centesimo sexagesimo secundo, & Lamech anno vitę centesimo octogesimo secundo, & Mathusala anno centesimo octogesimo septimo, Noë verò quingentesimo, & non priùs, filios generare cœpisse? & tanto tempore sine vxoribus mansisse, aut fuisse infecundos? illa præsertim prima mundi ætate, in qua homines naturaliter fecundissimi esse solebant, & peculiari quodam instinctu ad propagan-

gandam sobolem propensiores, vtpote qui non ignorabant, Dei voluntatem esse, vt quantocyùs terram habitatoribus replerent. Et dato quòd quidam ex ipsis serò admodum generare cœperint, non tamen credibile est, alios post tot annorum decades, vel etiam centurias, opus tunc adeò necessarium, aut consultò distulisse, aut priùs exercere non valuisse. Hinc aliud sequitur notatu dignum, ex quo (quia satis perspicuum videtur) etiam quæ dicta sunt adhuc magis confirmari possunt. Est autem, quòd non primogenitorum tantummodò successionem locis proxime citatis Scriptura sacra prosequitur, quemadmodum etiam docet S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 15. & 20. & id comprobat exemplo genealogiæ Saluatoris, quæ Matthæi cap. 1. non semper ducitur per primogenitos, sed per illos, quicumque essent, per quos rectà ad Christi generationem tendebatur. Perspicuum namque est, quòd neque Isaac, neque Iacob, neque Iudas, neque Phares, fuerunt primogeniti: quin etiam, Dauid erat minimus fratrum suorum; & Salomon pariter alios habebat fratres natu maiores. Et præterea, sicuti manifestum est, Seth non fuisse primogenitum Adæ; ita fieri potuit, vt Enos non fuerit primogenitus Seth, neque Cainan ipsius Enos; & sic de aliis. Quare, vt dicebamus, non primogenitos dumtaxat locis adductis Scriptura sacra commemorat; sed illos tantùm (siue primogeniti essent, siue non) per quos recta, vt aiunt, linea ab Adam ad Noë, & à Noë ad Abram peruenitur. Horum enim in primis genealogia texenda erat, tum quia ipsi inter ceteros omnium præcipui extiterunt, & vterque singulari quadam ac valdè insigni prærogatiua à Deo donatus est: quandoquidem Noë, vniuersali adueniente Diluuio, humanum genus ab interitu in arca seruare meruit; & Abram diuinas in semine suo obtinuit de Christo repromissiones, & per ipsum vniuersalem in omnibus gentibus benedictionem; tum quia inde postmodum deducenda erat etiam genealogia Saluatoris.

GENEALOGIAS SCRIPTVRA NON PERPRIMOGENITOS TANTVM DEDVCIT.

4. Tertium ac postremum, quod hoc loco præmittendum proposueramus, est, numeros annorum vitæ Patriarcharum primæ & secundæ mundi ætatis, diuersimodè admodum & aliter tradi in LXX. Interpretum codicibus, ac in Hebraicis & Latinis Vulgatæ editionis expressi inueniuntur. Hoc vt faciliùs perspiciatur, subiectam tabellam componere studuimus, ex qua omnes vtriusque Textus differentiæ colligi poterunt, quemadmodum etiam infrà explicabitur.

ANNORVM DIVERSITAS INTER CODICES LXX. INTERPRETVM, ET VVLGATOS.

Anni secundùm Codices

	quando genuit filium hîc descriptũ, erat annorum: *Hebræos, & Latinos Vulgatos.*	*Lxx. Interpr.* Romanos.	*Lxx. Interpr.* Regios	superuixit annis: *Hebr. & Lat. Vulg.*	*Lxx. Interpr.* Rom.	*Lxx. Interpr.* Reg.	oẽs vitæ eius anni: *Hebr. & Lat. Vulg.*	*Lxx. Interpr.* Rom.	*Lxx. Interpr.* Reg.
Adam	130	230		800	700		930	930	
Seth	105	205		807	707		912	912	
Enos	90	190		815	715		905	905	
Cainan	70	170		840	740		910	910	
Malaleel	65	165		830	730		895	895	
Iared	162	162		800	800		962	962	
Henoch	65	165		300	200		365	365	
Mathusala	187	167	165	782	802		969	969	
Lamech	182	188		595	565		777	753	
Noë	500	500		450	450		950	950	
Sem	100	100		500	500		600	600	
Arphaxad	135	135		303	300	430	338	435	565
Cainan		130			330			460	
Sale	30	130		403	330		433	460	
Heber	34	134		430	270	370	464	404	504
Phaleg	30	130	134	209	209		439	339	343
Reu	32	132		207	207		239	339	
Sarug	30	130		200	200		230	330	
Nachor	29	179		119	125		148	304	
Thare	70	70		135	135		205	205	
Abram									
In summa, an. Mundi	1946	3412							

Iis adde annos 1466 qui supersunt in summa LXX. Interpretum,

& efficies summam 3412 annorum ab eisdem LXX. Interpretibus collectam.

Ex

TABELLAE DECLARATIO. 5. Ex hac ergo tabella apparet primò, quòd prædicti Textus in folis quattuor generationibus, nempe in fexta, decima, vndecima, & vigefima, inter fe per omnia conueniunt; in reliquis verò omnibus multipliciter difcordant, quemadmodum fingula diligenter in eadem tabella, vel in ipfifmet Sacris codicibus conferenti perfpicuum fiet. Nam licet in numeris annorum totius vitæ ipfius Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Henoch & Mathufala, fupputandis, nihil omnino difcrepent: in hoc tamen valde diffentiunt, quòd extus LXX. Interpretum fingulis hifce generationibus, & aliis item plurimis, addit centum annos, ad eos qui in textu Hebraico & Latino Vulgato notati inueniuntur, antequam quifque filium ibidem nominatum genuiffe dicatur; quos poftea centum annos detrahit de fingulis annorum fummis, quibus illi poft genitum filium fuperuixiffe perhibentur. Quo fit, vt vterque Textus in tempore quidem generationis varìet: in eo autem quo finguli è vita exceflerunt, conueniat. Sed & ex illa potiffimùm centum annorum tranfpofitione, tanta in fummis annorum vtriufque Textus, ab orbe condito ad ortum Abrahæ, exoritur diuerfitas: vt quæ ex textu LXX. Interpretum colligitur, eam quæ ex Hebraico refultat, non in mille ducentis triginta fex annis tantùm, vt fcribit Sixtus Senenfis lib. 5. fuæ Bibliothecæ fanctæ Annot. 68. fed in mille quadringentis fexaginta fex, fuperet; quemadmodum in prænotata tabella liquidò apparet. Cùm ergo difcrepantia hæc tam grandis fit, vt conciliari nullo modo poffe videatur; reftat neceffariò fupponi debere, alterum ipforum Textuum effe mendofum; & ratio dictat, non fortuitò, fed dedita opera fuiffe corruptum: nam illa diuerfitatis fimilitudo & paritas, per tot generationes pænè vniformiter continuata, ita vt ante genitum filium, in vno Textu fuperfint centum anni, in alio defint; poft genitum autem, vbi deerant, fuperfint; vbi verò fupererant, defint; vt fumma conueniat, profectò (quemadmodum etiam benè adnotauit S. Auguftinus lib. 15. de Ciuit. cap. 13.) non cafum redolet, fed induftriam. Quomodo autem hæc acciderit corruptela, & in quo Textu, & qua de caufa, & quonam auctore, incertum eft: nifi quòd fanctus Auguftinus vbi fuprà (cui fubfcribunt Beda in libello de Sex ætatibus mundi, & alij alibi) admodum probabiliter illam tribuit non quidem ipfis LXX. Interpretibus, quos, inquit, laudabiliter celebratos viros potuiffe mentiri, difficile eft: neque Hebræorum Scriptoribus, quos minùs credibile eft vel omnes vno confilio in hoc confpirare voluiffe, aut valuiffe, vt non tantùm gentibus, fed & fibimetipfis veritatem auferrent; vel in codicibus tam multis, ac per vniuerfum pænè orbem tam longè lateque difperfis, tale quid perpetrare potuiffe: fed ei, qui primus ex famofa illa Ptolemæi Philadelphi Bibliotheca defcripfit; à quo tamquam ex fonte, ceteri poftea LXX. Interpretum codices corruptelam contraxerunt. Is enim, quifquis ille fuerit, probabiliter creditur de induftria addidiffe centum annos ante fingulas propè generationes, ea potiffimùm de caufa, quòd, ne tam prolixa illa vitæ diuturnitas primorum hominum, apud gentiles fictitia putaretur, exiftimauerit, aut ab aliis exiftimari voluerit, annos prifcorum illorum hominum fuiffe breuiffimos, ita vt decem ex ipfis vnum ex noftris facerent. Et quoniam pofita hac opinione, fi poftea annos illos breuiores ad noftros communes reduceremus; fequeretur ex Hebraico textu, Adamum, cùm ageret annum decimumtertium, genuiffe Seth, & ipfum Seth, cùm effet annorum decem cum dimidio; & Enos anno vitæ nono, & Cainan feptimo, & Malaleel fexto, & Henoch pariter fexto, (quod planè abfurdum effet) filium procreaffe: ideò hifce omnibus pænè generationibus addidit centum annos, hoc eft, decem ex noftris. Quod non fecit in generatione Iared, qui fecundùm veritatem genuit anno ætatis fuæ centefimo fexagefimo fecundo, id eft, iuxta illius correctoris computum, anno fextodecimo expleto, quia illa ætas apta eft ad generandum: ficuti etiam nihil addidit ad generationes Mathufala, Lamech, & Noë, eadem ratione. Cur autem nihil addiderit ad generationes Sem & Thare, quos iuxta eius fupputandi rationem, fequeretur genuiffe, Sem quidem anno decimo, Thare verò feptimo: prouidentia Dei fuit, ne conftans effet in errore, vt corruptela faciliùs deprehenderetur.

VNDE ORTA SIT CORRUPTELA TEXTUS LXX. INTERPRETUM.

GRAECI TEXTVS CORRVPTIO OSTENDITVR. 6. Eft autem fatis euidens ifta Græci textus corruptio; quia, fi intelligit annos illos fuiffe breuiores noftris, ita vt vnus ex noftris contineat decem ex illis: hoc repugnat facræ Scripturæ, vt notat Abulenfis fuper cap. 5. Genef. quæft. 8. nam fequeretur, quemlibet illorum annorum tantummodò triginta fex diebus, id eft, vno dumtaxat fenario dierum quadraro, conftaffe; (fex enim fexies ducta faciunt triginta fex,) & confequenter illos annos, fuiffe vnius tantùm menfis, & paucorum ampliùs dierum; quod omnino aduerfatur facræ Scripturæ, quæ Genef. cap. 7. & 8. mentionem facit

primi,

primi, secundi, septimi, & decimi mensis eiusdem anni. Quòd si dixeris, menses quoque illos fuisse ad proportionem illorum annorum breuiores; respõdemus, Ergo oporteret eos trium tantummodò dierum exstitisse. At hoc pariter refragatur citatis Scripturæ locis; siquidem Genes. cap. 7. vers. 11. fit mentio diei decimi septimi mensis secundi, & cap. sequenti vers. 4. & 14. diei vigesimi septimi eiusdem mensis secundi. Quare videtur manifestè inferri posse, tam menses illos, quàm annos, fuisse nostris mensibus lunaribus, annisque solaribus, per omnia similes; vt latè probat S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 14. & nos infenius ex sacra Genesi probabimus, ab anno sexcentesimo vitæ Noë ad annum ipsius sexcentesimum primum, fluxisse trecentos sexaginta quinque dies; quibus (vno ferè quadrante addito) annuus solis cursus, ac integer annus solaris, expleri solet. Præterea supponendum est, Scripturam sacram loqui semper de annis vniformiter, & eiusdem generis; non enim vspiam apparet de opposito; & quemadmodum ait, Adamum vixisse nongentis triginta annis; ita etiam dicit, Moysen vixisse centum viginti annos, Deutet. cap. vlt. vers. 7. & Dauidem annos septuaginta, 2. Reg. cap. 5. vers. 4. ibi namque dicitur, quòd *triginta annorum erat cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit*: & constat tam Moysen quàm Dauidem in senectute mortuos esse: nam de primo, loco Deuteronomij citato, tamquam quid in senecta mirandum subditur, quòd *non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt*. de altero verò legimus in initio libri tertij Regum: *Et Rex Dauid senuerat, habebatq́ ætatis plurimos dies; cumq́ operiretur vestibus, non calefiebat*, &c. Igitur si anni centum viginti vitæ Moysi, & septuaginta Dauidis, fuissent singuli dierum tantummodò triginta sex: oporteret Moysen non expleuisse annum ex nostris duodecimum, nec Dauid septimum; & consequenter, non essent mortui senes. Si verò etiam dicti anni fuissent trimestres, vt erant apud Arcadas, teste Solino in Polyhistore cap. 2. aut quadrimestres, vt olim apud Ægyptios, quemadmodum tradit idem Solinus ibidem, & Plutarchus in vita Numæ Pompilij: nec sic dici posset, Moysen ac Dauidem in senectute decessisse: siquidem Moyses non excessisset annos ex nostris triginta aut quadragintā, Dauid verò viginti vnum aut viginti octo. quæ omnia diuinæ veritati in Sacris libris traditæ omnino aduersari perspicuum est.

7. Si verò etiam ille Græci textus correctot, vel potiùs corruptor, intelligit memoratos priscorum hominum annos esse æquales nostris; sequitur, iuxta ipsius computum, aliud inconueniens; nimirum, Mathusala superstitem fuisse post Diluuium annos quatuotdecim, vel sexdecim. nam ponit ipsum Mathusala, postquam genuit Lamech, superuixisse annos octingentos duos, vel (vt habent aliqui codices minùs probati) annos octingentos quattuor. At verò à natiuitate Lamech ad Diluuium, ponit tantummodò annos septingentos octoginta octo: siquidem ait, ipsum Lamech fuisse centum octoginta octo annorum, quando genuit Noë, cuius anno vitæ sexcentesimo Diluuium cœpit: ergo supersunt anni sexdecim, vel saltem quatuordecim vitæ ipsius Mathusala, post Diluuium. At enim hoc est omnino contrarium Scripturæ sacræ affirmanti Genes. cap. 7. vers. 21. & 22. consumptos esse vniuersos homines, præter Noë, & qui cum eo remanserant in Arca, *in qua* (vt Princeps Apostolorum S. Petrus Epistola 1. cap. 3. vers. 20. testatur) *pauci, id est octo animæ salua facta sunt*, videlicet Noë, Sem, Cham & Iapheth, & singulæ ipsorum vxores. Quod argumentum (quemadmodum refert Cardinalis Bellarminus in Controuersiis lib. 2. de Verbo Dei cap. 6.) non potuerunt soluere SS. Hieronymus, Augustinus, Eucherius, & alij, nisi admittendo, textum LXX. Interpretum ab aliquo fuisse vitiatum, vt suprà num. 5. dictum est. Valeat igitur inuentum illud, quod recitat sanctus Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 11. quorumdam dicentium, Mathusala Diluuij tempore mirabiliter cum patre suo Henoch fuisse translatum: quia nullo sacræ Scripturæ textu probari, neque sanctorum Patrum testimonio, aut Ecclesiæ auctoritate fulciri potest. Quin etiam huic positioni refragatur, quod ait idem sanctus Augustinus libro proximè citato cap. 13. videlicet, in tribus LXX. Interpretum codicibus Græcis, & vno Latino, & vno etiam Syro, inter se consentientibus, reperiri, ipsum Mathusala vita functum esse sex annis ante Diluuium: quod & compendiosius repetit in Quæstionibus in Genes. quæst. 2. ex qua quidem sancti Augustini relatione confirmari potest tum falsitas memorati commenti de Mathusala cum patre translato, tum etiam prædicta textus LXX. Interpretum corruptela, quippe qui in hisce annis priscorum Patriarcharum recensendis non solùm ab omnibus Hebraicis, Chaldaicis & Latinis editionibus magnopere discrepet, sed etiam à nonnullis quoque eorumdem LXX. Interpretum codicibus, cùm veteribus, tum recentioribus.

ribus. quod & manifestiùs in præostensa tabella videri poterit, vbi apparet, in multis annorum numeris ipsum textum LXX. Interpretum varium inueniri, etiam in emendatioribus eius codicibus, nimirum Romanis ac Regiis. Et præterea hoc idem adhuc magis confirmari potest, si hos cum antiquioribus conferamus: nam ex B. Augustino libro 15. de Ciuit. cap. 20. habemus, quòd in his, quos ipse ad manus habebat, ab Adam ad Diluuium computabantur anni bis mille ducenti sexaginta duo: & lib. 16. cap. 10. ait, quòd in eisdem codicibus, à Diluuio ad ortum Abrahæ, inueniebantur anni mille & septuaginta duo. Qui prioribus iuncti, faciunt summam annorum, ab orbe condito ad ortum Abrahæ, ter mille trecentorum & triginta quattuor. Quę summa minus habet annos septuaginta octo, quàm quæ ex nostri temporis codicibus magis probatis liquidò subducitur, quemadmodum in memorata tabella clarè apparet. Quoniam igitur & ex rationibus adductis, & sanctorum Patrum auctoritate patet, textum LXX. Interpretum censeri fuisse corruptum, vbicumque in annis vitæ Patriarcharum primæ ac secundæ ætatis mundi recensendis à Vulgato valdè differt: & probabile est, idem quoque posteà in aliis pluribus Scripturæ locis accidisse, in quibus eiusmodi annorum numeri, ab eisdem in Hebræo ac Latino textu notatis, admodum discrepare deprehenduntur; vt exempli gratia videre est in postremis ferè verbis libri Iob, & Tobiæ cap. vlt. vers. 1. 2. 3. & 16. & Daniel. cap. 2. vers. 1. & 2. Machab. cap. 1. vers. 10. & alibi non semel: propterea nos in toto hoc opere (quod ad tales spectat numeros) relictis ipsorum LXX. Interpretum codicibus, intendimus Vulgatam sequi editionem, quam ex vero & legitimo textu Hebraico fidelissimè, in hac præsertim parte, translatam esse, nemo dubitauerit, qui ea quæ de huiusmodi annorum numeris in ipsa legimus, contulerit cum his quæ B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genes. testatur se reperisse in Hebræorum ac Samaritanorum libris: proculdubiò namque ad amussim conuenire comperiet, à Græcis verò codicibus plurimùm discrepare. Opportunè igitur hoc loco cum venerabili Beda aliisque grauissimis Auctoribus regulam illam, sanè optimam, obseruandam duximus, quam tradit S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 13. inquiens: *Rectè fieri nullo modo dubitauerim, vt cùm diuersum aliquid in vtrisque codicibus* (loquitur autem ibi de Hebraicis & Græcis) *inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumque esse non potest verum, ei lingua potiùs credatur, vnde est in aliam facta translatio.* Quam sententiam, vtique tamquam verissimam, idem sanctus Doctor capite ibidem proximè sequente repetit, vbi de numerorum varietate quæ inter codices, inquit, Hebræos & nostros (hoc est LXX. Interpretum, quibus eiusdem sancti Augustini temporibus communiter tum Græcæ tum Latinæ vtebantur Ecclesiæ) reperiebatur, verba faciens, subiungit: *Quòd si dicta varietas quid habet ita diuersum, vt verum esse vtrumque non possit; rerum gestarum fides ab ea lingua repetenda est, ex qua interpretatum est quod habemus.* sic S. Augustinus. Et hæc de magna illa annorum primæ & secundæ mundi ætatis differentia, quæ inter codices LXX. Interpretum, & vulgares Latinos Hebraicosque perspicitur, dicta sint simpliciter vtique, & pro veritate; non autem nouandi studio, neque vt omnem LXX. Interpretum editionis auctoritatem reiicere velimus, & nihil, nisi quod in Hebræis codicibus legatur, rectum putemus: quam quidem calumniam non æquo videtur iudicio inussisse Chronographis nostri temporis Antonius Contius in suis ad sancti Nicephori Episcopi Constantinopolitani Chronologiam Notis, capitulo primo. Nam (quemadmodum, meritò sanè, Index expurgandorum Romæ nuper editus, ibidem margini adfigendum præcipit) dum nimio Contius studio LXX. Interpretum translationis Chronologiam tuetur, non videt se incautè Hebraici fontis & Vulgatæ editionis Chronologiam labefactare, quæ cum illa LXX. Interpretum perspicuè pugnat. Et constat, Patres corruptelam LXX. Interpretum exemplarium ingenuè profiteri; vt tum ex his quæ à nobis iam dicta sunt, tum etiam ex illis, quæ apud P. Thomam Maluendam Theologum Dominicanum lib. 1. de Antichristo, cap. 14. 15. & 16. in eodem Indice citatum, habentur, satis euidenter patet. De cetero autem, quantum nos LXX. Interpretum editioni, meritò sanè, tribuendum censeamus, facilè prudens Lector dignoscere poterit ex his, quæ in processu operis, ac præsertim sub annis mundi 1694. num. 1. & 2. & 3353. num. 2. alibique dicemus.

ANNOS VULGATÆ EDITIONIS NON AUTEM LXX INTERPRETUM ESSE SEQUENDOS.

☞ 8. Sed iam ad ipsum Seth redeamus, cuius solùm ex omnibus Adæ filiis (præter duos priores Cain & Abel, quorum alter alterum interfecit) Scriptura sacra meminit; quia, vt dictum est, per ipsum deducenda erat genealogia Noë & Abrahæ; & item quia in ipsius tantùm posteritate conseruanda erat Adami progenies, & humanum genus in omni terra propagandum: reliquæ enim generationes omnes, quæ ex Caino aliis-

DE SETH ADAE FILIO.

alijsve Adæ filiis postmodum progenitæ sunt, cunctæ Diluuio tandem interierunt. Potrò Seth, cùm primùm ei per ætatem licuit, virtutum studiis se totum dedidisse, & cùm ipse vit optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquisse, scribit Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 3. & addit Suidas in verbo Seth, eumdem ab hominibus illorum temporum, Deum fuisse appellatum, quod videtur ex Genes. cap. 6. vers. 2. desumpsisse, vbi distinguuntur filij Dei à filiis hominum, id est vt communiter creditur, filij Seth (qui ob perspicuas admodum ac singulares virtutes suas tamquam Deus habebatur) à reliquis hominibus. oportet autem accipere, Seth nuncupatum fuisse Deum, non per essentiam aut proprietatem (non enim tale quid vir sanctus sustinere potuisset) sed per quamdam similitudinem & participationem; prout etiam Moyses Exod. cap. 7. vers. 1. constitutus dicitur Deus Pharaonis, & in Psalm. 81. qui ad iudices populorum pertinet, legimus: *Deus stetit in Synagogo deorum, in medio autem deos diiudicot.* & paulò pòst subditur: *Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes.*

9. Ceterùm libros nomine Seth inscriptos, non esse ipsius Seth, sed ab hæreticis LIBRI NO-
confictos; sicuti alium sub nomine Abraham, omni malitia refertum, quem etiam MINE SETH,
Reuelationem appellant, & item alium ex nomine Moysi; & alios quoque aliorum ET ABRAHAM, ET
illustriùm virorum nominibus insignitos, diffusè narrat S. Epiphanius Hæres. 39. quæ MOYSIS,
est contra Sethianos, vbi multa alia inuenies falsò ab hæreticis ipsi Seth attributa. CONFICTI.
Auctor Operis imperfecti in Matthaeum (vt refert Sixtus Senensis lib. 2. suæ Bibliothecæ in vocabulo Seth) *exponens illud Matth. cap. 2. Vidimus stellam eius in Oriente, &c. mentionem facit cuiusdom scripturæ Seth, de stella opporitura in ortu Meßiæ, his verbis: Audiui oliquos referentes de quodam scripturo, etsi non certo, tomen non destruente fidem, sed potiùs delectante: quoniom erot quædam gens sita in ipso principio Orientis, iuxto Oceonum, opud quam ferebatur quædam scriptura inscripto nomine Seth, de opporituro hoc stella, & muneribus huiusmodi Christo offerendis; quæ per generationes studiosorum hominum, patribus referentibus filiis suis, habebatur deducta,* &c. hactenus ille Auctor. Sed quod ipse hîc retulit, quamuis non sit contra fidem, nullo tamen firmo videtur niti fundamento, quin potiùs figmentum quoddam redolere.

10. De filiis autem Seth, quòd fuerint omnes bona indole præditi, & primi inuen- DE FILIIS
tores astronomicarum scientiarum, scribit Iosephus loco proximè citato: vbi etiam SETH.
illud subiungit, quòd cùm scirent Adamum prædixisse duos vniuersales mundi interitus, vnum diluuio, alterum incendio: veriti ne inuenta sua priùs perirent, quàm pernoscerentur; excitatis duabus columnis, vtrique sua inuenta inscripserunt; vt si latentiam Diluuio deleri priùs contingeret, lapidea superstes, hominibus qui ab ipso euasissent discendi copiam faceret; & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet. Si verò contrà priùs ab igne lapidea in calcem dissolueretur, lateritia olim inuentas ipsorum obseruationes posteris suppeditaret. Et aiunt, lapideam illam ab ipsis dedicatam, quæ & nostris temporibus exstat in terra Syria. Sic ferè Iosephus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 133.

1. ANNO circiter vno aut altero postquam de Caino natus est Henoch, (quem sub finem primi anni ab eiecto patre natum, ex Genes. cap. 4. vers. 16. & 17. satis
probabiliter colligere possumus) ipse Cain, eùm aliquamdiu huc atque illuc CAIN PRI-
vagus sedes mutasset, tandem congregatis qui de stirpe sua iam progeniti erant, siue ad MVS OM-
maiorem sui tutelam (semper enim ab aliquo occidi metuebat) siue, vt ipse meliùs pos- NIVM AEDI-
set omnibus dominari, siue vt post incursiones & prædas, quas teste Iosepho 1. Antiq. FICAT CI-
cap. 3. per vim de alienis bonis facere solebat, tutiori loco se recipere, easque reponere, VITATEM.
valeret, primus omnium ædificauit ciuitatem, quam ex nomine paruuli filij sui Henoch, quem diligebat plurimùm, vocauit Henochiam, Genes. cap. 4. vers. 17. Hanc Iosephus, vbi suprà, vocat Enosam, quia pro *Henoch*, posuit *Enosum*. Quòd autem per hæc tempora potuerit Cain vrbem condere, nemo dubitare debebit, si recolere non grauabitur, quòd, vt ex dictis consequitur, ipse iam excesserat annum ætatis suæ centesimum trigesimum; quo fit vt etiam posset numerum satis magnum habere posterorum. Quamquam autem credi possit, hanc ciuitatem à principio quidem fuisse paruulam, quippe quæ ex sola Caini sobole tunc constaret: oportet tamen eamdem posteà admodum esse auctam, ac tandem adeò famosam in toto orbe effectam, vt non immeritò de ipsa tantùm ante Diluuium ædificata, in sacris Scripturis mentio habeatur. Vnde satis fit probabile, non solùm Caini posteros valdè postmodum esse multiplicatos; sed etiam plurimos quoque de aliis Adami filiis ac nepotibus, ad memoratam vrbem de-

inceps pariter incolendam, conuenisse: nimirum eos, qui cum Caini progenie primùm à paterna veraque religione desciscentes, ad idololatriam paulatim declinare cœperunt: inter quos nullatenus computare debemus Sethi posteritatem, quæ multò quàm ceteræ omnes diutiùs in veri ac summi Dei cultu permansit, vt nos infrà sub anno

CAINI SOBOLES PESSIMA. mundi 987. num. 3. dicemus. *Ceterùm Caini quoque soboles*, vt ait Iosephus loco paulò antè citato, *superstite etiam tum Adamo, sceleratissima euasit, dum posterior quisque fit deterior, nec solùm imitatur priorum vitia, sed & superat, interim nec à bellis, nec à latrociniis temperando; & qui à cædibus abstinebant, alioquin auarè & superbè inter suos viuebant.* sic ille. Sed nec illud hîc prætereundum videtur, quòd ex quo Cain cum aliis pessimis suæ progeniei viris, primus vrbem condidisse dicitur, fit manifestum, quàm benè vsque

QVOMODO PROFANI RELIGIOSIS PRVDENTIORES SINT. ab initio sæculi res ipsa indicarit, veram esse egregiam illam Saluatoris sententiam Luc. cap. 16. vers. 8. registratam: *Quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua*, hoc est, in genere suo, *sunt*. nimirum in terrenis vtilitatibus ac commoditatibus sibi suisque comparandis: quippe qui nihil de supernis æternisque bonis cogitantes, omnem ipsorum curam, sollicitudinem, industriam, operamque in huius vitæ caducis bonis conquirendis, conseruandis, augendis, ac fruendis, collocare videantur. Et quia verum est quod ait Sallustius: *Vbi intenderis, ibi ingenium vales*. proptereà non mirum est, quòd & Cain primus ciuitatem condidisse, & vnus de posteris eius Lamech, primus polygamiæ auctor exstitisse, & filij eius Musicam, ferrariam, ærariam, aliasque artes inuenisse legantur. Etenim Iubal inuentor & pater canentium cithara & organo, & Tubalcain malleator in cuncta opera æris & ferri fuisse dicuntur. Et denique, si huius mundi homines in eiusmodi adinuentionibus longè superant viros pietatem colentes, qui è conuerso nihil aut parum solliciti de huius vitæ commodis, tamquam breui perituris, omnia studia sua & omnes conatus in æternæ vitæ bonis comparandis libenter atque alacri animo conferunt.

DE REGIBVS PRIMAE CIVITATIS IN MVNDO AEDIFICATAE. 2. Sane in prædicta vrbe, quam ædificauit Cain, B. Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 20. ait, sex fuisse reges vsque ad Diluuium; nempe primò ipsum Cain, mox illos successiuè, qui memorantur Genes. cap. 4. vers. 17. & 18. & hoc est admodum rationabile; præsertim si regis vocabulo vniuersaliter intelligamus vnum ceteris præsidentem, cunctosque principaliter gubernantem, siue is rex, siue primarius rector, siue princeps, siue alio simili quouis nomine vocetur. Nam cùm ciuitas non ex vno, sed ex multis constet in loci vnitate conuenientibus, & Politiam seu Rempublicam constituentibus: ciuitas autem stare non possit sine lege, neque lex sine rege, rectoréve, aut principe qui eam tueatur, & ritè obseruari curet, & cunctis iustitiam distribuat: vtique oportet Rempublicam ab vno potissimùm administrari. Nam etsi interdum id fieri contingat à pluribus, siue bonis, quam Aristocratiam Græci vocant; siue malis, quæ Ochlocratia dicitur: oportet tamen semper aliquem quodammodò præesse multitudini; alioqui vbi nullus est ordo, ibi confusionem oriri necesse est. Videtur autem probabilius, olim ciuitates ab vno potiùs, quàm à pluribus regi consueuisse, vt colligi potest ex lib. Genes. & Iosue. ex quibus patet, in terra Chanaan tot ferè reges exstitisse, quot oppida. & certum est, apud Romanos primò à regibus res fuisse administratas. Quin etiam Aristoteles 3. Politic. cap. 11. hoc idem videtur supponere, vbi ait: *Et ob hoc forsan rex ab initio repertus est, quòd difficile erat viros plures excellenti virtute reperiri, præsertim cùm tunc ciuitates paruæ forent.* sic ille. Quamquam, ni fallor, credibilius sit, ab initio reges non per optimi electionem, sed per potentiam fuisse introductos, vt patet de Cain, ante, & de Nemrod, post Diluuium. Videmus enim ea, quæ ab hominibus proficiscuntur, communiter ab imperfecto auspicari; deinde verò post multa experimenta, paulatim, quantum fieri potest, ad perfectum perduci. Itaque si penè ab ipso mundi exordio condita ciuitas fuit; plures quoque alias exinde temporum successu ædificatas esse dubitandum non est: & per consequens facilè admitti potest, etiam ante Diluuium plures in mundo reges exstitisse. Nam quod aiunt, ex Scriptura sacra videri, Nemrod fuisse primum qui regnare cœperit; rectè exponi potest de iis qui post Diluuium tyrannicè se in regno intruserunt; vt nos sub anno mundi 1931. num. 28. declarabimus. Quòd autem Cain quoque, qui ante Diluuium primus regnasse dicitur, tyranni potiùs, quàm iusti regis mores ingeniumque redoluerit, ex his quæ superiùs numero primo, & sub anno mundi 130. num. 7. dicta sunt, inferri liquidò posse videtur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 236.

1. ANNO vitæ suæ centesimo quinto circiter exacto, siue centesimo sexto inchoante, Seth genuit Enos, Genes. cap. 5. vers. 6. Quare annus vitæ Enos primus concurrit totus cum centesimo sexto patris sui Seth, vt patet in tabulis. Post ortum autem ipsius Enos, superuixit Seth annis octingentis septem, & genuit filios & filias, vt ibidem dicitur. Per hæc quoque circiter tempora, probabile est, quòd Henoch filius Caini genuerit & ipse filium suum Irad, cuius tantum fit mentio Genes. cap. 4. vers. 18. Quod hic obiter adnotasse sufficiat. ENOS QVANDO NATVS.

2. Redeamus ad Enos. Sunt qui putant, patrem suum Seth non sine diuino consilio appellasse hunc filium suum Enos, quod interpretatur Vir. quia nimirum præuiderit, eius temporibus, & præcipuâ etiam eius operâ, cultum veri Dei notabiliter fore instaurandum & augendum. quod proprium atque præcipuum virorum munus esse deberet; tunc potissimùm, quando ipsummet diuinum cultum à perditis hominibus deseri, vitiari, & quod peius est, dæmonibus attribui perspiciunt: quemadmodum posteà Enos fecisse videtur: de ipso enim legimus Genes. cap. 4. in fine: *Iste cœpit inuocare nomen Domini*. Vbi licet alia versio habeat: *Tunc initium fuit inuocandi nomen Domini*. (quod nonnihil differre, &, vt ibidem notat Caietanus, magis tempus quàm personam signare videtur:) & Paraphrasis Chaldaica oppositum quodammodò significare videatur, dicens: *Tunc in diebus eius ceperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini*. attamen hæc Scripturæ sententia, ex multiplici pænè vnius Hebraici verbi significatione, vt docet Hieronymus Oleaster, tam diuersimode translata, tria nobis indicat; quæ tametsi inter se diuersa & quoquomodò etiam opposita esse videantur, nihilominùs admodum consentanea sunt, vt ex his, quæ subiungemus, planè constabit. Primum est, quòd ipse Enos cœpit inuocare nomen Domini, eo speciali modo, quo inferiùs declarabitur. Alterum est, quòd alij quoque temporibus dicti Enos idem facere cœperunt. Tertium, quòd per eadem tempora filij hominum, id est impij ac peruersi homines, & ipsi cœperant loco Dei inuocare creaturas, vt paulò pòst ostendemus. Ecce quanta paucis Scriptura sacra nos docet, & quàm magna est vbertas eius, vtpote quæ non modò plures sensus mysticos contineat, vt notum est; sed interdum quoque plures litterales, æquè proprios ac germanos, qui non nisi multis varijsque translationibus in nostra lingua explicari queant. ENOS CVR SIC VOCATVS. LOCVS GENESIS EXPLICATVR.

3. Igitur, vt prædicta clariùs explicemus, cùm Enos ad virilem peruenisset ætatem, contigit, vt filij hominum, hoc est, qui erant de stirpe Caini, & aliorum filiorum Adæ (excepta dumtaxat familia Seth, quæ nomine filiorum Dei, vt sub anno mundi 131. num. 8. dictum est, appellari iam consueuerat) per diuersos paulatim traducti errores, & de malis in mala quotidie prolabentes, tandem, vt fit, ad idololatriam, quæ vt probat sanctus Thom. 2. 2. quæst. 94. art. 3. omnium peccatorum dici potest maximum, declinare cœperint, attribuentes nomen Dei quibusdam creaturis, præsertim sublimioribus, puta soli, lunæ, & stellis; easque diuino cultu colentes, atque inuocantes, vt super Genes. cap. 4. Hebræorum secutus sententiam, exponit Lyranus: cuius expositio, licet ibidem in Additionibus Pauli Burgensis impugnetur; ritè tamen, meo iudicio, in Matthiæ Thoringi Replicis defenditur. Etenim, quamuis communiter credatur, idololatriam à Nino sumpsisse initium, (de qua re sub anno mundi 1997. num. 2. agemus) attamen, quod nunc ad rem pertinet, dicimus esse admodum credibile, eam etiamante Diluuium incepisse: quoniam iam ex tunc, testante Sacro eloquio Genes. cap. 6. vers. 5. *multa malitia hominum* erat *in terra, & cuncta cogitatio cordis, intenta* erat *ad malum omni tempore*. & vers. 11. subditur, quòd *corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate: omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*. Ex quibus verbis adeò grauibus, totiesque cum tanta emphasi repetitis, satis apertè insinuatur, nullum flagitij genus tunc temporis in mundo defuisse, ac propterea vniuersali Diluuio debuisse puniri & expurgari. Hoc idem planè indicant verba illa, quæ in eodem cap. vers. 6. habentur: *Pœnituit* Deum *quòd hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem*, &c. quæ exponens sanctus Ambrosius in lib. de Noë & Arca, cap. 4. ait: *Neque enim Deus cogitat sicut homines, vt aliqua ei noua succedat sententia, neque irascitur quasi mutabilis; sed ideo hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum acerbitas, quæ diuinam meruerit offensam; tamquam eousque increuerit culpa; vt etiam Deus, qui naturaliter non mouetur aut ira, aut odio, aut passione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam*. hucusque sanctus Ambrosius. Cùm igitur ex ore omnium ferè Prophetarum constet, idolo- DE IDOLOLATRIAE INITIO.

latriam inter omnia præuaricationum genera maximè Deum ad iracundiam (vt humano more loquar) prouocare consueuisse; quoniam, quemadmodum dicitur Sapientiæ cap. 14. vers. 12. *Initium fornicationis* (intellige à Deo) *est exquisitio idolorum; & adinuentio illorum, corruptio vitæ est.* proculdubiò sequitur, rationabile admodum esse, credere, quòd inter maximas quas Scriptura memorat iniquitates, ab hominibus ante Diluuium adinuentas & perpetratas, idololatria in primis numeranda sit, ad quam cetera peccata homines disponere ac præparare solent; ac per ipsam denique terram fuisse corruptam. Nec obstat quòd sanctus Thomas 2. 2. quæst. 94. artic. 4: ad 2. putet, in prima mundi ætate non fuisse idololatriam, propter recentem creationis mundi memoriam: quia, vt benè super Genes. cap. 4. replicat contra Burgensem Thoringus, ratio B. Thomæ ad id non cogit: nam si recèns creati orbis memoria exclusit idololatriam per mille sexcentos & ampliùs annos: vtique etiam memoria seuerissimæ illius punitionis, quæ facta est per Diluuium, debuisset eam excludere adhuc per plures annos: atqui certum est, quòd citò post Diluuium, quemadmodum ad alia priora peccata redierunt, ita etiam desciuerunt ad idola homines. Quòd si quis opponat, Scripturam sacram in tota prima mundi ætate nullam omninò idololatriæ mentionem explicitam facere: responderi potest, non omnia, sed admodum pauca eorum quæ in toto illo tempore acta sunt, Dei monitu à Moyse fuisse conscripta; & in paucis his, ipsam quoque idololatriam implicitè insinuatam, ex supradictis satis posse constare. Quod

S. CYRILLI LOCVS EXPONITVR.

ergo S. Cyrillus lib. 1. contra Iulianum dixit, nullum ex his hominibus qui ante Diluuium vixerunt, taxari, quòd diis alienis fuerit deditus, vel immundis dæmonibus obtulerit; & si quid simile ab aliis Doctoribus traditum inuenitur: rectè, vt arbitror, ita accipi debere videtur, vt dicamus, neminem quidem explicitè & signanter reperiri, qui tunc de hoc vitio fuerit obiurgatus; verumtamen ipsum idololatriæ peccatum vniuersaliter & implicitè etiam tunc temporis, vt dictum est, cum grauissimis aliis iniquitatibus fuisse insinuatum & detestatum.

QVANDO ET QVOMODO COEPERIT AVGERI DEI CVLTVS.

4. Iisdem ergo temporibus filij Dei, id est viri boni ac timentes Deum, quales erant omnes de familia Seth, & in primis ipse Enos, videntes idololatriæ vitium in ceteris Adæ familiis iam pullulare cœpisse; nec se aliter posse tanto malo resistere: cœperunt non quidem tunc solùm Deum colere; siquidem constat priùs Cain & Abel sacrificia Deo obtulisse; & credendum est, etiam ante Enos non modò Seth patrem suum,

ADAM PRIMVS DEO SACRIFICIA OBTVLIT.

quem diximus ob eximias eius virtutes Deum fuisse appellatum, sed alios quoque; & primum omnium ipsum Adamum sacrificia, oblationesque, & precationes Deo fecisse, posterosque suos eadem facere docuisse: sed cœperunt, ipso præsertim Enos auctore & primario hortatore, sese mutuò excitare ad veri Dei cultum propensiùs ac perfectiùs exercendum. Quare præter frequentiora sacrificia ac munera, quæ eidem offerre summo studio satagebant, non contenti maiorum dumtaxat more Deum colere, excogitarunt insuper alios modos, ritus, & cærimonias; ad deuotionem magis ac magis in se aliisque excitandam ac promouendam. Qui autem fuerint ij modi, incompertum habemus, possumus tamen satis verisimiliter coniectari, tunc primùm (sicuti posteà circa initia reparati orbis, in primitiua scilicet Ecclesia, multò perfectiùs actum est) institutos fuisse spirituales quosdam conuentus, & quasdam deuotas precationes, puta, psalmos, aut hymnos, in summi Dei laudem certis temporibus & locis piè cultis communiter recitandos, præcipuè verò diebus Sabbatis; in quibus etiam probabile est, quòd ab operibus seruilibus ex tūc abstinere cœperint ad honorem Dei, quem pariter nouerant die septimo cessasse ab omni opere quod patrarat, & illum quidem præ ceteris diem, tamquam à Deo sanctificatum, diuino cultui dedicarint, ac in spiritualibus actionibus insumendum decreuerint, sicque veluti primam quamdam sanctæ Ecclesiæ visibilem formam instituere ac repræsentare aggressi sint; in qua per hæc aliaque sancta exercitia, ad viam veritatis ac salutis reuocare ab eadem aberrantes curarent; & quos verbis non poterant, bonis saltem exemplis lucrifacere contenderent. Et quoniam hoc eodem tempore vetus Dei cultus, ob plurimos ad idololatriam declinantes, maximam fecerat iacturam; apud quosdam verò pietatem sectantes, ipso Enos primo auctore, valdè admodum auctus fuerat: idcircò putamus, Scripturam sacram omnia hæc breuiter significare voluisse, præmissis verbis triplicem interpretationem recipientibus; nimirum: *Iste* (subaudi Enos) *cœpit inuocare nomen Domini, & tunc*, hoc est, quando Enos factus est vir, *initium fuit inuocandi nomen Domini*. & aliter: *Tunc in diebus* (supple iuuentutis, aut pueritiæ) *eius* (nempe ipsius Enos) *inceperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini.*

AB ORBE CONDITO ANNVS 326.

1. ANNO vitæ suæ nonagesimo exacto, Enos genuit Cainan, Genes. cap. 5. versic. 9. ita vt annus primus Cainan idem fuerit nonagesimus primus ipsius Enos, vt expressum est in tabulis. At verò post natiuitatem dicti Cainan vixit Enos octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias: ibidem. Nihil verò aliud de isto Cainan habemus in Sacris libris, neque apud alios Scriptores, nisi tempus natiuitatis eius, & generationis filij sui Malaleel, quod paulò pòst indicabimus; & numerum annorum vitæ, ac denique annum mortis ipsius. Vnde credi potest, ipsum nihil admodum notatu dignum gessisse. Et fortè per eadem tempora Irad filius Henoch filij Caini genuit Mauiaël, vt dicitur Genes. cap. 4. vers. 18.

CAINAN QVANDO NATVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 396.

1. ANNO ætatis suæ septuagesimo expleto, Cainan genuit Malaleel, Genes. cap. 5. vers. 12. Quare annus primus vitæ Malaleel, fuit septuagesimus primus patris sui Cainan, vt videre est in tabulis: & post natum Malaleel vixit Cainan octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias, vt ibidem subditur. Sed neque de ipso Malaleel aliud inuenimus scriptum, præter tempora hîc notata, nimirum ortus ipsius, & generationis filij sui Iared, ac postremò obitus eius. & propterea non inconuenit, idem sentire de ipso, quemadmodum dictum est de patre eius Cainan. Et probabile item est, quòd iisdem circiter temporibus Mauiaël Caini pronepos genuerit Mathusaël, vt habemus Genes. cap. 4. vers. 18.

MALALEEL QVANDO NATVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 461.

1. ANNO vitæ sexagesimo quinto circiter exacto, Malaleel genuit Iared, Gen. c. 5. vers. 15. Quo fit, vt primus annus Iared fuerit sexagesimus sextus vitæ patris sui Malaleel, vt perspicuum est in tabulis: & post genitum Iared superuixit Malaleel annis octingentis triginta, & genuit filios & filias, vt videre est loco citato. De isto pariter Iared, idem iudicium eamdemque sententiam ferre possumus, quam de patre & auo eius tulimus: & credere, Scripturam sacram de ipsis alioqui mentionem non fecisse, nisi per ipsos necessariò texenda fuisset series generationis Noë & Abrahæ; vt sub anno mundi 131. num. 3. dictum est. Credibile quoque videtur, per hæc ferè tempora à Mathusaële Caini abnepote genitum esse Lamech, vt legimus Genesis capite 4. vers. 18. de quo ibidem subditur, quòd posteà iste Lamech duas duxit vxores; genuitque ex Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum; vnde inferri posse videtur, quòd prius pastores vel sub dio, vel in antris habitarent; & Iubal, qui fuit pater canentium cithara & organo. ex altera verò, cui nomen erat Sella, genuit Tubalcain, & sororem eius Noëma: fuit verò Tubalcain malleator, & faber in cuncta opera æris & ferri.

IAREDIS NATIVITAS.

POLYGAMIAE, MVSICAE, ARARIAE, ET FERRARIAE ORIGO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 623.

1. ANNO ætatis suæ centesimo sexagesimo secundo circiter expleto, Iared genuit Henoch, Genes. cap. 5. vers. 18. Itaque primus annus Henoch fuit centesimus sexagesimus tertius vitæ patris sui Iared. A nato autem Henoch vixit Iared octingentis annis, genuitque filios & filias, vt ibidem legimus. Et quidem hunc Henoch posteà fuisse Prophetam, ac scripsisse nonnulla diuina, negare non possumus, vt ait sanctus Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 23. idque ibidem, & lib. 18. cap. 38. colligit ex Epistola Catholica Iudæ Apostoli, vers. 14. vbi non solùm testatur Apostolus, istum Henoch prophetasse de Extremo Dei iudicio; sed etiam signanter citat verba Prophetiæ eius, inquiens: *Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios,* & quæ sequuntur. ex quibus verbis videtur posse inferri, Prophetiam illam non per traditionem, sed etiam per scripturam peruenisse ad tempora Apostolorum. Putant verò aliqui, Apostolorum temporibus exstitisse librum ipsius Henoch integrum atque incorruptum, ex ipsoque Iudam, allegatam ad verbum desumpsisse sententiam: existimant enim, Apostolum non aliunde, quàm ex proprio & canonico libro sumere debuisse testimonium de re tam graui, qualis est Extremum iudicium. verùm hoc non ita esse, inde coniici posse videtur, quòd si dictus liber tunc extitisset, proculdubiò propter Auctoris sanctitatem & antiquitatem in maximo fuisset honore apud Hebræos,

HENOCH QVANDO NATVS.

QVOD FVERIT PROPHETA.

ac de ipso aliquam saltem mentionem fecissent Philo & Iosephus, Iudaicarum antiquitatum studiosissimi. Quare probabilius fit, ipsum Iudam desumpsisse prædicta verba non ex proprio ipsius Henoch libro, sed ex aliquo alio, probato tamen, in quo ea citata inuenerit, qui liber posteà temporum iniuria sit deperditus.

LIBER HENOCH APOCRYPHUS. 2. Ceterùm ille liber Henoch, qui temporibus S. Hieronymi, S. Augustini, Origenis, Tertulliani, Bedæ, & aliorum, erat satis vulgatus, & ab ipsis citatus, creditur fuisse apocryphus, & ab aliquo confictus, ac sub nomine Henoch editus; quia tametsi aliqua vera, multa tamen falsis ac fabulosis admista continebat, vt testatur idem S. Augustinus lib. de Ciuit. 15. cap. 23. Vtrùm autem talis impostura contigerit ante, an post tempora Apostolorum, incertum est: probabiliùs tamen credi potest, post defunctos Apostolos ab hæreticis emanatam. Vide plura de hoc libro Henoch, ex Origene & aliis apud Sixtum Senensem lib. 2. suæ Bibliothecæ sanctæ, in verbo Henoch; & apud Pererium lib. 7. in Genes. Ceterùm quòd iste Henoch & Elias adhuc viuant ab omni humana consuetudine segregati, supponunt tamquam certissimum sanctus Augustinus lib. 9. in Genes. cap. 6. & sanctus Gregorius lib. 14. Moral. cap. 11. & alij plures. Quòd verò etiam ambo venturi sint ante finem mundi, vt prædicent fidem Christi contra Antichristum, & quòd ab ipso sint occidendi, apertè asserunt sanctus Gregorius Homil. 12. in Ezechielem, & sanctus Ambrosius, cum ceteris ferè omnibus, qui exponunt ea quæ habentur Apocalypsis cap. 11. & sequentibus, de duobus illis testibus innominatis, qui ibidem memorantur. Qua de re nos infrà sub anno mundi 3139. num. 3. latissimè differemus.

HENOCH ET ELIAS ADHVC VIVVNT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 688.

1. MATHVSALA QVANDO NATVS. ANNO sexagesimo quinto vitæ suæ, Henoch genuit Mathusala, Genesis cap. 5. vers. 21. igitur annus eius vitæ primus concurrit cum sexagesimo sexto patris sui Henoch, vt notandum est in tabulis. Et superuixit Henoch in communi hominum consuetudine, postquam genuit Mathusala, annis trecentis, & genuit filios & filias, ibidem. Aduertendum verò hîc est, quòd quia non ante natum Mathusala, sed post, dicitur Henoch ambulasse cum Deo, colligit Procopius Gazeus scriptor Græcus, indicari, ipsum Henoch priùs fuisse improbum; posteà verò non solùm pœnituisse, vitamq; emendasse; sed etiam deinceps ad tantam vitæ perfectionem deuenisse, vt & placere Deo, & viuus ab hac communi vita transferri meruerit. Verùm cùm videamus Scripturam sacram nusquam reprehendisse Henoch, quin potiùs semper de ipso honorificè loqui, indignum videtur, quidquam mali de tanto viro suspicari; præsertim cùm multò meliùs ex cap. Genes. citato, in quo bis dicitur Henoch ambulasse cum Deo, existimet Caietanus insinuari, ipsum Henoch & à pueritia & per totam vitam fuisse sanctum ac Deo carum. Est enim ambulare cum Deo idem, ac si diceretur, ambulare in viis Dei, & facere quæ grata sunt ei. Vnde ad Abraham dixit Dominus, Genes. cap. 17. vers. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus.* hoc est, cura, mihi vt placeas semper, & facias quæ bona sunt in oculis meis.

HENOCH AN SEMPER FVERIT BONVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 875.

1. LAMECH QVANDO NATVS. ANNO centesimo octogesimo, septimo vitæ suę circiter expleto, Mathusala genuit Lamech, Genes. cap. 5. vers. 25. & propterea annus primus ipsius Lamech fuit centesimus octogesimus octauus patris sui Mathusala, vt apparet in tabulis. Qui post genitum Lamechum vixit septingentis octoginta duobus annis, genuitque filios ac filias, vt patet ibidem. Porrò iste Lamech valdè differt ab eo, de quo fit mentio Genesis cap. 4. ille enim erat de stirpe Cain, iste de progenie Seth; ille fuit valdè luxuriosus, siquidem non vna contentus vxore, primus duas accepisse traditur; & præterea etiam homicida, vt paulò pôst dicetur: de isto verò Lamech nihil mali legimus.

DE CAINI INTERITV. 2. Inter natiuitatem huius Lamech & obitum Adami, probabile est, accidisse impij Caini interitum; qui vt perditè semper vixerat, ita demum miserrimè infeliciterque vitam finiuit, casu scilicet ab vno ex posteris suis sagitta transfixus; si tamen vera est, vt credimus, antiqua illa Hebræorum traditio, à multis super cap. Genes. 4. relata, quam etiam probare videtur B. Hieronymus in Epist. 125. ad Damasum quæst. 1. & post ipsum eamdem quoque Rupertus, Rabanus, Strabus, Lyranus, Caietanus, Abulensis, Pererius, aliique grauissimi Auctores receperunt. Quòd scilicet Lamech, qui fuit ipsius Caini atnepos, & venationi admodum deditus, cùm præ accidentali quadam oculorum debilitate aliquatenus cæcutire cœpisset, & nihilominùs quadam die puero ducto-

re, vt

re, vt solebat, ad venandum exisset; non pro carnibus, quibus tunc homines non vescebantur; sed vel recreationis causa, vel pro quadrupedum pellibus, ad indumenta tabernaculaque conficienda; forte accidit vt Cain inter fruteta latitaret, quippe qui accusante intus conscientia semper esset pauidus, ac sæpenumerò timeret, etiam vbi nulla esset causa timendi, iuxta illud Prouerb. cap. 28. vers. 1. *Fugit impius, nemine persequente.* & illud Ciceronis pro Milone: *Magna vis est conscientiæ in vtramque partem, vt neque timeant qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint.* Cùm itaque adolescens qui comitabatur Lamechum, de longè aspiciens, ex quadam vmbra motuque ramorum suspicatus esset ibi adesse feram; illicò admonuit Lamechum, vt illuc iaculum dirigeret; quod cùm ille fecisset, ac posteà deprehendisset, se præter intentionem occidisse Cainum, cuius occisionem Dominus sub graui pœna prohibuerat; continuò ira percitus, vsque adeò exarsit in comitem, quòd se ad tantum scelus impulisset, vt illum arcu aut baculo diu grauiterque percutiens, tandem sine vlla sanguinis effusione interimeret: mox tanti facinoris consideratione perterritus, quasi desperans dixit vxoribus suis, vt legimus Genesis cap. 4. vers. 23. *Quoniam occidi virum in vulnus meum*, id est Cainum, sagitta mea in corde eius infixa: *& adolescentulum in liuorem meum*, hoc est comitem, liuore mortali percussionibus ac contusionibus in corpore eius inducto: *septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò septuagies septies.* Non quòd reuerà ipse grauiùs deliquisset quàm Cain, immò multò leuius; nam cain ex mera inuidia ac malignitate, sciens ac volens, proprium interfecerat fratrem, virum iustum ac sanctum, Lamech verò non dedita opera, sed casu occiderat Cainum, virum pessimum, & sibi multò minùs propinquum; & pariter præ facti displicentia, & repentina iracundia, interemit eum qui prioris causa fuerat homicidij: sed quia non poterant ab eius corde excidere illa Domini verba: *Omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur*, Genesis cap. 4. versic. 15. & præ magna animi perturbatione, non valebat recta ratione casum considerare atque expendere; nimio timore correptus, & vt propriæ vitæ consuleret, protinus in verba paulò antè relata prorupit. ac si dicere voluisset: Audite vxores meæ, & cunctis ad vos pro rei nouitate concurrentibus dicite ac diuulgate, quòd tametsi notum sit, grauiter punitum iri interfectorem Caini; longè tamen grauiùs punietur quicumque Lamechum occidere attentauerit. Scio non defuisse ex antiquis Scriptoribus, & etiam ex recentioribus, maximè Paulum Burgensem, contra quem bene replicat Thoringus; qui reiicientes memoratam Hebræorum traditionem, locum Genes. proximè adductum aliter interpretandum putent. Sed profectò ad ipsum, alioqui valdè obscurum, probè dilucidandum atque explanandum, memorata traditio videtur admodum accommodata & propria, vt ex ceterarum expositionum collatione quiuis diiudicare facilè poterit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 930.

1. ANNO vitæ suæ nongentesimo trigesimo circiter expleto, Adam mortuus est, Genes. cap. 5. vers. 5. quod signanter Scriptura sacra non solùm de ipso Adamo, sed etiam de omnibus aliis, quos recenset primæ mundi ætatis hominibus, vno dumtaxat excepto Henoch, qui viuus translatus fuit, & adhuc viuere creditur, exprimere voluit, illa clausula toties citato capite repetita, vt nemo dubitare posset, re ipsa comprobatam esse illam Dei sententiam, quæ contra hominem lata fuerat Gen. cap. 3. v. 19. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* & cap. 2. v. 17. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris:* & consequenter cunctis manifestum fieret, mendacissimum ac fraudulentum fuisse dæmonem, qui cap. 3. v. 4. dixerat: *Nequaquam morte moriemini.* ADAM QVANDO MORTVVS.

ADAM QVOT ANNIS CVM ALIIS SVI TEMPORIS VIXERIT.

Vixit igitur Adam cum	Seth	annis	octingentis.
	Enos		sexcentis nonaginta quinque.
	Cainan		sexcentis quinque.
	Malaleel		quingentis triginta quinque.
	Iared		quadringentis septuaginta.
	Henoch		trecentis octo.
	Mathusala		ducentis quadraginta tribus.
	Lamech		quinquaginta sex.

2. Notandum verò hìc est, quòd non solum in summa annorum vitæ Adami, sed in ceteris quoque summis reliquorum Patriarcharum primi mundi ætatis, non discrepat textus LXX. Interpretum à textu editionis Latinæ Vulgaræ, nisi in annis Lamech, quem Vulgata ponit vixisse annis septingentis septuaginta septem; LXX. verò Interpre- ANNORVM CONVENIENTIAE, ET DISCREPANTIAE.

tes eidem attribuunt annos tantummodò septingentos quinquaginta tres. Ratio autem cur in reliquis non differant, est: quia quantum LXX. Interpretes addete vnicuique solent antequam genuerit filium, tantum detrahunt post ipsum genitum; vt videre est in singulis, præterquam in Mathusala, vbi contrà, quantum detrahunt de annis eius ante generatum Lamechum, tantumdem addunt post ipsius generationem, vt quisque ex vtriusque Textus collatione liquidò cognoscere poterit, & in tabella sub anno mundi 131. num. 4. posita, perspicue intueri.

DE DIE OBITVS ADAMI.

3. De die verò obitus Adami nihil aliud dicere possumus, nisi quod S. Irenæus lib. 5. cap. 23. aduersus hæreses asserit, ipsum obiisse Feria hebdomadæ sexta; tali enim die de fructu vetito comederat. quod inde elicit, quia Genes. cap. 2. vers. 17. legimus: *In quacumque die comederis ex ea, morte morieris.* quæ verba licet fortè meliùs in alio sensu exponi possint, vt sub anno mundi primo num. 18. dictum est; & propterea non videatur necessaria talis illatio: nihilominùs, quia etiam hunc sensum commodè recipere posse videntur, nec alibi de opposita sententia constat; possumus, si placet, sequi opinionem ipsius Irenæi, cuius verba sunt hæc: *Si quis velit diligenter discere, qua die ex septem diebus mortuus est Adam, inueniet ex Domini dispositione: recapitulans enim vniuersum hominem in se, ab initio vsque ad finem, recapitulatus est & mortem eius. Manifestum est itaque, quoniam in illa die mortem sustinuit Dominus obediens Patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo. in qua autem mortuus est, in ipsa & manducauit: dixit enim Deus: In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini. Hunc itaque diem recapitulans in semetipsum Dominus, venit ad passionem pridie ante Sabbatum, quæ est sexta conditionis dies, in qua homo plasmatus est; secundum plasmationem eam quæ est à morte, per suam passionem donans.* sic Irenæus.

ADAM VBI MORTVVS AC TVMVLATVS SIT.

4. De loco autem sepulturæ ipsius Adami, si quæratur, vbinam primò à filiis ac nepotibus suis ante Diluuium tumulatus fuerit: dicimus id sciri nequaquam posse: quoniam de hoc, aut vbi habitauerit, præsertim sub finem vitæ suæ, aut in quo loco defunctus sit, Scriptura sacra non meminit. & constat, non solùm omnia cadauerum ossa dissipata, sed etiam sepulchra ipsorum, cum reliquis quæ tunc exstabant ædificiis, à Diluuij inundationibus vastata ac dispersa omnino fuisse, ita vt nullum eorum posteà vestigium remanserit. Vetumenimuerò (vt refert Andreas Masius ferè in calce Commentariorum suorum in Iosue) Iacobus Orrhohaita, siue Edessenus, inter Syrorum Scriptores valdè nobilis, & magni Ephraimi olim doctor, memoriæ prodidit, Noë, ossa primi parentis Adami religiose in Arcam ad se recepisse, & post siccatum à Diluuio orbem terrarum, illa inter suos tres liberos cum orbe ipso distribuisse; Semoque, quem anteferebat ceteris, caluariam donasse, & cum ea regionem illam, quam modò Iudæam appellamus. Et hæc quidem à priscis Syris, tamquam per manus tradita posteris fuisse, idem Masius credibile admodum putat. Hanc Syrorum traditionem comprobare videtur S. Epiphanius, qui in suo Ancoratu, versus finem, apertè scribit, quòd Noë, velut mundi heres à Deo constitutus, diuisit tribus filiis suis vniuersum mundum sub sortem missum, & vnamquamque partem, iuxta sortem, singulis distribuit. Et paulò pòst dicit, quòd Palæstina, & tota ipsius vicinia, sub sortem Sem cecidit. Quæ omnia cum supradictis maximè conueniunt. Quòd si cuiquam fortassis prima fronte videantur hæc aliquo modo reluctari Scripturæ sacræ, quæ Genes. cap. 11. videtur terrarum diuisionem adscribere non ipsi Noë, sed Deo, qui mirabiliter per linguarum confusionem coëgit homines ab inuicem discedere, & nouas sibi sedes procurare: & item Genesis cap. 10. vers. 15. videtur innuere, terram illam, quæ postmodum Iudæa dicta est, non filiis Sem, sed filiis Chanaan filij Cham obtigisse, ab ipsisque Chananæam fuisse appellatam. Ad hæc sub anno mundi 1909. num. 3. respondebimus, ostendemusq; nullatenus prædictis contradicere. Itaque si memorata Syrorum traditio vera est in ea parte, quæ magis videtur posse dubitationem pati; nempe quòd Noë diuiserit filiis suis orbem terrarum, dederitque Semo Iudæam: multò magis videtur recipienda in eo quod asserit, eumdem Noë tulisse secum ossa Adami in Arcam, ac post Diluuium ea diuisisse filiis suis, dedisseq; Semo nobiliorem ipsorum partem, eam scilicet in qua erat caluaria eius: tum quia omnes quotquot de Adami sepulchro scripsere, concedunt, ipsum in Iudæa esse tumulatum; licet inter se nonnihil de loco particulari discordent, vt paulò pòst, scilicet num. 7. videbimus: tum quia multò probabilius est, ossa Adami sepulta esse in Iudæa post Diluuium, quàm anteà; quoniam credibile est, ob ingentes ipsius Diluuij inundationes vsqueadeò immutatam fuisse faciem terræ, vt ipse Noë aut filij eius locum sepulturæ Adami post Diluuium recognoscere aut admuenire naturaliter potuisse

DE SYRORVM TRADITIONE.

tuiſſe non videantur, nec conſequenter poſteris indicare, quòd magis in Iudæa quàm alibi ſepultus fuerit. Sed de hoc ſatis.

5. Illud verò non videtur hîc ſilentio inuoluendum, quòd ſiue Noë ſimplici quodam pietatis affectu tulerit ſecum oſſa Adami, ſiue (quod magis reor) quia iam nouiſſet, Adamum teſtamento reliquiſſe poſteris ſuis præceptum, de præſeruandis transferendiſque Diluuij tempore oſſibus ſuis in Arcam, ſicuti poſteà Ioſeph Geneſ. cap. vlt. verſ. 24. morti proximus adiurauit fratres ſuos, vt in exitu Iſraëlis de Ægypto, transferrent etiam oſſa ſua in terram Chanaan; quod poſtmodum præſtitit Moyſes Exod. cap. 13. verſ. 19. profectò apparet, vel vſque ab initio mundi primos illos patres valdè ſolicitos extitiſſe de propriis parentumque ſuorum cadaueribus honeſto loco condendis atque aſſeruandis. Sed ad quid, obſecro, hæc ſolicitudo? non enim credendũ eſt, ſanctos viros vanitatis ſtudio tantopere id curaſſe, ſicuti poſteà Ethnici & Idololatræ; qui nihil ſpirituale cogitantes, ſuperbiſſima ſibi aut maioribus ſuis ſepulchra magnificentiſſimis impenſis, in Ægypto præſertim & apud Romanos, extruxerunt; vt vel ſic memoriam ipſorum perpetuam facerent: non, inquam, ea fuit ſanctorum hominum mens, in commendanda poſteris oſſium ſuorum cura; aut ſibi maioribúſve ſuis ſepulchra præparanda: ſed hæc faciebant, ad proteſtandum futuræ corporum reſurrectionis fidem, quam Redemptoris ſanguine promerendam, certiſſimè (vt poſteà diſertis expreſſit verbis S. Iob cap. 19. verſ. 23. & ſequentibus) expectabant, ſperabantque, iuſtis quidem ad gloriam, impiis autem ad ſupplicium ſempiternum, quemadmodum poſtremò docuit Dominus Ioan. cap. 5. verſ. 29. dicens: *Et procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij*. Et proptereà ſancti homines non tantùm ſepeliri, ſed inter bonos præſertim ſepeliri affectabant; tamquam etiam poſt mortem reſpuentes conſortia malorum. Hinc eſt quòd Abraham, poſteaquam cœpit habitare in terra Chanaan, nihil diligentiùs procuraſſe videtur, quàm vt proprium ſibi ſuiſque deſcendentibus ſepulturæ locum pretio compararet. Et deinde Iacob, cùm eſſet in Ægypto morti appropinquans, præcepit filiis ſuis, ne corpus ſuum ibi cum Idololatris, ſed in terra generi ſuo repromiſſa, cum patribus ſuis ſepelirent, in ipſomet nimirum ſepulchro, in quo Abraham, Sara, Iſaac, Rebecca, & Lia, conditi erant, Geneſ. cap. 49. verſ. 29. & Ioſeph item, vt diximus, curauit inde aſportari oſſa ſua, ac in terra patrum ſuorum ſepeliri. De multis quoque ſanctis viris, vt de ſancto Sebaſtiano, Gamaliele, aliiſque non paucis legimus, eos poſt mortem in ſomnis apparuiſſe amicis ſuis, admonuiſſeque illos vt honeſtiùs ſua corpora ſepelirent. Quorſum hæc? niſi vt hoc ſigno doctrinam de fide reſurrectionis à patribus propemodum ab initio ſæculi acceptam, & per ætates tamquam per manus traditam, certam indubitatamque profiterentur, retinendamque curarent, aut fortè temporum iniuria atque hominum malitia obſcuratam labefactatamque reſtituerent? necnon, vt Sanctorum oſſa, etiam ante diem vniuerſalis reſurrectionis, debitum honorem venerationemque promereri declararent, quòd in hac vita animabus iuncta, ſeruire iuſtitiæ ſedulò non recuſauerint, templaque Spiritus ſancti eſſe meruerint; & proptereà aliquando immortalitatis gloria meritò ac iure ſint induenda?

CVR PRISCI PATRES SOLLICITI STVDERINT DE SVORVM CADAVERVM SEPVLTVRA.

6. Ex his perſpicuum fit quàm impiè agant, qui non modò ſanctos iuſtoſque viros, dum adhuc viuunt, perſequi, plagiſque eorum corpora dilacerare; ſed inſuper eorum oſſa poſt obitum diſperdere, atque non ſolùm honore debito priuare, verùm etiam contumeliis afficere non verentur. Et item quantum à recto tramite aberrent, qui perditè viuentes, ac de glorioſa reſurrectione deſperantes, pariter de honeſta propriis cadaueribus ſepultura tradenda nihil prorſus curare videntur: quemadmodum etiam quidam Philoſophi, nihil minùs quàm veram Philoſophiam callentes. Talis fertur fuiſſe Diogenes Cynicus, de quo refert Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſtionum, quòd cùm morti appropinquaret, *proiici ſe iuſſit inhumatum. tum amici, Volucribúſne, & feris? Minimè verò, inquit, ſed bacillum propè me, quo abigam, ponitote. Quî poteris? illi: non enim ſenties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil ſentienti?* ſic ille. Arguta ſanè, ſed non minus inhumana reſponſio. Quamquam Diogenes Laërtius, in calce vitæ eiuſdem Cynici, idem aliquanto duriùs atque inhumaniùs de eodem Cynico tradat, inquiens: *Aiunt quidam illum, dum moreretur, mandaſſe inſepultum proiici cadauer, vt omnes beſtiæ participes illius eſſent*. Verùm quis non videt, impiiſſimum eſſe huiuſcemodi neglectum ſepulturæ? cuius tanta ſemper fuit in ſacris Scripturis, & apud omnes viros probos exiſtimatio, vt inter opera pietatis & miſericordię non immeritò connumeretur, ſepelire mortuos. & hac de cauſa tantopere commendatus fuerit, & in hac

CONTRA SANCTORVM OSSA DISPERDENTES, ET NIHIL DE HONESTA SEPVLTVRA CVRANTES.

etiam

etiam vita remuneratus Tobias senior, vt ex libro eius apparet. Contrà verò, in opprobrium pœnamque facinorum suorum multis reputata sit carentia sepulturæ: vnde & de impia Iezabel prædictum fuit 3. Reg. cap. 21. vers. 23. quòd cadauer eius insepultum, à canibus comedendum foret, & de Ioakim, quòd propter peccata sua, sepultura asini sepeliri deberet, Ierem. cap. 22. vers. 19. Et de impio Iasone legimus 2. Machab. cap. 5. vers. 10. *Qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus & insepultus abiicitur; sepultura neque peregrina vsus, neque patrio sepulchro participans.* & cap. 13. vers. 7. similia de sacrilego Menelao referuntur. Vnde non mirum est, si in sacris Canonibus prohibitum sit, excommunicatos, certosque alios facinorosos in loco sacro sepeliri. Quid plura? cùm Sapiens inter maxima, quæ alicui in hoc mundo aduersa possint accidere, carentiam sepulturæ posuerit, Ecclesiastæ cap. 6. vers. 3. dicens: *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaq́; careat: de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortiuus.* Sed hoc obiter hic dicta sufficiant.

VBI NAM IN IVDAEA SEPVLTVS SIT ADAM. 7. Redeamus ad Adamum, de cuius sepulturæ loco in Iudæa existente, duæ circumferuntur opiniones. Altera est, ipsum in monte Caluariæ fuisse humatum, vbi posteà crucifixus est Dominus. & in eodem loco aiunt Abrahamum iussum esse immolare filium suum Isaac; atque inde existimant montem illum sortitũ fuisse cognomentum Caluariæ, quòd in eo caluaria primi hominis, & aliorum eius ossium pars, tumulata fuerit. Inde etiam emanasse putant consuetudinem illam, quæ passim iam inoleuit, pingendi seu fingendi ad calcem crucis Christi, cranium defuncti hominis, cum aliquot ossibus; ad designandum, quòd quemadmodum olim ossa Elisæi per simplicem contactum suscitauerunt cuiusdam defuncti cadauer, casu in sepulchro eius proiectum, 4. Reg. cap. 13. vers. 21. ita sanguis Christi super ossa Adami stillans, vitam mirabiliter ei ac generi suo contulit sempiternam. Auctores primæ huius opinionis fuere in primis Origenes in Tractatu 35. in Matthæum, quem posteà secuti sunt omnes ferè antiqui Patres, nempe sanctus Athanasius in lib. de Passione Domini, siue in Sermone de Cruce & Passione, sanctus Basilius in Isaiæ cap. 5. B. Chrysostomus Homil. 84. in Ioan. sanctus Cyprianus in Sermone de Resurrectione Christi, sanctus Epiphanius Hæres. 46. contra Tatianos in fine, B. Ambrosius lib. 5. Epistolarum, Epistola 19. & in caput Lucæ 23. sanctus Hieronymus in Epistola Paulæ & Eustochij, ad Marcellam, quæ est 17. sanctus Augustinus in Sermone 71. De tempore, qui est de Immolatione Isaac, Euthymius in Matthæi cap. 27. & Theophylactus in singulis quatuor Euangelistis, videlicet super Matthæi cap. 27. Marc. 15. Luc. 23. & Ioan. 19. Quos sequuntur ex recentioribus plures alij probati Auctores: quoniam licet hæc opinio nullum habeat ex Sacro eloquio fundamentum, nititur tamen antiqua traditione, & multas easque præclaras habet conuenientias, vt videre est apud præcitatos Patres, præcipuè verò apud sanctum Augustinum. Quòd si vera esset alia Hebræorum traditio, de qua inferiùs sub anno mundi 2118. num. 8. & 9. disputabimus, nimirum quòd Melchisedech, qui temporibus Abrahæ regnabat in Salem, hoc est, vt communior habet sententia, in Ierusalem, ipse esset Sem: proculdubiò longè probabilius esset, ipsum Sem voluisse ossa Adami condere potiùs penes locum, quem ipse ad habitandam delegerat, quàm alibi.

8. Altera sententia est B. Hieronymi, qui super Matthæi cap. 27. & super cap. 5. Epistolæ ad Ephes. asserit, Adamum non in monte Caluariæ conditum esse, sed in Hebron: quod probat ex Iosue cap. 14. in fine, vbi hæc habentur: *Nomen Hebron vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* videtur autem B. Hieronymus quodammodò irridere priorem sententiam, quasi aures populi demulcentem; & asserit, montem Caluariæ non à primi hominis caluaria esse denominatum, sed à multitudine craniorum seu caluariarum quæ ibi reperiebantur, (erat enim locus vbi vltimo supplicio damnati solebant interfici.) Quare videtur posse inferri, vel membratam Paulæ & Eustochij Epistolam ad Marcellam, quæ inter B. Hieronymi Epistolas ponitur, non esse ipsius Hieronymi; vel ipsum aliquando fuisse prioris opinionis: in ea namque Epistola, si eius est, videtur primam probare sententiam, quam locis citatis improbasse iam diximus. Hanc secundam opinionem secuti sunt etiam aliqui ex posterioribus, nempe Isidorus, Carthusianus, Lyranus, Abulensis super loco Iosue paulò antè adducto. Itaque cùm vtraque opinio probabilis sit, probatosque habeat defensores; poterit quiuis pro suo arbitratu deligere, quam ipse veriorem existimauerit. Nobis tamen prima potior visa est, quoniam citatus Iosue textus aliter ab aliis Ecclesiasticis

Doctoribus exponi solet, vt sub die mundi 6. num. 13. indicauimus. & nihil officit, quòd posterioribus temporibus mons ille, vt putat sanctus Hieronymus, ob damnatorum caluarias potiùs, quàm ob eam quæ Adami fuerat, Caluariæ nomen acceperit: & denique quia prima opinio, tum propter rationes adductas, tum proper tot tantorumque Patrum auctoritatem, qui eam secuti sunt & docuerunt, longè probabilior videtur, & securiùs recipienda.

9. De salute verò Adami, quamquam multi hæretici probare conati fuerint, ipsum, quòd mundi interitus causa extiterit, inter damnatos esse deputatum; & nonnulli etiam ex Catholicis de hoc dubitare visi sint: attamen sine vlla hæsitatione pronunciandum videtur, & absolutè tenendum, quòd sit saluus, vt ex subsequentibus apparebit. non enim obstat, quòd ad Rom. cap. 5. & 1. ad Cor. cap. 15. opponat Apostolus Adamum Christo; illum peccati, mortis, ac damnationis; hunc verò iustitiæ, vitæ, & salutis æternæ auctorem faciens: quia ibi Apostolus considerat Adamum, vt primum peccatorem, non vt pœnitentem. Atqui illum post lapsum pœnituisse, & tandem inuenisse gratiam in oculis Domini, ac salutem sempiternam esse consecutum, communiter sentit Ecclesia, vt testatur sanctus Augustinus Epistola 99. quæ est ad Euodium: idque confirmat auctoritate Scripturæ sacræ, nimirum Sapientiæ cap. 10. vers. 1. vbi sic legimus: *Hæc* (& loquitur ibi de Sapientia) *illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit; & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia*, id est, imperandi omnibus. Idem sentiunt probantque multis rationibus veteres Patres, vt videre est penes Irenæum lib. 3. à cap. 34. vsque ad 40. & apud Epiphanium hæres. 46. & Alphonsum de Castro lib. 2. Aduersus hæreses in verbo Adam, & in confutatione primi erroris. Quòd si verum est, vt sub anno mundi 1. num. 11. diximus, ex his verbis, quæ dixit Deus serpenti Genes. cap. 3. vers. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius; ipsa conteret caput tuum*, innotuisse Adamo mysterium redemptionis mundi, ipsumque credidisse in Christum venturum, sperasseque se posterosque suos, virtute passionis illius, à cunctis reatibus & pœnis liberatum iri; profectò credendum est, ipsum quoque ab eo, qui saluos facit sperantes in se, perfectam aliquando salutem fuisse consecutum; præsertim cùm tam longam egerit de peccato suo pœnitentiam, tum in hac vita tot miseriis ac calamitatibus plena, per annos nongentos triginta, tum etiam post obitum, plusquam tribus millibus annis diuina visione priuatus, in ea inferni parte, quam Limbum appellant: (ab obitu enim Adami ad obitum Christi, eiusque descensum ad inferos, inueniuntur anni ter mille centum & quinquaginta quatuor, vt supputari potest in tabulis.) Et fortè etiam mansit Adam aliquo tempore in purgatorio, vbi præter damni pœnam, etiam intolerabiles sensus pœnæ sustineri solent.

ADAMUM SALUTEM FUISSE CONSECUTUM.

AB ORBE CONDITO ANNUS 987.

1. ANNO trecentesimo sexagesimo quinto vitæ suæ circiter expleto, Henoch Sethi trinepos non apparuit amplius; quia eum Dominus ab hominum oculis (incertum quò) transtulit, Genes. cap. 5. vers. 24. Exstant verò duæ de hac translatione opiniones: Altera vulgaris, quæ putat ipsum Henoch translatum fuisse in Paradisum terrestrem, vnde eiectus fuerat Adam, donec sub finem mundi veniat cum Elia ad prædicandum contra Antichristum. Quæ opinio videtur esse deducta ex cap. Ecclesiastici 44. vers. 16. vbi in textu Latino exprimitur, Henoch translatum fuisse in Paradisum. quæ verba huius sententiæ sectatores interpretantur de Paradiso terrestri. Quamquam non desunt qui suspicati sint, illud *in Paradisum* ab aliquo perperàm esse adiectum; his persuasi argumentis, quòd in textu Græco non reperiatur: & quòd nonnulli magnæ auctoritatis Patres inferiùs citandi, non veriti sint affirmare, ex sacra Scriptura non haberi, quò translatus fuerit Henoch; quos tamen legisse locum illum Ecclesiastici dubitare nemo debet. Verumenimuerò textum Latinum nullo modo in hac parte fuisse vitiatum, satis superque declarat editio Vulgata, Romæ postremò recognita, & sub Clemente VIII. edita, ac probata: in qua eadem verba, *in Paradisum*, eodem prorsus loco apposita habentur in hunc modum: *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam*, id est (quemadmodum ibidem exponit Hugo Cardinalis) Henoch placuit Deo, quia ambulauit cum eo, Genes. cap. 5. vers. 22. & 24. & translatus est in Paradisum terrestrem, inde venturus in fine mundi, vt det gentibus sapientiam, id est consilium pœnitendi, & præcauendi versutias & fallacias Antichristi.

DE TRANSLATIONE HENOCH.

2. Altera

2. Altera opinio est eorum, qui secuti sunt textum Græcum, inter quos ex ipsis Græcis fuere S. Ioan. Chrysostomus Homil. 21. in Genes. & Theodoretus quæst. 45. in Genes. & ex Latinis Rupertus lib. 3. de Trinitate & operibus eius, cap. 33. qui tenent, ex Scriptura sacra nequaquam haberi, quónam translatus sit Henoch: & propterea duo priores inquiunt, non esse de hac re curiosius inuestigandum; sed neque vtrùm vsque ad præsens tempus viuat idem Henoch, & quid nũc agat. Eodem quoque modo possumus & nos dicere, quòd siue Henoch translatus sit in Paradisum terrestrem, vt prior habet opinio, siue in aliquam aliam mundi partem; vanum videtur scrutari, quomodo viuere potuerit, quando aquæ Diluuij inundauerunt super vniuersam faciem terræ: præsertim si, vt sub die mundi 3. num. 25. dictum est, etiam ipsum Paradisum terrestrem tunc omnino destruxissent: quia non inconueniens videtur, in tali casu confugere ad miracula, & dicere; quòd quemadmodum Elias ab incendio mirabiliter præseruatus à Deo est, quando in curru igneo raptus fuit: ita credibile est, ipsum Henoch miro quodam modo, ac soli Deo cognito, ab aquis Diluuij fuisse reseruatum. Verùm de his atque huiusmodi aliis quæsitis, non incuriosè quidem, sed nec inutiliter fusissimè disputat Pererius septem quæstionibus ad calcem primi Tomi Commentariorum suorum in Genesim; vbi inter alia multa probat, ipsum Henoch translatum esse in Paradisum; id est non in eum, in quo fuerat Adam, sed in aliam quamdam secretam & amœnissimam regionem, quæ vniuersaliter in Scripturis sacris Paradisi nomine, vt aliàs probauimus, nuncupari solet: vbi in magna corporis atque animi tranquillitate, & fortè etiam sine cibo & potu, Deo illum mirabiliter sustentante viuit, viuetque ferè vsque ad consummationem sæculi; quo tempore ipse quoque morti debitum reddet. Et quòd triplici potissimùm de causa ad vitam in terris adeò felicem ac diuturnam, & quoquomodò immortalitati similem translatus est: nimirum vt fidem faceret Deus illius immortalitatis, quam Adamo concesserat, si obediens ei fuisset: & item per memoratum genus vitæ ipsius Henoch, nobis specimen quoddam præberet alterius immortalitatis, quam post vniuersalem corporum resurrectionem expectamus: & denique, vt ipse Henoch ante obitum suum, posset in fine mundi, sicuti communiter creditur, venire cum Elia ad prædicandam Christi fidem aduersus Antichristum, illam tunc omnimodis oppugnantem. Et hæc de multis hîc tetigisse sat sit. Illud tantùmmodò addentes, quòd de hac translatione Henoch meminit etiam Apostolus ad Hebr. cap. 11. vers. 5. dicens: *Fide Henoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo.* Vbi in eo quòd dicit, *ne videret mortem*, manifestatur, illum adhuc viuere: & consequenter, quòd anni eius hîc enumerati, non sunt totius vitæ ipsius, sed tantummodò illius vitæ, quam ipse Henoch in hac communi hominum conuersatione & consortio truduxit. Hoc igitur modo dicimus quòd

HENOCH QVOT ANNIS VIXERIT CVM ALIIS PRIMAE MVNDI AETATIS PATRIARCHIS.

vixit Henoch cum	Adam	annis	trecentis octo.
	Seth		trecentis sexaginta quinque.
	Enos		trecentis sexagintaquinque.
	Cainan		trecentis sexaginta quinque.
	Malaleel		trecentis sexaginta quinque.
	Iared		trecentis sexaginta quinque.
	Mathusala		trecentis.
	Lamech		centum tredecim.

FILII SETH QVOVSQVE BONI.

3. Hucusque, vt testatur Iosephus 1. Antiq. cap. 4. progenies Seth perseuerauit in vnius summi Dei cultu, & in probitate morum; per septem scilicet generationes, id est, ferè vsque ad translatum Henoch, qui fuit septimus ab Adamo. Exinde enim, vel fortè etiam aliquanto priùs, cœperunt & ipsi, qui de Seth descenderant, sensim ad vitia declinare; & (vt ibidem subdit Iosephus) qui priùs certatim virtutem exercuerant, posteà duplo maiore studio malitiam consectabantur; atque ita Deum infensum sibi reddiderunt. Sanè quod citatus Auctor de huius generationis præuaricatione scribit, valdè rationabile existimo; quoniam quod Sapient. cap. 4. vers. 10. de viro iusto dicitur: *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* potest non incongruè figuranter intelligi de ipso Henoch, quòd scilicet propterea à Deo translatus sit, ne fortè ipsum quoque ex vniuersali illa hominum præuaricatione labem aliquam contrahere contingeret. Præterea, si posteri Seth, qui valdè iam aucti & mutiplicati erant, deinceps in veri Dei cultu, ac morum probitate quam à maioribus acceperant, perman-

mansissent, non videretur credibile, quòd Diluuio mundum Deus delere voluisset, qui, vt legimus Genes. cap. 18. vers. 32. paratus erat non subuertere Sodomam & Gomorrham ac reliquas illius regionis ciuitates, si ibi saltem decem iustos inuenisset. Quare probabilius videtur, Deum à filiis Seth, post eorum præuaricationem, multò magis fuisse offensum, quàm ab aliis, quoniam videmus eos, qui post multos annos in sancto Dei timore & dilectione transactos, à via veritatis & iustitiæ deuiare non verentur, fieri omnium deteriores. nam, vt ait sanctus Petrus Epistola 2. cap. 2. vers. 20. *Qui refugientes coinquinationes mundi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. contigit enim eis illud veri Prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum; & , Sus lota in volutabro luti.* & Apostolus ad Hebræos cap. 6. vers. 4. *Impossibile est enim* (inquit, id est, valdè admodum difficile) *eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum celeste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesq́; sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renouari ad pœnitentiam.* & post pauca, subdit: *Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur; accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.* & cap. 10. vers. 26. ait: *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij*, &c. Dicebat quoque beatus Gregorius Homil. 17. in Lucæ cap. 10. quòd *nullum ab aliis maius præiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit.* Tales autem quodammodò erant tunc temporis filij Seth respectu aliorum hominum. Quod non sine ingenti patris eorum, qui tum etiam in humanis erat, mœrore accidisse dubium non est: tametsi penes ipsum, donec vixit, aliquot semper viros probos, ac eius vestigia sequentes remansisse, & paucos item quosdam deinceps post eius obitum, auitæ religionis ac probitatis sectatores, successiuè vsque ad ipsum Noë, credi possit, quemadmodum etiam infrà num. 5. dicemus.

4. Igitur duo præcipua, per hæc circiter tempora, euenisse putamus. Alterum est, quòd iam cœperat humanum genus in terris valdè admodum multiplicari: non quemadmodum sub anno mundi 2. num. 4. & sub anno 133. num. 1. dicebamus; sed multò ampliùs, ita vt dixerim, ferè in immensum augeri, ac longè lateque per orbem expandi ac dilatari. Nam si (vt sub anno mundi 2329. num. 19. ostendemus) ex vno coniugatorum pari, ducentorum ac decem annorum interuallo, procreari possunt ad octies centena millia hominum paria; quoniam iste nascentium numerus, veluti per multiplicatam, vt aiunt, analogiam, singulo trigesimo anno septuplum augeri posse videtur, quemadmodum ex supputatione loco citato facienda apparebit: quot ex paribus coniugatorum octies centum millibus anno mundi ducentesimo decimo iam genitis, deinceps ad hęc vsque tempora, hoc est, vsque ad annum mundi nongentesimum octogesimum septimum, nasci prodireve potuerunt? HOMINVM MVLTIPLICATIO QVANTA.

5. Alterum est, quòd sic cunctis Adæ familiis tam vehementer multiplicatis, ac magna ex parte repleta habitatoribus terra, cùm pariter quoque multùm creuisset hominum malitia in ceteris ipsius Adami generationibus, cœpit etiam malum hoc penetrare ad posteros Seth, qui propemodum soli in toto orbe terrarum multis temporibus in sancto Dei timore, deuotoque eius cultu perseuerauerant, ac proinde filiorum Dei nomine nuncupari consueuerant. Etenim & ipsi, posteaquam vehementer multiplicati sunt, cùm primò quidem paulatim à parentum bonitate degenerare cœpissent, id posteà longè notabilius atque euidentiùs fecerunt, circa postremos annos, quibus Henoch inter homines vitam duxit, & adhuc multò magis, posteaquam dictus Henoch ab ipsorum consortio translatus à Deo est: ita vt iam ex tunc dici verissime potuisset, quod posteà dicebat Isaias cap. 9. vers. 3. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Et hoc deinceps per cuncta ferè sæcula, & nostris quoque temporibus vsu venire perspectum est, & quotidie perspicitur, non solùm in sæcularium domibus, vrbibus, Regnis, & Imperiis, aliisque, si quæ sunt mundanorum hominum collectionibus, sed etiam in ipsismet Religiosorum piorumque conuentibus: qui quantumuis à principio feruenti admodum spiritu, multa prudentia, ac sanctissimis legibus instituti atque fundati fuerint, nihilominus interdum quò magis personatum numero augentur, eò propiùs ad interitum accedere videntur, ob maximas, quæ inter ipsos oriri conspiciuntur, confusiones, dissensiones, ac discordias. Quoniam vt plurimùm & ordinariè FILII SETH VALDE MVLTIPLICATI PRAEVARICANTVR, ET VNIVERSALI DILVVIO DANT CAVSAM.

verissimum est quod communiter dicitur: *Vbi multitudo, ibi confusio & discordia.* & illud item: *Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* & quemadmodum dicebat Dominus Lucæ cap. 11. vers. 17. *Omne regnum in seipso diuisum desolabitur,* &c. Itaque hæc filiorum Seth, ceterarumque Adæ familiarum præuaricatio, maiora indies incrementa recipiens, perdurauit per annos ab hinc propè sexcentos septuaginta, nimirum vsque ad Noëmicum diluuium; quo omnes posteà consumpti sunt, præter Noë,

LONGA DEI IN PECCATORIBVS AD POENITENTIAM EXPECTANDIS PATIENTIA

& qui cum eo pauci erant in Arca. Qua in re licet admirari longam Dei patientiam, in peccatoribus ad pœnitentiam expectandis; quam iisdem peccatoribus, præsertim verò impœnitentibus, exprobrat Apostolus ad Romanos cap. 2. vers. 4. dicens: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* & pariter pertimescere licet longam vindictæ eius dilationem, de qua B. Gregorius Homil. 13. in Euangelia dicit, quòd Deus tanto districtiorem iustitiam in iudicio exigit, quanto longiorem patientiam ante iudicium prærogauit. Et hoc idem (quod mirabilius videtur) multò anteà Valerius Maximus naturali dumtaxat lumine illustratus præcognouit, eleganterque Exemplorum memorabilium libro 1. cap. 2. expressit, dicens: *Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij grauitate compensat.* Vide multa eiusmodi apud Plutarchum in Commentario, cui titulus est, De his qui serò à Numine puniuntur. Rectè igitur (vt vnde sumus digressi, redeamus)

S. AVGVSTINI DICTVM EXPONITVR

S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 24. non dicit, de posteris Seth nullum Diluuio periisse: sed nullum eorum, quos de semine Seth propagatos Scriptura sacra commemorat, hoc est, nominatim recenset: quia omnes hi aut iusti fuerunt, vt Noë, & fortè etiam filij eius, aut ad Diluuij tempora non peruenerunt. Alios autem, qui Caini, ceterarumque Adæ familiarum vitia abominationesque sectati sunt, & vsque ad Diluuium vixerunt, certum est, ab ipso Diluuio pariter cum reliqua Adami posteritate fuisse consumptos. Cùm ergo constet, omnes primi hominis generationes, propter earum iniquitates prorsus interiisse, præter eam quæ de Seth, viro non solùm in se iusto, sed etiam in aliis, præsertim verò ad se pertinentibus, iustitiam procurante, prodierat; quoniam in ea dumtaxat, etiam post memoratam eius præuaricationem, semper aliquos, tametsi quandoque admodum paucos, viros bonos extitisse credendum est; ita vt Diluuij tempore solus Noë vir iustus, Genes. cap. 6. vers. 9. & cap. 7. vers. 1. referatur, ac propterea solus cum sua familia per Arcam saluari promeruerit.

VITAE PROBITAS ET RELIGIO FAMILIAS ETIAM PERPETVANT.

Hinc profectò monemur, nihil æquè, non solùm ad æternam salutem consequendam, sed etiam ad domos familiasque, (quod naturaliter homines tantopere exoptare videntur) in hac quoque vita perpetuandas, valere, ac ipsa veræ religionis & vitæ probitatis continuata professio. Quod maximè procurare debent non modò patres familias in suis domibus, verumetiam rectores, Reges, ac Principes, in suis vrbibus, prouinciis, ac regnis, ne facilè eos, aut eorum successores, Deo permittente, his priuari contingat. Etenim pietatem & iustitiam familias successionesque diu conseruare, è contrario autem, impietatem ac malitiam easdem ad nihilum redigere; multifariè multisq; modis docet replicatque Regius Propheta in toto penè Psal. 36. de iustis asserens, quòd in æternum conseruabuntur: de iniustis verò, quòd semen eorum peribit. & iterùm explicatiùs inquit: *Iusti autem hereditabunt terram, & inhabitabunt* (per naturales subaudi successiones) *in sæculum sæculi super eam.* Et *sunt*, subdit, *reliquiæ homini pacifico: iniusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt.* Et eiusmodi alia multa, quæ proculdubiò, ex Historiis tum sacris tum etiam profanis constat reipsa, innumeris propemodum exemplis iisdemque illustrissimis, per cuncta fermè sæcula fuisse comprobata, quæ modò sigillatim persequi superfluum puto.

OCCASIO PRAEVARICATIONIS FILIORVM SETH, ET VNIVERSALIS DILVVII, QVAE.

6. Verùm, vt iterùm ad posteros Seth redeamus, quæret hîc fortasse aliquis, quænam fuerit prima potiorque occasio præuaricationis filiorum seu familiarum Seth. Ad hoc sine dubio respondere possumus, fuisse hanc, nimirum, quia cùm priùs, vt asserit Theodoretus quæst. 47. in Genes. separatum esset genus Seth, & non permisceretur cum cognatione Caini, propter illatam ei à Domino maledictionem; posteà posteri Seth, carnali quadam concupiscentia ducti, cœperunt miscere connubia cum filiabus posterorum Caini, aliarumque Adami familiarum, in quibus impietas, & omnia penè mala, quę ad ipsam impietatē subsequi solent, regnare consueuerant: vnde factum est, vt dictæ affinitatis occasione, contracta deinceps frequenti consuetudine ac familiaritate cum peruersis illis hominibus, apud quos iam, Lamecho, Iubal, & Tubalcaino, auctoribus, tum polygamia, id est vxorum pluralitas; tum musicorum organa, luxus lasciuiæque illecebra; tum etiam arma ærea ferreaque, crudelitatis, & bellorum, violentiarum-

tiarumque instrumenta, in vsu erant: facilè ipsa quoque progenies Seth, quæ priùs ab omni iniquitate aliena videbatur, paulatim deinceps ad illorum vitia maleficiáq; perpetranda procliuis fieret, illecta præsertim, vt credibile est, peruersis malarum illarum mulierum suasionibus. Nihil enim est, quod æquè viros ad quodlibet flagitij genus inducere incitaréve possit, ac blanda quædam perniciosaque mulierum suasio. Vt propterea astutissimus omnium diabolus nullum opportunius medium ad seducendum Adamum adinuenire valuerit, & eodē diabolo auctore, perfidus ille Propheta Balaam pessimum illud consilium dederit Moabitis, vt scilicet per ipsorum mulieres inducere curarent Israëlitas ad colenda idola, quemadmodum euenisse legimus Num. cap. 25. vers. 1. & tangitur etiam cap. 31. vers. 16. & Apocalyp. cap. 2. vers. 14. Notum quoque est, Samsonem, tametsi fortissimum, & Salomonem, quantumuis sapientissimum, à mulieribus esse seductos. Quare non mirum est, si Abraham & Isaac noluerunt dare filiis suis vxores de Chananæorum populis, inter quos ipsi habitabant; sed eas ex propria cognatione vsque de Mesopotamia adduci curarunt, Genes. cap. 24. & 28. Neque item mirum est, si Dominus per Moysen Exodi cap. 34. vers. 16. prohibuit populo Israëlitico, ne vxores daret filiis suis alienigenas: *Ne*, inquit, *postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos.* Quod præceptum repetitum habetur etiam Deuteronom. cap. 7. vers. 3. vbi causa subiungitur: *Quia*, inquit, *seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat diis alienis: irascetúrq; furor Domini, & delebit te citò.* Eiusdem item prohibitionis fit mentio 3. Reg. cap. 11. vers. 2. vbi additur: *Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum.* Quamobrem etiam Esdras strenuè laborauit, vt Iudæi vxores dimitterent alienigenas, 1. Esdr. cap. 9. & 10. Porrò mulieres primariam præbuisse causam præuaricandi filiis Seth, apertè satis indicat Scriptura sacra Genes. cap. 6. vers. 2. dicens: *Videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* & post pauca subiungit, ex his genitos esse gigantes; viros famosos, nimirum in omni genere malorum: nam cùm virium robore ceteros antecellerent, ad maiora quoque facinora valentiùs perpetranda potentiores promptioresque euadebant: & quoniam præ intolerabili eorum superbia, ferocia, atque impietate, contra omne fas iusque diuinum ac naturale, omnia prauæ ipsorum voluntati ac cupiditati reluctantia oppugnabant, superabantque; vsqueadeò creuit eorum fama, vt eos cum diis etiam belligerare ausos esse, Ethnici Scriptores fabulari non omiserint. Denique horum scelera atque iniquitates eousque deuenerunt, vt ab his corruptum contaminatumque vniuersum genus humanum; iusto Dei iudicio, vniuersali illo ac deinceps in omni ætate celeberrimo Diluuio, deleri promeruerit.

GIGANTVM FACINORA.

7. Ex dictis inferri potest, nullatenus Historiæ sacræ consentaneum esse, loco Genesis adducto, per filios Dei (vt quidam faciunt) accipere angelos bonos aut malos: nec etiam (vt postmodum ostendemus) homines Principum filios, siue corporis mole ac proceritate eminentes. Nam primò, quod ad Angelos bonos attinet, quis non videt extremæ dementiæ esse, vt B. Chrysostomus Homil. 22. in Genes. testatur, suspicari, incorporeas illas ac beatas mentes, posthabitis cęlestibus deliciis ac voluptatibus, & diuino illo amore, in quo olim fuerant Dei gratiâ immobiliter confirmatæ, sese ad impuram mulierum libidinem demisisse? præsertim cùm Matthæi cap. 22. vers. 30. Marci cap. 12. vers. 25. & Lucæ cap. 20. vers. 36. testetur Dominus, quòd *in resurrectione* homines *neque nubent, neque nubentur; sed erunt*, ait, *sicut Angeli Dei.* hoc est, purissimi, atque ab omni carnis inquinamento alienissimi. Sed de reprobis angelis, id est de dæmonibus, quòd in Sacro eloquio quandoque vocentur spiritus immundi, posset fortè quis tale quid rationabiliùs opinari. Verumtamen, si vera est, vt credimus, communior opinio Theologorum, quòd scilicet omnes Angeli, tam boni quàm mali, naturam sortiti sint incorpoream; & quemadmodum etiam videtur attestari Scriptura sacra, quæ Angelos Dei vocat spiritus, Psal. 103. *Qui facis angelos tuos, spiritus.* id est, vt exponit S. Gregorius Homil. 34. in Euangelia, *Qui eos, quos semper habes spiritus, etiam cùm volueris angelos facis.* & idem videntur de dæmonibus insinuare Marcus cap. 5. versic. 9. & Lucas cap. 8. vers. 30. vbi narrant de vno dæmoniaco, in quo integra dæmonum legio, id est sex millia dæmonia, vno eodemque tempore habitabant: quod non videtur fieri potuisse, nisi supponendo, ipsos dæmones esse incorporeos. Certè si res ita est; consequitur, neque bonos neque malos angelos cum mulieribus naturaliter commisceri, ac ex ipsis gigantes gignere potuisse. Quin etiam addimus, quòd nec si subtiliori aëreóve corpore, vt multi putant, dæmones præditi essent, tale quid efficere valuissent:

PER FILIOS DEI NON POSSE ACCIPI ANGELOS BONOS, NEQVE MALOS.

sent: quoniam nec sic venereas sentire voluptates, cùm sensu tactus talia corpora careant; nec semen in semetipsis producere, ob defectum virtutis vegetatiuæ, cuius opus est ipsa seminis productio; nec generare vllum in muliere animal possent, cùm dæmon animal non sit, & ex non-animali, animal per coitum propagari nequeat; & certum sit, quòd dæmon & mulier non solùm specie, sed etiam toto differant genere, nullamque propterea ad generandum inter se habeant conuenientiam. Insuper dato, & non concesso, quòd ex muliere dæmon propagare posset aliquod animal, non tamen hominem: quandoquidem videmus, ex diuersarum specierum concubitu diuersum quid ab vtraque generari, vt ex equa & asino, mulus.

ANGELI AN POSSINT PER ASSVMPTA CORPORA COIRE CVM MVLIERIBVS, ET HOMINES GENERARE.

8. Sed dicet aliquis, quòd angeli tam boni quàm mali, siue corporei sint siue incorporei, possunt tamen corpora, etiam solida, & humanis simillima assumere; vt perspicuum est de his tribus, quos Abraham tamquam peregrinos humanissimè excepit, Genes.cap.18.vers.4. eisque præparari conuiuium iussit,& pedes lauasse dicitur,quamuis hoc postremum satis Scriptura non exprimat: & de illo, qui luctabatur cum Iacob vsque manè, Genes.cap.32. vers.24. Quare non videtur inconueniens credere, quòd saltem mediantibus huiuscemodi corporibus potuerint possintque dæmones cum mulieribus rem habere; vel etiam, vt multi asserunt, per semen turpiter viris succumbentes exceptum,& mulieribus incubantes inditum, gignere homines: propterea namque aiunt, ipsos dæmones quandoque dici succubos,quandoque incubos, & quos sic generant homines, non dæmonum, sed hominum reuerà esse filios. Verùm an dæmones possint per talem humani seminis translationem facere, vt mulier sine reali complexu viri hominem concipiat, non omnino certum puto: quoniam, vt benè notat Pererius super loco Genes. citato, prolifica seminis vis, teste Aristotele lib. 2. de Generatione animalium, cap. 3. est calor quidam non igneus, sed cuiusdam naturæ spiritualis, quæ proportione respondet elemento stellarum; qui calor, quòd non in corpore denso, sed admodum tenui, videlicet in semine fluido spumosoque contineatur, facilè exhalare atque euanescere potest: vnde ne id fiat, videmus ita esse à Deo virorum mulierumque genitalia naturaliter constituta & conformata, vt commodè possit ipsum semen sine vlla prorsus euaporatione, aut alteratione ex aëris contactu contracta, ab vno in aliud transfundi: quia nimirum videtur suam non posse extra ipsa genitalia vasa prolificam vim conseruare, non minùs ac solent ipsi, quos vocant naturales, vitales, & animales hominis spiritus; qui ob tenuitatem, facilemque ipsorum resolutionem, non queunt extra propria humani corporis organa conseruari, aut ita in aliud corpus humanum transfundi, vt in eo valeant suas exercere facultates; neque item extra proprium corpus humanum vlla dæmonum arte generari: alioqui possent dæmones per huiusmodi spirituum transfusionem aut generationem, etiam mortuos ad vitam reuocare, quod diuinæ solius est potestatis.

QVOMODO POSSINT DAEMONES CVM MVLIERIBVS COIRE.

9. Verumenimuerò, quidquid sit de memorata hominum generatione, ministerio dæmonum procurata, illud certissimum puto, posse dæmones per assumpta corpora densa, & humanis simillima, coire cum feminis, vel etiam turpiter viris succumbere, modo tamen admodum imperfecto & frigido,ac à naturali valdè diuerso. Nam, vt ait Caietanus super 2.2. B.Thomæ quæst. 95. art.3. naturalis hominum commistio tanto delectabilior est quàm dæmonis in corpore assumpto, quanto verum excedit verisimile. cuius rei ratio assignari potest, quia constat, non posse dæmones corpus vllum adeò per omnia humano simile fingere, quin accurato sensu tactus, impostura dignosci queat: alioqui non fuisset sufficiens illa veri corporis Christi per accuratam eius contrectationem probatio, quam proposuit Apostolis Dominus, dicens: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc. cap. vlt. vers.39.& tamen certum est, huiuscemodi probationem fuisse sufficientissimam. Nam si illa carnis mollities, illa vitalis caloris vel potiùs teporis suauitas, quæ in homine viuente palpando percipitur, nequaquam sentiri potest in cadauere recèns defuncti hominis, licet adhuc calidum sit, & eamdem numero carnem, eademque membra substantialiter habeat, quæ viuens habuerat, ac per hoc, solo tactu, viuens à defuncto discerni facilè potest: quanto faciliùs ac certiùs deprehendi poterit corpus à dæmone assumptum, quod neque eiusdem substantiæ est, neque eadem cum vero homine membra habet? Igitur, vt ad rem redeamus, tanta est dæmonum malitia, & nocendi hominibus cupido, vt quamuis ipsi nullam ex memoratis immunditiis valeant corporalem percipere delectationem, nec perfectè eas exercere; nihilominùs, vt vel sic ad libidinem magis prouocent homines, & consequenter ad Dei offensam, certum est,

eos

eos interdum tales, prout meliùs possunt, abominabiles coitus moliri, & meritò proptereà immundorum spirituum nomine appellari. Sanè execrabiles eiusmodi concubitus re ipsa sæpiùs euenisse testantur multi graues probatique Auctores: & satis clarè asseuerat Innocentius Papa VIII. in Epistola decretali Aduersus maleficarum mulierum hæresim, his verbis: *Non sine ingenti molestia ad nostrum peruenit auditum, complures vtriusque sexus personas, propriæ salutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, cum dæmonibus incubis & succubis abuti. Quapropter ne labes huius hæreticæ prauitatis in perniciem animarum sua venena diffundat, opportunis remediis, prout nostro incumbit officio, prouidere volentes; statuimus, vt Inquisitores per nos deputati, debitum inquisitionis officium in huiusmodi personas exequantur.* hactenus verba Innocentij, quæ non sinunt nos de huiuscemodi dæmonum cum hominibus turpitudine dubitare.

10. Neque huic sententiæ iam penè ab vniuersali Ecclesia receptæ contraria sunt, quæ scribunt B. Chrysostomus Homil. 22. in Genes. & eius discipulus Cassianus Collationum lib. 12. cap. 8. & Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Allegoriarum in Pentateuchum Serm. 1. & Philastrius Episcopus Brixiensis cap. 108. sui Catalogi aduersus hæreses, & Concilium Ancyranum, cuius verba referuntur in Decretis, causa 26. quæst. 5. Quia vt probat Sixtus Senensis in sua Bibliotheca sancta lib. 5. Annot. 73. vbi disputat contra Cornelium Agrippam, qui prædictorum testimoniis non benè perceptis fretus, in libro, quem aduersus Lamiarum Inquisitores edidit, irridet eos, qui maleficas insectantur & puniunt, quòd se cum dæmonibus concubuisse confessæ fuerint: quia, inquam (vt probat Sixtus) citati Auctores non negant, dæmones posse modo superiùs exposito rem habere cum mulieribus, sed asserunt, non posse dæmones cum mulieribus naturaliter commisceri, eo scilicet prorsus modo, quo solent homines, semen de propria ipsorum substantia emittentes; quod nihil memoratæ sententiæ reluctatur. Concilium quoque Ancyranum, licet affirmet, feminas quasdam falsis imaginibus dæmonum arte deludi; quod in confesso est apud omnes: non tamen decernit, illas mulierum super quasdam bestias equitationes, & ipsarum nocturnas à dæmonibus in longinqua vectationes, semper esse imaginarias & falsas, nec vmquam realiter posse contingere, vt perperàm credidit Agrippa. Quis enim nesciat, dæmonem (permittente Deo) naturaliter posse quælibet corpora, sine vllo labore, quocumque voluerit transferre? præsertim cùm ipsa corpora naturaliter obediant angelis ad motum localem, vt probat. B. Thom. parte 1. quæst. 110. art. 3. Neque etiam quidquam aliud prædictum Concilium determinat, ex quo inferri possit, memoratos mulierum cum dæmonibus concubitus contingere nullo modo posse.

11. Itaque, vt ad propositam difficultatem breuiter respondeamus, dicimus, nullo modo admittendam esse illorum opinionem, qui asserunt, filios Dei, id est angelos bonos aut malos, accepisse filias hominum sibi in vxores, ex ipsisque genuisse gigantes. Etenim de bonis Angelis indignum prorsus videtur tale quid suspicari, nedum asseuerare: rebelles verò spiritus nomine filiorum Dei nuncupari, nusquam inuenimus. Et certum est, quòd ipsi, tametsi possint modo superiùs declarato abuti mulieribus, non tamen eas reuerà accipere vxores, & ex ipsis naturaliter filios procreare, vt hactenus ostensum est: Scriptura autem non dicit, filios Dei abusos esse filiabus hominum; sed apertè pronuntiat: *Acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant*. quod clarum est, de creaturis spiritualibus, & (vt diximus) non solùm specie, sed etiam genere differentibus, dici non potuisse. Prætereà (quod valdè admodum vrget) si per filios Dei, Angeli aut dæmones accipiendi essent, cùm perspicuum sit, vt sacri docent Expositores, Lyranus, Abulensis, & alij, loco Genes. citato Moysi intentum esse, Diluuij causas præassignare: proculdubiò necessarium foret fateri, Diluuium non propter peccata hominum, sed Angelorum aut dæmonum, à Deo fuisse inductum; quod est omnino absurdum. Huc accedit, quòd (vt etiam tangit Theodoretus quæst. 47. in Genesim) si angeli boni vel mali cum filiabus hominum commisti essent, non modò homines Deum non offendissent, sed ipsi potiùs ab angelis iniuriam passi, de Deo conqueri quodammodò potuissent, quòd permisisset filias suas à dæmonibus fraudulenter impunéque violari. Atqui contrà factum legimus: siquidem non de Deo homines, sed de hominibus Deus meritò conquestus est; & hac de re non Angelos aut dæmones punire, sed homines Diluuio delere dignum duxit: ergo signum est, ipsos esse, qui peccatis suis Deú ad iustam iracundiam prouocauerant; vt in eodem met Genes. cap. 6. multipliciter euidentissimeque Scriptura declarat, dicens; *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* & paulò pòst: *Videns autem Deus, quòd multa malitia* homi-

NOMINE FILIORVM DEI NON POSSE ACCIPI ANGELOS BONOS, NEC MALOS.

hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, &c. & paucis interpositis denuò subdit: *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. cùmque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noë: Finis vniuersæ carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Pater igitur, per filios Dei nequaquam accipi posse angelos, neque bonos, neq; malos.

PER FILIOS DEI NON POSSE ACCIPI FILIOS PRINCIPVM.

12. Quòd autem nomine filiorum Dei non etiam conueniens sit signari homines nobiliores, filios scilicet Principum, Iudicúmve, qui quandoque Dij nuncupari solent, vt numero sequenti probabitur, manifestum est: quoniam quòd filij Principum seu Iudicum deligerent mulieres pulchras, vt acciperent sibi ex illis vxores; res est, quæ per se considerata, etiam sine peccato fieri potuit, tantum abest, vt propterea debuisset Deus vniuersum mundum Diluuio absorbere. Quòd si dixeris, vt quidam Rabbini sentiunt, illos Principum seu Iudicum filios, per immoderatam libidinem, violare cœpisse mulieres pulchras, antequam viris suis traderentur. respondeo; hoc in Sacro textu non haberi; quin potius rorum oppositum, videlicet: Videntes quòd essent pulchræ, elegerunt ex ipsis sibi vxores. Deinde, dato quòd in hoc per quamdam carnalis concupiscentiæ immoderantiam aliquo modo peccassent, & concesso item, quòd ob peccata Principum, aliquando Deus plurimos de populo interfecerit: non tamen videntur huiuscemodi peccata adeò enormia, vt punitionem adeò terribilem atque vniuersalem meruisse videantur. Eadem ferè de causa non videtur probanda opinio Hieronymi Oleastri, qui super loco Genes. sæpius adducto, per filios Dei intelligit viros proceræ magnitudinis, admodumque formosos. Nam quid peccassent viri isti eligendo sibi vxores forma & magnitudine pares? Dices: Peccabant ex praua intentione; quia hoc faciebant, vt possent gignere filios robore valicos, & eorum auxilio opprimere ceteros. Dico, neque hoc in Sacro textu reperiri. Sed demus ita esse; quis iudicet hoc fuisse peccatum tam grande, vt puniri Diluuio vniuersali debuerit? aut quis vmquam dicere audeat, Deum, qui non semel in Psalmis legimus, iudicat populos in æquitate, voluisse simul & iniustè opprimentes & iniquè oppressos interimere, noxios pariter & innoxios perdere? Quòd si hæc quorumdam iniquitas generali Diluuio punienda erat, certè & aliis temporibus, & nunc quoque tale Diluuium expectandum foret: nam quis non videat, malum hoc etiam post Diluuium, per vniuersum pænè mundum grassari numquam desiisse? quin iam veluti vitium pro natura inoleuisse? Quæ enim fuere tempora, aut qui populi, quæ gens adeò sancta, in qua non aliquo modo visi sint imbecilliores à fortioribus opprimi? Sanè eleganter admodum vir ille doctissimus Alciatus, vt quàm vniuersale esset hoc malum, ac veluti quodammodò ipsi naturæ (Deo sic permittente) ingenitum, indicaret; fabrè in tabella depictis animalibus terrestribus, aquaticis, atque aëriis, singulisque in proprio elemento collocatis, quorum in vnoquoque genere quæ validiora erant, infectari videbantur infirma, egregium illud subiecit Emblema:

NEQVE MAGNOS ET FORMOSOSQVE HOMINES.

O malè tuta manens vndique debilitas!

NOMINE FILIORVM DEI POSTEROS SETH ESSE INTELLIGENDOS.

13. Restat igitur planum & indubitatum, benè nos cum multis grauibusque Doctoribus, videlicet sancto Augustino lib. 14. de Ciuit. cap. 23. Theodoreto vbi suprà, Strabo in Glossa ordinaria, Lyrano, Hugone, Abulense, Caietano, & aliis super Genes. cap. 6. per filios Dei accepisse filios Seth; siue quia Seth, vt sub anno mundi 131. num. 8. diximus, appellatus fuit Deus, siue quia filij eius erant viri iusti, & admodum religiosi, credentes & ipsi, quemadmodum de Adamo dictum est, in Christum venturum. de huiusmodi namque dicitur Ioan. cap. 1. vers. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt,* &c. siue quia propter ipsorum sapientiam & prudentiam essent veluti Principes, & ceterorum hominum Iudices, qui pariter Exod. cap. 22. vers. 8. & 9. & in Psal. 81. Dij appellantur: siue item, quia etiam essent formosi & admodum procero corpore, vt colligit Oleaster, tum ex vi verbi Hebraici, tum etiam quia constat ex ipsis posteà ortos esse gigantes. non enim inconueniens omnia hæc in filiis Seth pariter concurrisse, & propterea nomine filiorum Dei esse nuncupatos. Per filias verò hominum, vel quæ erant de posteritate impij Caini rectè possumus debemusque intelligere, vel vniuersaliter filias hominum mundanorum, quos variis in locis describit Apostolus: ad Philipp. cap. 3. versic. 19. dicens: *Qui terrena sapiunt.* & 1. ad Cor. cap. 3. vers. 3. *Nónne secundùm hominem ambulatis?* &c

tis? & cap. 2. versic. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* & sanctus Apostolus Iudas in sua Catholica vers. 19. hos vocat *animales, spiritum non habentes.* eosdemque increpat Dauid in Psal. 4. vers. 3. dicens: *Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

14. Itaque, si, vt diximus, nomine filiorum Dei Moyses loco Genes. citato nihil aliud quàm filios seu posteros Seth indicare voluit, qui cùm aliquamdiu boni extitissent; demum malis feminis copulati, paulatim præuaricari cœperunt; profectò non erit valdè operosum intelligere, cur deinde iratus Deus totam terram Diluuio obruerit. Nam cùm ceteræ Adami familiæ omnes iam ad impietatem & iniquitates declinassent, sola interim Sethi posteritate in vero Dei cultu ac morum probitate perseuerante: quid mirum est si tandem, vt vidit Deus eam quoque in malis prolapsam, & consequenter totum mundum in maligno positum, iustè ipsum Diluuio abolere curauit? Valdè ergo grauiter deliquerunt filij Seth, ita vt ipsi quodammodò fuerint primaria Diluuij causa; quemadmodum etiam ex his quæ suprà num. 5. & 6. dicta sunt, deduci potest. quandoquidem ipsi scientes, aut scire debentes, verissimum esse illud quod posteà Sapiens admonuit Ecclesiastici cap. 13. vers. 1. videlicet: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* & propterea, cùm pro continuanda in domibus suis hereditaria probitate ac religione, omni studio malorum commercia & consortia deuitare debuissent; & (vt à maioribus suis acceperant) deligere sibi vxores de cognatione sua, omni virtutum genere ornatas; econuersò sensualem potiùs concupiscentiam, quàm rectam rationem secuti, maluerunt cum peruersis mulieribus (quòd essent pulchræ) coniugia contrahere, non timentes sibi posterisque suis, ne (quemadmodum posteà euenit) ipsi quoque pariter deprauarentur. Et hoc est quod summopere displicuit Deo: qui mox, cùm videret ob pessima huiuscemodi connubia, quotidie magis magisque augeri ac dilatari in terra iniquitates, donec tandem eò ventum est, vt iam verè dici posset, omnem carnem corrupisse viam suam; vniuersali Diluuio mundum purgare decreuit, vt suo loco dicemus. DE DILVVII CAVSA.

15. Per hæc quoque circiter tempora exortos esse gigantes, ex ipso Sacro textu, præsertim Vulgato, colligi posse videtur. Nam vt omittam, quòd hactenus gigantum Scriptura meminisse non videatur; quoniam tametsi Baruch cap. 3. vers. 26. dictum sit, gigantes ab initio extitisse; nihilominùs constat, illud, *ab initio*, ibi idem significare, quod, ab antiquissimis temporibus, &, in prima mundi ætate: certè, in eo quòd Moyses, cùm dixisset Genes. cap. 6. vers. 4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis*, posteà veluti huius dicti rationem reddens, volensque adhuc magis exprimere, quando & qualiter cœperint esse gigantes in mundo; immediatè subiungit: *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illaq; genuerunt: isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Quibus vtique verbis declarare voluit, quòd ex quo copulati sunt filij Dei cum filiabus hominum, cœperunt gigni gigantes; quorum fama postmodum specialiter, ob magnam eorum potentiam, celebrata est in vniuerso mundo. Non ausim tamen negare, etiam priùs aliquos fortassis exstitisse gigantes; sed admodum paucos, & non adeò potentes ac famosos. GIGANTES QVANDO COEPERINT.

16. Sed quoniam de gigantibus variæ circumferuntur opiniones: quidam enim putauerunt eos non fuisse homines, sed potiùs dæmones sub humana specie, & à dæmonibus genitos: in cuius etiam rei signum aiunt, post Christum passum non ampliùs visos esse gigantes; quoniam, inquiunt, ex tunc sublata fuit diabolo talis potestas. Nec defuerunt item magnæ alioqui auctoritatis Scriptores, nimirum Philo Iudæus in lib. de Gigantibus, & Origenes, vt ex Gennadio Episcopo Constantinopolitano refert Sixtus Senensis Annot. 76. & alij, qui nomine Gigantum, in Scripturis signari crediderunt homines, non insitata corporis magnitudine conspicuos, vt communiter sumitur, sed tantummodò homines improbos, iniquos, crudeles, superbos, Dei osores, & quodammodò atheistas; fortasse quòd eis videretur fieri non posse, vt in hoc mundo tam grandia hominum corpora reperirentur, quemadmodum à nonnullis proditum fuerat. Proptereà operæpretium erit, Primò probare, gigantes verè fuisse homines, non autem sub humana forma dæmones; & consequenter non à dæmonibus, sed ab hominibus dumtaxat naturaliter gigni potuisse. Deinde, ex Sacris libris, & aliis probatis Auctoribus, tum antiquis, tum recentioribus, demonstrare, eosdem, de quibus agimus gigantes, fuisse quosdam homines, corporis magnitudine atque altitudine communem ceterorum hominum staturam valdè excedentes, & eiusmodi aliquos post Christum quoque passum natos. QVI FVERINT GIGANTES.

GIGANTES VERE FVISSE HOMINES.

17. Et quidem gigantes verè ac realiter esse homines, vel ex ipso aspectu patet ad sensum, & ex eorumdem actionibus euidens est: siquidem omnes ipsorum actus, tum corporales, tum mentales, sunt sicuti ceterorum hominum. Itaque si gigantes habent easdem cum ceteris hominibus operationes, ergo easdem potentias, ergo eamdem naturam & formam, ergo verè & substantialiter homines sunt. Præterea certum est, eos habere corpus aliis humanis corporibus per omnia simile, atque iisdem organis præditum; nisi quòd ceteris tantummodò proceritate præeminet: atqui maius & minus in huiusmodi non variat speciem, cùm sit differentia accidentalis, non substantialis: alioqui necessariò dicendum esset, nec pygmeos verè esse homines; quod omnino absurdum foret. Nemini verò mirum videri debet, tantam in humana statura differentiam reperiri, quando idem in aliquibus quoque aliorum animalium speciebus quotidie videmus, & præsertim in specie canum, inter quos, quanto communem ipsorũ magnitudinem excedunt, qui è Corsica deuehuntur, tanto ab ea deficiunt paruuli catelli, qui ad mulierum solatia haberi solent. Igitur si gigantes reuerà homines sunt; necessarium est, ab hominibus esse propagatos, & non a dæmonibus. Nam quæ eiusdem speciei sunt, non solùm eamdem habent naturam & formam, sed & causam efficientem, seu generantem, necnon & eumdem quoque modum generationis; sicuti videmus in omnibus aliis vnius speciei indiuiduis. Quæ autem ex diuersarum specierum concubitu nascuntur, ab vtraque differunt; vt dictum est de mulo, qui ab equa & asino, à quibus gignitur, diuersus est. Non posse verò dæmonem ex muliere quidquam generare, iam suprà num. 7. probatum est; tum quia dæmon secundùm saniorem doctrinam incorporeus est, & consequenter semen nec habere potest, nec emittere; tum etiam quia à muliere toto genere differt, neque vllam omnino (quod attinet ad generationem) cum ea conuenientiam habet. Nec obstat illud Genes. cap. 3. vers. 15. vbi ad serpentem, vel potiùs ad dæmonem sub forma serpentis, Dominus dixit: ***Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius***, &c. Siquidem ibi semen sumitur pro posteritate seu filiis, & quidem (ex parte dæmonis) non carnalibus, sed spiritualibus; id est pro filiis, non per realem generationem propagatis, sed per quamdam motum similitudinem institutis: quemadmodum Ioan. cap. 8. vers. 44. vocabat Dominus Iudæos filios diaboli, non carnaliter, sed spiritualiter, dicens: ***Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.*** Vnde patet, quantum à veritate aberrauerit Franciscus Georgius à Sixto Senense Annot. 51. citatus, qui inquirens problemate 54. tomi primi, Quodnam sit semen diaboli, vniuerso hominum generi inimicum: perperàm decernit, fuisse gigantes ex coitu dæmonum cum mulieribus genitos. & tomo 6. problem. 330. putat ipsos dæmones animalia esse corporea propriũ semen emittentia, & ad coëundum cum mulieribus, atque ad generandum, apta. quæ omnia tamquam veræ Philosophiæ ac Theologiæ prorsus aduersantia, penitus esse explodenda, quis non videt?

QVOD GIGANTES FVERINT HOMINES PROCERAE MAGNITVDINIS, PROBATVR EX SACRA SCRIPTVRA.

8. Quòd autem gigantes fuerint non tantùm homines peruersi & impij, ac admodum potentes; sed etiam corporis proceritate admirabiles, ex aliquot Scripturæ locis manifestum est. inter quæ non in postremis ponendus videtur prællegatus Baruchi textus, qui præcisè de gigantibus huius primæ mundi ætatis loquitur, & apertè mentionem facit staturæ ipsorum, dicens: ***Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum.*** Attestantur quoque Hebræi exploratores, (Numer. cap. 13. in calce) se vidisse in terra Chanaan ***monstra quadam filiorum Enac, de genere giganteo; quibus comparati***, inquiunt, ***quasi locusta videbamur.*** & Deuter. cap. 2. vers. 11. fit mentio quorumdam hominum adeò excelsorum, ***vt de Enacim stirpe, quasi gigantes, crederentur; & essent similes filiorum Enacim.*** & paulò pòst, nimirum vers. 20. de regione Ammonitarum legimus: ***Terra gigantum reputata est; & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus, & multus, & procera longitudinis sicut Enacim.*** & cap. 3. vers. 11. dicitur, quòd Og erat de stirpe gigantum, & quòd monstrabatur lectus eius in vrbe Rabbath ferreus, nouem cubitos habens longitudinis, & quattuor latitudinis. item 2. Reg. cap. 21. vers. 18. habemus, quòd Arapha erat de genere gigantum; & vers. 16. & 19. fit mentio quorumdam Gethæorum stirpis Araphæ, videlicet de Iesbibenob, ***cuius ferrum hasta trecentas vncias appendebat***; & de Goliath, ***cuius hastile hasta erat quasi liciatorium texentium***; quod etiam priùs dictum fuerat 1. Reg. cap. 17. vers. 4. vsque ad 8. vbi etiam additur, quòd idem Goliath erat ***altitudinis sex cubitorum & palmi***, & quòd ***pondus lorica eius quinque millia siclorum aris erat, & ferrum hasta eius, sexcentos siclos habebat ferri.*** in lib. quoque Iudith cap. 16. v. 8.

gigan-

gigantes appellantur excelsi. Ex quibus Scripturę locis manifestè apparet, gigantes fuisse quosdam miræ altitudinis ac crassitudinis homines.

19. Hoc idem ex aliis Scriptoribus ostendere possumus, præsertim ex sancto Augustino lib. 15. de Ciuitate cap. 9. vbi ait, in quibusdam temporibus & locis inuentos esse homines, qui communem ceterorum staturam in corporis magnitudine & altitudine mirabiliter excesserunt; vt patet (inquit) de illis, quorum comparatione Hebræi velut locustæ videbantur. Et idem Sanctus ibidem testatur, suo tempore inuenta esse ossa hominum mortuorum incredibilis magnitudinis, & insuper se aliosq; secum propriis vidisse oculis, in Vticensi littore, molarem hominis dentem tam ingentem, vt si in nostrorum dentium modulos minutatim scinderetur, centum videretur facere potuisse; eumque gigantis alicuius fuisse credit. Huiusmodi alterum non multò minorem vidi ego Vercellis, qui à tempore propemodum immemorabili piè asseruatur, ac certis temporibus ostenditur in Ecclesia nostra sancti Christophori, tamquam reliquia eiusdem Sancti, quem maximum fuisse gigantem communis opinio est. Similia de gigantum ossibus alij quoque Scriptores prodiderunt, tum veteres, tum recentiores. Nam Iosephus lib. 5. Antiq. circa initia cap. 2. de Hebronitis olim ab Israële perdomitis agens, ait: *Apud hos in eam diem superstites erant quidam è gigantum genere, statura & specie ceteris mortalibus dispares, visu simul & auditu horribiles; quorum ossa adhuc ostenduntur, qualia vix credent, qui non viderunt ipsi.* hæc Iosephus. Solinus verò cap. 5. scribit, Orestis ossa, Olympiade quinquagesima octaua Tegeæ à Spartanis inuenta, impleſſe longitudinem cubitorum septem. Et subdit: *In bello Cretico, cùm elata flumina, impetu plusquam vi amnica inuecta, terras rupissent, post discessum fluctuum, inter plurima humi dissidia humanum cadauer cubitorum trium atque triginta fuisse repertum; cuius inspectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipsum impendio admodum captos miraculo, quod auditu refutarant, oculis potitos.* Et in eadem Cretæ insula, scribit Plinius lib. 7. cap. 16. *terræmotu rupto monte, inuentum esse corpus stans quadraginta sex cubitorum; quod alij Orionis, alij Oti fuisse arbitrantur.* Plutarchus quoque in Sertorij vita scribit, quòd in Mauritaniæ oppido Tingi, vbi Antæum tradunt Afri conditum, eius tumulum eruit Sertorius, non habita Barbaris fide ob magnitudinem: & vt corpus offendit sexaginta cubitos (vt fama est) longum, cæsis victimis tumulum adaggerauit, honoresque & famam eius amplificauit. Antonius item Sabellicus, Enneade prima libro 1. non longè ab initio, narratum sibi ab hospite fide digno affirmat, paucis antè annis in Cretæ insulæ meridiana parte operarios quosdam indigenas immanis arboris truncos ad naualem fabricam radicitus euellere molientes, in humanum caput, dolij instar, incidisse; quod cùm imperiti temerè attrectassent, confestim putri vetustate solutum, in puluerem abiisse: ceterùm dentes stupendæ magnitudinis, ad Insulæ magistratus delatos, rei fidem fecisse; quorum vnus Venetiis hodie (inquit) in priuata domo, pro miraculo visitur. Refert præterea Auctor Supplementi Chronicorum libro 3. de corpore Pallantis Euandri filij, à Turno olim occisi, quod anno Domini 1041. à quodam rustico non procul à Roma repertum sit, in magno quodam sepulchro, cum breui nominis sui inscriptione: cuius corporis altitudo (inquit) excelsorum murorum altitudinem superabat, & vulnus habebat quattuor pedibus prolixius. Sed & Symphorianus Campesius, in lib. quem inscripsit, Hortus Gallicus, rem valdè portentosam tradit; nimirum, In Sicilia ad cuiusdam montis radices, non procul ab vrbe Trapano, quosdam, veteris muri fundamenta pro domo extruenda eruentes, speluncam inuenisse amplissimam; in quam facibus accensis introeuntes, viderunt incredibilis magnitudinis hominem sedentem, ac veluti pro baculo trabem, antennæ instar, tenentem: in cuius primo aspectu perterrefacti, confestim foras fugerunt: mox cùm armatis denuò specum ingressi, vt quidnam illud esset certiùs dignoscerent, tandem cognouerunt esse gigantis defuncti corpus; quod vt primùm contingere atque attrectare cœperunt, in cinerem resolutum est, relictis ossibus vsque adeò magnis, vt eius caluaria tritici modium commodè caperet, & commensurata totius corporis longitudo, ad ducentos cubitos sese extendere videretur. Idem auctor testatur, se apud Valentiam vrbem in quodam Fratrum Minorum monasterio vidisse ossa gigantis tam grandia, quòd ad illorum rationem, statura eius quadraginta cubitos excessisse videbatur. Narrat quoque Iosephus Acosta lib. 1. suarum Historiarum naturalium & moralium Indicarum, cap. 19. etiam in America Peruuiana, quæ noui Orbis pars est, reperiri quædam ossa gigantum tantæ magnitudinis, vt illos communem trium hominum nostri temporis staturam adæquasse ostendant. & addit, quòd eosdem gigantes per mare vectos illuc appulisse perhi-

EX ALIIS AVCTORIBVS.

ANTAEI CORPVS INVENTVM.

perhibent, & cum indigenis bellasse, ac superba quædam ædificia illic extruxisse, quæ adhuc visuntur; ac demum ob enormissima eorum, præsertim contra naturam, peccata, igne de cælo misso fuisse consumptos.

20. Sed esto, in prællegatis Auctoribus (quod attinet ad tam excessiuum cubitorum numerum) aliquid fortassis veluti hyperbolicè narratum, irrepsisse: non propterea tamen de gigantea quorumdam hominum proceritate dubitare vllo modo possumus, aut debemus; si his quæ ex sacra Scriptura adduximus, quæ nos errare non sinunt, testimonia quoque alia posteriora addere libuerit. Certè Solinus & Plinius, locis num. præcedenti adductus, aiunt, sub Augusto extitisse Pusionem & Secundillam, denos pedes & ampliùs proceritatis habentes; quorum reliquiæ, inquiunt, adhuc in conditorio Sallustianorum videntur. Et insuper addunt, postmodum sub Claudio Principe Gabbaram nomine ex Arabia aduectum nouem pedum & totidem vnciarum. Iosephus quoque 18. Antiq. cap. 6. scribit, Artabanum Parthorum regem misisse Tiberio Imperatori virum statura cubitorum septem, genere Iudæum, Eleazarum nomine. His addere possumus, quod Solinus item tradit cap. 32. Syrboras longos esse ad pedes duodecim. Ceterùm nostris temporibus, vel paulò ante, licet visa non fuerint humana corpora (quòd ipse nouerim) tam grandia, quemadmodum antiquitus fuisse leguntur (natura, vt aiunt sensim deficiente) nihilominùs certum est, extitisse aliqua communem aliorum staturam valdè excedentia. Nam, (vt scribit Antonius Torquemada in suo florum curiosorum Viridario, quod ipse Hispano idiomate conscripsit, & Cœlius Malaspina in Italicam linguam conuertit) vixit Iulij Papæ III. temporibus in Calabria vir tantæ magnitudinis, vt illum videndi desiderio ipsemet Pontifex Romam adduci iusserit: & quia nullus equus aut mulus eum deferre valebat, in curru vectus, crura foris pendentia, præ longitudine corporis, proferre cogebatur: & cùm esset membrorum conformitate satis proportionata, stans altiorem quemque Romæ tunc degentem à medio pectore sursum excedebat. Hoc ego facilè credendum puto; quandoquidem memini me adhuc adolescentulum Mediolani vidisse hominem viuum, Pisauri, vt aiebant, natum, qui sub gigantis nomine quæstus gratiâ circumducebatur, & communi statura dimidio ferè altior erat; cunctisque numerosissimæ illius vrbis celsioribus viris collatus, ab humero sursum eminebat. Plura gigantum, qui varijs locis ac temporibus viguerunt, nomina recensuere Rauisius Textor in sua Officina, & Auctor Theatri vitæ humanæ volumine 2. in principio lib. 2. Quare, vt dicebamus, quòd varijs locis ac temporibus exstiterint gigantes, hoc est, homines non solùm corporum robore & morum peruersitate tremendi, sed etiam corporali magnitudine admirabiles, atque alij alijs altiores; nullus (vt opinor) remanet ambigendi locus. & consequenter ex supradictis quoque apparet, futile esse & falsum, quod temerè asseruit Franciscus Georgius prællegatus; nimirum, nullos post Christum passum exstitisse gigantes.

GIGANTES CVR A DEO FACTI.

21. Cur autem Deus tantam corporum mensuram gigantibus distribuerit, respondet Theodoretus quæst. 48. in Genes. dicens: hoc sapienter à Deo dispensatum esse, vt hinc disceremus, perfacile ipsi fuisse, etiam maiores homines quàm nunc sunt creare; sed vt superbiam amputaret, & cohiberet arrogantiam, non dedisse communiter hominibus maxima corpora. Nam si exiguis corporibus præditi, non modò contra se inuicem, sed contra Deum quoque creatorem omnium attolluntur; quid non commisissent, si maxima corpora fortiti essent? Beatus autem Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 23. prope finem capitis aliam de gigantum generatione causam affert, dicens: *Quos propterea creare placuit Creatori, vt etiam hinc ostenderetur, non solùm pulchritudines, verùm etiam magnitudines & fortitudines corporum non magni pendendas esse sapienti, qui spiritualibus atque immortalibus, longè melioribus atque firmioribus, & bonorum proprijs, non bonorum malorúmque communibus, beatificatur bonis. quam rem alius Propheta commendans ait: Ibi fuerunt gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt staturosi, scientes prælium. non hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit illis; sed interierunt quia non habuerunt sapientiam: perierunt propter inconsiderantiam.* Sic refert sanctus Augustinus præcitati Prophetæ verba, quæ in editione Vulgata aliquanto aliter, licet in eumdem sensum recidant, referuntur; vt videre est Baruchi cap. 3. vers. 26. vsque ad 29.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1042.

SETH QVANDO MORTVVS.

☞ 1. ANNO nongentesimo duodecimo ætatis suæ circiter exacto, Seth mortuus est, Genes. cap. 5. vers. 12. & ita notatum est in tabulis.

Vixit

ET QVAMDIV CVM CETERIS VIXERIT.

Vixit ergo Seth cum	Adam	annis	octingentis,
	Enos		octingentis septem,
	Cainan		septingentis decem & septem,
	Malaleel		sexcentis quadraginta septem,
	Iared		quingentis octoginta duobus,
	Henoch		trecentis sexaginta quinque,
	Mathusala		trecentis quinquaginta quinque,
	Lamech		centum sexaginta octo,

vt ex tabulis liquidò colligi potest.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1057.

1. ANNO centesimo octogesimo secundo vitæ suæ completo, Genes. cap. 5. vers. 28. (hoc est ineunte anno centesimo octogesimo tertio) Lamech genuit Noë. Quo fit, vt primus annus ipsius Noë ferè totus coinciderit cum eodem anno centesimo octogesimo tertio patris sui Lamech, vt videre est in tabulis. Vixit verò Lamech post genitum Noë, quingentis nonagintaquinque annis, & genuit filios & filias, Genes. cap. citato vers. 30. Videtur autem etiam ipse Lamech fuisse prophetico afflatus spiritu, quando filium suum, qui fuit decimus ab Adam, vocauit Noë, dicens: *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit, Dominus.* vel (vt habet lectio LXX. Interpretum) *Iste requiescere nos faciet ab operibus nostris, & à tristitiis manuum nostrarum, & à terra, quam maledixit Dominus Deus.* Ex quibus verbis liquidò apparet, ipsum Lamech præuidisse, quòd iste filius suus Noë allaturus erat mundo ingentem quamdam consolationem, seu quietem: & propterea appellasse eum Noë, quod quietem significat.

NOE QVANDO NATVS.

LAMECH VIDETVR FVISSE PROPHETA.

2. Quæ autem ista fuerit consolatio & quies, non eodem modo à sacris Doctoribus exponitur. Hieronymus Oleaster super Genes. cap. 5. ad litteram, sunt, inquit, qui putant, Noë consultatum esse homines sui temporis, quia postea vinum inueoerit, cuius gustu homines iucundantur, & à laboribus non mediocriter leuari videntur. Alij dicunt, Lamechum spiritu diuino præuidisse, Deum filio suo Noë concessurum esse esum carnium, ex qua concessione consequebatur, non opus fore hominibus tanto labore terram colere. Et subdit idem Oleaster, alium sibi occurrere sensum, nempe, quòd Lamech intellexerit, Deum terræ, cui propter Adami & Caini peccatum maledixerat, deinceps propter ipsius Noë iustitiam benedicturum, & proinde minori negotio fore colendam; vtpote, post nouam benedictionem, fecundiorem redditam. Sed hæc expositio non satis firma videtur, quoniam videmus adhuc permanere veterem illam terræ maledictionem. Nisi enim multis assiduisque laboribus excolatur, breui ex se ipsa pænè redditur infructifera: præterquam quòd multorum opinio valdè probabilis est, multò feraciorem fuisse terram ante Diluuium, quàm post, propter validas Oceani inundationes, & salsedinem, qua nihil aptius est ad sterilitatem terræ inducendam, vt sub anno mundi 1656. num. 8. dicemus. Diodorus Episcopus Tarsensis, vt refert Sixtus lib. 5. Bibliothecæ sanctæ Aonotat. 69. & Iudæorum Rabbini, quos citat Abulensis super cap. 5. Genes. quæst. 6. & Lyranus ibidem, interpretati sunt prædictum Lamechi vaticinium, de instrumentorum rusticorum inuentione, quia ante tempora Noë laborabant homines in colenda terra propriis corporum suorum operibus; & in hoc cultu maximè vexabantur, parumque proficiebant: Noë autem, inquiunt, primus fabricauit vomeres & aratra, & agriculturæ labores pro maiori parte ad bruta transtulit, iunctis bobus ad arandum, & iumentis ad onera portanda adhibitis: quo tam salubri inuento mirificè consolatus est genus humanum ab operibus & laboribus manuum suarum, quia manus hominum à duris & grauibus fodiendæ terræ laboribus liberauit. Et hæc expositio videretur valdè consentaoea litteræ, nisi obstaret auctoritas Iosephi, qui lib. 1. Antiq. cap. 3. dicit, Cainum fuisse primum, qui arare terram excogitauerit. obstant etiam obiectiones Burgensis in Additionibus suis contra Lyranum adductæ; vbi probat, prædictam expositionem non habere firmum fundamentum in Sacri textus littera: nam (quidquid dicat Thoringus in suis Replicis) non videtur ex sacra Scriptura colligi posse, quòd ipse Noë fuerit primus inuentor aratri, licet de eo dicatur, quòd fuit vir agricola; idem namque priùs de Caino dictum fuerat.

QVAE FVERIT ISTA QVIES.

3. At verò B. Chrysostomus Homil. 21. in Genes. multò aliter hanc Lamechi prophetiam interpretatur; nimirum de quiete seu cessatione malorum operum, per abolitionem

tionem hominum impiorum Diluuio faciendam. Ponam hîc verba ipsius, vt ex ipsis meliùs sententia eius percipi valeat. *Et vocauit*, inquit, *nomen illius Noë. Apud nos hoc nomen si quis interpretetur, quietem dicit. Quietem autem vocat, generalem illum interitum post multos annos futurum, sicut & Iob dicit: Mors viro quies: quoniam valdè magnus labor est malitia. Abolitionem & sublationem per Diluuium futuram, quietem vocat. Et vocauit nomen illius Noë. Consequenter appellationem nominis interpretatur, & dicit: Hic vtique quietem nobis præstabit ab operibus nostris: à malitia, inquit, desistere faciet, & à molestiis manuum nostrarum, & iterùm hoc ipsum ab operibus, inquit, malis. Non enim hoc dicit, quòd manus malè habuerint; sed quia per illarum opera & malas actiones, molestia & tristitia auctæ sint. Et à terra, quam maledixit Dominus Deus, liberabit nos, inquit, ab omnibus malis prementibus, & terram maledictam dicit, quæ cum labore exercetur & colitur, propter protoplasti transgreßionem.* hactenus verba Chrysostomi.

4. Sed fortè præstat memoratum Lamechi vaticinium vniuersaliùs exponere de cunctis donis humano generi maximè vtilibus, quæ præstiturus erat mundo Deus in gratiam ipsius Noë, ex quibus quies magna & ingens consolatio homines bonos erat consecututa. Sunt autem hæc: præseruatio generis humani ab omnimodo interitu, per Arcam: mundi renouatio, &, vt ita dixerim, quietatio, destructis impiis, qui eum turbulentissimum reddebant: fœdus sempiternum inter Deum & Noë ac posteros eius ictum; & arcus cælestis signo firmiter stabilitum, de non mittendis vltrà aquis Diluuij ad delendam vniuersam terram. His addere possumus nouam benedictionem ipsi Noë & successoribus eius à Deo collatam, & confirmationem vniuersalis dominij super cuncta animantia, & concessionem esus carnium; quæ non parum agriculturæ labores minuere poterat: &, si placet, etiam adinuentionem potus vini, ab ipso Noë non sine Dei instinctu excogitatam: & si quæ sunt huiusmodi alia. hæc siquidem in causa fuerunt, vt posteà homines multo tempore, in terra priùs maledicta, postmodum verò pluribus hisce benedictionibus donata, cum magna corporis & animi quiete, securitate, & consolatione, vitam ducerent.

☞ 5. Itaque Lamech, qui priùs ob nimiam hominum malitiam, quæ tunc in vniuersa terra grassabatur, & cuncta perturbabat, valdè angebatur animo, & iustam Dei vindictam, imminentemq; totius mundi interitum Diluuio futurum, & iam multò antè ab Adamo prænuntiatum, meritò pertimescebat; cùm in ortu huius filij sui diuino afflatus spiritu præuidisset, eum euasurum in virum iustum atque perfectum, qui dignus aliquando foret inuenire gratiam coram Domino, & prædicta dona adeò vniuersalia & cunctis profutura à Deo obtinere ad suam suorumque consolationem: propterea, vt hæc mundo non semel indicaret ac prædiceret, imposuit huic paruulo suo nomen Noë, quod quietem significabat, eamdemq; temporibus suis certò futuram præmonstrabat: vt vel sic (quemadmodum benè loco præallegato notat B. Chrysostomus) mox, vt quis nomen pueri sciscitatus esset, ex interpretatione vocabuli, quod futurum erat, cognosceret; & deinceps etiam ex frequenti huius nominis appellatione, quod fortè obliuioni traditum esset, denuò in memoriam tempestiuè ac intempestiuè reuocari posset, & altiùs in hominum cordibus infigi.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1140.

ENOS QVANDO MORTVVS, ET QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

1. ANNO ætatis suæ nongentesimo quinto circiter expleto, Enos mortuus est, Genesis cap. 5. versic. 11.

Vixit verò Enos cum	Adam	annis	sexcentis nonaginta quinque,
	Seth		octingentis septem,
	Cainan		octingentis quindecim,
	Malaleel		septingentis quadraginta quinque,
	Iared		sexcentis octoginta,
	Henoch		trecentis sexaginta quinque,
	Mathusala		quadringentis quinquaginta tribus,
	Lamech		ducentis sexaginta sex,
	Noë		octoginta quatuor,

vt ex tabulis liquidò colligi potest.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1235.

CAINAN QVANDO MORTVVS.

1. ANNO vitæ suæ nongentesimo decimo circiter expleto, Cainan filius Enos mortuus est, Genesis cap. 5. vers. 14.

Vixit

	Adam		ſexcentis quinque,
	Seth		ſeptingentis decem & ſeptem,
	Enos		octingentis quindecim,
Vixit au-	Malaleel		octingentis quadraginta,
tem Cai-	Iared	annis	ſeptingentis ſeptuaginta quinque,
nan cum	Henoch		trecentis ſexaginta quinque,
	Mathuſala		quingentis quadraginta octo,
	Lamech		trecentis ſexaginta vno,
	Noë		centum ſeptuaginta nouem,

ET QVIBVSCVM, QVAMDIVQ. VIXERIT.

vt apparet ex tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1290.

1. ANNO octingenteſimo nonageſimo quinto ætatis ſuæ circiter completo, Malaleel mortuus eſt, Geneſ. cap. 5. verſ. 17. MALALEEL QVANDO MORTVVS, ET QVIBVSCVM, QVAMDIVQVE VIXERIT.

	Adam		quingentis triginta quinque,
	Seth		ſexcentis quadraginta ſeptem,
	Enos		ſeptingentis quadraginta quinque,
Vixit ita-	Cainan		octingentis quadraginta,
que Ma-	Iared	annis	octingentis triginta,
laleel cũ	Henoch		trecentis ſexaginta quinque,
	Mathuſala		ſexcentis tribus,
	Lamech		quadringentis ſexdecim,
	Noë		ducentis triginta quatuor,

vt videre eſt in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1422.

1. ANNO vitæ ſuæ nongenteſimo ſexageſimo ſecundo circiter defluxo, Iared mortuus eſt, Geneſis cap. 5. verſ. 20. IARED QVANDO MORTVVS.

2. Quæ verò alia, præter prædictorum generationes obituſque Patriarcharum, & alia à nobis hactenus recenſita, acta ſint, ab ortu Seth vſque ad obitum Iared; ſpatio ſcilicet annorum mille ducentorum nonaginta duorum, Scriptura ſacra non exprimit.

	Adam		quadringentis ſeptuaginta,
	Seth		quingentis octoginta duobus,
	Enos		ſexcentis octoginta,
Porrò Ia-	Cainan		ſeptingentis ſeptuaginta quinque,
red vixit	Malaleel	annis	octingentis triginta,
cum	Henoch		trecentis ſexaginta quinque,
	Mathuſala		ſeptingentis triginta quinque,
	Lamech		quingentis quadraginta octo,
	Noë		trecentis ſexaginta ſex,

QVIBVSCVM, ET QVAMDIV VIXERIT.

vt in tabulis experiri quiſque poterit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1537.

1. ANNO vitæ Noë quadringenteſimo octogeſimo primo circiter inchoante, videns Deus terram eſſe corruptam, comminatus eſt diſperdere eluuione vniuerſali omnem carnem; indulgens tamen hominibus dilationem centum viginti annorum, ad ipſorum conuerſionem, vt ſcilicet interim à peccatis reſipiſcentes pœnitentiam agerent, & ſic diuinam experiri miſerationem poſſent, quæ non vult mortem peccatorum, ſed vt magis conuertantur, & viuant; & ſemper parata eſt mutare ſententiam, ſi ipſi mutare vitam non negligant; vt manifeſtè oſtendunt Manaſſis, Niniuitarum, & aliorum pœnitentia ac conuerſio. Sanè hoc quod diximus, ſatis manifeſtè colligi poteſt ex illis verbis, quæ habentur Geneſ. cap. 6. verſ. 3. *Dixitq́, Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt; eruntq́, dies illius centum viginti annorum.* id eſt, non ſinam homines viuere in æternum in peccatis eorum, ſed adhuc expectabo eos ad pœnitentiam per annos centum viginti; à tempore ſcilicet huius comminationis inchoandos; quibus exactis, deſtruam eos vniuerſali Diluuio. In hoc etenim ſenſu conſtat præallegata Geneſ. verba fuiſſe accepta & expoſita à primariis Doctoribus, & ſanctæ Eccleſiæ Patribus, B. Chryſoſtomo Homil. 22. in Geneſ. B. Hieronymo in Tra-

DILVVII COMMINATIO. EXPLICATVR TEXTVS GENES.

ditionibus Hebraicis in Genes. & super Danielis cap. 9. sancto Augustino lib. 15. de Ciuit. cap. 24. & venerabili Beda super Genes. cap. 5. & aliis nonnullis. Tametsi non desint alij magni nominis Scriptores, tum veteres tum recentiores, nempe Philo in libro de Gigantibus, & Iosephus 1. Antiq. cap 4. non longè ab initio, & Lactantius lib. 2. Diuinarum institutionum cap. 14. & Diodorus Tarsensis, apud Lipomanum in Catena citatus, & Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 13. & Abulensis super cap. 6. Genes. quæst. 11. qui perperàm putant, eisdem Scripturæ verbis contractam esse hominum vitam ad illos centum viginti annos. Hos manifestè ipsamet Scriptura sacra redarguit, quæ nullum in tota prima & secunda mundi ætate commemorat, qui tam paucis vixerit annis; & plures qui ad multos annorum centenarios vitam produxerunt, vt videre est Genes. cap. 5. & cap. 11. vbi tradit omnes secundæ ætatis Patriarchas ibidem recensitos, longè prædictum centum viginti annorum numerum excessisse, & aliquos quidem plus ducentis annis, aliquos supra trecentesimum, & etiam vltra quadringentesimum vitæ annum fuisse superstites. Sed & in tertia mundi ætate, constat, non paucos multò plures quàm centum viginti vitæ annos habuisse: nam Abraham erat annorum centum septuaginta quinque quando mortuus est, Gen. cap. 25. vers. 8. & similiter Ismaël centum triginta septem, ibidem vers. 17. & Isaac centum octoginta, cap. 35. v. 28. & Iacob centum quadraginta septem, cap. 47. vers. 28. quando mortui sunt: Leui quoque vixit annis centum triginta septem, vt habetur Exod. cap. 6. vers. 16. & Caath filius eius annos centum triginta tres, ibidem vers. 18. & Amram annos centum triginta septem, vers. 20. Maria etiam soror Moysis, quæ proximior fuit quartæ mundi ætati, vixisse creditur annis secundùm aliquos centum triginta quinque: quamuis nos putemus, eam è vita excessisse anno ætatis suæ centesimo vigesimo septimo circiter incipiente; vt notatum est in tabulis. & certum est, Ioiadam Pontificem in quinta mundi ætate annos vitæ centum triginta exegisse, 2. Paralip. cap. 24. vers. 15. Quare patet, vanum esse & falsum, asserere, Deum prædictis verbis voluisse deinceps vitam hominum ad centum viginti annos contrahere, & nos infrà sub anno mundi 1656. num. 3. vsque ad 6. plurimos alios recensebimus, qui post hæc tempora vitam ad longè plures quàm centum viginti annos produxerunt.

2. Quòd si diuinam hanc sententiam, quam constat ante Diluuium fuisse pronuntiatam, aliqui nihilominùs in sensu à nobis hactenus refutato intelligendam, & non ad primæ neque ad secundæ neque ad tertiæ mundi ætatis tempora, sed ad ea dumtaxat, quæ circiter initia quartæ mundi ætatis fluxerunt, pertinuisse contendant; quoniam tunc Aaron, Moyses, & Iosue, & alij paulò plus minúsve centum viginti annis vixisse leguntur: ad quid, obsecro (respondeant velim) ante Diluuium fieri debuit talis illorum vitæ hominum taxatio, qui tanto pòst, & non potiùs illorum qui tunc nati, vel proximè nascituri erant? vel si ad tam longinqua tempora respiciebat illa prædictio; cur id aliquo modo in littera non indicatum fuit? vel dilata saltem talis pronuntiatio, vsquequò statim, vel paulò pòst, implenda foret? Præterea cùm certum sit, diuersis temporibus variè vitas hominum fuisse restrictas, & à Diluuio vsque ad Dauidem, sensim quidem, sed valdè admodum esse abbreuiatas: si aliqua vsque ab initio prænuntianda erat, cur non magis prænuntiata fuit postrema illa humanæ vitæ restrictio, quæ posteà vniuersalior ac diuturnior fuit? nimirum, quæ à temporibus Dauidis vsque nunc, per aliquot annorũ millenarios perdurasse videtur; cuius meminit idem Dauid in Psal. 89. vers. 10. dicens: *Dies annorum nostrorum in ipsis*, (id est vniuersaliter in hominibus) *septuaginta anni; si autem in potentatibus*, (hoc est, in robustioribus) *octoginta anni, & amplius eorum, labor & dolor.* quod nunc quoque communiori didicimus experientia. Igitur, reiecta huiusmodi opinione, firmiter teneamus, diuinam de qua agimus sententiam, ad tunc, quando à Deo pronuntiata fuit, viuentes pertinuisse, quos proculdubiò post centum viginti annos Diluuio interituros esse prænuntiauit.

DE TEMPORE COMMINATIONIS DILVVII DISSICVLTAS.

3. Verùm quia de tempore huius comminationis illud inter S. Hieronymum & beatum Augustinum dissidet, quòd S. Hieronymus putat factam anno quingentesimu vitę Noë, sed posteà Deum abbreuiasse hoc tempus, amputatis viginti annis. quam sancti Hieronymi opinionem comprobare nititur Hugo Cardinalis exemplo Ezechiæ, cui pœnitenti adiecit Dominus annos vitæ quindecim, 4. Reg. cap. 20. vers. 6. S. verò Augustinus tenet, factam fuisse anno quadringentesimo octogesimo vitæ ipsius Noë (intellige, expleto.) Nos libentiùs hac in parte secuti sumus S. Augustini sententiam: quia Deus, qui longanimis est, & præstabilis super malitia hominum, & ad hunc finem prædicit quæ missurus est flagella, vt inducat expectetque peccatores ad pœnitentiam; solet

let quidem addere ad miserationes suas, vt in casu Ezechiæ, & aliis; & contrahere item tribulationum durationes, iuxta illud Matth. cap. 24. vers. 22. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos breuiabuntur dies illi.* At verò dilationes, ad conuersionem peccatorum expectandam semel indultas, abbreuiare non consueuit pius & misericors Dominus, sed interdum potiùs elongare; vt planè insinuat Parabola, quæ habetur Lucæ cap. 13. vers. 6. de ficulnea, quæ triennio sine fructibus inuenta, tandem iussa est succidi; verumtamen adhuc aliquâtulum reseruata est, ad intercessionem cultoris dicentis: *Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora: & siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.* & præterea quia nihil prohibet dicere, Diluuium comminatum esse anno quadringentesimo octogesimo vitæ Noë. quòd enim priùs Scriptura Genes. cap. 5. vers. 31. dixerit, Noë cùm quingētorum esset annorum, genuisse Sem, Cham, & Iapheth; rectè accipi potest, fuisse per figuram anticipationis præmissum: vel etiam (vt ait sanctus Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 24.) credere possumus, Scripturam, annos vitæ Noë quadringentos octoginta, appellasse quingentos, vsurpando (vt interdum solet) numerum perfectum pro imperfecto. & in hoc sanctum Augustinum potiùs quàm sanctum Hieronymum sequuntur, Beda vbi suprà, & Abulensis super cap. 6. Genes. quæst. 11. & super cap. 11. quæst. 17. & Lipomanus in Genes. & alij.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1557.

1. NOE, cùm quingentorum esset annorum, hoc est, cùm compleuisset annum vitæ quingentesimum, inchoante nimirum quingentesimo primo, genuit Sem, Cham, & Iapheth, Genes. cap. 5. vers. 31. Quæ verba B. Chrysostomus Homil. 24. in Genes. prout sonant, admodum strictè intelligit: nimirum, Noë hos tantummodò tres filios in tota vita sua, nec ante quingentesimum ætatis suæ annum, genuisse. atque hinc occasionem arripit, excellentem huius viri continentiam commendandi, qui, cùm tantæ intemperantiæ dediti essent omnes huius temporis homines, manserit solus continentiæ virtutem strenuè seruans, donec ad quingentesimum annum peruenit. *Considera*, inquit, *quanta fuerit virtutis, in tantam temporis longitudinem concupiscentiæ rabiem refrænare, viamq́ longè diuersam ab aliis ingredi; nec solùm ab illicito coitu se cohibere, sed etiam à legitimo & inculpata.* hæc ille. Verumenimuerò, non videtur ex allegatis aliisue vllis sacræ Scripturæ verbis conuinci posse, ipsum Noë, non alios ante & post quingentesimum vitæ annum filios procreasse: alioquin in aliis quoque primæ & secundæ mundi ætatis generationibus, si præcisè ad litteram, quæ scripta sunt, accipienda forent, oporteret fateri, totam illam generationum seriem, quæ describitur Genes. cap. 5. & 11. (prima dumtaxat, quæ de ortu Seth loquitur, excepta) per solos primogenitos esse deductam: quod sub anno mundi 131. num. 3. refutauimus. Quare quemadmodum credibilius videtur, ipsum Seth ante centesimum quintum vitæ annum, in quo dicitur genuisse Enos, plures quoque alios generasse, & similiter Enos ante annum nonagesimum, & sic de aliis, vt sub anno mundi proximè allegato diximus: ita & Noë ante quingentesimum. Durum namque nimis videretur dicere, ipsum Noë aut priùs tanto tempore fuisse impotentem; aut mansisse quingentorum annorum spatio sine vxore ac liberis infecundum, aut continentiæ studio tamdiù ab vsu coniugij, de vxoris consensu (aliter enim sine culpa fieri non potuisset) abstinere voluisse; illis præcipuè temporibus, in quibus ipse generationis actus pro humano genere multiplicando non modò valdè honestus erat atque laudabilis, sed & à cunctis, etiam sanctis viris, valdè expetendus videbatur, ita vt etiam Henoch, qui propter singularem vitæ sanctitatem à communi morte vsque hodie mirabiliter præseruatus, atque ad singulare quoddam vitæ genus à mortalibus separatum translatus à Deo est, vacasse generationi anno vitæ suæ sexagesimo, & deinceps filios procreasse legatur, & fortè etiam ante. Etenim tunc temporis abstinentia ab actu coniugali diuinæ repugnare ordinationi quodammodò credebatur, quæ hominum multiplicationem tantopere commendauerat, & vt quantocyùs terra hominibus repleretur se exoptare, non obscurè indicauerat. Quare credendum est, sanctissimos illius temporis viros, existimantes Deo se rem valde gratam facturos, liberorum procreationi vacare nec omisisse, nec diutiùs distulisse. Non igitur satis firmum videtur esse Hieronymi Oleastri fundamentum super Gen. cap. 5. ad mores; ex quo elicit, debere nos exempla sumere castitatis & continentiæ à priscis illis Patribus, qui non nisi circiter centenarij generationi operam dabant, & præcipuè ab ipso Noë, qui quingentis annis, inquit, cælibem vitam egit.

NOE AN ANTE QVINGENTESIMVM VITAE ANNVM CAELIBEM VITAM EGERIT.

quod iis quæ à nobis prædicta sunt admodum repugnate manifestum est. Credimus item decipi Abulensem, qui exponens memorata Genesis verba: *Noë cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.* probare nititur, ipsum neque ante quingentesimum vitæ annum genuisse, neque post, præter tres prænominatos. Quia, inquit, in prioribus generationibus, Scriptura sacra solos eos commemorat, per quos rectà ad generationem Noë peruenitur, aliis omissis; hic autem non necesse erat sic facere; quoniam non intendebat deducere genealogiam ipsius Noë per hos tres filios ad aliquem terminum, vel terminos. Nam si dicis, ad Abraham. vsque ad ipsum peruenitur per solam progeniem vnius ex istis, nempe Sem. ergo (subinfert Abulensis) nominauit Scriptura tres, quia Noë nullos alios genuit. Sed, pace tanti viri dixerim, non tenet illatio. potest enim alia assignari ratio, cur tres tantùm illos, & non plures neque pauciores nominauerit: quam si quis percunctetur, dici poterit, Moysen, ceteris Noë filiis consultò prætermissis, horum dumtaxat trium meminisse, propterea quòd Sem necessariò erat commemorandus; quia per ipsum texenda erat posterorum eius genealogia vsque ad Abraham, Isaac, & Iacob, vel etiam ab aliis sacris posteà Auctoribus, vsque ad Christum: Cham verò & Iapheth non erant prætermittendi, quòd pariter cum ipso Sem, soli de omnibus filiis Noë ante Diluuium genitis, cum patre præseruati à Diluuio fuerint in Arca; ac per ipsos deinde reparatum sit genus humanum, ab ipso Diluuio iam penè extinctum. Neque verò quemquam mouere debet alia eiusdem Abulensis ratio, nempe Deum noluisse, propter bonitatem ipsius Noë, quòd aliquis de semine eius Diluuio deperiret; & idcircò permisisse vt alios ipse filios non gigneret, ne fortè inter eos aliqui fierent improbi, & ex eorum posteà interitu Noë nimium affligeretur. Hoc siquidem gratis dicitur. Quis enim nouit sensum Domini? Sed quis est qui nesciat, de iustis quoque viris improbos interdum esse exortos? veluti de Isaac, Esau; de Dauid, Absalom; de Iosia, Ioachim, &c. Quin etiam constat, ex tribus hisce filiis Noë, Cham fuisse improbum, ac proptereà à patre in filio Chanaan maledici meruisse. Quare si Deus noluisset contristare ipsum Noë, ita potuisset præseruare alios eius filios, licet improbos, in Arca, sicut ipsum Cham. Denique si quis adhuc instet, certum esse quod Genesis cap. 7. v. 1. habemus, Deum dixisse ipsi Noë: *Ingredere tu, & omnis domus tua in Arcam.* & quod vers. 13. apertè traditur, in eamdem Arcam tantummodò ingressos esse Noë, Sem, Cham, & Iapheth, filios eius; vxorem illius, & tres vxores filiorum eius, nimirum, (vt dicitur 1. Petri cap. 3. vers. 20.) *pauci, id est octo animæ salua facta sunt per aquam.* ergo signum est, non alios filios, saltem ante Diluuium, à Noë fuisse genitos. Ad hoc dicimus, non necessariò id sequi; quia nihilominùs fieri potest, vt Noë plures alios genuerit, qui pariter ante Diluuium vel mortui sint, vel quòd à paterna pietate desciuissent, etiam ab eius domo manumissi recesserint, & sic desierint esse de domo Noë, ac tandem cum aliis improbis Diluuio interierint.

NOE AN SOLOS TRES GENVERIT FILIOS IN SACRO ELOQVIO NOMINATOS.

2. Ceterùm, non putandum est, hosce tres filios Noë eodemmet anno fuisse genitos. Videtur enim fieri non posse, vt ex iisdem parentibus vno anno tres sint geniti, nisi eodem partu omnes editi fuissent. At hoc videtur aduersari Scripturæ Genes. cap. 9. vers. 24. vbi Cham appellatur filius Noë minor, & cap. 10. vers. 21. vbi, in editione Vulgata, Sem dicitur frater Iaphethi maior. Quæ voces, *maior* scilicet & *minor*, præsertim inter fratres, ordinariè ad ætatem referri solent. Sed, vt arbitror, Scripturæ sensus est, quòd Noë quingentorum erat annorum, quando prædictos tres filios generare cœpit: ita vt ad huius textus veritatem sufficiat, quòd vnus ex memoratis filiis, puta Sem, vel (vt Hebræi putant) Iapheth, anno vitæ Noë quingentesimo expleto sit genitus; ceteri verò successiuè deinceps. Nam & de Sem Genes. cap. 11. versic. 10. legimus, quòd centum erat annorum biennio post Diluuium. ex quo inferri potest, ipsum esse natum circa finem anni vitæ Noë patris sui quingentesimi secundi, vt etiam sub annis mundi 1559. num. 1. & 1659. num. 2 dicemus.

TRES FILII NOE NVM EODEM ANNO, AN QVANDO GENITI.

3. Per eadem quoque circiter tempora credimus Noë inuenisse gratiam in conspectu Domini, qui, vt dicitur in Psalm. 13. vers. 2. de cælo prospiciens super filios hominum, vt videret si esset intelligens aut requirens Deum, ex omnibus in terra tum viuentibus vnicum ferè Noë iustum atque perfectum inuenit. Iustum, quia ad normam veræ iustitiæ iurisque diuini in omnibus se gerere studebat. Perfectum, siue aliorum comparatione; vel potiùs, quia totis viribus ad veram vitæ perfectionem tendere nitebatur: quandoquidem ipse in tanta humani generis corruptela penè solus cum Deo ambulabat, hoc est, ea circumspectione in cunctis operibus, verbis, & cogitationibus suis procedebat, ac si, vt dicitur in Psal. 5. vers. 8. prouideret Dominum in conspectu

NOE INVENIT GRATIAM CORAM DEO.

suo

suo semper, ipsumque tamquam speculatorem desuper adstantem perpetuò attenderet, qui se diebus omnibus actusque suos prospiceret, obseruaretque à luce prima in vesperum, & è conuerso. Sanè illud viri huius perfectionem valdè magnificat, quòd, vt posteà dicebat de sancto Iob B. Gregorius initio suorum Moralium, *Non admodum laudabile est, bonum esse cum bonis; sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse; ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse.* Diximus, Noë pæne solum inuentum fuisse iustum; quia num etiam vxor, & postea filij eius, & vxores eorum, tales fuerint: an verò ob iustitiam ipsius Noë, & in eius gratiam saluati à Diluuio fuerint; non vsquequaque exploratum videtur. Nam etsi probabile sit, vxorem quoque eius ac liberos cum vxoribus suis fuisse probitate insignes, ac propterea solos cum patre ipsorum Noë Diluuio non fuisse deletos: nihilominùs ex Genes. cap. 7. vers. 1. vbi legimus: *Dixit Dominus ad eum* (nempe ad Noë) *Ingredere tu, & omnis domus tua, in Arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* videtur potiùs iudicari, solum Noë ob suam iustitiam meruisse à Diluuio præseruari; domum verò eius, ad consolationem capitis, & ad faciliorem hominum reparationem, cum ipso fuisse seruatam. Siquidem reddens rationem huius indultæ salutis Dominus, iustitiæ solius Noë mentionem facit. Quamquam non absurdum etiam videri possit arbitrari, coniugem ipsius Noë, & filios ac vxores eorum, respectu quidem Noë, non fuisse iustos; & ideò de solo Noë dici, *Te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Sed in comparatione aliorum fuisse bonos, vel saltem non malos, aut certè nullum ipsorum adeò peruersum, sicuti erant ceteri qui tunc viuebant homines. AN SOLVS NOE INVENTVS SIT IVSTVS.

4. Igitur eodem tempore, cùm scilicet Dominus vidisset, quòd homines vitæ longitudine ad flagitia abuterentur, & iam totam ferè terram, hoc est hominum genus, siue carnem esse corruptam, (*omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*) dixit ad Noë: *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam,* &c. Genes. cap. 6. vers. 12. Et est ac si dixisset: Quoniam, vt vides, ô Noë, *non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra:* quinimmò, *maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium,* & omnia pænè alia peccata *inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit,* hoc est, apposuerunt iniquitates super iniquitates eorum. (*tunc enim sanguis sanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus animo cruentetur.* sic B. Gregorius Homil. 11. in Ezechielem.) *Propter hoc lugebit terra,* Oseæ cap. 4. vers. 2. quia, vt aliàs à me prænuntiatum fuit, inundabunt aquæ super terram; statui enim disperdere vniuersali Diluuio omnem carnem. Tu verò scito, inuenisse te gratiam coram me: propterea ex omnibus qui in mundo sunt hominibus te solum, cum modica familia tua, quæ tecum reperietur, veluti quoddam humani generis seminarium, reseruare decreui. Itaque fac tibi Arcam præcisè ad formam mensurasque à me præscribendas, (de quibus nos paulò inferiùs agemus) vt cùm diuinæ huius vindictæ tẽpus à me præfinitum aduenerit, tu tuique in eam ingressi, ab aquis super vniuersam terrã vehementer inundantibus incolumes seruari valeatis. Ex his & eiusmodi aliis sub anno mundi 1537. num. 1. dictis, intueri licet, quàm temerè Berosus ille Annianus & fictitius scripserit, ipsum Noë ex quadam siderum obseruatione præuidisse eluuionem mox futuram, ac propterea nauigio sibi suisque prospexisse. Sic solent impij tribuere astris, naturæ, casui, seu fortunæ, vel etiam humanæ industriæ, quæ à Dei voluntate, gratia, aut iustitia proficisci certissimum est, vt benè notat Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ. PRAECIPIT DOMINVS NOE VT FACIAT ARCAM.


5. Eodem annò necesse est ipsum Noë cœpisse Arcam fabricare, si vera est illa iam pænè ab omnibus recepta vetus Patrum sententia, quòd scilicet centum annis extructa fuerit, vt tradunt Origenes lib. 4. contra Celsum, & sanctus Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. vlt. & lib. 12. contra Faustum cap. 18. & idem supponit tamquam verissimum in Quæstionibus in Genes. quæstione 5. vbi quærit, quomodo potuerit Arca tam magna fieri centum annis, à quattuor hominibus? & respondet quæsito, Non magnum esse, Noë fabros alios conduxisse, qui tamen mercede accepta, nihilque aliud curantes, ob eorum incredulitatem non intrarunt. Clarius item quæstione 23. de eadem Arca verba faciens: *Centum,* inquit, *anni facta reperitur.* Eamdem opinionem sequuntur B. Gregorius Homil. 15. in Ezechielem; & Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 20. & alij posteriores ferè omnes. nec immeritò. Nam si anno vitæ suæ quingentesimo exacto, iussus est Noë fabricare Arcam: vtique credendum est, ipsum, qui iustus erat atque perfectus, illicò Domini iussa exequi cœpisse: ab hoc verò anno ad initium Diluuij, certum est, centum annos integros intercessisse. Neque obstat quod legimus ARCA QVANDO COEPTA EST FABRICARI.

Genef. cap. 6. verf. 18. *Ponamq́, fœdus meum tecum; & ingredieris Arcam tu, & filij tui, uxor tua, & uxores filiorum, tecum*, & quæ fequuntur. nam fi quis putet inde colligi poffe, quòd hæc & paulò antè memorata dixerit Dominus ipfi Noë, non anno vitæ eius quingentefimo, quando filij eius, vt dictum eft, nondum omnes nati effe poterant, nedum vxorati; fed poft aliquot annorum decades, quando fcilicet poftmodum viri facti iam duxerant vxores: refpondemus, id nequaquam debere admitti, quandoquidem ex ipfo contextu Sacro apparet, prædicta omnia, hoc de quo nunc agimus anno, à Deo prolata effe; nimirum quando Noë gignere cœpit tres filios ibidem nominatos, quos fuprà genuiffe feu gignere cœpiffe anno ætatis fuæ quingentefimo Scriptura iam expreflerat. Verum tamen eft, quòd præter ea quæ ibi præcipit Deus de Arca tunc fabricanda, reliqua ferè omnia (quod fpectat ad executionem) non ad idem tempus, fed ad mox futurum, videlicet ad Diluuio proximum, funt referenda; quando nimirum conftat, filios Noë vxores iam duxiffe. proptereà in Textu legimus: *Et ego difperdam eos cum terra. Ecce ego adducam aquas Diluuij fuper terram. Ponamq́, fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filij tui*, &c. ex quibus fit manifeftum, quod hæc & fimilia in pofterum, nempe Diluuij temporibus, implenda fore, hic prænuntiantur.

DE ARCAE STRVCTVRA. 6. Porrò de ftructura huius Arcæ pauca quædam, & tantummodò quæ neceffaria videntur, hoc loco breuitati confulentes, dicere operæpretium duximus: videlicet, de menfuris in ea ædificanda diuinitus præfcriptis, de forma feu figura ipfius exteriori, & de interiori partium eius difpofitione. Qui enim plura defiderat, videre poterit egregium Ioan. Buteonis libellum, quem de Arca Noë infcripfit, in quo multa fanè fcitu digna complectitur, quæ fufiùs profequitur Pererius lib. 10. & 11. Commentariorum fuorum in Genef. extat etiam Ariæ Montani libellus in fuo Bibliorum Regiorum Apparatu infertus, qui infcribitur Noah, id eft De fabrica & forma Arcæ, non contemnendus. Itaque quod attinet ad menfuras, dubitare nemo debet, quin Noë fecerit

DE ARCAE MENSVRIS. Arcam præcisè intus longam cubitis trecentis, latam quinquaginta, & altam triginta; quemadmodum præceperat ei Dominus Genef. cap. 6. verf. 15. Et talis (inquit fanctus Auguftinus lib. 15. de Ciuit. cap. 26.) eft humani corporis fupinè iacentis proportio; fiquidem longitudo eius fextupla eft ad latitudinem, decupla verò ad altitudinem feu profunditatem, fi rectâ lineâ longitudinem eius dimetiamur à fummo vertice ad pedum plantas, latitudinem ab extremitate alterius humeri ad alterum; & profunditatem à fummitate pectoris ad dorfi fupeficiem, vt figura hic pofita declarat. Proptereà enim non quadratæ prorfus, aut alterius figuræ fieri Arca debuit, fed tanto latitudine longior, vt dictum eft. Neque item eiufdem Arcæ longitudinem extremitates in acutum terminari oportuit; quia non ad iter per aquas faciendum (vt longæ naues) confici debebat, fed tantùmodò, vt aquis fupernatans, in ipfa exiftentes à Diluuio præferuaret.

Menfura trecentûm cubitorum.



QVALES ESSENT CVBITI 7. Verùm fi quis percunctetur, cuiufnam longitudinis effent illi cubiti, refpondeo, varias effe hac de re fententias. Quidam enim veriti, ne fi dixerimus menfuram cubiti, quo vfus eft Noë, fuiffe vulgarem, quam definiunt effe fefquipedalem, Arca nimis arcta & angufta euafiffet; neque tot animantium genera, efcafque pro illis integro anno alendis, commodè capere potuiffet: vt hanc hæreticorum calumniam declinarent, in alteram huic oppofitam inciderunt. Nam dicentes, Moyfen loqui de cubitis Geometricis, quorum finguli (inquiunt) fex ex noftris fefquipedalibus continent; anfam aliis hæreticis præbuerunt irridendi huiufcemodi cubitos, ex quibus profectò

totum

totum Arcæ ædificium ad tam vastam magnitudinem excreuisset, vt vix credi posset, humanis viribus tale quid vmquam compingi potuisse: præterquam quòd superuacanea quoque fuisset tanta eius amplitudo, & nullatenus supponendum est, Deum superflua aut pænè impossibilia iussisse. Quòd si Moyses in Arcæ fabrica de talibus cubitis egisse deberet intelligi, vtique eodem modo videretur intelligendus, vbicumque de cubitis absolutè & sine vlla alia circumstantiâ mentionem facit: nulla enim ratio suadet, quòd magis hic de cubitis Geometricis loqui voluerit quàm alibi: atqui hoc posito, plura sine dubio sequerentur absurda. Nam Exod. cap. 27. vers. 1. de Altari construendo agens, dicit, illud debuisse fieri altum tribus cubitis, qui si essent Geometrici, facerent altitudinem ipsius decem & octo cubitorum sesquipedalium; & consequenter, ad ipsum non nisi per scalas & gradus ascendi potuisset, contra expressum Domini præceptum, quod habetur Exod. cap. 20. in fine, vbi ait: *Non ascendes per gradus ad Altare meum.* Præterea 1. Reg. cap. 17. vers. 4. habemus, quòd proceritas staturæ Goliath gigantis erat sex cubitorum & palmi: quæ si de cubitis Geometricis intelligenda foret, oporteret ipsum Goliath fuisse altum triginta sex cubitis sesquipedalibus & palmo, & consequenter caput eius habuisse altitudinis sex ferè cubitos communes, sicque fuisse maius toto Dauidis corpore, & propterea videretur non posse credi, quod vers. 54. citati capitis legimus, nimirum Dauidem assumpsisse caput Goliath, & tulisse illud in Ierusalem; & vers. 57. cum eodem capite in manu coram Saule fuisse introductum.


8. Itaque relictis hisce Geometricis cubitis, tamquam fictitiis, (nulla enim, vt fertur, ipsorum mentio reperitur apud Geometras) putant alij magis probati Auctores, Arcæ cubitos fuisse sesquipedales, scilicet vigintiquattuor digitorum transuersalium. Alij aliquanto maiores, nimirum vigintiocto digitorum. Alij item illos faciunt longiores, ita vt singuli contineant quadraginta duorum digitorum transuersalium longitudinem. Nobis probabilior videtur illorum sententia, qui arbitrantur, Moysen hîc & vbique loqui de cubitis ad mensuram cubiti virilis; vnde & nomen huius mensuræ deductum est. quod etiam ipsemet Moyses expressè videtur significasse Deuteron. cap. 3. vers. 11. iuxta magis receptam loci illius interpretationem. Est autem mensura cubiti, virilis manus, illa quæ ab externo flexi brachij angulo ad medij digiti summitatem protenditur; non quidem in brachio pueri, sed hominis perfectæ ætatis, puta triginta trium circiter annorum, non gigantis aut pygmæi, sed formæ seu staturæ quadratæ, hoc est, per omnia admodum proportionatæ, cuiusmodi credimus fuisse Adamum, quando à Deo immediatè plasmatus est; & Dominum nostrum Iesum Christum, quando pro salute mundi fuit cruci affixus: quam quidem cubiti mensuram aiunt esse vigintiquattuor digitorum transuersalium, & sesquipedalem; & totius eiusdem viri altitudinis quartam circiter partem complecti. Et in summa, cubitus sacer est media pars passus, vt manifestè declaratur Num. cap. 35. vers. 4. vbi decernitur suburbanorum latitudo mille passuum: qui mille passus, ibidem vers. sequenti, declarantur facere cubitos bis mille. Admodum verò etiam probabile est, talium cubitorum mensuram olim ab ipsomet Adamo primùm fuisse introductam; ac deinde, ne ob varias humanorum corporum staturas deprauaretur, ligneis aut metallicis lineis ad posteros vniformiter deriuasse; & non modò ante Diluuium, sed etiam post, per multa tempora eodem modo apud omnes homines fuisse vsitatam.

9. Sanè si de huiusmodi cubitis Scripturam sacram loqui accipiamus, nullum sequitur inconueniens: nam neque Altaris præscripta trium cubitorum altitudo erit ministerio Sacerdotum improportionata, neque caput Goliath tam magnum, quin commode manu a Dauide ferri potuerit; neque Arca talibus cubitis commensurata nimis vasta, vt ab hominibus illis minimè fabricari, neque nimis angusta euadet, vt tot animalium escarumque genera continere nequaquam posset. Etenim, si multiplices trecentos longitudinis cubitos per quinquaginta latitudinis, resultabunt quindecim millia quadratorum in basi ipsius Arcæ; qui rursus per triginta altitudinis cubitos multiplicati, efficiunt summam quadringentorum quinquaginta millium cuborum seu quadratorum solidorum. Quibus addi posset tota capacitas sub tecti culmine existens, quæ, supposito quòd mediana culminis altitudo vno tantùm cubito Arcæ latera excederet, vt tenet Buteo, nihilominùs contineret cubos seu quadratos solidos septem mille quingentos, &c, (si fastigium multò altius erat, vt infrà dicemus) multò plures. sed nos totum quod erat sub tecto spatium, consultò prætermittimus, compensantes illud cum eo, quod de ipsius Arcæ capacitate occupabant contignationes, columnæ, & varia tabulata, quibus mansiones ipsæ distinguebantur, de quibus paulò infrà suo

loco agemus. Cùm igitur totum Arcæ vacuum, deductis omnibus impedimentis, fuerit quadringentorum quinquaginta millium cuborum, seu quadratorum solidorum; proculdubio poterat abundè sufficere pro cunctis illis animalibus escisque ipsorum commodè continendis, etiamsi insuper multa pecorum millia, pro alendis carniuoris, eódem inferri oportuisset, vt Geômetricis rationibus subtiliter ac euidentissimè probat Ioan. Buteo in suo libello superiùs citatò. Et hæc de mensuris Arcæ, eiusque capacitate, dicta sufficiant. nam quòd etiam bitumine intrinsecus & extrinsecus linita fuerit, vt fit in nauigiis, quæ loco bitu minis, pice intus & extrà diligenter liniri solent, ne (quod alioqui facile fieret) lignorum substantia aquis imbibita intus quoque exsudaret, citiusque marcesceret, ex Sacro textu satis est manifestum.

DE FIGVRA ARCAE ET TECTI EIVS.

10. De figura autem ipsius Arcæ & tecti eius, non benè conuenit inter Sacri textus Expositores. Nam licet ferè omnes existiment, verba illa, quæ habentur Genes. cap. 6. vers. 16. *Et in cubito consummabis summitatem eius.* non ad fenestræ, sed ad ipsius Arcæ seu tecti eius formam pertinere: non tamen omnes eodem modo prædicta verba intelligunt. Siquidem maior pars Doctorum credit, Deum hisce verbis mandasse ipsi Noë, vt faceret summitatem Arcę seu tecti eius vno cubito latam. Aliqui verò putant, Deum voluisse, vt Arcæ fastigium vno tantùm cubito super latera eius emineret: & nihilominùs, singuli ferè omnes variant in Arcæ figura describenda, & vnusquisque in suo sensu abundare videtur. Et primò quidem Origenes, quem posteà secuti sunt Beda, Rupertus, & Abulensis, arbitratus est Arcam fuisse quodammodò pyramidalem; ita tamen, vt fundum siue basis eius non esset quadra, sed sexies sua latitudine longior, summitas verò non acuta, sed veluti secta, & vnius cubiti mensura vtrimque quadra, vt hæc quoquomodò ostendit figura.



In qua supponimus, A C esse lineam longitudinis Arcæ, cubitorum trecentûm; A D latitudinem, cubitorum quinquaginta; B E altitudinem, cubitorum triginta. Sed profectò, huiuscemodi figura cuiusdam tecti potiùs formam referre videtur, & insuper multa patitur incommoda ad ipsam ædificationem, & item ad stabulationem animalium, necnon etiam ad natandum; & quod magis refert, valdè admodum minuit ipsius Arcæ capacitatem, vt optimè aduertit probatque Io. Buteo vbi suprà.

11. Caietanus autem aliter Arcæ figuram expressisse visus est; sed & ipse in modum alterius tecti, cuius summitas lata sit vno cubito, longa verò quantum tota Arca, hoc modo:



Quæ figura easdem pænè patitur difficultates, quas prima. Quare Hugo de sancto Victore libro 1. de Morali Arca cap. 3. quattuor Arcæ parietes quindecim tantùm cubitis perpendiculariter erigit, ipsisque tectum superimponit totidem cubitis altum, forma ferè pyramidali, ac veluti cacumine secto, prout in Origenis delineatione positum est, & hîc describitur.




Verum-


Verumtamen iſta etiam Arcæ figura, cùm proximè ad ſuperiores accedere videatur, mentò quoque iiſdem ferè argumentis, quibus illæ, reiici poſſe videtur. Itaque multò melius Lyranus & alij nonnulli faciunt Arcam, præcisè prout habetur in littera, longam cubitis trecentis, latam quinquaginta, & altam perpendiculariter triginta, cui ſuperimponunt tectum priori non abſimile; tametſi eius altitudinem minimè determinent, quemadmodum ſubiecta oſtendit delineatio.



12. Sed ad quid, obſecro, illa cacuminis abſciſio, & vnius cubiti quadratura in ſummitate tecti poſita? quæ neque ad decorem, neq; ad vtilitatem aut neceſſitatem vllam, neque ad quidquam aliud facere poſſe videtur. Hanc inconuenientiam, ſeu vt ita dixerim, ſuperfluitatem, vt deuitarent Io. Buteo & Arias Montanus, aliter exponentes præcitata Geneſ. verba, *Et in cubito conſummabis ſummitatem eius*, dixerunt, ſenſum eorumdem verborum eſſe, vt Arcæ ad prædictas menſuras fabricatæ imponeretur tectum ea ratione diſpoſitum, vt mediana culminis altitudo per totam Arcæ longitudinem excurrens, vnico tantùm cubito latera eius excederet. tametſi nonnihil inter ſe memorati Auctores differant; ſiquidem Montanus tectum facit aliqualiter conuexum, quantum ſcilicet vnius cubiti altitudo ferre poteſt, hoc pacto:



Quam profectò figuram nos probare non poſſumus, quoniam fornix lata quinquaginta cubitis, & vno tantùm cubito eleuata, non modò nullam habet gratiam, ſed & valdè deformis eſſe videtur, & ad pluuiæ, præſertim minutioris ac diuturnæ profluuium, ſatis inepta. Vnde conſultiùs Buteo conſtituit culmen Arcæ faſtigiatum, & definens in angulum valdè admodum obtuſum, prout hæc figura demonſtrat:



Quæ quidem tamquam præſtantior, atq; ad deſtinatum vſum accommodatior, cunctis prioribus præferenda videtur: ſi tamen proprius ſenſus illorum verborum, *Et in cubito conſummabis ſummitatem eius*, eſt (vt omnes exponunt) ac ſi diceremus, Arcam ſeu tectum, quod erat ſummitas eius, in vnius cubiti menſura terminari debere.

13. Verumenimuerò (ni fallor) mihi videtur nihil obſtare, quin illa verba ſic accipi poſſint, debeántve, vt non ad Arcæ aut tecti eius formam deſignandam pertineant, ſed magis ad commendandam ipſi Noë exactam præſcriptarum menſurarum obſeruantiam. Non enim dixit Dominus: Et in vno cubito conſummabis ſummitatem eius. ſed indefinitè, *in cubito*. Quo loquendi modo non videtur ſignificare voluiſſe, quòd Arcę ſummitas in vnius cubiti latitudine aut altitudine compleri deberet; ſed eſt ac ſi dicere voluiſſet: Vt Arcam ipſam, & omnes eius partes, adamuſſim iuxta præſtitutas tibi menſuras fabricare ac perficere valeas, ſemper cubitum, hoc eſt cubiti menſuram, ad manus habere debebis, qua veluti præcipuo inſtrumento, totiuſque operis directorio, totam hanc fabricam abſoluere curabis; ita vt nec amplior, nec anguſtior, neque alterius formæ efficiatur, quàm à me præfinitum fuit. Quid eſt enim dicere, *conſummabis ſummitatem eius*, niſi complebis, ſeu abſolues ædificium eius? nam ſicuti cuiuſuis fabricæ fundamenta primò iaciuntur, ita & ſummitatem poſtremo loco exſtruere neceſſe eſt: ne-

EXPONVNTVR VERBA GEN CAP. 6. VERS. 17.

que

que vmquam ædificium aliquod absolutum dicitur, donec ad debitam summitatem perductum fuerit. Itaque, *In cubita consummabis summitatem eius*, non inconuenienter sic interpretari vel exponere possumus, id est, mediante hac cubiti mensura, seu, cum huiuscemodi mensura, perduces eam vsq; ad summitatem ac debitam perfectionem.

14. Et hæc est phrasis Hebraica, cuius vsus admodum frequens est in Sacris libris, in quibus tametsi ista Præpositio *in* varias habeat significationes, quarum duodecim enumerat Pererius super Gen. cap. 32. num. 5. sæpissime tamen vsurpari solet pro *cum*, vt Genes. cap. 3. vers. 16. *In dolore paries filias*: & vers. 17. *In laboribus comedes ex ea.* & cap. 32. vers. 10. *In baculo meo transiui Iordanem istum.* & Exod. cap. 4. vers. 17. *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* & Iudic. cap. 15. versic. 15. & 16. *Mandibulam asini arripiens, interfecit in ea mille viros, & ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos.* & Iudith cap. 2. vers. 16. *Resistentes sibi, occidit in ore gladij.* & in Psal. 73. vers. 6. *In securi & ascia deiecerunt eam.* & in Psal. 150. *Laudate eum in sono tubæ. in psalterio & cithara. in tympano & choro. in chordis & organo. in cymbalis benesonantibus. in cymbalis iubilationis.* & 1. Machab. cap. 1. vers. 18. *Et intrauit in Aegyptum in multitudine graui, in curribus, & elephantis*, &c. & cap. 3. vers. 12. *Et gladium Apollonij abstulit Iudas, & erat pugnans in ea omnibus diebus.* & 2. Machab. cap. 15. versic. 16. *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deiicies aduersarios.* & in Cantico Zachariæ, Lucæ cap. 1. vers. 74. *Seruiamus illi in sanctitate & iustitia.* & cap. 22. ver. 49. *Domine, si percutimus in gladio?* & ad Coloss. cap. 3. vers. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia.* & vers. 22. *In simplicitate cordis, timentes Deum.* & ad Thessalonicens. 1. cap. 1. v. 5. *Quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa.* & ad Hebræos c. 1. vers. 1. & 2. *Multifariàm, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouissimè locutus est nobis in Filio.* id est, mediantibus Prophetis & Filio. Plura hic fortasse quàm oportuit, Scripturæ loca adduximus; sed id factum est, vt omnes intelligant, hanc esse locutionem in omnibus ferè libris tum veteris tum noui Testamenti valdè vsitatam, & propterea ex his aliisque eiusmodi locis fieri manifestum, posse nos admodum propriè, & sine vlla erroris suspicione, exponere illud, *In cubito*, hoc est, cum cubito, vel mediante tali instrumento, consummabis summitatem eius, id est, ædificabis eam vsque ad summum verticem.

15. Quòd si hæc nostra expositio, quæ satis firma videtur, probanda est; nihil prohibet tectum altius vno cubito super Arcæ latera exstitisse. Nam licet illa Buteonis altitudo sufficere posse videatur ad pluuiæ profluuium, in tecto præsertim fastigiato, ac benè læuigato, ac bitumine desuper accuratiùs delinito: videmus tamen tecta communiter altiori culmine fieri solere, etiam illa quæ plumbeis æreisve laminis operta sunt, & ob hoc solum ad pluuiam quamuis minutissimam diuturnamque à subiectis partibus arcendam tuta esse videantur. Porrò tectum Arcæ altius constituere, vt in typo infrà num. 19. subiiciendo videri poterit, nimirum ad conuenientem quamdam latitudinis proportionem, ita vt eius culmen duodecim ac semis cubitos haberet altitudinis, & sic vno totius latitudinis quadrante suprema Arcę latera superaret, non modò quidquam incommodi, sed multum commodi adferre poterat, tum ad ipsius Arcæ capacitatem magis augendam, tum etiam ad nidos volucrum aptiùs sub ipso tecto disponendos & concinnandos, & ad maiorem earumdem volitandi commoditatem. Et hæc sit nostra de forma Arcę sententia: quæ si tamquam noua, & à communiori Doctorum opinione nonnihil discedens, non placet, facilè poterit quiuis, pro suo libito, alicui ex prænotatis adhærere, aut aliam sibi aptiorem fingere.

DE INTERIORIBVS ARCAE MANSIONIBVS.

16. Quod attinet ad interiores Arcæ mansionum partitiones, ex Sacris libris nihil aliud habemus, nisi quòd mandauit Dominus Noë Genes. cap. 6. vers. 14. vt mansiunculas in Arca faceret, & cœnacula, & tristega. Quo fit, vt quamuis de particularibus mansionum diuisionibus, qualiter scilicet singulæ articulatim distinctæ ac dispositæ fuerint, nihil certi affirmare possimus; attamen in vniuersum constare videatur, totam Arcæ capacitatem primò in tres præcipuè veluti aulas amplissimas fuisse distinctam, & supra se inuicem collocatas. Etenim certum est, olim superiores domus partes cœnacula nuncupari consueuisse, vt colligi potest ex quodam Vitruuij loco, nimirum lib. 2. sub finem cap. 8. vbi ait, quòd aucto mirum in modum populo Romano, cùm necesse fuisset in cœnaculis habitare, ad ædificiorum altitudines deuentum est. & ex Cicerone, qui in Oratione 2. de Lege Agraria dicit, Romam in montibus positam & conuallibus, cœnaculis sublatam atque suspensam. Quod etiam sacræ Scripturæ testimo-

COENACVLA QVAE OLIM DICEBENTVR.

niis

niis confirmari poteſt, nam 3. Regum cap. 6. verſic. 8. de templo legimus: *Et per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.* & cap. 17. verſ. 23. de Elia, qui *tulit puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domum.* & 4. Regum cap. 1. verſic. 2. Ochozias Rex Iſrael dicitur cecidiſſe per cancellos cœnaculi, atque ex huiuſcemodi caſu ægrotaſſe, ac demum periiſſe: ſignum eſt igitur quòd cœnaculum illud erat in ſuperiori parte domus, & ſatis amplum atque apertum, cancelliſque circumdatum; fortaſſis ad maiores delicias, vt de menſa poſſent longiùs proſpicere. Certum quoque eſt, quòd quia antiquitus in amplioribus ædium locis triclinia diſponere ac cœnare conſueuerant; propterea appellatione cœnaculi, non ſolùm ſuperiora, ſed etiam quælibet ampliora loca benè poſſunt ſignificari. Quòd autem tria, & non plura nec pauciora fuerint in Arca huiuſcemodi cœnacula, ſatis clarè inſinuat verbum illud Græcum *triſtega* in Sacro textu additum (vt creditur) ad denotandum numerum cœnaculorum. Siquidem *triſtega* Græcè idem ſignificare dicitur, quod Latinè diceremus, tria tuguria, ſeu, tria tecta.

17. Propterea valdè rationabiliter ex præcitatis Scripturæ verbis colligunt Doctores, totius Arcæ altitudinem intus quadtuplici contignatione fuiſſe partitam; ex qua tria cœnacula, vel ſolaria, ſeu loca ampliſſima reſultabant; ſingula longa lataque, quantum erat tota longitudo ac latitudo Arcæ. Nam infima pars, quattuor circiter cubitis alta, tamquam ſentina, ad animalium excrementa ſordeſque excipiendas deputata erat: niſi fortè etiam aliquid ſaburræ, puta arenæ aut lapidum, ad vnius cubiti altitudinem haberet, ad maiorem ipſius Arcæ firmitatem, vt in magnis nauigiis apponi ſolet. Supra ſentinam erat primum cœnaculum ſeu ſolarium, decem circiter cubitis altum, pluribus tabulatis in varias manſiunculas diuiſum, ad quadrupedia diuerſi generis ſeparatim continenda, cum ſuis deambulatoriis, per quæ ad ſingulas manſiunculas commodè iri poſſet. Habebant verò (vt arbitror, & ratio ipſa dictat) ſingulæ manſiunculæ patuulas quaſdam in pauimento feneſtellas cum ſuis operculis, quæ facilè attolli poſſent, quotieſcumque ſordes in ſentinam proiicere oporteret. Et alij item erant in ſingulis manſiunculis foruli, directè ſuper præſepia à ſuperiori contignatione deſcendentes, veluti longiores quædam capſulæ ſeu canales, alij ampliores, per quos palea, fœnum, & alia iumentorum cibaria, ad plures dies; alij anguſtiores, vnde aqua ad potandum in vaſis ad hoc paratis, de ſuperiori cœnaculo ſtatis temporibus demitti commodè poſſet. Et præterea quædam ſpiracula, veluti quidam camini, qui vſque ad Arcæ ſummitatem protendebantur; vt per aperta quædam oſtiola (vtrimque ſub prominente tecti ſtillicidio aptè fabricata, quò à pluuiis tuta, & ab aquarum fluctibus remotiora eſſent) fœtores exhalare, & incluſus aër tranſpirare quoquomodò poſſet, ne ſordium pædore infectus, animalia etiam ipſa inficeret interimeretque. In hoc cœnaculo erat oſtium ex latere deorſum, vt dicitur Geneſ. cap. 6. verſ. 16. id eſt non in ipſo Arcæ fundo, ſed immediatè ſupra ſentinam; ita vt in prima contignatione, ſeu in pauimento primi cœnaculi, limen haberet, & in ipſo limine cardines, à quibus fores in terra, vel in eminentiori quodam aſcenſu verſatæ, veluti ſcalæ, ſeu pontis cuiuſdam vicem, ad ingreſſum in Arcam ſupplerent. Debuit autem oſtium illud eſſe ſatis amplum & altum, vt per ipſum commodè poſſent etiam maiora animalia ingredi, qualia ſunt elephantes, cameli, & id genus alia. Scalas item in hoc primo & in ſecundo quoque cœnaculo appoſitè diſpoſitas fuiſſe, dubitare nemo debet, per quas homines ad ſuperiora conſcendere, & inde ad inferiora deſcendere, prout animalium cura exigeret, commodè valerent.

ARCAE SENTINA.

DE PRIMO ARCAE COENACVLO, ET IN EO CONTENTIS.

ARCAE OSTIVM.

18. Sanè in ſecundo cœnaculo, quod erat altitudinis circiter cubitorum octo; & pariter multis ſepimentis in varias apothecas diuerſimodè diſtinctum, erant repoſitoria omnis generis commeatus & annonæ, ibi aderant ampla palearia, fœnilia, & horrea hordei, auenæ, viciæ, milij, panici, & aliarum frugum, quæ iumentis ac volucribus dari ſolent; & loca item, magnis aquæ dulcis vaſis referta. His addi debent omnium fructuum, nucum, malorum, caſtanearum, & item frumenti, olei, leguminum, pro victu hominum, cellæ ſeparatæ ac benè diſpoſitæ, cum ſuis deambulatoriis, per quæ ſingula loca, vbicumque opus eſſet, facilè adiri poſſent. Atque hæc duo cœnacula nullam feneſtram habebant, quia nullo indigebant lumine: non ſecundum, quoniam erat veluti cella penaria domus: non primum, quoniam irrationabilia nonnihil in caligine videre creduntur, & naturaliter quodammodò tenebris delectari; quandoquidem genus omne ferarum noctu eſcas quærere, interdiu verò in ſpecubus & antris latitare conſueuit. reptilia quoque, arborum ac petrarum ſciſſuras auida quadam cupi-


DE MEDIO ARCAE COENACVLO, ET IN EO CONTENTIS.

ANIMALIA VIDENTVR TENEBRIS DELECTARI

cupiditate quæritant, vt in his se recipere ac conquiescere valeant. & volucres in nemoribus alijsque opacis locis, libentissimè versantur. domestica item animalia, nempe pecora ac iumenta, in stabulis minimè luminosis contineri solent, & in obscuro salubriùs pasci. Et in summa, certum est, cuncta animalium genera in tenebris quietius viuere, & faciliùs gubernari: videmus namque ferociores equos, & falcones, & accipitres, aliaque huiusmodi, occlusis oculis, vbique facillime circumduci ac circumferri. Itaque neque intus, ob causas iam memoratas, neque foris ob magnos fluctuum impetus, vllam in primo ac secundo Arcæ cœnaculo expediebat esse fenestram: præsertim cùm facile possent filij Noë vti lucernis, quotiescumque ad eadem cœnacula, vel pro victualibus accipiendis, vel pro pascendis animalibus, sordibúsve detergendis, descendere opus esset.

DE SVPREMO COENACVLO, ET IN EO CONTENTIS.

19. Dicamus nunc aliquid de supremo cœnaculo, quod à proprio pauimento ad tecti initium octo circiter cubitis altum fuisse credimus; & in tres præcipuas, secundùm Arcæ longitudinem, partes propè æquales distinctum; quarum singulæ ad centum cubitos longæ, quinquaginta verò latæ erant. Porrò mediam harum partem, hominum habitationi destinatam, hoc pacto dispositam fuisse putamus, vt scilicet in eius medio aula esset satis magna, habens ad Arcæ latus fenestram competenter grandem, ab interiori parte, vitreis fortasse (si tamen tunc vitri vsus iam adinuentus erat) specularibus munitam, quæ interdiu claudi & aperiri; ab extra verò ligneis valuis, quæ noctu tempestatibúsve ingruentibus intus trahi, recludi, ac ferreis pessulis firmiter obserari possent. Probabile est autem, prope dictam fenestram vtrimque quosdam veluti puteos vsque ad sentinam pertingentes extitisse, cum suis funibus & vasis, ad humidiora inde excrementa haurienda, atque ex Arcæ fenestra proiicienda, paratos. quotum tamen puteorum ora, extra id temporis, semper benè clausa manerent. Ad dictæ verò aulæ latera, credimus domunculas extructas fuisse plurimas; quasdam quidem pro lectulis ipsius Noë & filiorum, vxorumque suarum; quasdam verò pro coquina, & strue lignorum ad eius vsum, & cellis penariis biscocti panis, aliorumque ciborum, pro ordinario eorumdem victu. Reliqua autem duo spatia, centum videlicet cubitorum ab vna parte, & totidem ab altera, erant volatilibus designata; hinc domesticis, illinc agrestibus; nidis vtrimque pro ipsis appositè fabrefactis, & prout opus esse videbatur, inter se distinctis, seu ab inuicem seiunctis, & sine lumine, ob rationes superiùs adductas. Ceterùm, tum in hoc superiori, tum in inferiori cœnaculo, pluribus in locis rimulas, & forulos, seu cauernulas quasdam consultò relictas, aut de industria in parietibus, & contignationibus, ac tabulatis factas fuisse credimus; vt in ipsis parua reptilia, veluti lacertæ, stelliones, chamæleones, & id genus alia, sese recipere possent, ita vt ferè nihil de Arcæ spatio occuparent. Probabile demum quoque videtur, vtrimque ad Arcæ tecti stillicidium æreos canales forinsecus fuisse appensos, eatenusque aptatos, vt quandocumque opus esset, per alios eiusdem generis canales, deintus à quattuor Arcæ angulis superioribus, vel ab eiusdem Arcæ fenestra emittendos, deriuari possent in Arcam aquæ pluuiales, pro vasis denuò replendis, ad quotidianos animalium hominumque vsus. Et hac ratione, vel simili quodam modo, Arcam intus forisque fuisse compactam ac dispositam, satis rationabiliter coniicere possumus. Cuius typum, ad faciliorem eorum quæ diximus intelligentiam, aliqualiter hîc exprimere curauimus:



20. Per

20. Per eadem quoque tempora, Noë, dum fabricaret Arcam, prædicasse etiam dicitur populis pœnitentiam, & veram ad Deum conuersionem, per quam possent peccatores inuenire misericordiam in conspectu Domini, & euadere comminatum ab eo Diluuium. Et hoc videtur posse colligi ex illis B. Petri verbis, quæ in priori eius Epistola cap. 3. vers. 19. sic habent: *In quo & his, qui in carcere erant spiritibus, veniens prædicauit; qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur Arca, in qua octo animæ,* &c. iuxta primam obscurissimi illius loci expositionem, quam refert ibidem Lyranus, (& videtur desumpta ex sancto Augustino Epistola 99.) quæ supponit, ibi Apostolum loqui, non de prædicatione Christi apud inferos, sed de ea quæ olim facta fuerat per ipsum Noë, de qua hîc loquimur. Quamquam sensus memoratæ Petri sententiæ magis germanus videatur esse, quòd Christus, quando non in corpore, sed in spiritu, hoc est in anima descendit ad inferos, prædicauit illis spiritibus, id est animabus, quæ in infernali carcere detinebantur: prædicauit, inquam, hoc est, manifestauit, se non viuorum tantùm, sed etiam mortuorum iudicem esse constitutum, & condemnaturum eos, qui in diebus carnis suæ increduli fuerant Moysi & Prophetis prædicantibus Christum esse venturum, & in tali incredulitate de hac vita decesserant: quemadmodum in diebus Noë contigerat iis, qui expectantes Dei patientiam, id est temerè de diuina patientia præsumentes, recusauerant credere ipsi Noë prædicanti Diluuium mox futurum, qui pariter in incredulitate sua perierant. Est enim inter hos magna similitudo, præsertim cùm in vtroque casu nulla videatur esse numeri proportio inter eos qui interierunt, & eos qui salutem sunt consecuti: siquidem constat, quòd quemadmodum ex tanto hominum numero, qui viuente Noë in vniuerso erant mundo, octo dumtaxat animæ saluæ factæ sunt per Arcam: sic ex infinita pœnè animarum multitudine, quam reperit Christus in inferno, paucas admodum, nempe solas illorum, qui eum & venturum esse crediderant, & præcepta eius viuendo tenuerant, per suam gratiam liberauit, vt testatur B. Gregorius lib. 6. Epistolarum cap. 179. Sed quidquid sit de vera prædictorum verborum intelligentia, quòd Noë prædicauerit hominibus sui temporis, multò clariùs colligi potest ex eodem B. Petro, Epistola eius secunda cap. 2. vers. 5. vbi Noë octauum eorum qui saluati sunt in Arca, vocat iustitiæ præconem, quia nimirum prædicauerat ac prædixerat horrendum illud diuinæ iustitiæ exemplum, quod posteà per Diluuium, vniuersali illo hominum interitu, manifestatum est. NOE PRÆDICAT POPVLIS POENITENTIAM.

21. Quod verò diximus, Noë prædicasse pœnitentiam, non bonis tantùm vitæ suæ exemplis accipiendum putamus (de hoc enim nemini dubium esse potest, quin si erat iustus atque perfectus, etiam toto vitæ suæ tempore bonis actibus id egregiè admodum præstiterit) sed etiam verbis; idque, vt verisimile est, magno zelo & multa instantia, opportune & importunè, vt posteà aiebat Apostolus. Qua quidem prædicatione licet parum aut nihil profecerit, quantum ad corporalem audientium salutem, qui omnes increduli exstiterunt, Diluuioque submersi sunt: non est tamen improbabile, quòd plurimum profecerit in animarum salute promouẽda; quandoquidem multos eorum, qui priùs increduli fuerant, posteà inchoante Diluuio, & vallibus iam repletis, credidisse ac pœnituisse, atque crescentibus aquis, post mortem, in locum salutis concessisse, nimirum in Limbum sanctorum Patrum, sine errore (vt arbitror) cum Lyrano & aliis admitti posse videtur; ne tam strenuam, laboriosam, ac diuturnam tanti viri prędicationem, cassam, irritam, atque omnino infructuosam euasisse fateri cogamur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1559.

1. ANNO quingentesimo secundo vitæ suæ expleto, id est quingentesimo tertio inchoante, quòd Noë genuerit Sem, colligi potest Genes. cap. 11. vers. 10. vbi dicitur, Sem biennio post Diluuium fuisse centum annorum. Et hoc proculdubiò admittendum esset, si vellemus intelligere Textum illum præcisè, prout in littera, prima fronte videtur exprimere, quemadmodum hîc faciunt Hebræi, & qui cum ipsis tenent, non Sem, sed Iapheth fuisse inter tres filios Noë natu maiorem. pro quorum opinione facere etiam potest, quòd Genes. cap. 10. priùs describitur genealogia seu posteritas ipsius Iapheth. At verò qui arbitrantur, non Iapheth, sed Sem fuisse cunctis fratribus suis seniorem, dicunt Scripturam sacram in præcitato Textu duobus illos annos supra centesimum more suo omisisse; quoniam solet nonnumquam huiuscemodi minutiora tempora in supputationibus suis præterire, vt in Præfatione diximus, & insuper etiam sub anno mundi 1659. num. 2. demonstrabimus; vbi quænam ex his duabus opinio- DE ORTV SEM.

nibus probabilior sit, discutiemus. De ortu verò Cham nihil certi habemus, aliis opinantibus ipsum fuisse natu minorem trium filiorum Noë, propter illa verba quæ habentur Genes. cap. 9. vers. 24. *Cùm didicisset* Noë *quæ fecerat ei filius suus minor*, &c. & hæc videtur esse opinio communior. aliis autem existimantibus ipsum Cham inter prædictos duos fratres esse natum, quoniam Scriptura sacra semper inter eos medium nominat, *Sem, Cham, & Iapheth*. Atque isti exponunt locum Genes. citatum debere referri, non ad Cham, sed ad filium eius Chanaan: de quo subiungitur, *Maledictus Chanaan*, &c. qui cùm esset minimus filiorum Cham, ibi Hebraico more (inquiunt) appellatur filius Noë minor.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1651.

1. ANNO septingentesimo septuagesimo septimo ætatis suæ desinente, Lamech mortuus est, Genes. cap. 5. vers. 31.

LAMECH QVANDO MORTVVS, ET QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

Vixit autem Lamech cum	Adam	annis	quinquaginta sex.
	Seth		centum sexaginta octo.
	Enos		ducentis sexaginta sex.
	Cainan		trecentis sexaginta vno.
	Malaleel		quadringentis sexdecim.
	Iared		quingentis quadraginta octo.
	Henoch		centum tredecim.
	Mathusala		septingentis septuaginta septem.
	Noë		quingentis nonaginta quinque.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1656.

1. ANNO nongentesimo sexagesimo nono vitæ eius inchoante, Mathusala mortuus est, Genes. cap. 5. vers. 27. Cumque alij plerique homines primæ mundi ætatis annum explerent nongentesimum, aut non multùm excederent, ipse ad millesimum proximè omnium accessit. Dixi, inchoante: quia siue ponamus ipsum natum esse incipiente, siue expleto anno sexagesimo quinto patris sui Henoch, vt positum est in tabulis; semper necesse erit, quòd postremus annus ipsius Mathusala concurrat cum anno sexcentesimo vitæ Noë. & ratio est, quoniam, vt habetur Genes. cap. 5. vers. 25. Mathusala vixerat centum octoginta septem annos, quando genuit Lamech: & Lamech centum octoginta duorum erat quando genuit Noë; ibidem vers. 28. Ergo Mathusala vixerat annos trecentos sexaginta nouem, quando natus est Noë. quibus adde sexcentos vitæ ipsius Noë tempore Diluuij, & inuenies præcisè numerum annorum nongentorum sexaginta nouem ætatis Mathusala in Scriptura expressum. Cùm igitur mense secundo anni sexcentesimi ipsius Noë (vt infrà dicemus) Diluuium cœperit, ad quod non peruenisse ipsum Mathusalam, certissimè constat; restat necessaria sequela, nimirum eumdem Mathusalam non expleuisse annum nongentesimum sexagesimum nonum, sed tantummodò per vnum circiter mensem inchoasse.

MATHVSALA QVANDO MORTVVS SIT.

2. Et hinc quoque colligitur, quòd summa annorum mille sexcentorum quinquaginta sex, quam omnes fere ponunt ab orbe condito ad Diluuium, si de annis integris intelligenda est, terminare debet non ad Diluuium inchoatum, sed propè completum; ita vt annus millesimus sexcentesimus quinquagesimus sextus, in quo factum est, perdurauitque Diluuium, pertineat totus ad primam mundi ætatem. Propterea nos secundam orbis ætatem incipiemus, non (vt multi faciunt) ab inchoato Diluuio, quod fuit veluti quidam mundi interitus; sed à completo, nempe ab egressu Noë & cunctorum animantium de Arca: tunc namque mundus tamquam denuò reuiuiscere visus est, & quasi de nouo incipere.

MATHVSALA QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

Ceterùm Mathusala vixit cum	Adam	annis	ducentis quadraginta tribus.
	Seth		trecentis quinquaginta quinque.
	Enos		quadringentis quinquaginta tribus.
	Cainan		quingentis quadraginta octo.
	Malaleel		sexcentis tribus.
	Iared		septingentis triginta quinque.
	Henoch		trecentis.
	Lamech		septingentis septuaginta septem.
	Noë		sexcentis.

3. Ita-

DE PRISCORVM PATRVM LONGÆVITATE, ET CAVSIS.

3. Itaque inter homines quos Scriptura sacra commemorat, (mittamus nunc duos illos rarum, Henoch scilicet & Eliam, quos hodie etiam viuere, & vsque ad Antichristi aduentum victuros esse, communis opinio est) Mathusalam longe omnium diuturniorem in hoc mundo vitam duxisse comperimus: nam etsi de Adamo dici posse videatur, ipsum diutiùs quodammodò vixisse, si ætatem in qua creatus fuerat (quam quidam sexaginta circirerannorum fuisse existimanr) attendamus: attamen certum est, annos quos reuerà ipse Adam in hac vita traduxit, multò annis vitæ Mathusala pauciores exstitisse. Postulat ergo hic locus, vt de causis tam diuturnæ vitæ priscorum illorum hominum aliquid disseramus. Sed priùs, quòd (etiam seposita Fide, quæ omnem tollit difficultarem) non sit incredibile, eos tamdiu vixisse, persuaderi potest à simili. Nam cùm certum sir, (vt sub anno mundi 987. num. 18. demonstrauimus) extitisse homines communem ceterorum hominum staturam valdè excedentes, quos communiter gigantes appellamus; si tanta in corporum humanorum magnitudine inæqualitas conspicitur, quid mirum, etiam in vitæ eorumdem hominum prolixitate maximam diuersitatem reperiri potuisse? Quandoquidem, vt ait S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 9. tametsi priscorum hominum *magnitudines corporum, plerumque ossa eorum adinuenta, (quoniam diuturna sunt) etiam multò posterioribus sæculis produnt: annorum autem numerositas cuiusque hominis, quæ temporibus illis fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum potest: non ideò tamen fides huic sacræ historiæ deroganda est; cuius tanto imprudentiùs narrata non credimus, quanto impleri certiùs prænuntiata conspicimus.* sic iste Sanctus, qui deinde citat Plinium asserentem, *esse adhuc gentem vbi ducentos annos viuitur.* & subdit: *Si ergo humanarum vitarum diuturnitates, quas experti non sumus, hodie habere creduntur incognita nobis loca, cur non habuisse creduntur & tempora? An verò est credibile alicubi esse quod hic non est; & incredibile est, aliquando fuisse quod nunc non est?* hæc S. Augustinus.

4. Iosephus quoque 1. Antiq. cap. 4. prope finem, profert plures antiquissimos ac nobilissimos Scriptores, nempe Manethonem Ægyptiarum rerum Scriptorem, & Berosum Chaldaicarum, Mochum, Hestiæum, Hieronymum Ægyptium, qui Phœnicum res prosecuti sunt; de memorata priscorum longæuitate idem sentientes: Hesiodum quoque, cum Haccathæo, Hellanicum, & Acusilaum, Ephorum, & Nicolaum; qui narranr, priscos illos homines ad mille annos vitam produxisse. id est, propè ad millesimum viræ annum accessisse. Quod etiam de his qui vltra Hyperboreos montes Septentrionem versus, incolunt, ex Simonide & Pindaro refert Strabo lib. 15. quamuis id fabulosum suspicetur. His addere possumus Solinum, qui cap. 33. de quibusdam Æthiopibus, quos Macrobios vocabant, & vltra Meroëm Nili insulam super exortum solis habitabant, ait, quòd *dimidio eorum protensior est quàm nostra vita.* Neque citati Auctores tantùm, sed alij quoque, tum veteres tum recentiores, (quos refert Antonius Torquemada, in suo flosculorum curiosorum Viridario, Tract. 1.) multa de quibusdam aliis supra ordinarium naturæ cursum longioribus hominum ætatibus scripta reliquerunt, tum irum Xenophon, qui quemdam de maritimis regibus affirmat vixisse annis octingentis, alterum sexcentis; & fortè hi sunt, quorum meminit Rauisius in sua Officina tomo 1. sub titulo eorum qui diu vixerunt, his verbis: *Impetris, Pulutiniarum insulæ Rex, vixit annis octingentis, & filius eius sexcentis.* Et Plinius infrà citandus prodit, in Illyrico hominem nomine Dandonium superstitem fuisse annis quingenris. Sed nec fabulosum creditur, quod multi Poëtæ, nempe Iuuenalis Satyra 10. ex Homero, & Tibullus lib. 4. & Propertius lib. 2. & Ouidius Metamorph. lib. 12. tradiderunt, Nestorem ad trecentos annos vitam produxisse. Hellanicus item antiquissimus Scriptor, homines in Ætolia prouincia ducentis, & nonnumquam trecentis annis vixisse tradit. & Isigonus & Plinius quosdam populos in India, quos appellabant Cyrnos, passim centum & quinquaginta vitæ annos traduxisse commemorant. Onesicritus etiam, qui sæpiùs à Strabone citatur, scribit, in quadam Indiæ regione homines communiter viuere centum triginta annos sine senio, ac veluti in media ipsorum ætate decedere. Eos quoque, qui incolunt insulam quam vocant Pandoram, ducentos, necnon & trecentos annos in humanis degere. Alia item huiuscemodi testimonia, sed recentiora, & exempla magis particularia idem Torquemada adducit, quæ breuitatis causa prætermittimus. Nam de sancto Seruatio Episcopo Tungrensi, quem obiisse aiunt anno Domini 403. quòd vixerit annis trecentis septuaginta tribus, scriptis mandarunt Sigebertus in Chronico, sub anno Domini 399. & Petrus in Catal. libr. 5. cap. 162. & alij. Constat prætereà multorum Scriptorum testimonio, quòd anno Domini circi-

ter 1139. imperante Conrado huius nominis tertio, mortuus est in Gallia vir quidam, Ioannes nuncupatus, annorum trecentûm sexaginta & vnius; qui propterea Ioannes de Temporibus vulgò dicitur; & olim fuerat miles custodiæ corporis Caroli Magni Imperatoris, vt Petrus Messias in eiusdem Conradi vita, & Auctor Fasciculi temporum, & alij plurimi scriptis tradiderunt. de quo etiam Ioanne creditur Mantuanus in Alphonso dixisse: *Et quem fama refert hiemes vidisse trecentas.*

Verùm non minùs memorabile est, quod de quodam Indo meminit Io. Petrus Maffæius lib. 11. Historiarum Indicarum, vbi describens quædam ad annum salutis circiter 1536. pertinentia, in illis partibus gesta, ait: Dum hæc parantur, quidam è Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, Prætorem adit, narus, vt ferebatur, annos trecentos triginta quinque; neque mendacij suspicio suberat; nam & seniores, qui tum erant, se de hoc eodem grandæuo aiebant à maioribus accepisse; & ipse filium habebat nonagenarium; & cùm litteram nosset nullam, quæ referebantur ab eo de veterum gestis rebus, ad fidem Annalium optimè congruebant. Huic aliquoties iam deciderant dentes, aliis continuò subnascentibus; & barba, vbi prorsus incanuisset, in atrum denuò colorem, idque paulatim, semetipsa vertebat. ante centesimum annum idola coluerat, inde æquè miserabili errore ad nefariam Mahumetis transierat sectam. Is propter miraculi nouitatem, Sultani stipendiis ali consuetus, idem vitæ subsidium à Nonnio petiit. Nonnius haud grauatè assignauit. hæc Maffæius. quæ ex Hernando Lopez à Castagneda regis Portugalliæ Chronographo accepisse creditur, qui libro sui Chronici 8. eadem ferè scripserat; & insuper aliud quoque exemplum simile retulerat, nimirum, eodem circiter tempore extitisse in Bengala Æthiopem nomine Xequerit, qui trecentorum erat annorum, & ob singularem vitæ austeritatem & abstinentiam, tamquam Sanctus, inter illius regionis Æthiopes habebatur.

5. Quod verò de priori Indo dictum est, qui statis temporibus veluti reiuuenescere videbatur, multis quoque aliis accidisse testatur Torquemada loco paulò superiùs citato, vbi aliquot alia eiusmodi exempla adducit. Omitto hîc commemorare S. Romualdum Rauennatem, qui annum centesimum vigesimum agens ad Deum migrauit, anno Domini 1027. vt in eius vita Breuiario Romano intexta legimus: quoniam hodie quoque eiusdem ætatis homines non deesse compertum habemus. Illud solum non prætereo, circumferri nunc ex Suecia relationes anno salutis 1578. habitas, quæ attestantur, in illis regionibus homines ordinariè diu admodum viuere; ita vt ibidem nemo miretur, plures ad annum vitæ centesimum trigesimum, vel etiam centesimum quadragesimum peruenire, Quoniam, inquiunt, id ibi communiter ac passim eueniret, si crapula & ebrietas multis vitæ tramitem intempestiuè non abrumperet. Ceterùm qui plura in hoc genere desiderat, consulat Plinium lib. 7. cap. 48. & 49. & Officinam Rauisij Textoris vbi suprà, & Auctorem Theatri vitæ humanæ volumine 2. lib. 3. in principio, vbi agit de longæuitate seu diuturnitate vitæ, & inueniet extitisse plurimos valdè grandæuos vtriusque sexus, & cuiuscumque status, adeò vniuersaliter per omnia ferè sæcula, & in variis orbis terræ partibus; vt probabile non sit, quod quidam suspicati sunt, nempe annos ipsorum fuisse trimestres aut quadrimestres: quandoquidem certum est, eiusmodi annorum dimetiendorum rationem non nisi certis temporibus paucisque admodum locis fuisse obseruatam; vniuersaliter autem cunctas pænè orbis nationes, iuxta Solis aut Lunationum cursus, annos suos metiri consueuisse: & nos suprà sub anno mundi 131. num. 6. probauimus, Scripturam sacram ordinariè loqui de annis Solaribus. Quare ex iis quæ adduximus longæuorum hominum exemplis, maximè eorum qui non longè à nostris temporibus superstites fuerunt, satis constare videtur, nullatenus esse mirandum, quòd circa prima illa mundi tempora homines longè admodum diuturniorem quàm nunc vitam ducerent; certis præsertim concurrentibus tunc causis, de quibus consequenter agemus.

CVR HOMINES OLIM TAM LONGAEVI.

6. Sunt autem præcipuè septem illæ, quas prosequitur Abulensis super Genes. cap. 5. quæst. 11. vbi quærit, cur olim tam diu viuere potuerint homines, qui nunc tam citò senescunt, & pereunt. Quarum aliquas breuiter tangit Iosephus 1. Antiq. cap. 4. Prima fuit, corporeæ ipsorum habitudinis bonitas, quæ secundùm Physicos, in optima quattuor humorum ac primarum qualitatum temperie, & membrorum totius corporis conformatione, consistit. Hæc autem duo in Adami Heuæque plasmatione, tamquam à Deo immediatè facta, proculdubiò credendum est fuisse perfectissima; ita vt etiam non modico pòst tempore, in eorum quoque successoribus, adhuc satis firma & valida perdurare potuerint: posteà namque constat, quòd optima illa humanorum corpo-

corporum constitutio, vbi per plures admodum successiones à prima sua origine elongari cœpta est, sensim quoque à primæua sua integritate ac perfectione sensibiliter deficere cœpit. Varus deinde etiam morbis & accidentibus fracta ac debilitata, facta est minùs potens ad perferenda propulsandaque contraria, & ad sui ipsius conseruationem: vnde paulatim imminuta est hominum vita, donec tandem communiter ad septuaginta, vel in potentatibus, id est robustioribus, ad octoginta annos, vt habemus in Psalm. 89. vers. 10. deuenit. Et quamquam non hæc sola, sed aliæ item causæ (de quibus paulò pòst differemus) concurrant, ad longam aut breuem hominis vitam efficiendam; ex quo fit, vt aliqui interdum posteri diuniùs vixerint, quàm ipsorum antecessores, vt patet de Mathusala, & aliis non paucis: constat tamen, ceteris paribus, illos longiorem duxisse vitam, qui magis principio creationis humanæ naturæ appropinquarunt; & eò breuiorem, quò longius ab eo nati sunt. quod licet ex comparatione hominum eiusdem mundi ætatis non semper appareat, fit tamen satis euidens atque perspicuum, si vitas hominum vnius mundi ætatis cum altera conferamus.

7. Altera causa fuit, perpetua quædam in victu temperantia: numquam enim crapulis aut ebrietatibus indulgebant, sed erant contenti cibis simplicibus ac naturalibus, quantum naturalis ipsorum ferebat indigentia; & aquâ dumtaxat, quæ tunc erat saluberrima, sitim extinguebant: neque replebant ventrem tot eduliis arte coquorum diuersimode conditis ac compositis, ad palatum magis oblectandum, quàm ad sustentandam vitam accommodatis, vt nostris fit temporibus; quorum vsu (quemadmodum mox docuit experientia) multæ gignuntur ægritudines, vitaque ipsa admodum debilitatur ac minuitur, iuxta illud Ecclesiastici cap. 37. versic. 32. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adiiciet vitam.*

8. Tertia causa dicitur fuisse alimentorum præstantia: longè enim melioris succi ac nutrimenti aiunt exstitisse humi nascentia ante Diluuium, quàm post, propter aquas Oceani valdè salsas, quarum inundationibus terra sterilis & infecunda facta est; quemadmodum legimus de quibusdam Ducibus, qui hostium vrbes à se deletas, sale seminarunt, ne vel vllum in eis germen oriretur. cuius rei exemplum legimus Iudic. cap. 9. vers. 45. Et ob hanc causam existimant, Deum concessisse hominibus esum carnis post Diluuium, vt vel sic memorato fructuum terræ defectui suppleri aliquo modo posset.

9. Quarta causa fuit, perfecta quædam rerum naturalium cognitio, quam Dei beneficio habuit Adam; qui cum optimè nosset vires herbarum, lignorum, fructuum, metallorum, lapidum, animalium, ceterarumque huiusmodi rerum; nouerat etiam ea omnia quæ habebant vim conseruandi ac producendi vitam, usque vsus est ipse, & docuit posteros suos. Sed hæc peritia creditur vel Diluuij, vel diuisionis linguarum & gentium temporibus, Deo sic permittente, periisse; ne homines his freti remediis, propensiores essent ad crapulas, ebrietates, luxurias, & similia.

10. Quinta causa assignatur, benignus quidam ac specialis aspectus siderum; ex quo Dei prouidentiâ, super illam præcipuè regionem quam incolebant prisci illi Patres, prouenieбant influxus valdè salutares, & ad conseruandam diuque producendam hominum vitam efficacissimi. talem autem ac tam diuturnum siderum aspectum siue influxum aiunt prouenire non potuisse ex motu raptus cælorum, qui quotidie perficitur ac renouatur; neque ex motu proprio planetarum, quorum Saturnus, qui omnium tardissimus est, triginta annorum curriculo circulum suum absoluit; sed secundùm proprium motum octauæ, vel vt alij existimant, nonæ sphæræ: hæc enim adeò segniter cursum suum peragit, vt non nisi centum annis gradum vnum conficiat: quo fit, vt in tota mundi prima ætate, quæ fuit mille sexcentorum quinquaginta sex annorum, non potuerit variari prædictus cæli aspectus, nisi per decem & sex gradus cum dimidio, duobus circiter adiectis minutis. Vnde cùm ab isto cæli motu, & astrorum prospectu, quantum attinet ad causas naturales, potissimùm pendere credatur hominum vita & mors, non mirum est, si in tota prima mundi ætate parum immutata est eorumdem hominum longæuitas. oportet autem benignum illum astrorum aspectum, quando post primam mundi ætatem, stellati cæli motu, ad alias terræ regiones deuenit, eàdem Dei prouidentiâ, per aliquos contrarij influxus planetas concurrentes ac prædominantes, à memorato producendæ hominum ætatis effectu fuisse impeditum, & idcircò nullibi deinde visos esse homines, qui communiter tamdiu viuerent. Sanè quod atti-

net ad prædictum octauæ sphęræ motum, aiunt ab eo alias quoque admirabiles quasdam causari in hoc mundo inferiori mutationes: puta, quòd aliqua terrarum plaga fluctibus maris tota paulatim operiatur; & è conuerso, non modica maris portio, aquis sensim recedentibus, arida relinquatur: & item, quòd aliqua terra priùs optima & benè culta, postmodum reddatur infructuosa atq; inhabitabilis; & quæ erat sterilis & deserta, ferax admodum efficiatur, ac habitatoribus plena; & alia huiuscemodi mirabilia, quæ probati Auctores prodiderunt.

11. Sextam causam fuisse perhibent, vt commodiùs citiùsque multiplicari posset genus humanum, & repleri habitatoribus terra, quòd præsertim in illo mundi exordio necessarium videbatur. hoc autem non tam facilè fieri potuisset, si tunc ita breuis fuisset vita hominum, sicuti nunc est.

12. Septima demum tamquam finalis causa adduci solet, vt per longiorem vitam possent homines adinuenire artes ac scientias vsibus humanis admodum vtiles ac necessarias, necnon ad perficiendum intellectum accommodatas, quæ non nisi pluribus longissimique temporis experimentis atque obseruationibus reperiri ac probe teneri valent. Vnde non immeritò dicebat Aristoteles 1. Metaphys. cap. 1. experientiam artes facere, & 1. Ethicorum cap. 7. tempus esse inuentorem & promotorem artium ac scientiarum, & per ipsum fieri artium additamenta. Potissimum autem videtur necessaria fuisse diuturnitas illa vitæ, ad Astrologiæ ac Geometriæ scientias adinueniendas; quarum certitudinem (vt scribit Iosephus 1. Antiq. cap. 4. prope finem) assequi non poterant, si minùs sexcentis annis vixissent; & ratio est, quia aliqui ex motibus cælestibus (vt dictum est) serò admodum complentur, ideoque non nisi longissimo temporum tractu obseruari possunt. Cùm igitur in his aliísque huiusmodi scientiis ac facultatibus quædam rarò admodum accidant, & multa sint quæ sine experimentali, quam vocant, cognitione probè sciti, posterisque mandari cumulatè nequeant, &, vt ait Hippocrates in Aphorismorum initio, experimentum sit admodum fallax; & consequenter ad exactam eius comprobationem exigat longissimam experientis durationem atque obseruationem: non mirum est, si altissima illa Dei prouidentia, quæ (vt dicitur Sapien. cap. 8. vers. 1.) ***attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter,*** ex quo priscos Patres etiam in multis tamquam vniuersæ posteritatis magistros fore destinauerat, eosque ob id diutiùs viuere oportere intelligeret: varias multiplicesque, quas memorauimus, veluti secundás ac naturales prolixioris vitæ causas, tunc temporis concurrere naturaliter voluit; vt longo vsu ac studio plenam quodammodò humanarum artium ac scientiarum notitiam consequi, & quę tam diu didicissent, iis qui postmodum multò minùs victuri erant, citiùs tradere ac communicare valerent.

ARCA QVANDO EXPLETA ET ESCIS BENE PROVISA.

☞ 13. Eodem anno, qui erat sexcentesimus vitæ Noë, non multò post mortem aui sui Mathusala, ipse Noë, expleta Arcæ fabrica, intulit in eam ex omnibus escis quæ comedi poterant, quemadmodum præceperat ei Dominus Genes. cap. 6. vers. 21. Ad quas escas proculdubiò pertinuisse intelligenda sunt, multa magnaque dulcis aquæ vasa, ad potandum, cibosque coquendos. Sed & in eadem escarum generalitate, Origenes Homil. 2. super Genes. cap. 6. & Io. Buteo in suo de Arca Noë libello, putant comprehendi quoque carnes; nimirum, multa ouium millia, pro alendis carniuoris. qua ratione dici etiam posset, contineri pisces, pro his animalium generibus quæ solent vesci piscibus. Sed (pace istorum dixerim) hæc opinio non videtur vllo modo admittenda: nam præterquam quòd superiùs sub sexta mundi die num. 28. & 29. probauimus, quòd etiam animalia, quæ nunc sunt carniuora, ante Diluuium neque carnes neque pisces comedebant, sed tantummodò terræ fructus, à Deo tunc vniuersaliter cunctis animantibus in cibum assignatos: & ipsemet Buteo testatur, omnes vno ore Theologos concedere, nullum ex carniuoris animalibus Diluuio durante carnes comedisse, sed omnes in Arca, siue Dei prouidentia, siue necessitate cogente, quia nullæ ibi erant carnes, toto illo anno manducasse cibos aliis animalibus communes: illud etiam nostram confirmat opinionem, quòd Scriptura sacra Genes. cap. 7. vers. 2. signanter describit numerum omnis generis animalium quæ ingressa sunt in Arcam; videlicet de mundis septena & septena, hoc est, iuxta magis probatam Doctorum expositionem, septem vnius speciei, & septem alterius; & sic de aliis singulis, quorum tria erant feminini sexus, & quattuor masculini, ob causam infrà num. 15. explicandam. De immundis verò, duo & duo, scilicet masculum & feminam vniuscuiusque speciei: quę omnia egressa etiam esse de Arca post Diluuium, dubitare non debemus; tum quia id satis apertè colligere possumus ex Genes. cap. 8. vers. 17. & 19. tum quia in Arca nullum animal

CARNES IN MEMORATIS ESCIS NVLLAS EXTITISSE.

obiisse

obiisse reperimus. Itaque si non alia animalia, præter superiùs notata, in Arcam introducta sunt; quis non videt, quòd si pro pascendis carniuoris non-carniuora occidenda fuissent, cuncta quæ ibi erant non-carniuora, haud potuisse ipsis carniuoris, spatio nimirum vnius anni, in cibum sufficere? Ratio etiam ipsa suadet, nullas ibidem carnes mortuas fuisse reconditas; non sale salitas, aut aromatibus conditas; quia ad esum animalium non fuissent aptæ. non crudas, neque assas igni, aut sole siccatas; quoniam neque hoc pacto à putredine præseruari tanto tempore, in Arca præsertim ferè vndique conclusa, potuissent. Quapropter quod in Sacro textu legimus, *Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt*, &c. non absolutè, & omnino vniuersaliter accipiendum est, ita vt carnes quoque pisceśve comprehẽdat; sed cum debita illius temporis circumstantia, quæ tangitur illa particula, *quæ mandi possunt*, clarum namque est, quòd quando Dominus hæc præcepit, nondum licitè edi poterant carnes pisceśve; quoniam necdum illorum vsus fuerat concessus, vt à nobis loco suprà citato probatum est.

14. Rationabile item videtur credere, ipsum Noë, præter animalia & ipsorum cibaria, intulisse etiam in Arcam copiosam supellectilem, tam rusticam quàm vrbanam, vasorum æreorum stanneorumque, & huiusmodi, itemque ferramentorum fabrilium vniuersi generis, quibus ipse & filij eius, siccato Diluuio, vti possent in operibus manuum suarum; quippe qui omnia validissimis aquarum inundationibus disperdenda aut corrumpenda iam præuiderat, neque posteà facile huiuscemodi denuò posse parari; alioqui illicò, siccatis aquis, necesse fuisset in montibus quærere fodereque metalla, quibus instrumenta, præsertim rustica, falces, ligones, & similia fabricarent, ad colendam terram. Illud verò etiam, tametsi scriptum non sit, concedere omnes debent; quòd quemadmodum Noë, Deo dirigente, animalium mansiones locaque sapientissimè distinxerat, (vt sub anno mundi 1557. num. 17. breuiter tetigimus) ne se inuicem vllo modo possent animalia lædere: ita etiam miro iudicio onera cuncta intra Arcam ea ratione locare ac disponere studuit, vt ipsa Arca, veluti iustis librata ponderibus, rectâ positione super aquas consistere ferrive posset.

DE SVPELLECTILI IN ARCA SERVATA.

15. Eodem anno sexcentesimo vitæ Noë, die decima mensis secundi, septem videlicet diebus ante initium Diluuij, præcepit Dominus Noe vt ingrederetur in Arcam ipse, & filij eius, scilicet Sem, Cham, & Iapheth, cum vxoribus suis, (credibile namque est, tunc nullos, si quos alios habuit filios Noë, præter nominatos aut fuisse superstites, aut in domo paterna, sed procul ab ea valdè extitisse.) Sanè vxorum nomina quæ Scriptura sacra subticuit, haud equidem scio quomodo quidam scire potuerint, neque si verum est quod ipsi prodiderunt; præsertim cùm inter se minimè consennant: nam vxorem Noe, Gnostici hæretici Noriam appellabant; Epiphanius verò contra eos disputans, Hæres. 26. Barthenon nuncupatam contendit; at Berosus Annianus eamdem Tyteam magnam vocat, reliquas autem tres, Pandoram, Noëllam, & Noëglam: sed quidquid sit, non est de hac re disceptandum, cùm nihil ad rem referat, quod magis hoc quàm illo nomine appellatæ fuerint. Mandauit prætereà Dominus ipsi Noe, vt ex omnibus animantibus terrestribus & volatilibus cuiusque speciei tolleret, id est, sineret in Arcam ingredi: de immundis, duo & duo singularum specierum, hoc est, par vnum, masculum scilicet & feminam, vt conseruari, ac posteà denuò multiplicari possent: de mundis verò, septena & septena, Genes. cap. 7. vers. 3. nimirum septem cuiusuis speciei, quorum tria essent feminini sexus, & quattuor masculini; vt tria singularum specierum paria, ad speciem conseruandam prolemque augendam, expleto Diluuio, incumberent; quartum verò animal masculum, in sacrificiis pro gratiarum actione offerri posset: quod deinde factum legimus Genes. cap. 8. versic. 20. Congruum autem fuit, plura mundorum animalium paria asseruari quàm immundorum: quoniam hæc ad propriæ tantùm speciei conseruationem, illa verò insuper etiam ad varios hominum vsus, & ad sacrificia Deo offerenda, magis erant multiplicanda. Sed hæc mundorum atque immundorum animalium differentia, hoc loco, non quoad esum accipienda est; siquidem tunc temporis, quando hæc acta sunt, necdum esus carnium concessus fuerat, vt superiùs num. 13. & sub die sexta mundi num. 28. ostensum est, & infrà sub anno mundi 1657. num. 11. ostendemus; sed quoad sacrificia: credibile enim est, priscos illos primæ mundi ætatis Patres, vel naturali quodam iudicio ac lumine, vel diuina reuelatione, non quæcumque animalia, sed tantummodò mansuetiora, & vsibus humanis commodiora, in sacrificiis adhibuisse; reliqua verò, quantum ad hoc, immunda nuncupasse; quamquam posteà, videlicet scriptæ Legis temporibus, ad discernenda animalia, quibus vesci licitum erat, à balis, hæc differentia potissimùm inuecta fit.

QVANDO PRAECEPERIT DOMINVS NOE VT CVM FAMILIA SVA INGREDERETVR IN ARCAM.

DE ANIMANTIBVS IN ARCAM INDVCTIS.

DE DIFFERENTIA ANIMALIVM MVNDORVM ET IMMVNDORVM.

O 4 16. Et

LEGALIA NONNULLA ANTE LEGEM OBSERVATA.

16. Et hinc patet, decipi eos, qui putant non solùm hoc, de abstinendo ab esu immundorum animalium, sed etiam cuncta alia Moysaicæ Legis præcepta, olim ante ipsam Legem à viris probis ac Deum timentibus obseruari consueuisse. Nam si Deus Genes. cap. 9. vers. 3. quando dedit hominibus vniuersa animalia in cibum, dicens: *Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* nihil omnino discreuit inter munda & immunda, sed *omnia* vniuersaliter, *quasi olera virentia* (inquit) *tradidi vobis.* quis audeat suspicari, pios viros ab vllo horum tamquam immundo ante Legem latam diuinamque declarationem abstinuisse? Quod enim Deus vsque ab initio purificauerat illis verbis: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* & mox immensa largitate homini in cibum sumenda sine vllo discrimine tradiderat; quis commune & immundum reputare vmquam ausus esset? Præterea, quamuis inficiari nemo possit, quædam ex his, quæ postmodum Lege cauta sunt, etiam ante ipsam Legem fuisse vsitata, vt patet sparsim in Genes. nimirum De Altarium ædificatione, cap. 8. versic. 20. & cap. 12. vers. 7. & cap. 33. in fine. De abstinendo ab esu sanguinis, cap. 9. vers. 4. De votis, & oblatione decimarum, cap. 28. vers. 20. & 22. De suscitando semine fratris absque liberis defuncti, cap. 38. vers. 8. Attamen certum est, quædam alia quæ in Lege scripta sunt, prius non fuisse in vsu: nam scimus quòd Leuit. cap. 18. vers. 12. & 18. Lex prohibebat, ne quis sororem patris, aut sororem propriæ vxoris duceret: & nihilominus constat Exod. cap. 6. vers. 20. & Numer. cap. 26. vers. 59. Amram filium Caath filij Leui, duxisse Iochabed amitam suam, id est sororem patris sui Caath, & filiam Leui: & Iacob duxisse Rachelem sororem Liæ vxoris suæ, Genes. cap. 29. vers. 28. Quamquam, quod dictum est de Iochabed, probabilior sit opinio eorum, qui putant ipsam fuisse patruelem, hoc est consobrinam mariti sui, filiam scilicet fratris Caath patris Amram, vt nos sub anno mundi 2464. num. 2. & 3. ostendemus.

QUOMODO ANIMALIA IN ARCAM INGRESSA.

17. Porrò vt ad historiam redeamus, non est putandum, prædicta animalia ad Arcam operâ dumtaxat ipsius Noë & filiorum eius fuisse congregata, (non enim videtur, eos septem dierum spatio naturaliter potuisse & Arcam tot commeatuum generibus replere, & tot animalium differentias conquirere, atque ad ipsam Arcam adducere) sed potius ipsamet animalia, quæ Dominus conseruare decreuerat, diuino quodam instinctu ad Arcam venisse, seu Angelorum ministerio fuisse perducta: Noë verò, quemadmodum præceperat ei Dominus, curasse, vt venientia intra Arcam admitterentur, eisque vt filij sui mansiones & loca, quæ parauerat singulis speciebus opportuna, assignarent, escasque præberent. Verumenimuerò quia ex illis verbis, quæ Genes. cap. 7. vers. 3. leguntur, *Vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ*, liquidò constat, Dei præceptum de introducendis in Arcam animalibus, eò fuisse directum, vt species ipsorum à Diluuio præseruari possent: ratio dictat, non fuisse necessarium, vt in ipsam ingrederentur illa animalia, quæ ex putri materia, vt vermes, apes, scorpiones, & id genus alia, & quæ ex diuersarum specierum commistione generari solent, vt muli, &c. quia etiam omnibus huiscemodi animalium indiuiduis omnino consumptis, facilè erat eorum species reparare, seminariis eorum causis remanentibus. Quo fit vt Io. Buteo in suo camiuororũ catalogo, inter ea quę putat ingressa esse in Arcam, potuisset vel potius debuisset prætererire lupos canarios & ceruarios; hi namque ex mistione luporum cum canibus aut ceruis procreari dicuntur. De piscibus etiam cuiusuis generis, aliisque animalibus quæ in aquis degunt, patet non opus fuisse, vt eorum species in Arca præseruarentur; neque quæ vocant amphibia, præsertim quæ magis in aquis quàm in terra morari consueuerunt, vt ranæ, crocodili, & similia.

QUÆ IN ARCAM NON SUNT INGRESSA.

NOË QUANDO IN ARCAM INGRESSUS SIT.

18. Igitur Noë, omnia quæ mandauerat Dominus, intra præfatum vnius dierum septimanæ spatium executioni mandare cùm diligentissime curasset; in articulo diei decimi septimi eiusdem mensis, omnibus in Arcam ritè compositis, ingressus est in eam cum memorata familia sua, & clausit deforis ostium Dominus, vt signanter exprimitur Genes. cap. 7. vers. 16. Quod Angelorum ministerio factum fuisse, dubitare nemo debet. Nec solùm vtcumque clausisse; sed etiam diligentissimè rimulas obturasse, ac bitumine desuper deliniisse putandum est, ne aquæ intus penetrare vllo modo possent. Et hæc pauca, de multis quæ ante diluuium acta sunt, in Sacro eloquio notata, breuiter hic attulisse, atque suis locis inseruisse sat sit. Ex quibus apparet, parum tuta esse quæ scribit Methodius Martyr, apud Abulensem super cap. Gen. 6. circa initia sui Commentarij relatus; nimirum *quòd anno quingentesimo primæ chiliadis, hoc est primi annorum mundi millenarij, progenies Caini abutebatur vxoribus fratrum suorum. Deinde anno eiusdem chiliadis sexcentesimo, mulieres in insaniam versæ, supergrediebantur viris suis.*

QUÆDAM A METHODIO TRADITA, ESSE INCERTA.

Mor-

Mortuo autem Seth, ſeparauit ſe cognatio eius à ſobole Caini, redieruntq; ad natale ſalum: nam & pater eorum viuens prohibuerat ne miſcerentur; & habitauit cognatio Seth in Cordan monte, Paradiſo terreſtri proximo: Cain verò habitauit in campo, in quo fratrem ſuum interemerat. Quingenteſimo autem ſecundæ chiliadis anno, qui erat ab orbe condito milleſimus quingenteſimus, exarſerunt maſculi in alterutrum coëuntes. Et ſeptingenteſimo eiuſdem ſecundæ chiliadis anno, filij Seth concupierunt filias Caini, atque inde orti ſunt gigantes. Demũ tertia incipiente chiliade, nimirum expletis duobus ab orbe condito annorũ millibus, Diluuium inundauit. hactenus ex Methodio. Sed quidquid ſit de veritate rerum à Methodio prænarratarũ, (ſi tamen verè ipſius ſint, & non potiùs ab aliquo alio perperàm ei adſcriptæ) nos eaſdem neque omnino probare, neq; improbare audemus. quoniam tametſi quoquomodò à Moyſis hiſtoria videantur eſſe diuerſa, non tamen eidem dici poſſunt eſſe contraria. Quia quod Scriptura ſacra verbis quibuſdam vniuerſalibus, nempe illis: *Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum,* & ſimilibus, ſignificauit; citatus Auctor expreſſiùs deſcripſit, ad particularia hominum vitia deſcendens. Quamuis vnde nam ea deſumpſerit, ignoretur, niſi quòd per reuelationem eadem accepiſſe traditur; de qua tamen nihil conſtat. Et quidem, licet rationi conſonum ſit, genus humanum non ſtatim in profundum malorum deueniſſe; ſed per quoſdam veluti gradus, vſque ad Diluuij tempora, ſemper in peius, hoc eſt ad maiora indies vitia fuiſſe prolapſum: attamen quòd id factum ſit modis & temporibus à Methodio prænotatis, vtique id probandũ fuerat, præſertim cùm (quod ad memoratam attinet temporum diſtributionem) certum ſit, eam non poſſe ſubſiſtere. Siquidem certiſſimum eſt, ab orbe condito ad Diluuium, non plus quàm annos mille ſexcentos quinquaginta ſex eſſe decurſos, vt patet ex continuata noſtra temporum ratione, quam ex Vulgata Bibliorum editione fideliter deſumpſimus. Nam quæ in LXX. Interpretibus habetur, tota corrupta eſt, quemadmodum nos ſub anno mundi 131. num. 4. & deinceps latiùs oſtendimus; & Abulenſis loco proximè citato ait, quòd littera LXX. Interpretum ſuſtineri non poteſt in eo quòd ponit maiores annorum numeros, quàm noſtra & Hebraica.

DILVVIVM QVANDO COEPERIT.

19. Eodem die decimoſeptimo eiuſdem menſis ſecundi, anni ſexcenteſimi ætatis Noë, cœpiſſe Diluuium, apertè colligitur Geneſ. cap. 7. verſ. 11. editionis Vulgatæ, quam ſequimur; ibi enim expreſsè traditur, tunc ruptos eſſe omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractas cæli apertas, & factam eſſe pluuiam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Nam quòd textus LXX. Interpretum ibidem ait, id contigiſſe die vigeſimo ſeptimo, nos infrà num. 26. probabimus, ſtare non poſſe. Ceterùm proximè adducta ſacræ Scripturæ verba, duo in primis videntur inſinuare. Alterum eſt, ipſum Diluuium non ex cauſis tantummodò naturalibus (vt nonnulli perperàm exiſtimarunt) eueniſſe; ſed potiſſimùm ex ſupernaturali potentia Dei, qui Angelorum miniſterio, ad peccatores de terra abolendos, maximam illam ſuper faciem eius vim aquarum induxit, quam non ſemel anteà, præſertim Geneſ. cap. 6. verſ. 7. & 13. & cap. 7. verſ. 4. prædixerat. Etenim illa fontium ruptio, & cataractarum cæli apertio, tametſi metaphoricè prolata videatur, proculdubiò denotat quid violentum & inſolitum, ac præter communem curſum ordinemque naturæ. Alterum eſt, tantam fuiſſe aquarum copiam, quæ tum è viſceribus terræ per ipſius meatus ſurſum intumeſcebat; tum è cælo, nimirum aëreo, hoc eſt à media aëris regione, vbi de nubibus aquæ generari ſolent, impetu maximo deſcendebat; vt fontes è cauernis terræ, non ſenſim more conſueto manare, ſed veluti ruptis ac dilatatis ipſorum oſtiis, altiùs erumpere, ebullire, largirerque aquas eructare viderentur: & cataractæ cæli, hoc eſt ingentes nubium fluxiones, non guttas minutatim, veluti per cribrum, vt aliàs fieri ſolet, demittere; ſed quaſi diſciſæ, apertæ, ac patefactæ, aquas horrendo fragore & impetu, ac mira quadam redundantiâ effundere. Perdurauit autem in toto orbe terrarum huiuſcemodi pluuiâ per totos quadraginta dies ac totidem noctes, (Geneſ. cap. 7. verſ. 12. & 17.) ſine vlla prorſus intermiſſione aut diminutione, aquis interim ſuper vniuerſam terrarum ſuperficiem iugiter augeſcentibus, ac primò quidem valles & humiliora quæque loca replentibus, Arcamque in ſublime attollentibus, mox etiam colles, & ad extremum, iuga quoque montium altiora occupantibus. Horrendum viſu ſpectaculum, in quo vniuerſum per orbem cernere erat, ingentes inter illos pluuiæ fragores, pereuntiumque eiulatus, cuncta confundi, ſubuerti omnia, & aquarum fluctibus inuolui atque demergi. Vbique pauor, vbique tremor. Oh quàm vellent illius temporis homines audiſſe, quem talia prædicentem irriſerant. quàm prudentem Noë, & ſe inſanos prædicabant.

MISERABILIS HOMINVM INTERITVS.

dicabant. Oh, si possent, quàm libenter nunc in Arcam ingrederentur, & ibidem inclusi etiam perpetuò, si opus esset, permanere præeligerent, aut quiduis aliud in ea pati potiùs, quàm tumentes super se fluctus, & imminentem illum atque ineuitabilem interitum ante oculos habere. Sed heu, proh dolor! nusquam certa salus iis, quibus iure id obiici poterat, *Serò sapiunt Phryges*. Circumcursabant per domos trepidæ cum paruulis matres, nescientes quò pergerent; surgebant pauidi de mensa, aut de cubili, sponsus & sponsa; & vnusquisque prout melius poterat, salientem euadere frustrà satagebat vndam. Vidisses quosdam repentè superiora domus, alios etiam tectorum cacumina conscendere: nonnullos item excelsarum arborum ramos scandere; alios verò cum festinatione ad collium montiumque iuga confugere; &, quod omnem miseriam superabat, neminem maximam illam vim aquarum vbique penetrantium eludere potuisse: nam quadragesimo pluuiæ die, altissimos quosque vniuersæ terræ montes vnda non solùm operuit, verumetiam super ipsorum vertices quindecim cubitis altior fuit: sicque non solùm flagrans vbique terrarum libido omnium hominum eluuione restincta est, sed etiam vniuersa animantia, tum terrestria tum aërea, prorsus consumpta sunt, præter ea quæ cum ipso Noë ad sobolem conseruandam inclusa erant in Arca: ibidem versic. 20. vsq; ad finem capitis. *Quid læserant irrationabilia?* (inquit sanctus Ambrosius in lib. de Noë & Arca cap. 10.) *Sed quia propter hominem illa facta erant, eo vtique deleto propter quem facta sunt, consequens erat, vt etiam illa delerentur, quia non erat qui his vteretur*. Sanè quod attinet ad repentinam horribilemque hanc mundi eluuionem, si quis eam sibi arctiùs ante oculos mentis ponat, præclarum profectò habebit exemplar & imaginem quamdam futuræ consummationis sæculi, & Extremi iudicij. Nam vt ipsemet Dominus noster dicebat Matth. cap. 24. vers. 37. & 38. *Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in Arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis*. sic ibi Dominus. Quamquam illud interest, quòd tempore Diluuij probabile est, quemadmodum sub anno mundi 1557. num. 21. ostendimus, aliquos verè pœnituisse, & corporalem illam mortem libenter in peccatorum suorum pœnam sustinuisse, ac post eam in locum salutis concessisse: at verò in extrema illa Iudicij die, nullum pœnitendi tempus, nulla peccatoribus reliqua erit spes salutis; sed sicuti Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates, quæ subuersæ sunt in momento; ita tunc, pronuntiata contra reos sententia, confestim ad inferna descendent.

QVANDO DESIIT PLVVIA.

29	29
16	30
40	26
85	85

20. Itaque, vt ad rem redeamus, die quadragesimo desinente, ab inchoato Diluuio, qui fuit ab initio anni vitæ Noë sexcentesimi dies octogesimus quintus, siue tertij mensis vigesimus sextus, desiit pluuia, pariterque cessauit incrementum aquarum: quoniam subtus terram clausi sunt fontes abyssi, ne possent ampliùs veluti euomere & regurgitare aquas super terram; & superiùs clausæ sunt cataractæ cæli, id est nubium fluxiones, Genes. cap. 8. vers. 2. quod ibidem per recapitulationem fuisse dictum, videtur sensisse B. Augustinus in Quæstionibus in Genes. quæst. 12. Et tunc quindecim cubitis altior fuit vnda super montes, Genes. cap. 7. vers. 20. Permanserunt verò aquæ in illo statu centum quinquaginta diebus, vt exprimitur in calce eiusdem cap. & cap. sequenti vers. 3. nimirum, à die quadragesimo pluuiæ computandis. Oportet ergo easdem Diluuij aquas cœpisse minui die sequenti, inchoante videlicet centesimo nonagesimo primo, ab inchoato Diluuio; qui erat dies ducentesimus trigesimus sextus, à proximè memorati anni sexcentesimi vitæ Noë exordio, siue dies vltimus mensis octaui, ab eiusdem anni initio. Siquidem tunc, vt legimus Genes. cap. 8. versic. 1. *Adduxit* Dominus *spiritum super terram* (subaudi, aquis opertam) *& imminutæ sunt*, (hoc est, minui cœperunt) *aquæ*. Puto autem spiritum à Deo adductum, fuisse ventum valdè admodum exsiccantem, atque agitantem aquas. quod innuitur illis verbis: *Reuersæq; sunt aquæ de terra euntes & redeuntes, & cœperunt minui post centum quinquaginta dies*, Genes. cap. 8. vers. 3. Quòd si ventus ille vrens, cuius meminit Scriptura Exod. cap. 14. vers. 21. tam citò exsiccare valuit mare Rubrum, vt per ipsum sicco vestigio eadem nocte transire potuerit exercitus Hebræorum: quis miretur, ventum similem, vel fortè longè validiorem, mirabiliter à Deo productum, atque per omnes orbis partes immissum, aquas Diluuij, centum viginti nouem dierum spatio, (tot enim ad anni Solaris complementum restabant, vt ex paulò pòst dicendis supputari poterit) paulatim minuere, ac tandem arefacere potuisse? Porrò ad præfatos anni Solaris dies rectè computandos, oportet supponere, menses tum proximè memoratos, rum

QVANDO AQVAE COEPERINT MINVI.

40	85	29
150	150	30
1	1	29
		30
191	236	29
		30
		29
		30
		236
		129
		369

tum etiam memorãdos,more Hebraico,fuisse Lunares,(vt infrà num. 24. & 25. ostendemus) quorum singuli, viginti nouem, alternatim, & triginta, continent dies. constat namque, Lunam ordinariè viginti nouem diebus cum dimidio, proprium suum conficere cursum; nempe ab vna eius renouatione ad alteram.

21. Quoniam autem suprà num. 19. & 20. dictum est, Diluuij aquas excessisse montium altitudinem cubitis quindecim; liquidò colligitur, erroneam omnino esse illorum opinionem, qui existimarunt, ante Diluuium nec montes exstitisse, nec valles, sed totam terram in rotunda superficie sua fuisse æqualem; ex vi autem aquarum Diluuij huc atque illuc validissimè confluentium, montes fuisse aggeratos, vallesque excauatas, & omnem terræ inæqualitatem, quam modò videmus, effectam. Qua ratione oporteret etiam nunc in Oceano plures huiuscemodi montes causari, & nouas sæpiùs insulas fieri. Quod an verum sit, equidem non adhuc exploratum habeo. Verùm contra memoratam opinionem, præter locum Scripturæ allegatum, facit quoque illud quod dicitur in Psal. 89. vers. 2. ***Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à sæculo & vsque in sæculum tues Deus.*** Vbi proculdubiò nihil discreuit Propheta inter originem montium, & terræ, & orbis. Ergo sicuti constat, in principio factam esse terram & orbem, ita & montes. Non igitur terra & orbis in principio condita sunt, montes autem Diluuij tempore effecti. His adde quod de Sapientiæ diuinæ antiquitate legimus Prouerb. cap. 8. vers. 25. ***Necdum montes graui mole constiterant: ante colles ego parturiebar.*** Quæ enim, obsecro, esset Sapientiæ huius antiquitas, si Diluuij Noëmici tempora paululùm dumtaxat præcessisset? Sed valeat dispereatque hæc tam inepta opinio, tamque sacræ Scripturæ contraria, ac diuino Numini iniuriosa, quæ opus Dei, terræ scilicet creationem, mancam vtique atque imperfectam facit; quippe cui ante Diluuium tam longo temporum tractu defuerit pulcherrima hæc montium valliumque varietas, quæ prouincias distinguit, ventorum impetus frangit, crystallum, multaque marmorum, gemmarum, metallorumq; aliorum fossilium genera, ad varios hominum vsus atque ornatus producit; fontes, fluminumque origines deriuat, ad camporum irrigationes nauigationesque commodè exercendas; varias item plantarum animaliumque species, ad proprias ipsarum naturas accommodatè conuenienterque vegetat & conseruat, iuxta illud quod in Psal. 103. vers. 8. vsque ad 19. insinuatur illis verbis: ***Ascendunt montes, & descendunt campi, in locum quem fundasti eis. Qui emittis fontes in conuallibus; inter medium montium pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres cæli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces. Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuarum satiabitur terra: producens fænum iumentis: & herbam seruituti hominum: vt educas panem de terra: & vinum lætificet cor hominis: vt exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet. Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantauit: illic passeres nidificabunt. Herodij domus dux est eorum: montes excelsi ceruis: petra refugium herinaciis.*** Sed & multa insuper alia hominibus ceterisque animalibus bona præstat prædicta montium, valliumque, & camporum varietas; quæ fusiùs hîc persequi superuacuum putamus.

MONTES AB EXORDIO MVNDI EXSTITISSE.

22. Mense septimo (nimirum ab inchoato Diluuio, vt paulò pòst probabitur) die vigesima septima eiusdem mensis, id est die decimo quarto ab initio decrementi aquarum, Arca, quæ hactenus ab ipso ferè Diluuij exordio huc atque illuc ferebatur super aquas, tandem requieuit super montes Armeniæ, Genes. cap. 8. vers. 4. hoc est (numero plurali pro singulari, quemadmodum aliàs Scriptura sacra solet, vsurpato) super vnum montium Armeniæ, quem Cordyeum appellari ex Beroso tradit Iosephus 1. Antiq. cap. 4. his verbis: ***Fertur autem & nauigij huius pars in Armenia apud montem Cardyeorum superesse, & quosdam, bitumen inde abrasum secum reportare, quo maximè, vice amuleti, eius loci homines vti solent.*** sic Iosephus. Hunc etiam montem in eodem quo Roma climate positum perhibent. Ceterùm, quod attinet ad diem ipsius mensis, in quo diximus Arcam requieuisse; Paraphrasis Chaldaica, vt videre est in Bibliis Regiis, pro ***die vigesima septima***, habet, ***die decima septima***. sed secundùm hanc litteram oporteret ipsam Arcam tribus dumtaxat diebus integris, postquam cœperant aquæ minui, requieuisse, quod non videtur verisimile. Propterea magis puto standum esse textibus Latinis & Græcis Romæ impressis, qui vniformiter habent, id contigisse vigesimo septimo dicti mensis die, nimirum die decimo quarto, subaudi inchoante, ex quo aquæ iam decrescere cœperant. probabile enim videtur, dictam Arcam circa Diluuij initia (quoniam tunc magis onusta erat & grauis) aliquanto altiùs quàm pro medietate sub vndis latuisse, deinceps verò ex continua commeatus consumptione, paulatim leuiorem esse red-

ARCA QVANDO, ET VBI REQVIEVERIT.

redditam, ita vt aliquanto ampliùs super aquas eleuaretur, emineretque, & consequenter mense sexto ab inchoata eluuione, Arca minùs quindecim cubitis subtus occultaretur. Nam licet animalium excrementa, in sentinam continuò deiecta, interim valdè aucta essent; illa tamen longè minoris erant ponderis, quàm annona ab ipsis consumpta, & nihilominùs magnam item eorumdem excrementorum partem (vt infrà sub anno mundi 1657. num. 2. dicetur) ab ipso Noë & filiis eius, ratione sub anno mundi 1557. num. 19. iam exposita, sæpiùs eductam, atque extra Arcam fuisse proiectam, dubitandum non est; vt propterea deinceps ipsa potuerit Arca, etiam super altissimos quosque montes natare ac ferri. Siquidem, vt diximus, aquæ in summo ipsarum incremento nonnisi quindecim cubitis super montium vertices auctæ sunt. Atque hoc pacto benè potuit Arcæ carina, decimo quarto decrementi die incipiente, iugum altissimi montis contingere, atque in eo firmata requiescere. Diximus, Arcam requieuisse septimo mense, ab inchoato Diluuio. Quia si dicis, à principio anni vitæ Noë sexcentesimi, nullo modo poterit veridica reperiri Scriptura sacra, in eo quòd ait, eamdem Arcam requieuisse vigesimo septimo die mensis septimi: siue computes dies centum quinquaginta status aquarum, à fine quadraginta dierum pluuiæ, siue ab initio Diluuij, quemadmodum aliqui perperàm supputandos existimarunt. Nam cùm dictum sit, Diluuium cœpisse inchoante decimo septimo die mensis secundi, si priùs seor-
30 sum computaueris dies triginta primi mensis, & sexdecim secundi, & quadraginta plu-
16 uiæ, & centum quinquaginta status aquarum, & his addideris tredecim dies ab initio de-
40 crementi aquarum, post quos diximus Arcam requieuisse, inuenies summam ducento-
150 rum quadraginta nouem dierum, qui efficiunt octo menses Lunares, & duodecim dies
13
249 mensis noni. Si verò de hac summa detraxeris quadraginta illos pluuiæ dies, tamquam in prædictis centum quinquaginta diebus status aquarum contentos; resultabit summa dierum ducentorum nouem; qui faciunt menses Lunares septem integros, & supersunt dies duo mensis octaui. Et sic vtroque modo oporteret Arcam non die vigesimo septimo mensis septimi, vt Scriptura sacra testatur; sed die secundo mensis octaui, vel duodecimo mensis noni, requieuisse. Igitur necessariò dicendum est, mensem illum septimum, in cuius die vigesimo septimo Moyses Arcam requieuisse tradit, ab initio Diluuij, non autem ab exordio anni vitæ Noë sexcentesimi, esse accipiendum; vt patet ex ipsa dierum supputatione, quæ ab inchoato Diluuio deducta præcisè consonat; ab exordio autem dicti anni sexcentesimi, nullo modo conuenire potest, vt probatum est. Et confirmari potest ex eo, quòd (vt numero sequenti ostendemus) quæ subiunguntur de mense decimo, ab eodem Diluuij initio deducenda sunt. Et nulla apparet ratio, cur isti menses, septimus scilicet & decimus, diuersimodè supputari debeant. Itaque, vt dictum est, Arca requieuit, ab inchoato quidem Diluuio, die ducentesimo quarto incipiente, qui erat dies vigesimus septimus mensis septimi: ab initio autem anni sexcentesimi vitæ Noë, die ducentesimo quinquagesimo pariter incipiente, qui erat decimus quartus mensis noni.

MONTIVM CACVMINA QVANDO APPARVERINT.

23. Mense decimo, die prima mensis (subaudi inchoante) apparuerunt cacumina montium, Genes. cap. 8. vers. 5. Computanda verò est hæc dies prima mensis decimi, ab inchoato Diluuio, vt num. proximo ostendemus. erat ergo ab eodem Diluuij exordio dies ducentesimus sexagesimus septimus; & à die requietis Arcæ, sexagesimus tertius; & à principio anni sexcentesimi vitæ Noë, trecentesimus decimus secundus, id est mensis vndecimi dies decimus septimus, vt quiuis pro libito putare poterit. Post quadraginta dies (nimirum incluso etiam primo mensis decimi, vt num. sequenti patebit) Noë aperiens Arcæ fenestram, dimisit coruum, qui non est reuersus; emisit quoque columbam post eum, quæ cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum, Genes. cap. 8. vers. 9. non enim tam longè volare poterat, vt ad aliorum montium cacumina perueniret, sicuti fecerat coruus. Post dies septem, ab hisce quadraginta numerandos, Noë rursum dimisit columbam, quæ reuersa est ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo; quo signo intellexit Noë quòd cessassent aquæ super terram. Expectauitque nihilominùs septem alios dies, & emisit columbam, quæ non est reuersa vltrà ad eum, Genes. cap. proximè citato versic. 10. vsque ad 13. vbi Moyses, ex his quæ à versiculo 11. præcedentis capitis hactenus narrauerat, cōtinuò subinfert, dicens: *Igitur sexcentesimo primo anno*, subaudi vitæ Noë (refertur enim ad id quod cap. 7. vers. 6. dixerat de anno sexcentesimo vitæ Noë, & vers. 11. quòd die decimo septimo mensis secundi illius anni cœperat Diluuium) *primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram; & aperiens Noë tectum Arcæ, aspexit, vidit-*

NOE QVANDO DIMISIT CORVVM, ET COLVMBAM TER.

QVANDO APERVIT ARCAE TECTVM.

viditque quòd exsiccata esset superficies terræ. Ceterùm quòd Moyses tradit de Noë, qui de Arca emisit columbam, Plutarchus in Commentario, qui Terrestriane, an aquatilia animalia sint callidiora, seu, De solertia animalium, inscribitur; æquiuocatione deceptus, tribuit Deucalioni, sub quo aliud Diluuium cõtigisse certum est; & (more Ethnicorum, qui cùm de Historia sacra aliquid tangunt, diuersimodè illud referunt, ac interdum etiam inter fabulosa computare non verentur) inquit: *Sanè qui fabulas narrant, ij columbam aiunt ex Arca emissam, Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cùm rursus ingrederetur: serenitatis, cùm auolasset.* hæc ille.

RATIO PVTANDI MENSES ET DIES GEN. CAP. 8. MEMORATOS.

24. Porrò ex memorata Moysis illatione liquidò videtur posse colligi, quòd quando superiùs dixit, prima die mensis decimi apparuisse cacumina montium, proculdubiò nouem illi menses integri, qui præcesserant, supputari nullo modo possunt ab initio anni sexcentesimi ætatis Noë: quia postmodum apertè Scriptura sacra dicit, post eosdem illos nouem menses vsque ad initium anni sexcentesimi primi, fluxisse dumtaxat quadraginta & bis septem dies; qui nullatenus possunt reliquos tres efficere menses, & annum illum Solarem explere: deficiunt namque ad eius explementum plusquam alij quadraginta dies, supposito (vt sæpiùs diximus) dictos menses fuisse Lunares. Itaque ex prædicta Moysis illatione, necessarium videtur fateri, memoratam primam mensis decimi diem, & ipsum pariter mensem, supputari debere non ab initio anni sexcentesimi vitæ Noë, sed ab initio Diluuij, quod cœperat inchoante die decimo septimo mensis secundi eiusdem anni. Nec obstat argumentum Pererij contra Caietanum, quod sic habet: Si culmina montium apparuerunt inchoante decimo mense ab initio Diluuij; ergo apparuerunt inchoante die decimo septimo mensis vndecimi ab initio anni sexcentesimi vitæ Noë. Siquidem constat, ab initio huius anni ad initium Diluuij, fluxisse mensem vnum & dies sexdecim; die enim decimo septimo incipiente cœpit Diluuium. ergo remanebant tantummodò vnus mensis & dies quattuordecim, id est quadraginta quattuor, vel ad summum quadraginta quinque dies, ad illius anni finem. ergo non posset vendica esse Scriptura, quæ Genes. cap. 8. vers. 6. vsque ad 13. expressè testatur, ab apparitione montium, ad tecti Arcæ apertionem prima die anni sexcentesimi primi factam, transisse quadraginta & bis septem dies. Pro argumenti huius dissolutione, supponere oportet, menses in Scriptura sacra ordinariè accipiendos esse Lunares, quod omnes concedunt; annos verò Solares, vt consequenter patebit. Nam etsi solerent Iudæi quoquomodò annis vti Lunaribus, qui per Lunationes eos metiri consueuerant: attamen necesse erat, vt certis temporibus illos adæquarent Solaribus: alioqui nõ potuissent semper inchoare suum annum sacrum à mẽse nouarum frugum, & in eo suum Pascha celebrare, quemadmodum latiùs nos sub anno mundi 2544. numero 9. explicabimus. Itaque hoc posito, concedimus cacumina montium apparuisse die mensis vndecimi decimo septimo, anni ætatis Noë sexcentesimi: sed dicimus, hos
menses fuisse Lunares. constat autem, decem menses Lunares & sexdecim dies mensis 311
vndecimi, efficere summam dierum trecentorum vndecim: quibus si adiicias primò 40
quadraginta dies, computato primo apparitionis montium, & mox alios quattuorde- 14
cim; proculdubiò resultabunt in summa dies trecenti sexaginta quinque; qui, addito 365
quadrante, faciunt annum vnum Solarem integrum, decursum ab initio anni vitæ Noë sexcentesimi ad initium anni sexcentesimi primi; & continentem dies vndecim supra duodecim Lunationes. Et hoc idem aliter etiam ex Sacro textu colligi liquidò posse, num. seq. ostendemus. Cessat ergo memorata Pererij obiectio, & aliæ, quas ex ea ipse deducit. Cui neque illud profectò mirum videri debet, quòd hîc Scriptura sacra computet primum & secundum mensem, ab exordio anni vitę Noë; alios verò eiusdem anni dies & menses, ab initio Diluuij: siquidem solet interdum alibi quoque annos, præter cœptum ordinem, ab aliis etiam principiis obiter computare, vt nos sub anno mundi 3095. num. 3. aliquot exemplis planum faciemus.

TRIPLEX SVPPVTATIO DIERVM HVIVS ANNI.

25. Porrò ipsos huius anni Solaris dies, vt dicebamus, tribus quoque aliis modis ex sacra Scriptura liquidò colligere possumus. & primò sic: Numera dies viginti nouem primi mensis, & sexdecim secundi (nam die decimo septimo secũdi mensis Diluuium cœpit;) & quadraginta, pluuiæ; & centum quinquaginta, status aquarum; & centum
triginta, decrementi; & efficies memoratam trecentorum sexaginta quinque dierum 29
summam. Item, computa dies quadraginta quinque fluxos ante Diluuij initium; & à 16
Diluuio menses sex Lunares, qui faciunt dies centum septuaginta septem; & dies vi- 40
ginti sex mensis septimi (die enim vigesimo septimo inchoante requieuit Arca;) & dies 150
sexaginta tres, qui inde fluxerunt vsque ad initium decimi mensis, in quo apparuerunt 130
365

45 cacumina môtium; quibus adde quadraginta & bis septem, hoc est quinquaginta quat-
177 tuor dies, qui ad initium anni sexcentesimi primi decurrerunt, & inuenies eamdem
26 summam. Denique compendiosiùs calculare poteris quadraginta quinque dies ante
63 Diluuium fluxos, & nouem menses, qui continent dies ducentos sexaginta sex, ab ini-
54 tio Diluuij ad montium apparitionem transactos; & quinquaginta quattuor dies, qui
365 inde ad anni finem lapsi sunt; & resultabit eadem summa trecentorum sexaginta quin-
que dierum. Quòd si mauis primum anni mensem facere triginta dierum, & ponere
45 dies quadraginta sex ante Diluuium, erunt in summa dies trecenti sexaginta sex, fa-
266 cientque annum bissextilem, qualis esse potuit is, de quo nunc agimus. sed multò tu-
54 tiùs ac meliùs puto supponi debere, annum istum non fuisse bissextilem, sed ceteris si-
365 milem; & primum cuiusuis anni mensem (vt in præcedentibus computationibus sup-
positum est) habuisse tantummodò viginti nouem dies; & secundum, triginta; & sic deinceps reliquos alternatim, propter rationes quas sub anno mundi 2544. num. 31. adducemus.

QVOD ANNI IN SCRIPTVRA SACRA MEMORATI SINT SOLARES, MENSES VERO LVNARES.

Puto autem quòd Moyses de industria annum ætatis Noë sexcentesimum non per solos dies, neque per solos menses, vt nos solemus; sed partim dierum, partim mensium dinumeratione metiri maluerit, vt & nos ex vno reliquos disceremus, & ipse hac ratione breuiter subindicaret, annos illius temporis, siue quorum sacra Scriptura meminit, fuisse Solares, menses verò Lunares. Nam si dies tantùm calculasset, certè eumdem annum ad Solis cursum mensuran debuisse, potuisset ostendere: sed non inde innotuisset, quonam mensium genere Scriptura sacra, vel etiam eo tempore homines vti solerent. Si autem è diuerso, per solos menses annum illum dimetiri voluisset; non ex hoc indicare potuisset, illum aliósve fuisse Solares. Etenim annus Solaris per solos menses Lunares plenè commensurati non potest: quoniam supra duodecim Lunationes etiam vndecim continet dies. Scitè ergo, hac veluti dierum mensiumque miscellanea vsus Moyses, vtrumque breuiter, licet aliquanto subobscure, demonstrauit. Eadem quoque forsitan de causa, menses partim ab initio dicti anni, partim ab inchoato Diluuio deduxit; vt pariter doceret, se simul & semel, & illius anni & Diluuij tempora voluisse metiri. Itaque ex memorata Moysis illatione, quæ, vt diximus, fit Genes. cap. 8. vers. 13. illis verbis: *Igitur sexcentesimo primo anno*, &c. (quia alioquin profectò non teneret, nisi annus mensésque eius ad prædictum calculum redigerentur) fit planum, quod suprà num. 20. & 24. tradidimus, nempe Scripturam sacram, vbi mensium meminit, de Lunaribus loqui; vbi verò annorum, de Solaribus esse accipiendam. Quod nos in toto hoc opere, pro indubitato axiomate retinendum censemus, nimirum annos sacros esse Solares, menses verò Lunares.

MENDVM IN CODICE LXX. INTERPRETVM.

26. Ex dictis patet, quod suprà num. 19. prænotauimus, videlicet corruptos esse codices LXX. Interpretum Genes. cap. 7. vbi aiunt, Diluuium cœpisse die vigesimo septimo mensis secundi. legendum namque est, *die decimo septimo*, vt habet editio Vulgata, præsertim illa quæ quàm accuratissimè correcta Romæ, prodiit anno salutis 1593. Cui etiam concordat Chaldaica Paraphrasis, vt videre est in Bibliis Regiis. Alioqui, à prima die anni sexcentesimi vitæ Noë, ad primam anni sexcentesimi primi, summis num. 24. & 25. notatis accrescerent dies decem, fieretque annus trecentorum septuaginta quinque vel sex dierum. quod quàm absurdum esset, nemo non videt. Igitur relicto in hac parte codice LXX. Interpretum, standum erit Vulgato.

QVOMODO NOE APERVERIT TECTVM ARCAE.

Ceterùm, quòd num. 23. diximus, ipsum Noë anno eius sexcentesimo primo inchoante aperuisse tectum Arcæ, non est putandum, quòd totum omnino tectum sustulerit: nulla enim tûc aderat necessitas id faciendi, neque quattuor viri sine multo labore ac temporis interuallo tale quid efficere potuissent, præsertim cùm longum esset cubitis trecentis, latum verò supra quinquaginta: sed credibilius videtur, quòd portiunculam dumtaxat tecti aperuerit, quantum scilicet opus esset, vt commode supra ipsum eleuari posset, & inde vndique circumspicere (quod non poterat de fenestra, quæ ad latus Arcæ posita erat) & videre, si iam vbique desetuissent aquæ superficiem terræ; & idcircò non fuit necesse, nisi vnam tantummodò aut alteram tecti tabulam amouere.

DE DILVVIO ETHNICORVM TESTIMONIA.

Quoniam autem de Diluuio, quod hoc tempore expletum est, hactenus plura ex sacris Scripturis retulimus: illud quoque hîc ex Iosepho 1. Antiq. cap. 4. adnectendum videtur, quòd huius Diluuij & Arcæ meminerunt etiam omnes barbaricæ Historiæ Scriptores, & præsertim Berosus Chaldæus, Hieronymus Ægyptius, qui Phœnicum scripsit antiquitates, Mnaseas, & Nicolaus Damascenus, ab eodem Iosepho ibidem adducti: quos etiam citat Eusebius libro 9. de Præparatione Euangelica initio cap. 4. vbi item Abydeni testimonium adfert: cui alterum Alexandri Polyhistoris addit sanctus Cy-

rillus Alexandrinus libro 1. contra Iulianum, non procul à principio; vetumtamen (quemadmodum suprà num. 23. tetigimus) hanc de Diluuio historiam, aliasque huiusmodi, puta, de turre Babel, de diuisione linguarum, de Abrahamo, de Moyse, & similibus, quæ sincerè veraciterque in Sacris libris traduntur, Ethnici Scriptores longè aliter referre solent, & quibusdam fabulis ac mendaciis adulterare, vt perspicuè in ipsorum fragmentis, quæ ab eisdem Auctoribus, Iosepho, Eusebio, & Cyrillo, locis citatis referuntur, intueri licet, & nos sub anno mundi 3650. num. 4. ostendemus. Non ergo ipsi prorsus irreprehensibilem scripsere veritatem, vtpote alieni, & dogmarum fidei nostræ non participes, vt benè notat sanctus Cyrillus vbi suprà. Quare licet ipsorum scripta nonnihil faciant ad rei gestæ veritatem aliquo modo comprobandam, non tamen ipsis vlla habenda est fides in his, quæ à contentis in sacra Scriptura diuersimodè tradiderunt.

27. Et hæc pauca breuiter commemorasse sufficiat de pertinentibus ad primam mundi ætatem: cuius omne tempus, nimirum ab orbe condito ad Diluuium expletum, iuxta Hebraicos & Latinos Vulgatæ editionis textus, repentur extitisse annorum mille sexcentorum quinquaginta sex completorum: si tamen supponamus, (vt communiter fieri solet) postremos cuiusque generationis annos fuisse integros; quemadmodum sub anno mundi 131. num. 2. dictum est. Secùs, si vel ita completos, vt iam annus insequens per plures dies aliquótve menses esset inceptus; sic enim annorum numerus nonnihil accresceret: vel si tantummodò inchoatos, nam sic nouem circiter annis minor summa euaderet. At verò, secundùm Codices LXX. Interpretum, quos in hac parte deprauatos fuisse, sub anno mundi proximè citato num. 4. satis superque demonstrauimus, numerantur longè plures anni, nimirum bis mille ducenti quadraginta duo: siquidem ipsi LXX. Interpretes, vel potiùs ipsorum codices, ponunt, Adamum quando genuit Seth fuisse annorum 230

Seth quando genuit Enos an.	205
Enos.	190
Cainan	170
Malaleel	165
Iared	162
Henoch	165
Mathusala	167
Lamech	188
Noë in fine Diluuij expleuerat vitæ annum	600
	summa an. 2242.

Ceterùm de annorum supputatione & numero huius primæ mundi ætatis, nulla alia, quod sciam, exstat inter Auctores dissensio aut difficultas.

TABVLÆ

Computationis, & concursus annorum vitæ Patriarcharum primæ Mundi ætatis.

	ANNI											
	Ab orbe cõdito	Vitæ Adami	Vitæ Caini	Vitæ Abelis	Vitæ Seth	Vitæ Enos	Vitæ Cainan	Vitæ Malaleel	Vitæ Iared	Vitæ Henoch	Vitæ Mathusala	Vitæ Lamech
Mundus & Adam creati ab initio; Cain verò natus sub finem an.	1	1										
Concurrit ferè totus cũ Caini an. primo, sub cuius finem credimus natum esse Abelem.	2	2	1									
Concurrit pro maiori parte cũ primo Abelis	3	3	2	1								
Post annos 127.	127	127	127	127								
Abel à Cain fratre occiditur an.	130	130	129	128								
Seth nascitur incho. an.	131	131	130		1							
Post annos 2.	2	2	2		2							
Cain primus omnium ædificat ciuitatem an.	133	133	132		3							
Post annos 103.	103	103	103		103							
Enos natus est incho. an.	236	236	235		106	1						
Post annos 90.	90	90	90		90	90						
Enos genuit Cainan incho. an.	326	326	325		196	91	1					
Post annos 70.	70	70	70		70	70	70					
Cainan genuit Malaleel incho. an.	396	396	395		266	161	71	1				
Post annos 65.	65	65	65		65	65	65	65				
Malaleel genuit Iared incho. an.	461	461	460		331	226	136	66	1			
Post annos 162.	162	162	162		162	162	162	162	162			
Henoch nascitur incho. anno	623	623	622		493	388	298	228	163	1		
Post annos 65.	65	65	65		65	65	65	65	65	65		
Mathusala nat° inch. an.	688	688	687		558	453	363	293	228	66	1	
Post annos 187.	187	187	187		187	187	187	187	187	187	187	
Mathusala genuit Lamech incho. an.	875	875	874		745	640	550	480	415	253	188	1
Post annos 55.	55	55			55	55	55	55	55	55	55	55
Adã mortuus est in fi. an.	930	930			800	695	605	535	470	308	243	56
Post annos 57.	57				57	57	57	57	57	57	57	57
Henoch trãslatus est sub fin. an.	987				857	752	662	592	527	365	300	113
Post annos 55.	55				55	55	55	55	55		55	55
Seth moritur in fine an.	1042				912	807	717	647	582		355	168
Post annos 15.	15					15	15	15	15		15	15

	ANNI									
	Abor be có dito	Vitæ Enos	Vitæ Cainan	Vitæ Malaleel	Vitæ Iared	Vitæ Mathuſala	Vitæ Lamech	Vitæ Noë	Vitę Sem ſecundùm Latinos, & Iapheth ſecúdùm Hebręos.	Vitæ Iapheth ſecundùm Latinos, & Sem ſecundú Hebręos.
Noë naſcitur incho. an.	1057	822	732	662	597	370	183	1		
Poſt annos 83.	83	83	83	83	83	83	83	83		
Enos mortuus eſt in fine an.	1140	905	815	745	680	455	266	84		
Poſt annos 95.	95		95	95	95	95	95	95		
Cainan moritur in fine an.	1235		910	840	775	548	361	179		
Poſt annos 55.	55			55	55	55	55	55		
Malaleel mortuus eſt in fine an.	1290			895	830	603	416	234		
Poſt annos 132.	132				132	132	132	132		
Iared moritur in fine an.	1422				962	735	548	366		
Poſt annos 115.	115					115	115	115		
Deus comminatus eſt Diluuium incho. an.	1537					850	663	481		
Poſt annos 20.	20					20	20	20		
Naſcitur Iapheth iuxta Hebręorum opinionem incho. an.	1557					870	683	501	1	
Poſt annos 2.	2					2	2	2	2	
Sem natus creditur ſecundùm Hebræos incho. an.	1559					872	685	503	3	1
Poſt annos 92.	92					92	92	92	92	92
Lamech mortuus eſt in fin. an.	1651					964	777	595	95	93
Poſt annos 5. inchoatos.	5					5		5	5	5
Mathuſala moritur inchoato anno, videlicet, paulò ante initium Diluuij.	1656					969		600	100	98
Anno ſequenti	1							1	1	1

ANNALES SACRI

SECVNDAE MVNDI AETATIS

AVCTORE

AVGVSTINO TORNIELLO
NOVARIENSI
Congregationis S. PAVLI Clerico Regulari.

IAM verò alteram Sacrorum Annalium partem per secundam mundi ætatem, nempe ab exacto Diluuio ad diuinas pollicitationes Abrahæ factas, vt initio proposueramus, deducendam aggrediamur.

AB ORBE CONDITO	SECVNDÆ MVNDI ÆTAT.
ANNVS 1657.	ANNVS 1.



1. ANNO sexcentesimo primo vitæ suę, Noë, cùm die prima mensis primi, vt suprà dictum est, aperuisset tectum Arcæ, vidissetque iam imminutas esse aquas super terram, non tamen ausus est exire: siue quia (vt placet Abulensi) licet suprema terræ superficies videretur exsiccata, id est, non appareret madida, subtus tamen erat adhuc aquosa & lutosa, & non tam solida, vt tutò commodéve posset gressus hominum brutorumque animalium sustinere: siue (quod magis probandum puto) quia quemadmodum Noë ante Diluuium non nisi ad iussum Domini ingressus fuerat in Arcam; sic etiam expleto Diluuio expectare voluit eiusdem Domini iussionem, quæ facta est ad eum mense secundo huius anni, vigesimo septimo die mensis; & tunc statim egressus est ipse cum vxore, & liberis, ac nuribus suis, & cunctis animantibus de Arca, Genes. cap. 8. versic. 14. vsque ad 20. In ea ergo morati erant anno vno integro & decem diebus, iuxta textum Latinum Vulgatæ editionis, & Chaldaicum; qui habent, cœpisse Diluuium die decima septima mensis secundi, anni sexcentesimi vitæ Noë; & exitum de Arca in diem vigesimam septimam mensis secundi, anni sexcentesimi primi incidisse. At verò secundùm versionem LXX. Interpretum, quæ ponit eos exisse eademmet die alterius anni, qua ingressi fuerant, nimirum vigesima septima mensis secundi; oporteret ipsos mansisse in Arca vno præcisè dumtaxat anno.

NOE QVANDO CVM SVIS DE ARCA EGRESSVS, ET QVANDIV IN EA MORATVS.

2. Intra quod quidem tempus, si quis curiosiùs interroget, quid agerent Noë & filij eius in Arca tamdiu inclusi: quid aliud cogitare possumus, nisi eos in primis planxisse generale illud orbis terrarum excidium, & humani generis interitum: & tum ex naturali quadam ac pia commiseratione eorum qui peribant, quorum fortè miserabiles clamores & eiulatus audierant, pro illorum salute apud Deum supplicare; tum ex pro-

QVID AGERENT NOE ET FILII EIVS IN ARCA.

propriæ præseruationis consideratione, pro tali ac tanto beneficio, quas poterant maiores Deo gratias agere non cessasse. Deinde ita tempus diuturnæ illius veluti carcerationis distribuere consueuisse, vt præter illud, quod ad propriorum corporum sustentationem necessarium erat, reliquum totum vtiliter ac fructuose transigerent; ac proinde assiduis precibus atque orationibus quotidie, certis horis, pariter vacare studuisse. De cetero, animalium quæ Deus ad Arcam vocauerat curam agere, statutis temporibus alimenta eis præbere, & ne in proprio stercore computrescerent, immunditias ipsorum tergere, atque in Arcæ sentinam per fenestellas apposite fabrefactas demittere sedulò curasse, easque postmodum suis operculis benè clausas tenere, ne fœtidis exhalationibus ac pædore animalia ipsa conficerentur. Et præterea sentinam quoque ipsam alleuiare interdum curasse, educendo ab ea excrementa, præsertim humidiora, ac per Arcæ fenestram prouiciendo, quemadmodum sub anno mundi 1656. num. 22. declaratum est. Ex quibus manifeste conijcere possumus, ipsum Noë & filios eius multa sanè ac magna incommoda, variosque labores & molestias fuisse perpessos; sed omnia libenter ac confidenter admodum pertulisse: tum quia securi erant de corporali ipsorum salute: tum quia multò melius erat, pro amore Dei quasuis ærumnas ad tempus in illo tenebricoso carcere tolerare, quàm cum reliquis Diluuio interire: & præterea, quoniam sciebant hanc esse voluntatem Dei, vt ibidem cetera animalia pascerent ac iuuarent. Sic quippe, sic in sancta Ecclesia, cuius typum Arca illa gerebat, extra quam non est salus, & ne vnus quidem ab æterno interitu euadere vnquam potuit, quid aliud peragere satagunt Prælati ac Religiosi viri, quàm populorum greges, (quos B. Gregorius Homil. 17. in cap. 10. Lucæ, animalia Dei vocat) verbo Dei, virtutum exemplis, & sanctissima Eucharistia pascere? à vitiorum sordibus, Sacrificiorum oblatione, ieiuniorum indictione, & Sacramenti Pœnitentiæ scopis mundare? necnon spirituales prauorum exemplorum, hæreticalium corruptionum, & diabolicarum suggestionum fœtores omni conatu ac diligentia arcere, aliaque huiusmodi ad promouendam animarum salutem necessaria procurare? Sed nec illud vacat mysterio, ad præsignandum videlicet Prælatorum ac Religiosorum hominum in sancta Dei Ecclesia cælibatum, quòd communis tum Hebræorum tum Christianorum opinio est, ipsum Noë & filios eius, donec manserunt in Arca, ab vxoribus abstinuisse. Et hoc idem de ceteris quoque animantibus multi senserunt. Verùm hæc, quæ ad mysticum pertinent sensum, consultò relinquamus: non enim instituti nostri est, ea fusius persequi, sed interdum vbi opportunum videtur, breuiter attingere.

NOE ET FILIOS EIVS IN ARCA AB ACTV CONIVGALI ABSTINVISSE, CETERA QVOQVE ANIMALIA A COITV.

¶ 3. Illud potiùs disquiramus, Quisnam fuerit iste mensis, in quo Noë dicitur exisse de Arca: hinc namque non solum patebit, quando desierit, sed etiam quo tempore Diluuium cœperit: cùm de vtroque idem sit iudicium. Dicimus ergo, primò quidem manifestum esse, dictum mensem fuisse secundum anni sexcentesimi primi vitæ Noë: nam & hoc ex collatione eorum, quæ dicuntur Genes. cap. 7. vers. 11. & cap. 8. vers. 13. aperte colligi potest. At verò, vtrum etiam fuerit secundus anni tunc currentis, nimirum anni ab orbe condito millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi; non æquè ex sacris Scripturis elicere possumus. Verumtamen, quia Doctores ferè omnes (teste Pererio super cap. Genes. 7.) putant, memoratum mensem etiam fuisse secundum in ordine mensium anni communis, quem tunc ab eo die, quo creatus fuerat mundus, auspicari consueuisse, admodum rationabile est: propterea supponere possumus, Noë natum esse in exordio anni communiter tunc temporis vsitati; & consequenter, mensem secundum anni communis, semper fuisse etiam secundum cuiusuis anni vitæ Noë. Sed quoniam (vt nos sub die mundi 6. num. 41. vsque ad 45. inclusiuè notauimus) magna est inter Doctores de tempore creati orbis disceptatio; & præcipuè inter illos, qui eius creationem in tempus vernum, & eos qui in autumnum referendam contendunt: non mirum est, si consequenter inter eos magna quoque dissensio reperitur de hoc secundo mense; aliis asserentibus fuisse illum, qui nostro Maio; aliis, qui nostro respondere poterat Nouembri; quod nos magis probandum putamus, propter rationes quas sub die mundi proximè allegato num. 44. adduximus pro illorum opinione, quæ habet, mundum in autumnali tempore fuisse conditum. Et præsertim, quia tametsi teneamus, Diluuium principaliter per supranaturalem Dei omnipotentiam fuisse causatum; nihilominus credibile item est, ipsum Deum maluisse deligere tempus anni pluuiis atque inundationibus magis opportunum, quale est hiemale; quàm æstiuum, quod naturaliter siccissimum esse solet; & consequenter magis consentaneum videtur, Diluuium cœpisse inchoante circiter hieme; & tota ipsa

DE MENSE EXITVS NOE DE ARCA.

hieme

hieme ac vere, quæ pariter humidiora esse solent, perdurasse; computato nimirum toto pluuiæ seu incrementi & status aquarum tempore; & posteà in æstate atque autumno, quæ tempora naturaliter ficciora sunt, paulatim aquas esse exsiccatas. Et præterea, quia videtur ipsum Noë commodiùs exacto autumno quàm vere, potuisse coaceruare & comportare in Arcam ex omnibus terræ fructibus, præsertim autumnalibus, quæ diutiùs poterant asseruari.

QVOD FVERIT IANVARIVS.

4. Non tamen hic prætereunda videtur opinio fratris Antonij Fonsecæ Lusitani, qui in suis Annotationibus marginalibus super Commentaria Caietani in cap. 8. Genes. putat, mensem exitus Noë de Arca fuisse Ianuarium; quem propterea dicit à primis Gentilibus postmodum ipsi Noë fuisse consecratum, & ab eo denominatum: siquidem Noë post diuisionem linguarum, ab ipsis Ianus nuncupabatur. Existimat item, quòd sicut Moyses, Deo iubente, præcepit filiis Israël, vt annum deinceps inchoarent à mense Nisan, qui nostro respondet Martio vel Aprili, eò quòd in eo liberati fuerant de seruitute Ægyptiaca: ita Noë, ad memoriam sempiternam liberationis à Diluuio, voluerit suos posteros incipere annum à mense illo, in quo ipse exierat de Arca, qui posteà, ob caussam superiùs tactam, Ianuarius dictus est. Potest autem illud quoque probabiliter in argumentum huius opinionis adferri, quòd idcircò fortasse bicipitem Gentilitas Ianum pingere consueuerit, vt hoc tam singulari signo apertè indicaret, ipsum potuisse pariter anteriora posterioraque videre, iuxta illud Ouidij 1. Fastorum:

IANVM CVR GENTILITAS BICIPITEM FINXERIT.

Iane biceps, anni tacitè labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides.

Filij namque eius, iuniores cùm essent, pauca admodum scire poterant eorum quæ ante Diluuium acta fuerant; & magnam partem eorum quæ nouerant, à patre didicerant: Noë verò qui diu admodum ante & post Diluuium vixerat, ipse solus inter omnes primæ mundi ætatis proceres, singulari diuinæ bonitaris beneficio, potuit duplicem rerum babuisse notitiam, earum scilicet quæ retrò acciderant, id est, quæ Diluuium præcesserant; & earum quæ mox subsecutæ sunt. Et nos quidquid scimus ex his quæ ante Diluuium acciderunt, non per alium, nisi per ipsum Noë successiuè vsque ad Moysen, & per Moysen ad nos peruenisse profitemur. Vnde conuenienter mensis Iano, seu ipsi Noë dicatus, primus in mensibus anni esse debuit, quemadmodum nunc quoque est: quia cùm eius initium, sit veluti totius anni præteriti finis, futurique principium; quodammodò Ianum ipsum imitari, hoc est, præterita respicere, futuraque prospicere videtur. Hunc morem inchoandi annum à mense Ianuario, vt refert citatus Auctor, posteà Numa Pompilius Romæ vel primus introduxit, vel temporum iniuria iampridem in Italia collapsum instaurauit in honorem ipsius Noë, quem, vt dixi, Gentilitas post diuisionem linguarum, Ianum appellabat. Plutarchus etiam in vita Numæ Pompilij refert, ipsum Numam inchoasse annum à mense Ianuario: nam anteà Romani à Martio solebant annum suum exordiri, ex institutione Romuli primi ipsorum Regis, qui primum anni mensem Marti, à quo genitus credi volebat, dicauerat. Idem ferè sentiunt hi omnes Scriptores, qui prodiderunt eumdem Numam addidisse duos menses, nempe Ianuarium & Februarium, Kalendario Romuleo. sunt autem, Fuluius Nobilior, Dionysius, Liuius, Solinus, Censorinus, & Macrobius, ab Onuphrio Panuinio in suis Fastorum Commentariis citati. At verò Iunius Gracchus, ab eodem relatus, hoc tribuit L. Tarquinio Prisco V. Romanorum Regi. Ioannes autem Lucidus in suo libello De vero die passionis Christi, cap. 2. videtur inchoationem anni apud Romanos à mense Ianuario attribuisse Iulio Cæsari. Sed quisnam fuerit, qui annum ab hoc mense in Italia inchoari præceperit, scire parum refert.

SOLVVNTVR DIFFICVLTATES DE MENSE IANVARIO QVOD FVERIT PRIMVS MENSIS ANNI POST DILVVIVM.

5. Quòd autem hoc mense Noë de Arca exierit, tametsi ex dictis probabile admodum videatur, nonnullas tamen patitur difficultates. Nam certum est, Noë exisse mense secundo; atqui mensis Ianuarius (dicet quis) non potuit esse secundus; neque iuxta opinionem illorum, qui putant annos illos exordiri consueuisse in vere, neque eorum qui in autumno. Præterea quando Noë exiuit de Arca, nimirum die vigesima septima mensis secundi, erat ille mensis iam prope finem: vnde non videtur verisimile, quòd voluerit inchoare annum à mense iam propè expleto. Ad hæc responderi posset, Primò, ex sacris Scripturis non haberi, quòd ille fuerit mensis secundus anni communis, sed anni sexcentesimi primi vitæ Noë, qui mensis potuit esse tertius vel quartus anni tunc currentis: vel, si volumus saluare communem Doctorum opinionem, quòd etiam esset mensis secundus anni, qui tunc ciuiliter agebatur; dicere possu-

possumus, quòd licet hodie Ianuarius ab autumno longiùs distet, id euenit ex minùs exacta calculandi integram anni Solaris durationem ratione, quam inierunt qui Gregorianum præcesserant Kalendarium. Nam si Kalendæ Ianuarij, quæ temporibus Concilij Nicæni, quod anno salutis 325. celebratum est, incidebant octo circiter diebus post Solstitium hiemale; deinde temporibus Gregorianæ correctionis, spatio scilicet annorum 1258. paulatim deuenerunt vsque ad decimum octauum circiter diem post memoratum Solstitium; ita vt in correctione opus fuerit intercalare decem dies: quis dubitet, dictas Ianuarij Kalendas, eodem vel alio simili modo, à tempore Diluuij vsque ad prædictum Concilium, spatio scilicet annorum 2720. sensim, ab illo anni tempore in quo priùs incidere solebant, sese ampliùs quàm aliis viginti diebus elongare potuisse? Non igitur videtur improbabile, mensem Ianuarium, seu illum qui Ianuario respondebat, in diebus Noë incidere consueuisse multò ante Solstitium hiemale: id est, eo ferè tempore, quo nunc incidere solent Kalendæ nostri Decembris. Quod si verum est, certe potuit Ianuarius esse secundus aut tertius mensis anni tunc communiter vsitati, supposito quòd à fine autumni, quando scilicet conduntur omnes fructus, anni illi solerent auspicari. Quibus rationibus, cùm nemo hactenus (quod sciam) responderit, miror, quòd nihilominùs non defuerit, qui huius opinionis fundamentum se non videre, literis mandauerit. Dixi, *aut tertius*, quia probabilius videtur, ipsum Noë, non præcisè ab eo tempore quo de Arca exiuit, nimirum à vigesima septima die mensis secundi, sed à proximo tertij mensis initio, nouum annum inchoasse: nam post exitum, in exiguo illo secundi mensis residuo, credimus ipsum ædificasse altare, vt dicitur Genes. cap. 8. versic. 20. & alia quæ opus erant præparasse, ac demum in ipso tertij mensis exordio obtulisse sacrificia Domino, atque benedictione ab eo obtenta, voluisse ad sempiternam tanti beneficij ac renouati orbis memoriam, vt deinceps ab illo mense annus inciperet, tamquam si tunc denuò creatus esset mundus. Sed dicet hic forrasse aliquis: Quando Noë, & familia eius, & animalia quæ cum eo erant, exierunt de Arca, si tunc hiems ingruebat, quomodo deinceps ali potuerunt, terra tunc temporis nihil producente? Ad hoc dicimus, rationabile admodum esse opinari, eumdem Noë, tamquam prudentissimum, & diuino rectum spiritu, tantam cibariorum copiam anno præcedenti in Arcam intulisse, quæ pro magna præsentis quoque anni parte posset sufficere. Præterquam quòd, ex quo scimus iam à prima die mensis decimi apparuisse cacumina montium, vtique etiam videtur credibile, trium scilicet ferè mensium spatio inde ad exitum animalium de Arca decurso, in partibus montium apricis, hoc est, ad austrum spectantibus, & ab aquilone protectis, natas esse varij generis herbas & fructus, pro ipsis alend s sufficientes; attenta maximè ipsorum animalium paucitate: dictum est enim sub anno mundi 1656. num. 15. de singulis mundorum speciebus tria tantùm paria exstitisse; immundorum verò vnum. certum est autem, quòd vbi sol terræ madidæ superuenit, citiùs eam germinare facit; & inde est, quòd iam ante aliquot dies emissa columba tulerat ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo.

QVIS NAM PRIMVS ALTARE EREXERIT. 6. Verùm quia ex paulò antè narratis, nunc primùm in Scripturis sacris inuenimus factam esse mentionem altaris ad Dei cultum ædificati, quæri potest, num primus omnium Noë altaria erexerit, & ante ipsum in aliqua naturali eminentia offerri sacrificia consueuerint; an verò à maioribus suis Noë altaria exstruere didicerit: non enim omnia scripta sunt quæ fecerant Adam, Cain, Abel, Seth, Enos, & alij; quorum duo sacrificia Deo obtulisse certum est; & idem quoque de aliis, tamquam religiosis viris, omnino sentiendum videtur. Sane de hac re nihil certi adferre possumus, sed vtraque opinio probabilis est. Si tamen prior vera esset, vtique oporteret ipsum Noë vel externa reuelatione, vel interno instinctu, à Deo id didicisse. Quomodo autem, & ex qua materia, nimirum an ex terra aliquantulùm aggerata & compressa, an ex lapidibus impolitis illud ædificauerit, quis potest diuinare? Altero tamen istorum modorum credimus à Noë extructum esse altare: tum quia non videtur credibile, tunc temporis aliter fieri potuisse, nulla præsertim tunc existente opportunitate sculpendi aut poliendi lapides, aut coquendi lateres, aut quid aliud simile moliendi: tum quia idem ipse Dominus, qui priùs docuerat Noë, posteà docuit etiam filios Israël, vt altare de terra facerent, aut de lapidibus impolitis; & ne adeò in altum erigerent, vt ad illud per gradus ascendere cogerentur, Exod. cap. 20. vers. 24. Fabricato igitur altari, obtuNOE SACRIFICAT DEO. lit Noë super illud sacrificia Domino, de cunctis pecoribus & volucribus mundis, quemadmodum legimus Genes. 28. vers. 20. Illa, inquam, credimus obtulisse animalia munda,

munda, de quibus sub anno præcedenti nu. 15. dictum est, quòd ideò Dominus septena cuiusque speciei, nimirum quattuor masculini & tria feminini sexus, ad Arcam conuocauerat, vt post Diluuium tria paria propagationi & multiplicationi vacare, quartum verò sine socia (quod masculum fuisse credimus) in sacrificiis offerri posset. Obtulit autem hæc in holocaustum, quod totum incendi solebat in honorem Dei; tum quia illud gratius ipsi Deo fore credebatur; tum etiam, quoniam tunc non adbuc concessus erat esus carnium. Quod verò subditur, *Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis*; quid aliud figurata hac locutione insinuatur, nisi mirificè admodum hostias illas Deo placuisse? præsertim in holocaustum oblatas, tamquam miræ pietatis ac religionis indicium, & grati animi signum, quod tunc extrinsecè ostendi poterat, maximum. Ex his apparet, Dominum semper ab hominibus non internam solam mentis gratitudinem, sed externam quoque diuinorum beneficiorum recognitionem, acceptam habuisse. Etenim quemadmodum dicebat B. Chrysost. Hom. 60. ad Populum Antiochenum: *Si homo incorporeus esset, nuda & incorporea ei dona dedisset; sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia ei prabet?* ita nos dicere possumus: Si homo spiritus esset, spiritualia dumtaxat ab eo Deus exigeret; sed quia ex spiritu pariter constat & carne, internum pariter & externum cultum ab eo conuenienter exquirit; & pro collatis præsertim corporalibus ac temporalibus donis, etiam corporales ac temporales gratiarum actiones libentissimè suscipit. Sed quid dicam, suscipit? immò verò eas insuper nouis interdum eximiisque aliis remunerat cumulatque beneficiis. Vt propterea verissimum sit quod communiter dicitur: Qui de acceptis gratum se exhibet, ad maiora promerenda se disponit. Sic videmus contigisse ipsi Noë, cui Dominus illicò post memorata sacrificia plures quoque alias contulit benedictiones, vt mox dicetur.

CVLTVM NON INTERNVM TANTVM SED ETIAM EXTERNVM DEVS AB HOMINE REQVIRIT.

7. Quàm verò grata fuerint Domino holocausta, quæ ei obtulit Noë, illud in primis admodum perspicuè declarat, quòd eidem statim subintulit Dominus, dicens: *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines*, & quæ sequuntur, Genes. cap. 8. vers. 21. ac si dixisset: Noli timere Noë; quoniam quemadmodum quando te vidi iustum coram me, non te solum, sed domum quoque tuam tecum, à Diluuio mirabiliter præseruaui, & quasi seminarium renascentis mundi esse volui: sic nunc, quia te vidi gratum, in tui quoque gratiam polliceor, quòd numquam ampliùs malefaciam terræ propter homines, sicut nunc feci, destruens vniuersam faciem eius Diluuio: sed donec illa erit habitatio hominum, perseuerabunt in ea, sicut à principio, ordinatæ temporum actionumque humanarum vicissitudines, tum quotidianæ, diei ac noctis, quietis ac laboris; tum anniuersariæ, hiemis & æstatis, sementis ac messis, & huiusmodi aliæ, ex quibus & ipsa terræ facies in admirabili sua pulchritudine conseruatur, & ad animalia etiam conseruanda, apta redditur. Quòd si deinceps peccauerint homines, numquid impunè peccabunt? nequaquam. quia quantum quidem ad vniuersales attinet huius vitæ castigationes, paterno affectu flagellabuntur, replicatis quibusdam aliis bonorum ac malorum vicissitudinibus; vt sensim, & vt ita dicam, suauiter (quod est opus diuinæ misericordiæ admodum singulare) ab ea propensione ac procliuitate retrahantur, quam quodammodò naturaliter habent ad peccandum, tamquam post naturæ corruptionem à primo parente contractam. quia enim propterea *sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua*, id est, quia propter originale peccatum, & multa item alia parentum actualia, eò infirmitatis & miseriæ deuenit maior hominum pars, vt ab adolescentia sua incipiat in ipsis inferior hominis portio, nimirum appetitus sensitiuus, non solùm rationi non obtemperare, sed eidem aduersari, præualere, ac dominari, eamque ad bona sensibilia eatenus inclinare, & quodammodò naturaliter trahere, vt eam faciat contra omne ius fasque suis voluptatibus deseruire: idcircò videtur humana fragilitas aliquatenus memoratam castigationis moderationem promereri. Sed, Si sic est, dicet aliquis, cur igitur Deus, propter peccata hominum, cunctos ferè homines semel Diluuio interemit? Respondet S. Ambrosius lib. de Noë & Arca, cap. 22. dicens: *Etsi vindicauerat in hominum genus, tamen cognouerat, quia vindicta legis ad timorem proficit & cognitionem doctrinæ, magis quàm ad naturæ commutationem; quæ corrigi in aliquibus potest, in omnibus mutari non potest. Vindicauit ergo Dominus, quo timeremus; pepercit, vt reseruaremur; & vindicauit semel ad exemplum timoris, pepercit in reliquum, ne dominaretur semper amaritudo peccati. Simulque, si quis peccata cupiat sæpius vindicare, asper magis quàm censorius habetur. Ideòque dicit Dominus: Non adiiciam maledicere terræ propter opera hominum. id est, quia pietatem suam circa vniuersitatem hominum voluit declarare; & tamen securitatem & negligentiam quamdam*

GRATITVDO NOE NOVIS BENEFICIIS COMPENSATVR.

dam mentibus humanis afferre non debuit, in paucos vindicat, plures reſeruat. hucuſque ſanctus Ambroſius.

PROMISSIO DE TERRA NON AMPLIVS EXTERMINANDA QVOMODO INTELLIGENDA.

8. Sanè diuina hæc promiſſio de non deſtruenda ampliùs terra, ſi non diluuio ſolùm, ſed nec incendio, nec vllo alio generali exterminio, vniuerſaliter accipienda eſt: procuIdubiò cum prænotata modificatione debet intelligi, nimirum, donec terra erit habitatio hominum. etenim in conſummatione ſæculi, quando igne omnia hæc exurenda ſunt,& quando nouos cælos & nouam terram, ſecundùm promiſſa Dei, (vt teſtatur Princeps Apoſtolorum S.Petrus Epiſt. 2. cap.vlt. verſ.7. 10. & 13.) expectamus: hæc, quam videmus, ordinatiſſima temporum diſtributio ac varietas, quæ hominum vtilitatibus ac neceſſitatibus mirabiliter deſeruit, non erit ipſis ampliùs neceſſaria, qui non ampliùs terram hanc inhabitabunt; ſed tunc, partim ad perpetuos inferni cruciatus damnandi, partim ad cæleſtia gaudia in æternum duratura transferendi erunt. Propterea tunc quidem diſſoluentur terrenæ iſtæ viciſſitudines; verùm non propter peccata hominum, id eſt, non ad ipſorum vindictam,ſed magis ad ipſius mundi reuouationem, & in meliorem ſtatum commutationem, iuxta communiorem Scholaſticorum opinionem, qui tenent, quòd *quemadmodum corpus Chriſti* (vt ait S. Gregorius Homilia 26. in Euangelia) *& pariter corpora Sanctorum poſt reſurrectionem ſunt eiuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ; ita mundus poſt memoratam eius conflagrationem, ac renouationem erit eiuſdem ſubſtantiæ, ſed alterius figuræ atque excellentiæ; vt ſic inſtauratio maioris mundi, minoris inſtaurationi quoquomodo reſpondeat.* Et proptereà exponentes illa verba Pſalmi 101. verſ. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Veteraſcent (inquiunt) & peribunt,non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm figuram,de qua dicitur 1. ad Corinth cap. 7. verſ. 31. *Præterit enim figura huius mundi.* Et quod in citato Pſalmo ſequitur: *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur*, exponunt: ſubaudi, in melius. Et hos putant eſſe cælos nouos & terram nouam (nimirum ad nouam quamdam melioremque formam redactos) quos expectamus. Vide de hac re, ſi libuerit, plura quæ fuſiſſimè diſputat Franciſcus Suarez in 3. part. S. Thomæ, quæſt. 59. artic. 6. diſput. 58. ſectione 2. vbi eamdem ſententiam multis tum ſacræ Scripturæ teſtimoniis, tum SS. Patrum & Catholicorum Doctorum auctoritatibus & argumentis comprobat atque declarat. Si verò, quod promiſit Deus, ſe non ampliùs maledicturum terræ propter homines: de diluuio numquam deinceps mittendo, (vt inferiùs declarari videtur, nimirum Geneſ. cap. 9. verſ. 11. & ſequentibus, & item Eccleſiaſtici cap. 44. verſ. 19.) veriſſimum eſt, abſolutè loquendo, quòd numquam poſteà fuit, neque erit, vniuerſale diluuium diſſipans terram. Nam etſi diluuia quædam particularia quandoque miſerit Deus in aliquot terrarum plagas, & præcipuè duo ab Ethnicis Scriptoribus admodum celebrata, nimirum illud Ogygis, ab Ogyge tum in Attica regnante ſic cognominatum, quod vniuerſam regionem illam vſqueadeò deuaſtaſſe fertur, vt eam per ducentos poſteà annos incultam atque inhabitatam reddiderit: & illud quod Deucalionis nuncupatur, & magnam Theſſaliæ partem inundauit, abſumptis hominibus pænè omnibus, præter paucos, qui ratibus ad montes aufugerant; & præcipuè ad Parnaſſum, in cuius ambitu tum regnabat Deucalion; qui quoniam ad ſe appellentes, benignè recipiebat ac ſuſtentabat; tamquam orbis reparator à Poëtis celebratur. Verumtamen, à Diluuio Noëtico, vt diximus, nullum aliud vmquam fuit, eritve illi ſimile, quod ſcilicet vniuerſaliter totam terrarum ſuperficiem ſubuerterit, aut ſubuertat. Neque enim vllo vmquam tempore irritum fieri potuit, poteritve diuinum illud pactum, de quo infrà num. 18. agemus.

MVNDVS QVOMODO INTERITVRVS SIT, ET RENOVANDVS.

DILVVIVM VNIVERSALE, A NOETICO NVLLVM VNQVAM FVIT, ERITVE.

BENEDICTIONES NOE ET POSTERIS EIVS FACTAE.

9. Ceterùm, non contentus Dominus lætificaſſe ſeruum ſuum Noë tam ampla tamque ſingulari pollicitatione, alias quoque eidem & filiis ſuis adiecit benedictiones: ſiquidem Geneſis cap. 9. in ipſo exordio legimus: *Benedixitq́, Deus Noë & filiis eius, & dixit ad eos: Creſcite*, &c. ex quibus perſpicuum fit, quòd quemadmodum in ipſo primo orbis initio tres præcipuas dederat Deus homini benedictiones, vt patet Gen. c. 1. verſ. 28. nimirum, ſingularem quamdam fecunditatem, ad ſpeciem conſeruandam, indiuiduaque multiplicanda; largam alimentorum copiam ac varietatem, ad commodam optimamque vitæ ſuſtentationem; & denique dominium ac principatum ſuper cuncta alia animantia, quod pertinet ad oſtẽdendam ac commendandam ipſius hominis dignitatem: ita nunc in ipſa eiuſdem orbis renouatione, eaſdem Deus benedictiones, iam quodammodò propter maxima omnium pænè hominum ſcelera veluti amiſſas, denuò ipſi Noë & filiis eius reſtituit, & non ſine fœnore, vt mox dicetur, confirmauit,

mauit, ac quatenus opus esset, de nouo concessit, iisdem planè verbis dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* de qua benedictione satis dictum est sub die mundi 6. num. 23. & 24. nec hîc aliud dicendum videtur, nisi quòd coniugia quæ prius hisce verbis instituerat, mox confirmauit. Sequitur: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, & omnes pisces maris,* &c. Sane quantus sit iste terror, indicant quæ scribit S. Basilius Homil. 10. in Hexaëmeron, vbi ait, pisces, qui cicurari nullo modo possunt, humanas etiam vmbras vereri, & ab ipsis aufugere; & Plinius lib. 8. cap. 4. prodit, Elephantes hominum vestigia formidare. Videmus insuper vniuersa pænè animalia ob eumdem metum aut homini parere, vt domestica; aut ipsum aggredi non audere, vt feræ, nisi lacessitæ, aut insecutæ, aut fame vrgente, aut aliqua perturbatione fuerint agitatæ. Quamuis autem non videatur Deus memoratis verbis dedisse hominibus tam amplum dominium super cetera animalia, sicut à principio mundi (de qua re sub die mundi 6. num. 25. 26. & 27. actum est) nihilominùs ex his quæ sequuntur, etiam maius dedisse conuinci potest: subditur enim: *Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Vnde patet, cuncta animalia post Diluuium ita absolutè in hominis potestatem fuisse tradita, vt non solùm his vti, sed etiam eadem pro libito suo in cibum sumere, & in proprium conuertere nutrimentum possit, quod anteà ei concessum non fuisse, paulò pòst ostendemus.

ANIMALIA METVVNT HOMINEM.

10. Si prius (quod attinet ad Chronologiam) adnotauero, falsum esse, quod nonnulli prodiderunt; nempe, memoratas hasce benedictiones à Deo datas esse quinquagesimo anno post Diluuium; quod nullo pacto admittendum putamus. Etenim constat, illicò post Diluuium Noë obtulisse holocausta Domino, eaque ipsi admodum grata exstitisse; ac proinde non videtur verisimile, quòd Dominus ipsi Noë & posteris eius benedicere distulerit; præsertim cùm ex Sacro textu potiùs oppositum insinuetur; nimirum, statim post ipsa sacrificia datas esse benedictiones. Quæ si, vt iam indicatum est, nil aliud continere videntur, nisi quamdam renouationem seu confirmationem illarum, quas ab ipso mundi exordio Deus humano generi impertitus fuerat; quis non videt, conuenientiùs dari debuisse statim expleto Diluuio, id est, in ipsa orbis renouatione, quàm post annos quinquaginta? Quòd filij Noë (vt est communis Doctorum opinio) præ grandi illo Diluuij timore non ausi sunt ad proprias vxores accedere, nisi posteaquam à Domino audierunt: *Crescite, & multiplicamini,* &c. quis credat, per quinquaginta annos continuòs post Diluuium, homines non esse multiplicatos? aut, si prius multiplicari cœperunt, quemadmodum ex infrà num. 19. & sub anno 1658. & 1659. dicendis manifestum fiet, ad quid anno quinquagesimo dictum est eis à Domino: *Crescite, & multiplicamini*? Sed, obsecro, omittamus tale commentum, quod nullo sacræ Scripturæ fundamento firmari potest: & à quibusdam videtur excogitatum, vt vel hinc probare possent, Iubileorum annos esse antiquissimos; & vel ab ipso mundi initio, vel saltem ab eiusdem reparatione, illicò post Diluuium esse inchoandos: quos benè redarguit Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus, de Anno Iubilei lib. 3. cap. 1.

MEMORATAE BENEDICTIONES QVANDO HOMINI DATAE.

11. Sed, vt ad tertiam redeamus benedictionem ipsi Noë & posteritati eius à Deo impertitam, videtur ea nonnihil differre ab illa, quam idem Deus Adamo & successoribus suis in ipso mundi exordio concesserat: siquidem tunc herbas tantummodò, & semina, & fructus, in cibum hominibus tradiderat; nunc verò etiam carnes omnium quæ mouentur adiecit, & potestas vescendi carnibus nunc primùm facta est: diuina semper augescente liberalitate. Verùm quia ex tali concessione videtur posse inferri, non licuisse homini ante Diluuium vesci carnibus, (de qua re ab Ecclesiasticis Doctoribus disputari solet) vt, quid nobis sentiendum videatur, aperiamus; scire oportet, quosdam putasse, esum carnis & ante Diluuium fuisse licitum, sed non vsitatum. Alios contrà, non fuisse licitum, sed communiter ab omnibus vsurpatum. Nonnullos verò credidisse, simul & fuisse licitum, & vsu receptum. Aliquos è conuerso, nec omnino fuisse licitum, nec vniuersaliter ab omnibus vsitatum. quæ postrema nobis sententia magis placet. Sed quoniam ei maximè obstare videntur quædam, Caietani præsertim ac Soti, argumenta, ea in primis hîc referre ac diluere necesse est. Caietanus super Genes. cap. 9. asserit, licuisse etiam ante Diluuium carnes edere; propter naturale dominium, quod Deus vsque ab initio mundi dederat hominibus super cuncta animantia, illis nimirum verbis: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Deinde ex eodem Caietano super Genes. cap. 4. possumus

DE ANNONA NOE ET POSTERIS EIVS CONCESSA.

DE ESV CARNIVM VARIAE SENTENTIAE.

ſumus ſic arguere: Clarum eſt, Abelem fuiſſe paſtorem ouium; ergo comedere poterat de ipſarum lacte, caſeo, & agnis. ſcribit enim Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 9. verſ. 7. *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Sed ſi agnos manducare non potuiſſet; non in eius laudem Scriptura ſacra dixiſſet, quòd de primogenitis & adipibus offerebat Domino: nam ſi propter lanarum pelliumque vſus tantummodò greges paſcebat, vtique ita ei vtilia erant pecora macilenta, ſicuti pinguia; nec meruiſſet commendari, quòd potiùs hæc quàm illa obtuliſſet. Præterea addere poſſumus, quòd nulla Lex naturalis aut poſitiua videtur tunc prohibuiſſe eſum carnis. nec dici poteſt, ipſum non fuiſſe vtilem ac ſalubrem hominibus ante Diluuium, ſicuti poſt; ergo tunc quoque fuit licitus. Sotus item lib. 5. de Iuſtitia & Iure, quæſt. 1. art. 1. probat pluribus rationibus, non fuiſſe vetitum hominibus ante Diluuium veſci carnibus, poſt naturæ lapſum. & Primò, Quia (inquit) eſus carnium eſt vitæ humanæ eiuſque incolumitati maximè naturalis, vt patet tum experientia, tum Medicorum iudicio, qui nihil inter cibos eo ſalubrius, neque ad vires conſeruandas augendáſve aptius ponunt; ergo videtur etiam ante Diluuium ab hominibus naturaliter fuiſſe appetitus & vſitatus. Secundò, Si homines toto illo tempore carnes non manducaſſent, neceſſarium videtur hoc eueniſſe, vel quia illis fuerant vetitæ; vel quia ſaporem ſalubritatemque earum ignorarent; vel quia non eſſent tunc temporis neceſſariæ. Si primum dixeris, reſpondet, prohibitionem nullam reperiri. Si ſecundum, Non eſt veriſimile, (inquit) mille ſexcentorum annorum ſpatio gentes illas, alioqui ſagaciſſimas, ignoraſſe, aut etiam experimento non didiciſſe, carnes eſſe ad cibum accommodatiſſimas. Si tertium aſſerueris; concedit, homines, ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſent, à carnibus abſtinuiſſe, tamquam eo tempore non neceſſariis: attamen, quia poſt peccatum eò tandem ventum eſt, vt omnis caro corruperit viam ſuam; propterea, quemadmodum in ceteris vitę huius voluptatibus, præter omne fas iuſque ſeſe homines immerſerunt, ita etiam valdè credibile eſt, ad ſatisfaciendum immoderatis gulæ concupiſcentiis, eos neque carnibus peperciſſe. Tertiò ſic arguit: Cùm cuncta animalia facta ſint propter hominem, multaque reperiantur, quæ non aliter, quàm in cibis, vſui eſſe poſſunt hominibus, vt gallinæ, piſces, & huiuſmodi: ergo horum ſaltem animalium carnibus veſcebantur homines, etiam ante Diluuium; alioqui fruſtrà hæc tunc in mundo fuiſſent. Quartò, Si venatio, auctore Ariſtotele 1. Politicorum cap. 5. homini naturalis eſt, profectò erat in vſu etiam ante Diluuium, non ſolùm ad animi oblectamentum, ſed etiam ad delicatiores cibos ex agreſtium animalium carnibus comparandos. Quintò, Ante Diluuium ſolebant offerri Domino in ſacrificiis etiam animalia, vt patet de Abel, Geneſ. cap. 4. verſ. 4. ergo conſequens eſt, vt facta oblatione, carnes illorum ederent: hoc enim ſemper & vbique fuit in vſu, vt carnes Domino libatæ, mox à Sacerdotibus comederentur, præterquam in holocauſtis, in quibus omnia cremabantur: nuſquam verò legimus, ante Diluuium tantummodò holocauſta, non etiam aliquando alia ſacrificia fieri conſueuiſſe. Demum, Credibile admodum videtur, homines illius temporis, ſicuti lac gregum ſuorum, ita eorumdem carnes in cibum aliquando ſumpſiſſe; & cùm tot animalia excoriarent, ad paranda ſibi veſtimenta ac tabernacula, nō ſemper carnes proieciſſe, quæ aliquando aërem inficere potuiſſent; ſed igni quandoque admouiſſe; & cùm ex odore primùm, deinde ex guſtu, ad eſum valde accommodatas eſſe intellexiſſent, cœpiſſe eas, prout ſolebant panem & herbas, coquere atque comedere.

ESVS CARNIS ANTE DILVVIVM ILLICITVS.

12. His tamen non obſtantibus, dicimus, quòd eſus carnium nec fuit ante Diluuium omnino licitus, neque communiter ab omnibus hominibus vſurpatus. atq; hæc ſententia videtur ſatis euidenter tum ex verbis Sacri textus colligi; tum plurimorum Doctorum auctoritatibus rationibuſque poſſe comprobari. Nam cùm ante Diluuium ſolas herbas, ſeminaque, & lignorum fructus conceſſiſſet Deus tam hominibus quàm iumentis, ac cunctis animalibus in cibum, vt expreſsè habemus Geneſ. cap. 1. verſ. 29. poſt Diluuium autem idem Deus indulſerit, vt omne quod mouetur & viuit, eſſet hominibus in eſcam, vt patet Geneſ. cap. 9. verſ. 3. fit conſequens, non fuiſſe ipſis hominibus conceſſas carnes ante Diluuium; præſertim cùm ibidem ſubiungatur: *Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* ac ſi dixiſſet: Hactenus ſolas herbas, & terræ naſcentia, ſeu, vt vno verbo dicam, ſola vegetabilia, tradidi vobis in cibum: nunc verò etiam ſenſibilia, id eſt, cuncta animantia trado, quibus veſci poſſitis, ac ſi eſſent olera virentia. In hanc ſententiam conuenire videntur omnes ferè prędictorum locorum Geneſis Expoſitores: videlicet Gloſſa ordinaria, Lyranus, Beda, Abulenſis, Hugo Cardinalis, Rabanus, Dionyſius Carthuſianus, & Rupertus. item B. Chryſoſtomus Hom. 27. in Gene-

Genesim, Theodoretus quæst. 55. in Genes. & S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad 2. Tametsi aliqui ex citatis Auctoribus magis absolutè, aliqui verò cautiùs loqui videantur. Eadem quoque sententia confirmari potest ratione. Nam cùm (vt omnes fatentur) ante Diluuium maior vis nutriendi esset in herbis & fructibus, quàm post, quia terra nondum Oceani eluuionibus & eius salsedine (quæ Diluuij posteà temporibus super eam anno integro mansit) arefacta, longè copiosiores & melioris succi fructus producebat: propterea commodè poterant homines, sine vllo esu carnium, solis terræ nascentibus nutriri ac sustentari. Huc accedit naturæ humanæ robur, & vigor, qui ante Diluuium multò validior erat; vt ipsa hominum illius temporis vitæ diuturnitas, quæ postmodum valde imminuta est, attestatur. quo fit, vt mirum non sit, si duriores illos glandium cibos faciliùs concoquere, & sine carnibus validè admodum nutriri valebant.

13. Vt igitur ad argumenta in contrarium adducta respondeamus; Ad Primum Caietani dicimus, Quòd naturale dominium à Deo datum homini super vniuersa animantia ante Diluuium, non extendebatur ad hoc, vt homo posset ea manducare; tum quia illorum carnibus vesci, eo tempore non indigebat; tum quia esus carnium nondum ei fuerat à Deo concessus. Scimus autem, & Principes terræ naturale dominium habere in sibi subditos, & patres in filios: & tamen non inde sequitur, posse eos licitè ipsorum vesci carnibus (mittamus nunc extremæ necessitatis casum, quia in eo, etiam ante Diluuium, potuissent homines carnes edere.) Ad illud quod dictum est de Abel, concedimus, eum fuisse pastorem ouium, edisseque de ipsarum lacte, vt dicebat Apostolus, non tamen etiam de agnis seu carnibus gregis sui (de hoc enim nihil meminit eò loci Apostolus) neque ibidem loqui intendit specialiter de tempore, quod Diluuium præcesserat; sed communiter, prout suis fieri solebat temporibus. Dicimus prætereà commendari Abelem, quòd primitiua pecora ac magis pinguia offerret Domino; quoniam ea, vniuersaliter loquendo, videntur hominibus esse chariora. Solemus etenim cuiuscumque generis primitias magis diligere, & pecora meliora ac pinguia solent esse dominis suis etiam viliora; quia ad gregem ampliùs multiplicandum, & ad maiorem lactis ac lanarum copiam producendam, videntur esse aptiora. Ad aliud, de Lege, responderi potest, Quòd etsi nulla exstaret lex specialis, quæ expresse prohiberet esum carnis: implicitè tamen continebatur huiuscemodi prohibitio in illa, quam retulimus, taxatione seu assignatione olerum ac terræ fructuum, in cibos hominum ac iumentorum: & item in naturalibus temperantiæ legibus. Nec refert, quòd post lapsum, aliqualiter obscuratum remanserit in hominibus lumen naturale: quandoquidem non vsqueadeò erat obtenebratum, quin satis dilucidè possent homines, præsertim verò viri probi, vel ex ipsa experientia dignoscere, cibos eis à Domino tunc expresse concessos, ad vitam in optimo statu conseruandam commodè potuisse sufficere, cetera autem, saltem implicitè, fuisse ipsis prohibita, tamquam tunc superflua & damnosa, quippe quæ ad petulantiam magis excitandam, & propter ipsorum intemperantiam, ad multa quoque morborum genera inducenda, propè certam occasionem præbere possent. Ad argumenta Soti. Ad Primum, concedimus, carnes nunc esse ad nutriendos homines accommodatissimas, laudarique à Medicis, non tam quòd multùm nutriant, quàm etiam, quia facilè à debilioribus quoque stomachis concoqui queunt. addimus tamen, eas valdè rationabiliter ante Diluuium non fuisse concessas, tamquam tunc minimè necessarias, propter copiam & varietatem aliorum ciborum, qui optimi erant nutrimenti, & robustissimis illis habitudinibus aptiores: robustissimis enim corporibus etiam de consilio Medicorum, duriores cibi magis conueniunt. siquidem illi si benè concoquantur, vt in ipsis fit, magis nutriunt, & solidius præbent alimentum, & ad manutenendas, immò verò & ad augendas vires, magis sunt accommodati. Ad secundam respondemus; viros probos ac Deum timentes, ante Diluuium à carnibus abstinuisse, quoniam erant vetitæ, modo superiùs exposito; prauos verò eas præter fas comedisse, vt iam dictum est. Ad tertium dicimus, gallinas, piscesque, & huiusmodi alia fuisse à Deo creata ad vsus hominum, vt scilicet his vesci possent, non quidem tunc, quia non opus erat; sed posterioribus temporibus. Quis enim nesciat, etiam ea quibus homines ad medicamenta dumtaxat vti solent, fuisse ab initio mundi creata, quando nullæ adhuc erant infirmitates? nec poterat dici, quòd tunc frustrà essent in mundo; quia saltem ad perfectionem vniuersi pertinebant, & suo tempore posteà vsui esse debebant hominibus: quemadmodum suprà quoque diximus, ab initio creatas fuisse spinas, & tribulos, & serpentes, & similia, ad vindictam peccatorum,

AD ARGVMENTA CAIETANI.

AD ARGVMENTA SOTI.

quæ Deus præuidebat ab hominibus fore perpetranda. Ad Quartum dici poteſt, non eſſe inconueniens opinari, venationem ante Diluuium fuiſſe à viris probis exercitatam, tantùm ad animi ſolatium, quantum ſcilicet ſpectat ad aucupia: quod verò attinet ad quadrupedium inſectationem, vt de ipſorum quoque pellibus ſibi indumenta parare, ac tentoria ſeu tabernacula conficere poſſent. Carnes autem non multo negotio poterant iam excoriatas ſubtus terram condere, vbi de aëris infectione timendum eſſet; alioqui eas ſub dio relinquere, quemadmodum hodie etiam fieri ſolet in Inſulis Noui orbis, quas vocant Cuba, Hiſpaniola, Iamica, & Dominica; vbi ob nimiam vaccarum multitudinem, quæ paſſim & ſine vlla diſtinctione in agris paſcuntur, incolæ eas ad libitum capiunt, & abſtracto corio, quod ad merces auferunt, nudas carnes proiiciunt, vt ſcribit Ioſephus Acoſta lib. 1. ſuarum Hiſtoriarum naturalium & moralium Indicarum, cap. 21. Ad Quintum reſpondere poſſumus; certum eſſe, ſacrificia & oblationes Domino non de animalibus tantùm, ſed etiam de frugibus terræ ante Diluuium fieri conſueuiſſe, vt patet Geneſ. cap. 4. Verùm, ſuppoſita illa eſus carnium prohibitione, quæ tum ex Sacro textu, tum Doctorum auctoritatibus ac rationibus iam probata eſt; ſequitur neceſſariò dicendum, quòd ſicuti ſolebant fructus terræ poſt oblationem comedere, ita carnes animalium ſemper in ſacrificiis, ſaltem viri boni, totas incendere conſueuerant, ad exemplum & aliqualem imitationem ſacrificiorum Abelis, quæ igne mirabiliter è cælo deſcendente abſumpta fuiſſe, communis Doctorum opinio eſt: hoc enim ſigno (inquiunt) intellexit Cain, Dominum reſpexiſſe, hoc eſt, accepta habuiſſe munera Abelis, ſua verò non item. Poſtremum admittimus, tamquam ſententiæ noſtræ nullatenus contrarium, vt conſequentia docebunt.

QVATTVOR DE CARNIVM ESV CONCLVSIONES.

14. Itaque ex dictis, quattuor hæc nobis manifeſta redduntur. Primò, Deum dediſſe hominibus ante Diluuium tantummòdò lignorum ſeu plantarum fructus, ſeminaque & herbas ad eſum, vt aperte legimus Geneſ. cap. 1. ſæpiùs citato; quoniam illa tunc erant ad homines probè alendos valdè apta & ſufficientia; tum ob ſucci bonitatem, tum ob corporum habitudinumque firmitatem, vt ſuprà expoſitum fuit. Secundò, carnes tunc temporis non quidem fuiſſe vetitas expreſſa ac ſpeciali prohibitione, ſed tantùm implicita, & ea item, quæ naturalibus temperantiæ legibus continebatur, quibus quiſque poterat ſatis dignoſcere, illos dumtaxat cibos ad vitam optimè ſuſtentandam potuiſſe ſufficere, quos pro illo tempore Dominus expreſsè conceſſerat; ceteros verò, nimirum carnes, piſces, & huiuſmodi alia, implicitè ſaltem tunc cenſeri vetita, tamquam ſuperflua. Et proinde viros probos, ac ſanctum Dei timorem in ſe habentes, ab illis, vtpote ad gulæ potiùs oblectamenta quàm ad vitæ conſeruationem pertinentibus, vltrò libenterque abſtinuiſſe. Tertiò, homines, procedente tempore, atque humana ſenſim paſſimque creſcente malitia, (paucis dumtaxat exceptis) non fuiſſe herbis ac terræ fructibus contentos, ſed carnibus etiam veſci voluiſſe; eoque tandem proceſſiſſe impiorum hominum voracitatem, (Diluuio præſertim iam appropinquante, quando ſcilicet, vt dicitur Geneſ. cap. 6. verſ. 5. ***multa malitia hominum*** erat ***in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta*** erat ***ad malum omni tempore***) vt carnes etiam cum ſanguine, hoc eſt, vt quidam putant, vel crudas, vel fortaſſis penè viuas, & adhuc palpitantes, more ferino deuorare non erubeſcerent. Quin etiam, vt ex Beroſo refert Caietanus ſuper Geneſ. cap. 4. vſqueadeò increuerat humana ingluuies; vt homines, omnis humanitatis obliti, humanas quoque carnes edere non ſint veriti. Quod certè non videtur incredibile, quandoquidem nos idipſum etiam nunc de nonnullis Tartaris audiuimus, & de Barbaris quibuſdam noui Orbis nationibus non ſine horrore legimus. Ceterùm hæc & huiuſmodi priſcorum illorum ſcelera, cum aliis propè innumeris coniuncta, Diluuij aquis à Deo punita fuiſſe dubium non eſt: vtinam etiam penitus eſſent exterminata atque abolita! Quartum ac poſtremum eſt, Deum, exacto Diluuio, eſum carnis expreſsè conceptiſque verbis conceſſiſſe; tum quia humana natura iam imbecillior facta, delicatioribus cibis egere iam cœperat, tum etiam propterea, quòd, vt ſæpè iam diximus, aquæ Diluuij validis hinc atque illinc vndarum agitationibus, & Oceani ſalſedine vbique transfuſa, terram reddiderant valdè infructuoſam, & ad gignendos optimi ſucci fructus minùs idoneam.

CONCESSIO ESVS CARNIVM, QVOMODO INTELLIGENDA.

15. Verumenimuerò, quod attinet ad memoratam veſcendi carnibus facultatem, duo aduertere oportet. Alterum eſt, eam indifferenter quidem & vniuerſaliter omnibus datam eſſe hominibus: non ita tamen, vt omnes & ſingulos ad eſum carnis obligaret; ſed volentes dumtaxat fineret, alio non obſtante, carnes edere: fuit enim, magis propriè loquendo, quædam conceſſio potiùs & indulgentia, quàm iuſſio aut præceptum,

ceptum,vt communiter sacri sentiunt Expositores. Quare manifestum est, illos valdè admodum allucinari hæreticos, qui hinc occasionem arripiunt calumniandi Catholicos, quòd aliquando deuotionis ergò, vel certis temporibus, ad honorem Dei ac Sanctorum, iubente sancta Ecclesia, à carnibus abstineant: & item,irridendi quorumdam Religiosorum instituta, quæ suis alumnis vel pœnitentiæ causa, vel vt castiùs viuere queant, carnis esum prohibent. Quasi solo carnium esu viuere homo possit. quasi verum non sit, quod aiebat Dominus Matthæi cap.4. vers.4. primam diaboli tentationem impugnans: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Quòd si ab ipso pane aliquando ad Dei cultum, salutemque animarum, abstinendum duxit Dominus; quis dubitet,eadem de causa etiam à carnibus abstinere licitum ac salutare admodum esse? An arctiùs obligat concessio carnis in escam,quàm panis? Vtinam attenderent isti Apostolum 1.ad Cor.cap.6. vers.12. dicentem: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. & cap.10. vers.23. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant*. Certissimum verò est, quòd quemadmodum verba illa, *Crescite, & multiplicamini*,&c. non obligant singulos dare operam liberorum generationi, vt sub die mundi 6. num.42. probauimus: ita neque ista, *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum*, &c. inducunt necessitatem singulis hominibus, vt carnes manducent. Neque item insinuant, licitum esse, (quod multi faciunt) luxus aut ostentationis gratia, siue vt insatiabilibus gulæ illecebris inseruiant, vllis non parcere sumptibus, aut laboribus, pro conquirendis & vndique comportandis cuiusuis generis animalium carnibus, in vnica præsertim mensa exponendis: alioqui, si sic omnino ad litteram prædicta verba accipienda esse quis contendat; poterit etiam inde inferre, teneri singulos homines ad manducandum de omni quod mouetur & viuit; ita vt si de vno aut altero quis numquam comederit, diuini præcepti transgressor habeatur. quod sanè dictu ridiculum foret; & sic sentienti, iure meritoque obiici posset illud Apostoli 2.Cor.cap. 3. vers.6. *Littera occidit, Spiritus autem viuificat.*

16. Alterum, quod aduertendum esse dicebamus, est, esum animalium non absolutè fuisse concessum, sed cum ea exceptione quæ subiungitur Genes. cap.9. vers.4. *Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis: sanguinem enim animarum vestrarum requiram*, &c. Quod quidem præceptum posteà Moyses in Lege sua explicatiùs registrauit, & non semel replicauit Leuitici cap 17. vers. 10. vsque ad 15. & Deuter.cap.12. vers.16. 23. & 24. Quo præcepto (vt sacri sentiunt Expositores) multa in esu animalium excipiuntur. Nam primò explicitè vetatur, ne sanguinem ipsorum vllo modo ederent, siue à carne separatum, siue cum ipsa admixtum, vt fit edendo animalia suffocata, aut contusione, aliòve modo sine sanguinis effusione occisa; & item si quis adhuc viuentia vel palpitantia manducaret. quidam etiam addunt, vt si quis carnes crudas comederet, quæ sanguine madere solent, & in quibus vix fieri posse videtur, vt non aliquid remaneat sanguinis. Atque hæc prohibitio, quod attinet ad suffocata & ad sanguinem, cùm sit rei non per se malæ; creditur in hoc renascentis mundi exordio facta, vt per huiuscemodi obedientiam, quæ sola hîc videtur exigi, recognoscerent homines supremum Dei dominium; ac eidem humiliter obsequentes protestarentur, ipsum posse, quæcumque ei placuerint, non tantùm mala, sed & bona quoque atque indifferentia, pro suo libito iustè eis prohibere: quemadmodum sub die mundi 6. num. 30. dictum est, ipsum Deum, eadem de causa, in ipso creati Orbis exordio, prohibuisse primis nostris Parentibus esum fructus illius plantæ, quæ dicebatur Arbor scientiæ boni & mali. Igitur ad prædictum præceptum negatiuum, de non edendo sanguine, explicitè datum, necessariò consequitur aliud affirmatiuum, nempe de ipso sanguine ab animalibus, priusquam coquerentur ac comederentur, fundendo. quod posteà etiam explicitè traditum est, locis præsertim Leuit. citatis; vbi insuper transgressoribus pœna mortis infligitur. Et præterea duæ adiiciuntur causæ seu conuenientiæ, cur esum sanguinis homini Deus prohibuerit, nimirum *quia* (inquit ibidem Scriptura) *anima omnis carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit*.ac si dixisset: Prohibui vobis esum sanguinis, in quo præcipuè videtur animalium vita contineri, iuxta illud Poëtæ: — *vitam cum sanguine fundit*. ne fortè videamini animas etiam velle comedere; & quemadmodum carnes vestras animalium carnibus, ita animas quoque vestras ipsorum animabus alere ac nutrire; quod sanè absurdum valdè videri posset, præsertim dicente Domino Deuter. cap.12. vers.23. *Sanguis enim eorum pro anima est: & idcircò non debes animam comedere cum carnibus*. Altera causa est, Quia sanguinem, inquit, reseruaui mihi, ad expianda

SANGVINIS ESVS PROHIBITVS.

SANGVINIS ESVS CVR PROHIBITVS.

peccata vestra, in sacrificiis immolandum: concessi enim vobis animalium carnes, ad corpora vestra nutrienda; sanguinem verò ipsorum & animas, seu vitas, in remedium & salutem animarum vestrarum; quatenus scilicet illorum sanguis & vita in sacrificiis effusus, significabat Christi sanguinem & vitam in ara Crucis aliquando effundendum, & pro redemptione mundi immolandum.

17. Sed ne quandoque posteri ipsius Noë, procedentibus temporibus, propter illam generalitatem, *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum*, putarent licere carnes quoque humanas, sanguine dumtaxat prius effuso, manducare; statim prohibetur effusio humani sanguinis, apposita duplici pœna; nimirum altera ab ipsomet Deo, altera ab hominibus infligenda. Prior insinuatur loco Genes. citato illis verbis: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri & fratris eius, requiram animam hominis.* Quo loquendi modo videtur voluisse complecti cuncta homicidiorum genera. dum enim ait: *Sanguinem animarum vestrarum requiram*, vtique etiam seipsos interimentes comprehendit. dum verò protinus addit: *Et de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis*, &c. eos signat, qui per se, vel per alios, homines videlicet aut per bestias, hominem occiderint. ac si vniuersaliter dixisset: Omnis homicida, (subaudi, iniustus;) siue bestia fuerit siue homo, vir aut femina, cognatus aut extraneus; quicumque is fuerit, requiram animam hominis, hoc est, defuncti, de manu eius; hoc est, puniam ego ipse eum pœna ineuitabili ac sempiterna. Et insuper, ad maiorem incutiendum timorem, etiam temporaliter pœna capitis, per humanos Iudices infligenda, quibus illicò tradidit ius gladij in homicidas, protinus subiungens: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* (subaudi, Si tamen de homicidio legitimè constiterit.) Vnde Exodi cap. 21. versic. 28. non dominum bestiæ tantùm, sed & ipsam bestiam, quæ homicidium perpetrasset, iussit Deus interfici. Sed & in memorata homicidij prohibitione, visa est Caietano alia quoque prohibitio implicitè contineri, tam bestiis quàm hominibus, nimirum, ne humanam edere carnem vmquam audeant. Quandoquidem, vt ipse subtiliter philosophatur, alimentum suapte natura debet esse imperfectius eo quod alitur; quoniam alimentum ordinatur ad id quod alitur, tamquam medium ad suum finem: constat autem vniuersaliter, finem esse perfectiorem iis quæ ordinantur ad finem. Vnde homo suapte natura nullius debet esse alimentum: non aliorum animalium; quia iis omnibus ipse est præstantior: non alterius hominis; quoniam est par, & eiusdem naturæ.

Ceterùm, ius gladij in homicidas dedit Deus homini, non solum illicò post Diluuium, videlicet Legis naturæ temporibus; verùm etiam Legis scriptæ; nimirum Exodi c. 21. vers. 12. his verbis: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur.* & Leuitici cap. 24. vers. 17. *Qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur.* & Deuteronom. cap. 19. vers. 12. præcipitur, vt homicida voluntarius & insidiosus, de loco effugij euellatur ad mortem. quin & Exod. cap. proximè citato vers. 14. iubetur euelli etiam ab altari, vt moriatur. Quam legem adhuc ampliùs extendendam iudicauit Salomon, in casu Ioab, præcipiens eumdem ab altari nolentem discedere, ibidem interfici, 3. Regum cap. 2. Sed & in Lege Euangelica idem ius in homicidas insinuatur Matth. cap. 26. versic. 52. dicente Domino: *Omnes qui acceperint gladium* (nimirum animo deliberato vt occidant hominem) *gladio peribunt*: & explicatiùs Apocal. cap. 13. vers. 10. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Et propterea non mirum est, si videmus homicidas vniuersaliter apud omnes pænè nationes non diuino solùm, sed etiam humano Iure, ad mortem inquiri ac damnari. Etenim magnam vim habuit in omnium animis hæc diuina sententia, & ratio eius quæ hîc subiungitur: *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* ex qua fit consequens, quòd si non licet Principis imaginem destruere, tanto minus Dei; & sicut ille fit reus læsæ Maiestatis humanæ, ita iste diuinæ. Ecce quanta paucis complexus est Dominus in memorata esus sanguinis exceptione. quandoquidem, vt dictum est, simul & semel explicitè prohibuit esum sanguinis, tum à carne separatum, tum cum ea quomodolibet admistum, & hoc, propter causam superiùs adductam; & consequenter præcepit, effundi debere sanguinem ab animalibus, antequam ab hominibus comederentur; atque item ipsis implicitè interdixit esum carnis crudæ, vel adhuc palpitantis; necnon & humanæ, tam bestiis quàm hominibus, ad occurrendum excessibus, ante Diluuium ab eisdem hominibus more ferino perpetratis. Ac demum, hinc sumpta occasione, manifestè vniuersaliterque vetuit homicidium; posuitque pœnas transgressoribus diuinas atque humanas, vt sic magis retraheret ab huiusmodi scelere homines, ne sicuti ab initio mundi Cain interfecit Abelem, ita quoque in hoc

De homicidii prohibitione.

Ius gladii in homicidas.

hoc eiusdem mundi reparationis exordio, sese filij Noë interimere auderent.

18. Sed vide hic immensam diuinæ bonitatis clementiam, quantum sese humanæ imbecillitati demittit & accommodat. Videbat Dominus homines illos paucos de Arca paulò antè egressos, & præsertim mulieres, de tremendo illo vniuersali Diluuio adhuc admodum trepidantes, atque intra se quodammodò ratiocinantes, ac tacitis cogitationibus hæc & similia reuoluentes: Ad quid istæ tam grandes Domini benedictiones? Ad quid propagatio, ad quid multiplicatio nostra super terram? Quid nobis proderit dominium super vniuersa animantia quæ sub cælo sunt? quid esus carnium? quid ius vindictæ in homicidas? Quid hæc, & si quæ sunt alia, alioqui præclara Dei dona, conferre nobis poterunt, si nos donaque sua iterùm diluuio Deus auferat? Quomodo deinceps poterimus animùm ab hoc timore compescere, quotiescumque turbari cælum contigerit, & quandocumque vehementissimas in terram pluuias cadere videbimus? Adhuc insonant in auribus nostris, horrendus ille quadraginta dierum fragor aquarum desuper irruentium, & miserabiles illi pereuntium eiulatus. nónne præstat mori magis, quàm videre ampliùs tantum ac tam vniuersale mundi exterminium? Sed esto; Deus poterit nos denuò per Arcam præseruare. Atqui perhorrescit animus diutinam illius carceris moram; concutit, nimiumque exagitat corda nostra, illa validarum Arcæ iactationum recordatio. Quid plura? nihil vmquam præ perenni huius timoris angustia iam lætificare nos poterit. Hæ atque huiusmodi exanimatæ illius familiæ perturbationes ita omnium corda deprimebant opprimebantque, vt vix intendere possent animum his, quæ paulò antè dixerat Dominus: *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines.* & quemadmodum legimus Lucæ cap. 18. vers. 31. de Apostolis, quòd dicente eis Domino: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum; & tertia die resurget.* sequitur: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur:* sic quodammodò filiis Noë contigisse videtur. Quare misertus ipsorum Dominus, eadem quæ priùs non semel repetit, clariusq; declarat, se non ampliùs missurum aquas diluuij super terram; & insuper solemni quadam promissione, ac signo visibili eis præstito, illos omnino de hac re securos vsqueadeò reddere contendit, vt quodammodò non videatur finem facere posse, eadem sæpiùs repetendi, variéque explicandi: quod nimirum arguit, quàm difficile hac de re persuaderi possent, ob causas à nobis superiùs allegatas. Libet hic ponere verba Sacri textus, vt omnes intelligant, verum esse quod diximus; & propterea non otiosè huiuscemodi repetitiones à Deo fuisse multiplicatas. *Ecce ego,* inquit, *statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum, tam in volucribus, quàm in iumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de Arca, & vniuersis bestiis terræ. Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram. Dixitq; Deus: Hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum, in generationes sempiternas: Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: cumq; obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus; & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente quæ carnem vegetat: & non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendum vniuersam terram. Eritq; arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam viuentem vniuersæ carnis, quæ est super terram. Dixitque Deus ad Noë: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me & omnem carnem super terram.* hactenus verba Sacri textus. Ex quibus satis apparet quod diximus: alioqui sufficere poterat tem paucis expedire, ac breuiter dicere: Bono animo estote filij, non ampliùs dissipabitur diluuio terra; itaque cùm videritis obtenebrari cælum nubibus, nolite expauescere, sed adspicite ad iridem, quæ apparere solet in nubibus, & in eisdem modicè densis atque humidis, aduersisque Solis fulgore percussis, naturaliter generati. ipsa enim deinceps, ex particulari mea institutione, erit vobis & posteris vestris signum perenne atque infallibile, numquam ampliùs venturi vniuersalis diluuij. Quare ipsam aspicientes, omnem ex animis vestris timorem facillimè discutietis. Ceterùm, diuinam hanc promissionem fœdere sempiterno confirmatam, Isaias cap. 54. vers. 9. iuramenti quoque vim habuisse commemorat. non quia sine iuramento firma non sint promissa Dei; sed ad maiorem inducendam securitatem, & sic magis subleuandam illorum hominum infirmitatem, & in summa, ad denotandum, immutabilem omnino fore diuinæ huius promissionis certitudinem:

PROMISSIO DE DILVVIO VNIVERSALI AMPLIVS NON MITTENDO CVR TOTIES REPETITA.

quam etiam iridis signo, omnibus conspicuo, Deus corroborare voluit; vt posteà homines illud intuentes, non in naturalibus eius caussis, more Philosophorum, tantummodò indagandis morarentur: sed potius diuini fœderis, in cuius signum à Deo datum fuit, recordarentur; & hinc, ad concipiendum sanctum Dei timorem, immensam eius potentiam tremendamque iustitiam in vniuersali illo Diluuio demonstratam contemplarentur: illinc verò, ad spem amoremque erga Deum amplius excitandum, pensarent diuinæ illius misericordiæ amplitudinem, quæ in hac promissione, de diluuio ampliùs non mittendo, mirabiliter elucet: præsertim si consideremus, quàm breuis fuerit memoratus iustitiæ rigor, qui anno vno dumtaxat perdurauit; respectu miserationis, quæ, non obstantibus infinitis propemodum sceleribus, quibus iram interitumque meremur, ad reliqua nihilominus omnia huius mundi tempora sese extendit: vt verissimum illud sit, quod dicebat Psalmista: *Et misericordia eius super omnia opera eius.* & Ieremias Threnorum cap. 3. vers. 22. *Misericordia Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.*

DE ORTV ÆLAM. 19. Eodem anno primo post expletum Diluuium, mense circiter decimo, necesse est de Sem natum esse Ælam, si Ælam fuit primogenitus ipsius Sem, vt credimus; & colligi potest Genes. cap. 10. versic. 22. vbi numerantur filij Sem, & primò ponitur Ælam, deinde Assur, tertio loco Arphaxad, posteà reliqui: nulla namque ratio apparet, cur Scriptura sacra alium ibi, quàm natiuitatis ordinem, obseruare debuerit. Nam cùm Arphaxad natus sit anno tertio post Diluuium, vt paulò pòst ostendemus, minùs verisimile est arbitrari, ipsum Sem duobus primis annis fuisse infecundum, quàm quòd in primo genuerit Ælam, & in secundo Assur; præsertim cùm ex nullo alio Scripturæ loco colligi possit oppositum; & sub hoc eodem anno num. 2. iam dictum sit, communem esse omnium opinionem, non modò Sem, sed nec vllum alium, donec mansetunt in Arca, ausum esse filiorum procreationi operam dare; quin potiùs nimio terrore correptos, pœnitentiæ opera exercuisse, lugentes communem illam humani generis cladem; nec ad mulieres accedendum esse existimasse, vsquequò intelligerent, Deum humano generi esse placatum, ac de ipso reparando deliberasse: alioqui videri posset, frustrà Dominum, expleto Diluuio, iterùm protulisse verba illa de generatione filiorum: *Crescite, & multiplicamini*, &c. Neque est quòd quis prædictis necessariam opponat sequelam, alendi infantulos matris lacte prægnantis, quod eis noxium esse solet: quandoquidem, etsi tunc tres aliæ aderant mulieres, procul dubiò vel illæ quoque pepererant, vel non. Si non, certè nec lac habere darève poterant filiis Sem; si pepererant, satis erat illis proprios lactare filios. Non, inquam, hæc obstat obiectio, quoniam eidem sub anno mundi 2. num. 1. iam satis superque responsum est.

CREDVNTVR NATI GOMER ET CHVS. 20. Sub finem eiusdem anni primi ab expleto Diluuio, creditur Iapheth quoque genuisse primum filium suum nomine Gomer; & de Cham, natum esse Chus, qui primus inter filios eius recensetur, Genesis cap. 10. versic. 6. Quare annus insequens ferè totus concurrit cum anno primo vitæ Ælam, Gomer, & Chus, vt in tabulis adnotatum inuenies.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1658. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 2.

1. ORTVS ASSVR, MAGOG, ET MESRAIM. ANNO ab exitu Noë de Arca secundo, circa initia mensis octaui, credimus Sem genuisse secundum filium suum, quem vocauit Assur, vt ex supradictis infertur; & de Iapheth natum esse Magog; & de Cham Mesraim. Vnde primus annus istorum pro maiori parte concurrit cum anno sequenti, vt videre est in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1659. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 3.

1. SEM GENVIT ARPHAXAD. BIENNIO (nimirum expleto) post siccatum Diluuium, id est, anno tertio exitus filiorum Noë de Arca, sub finem circiter mensis quinti, Sem cùm esset centum annorum (intellige completorum, iuxta regulam sub anno mundi 131. num. 2. traditam) genuit Arphaxad, Genes. cap. 11. vers. 10. Itaque, iuxta computum Hebræorum, oportet primum annum dicti Arphaxad concurrere pro maiori parte cum centesimo primo patris sui Sem, & cum anno post Diluuium tertio, vt in tabulis adnotabimus. Porrò ipse Sem, postquam genuit Arphaxad, vixit annis quingentis, &

genuit

genuit filios & filias: ibidem verſ. 11. Per idem quoque tempus, probabile eſt, de Iapheth ortum eſſe Madai; & de Cham, Phuth; & conſequenter, quòd primus annus ætatis Arphaxad, Madai, & Phuth, fuerit iſte tertius ab exacto Diluuio; quoniam cum eo pro maiori parte concurrit.

2. Verumenimuerò, quod diximus, Sem fuiſſe centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio poſt Diluuium, poteſt ad litteram verum eſſe, ſi ponamus, ipſum Sem non fuiſſe natu maiorem trium filiorum Noë, ſed ſecundo loco genitum. Quia, vt ſub anno mundi 1557. num. 2. notauimus, quando Scriptura Geneſ. cap. 5. in fine, dicit, quòd Noë quingentorum erat annorum, quando genuit Sem, Cham, & Iapheth; non debet intelligi, quòd eodemmet anno omnes tres genuerit, ſed quòd eo anno cœperit eos gignere. Quare ſufficit, ad veram illius Sacri textus intelligentiam, vnum tantùm illo anno eſſe genitum, puta Iapheth; reliquos verò poſteà. Et ſic potuit Sem naſci anno vitæ Noë quingenteſimo ſecundo iam propè expleto; & conſequenter fuiſſe annorum centum, biennio poſt Diluuium, quando ſcilicet genuit Arphaxad. Porrò quòd Iapheth, non autem Sem, fuerit natu maior, colligunt Hebræi ex Geneſi cap. 10. verſ. 21. vbi pro *fratre Iapheth maiore*, (vt noſtra habet editio Vulgata) quod vtique refertur ad Sem, legunt, *fratre Iapheth maioris*, quod non niſi ad Iapheth referri poteſt, vt teſtatur ibidem Lyranus. Et ita quoque habet textus L X X. Interpretum anno ſalutis 1588. Romæ editus. Atque eamdem ſententiam ſequuntur Genebrardus in ſua Chronologia, & Lyranus, & Abulenſis ſuper cap. 5. Geneſ. vbi etiam addunt, ipſum Sem primò nominatum fuiſſe inter fratres ſuos, non quia ipſorum eſſet ſenior, ſed propter maiorem eius dignitatem, nimirum quia de eius ſtirpe poſteà nati ſunt Patriarchæ & Prophetæ, ac demum ipſemet Chriſtus.

SEM QVO PATRIS ANNO NATVS.

IAPHETH FVISSE NATV MAIOREM QVI SENTIANT.

3. At verò, ſi (vt ſentit S. Auguſtinus lib. 16. de Ciuit. cap. 3. & ex Sacro textu Vulgato colligunt Caietanus & alij) Sem fuit natu maior inter memoratos filios Noë; oportet ipſum neceſſariò natum eſſe anno quingenteſimo vitæ patris ſui Noë, & conſequenter fuiſſe centum duorum annorum, quando biennio poſt Diluuium ipſe genuit Arphaxad. Nec propterea culpanda eſt Scriptura, tamquam falſa; quoniam certum eſt, quòd in ſupputationibus ipſa interdum minutos quoſdam numeros conſultò præterire ſolet, & (vt idem S. Auguſtinus quæſt. 47. in Exod. ait) tempora ita nuncupare conſueuit, vt quod de ſumma perfectioris numeri paululum excreſcit, aut infra eſt, non computetur. Quæ doctrina veriſſima eſt, poteſtque pluribus quoque aliis Scripturæ ſacræ exemplis confirmari. Et primò, Geneſ. cap. 15. verſ. 13. dicitur, ſemen Abrahæ peregrinaturum quadringentis annis; quos ab ortu Iſaac ad exitum Iſraëlis de Ægypto computandos eſſe, communior Doctorum opinio eſt: & tamen conſtat, quòd inueniuntur quadringenti quinque, vt nos ſub anno mundi 2118. num. 16. oſtendemus. Deinde, Numer. cap. 14. verſ. 33. prædicitur, filios Iſraël vagaturos in deſerto per annos quadraginta, & portaturos iniquitatem patrum ſuorum qui murmurauerant in Cadeſbarne, & de terra promiſſionis obtinenda deſperauerant. Atqui certum eſt, quòd à prædictæ murmurationis tempore, non niſi per annos triginta octo & aliquot menſes, filij Iſraël in deſerto permanſerunt; quemadmodum ſub anno mundi 2545. num. 64. demonſtrabimus. Ecce quomodo aliquando Scriptura ſacra modicum aliquid addit, minuitve, vt plenos integroſque numeros proferat. Idem videre eſt Iudicum cap. 8. verſ. 30. vbi legimus quòd Ierobaal, qui & Gedeon, *habuit ſeptuaginta filios* (ſubaudi legitimos) *qui egreſſi ſunt de femore eius; eò quòd plures haberet vxores*. & cap. 9. verſ. 5. ſubditur, quòd Abimelech, qui fuit vnus de filiis Gedeonis, non tamen legitimus, *occidit fratres ſuos filios Ierobaal ſeptuaginta viros, ſuper lapidem vnum*: & tamen conſtat, quòd interfecti ab ipſo fuerunt tantummodò ſexaginta nouem viri. Siquidem non occidit fratrem ſuum natu minimum, de quo ibidem ſubiungitur: *Remanſit q; Ioatham filius Ierobaal minimus; & abſconditus eſt*. Item in eiuſdem libri cap. 20. verſ. 15. & 16. Scriptura tradit, in exercitu Beniamitarum fuiſſe vigintiquinque millia & ſeptingentos viros: & infrà verſ. 46. & 47. ait, cæſa fuiſſe de Beniamin vigintiquinque millia, & ſuperfuiſſe tantummodò ſexcentos viros. ergo non vigintiquinque millia dumtaxat, ſed vigintiquinque millia & centum fuerunt occiſi. omiſit autem Scriptura numerare illa centum, quæ fortè etiam minùs erant; quia modicum quid eſſe videbantur reſpectu totius numeri. Idem oſtendi poteſt ex 2. Reg. cap. 5. verſ. 4. vbi habetur, Dauidem regnaſſe in ſumma annis quadraginta, & ibidem explicatur, quòd in Hebron regnauit ſeptem annis & ſex menſibus, in Ieruſalem verò triginta tribus annis. Item 3. Regum cap. 6. verſ. 37. dicitur, quòd anno regni Salomonis quarto fundata eſt domus

QVOD SEM FVERIT NATV MAIOR, QVI ITA PVTANT.

MINVTIORES NVMERI IN SACRIS SCRIPTVRIS PRÆTERITI.

mus Domini, mense Zio, quem suprà vers. 1. dixerat esse secundum; & addit, quòd perfecta fuit anno vndecimo, mense Bul, qui est mensis octauus. & continuò subiungit: Ædificataque est annis septem. Vides quòd vtrobique sex in supputatione menses prætermittuntur. quia, vt diximus, consueuit nonnumquam Scriptura sacra numeros integros plerosque pro fractis atque imperfectis vsurpare. Nam & sic quoque in familiaribus hominum colloquiis interdum fieri solet: & quod ab aliquo numero parum abest; siue quia modicum quid excedat, aut deficiat, tamquam nihil abesse communiter censetur.

VTRVM SEM AN IAPHETH FVERIT NATV MAIOR.

4. Sanè si quis hoc loco percunctetur, quænam ex prædictis duabus opinionibus verior sit, Vtrùm scilicet Sem an Iapheth fuerit natu maior inter filios Noë, dicimus, non facilè id posse determinari, propter textuum Scripturæ sacræ varietatem, & ambiguitatem Hebraicæ vocis, pro qua Interpretes aliqui reddiderunt *maiore*, aliqui verò *maioris*: quoniam huiuscemodi vox in Hebræo, vt aiunt, cùm sit indeclinabilis, vtroque modo interpretari potest. Verumtamen probabilius videtur, Sem fuisse maiorem: tum quia id manifestè colligitur ex textu editionis Vulgatæ, quæ inter alias maiorem habet in sancta Ecclesia auctoritatem; præsertim illa, quæ Romæ prodiit anno salutis 1593. sub Clemente Octauo: tum quia licet textus LXX. Interpretum Romæ pariter anno salutis 1588. impressus, habeat *Sem fratre Iapheth maioris*: ille tamen antiquus, quo sanctus vtebatur Augustinus, habebat, *Sem fratre Iapheth maiori*, vt videre est in Scholiis eiusdem editionis LXX. Interpretum. & insuper Chaldaicæ Paraphrasis translatio, quæ in Bibliis Regiis habetur, eumdem sensum videtur exprimere; & item Sanctis Pagnini ac Vatabli versiones.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1660. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 4.

1. ☞ ORTVS CHANAAN, ET IAVAN, ET LVD.

ANNO post Diluuium quarto, mense circiter tertio, credimus de Cham natum esse Chanaan, quod & ex sub anno mundi 1666. num. 3. dicendis colligi poterit. Et fortè etiam eodem circiter tempore, de Iapheth natus est Iauan; & de Sem, Lud. Quod si ita est, annus ipsorum primus pro maiori parte cum anno præsenti concurrit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1661. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 5.

1. ORTVS THVBAL, ET ARAM, ET MOSOCH.

ANNO quinto circiter inchoante post Diluuium, probabile est quòd Iapheth genuerit Thubal; & Sem, Aram; & quòd mense circiter decimo eiusdem anni, ipsi Iapheth natus sit sextus filius, qui Genes. cap. 10. versic. 3. nuncupatur Mosoch. Quare, si sic est, primus annus vitæ Mosoch ferè totus concurrit cum sequenti, vt in tabulis notabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1662. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 6.

1. ORTVS THIRAS.

ANNO post expletum Diluuium sexto, mense circiter septimo, credi potest ipsum Iapheth genuisse filium suum septimum, quem appellauit Thiras, vt loco Genes. proximè citato apparet. Igitur primus annus vitæ Thiras magis videtur concurrere debere cum sequenti.

NOE AN VLLOS POST DILVVIVM GENVERIT FILIOS.

2. Verùm quia Scriptura sacra nusquam meminit, de Noë natos esse filios post Diluuium: non abs re erit hoc loco disquirere, num vllos post exitum de Arca liberos genuerit, nec ne. Et quidem pro parte negatiua facit, quòd non solùm illorum nomina penitus fuerint prætermissa; sed etiam quòd de ipso Noë, post genitos Sem, Cham, & Iapheth, Scriptura non subiunxerit clausulam illam, *& genuit filios & filias*, quam in aliis Patriarcharum primæ & secundæ ætatis mundi generationibus adiicere solet, Genes. cap. 5. & 11. & prætereà Genes. cap. 9. vers. 19. & in calce capitis decimi videtur dici, à tribus tantum filiis Noë, videlicet Sem, Cham, & Iapheth, post Diluuium disseminatos esse populos in orbe terrarum: ergo signum est, Noë nullos alios genuisse filios; nam ab iis quoque oporteret alicubi deductas esse colonias & familias. Ex alia parte, videtur admodum vrgere quod legimus cap. 9. vers. 1. & 7. *Benedixitq; Deus Noë & filiis eius. Et dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* quibus verbis

bis ſingularem hominibus fecunditatem à Deo præſtitam fuiſſe, nemo in dubium vocat. ergo & ipſi Noë, cui eadem quoque dicta fuiſſe certum eſt. Non enim illud, *Et dixit ad eos*, exponi poteſt, id eſt, tantummodò ad filios. quia præterquam quòd inſulſa eſſet huiuſmodi interpretatio; quæ ſequuntur, *Et terror veſter*, &c. omnia communia ſunt etiam ipſi Noë. Quòd ſi non ſolùm ad filios, ſed etiam ad ipſum Noë pertinebant ceteræ benedictiones, quæ ibidem recenſentur, nempe, dominium ſuper cuncta animalia; facultas edendi carnes, excepto ſanguine; & ius gladij in homicidas: cur non etiam fecunditas & multiplicandi facultas, quæ ibi poſt prædicta ſtatim iterùm vniuerſaliter cunctis qui aderant tribuitur repetitis iiſdem verbis: *Vos autem creſcite, & multiplicamini, & ingredimini ſuper terram, & implete eam?* Caietanus quoque hoc idem videtur colligere ex eo quod in eodem cap. verſ. 18. ſubiungitur: *Erant ergo filij Noë, qui egreſſi ſunt de Arca, Sem, Cham, & Iapheth.* nimirum illud, *qui egreſſi ſunt de Arca*, putat dictum eſſe ad diſtinctionem eorum, qui pòſt ab eodem Noë geniti fuerunt.

3. Sed, vtcumque res fuerit, (eſt enim valdè dubia) mihi certè probabilius videtur, ipſum Noë alios quoque poſt Diluuium filios procreaſſe: alioqui fruſtrà Deus ipſi etiam ſignanter dixiſſet, *Creſcite*, &c. potuiſſetque ſeparatim id tantummodò filiis eius indicare. Neque videtur Noë fuiſſe adeò ſenex, quin naturaliter potuerit adhuc generare, præſertim accedente vi diuinæ illius benedictionis recens datæ, & quæ tunc aderat multiplicandi genus humanum, neceſſitate. Nam ſi hoc tempore, in quo vita hominis communiter ad ſeptuaginta vel octoginta annos protendi ſolet, multi prope ſeptuageſimum annum, & nonnulli quoque poſt, filios procreare valent: cur Noë, qui vixit nongentos quinquaginta annos, non potuit ſaltem ab anno ſexcenteſimo ad ſeptingenteſimum plures filios gignere? Sed ſi horum nullatenus meminit Moyſes, quis miretur? non enim antiquiſſima quæque conſcribere profeſſus eſt; ſed ea dumtaxat, quæ ad populum ſuum aliqualiter pertinuiſſe viderentur; qualia non exiſtimauit eſſe ea, quæ fortè de aliis filiis Noë dici potuiſſent: quemadmodum neque illa, quæ de aliis primæ ac ſecundæ mundi ætatis Patriarcharum filiis conſultò idem Moyſes præterit. Nec ſingulare eſt, in deſcriptione generationis Noë Gen. cap. 5. v. 31. omiſſam fuiſſe conſuetam illam clauſulam, in aliis generationibus toties repetitam, *Et genuit filios & filias*: quandoquidem pariter deſideratur in deſcriptione generationum Cham, Geneſ. cap. 10. verſ. 6. & Iapheth, ibidem verſ. 3. & Thare, cap. 11. verſ. 32. & tamen non videtur credibile, quòd iſti nullos alios filios genuerint, niſi quos Scriptura ſacra commemorat: alioqui quid operata eſſet in ipſis Dominica illa benedictio: *Creſcite, & multiplicamini*, &c. ſi Iapheth in tota vita ſua ſeptem tantùm, & Cham quattuor, & Thare tres dumtaxat mares & nullas omnino fœminas genuiſſent? Quòd autem dicitur humanum genus à tribus filiis Noë diſſeminatum; puto ideò dictum, non quia ab aliis etiam eiuſdem Noë filiis facta non fuerit iſta diſſeminatio, ſed quia, qui de prædictis tribus deſcenderunt, fuerunt illuſtriores huius diſſeminationis principes, & veluti capita eorum, qui ab aliis ſegregati, nouas ſibi ſedes quærere, ac varias orbis regiones inhabitare cœperunt. Ex his ergo patet, minùs probabilem eſſe opinionem eorum, qui putant, quòd Noë poſt Diluuium iam fractus (vt aiunt) & ſenex, vtque meliùs vacaret Deo, veneris pertæſus, abſtinuerit ab vſu coniugij, ideoque deinceps nullos genuerit liberos. Valeat autem & diſpereat commentitia atque inſana illa Beroſi Anniani adinuentio, quæ habet, quòd cùm Noë ebrius iaceret, Cham illius virilia comprehendens, ac tacitè ſubmurmurando, carmine magico patri illudens, ſterilem eum ac perinde caſtratum reddidit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1666. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 10.

1 ANNO poſt Diluuium circiter decimo, vt ex paulò pòſt, videlicet num. 3. dicendis colligi poterit, Noë qui ſtatim vt exierat de Arca, cœperat cum filiis ſuis exercere terram, quò ſibi ſuiſque victum pararet, & poſt aliquot, vt arbitror, annos plantauerat vineam, quæ cùm ſuo tempore poſteà vuas optimas copioſioreſque protuliſſet, cogitauit prouidus ſenex, ab his expreſſum vinum bibere, quod hauſtum vberiùs, ne ipſi quidem pepercit auctori, qui vtique vini vim neſciens, eiuſque ſuauitate illectus, in ebrietatem incidit. Ex quo videtur poſſe inferri, vini potum in prima mundi ætate non fuiſſe in vſu. Nam licet inter alias frugiferas terræ plantas, tunc etiam vites exſtitiſſe dubium non ſit: attamen credunt Doctores, vitibus tantùm NOE VINVM BIBENS INEBRIATVR.

ad

ad manducandas vuas, non autem ad vinum quoque ab ipsis exprimendum ac potandum vti homines consueuisse: Noë autem per hæc tempora primum fuisse vini inuentorem. Cùm enim ipse, sicut & ceteri homines, antea semper aquam bibisset, quæ ante Diluuium optima erat, & ad gustus suauitatem corporisque sanitatem admodum accommodata; post ipsum autem manifesta comperisset experientia, ipsas aquas deteriores euasisse, & minùs salubres, putauit, ingrauescente præsertim iam sua ætate, vini potum sibi fore saluhriorem: & ideò plantauit vineam; id est, vites vndecumque potuit collectas ac selectas, & conuenienti loco, ac diligentiori cultura satas, in vineæ formam primus redegit: bibensque ex ea merum, ea mensura qua priùs solebat aquam bibere, vel fortè etiam aliquanto largiori, ob illius suauitatem ac dulcedinem, inaduertenter inebriatus est. Non enim (vt testantur Theodoretus quæstione 56. & B. Chrysostomus Homil. 29. in Genes. & alij) præ intemperantia, Noë in ebrietatem lapsus est; sed ex mera potentiæ vini ignoratione atque inexperientia.

NOE NVDVS A FILIO CHAM IRRISVS, AB ALIIS PALLIO OPERTVS EST.

2. Accidit autem, vt cùm inquiera quadam somnolentia, quæ ebrietatem comitari solet, correptus Noë operimenta à se proiecisset, nudus iaceret in tabernaculo suo: quod eùm fortè (vt satis rationabiliter Hebræi, & aliquot ex Catholicis opinantur Doctores) vidisset filius Cham nomine Chanaan, statim accurrens, suo indicauit patri; qui eùm debuisset grauiter obiurgare filium, è contrario, præ curiosa quadam leuitate, & ipse veniens vidit nudata esse verenda patris: nec ea solùm operire non curauit, quin potiùs non insipienter tantùm (vt fecerat paruulus) sed etiam cum iniqua quadam irrisione nuntiauit duobus fratribus suis. At illi huiuscemodi impietatem atque illusionem toto corde auersantes, & insuper auersa facie, ne patris virilia viderent, accedentes, pallio parentem operuerunt: insigne posteris exemplum relinquentes eximiæ pietatis ac reuerentiæ, quam erga parentes, tam carnales quàm spirituales, etiam quoquomodò delinquentes, exhibere tenemur.

3. Sanè, si verum est, vt diximus, Chanaan primò vidisse nudatum auum, ac retulisse patri; vtique oportet ipsum iam tunc fuisse doli capacem, ac saltem septennem. Quare cùm dictum sit, Chanaan natum esse anno post Diluuium quarto; sequitur satis probabiliter, hanc ebrietatis Noë historiam hoc circiter anno contigisse. Quod etiam sensisse videntur Caietanus, Pererius, & alij. Certè, iam ante non admodum multos annos natum esse Chanaan, non obscurè indicat lectio LXX. Interpretum, quæ eumdem Chanaan appellat puerum, dicens: *Maledictus Chanaan puer; famulus erit fratribus suis.*

NOE EXPERGEFACTVS MALEDICIT CHANAAN, ET BENEDICIT SEM ET IAPHETH.

4. Ceterùm Noë, digesto tandem vino, ac de graui illa somnolentia expergefactus, vt primùm aduertit sua pudenda non veste consueta, sed alieno pallio præter solitum esse contecta, causamque huiuscemodi nouitatis ignoraret; ex duobus filiis sciscitatur, eosdemque instanter vrget, quidnam sibi accident vt fideliter aperiant. Illi, licet præ ipsorum modestia, non libenter, tamen patre sic iubente ac volente, rem, prout gesta fuerat, retulerunt. Quam vt audiuit Noë, eùm esset iustus, & diuino, vt creditur, actus spiritu, iusta filiis rependit stipendia meritorum, vindicans impietatem atque iniuriam sibi à filio suo Cham ac nepote Chanaan indignè illatam, maledictione eisdem inflicta: & è conuerso pium remunerans obsequium, quod sibi à reliquis filiis suis Sem & Iapheth fuerat impensum, larga eis impertita benedictione: de quibus hic consequenter agemus. Sanè maledictio, vt ab ea exordiamur, hisce verbis vibrata fuit: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis*, Genes. cap. 9. versic. 25. ac si dixisset: Ista erit maledictio & iusta pœna, quæ à Deo inuretur ipsi Chanaan; quòd scilicet abiectissimæ seruitutis iugo subiicietur à fratribus suis.

MALEDICTIO CHANAAN RESPICIEBAT POSTEROS EIVS.

5. Quæ quidem maledictio non ad personam ipsius Chanaan, sed ad posteros eius, nimirum ad Chananæos referenda est, vt paulò pòst explicabimus. Nam de ipso Chanaan nusquam legimus quòd seruierit fratribus suis; quin potiùs creditur, per vim expulisse fratres seu propinquos suos, videlicet filios Sem, de sedibus suis, vt sub anno mundi 1909. num. 3. dicemus. Neque hoc nouum est, in Sacro eloquio prædici interdum aliqua de vno particulari, quæ postmodum non in persona, sed in semine eius implenda esse, debent intelligi. Tale est illud, quod Isaac filio suo Esau petenti ab eo benedictionem respondit, dicens: Dedisse eam fratri sub Iacob, quem inquit, *dominum tuum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui*, Genes. cap. 27. vers. 37. & tamen nusquam reperitur, quòd Iacob fuerit dominus fratris sui Esau, sed potiùs è conuerso certum est, ipsum Iacob non semel adorasse appellasseque Esau dominum suum, vt tradit B. Chrysostomus Homil. 8. in Matthæum, & nos sub anno mundi

mundi 2319. num.2. ostendemus. Præterea 1. Reg. cap.2. verf.32. legimus, Dominum inter alia hoc quoque comminatum esse Heli sacerdoti magno de familia Ithamar: *Videbis*, inquit, *æmulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israël*, &c. quæ tamen comminatio non in ipsius Heli persona, sed in eius posteritate postmodum impleta est; nimirum in Abiarhat vno de posteris dicti Heli, qui vidit æmulum suum, hoc est, Sadoc sacerdotem de stirpe Eleazar, pro se in pontificatu à Rege Salomone suffectum, & in omnibus auctum, ac prosperè gradientem; se verò de Ierusalem in Anathoth ab eodem Rege eiectum, vt sub anno mundi 3020. num.12. dicemus. De Simeone quoque & Leui prædictum fuerat Genes. cap.49. v.7. *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.* quod non in ipsismet, sed in eorum posteritate tandem fuisse impletum, ex his quæ à nobis sub anno mundi 2345. num.6. dicenda sunt, planum fiet. Denique constat, promissiones Abrahæ factas, in semine eius fuisse impletas; & præsertim illam quæ erat de terra Chanaan eidem tradenda: nam S. Stephanus Actorum cap. 7. versic. 5. protestatur, quòd Deus non dedit Abrahamo de terra Chanaan nec passum pedis; sed repromisit dare eam ei & semini suo, id est, vt exponit Caietanus, respectu & ratione sui, dare eam semini suo. Nonnulla quoque alia huiuscemodi exempla in Prophetarum libris inuenies. Quomodo autem posteritas Chanaan infelicitati seruitutis subiecta fuerit, breuiter tangit B. Chrysostomus vbi suprà, dicens, id posteà impletum fuisse in Gabaonitis. At verò Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ sub anno mundi 1657. ait, quòd propter Noëticam hanc maledictionem, Chananæi & multi Africæ populi perpetuæ Europæorum & Asianorum seruituti fuerunt obnoxij; qui proinde, inquit, Reges ferè habuerunt extraneos, olim Persas, Ptolemæos, Græcos, Romanos, Saracenos; hodie Turcas, Arabes, &c. Sed neque quisquam miretur, senem prudentem maledixisse puero insipienti; quandoquidem Elisæum quoque Dei nutu idem egisse habemus 4. Reg. cap.2. verf. 24. Et constat huiusmodi maledictiones à sanctis viris prolatas, potiùs diuinæ vindictæ prædictiones exstitisse. POSTERI CHANAAN QVOMODO SERVITVTI FVERINT ADDICTI.

6. Verùm dicet aliquis, Cur non magis maledixit ipsi Cham, cuius culpa multò grauior erat quàm pueri? Respondent Doctores: Quia non ausus est Noë nominatim maledicere ei, cui benedixerat Dominus; sed eidem maledixit in sua posteritate, non quidem omni, sed in ea dumtaxat quæ de Chanaan primo (vt creditur) dicti sceleris auctore, proditura erat. Quod principaliter ipsi Cham valdè admodum displicuisse nemini dubium est: siquidem filiorum calamitates redundant etiam ad patrum miseriam ac mœstitiam; iuxta illud Prouerb. cap.10. verf.1. *Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matris suæ.* Respicit autem, vt dixi, ista maledictio posteros ipsius Cham, nimirum alludens ad ea quæ posteà, Moysi, Iosue, & Regum temporibus, Chananæorum populis acciderunt; quos hîc Noë spiritu Prophetico præuidit, pessimorum parentum suorum imitatores ac sceleratissimos euasuros: ac proinde, Deo ipsos sic puniente, à filiis Sem, hoc est, ab Hebræis, qui de Sem descenderent, partim occidendos, & de ipsorum regione exterminandos; partim perpetuæ seruituti fore mancipandos. Quod libenter hîc attingere voluit Moyses, ad solatium populi sui, cui hanc scribebat historiam, vt ex collatione huius maledictionis olim inflictæ ipsi Chanaan, cum repromissionibus posteà Abrahæ factis, de illorum terra ipsi & semini eius danda, magis ac magis in hac spe confirmarentur Hebræi, & ad illam consequendam vehementiùs animarentur. CVR NON MALEDIXIT CHANAAN, ET NON CHAM.

7. Notandum verò hîc est, nunc primùm factam esse seruitutis mentionem; seruitutis inquam violentæ ac molestæ: nam voluntaria illa seruitus & subiectio, cuius meminit Apostolus ad Romanos cap.13. verf. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, naturaliter creaturis omnibus rationalibus est communis; vt sub die mundi 6. num. 29. ostendimus. At verò hæc coacta & dura seruitus (vt benè notarunt B. Chrysostomus Homil. 29. in Genes. & sanctus Augustinus lib.19. de Ciuit. cap.15.) ab hoc peccato Cham, siue etiam ipsius Chanaan, mediante hac Noëtica maledictione, primam duxit originem: non quia nunc statim in vsum induci cœperit, sed quia nunc primùm nominari, & posteris infligi cœpta est: nam anteà nullum hominem legimus in seruitutem redactum, aut tali pœna punitum; posterioribus verò temporibus, propter ingrauescentia hominum peccata, vsqueadeò dilatata est ista maledictio, vt diuino iudicio etiam permissa sit seruitus passim apud omnes, præsertim barbaras nationes, Iure humano induci. Appositè autem tali pœna videtur punita impietas & irreuerentia potissimùm erga patentes & maiores exhibita: quoniam valdè iustum & rationi consentaneum est, seruili molestiaque subiectione premi debere eos, qui filialem sua- SERVITVS QVANDO, ET VNDE PRIMOORTA SIT.

suauemque ac naturalem subiectionem seu seruitutem violare non erubuerunt. Et iusta sanè videtur pœna iis, qui præ superbia & irreuerentia parentibus ac superioribus suis non modò debitum denegant exhibere honorem, sed eis etiam illudere non verentur; si ipsi propterea in tali collocentur statu, qui nullo ab hominibus honore reuerentiáve dignus habeatur: quin potiùs, tamquam viles & abiecti, ad vilia quæque & abiectissima seruitutis opera vel inuiti destinentur; eademque, si renuant, plagarum ac verberum vi obire exercereque cogantur. Quamquam Deus pessima hac castigatione non contentus, aliam quoque iis, qui parentes inhonorauerint, posteà addiderit Exodi cap. 20. vers. 12. dicens: *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* ac si necessariò subinferendum indicaret, Quod si non feceris, citò de vita migrabis. Sed ad rem redeuntes,

DE BENEDICTIONE SEM. 8. Dicamus nunc aliquid de benedictionibus, à Noë duobus reliquis filiis suis, primò Sem, tamquam primario impensæ sibi pietatis auctori, deinde etiam ipsi Iapheth impertitis: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius.* quasi dicere voluisset: Verè Deus, quem colet Sem & posteritas eius, ille solus est verus Deus benedictus in sæcula; & ipse tot ac tam magnas dabit benedictiones ipsi Sem & semini eius, vt vel hinc maximè super omnia benedicendus esse videatur liberalissimus tantorum bonorum creaturæ suæ largitor. Inter quæ, præcipua hæc fuisse videntur, Quòd sana fides, & verus Dei cultus, in sola ipsius Sem posteritate permanserit, in ea inquam, quæ per Heber, Abraham, Isaac, & Iacob, propagata est: nam reliqua eius soboles, cum omnibus Cham & Iapheth posteris, citò ad idola colenda declinauit. Item, Quòd ex ipso Sem, tot ac tam boni ac sancti viri, Patriarchæ & Prophetæ prodierint, & (quod omnia superat) ipsemet Messias. Denique, Quòd Sem longiori vita vixerit: siquidem neminem in Sacris libris post Diluuium diutiùs ipso vixisse comperimus. Possumus etiam his addere, Quòd per antonomasiam ipse appellatus sit Sacerdos Dei Altissimi. si tamen vera est opinio eorum, qui putant ipsum eumdem fuisse cum Melchisedech, de qua sub annis mundi 2118. num. 8. & 9. & 2156. num. 1. & 2. disputabimus. Ex quibus apparet, in Sem priùs impleta & ostensa fuisse, quæ posteà scripta sunt Ecclesiastici cap. 3. vers. 6. & 7. *Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filiis, & vita viuet longiore.* & vers. 9. & 10. *In opere, & sermone, & omni patientia, honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouissimo maneat.* Neque dubitandum est, ipsum Sem consecutum esse alias quoque benedictiones, quæ in eodem cap. honorantibus patrem promittuntur; nimirum gloriam, ac diuitiarum abundantiam, & promptam in orationibus exauditionem, necnon facilem peccatorum dimissionem, atque opportunam in tempore tribulationis liberationem; & si quæ sunt huiusmodi alia. Quomodo autem Chanaan fuerit seruus eius, iam suprà num. 6. expositum est.

DE BENEDICTIONE IAPHETH. 9. Sequitur benedictio Iapheth. *Dilatet Deus* (ait Noë) *Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, sitq́; Chanaan seruus eius.* Tria itaque in hac benedictione contineri videntur. Primò, valdè ampla sobolis Iapheth, & populorum de ipsa propagandorum per expansas admodum & spatiosas terrarum plagas dilatatio: de qua sub anno mundi 1931. num. 19. opportuniùs disseremus. Alterum est, posteros Iapheth habitaturos in tabernaculis, seu (vt habet editio LXX. Interpretum) in domibus Sem. quo innuitur, eos tam magna incrementa habituros, vt non eis sufficere queat latissima pars orbis, quæ ad incolendum ipsis obtigerit; sed insuper oporteat eos in sortem Sem habitare; siue quibusdam posteris ipsius Sem inde eiectis, siue mistim cum ipsis simúlve pacificè conuiuentes. quod posterioribus sæculis non semel contigisse, ex Sacris quoque historiis constare potest; nam & Iudæos de Iudæa à Gentibus translatos, & Gentilium colonias non semel in Iudæam deductas, in Regum præcipuè libris legimus; præter id quod sub anno mundi 1932. num. 22. dicemus. Nisi aliud fortè figurato hoc loquendi modo Noë subobscurè voluerit innuere, & quoquomodò præsignare; nimirum, vnionem Gentilium & Iudæorum in vna Christi religione ac fide. in hac enim, tamquam in propria domo, primùm habitarunt Iudæi, credentes in Christum venturum, & patribus suis repromissum; mox etiam multi ex ipsis eidem posteaquam venit fideliter adhærentes; deinde, vt notum est, in eamdem domum seu religionem multò copiosiùs introierunt etiam Gentiles. & quidem in primitiua Ecclesia, per aliquod tempus erat domus hæc vtrique populo communis: posteà verò desiit esse Iudæa sanctificatio eius, & Christiana religio facta est habitatio Gentium. constat autem, Iudæos de Sem, Gentiles verò magna ex parte de Iapheth descendisse.

10. Sanè

10. Sanè ad id, quod postremò dicebamus, alludere videtur voluisse Rupertus, qui lib. 4. Commentariorum in Genes. cap. 39. tabernacula Sem, in quibus habitaturus dicitur Iapheth, putat esse Iudæorum priuilegia, quæ Apostolus ad Romanos cap. 9. v. 4. enumerat, dicens: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. In his* (inquit) *ille populus aliquando habitabat solus; nam nos Gentes foris eramus. Eratis enim (ait idem Apostolus* ad Ephes. cap. 2. v. 12.) *illo in tempore*, nimirum ante conuersionem vestram, *sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* Quomodo autem in hisce tabernaculis posteà habitauerint filij Iapheth, ita idem Rupertus docet: De Iapheth namque scimus, inter alias nationes, prodiisse etiam Græcos & Latinos, qui in cunctis fere gentibus principatum obtinuerunt; illi propter sapientiam & eloquentiam, isti propter potentiam; per horum linguas patefacta sunt prædicta tabernacula Sem cunctis gentibus ad inhabitandum: translatis enim ex Hebræo in Græcum & Latinum sermonem Diuinis eloquiis, sacrarum Scripturarum scientiam & veri Dei notitiam gentes perceperunt. & primò quidem Iudæi, quibus illa tabernacula ædificata fuerant, in ea irruerunt; deinde nonnulli Gentilium, ex Cham & Sem originem ducentium, vt colligi potest Actorum cap. 2. vers. 9. vbi inter Iudæos qui ex varijs Asiæ Africæque regionibus ad festum Ierosolymam venerant, nominantur etiam Proselyti, nempe alij ex iisdem regionibus ad Iudaismum conuersi, quorum plurimos etiam Christi fidem tunc suscepisse credendum est. Denique posteri Iapheth, à quibus Europa potissimùm possessa fuerat, in illis tabernaculis habitando præualuerunt. Tertium postremò, quod in benedictione Iapheth subiungitur, *Sitq́ Chanaan seruus eius*, quomodo posteà & quando impletum sit, non satis exploratum habeo: nisi forte Chananæi, ex quo ab Israële de propriis eiecti sunt sedibus, in seruitutem gentium ex Iapheth progenitarum aliquo modo deuenerint.

11. Quid verò ab hoc tempore egerint Noë & filij eius, & vbi habitauerint, num semper in ea regione vbi Arca steterat, quæ postmodum Armenia dicta est, moram duxerint; an verò ad alias proximas aut remotas, & ad quasnam pertransierint, aut vbi tandem vitam terminauerint, & huiusmodi alia, quæ plura fuisse & scitu digna dubitare nemo debet, Scriptura sacra non commemorat: quemadmodum etiam, vt notat sanctus Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 2. nullam facit mentionem quorumdam iustorum, quos à Noë ad Abraham intercessisse, ac piè Deum coluisse, credendum est: nimirum breuitati consulens, & ne esset hæc magis historica diligentia, quàm prophetica prouidentia: & concludit ibidem S. Augustinus: *Illa itaque exequitur Sacrarum litterarum scriptor, vel potius per eum Dei Spiritus, quibus non solùm narrentur præterita, verùm etiam prænuntientur futura, quæ tamen pertinent ad Ciuitatem Dei*, id est, ad electus: *nam de aliis*, videlicet reprobis, *quidquid hic dicitur, ad hoc dicitur, vt ex illa comparatione contraria vel proficiat, vel emineat. Quamuis* (vt idem sanctus Doctor subiungit) *non omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiam futurum significare putanda sunt; sed propter illa quæ aliquid significant, etiam ea quæ nihil significant, attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur; sed vt hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria. Et soli nerui in citharis atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum; sed vt aptari possint, insunt & cetera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea quæ percussa resonant, his connectuntur. Ita in prophetica historia dicuntur & aliqua quæ nihil significant, sed quibus adhæreant quæ significant, & quodammodò religentur.* hucusque sanctus Augustinus. Patet igitur, à Moyse, tamquam non puram sed propheticam scribente Historiam, multa consultò fuisse prætermissa; & ea tantùm exarata, quæ conducere posse putabat populo suo, ad cuius spiritualem vtilitatem, vetera hæc scribenda susceperat. Et quoniam quæ à proximioribus eorum patribus, Abraham, Isaac, & Iacob, ac filiis eius, acta erant, magis ad rem facere existimabat; vt ad hæc quantocyùs properaret, compendiosiùs antiquiora percurrere, in posterioribus verò diutiùs immorari, operæpretium duxit. Quamobrem nos quoque, quando plura de antiquissimis illis viris, ac præclaris eorum gestis, scire non possumus; paucis his contenti esse debemus, quæ Deo placuit nobis per Sacra volumina tradere, & conari salutares, quos prætendit, inde fructus trahere. Non tamen hic silentio inuoluendum puto, quòd ex Genesis cap. 11. versic. 2. vbi dicuntur posteri Noë venisse de Oriente in campum Sennaar, hoc est, in Babyloniam; proculdubiò colligi potest, eosdem post egressum de Arca non diu permansisse in Armenia, vbi Arca requieuerat; sed paulatim ad partes dictæ regionis Sennaar Orien-

QVID EGERINT FILII NOE, ET VBI PRIMVM HABITAVERINT, SCIRI NON POTEST

Orientales transiisse; ibique in illis prouinciis, quæ postmodum Persia & Assyria dictæ sunt, aliquamdiu habitasse; mox ab illis partibus Orientalibus Occidentem versus vsque ad fluuium Tigrim venisse, quem Arphaxad primus cum sua familia transiisse creditur (quemadmodum sub anno mundi 1754. num. 2. dicemus.) Deinde reliquos item posteros Noë, eiusdem Arphaxadi exemplum secutos, de Oriente pariter venisse in campum Sennaar, atque ibi Babylonem condere aggressos esse, vt infrà sub anno mundi 1931. num. 4. dictum sumus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1694. · SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 38.

ARPHAXAD QVANDO GENVERIT CAINAN.

1 ANNO ætatis suæ trigesimo quinto expleto, id est, trigesimo sexto inchoante, Arphaxad genuit Cainan, vt habetur in editione L X X. Interpretum, Genesis cap. 11. Igitur primus annus Cainan concurrit pænè totus cum trigesimo sexto ipsius Arphaxad, vt in tabulis dispositum est. Quod autem in Vulgata legimus, ipsum Arphaxad eodem anno genuisse Sale; debet intelligi, non actu, sed virtute, quia scilicet genuit patrem Sale, in cuius lumbis & causa generatiua idem Sale continebatur: quemadmodum etiam exponi solet illud Matth. cap. 1. vers. 8. *Ioram autem genuit Oziam*, siquidem Ioram non immediatè genuit Oziam, sed mediantibus Ochozia, Ioa, & Amasia, qui immediatè genuit Oziam. Porrò Arphaxad postquam genuit Cainan, vixit trecentis annis, & genuit filios & filias, vt in citato Genes. loco apud eosdem L X X. Interpretes legimus.

DE GENERATIONE CAINAN FILII ARPHAXAD VARIAE OPINIONES.

2. Ponimus hîc generationem Cainan; quia licet nec in Hebraica lectione, nec in Latina Vulgata, nec in Chaldaica Paraphrasi, nec apud Iosephum habeatur: habetur tamen, vt diximus, in textu LXX. Interpretum; & item in genealogia Saluatoris, quam describit Lucas cap. 3. vers. 36. vbi ait: *Qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Ad quem Lucæ locum, qui sequuntur Vulgatum Genes. textum, putantque nullo modo hîc esse ponendam generationem Cainan, solent multipliciter respondere. Quidam enim (vt refert Iacobus Naclantus in lib. quem inscripsit, Scripturæ sacræ medulla, seu Arcanorum Christi, vbi agit de annis tertiæ mundi ætatis) putant, S. Lucam posuisse generationem Cainan, non ex propria, sed ex L X X. Interpretum sententia: vt per hoc ostenderet, mirum in modum in Sacris litteris tribuendum esse Græcorum codicibus; & idcircò Caietanus in 3. cap. Euangelij Lucæ, & Iansenius in cap. 14. suæ Concordiæ Euangelicæ, & Genebratdus in sua Chronologia, nituntur excusare sanctum Lucam, dicentes, ipsum sequi voluisse LXX. Interpretum translationem, quæ tunc temporis vbique admodum vulgata & recepta erat: veritum, ne si contra communem omnium opinionem ipse à prædicta interpretatione recessisset, minùs, quæ scribebat, à populis reciperentur. Sed hæc excusatio non placet; quoniam neque ad fulciendam LXX. Interpretum versionem, neque ob metum, ne Euangelium suum minùs probaretur, neque vlla alia de causa scribere debuisset rem, quam ipse diuino afflatus Spiritu sciret esse à veritate alienam. Alij sentiunt, locum S. Lucæ citatum ab aliquo fuisse corruptum, qui ipsius S. Lucæ Euangelio, cum loco Genes. cap. 11. in L X X. Interpretum editione collato; cùm deprehendisset generationem Cainan in Christi genealogia deficere, arbitratus id nonnisi scriptoris oscitantia contigisse, proindeque operæpretium fore illam restituere, protinus eam Euangelio sancti Lucæ addidit. Sed hoc gratis dicitur: neque enim ostendere possunt, aliquem probatum Lucæ codicem vllo vmquam tempore repertum esse sine illa generatione. Quare, cùm è conuerso videamus, omnes probatos sancti Lucæ codices, & qui communiter in Ecclesia leguntur, ponere generationem Cainan; profectò non tam facilè ab his recedere debemus: nec præterea fas videtur, in dubium vocare puritatem textus L X X. Interpretum, qui Romæ anno salutis 1588. prodiit emendatissimus, & Pontificia auctoritate firmatus, in quo generatio Cainan disertis verbis exprimitur. Ioannes Lucidus, Hermannus, & Nauclerus, arbitrati sunt, Sale fuisse binominem; dicuntque textum sancti Lucæ esse corrigendum, & sic legi debere: *Qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui & Cainan*, id est, qui Sale alio nomine vocabatur Cainan. Quæ correctio, vel potiùs corruptio, nullatenus est admittenda; tum quia nullus codex, nec Græcus nec Latinus, sic habet; tum etiam quia LXX. Interpretes manifestè tribuunt vnicuique, Sale scilicet, & Cainan, distinctos annos. Denique Naclantus loco paulò antè citato nititur alio modo exponere textum sancti Lucæ, dicens, ipsum Sale tum ipsius Cainan, tum ipsius Arphaxad filium

filium esse potuisse; illius secundùm legem, huius secundùm naturam: nam licet lex de patre legali, non nisi Moysi temporibus promulgata sit, Deuteronom. cap. 25. versic. 5 longe tamen priùs re ipsa etat in vsu: vnde legimus Genes. cap. 38. vers. 8. quòd defuncto Het primogenito Iudæ sine liberis, iussus est Onan frater eius ingredi ad relictam ab ipso Her, vt semen defuncto suscitaret fratri. Ita credit Naclantus contigisse in casu proposito, nimirum quòd defuncto Cainan sine liberis, Arphaxad frater eius ex relicta ipsius Cainan genuerit Sale. ingeniosa certè expositio, sed parum enodandæ difficultati apta; siquidem manifestè repugnat textui LXX. Interpretum, qui Genes. cap. 11. apertè dicit, quòd Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sale; ergo Arphaxad & Cainan non fuerunt fratres, sed pater, & filius. præterea, non est verum quòd Cainan mortuus sit sine prole, quia idem Textus conceptis verbis ait, ipsum Cainan, postquam genuit Sale, vixisse trecentis triginta annis, ac genuisse filios & filias.

3. Paret igitur, prædictas tùm Naclanti, tum aliorum expositiones esse reiiciendas, & textum sancti Lucæ simpliciter & prout sonat esse intelligendum, & consequenter hic nullo modo prætermittendam esse generationem Cainan, quam adeò distinctè ac disertè scripserunt, in veteri quidem Testamento, LXX. Interpretes, de quorum sinceta translatione egregium illud habemus apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. Origenis testimonium, asserentis, *Id pro vero in diuinis Scripturis habendum esse, quod LXX. Interpretes transtulerunt; cùm & Apostolica id firmatum sit auctoritate, & longo Ecclesia vsu comprobatum:* in nouo autem Testamento sanctus Lucas Euangelista (de cuius pariter veritate atque ingenuitate ne minimum quidem dubitare fas est) eamdem generationem Cainan explicatè admodum prodidit; & multi præterea Scriptores, Græci ac Latini, præsertim verò Eusebius, non longè ab exordio sui Chronici, & sanctus Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 5. & sanctus Epiphanius sub finem sui Ancoratus, sub nomine Cena, dicens: *Arphaxad genuit Cena; Cena, Sala; Sala, Heber,* eamdem admittunt ac recipiunt. Quare miror, Augustinum Eugubinum in Gen. cap. 11. & Sixtum Senensem lib. 5. suæ Bibliothecæ sanctæ Annot. 88. nimis audacter ausos esse absolutè pronuntiare, LXX. Interpretes errasse, adiicientes generationem Cainan; & quod peius est, subdunt, hunc errorem etiam irrepsisse in genealogia Saluatoris, quam describit Lucas cap. 3. sui Euangelij. Quòd si quis quærat, cur prædicta generatio Cainan in Vulgata Genes. editione non habeatur; difficile est respondere: nihilominùs dici posset, vel fortè Hebræum codicem, vnde nostri descripti sunt, ea in parte, vetustate aut casu aliquo corrosum seu oblitteratum fuisse; vel per errorem ab iis qui de illo primùm descripserunt, illam generationem fuisse prætermissam, idque post versionem LXX. Interpretum; alioqui illi eam in sua interpretatione non addidissent: & si ipsi, aut quiuis alius, de suo capite eam finxisset, certè sanctus Lucas diuino illustratus Spiritu, qui nec fallere nec falli potest, eam in genealogia Christi minimè posuisset. Denique Cardinalis Toletus magnæ auctoritatis Scriptor, super Luc. cap. 3. Annot. 61. vbi pariter cunctis, quæ memoratæ generationi Cainan fieri solent obiectionibus nervosè admodum respondet; ad extremum concludit, minus esse periculum dicere, exemplaria Hebraica ea in parte non haberi perfecta; quàm asserere, in Euangelio errorem seu mendacium vel minimum reperiri. Posset etiam dici, diuina dispensatione factum esse, vt generatio Cainan in Vulgatis codicibus prætetita, tum à LXX. Interpretibus, tum etiam à sancto Luca diuinitus suppleta fuerit: nam (vt aiunt Lipomanus in sua Catena in Genes. & Melchior Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 18.) potuit Spiritus sanctus, quem tum Moysi, tum LXX. Interpretibus, tum ipsi sancto Lucæ, sicuti & ceteris omnibus sacris Scriptoribus astitisse, scribentibusque dictasse, negare non possumus, iuxta illud 2. Petr. cap. 1. vers. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* & illud quod in Missæ Symbolo canitur: *Qui locutus est per Prophetas.* & illud item Psalmistæ: *Lingua mea, calamus scribæ velociter scribentis:* potuit, inquam, Spiritus sanctus, primò quidem, siue ob aliquod grande peccatum ipsius Cainan, siue mystica aliqua de causa nobis adhuc ignota, Moysis mentem permouisse, vt in hac generationum serie, Cainan consultò præteriret; ac sic, quemadmodum decem generationes ab Adam ad Noë numerauerat; totidem dumtaxat à Sem ad Abrahamum recenseret: sicuti scimus Matthæum Euangelistam, Deo inspirante, quorumdam Regum nomina in genealogia Saluatoris vltrò præterisse, vt tres tantummodò tesseradecades, ad occultum vtique aliquod mysterium præsignandum, faceret. Deinde verò credibile est, eumdem Spiritum

GENERATIO CAINAN CUR IN EDITIONE VULGATA OMISSA PRÆTERITA.

tum sanctum, ad supplendam potissimum sacram priscorum illorum temporum Chronologiam, suggessisse LXX. Interpretibus, vt generationem ipsius Cainan, quam vel ex antiquissima traditione, vel ex Historiis fide dignis, vel, quod probabilius reor, ex aliis Sacris libris, postmodum iniuria temporum deperditis, certam indubitatamque haberent, suo loco insererent: & demum docuisse sanctum Lucam Euangelistam, vt ad eiusdem rei fidem magis confirmandam, eamdem generationem in suo Euangelio intexeret. Ceterùm nos libenter hic, in recensendis annis vitæ ipsius Cainan, prætermittimus centum illos in hac & similibus generationibus à correctore, vel potiùs corruptore textus LXX. Interpretum superadditos, vt sub anno mundi 131. num. 4. probatum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1724. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 68.

ORTVS SALE. 1 CAINAN cùm expleuisset annos triginta, nimirum inchoante anno vitæ suæ trigesimo primo, genuit Sale, Genes. cap. 11. iuxta textum LXX. Interpretum. Quare annus primus ætatis Sale fere totus concurrit cum trigesimo primo vitæ Cainan, de quo ibidem subditur, quòd posteaquam genuit Sale, vixit ipse Cainan trecentis triginta annis, & genuit filios & filias.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1754. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 98.

ORTVS HEBER. 1 ANNO ætatis suæ trigesimo completo, seu trigesimo primo ineunte, Sale genuit Heber, Genes. cap. 11. vers. 14. Vnde primus annus vitæ Heber pænè totus concurrit cum trigesimo primo dicti Sale, vt videre est in tabulis. Vixit autem Sale, postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, & genuit filios & filias.

2. Hunc Heber, Hieronymus Oleaster in cap. Genes. 11. ad litteram, facit diuersum ab eo, cuius fit mentio Genes. cap. 10. vers. 21. illis verbis: *De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber*, &c. putatque alterum fuisse filium Sem, alterum Sale: nam exponens memorata verba, *Sale genuit Heber*, dicit: *à quo aliqui ex Hebræis putant nomen Hebræorum deriuatum, & non ab Heber, de quo capite præcedenti, qui fuit filius Sem.* sic Oleaster. Verumtamen alij locum Genes. proximè citatum multò aliter exponunt, putantes, illud *Heber* ibi non esse nomen proprium alicuius viri; sed hoc tantùm illis verbis significari, quòd Sem (quia primus cum filiis ac nepotibus suis Tigrim traiecisse creditur) dicatur pater omnium filiorum Heber, id est, omnium qui vltra flumen venerunt: siquidem *Heber*, idem aiunt Hebraicè significare, quod Latinè dicimus, *vltra*. At verò S. Augustinus libro 16. de Ciuitat. cap. 3. adhuc longè aliter explicat præallegatum Genes. textum. inquit enim: *Sed vnde incipiunt commemorari filij Sem, habet quiddam obscuritatis, quod expositione illustrandum est, quia & multùm ad rem pertinet quam requirimus. Sic enim legitur: Et Sem natus est etiam ipsi patri omnium filiorum Heber fratri Iapheth maiori. Ordo verborum est: Et Sem natus est Heber etiam ipsi, id est, ipsi Sem natus est Heber, qui Sem pater est omnium filiorum suorum. Sem ergo patriarcham intelligi voluit omnium qui de stirpe eius exorti sunt, quos commemoraturus est, siue sint filij, siue sint nepotes, siue pronepotes, & deinceps indidem exorti. Non sanè istum Heber genuit Sem, sed ab illo quintus in progenitorum serie reperitur: Sem quippe inter alios filios genuit Arphaxad, Arphaxad genuit Cainan, Cainan genuit Sala, Sala genuit Heber. Non itaque frustrà ipse primus nominatus est in progenie veniente de Sem, & prælatus est etiam filiis, cùm sit quintus nepos: nisi quia verum est quod traditur, ex illo Hebræos esse cognominatos, tamquam Heberæos. Cùm & alia possit esse opinio, vt ex Abraham, tamquam Abrahæi dicti esse videantur. Sed nimirum hoc verum est, quod ex Heber, Heberæi appellati sunt, ac deinde vna detracta littera, Hebræi. quam linguam Hebraicam solus Israel populus potuit obtinere, in quo Dei ciuitas & in sanctis peregrinata est, & in omnibus sacramento adumbrata.* hucusque S. Augustinus. Ex cuius expositione (quam memoratæ Oleastri præferendam censemus) patet, eumdem esse Heber, qui commemoratur Genes. cap. 10. vers. 24. & cap. 11. vers. 14. de quo hic agimus, cum eo, cuius fit mentio Genes. cap. 10 vers. 21. Nam quod ibidem dicitur, Sem pater omnium filiorum Heber, hoc ad commendationem ipsius Sem dictum videtur. Et est ac si Scriptura sacra dicere

GENESIS TEXTVS VARIE EXPONITVR.

cere voluisset, Sem ob id fuisse patriarcham inter fratres suos clarissimum, quòd ex eius progenie posteà descenderint omnes filij, hoc est posteri Heber; illi nimirum præcipue, quorum lingua, Hebræa dicta est; & ipsi, Hebræi appellati sunt; & in populum Dei electum, cooptati, in quo plurimi Patriarchæ, & Prophetæ, aliique sancti viri, & denique Sanctus Sanctorum secundùm carnem erat nasciturus. Sed neque contemnenda videtur opinio eorum, qui putant, eo ipso quo Heber natus est tempore, dictum Arphaxad cum omni progenie sua traiecisse fluuium Tigrim, & primò omnium consedisse in Chaldæa, ac propterea infantem tunc natum appellasse Heber; quæ vox (B. Hieronymo in libello de Nominibus Hebraicis attestante) interpretatur *transiens*, siue *transitus*. Cui opinioni etiam fauet, quod idem S. Doctor in Quæstionibus Hebraicis in Genes. & Iosephus 1. Antiq. cap. 7. aiunt, ab Arphaxad prodiisse Chaldæos. Quòd autem dictus Heber postea fuerit magnus Propheta, & diuino afflatus Spiritu in futuris præuidendis, colligit Rabbi Ioseph (vt refert Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum, quæ Seder olam Rabba inscribitur, cap. 1.) ex hoc, quòd in ortu filij sui, nomen ei imposuerit, Phaleg, quod interpretatur *diuisio*; nimirum quia tunc prauidebat, sub ipso post plures annos futuram linguarum & gentium diuisionem, de qua posteà suo loco agemus. HEBER QVOD FVERIT PROPHETA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1756. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 100.

1 ANNO post Diluuium expletum centesimo, Noë dicitur genuisse alium filium, cuius non meminit Moyses, nomine Ionithum siue Ionichum: si tamen vera sunt, quæ ex Methodio tradit Abulensis, quæst. 5. super Genes. cap. 10. dicens: *Refert Methodius Martyr in lib. Chiliadum, quòd Noë centesimo anno tertiæ chiliadis, id est, centum annis post Diluuium, genuit filium nomine Ionichum; cui trecentesimo anno eiusdem chiliadis, id est, trecentesimo anno post Diluuium, donationes fecit; & misit eum in terram Etham; & intrauit vsque ad mare, quod dicitur Heliocora, id est, Solis regio. Iste accepit donum sapientiæ à Deo, & inuenit Astronomiam. Ad quem iuit Nemrod gigas; & accepit ab eo consilium, in quibus regnare debuisset. Ionichus iste quosdam futuros prædixit euentus, de ortu, occasu, & successione regnorum, qui Nemrod suo discipulo enarrauit.* hactenus Abulensis. Cui ex eodem Methodio addit Petrus Comestor cap. 37. suæ Historiæ Scholasticæ libri Genesis, *quòd Ionithus iste futuros quosdam euentus præuidit; & maximè de ortu quattuor regnorum, & occasu eorum, per successionem quam etiam prophetauit Daniel. & prædixit discipulo suo Nemrod, quòd primi regnarent de Cham, de quo Belus descendit; post de Sem, Medi, & Persæ, & Græci; post de Iapheth, Romani.* sic ille. Porrò memorati Methodij, qui fuit Episcopus, & Martyr, & Scriptor egregius, meminit B. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. DE IONITHO QVI DICITVR FVISSE FILIVS NOE.

2. Ceterùm, vndenam prædicta desumpserit Methodius, incompertum habeo; nec si vera sint, affirmare ausim: videntur tamen argumenta Pererij, quibus ea impugnare nititur, non satis firma. nam ad id quod ait: Talem filium Noë sapientia & prophetico spiritu insignem, non tacuisset Moyses: iam sub anno mundi 1666. num. 11. probatum est, etiam auctoritate S. Augustini, multos sanctos viros, multaque alia à Moyse, fuisse prætermissa: immò pauca admodum esse, quæ priscorum illorum temporum ille scripsit, in comparatione eorum quæ silentio inuoluit: nimirum non purus Historiographus, sed Historicus fuit Propheticus; ac propterea non historica diligentia, sed magis prophetica vsus est prouidentia, vt ibidem diximus. Quod verò dixerit: Ab illis dumtaxat tribus filiis, quos Noë secum de Arca eduxerat, humanum genus fuisse in varias mundi partes disseminatum: etiam sub anno mundi 1662. num. 3. satis commodè expositum est, debere intelligi, ab illis tribus primariò & principaliter. Neque item obstat, quòd Methodius in annorum numeris secutus textum LXX. Interpretum, aut alium pariter in hac parte corruptum, dixerit, Noë genuisse Ionithum anno centesimo tertiæ chiliadis: quia licet falsa sit ista anni notatio; non tamen sequitur, falsum esse quòd Noë genuerit Ionithum: neque enim quia idem Methodius (vt sub anno mundi 1656. num. 18. notauimus) dicit Diluuium in tertia chiliade incidisse, quod falsum est: idcircò falsum quoque erit, venisse Diluuium. Et quidem faremur, non posse sustineri, quod vel oscitanter (vt fit) dixit Methodius, nimirum Nemrod fuisse nepotem Sem, cùm certum sit, ipsum ab vno ex filiis Cham fuisse genitum, Scriptura dicente Genes. cap. 10. vers. 6. *Filij autem Cham: Chus, & Mesraim*, &c. paucisque SOLVVNTVR ARGVMENTA PERERII CONTRA METHODII REVELATIONES.

interpositis sequitur: *Porrò Chus genuit Nemrod.* Nisi fortè diuersus ab isto fuerit ille cuius meminit Methodius; aut aliquis perperàm illud Methodio adiecerit. Certè Abulensis prædicta referens, illud, *Nepotem Sem*, in Methodij verbis non posuit. Sed dato quòd etiam in hoc deceptus fuerit Methodius, quemadmodum etiam fallitur in eo, quòd ponit Græcos descendisse de Sem, vt sub anno mundi 1941. num. 21. manifestum fiet: non tamen reliqua omnia, quæ ibidem ait, tanquam fabulosa & falsa reiicienda videntur. Quemadmodum neque etiam necessariò inferri potest, minus vera esse quæ idem Sanctus prodit de Ionithi prophetia quattuor Monarchiarum; quia nulla eiusdem prophetiæ apud Eusebium & B. Hieronymum mentio habeatur. Et hæc dicta sint, non tam studio probandi, quæ hic ex Methodio sunt commemorata; quàm ostendendi, ea adeò esse dubia & incerta, vt pariter neque prorsus probari aut improbari posse videantur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1788. — SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 132.

ORTVS PHALEG.

1 HEBER cùm vixisset annos triginta quattuor, nimirum inchoante anno ætatis suæ trigesimo quinto, genuit Phaleg, Genes. cap. 11. vers. 16. Igitur primus annus Phaleg concurrit pæne totus cum trigesimo quinto Hebet, vt habetur in tabulis. Vixit autem Hebet, post genitum Phaleg, quadringentis triginta annis, & genuit filios & filias. In diebus huius Phaleg diuisa est terra, 1. Paralip. cap. 1. vers. 19. & hæc est illa diuisio terræ & linguarum, quæ contigit in ædificatione turris Babel, & describitur Genes. cap. 11. vers. 1. vsque ad 10. De anno autem, in quo diuisio ista facta fuerit, sub anno mundi 1932. num. 1. dicetur.

DIVISIO LINGVARVM ET GENTIVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1818. — SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 162.

ORTVS REV.

1 ANNO vitæ suæ trigesimo expleto, id est trigesimo primo ineunte, Phaleg genuit Reu, Genes. cap. 11. vers. 18. Ergo primus annus Reu concurrit ferè totus cum trigesimo primo patris sui Phaleg, vt apparet in tabulis. Vixit verò Phaleg, postquam genuit Reu, ducentis nouem annis, & genuit filios & filias. De isto Reu, & de duobus sequentibus Patriarchis, nihil ferè aliud habemus præter ipsorum generationes, quæ ad texendam Abrahæ genealogiam necessariò commemorandæ erant; alioqui arbitror Scripturam sacram nullam ipsorum mentionem facturam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1850. — SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 194.

ORTVS SARVG.

1 ANNO ætatis suæ trigesimo secundo exacto, videlicet trigesimo tertio incipiente, Reu genuit Sarug. Quare primus eius vitæ annus propè totus coincidit cum trigesimo tertio patris sui Reu, vt positum est in tabulis. & ab ortu Sarug superuixit Reu ducentis septem annis, & genuit filios & filias, Genes. cap. 11. vers. 20. & 21. Ipsius Sarug temporibus cœptam esse idololatriam, scribit S. Epiphanius in lib. contra Hæreses, circa initia operis: *Veluti*, inquit, *cognitio, quæ ad nos peruenit, habet*. Et Suidas in verbo Abraham, Philonis Hebræi testimonio asserit, cultum imaginum à Sarug vsque ad Thare patrem Abrahæ, viguisse. intellige speciatim in linea ascendentium ipsius Abrahæ; nam alioqui in mundo, post plures etiam annorum centurias & chiliades perseuerasse, indubitatum habemus. Quo verò circiter anno ipsius Sarug cœperit cultus imaginum, sub anno mundi 1997. num. 2. dicemus.

IDOLOLATRIÆ ORTVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1880. — SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 224.

ORTVS NACHOR AVI ABRAHÆ.

1 SARVG, anno vitæ suæ trigesimo completo, nimirum trigesimo primo inchoante, genuit Nachor. Quo fit, vt primus annus ipsius Nachor concurrat quasi totus cum trigesimo primo Sarug, quipost genitum Nachor superuixit ducentis annis, & genuit filios & filias, Genes. cap. 11. vers. 22. & 23. Fuit autem iste Nachor auus Abrahæ, & consequenter diuersus ab eo Nachor, de quo sub anno mundi 1979. dicetur, qui fuit frater eiusdem Abrahæ.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1909. — SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 253.

1. ANNO ætatis suæ vigesimonono expleto, & trigesimo ineunte, Nachor genuit Thare; & consequenter primus Tharæ annus ferè coincidit cum trigesimo ipsius Nachor, vt videri potest in tabulis. Vixit autem Nachor, postquam genuit Thare, centum decem & nouem annis, & genuit filios & filias, Genes. cap. 11. vers. 24. & 25. Quòd verò iste Nachor & antecessores eius, saltem aliquot ex suprà nominatis, fuerint idololatræ, videtur clarè colligi posse ex libri Iudith cap. 5. vers. 6. vsque ad 9. vbi dicitur: *Populus iste* (& loquitur de Israëlitico) *ex progenie Chaldæorum est. Hic primùm in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes itaque cærimonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, vnum Deum cœli coluerunt; qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan.* Sanè clarum est ex Genes. cap. 11. vers. 31. non istum Nachor, neque alium de maioribus suis; sed Thare filium eius exisse primò de Vr Chaldæorum, cum filio suo Abraham, & nepote suo Lot, habitasseque in Haran, siue in Charan, quod idem est. ergo manifestum relinquitur, prædictum Nachor & antecessores eius seruisse diis alienis in Chaldæa. Quis autem ex maioribus suis, post Noë, quem constat semper fuisse vnius & veri Dei cultorem, primus ad idola declinauerit, nihil habeo quod probabiliùs asserendum putem, quàm quod sub anno mundi 1850. num. 1. diximus de Sarug: præsertim cùm satis probabiliter coniectari posse videatur, fuisse aliquem ex posteris Heber. nam si Heber fuisset idololatra, non est credibile, quòd Israëlitæ vmquam pati voluissent, se ex nomine ipsius Hebræos nuncupari. De ipso verò Thare, filio Nachor, an & ipse aliquando fuerit idolorum cultor, sub anno mundi 2113. num. 1. videbimus.

ORTVS THARE.

NACHOR ET ANTECESSORES EIVS FVISSE IDOLOLATRAS.

2. Non multis, vt arbitror, annis ante diuisionem linguarum & gentium, de qua paulò pòst agemus, longè iam lateque admodum multiplicato in terris genere humano, probabiliter credimus, Noë diuino actum Spiritu fecisse inter tres filios suos illam Orbis tunc cogniti diuisionem, quam breuiter describit S. Epiphanius prope finem sui Ancoratus. Nam cùm semper filios suos pios efficere conatus esset, ne in eadem mala inciderent, quæ hi qui Diluuio perierant; & non solùm per doctrinam ipsis pietatem proposuisset, sed etiam per iusiurandum ab vnoquoque ipsorum beneuolentiam erga fratrem exegisset: demum veluti heres mundi à Deo constitutus, diuisit tribus filiis suis vniuersum mundum sub sortem missum; & vnamquamque partem, iuxta sortem, singulis distribuit. Et ipsi quidem Sem primogenito, cecidit sors à Perside & Bactris, Orientem versus, vsque ad Indiam; ab Occasu verò vsque ad regionem Rhinocururorum, quæ Ægyptum inter & Palæstinam media est. Vnde ex B. Epiphanio patet, Iudæam ipsi Sem obtigisse. quod etiam idem Auctor ibidem non multò pòst clariùs asserit, enumerans Palæstinos & Hebræos in sortem ipsius Sem; & quibusdam interpositis replicat conceptis verbis: Palæstinam, cum tota ipsius vicinia, cecidisse in partem dicti Sem. Quibus admodum quadrat illa Syrorum antiqua traditio, quam sub anno mundi 930. num. 4. retulimus: siquidem illa prodit, ipsum Noë diuisisse ossa Adami simul cum mundi regionibus tribus filiis suis, ac caluariam tradidisse Semo, cum ea regione quam Iudæam dicimus.

DE NOETICA ORBIS DIVISIONE.

3. Quòd si cuiquam fortassis prima fronte videantur hæc aliquo modo aduersari Scripturæ sacræ, quæ Genes. cap. 11. vers. 8. videtur adscribere terrarum diuisionem non ipsi Noë, sed Deo, qui per confusionem linguarum coëgit eos ab inuicem discedere, & nouas sibi sedes procurare; & Genes. cap. 10. vers. 15. vsque ad 20. videtur satis apertè innui, terram illam, quæ postmodum Iudæa dicta est, non filiis Sem, sed filiis Chanaan filij Cham obtigisse, ab ipsisque Chananæam, ex paterno nomine, fuisse appellatam: Respondere possumus, nullam esse contrarietatem: quandoquidem fieri potest, vt Noë (licet hoc in Sacro eloquio expressum non sit) reverà priùs orbem terræ filiis suis diuiserit, prout Deo placitum esse diuinitus intellexerat; siue (vt ait S. Epiphanius) datis sortibus, vt per eas, præmissa oratione, diuinam indagarent voluntatem. (quod & posteà ab Apostolis factum legimus Actorum cap. 1. vers. 23.) Sed illi partim negligentia, ac tentatione diabolica procrastinantes; partim, vt mox dicetur, astutis nimiumque dolosis Nemrod suasionibus decepti, qui cunctos simul retinere, & cunctis imperare affectabat, noluerint ad prouincias singulis destinatas properare,

donec à Deo tandem, mediante linguarum confusione, ab inuicem discedere compulsi sunt. Et hoc videtur quoquomodò insinuari Genes. 11. vers. 4. illis verbis: *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* Quid est enim, *antequam diuidamur in vniuersas terras?* nisi eos quidem paratos esse ad regiones sibi à Noë assignatas proficisci; sed priùs (callido, vt diximus, Nemrod suadente) mirandum illud ædificium exstruere voluisse, vt ipsorum nomina celebrarent. Ad illud autem, de regione, quæ postmodum Iudæa nuncupata est, respondet B. Epiphanius loco proximè adducto, quòd ea primò cecidit in sortem Sem, sed auarus Chanaan filius Cham posteà illam inuasit & abripuit; cumque posteros eius longanimis Deus multo tempore expectasset ad pœnitentiam, nec ipsi vmquam voluerint legitimam filiis Sem hereditatem restituere: post multas tandem generationes iustus Dominus Chananæos exterminauit, & terram ab ipsis iniustè possessam, iustè demum filiis Sem tradendam curauit. Quamquam non imus inficias, Chananæorum exterminium, etiam propter grauissima ipsorum alia peccata euenisse; vt indicant illa Genes. verba cap. 15. vers. 16. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* Quare si vera sunt quæ diximus, oportet locum illum Genes. 10. vers. 18. vbi dicit Moyses, Post hæc disseminatos fuisse Chananæorum populos à Sidone vsque ad Geraram, accipere, non quasi velit inferre, illam regionem primò Chananæis obtigisse; sed potius, post multa tempora ab ipsis fuisse vsurpatam, atque etiam eiusdem Moysis temporibus inhabitatam, vt planè indicare videtur illa dictio *Post hæc.*

AB ORBE CONDITO ANNVS 1931. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 275.

DIVISIO LINGVARVM ETGENTIVM QVANDO CONTIGERIT.

1 ANNO circiter post Diluuium ducentesimo septuagesimo quinto, qui erat vitæ Phaleg centesimus quadragesimus quartus, vt videre est in tabulis, arbitror contigisse diuisionem linguarum. Nam licet ex sacra Scriptura nihil aliud habeamus, nisi quòd facta est in diebus Phaleg, exstentque de hac re duæ inter se prorsus contrariæ opiniones; nos tamen tertiam quamdam, inter has extremas mediam, ceteris probabiliorem verioremq; putamus, vt ex earumdem discussione manifestum fiet. Igitur prima opinio, quæ est Iosephi lib. 1. Antiq. cap. 7. & B. Augustini lib. 16. de Ciuit. cap. 11. & aliorum, putat, linguarum diuisionem factam fuisse, quando, vel paulò antequam natus est Phaleg; atque ex hoc tam memorabili facto inditum ei fuisse hoc nomen, quod partitionem diuisionémve significat, teste Iosepho ibidem. Et hoc magnam videtur habere probabilitatem, quia mos erat antiquitus, interdum ex huiusmodi casibus imponere nascentibus filiis nomina, vt patet 1. Reg. cap. 4. vers. 21. de nuru Heli, quæ appellauit filium suum Ichabod, quod interpretatur, *translata Dei gloria*; quoniam ipsum tunc pepererat, quando à Philisthæis capta fuit Arca Domini. Huc accedit, quòd magis credibile videtur, ipsum Heber nominasse filium suum ex eo quod tunc, aut paulò antè acciderat, quàm ab eo quod post plurimos deinde annos erat futurum. Et præterea si diuisio linguarum non est facta in ortu Phaleg, sed multos post annos, non magis posset dici, contigisse in diebus Phaleg, quàm fratris sui Iectan, aut aliorum, qui eo tempore viuebant. Sed ad hæc responderi potest; ad Primum, non solùm consueuisse olim patres nomina filiis imponere, congruentia notabilibus quibusdam rebus tunc contingentibus, aut præteritis, sed etiam futuris, quas ipsi spiritu prophetico præuidebant; vt patet ex his, quæ sub anno mundi 236. num. 2. de Seth diximus, & sub anno mundi 1057. num. 1. de Lamech: & scimus, quòd Oseæ cap. 1. vers. 6. & 9. præcepit Deus Prophetæ, vt imponeret nomina filiis suis, mala, quæ super populum mox ventura erant, significantia. Ad Secundum, quod non minùs credibile est, ipsum Heber, diuino afflatum Spiritu, in ortu Phaleg præuidisse diuisionem linguarum post multos annos mox futuram, & ex futuro euentu tunc ei diuinitus reuelato, nominasse filium suum Phaleg; vt sentiunt B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. & B. Chrysostomus Homil. 30. in Genes. & Abulensis, & Lyranus in Genes. & Genebrardus in sua Chronologia, & alij. Ad Tertium, quòd diuisio linguarum potiùs dicitur contigisse in diebus Phaleg; quia præostensa fuerat patri eius in ortu ipsius Phaleg, non autem quando natus est Iectan, & filij eius.

2. Altera opinio, quæ fuit Auctoris Chronologiæ maioris Hebræorum, Seder Olam, id est, Ordo sæculi inscriptæ, & Rabbi Ioseph ibidem citati, tenet, diuisionem lingua-

linguarum factam esse circa extremos annos vitæ ipsius Phaleg, id est, anno circiter post Diluuium trecentesimo quadragesimo, iuxta supputationem eorum, qui generationem Cainan prætereundam putant; iuxta verò nostram, anno trecentesimo septuagesimo, vt patet in tabulis. Et pro hac opinione facit quod dictum est, Heber prophetico spiritu in ortu filij sui diuisionem præuidisse linguarum; & ex longè mox futuro euentu, filio nomen imposuisse. Item quia probabilius videtur, ipsum Phaleg fuisse valdè senem, quando diuisæ sunt linguæ, quoniam iam tunc Iectan frater eius minor, vt credimus, tredecim habebat filios, qui inter principes dictæ diuisionis numerantur, Genes. cap. 10. vers. 26. & dato etiam quòd Iectan fuisset natu maior (vt sanctus putat Augustinus) si Phaleg natus est anno trigesimo quarto vitæ patris sui Heber, vt dicitur Genes. cap. 11. vers. 16. non videtur fieri posse, quòd Iectan habuerit tredecim filios iam aliorum filiorum parentes, quando natus est Phaleg, præsertim cùm illis temporibus communiter homines vix ante trigesimum vitæ annum generare solerent, vt patet discurrendo per singulos eorum, qui in secunda mundi ætate generasse leguntur. Et hoc est valde notandum contra ea quæ dicit sanctus Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 11. vbi supponit, diuisionem gentium contigisse in ortu Phaleg; & tunc temporis non solùm iam natos esse ceteros filios filiorum Noë, qui Genes. cap. 10. recensentur, & præsertim tredecim filios Iectan; sed etiam eos eius ætatis fuisse, vt iam vniuersi familias haberent, quæ dignæ fuissent nominibus gentium. Atqui duo hæc nequaquam simul vera esse posse videntur, etiam concedendo, vt ipse asserit, Iectan fuisse natu maiorem ipso Phaleg. Quin potiùs, si verum est quod rectè supponit idem sanctus Augustinus, nimirum singulos filios ipsius Iectan tunc iam numerosas habuisse familias, quando diuisa est terra; necessariò consequitur dicendum, ipsam terræ diuisionem non in ortu Phaleg, sed multis annis pòst, esse factam; vt patet consideranti ætatem ipsius Heber quando genuit Phaleg. non enim tunc Iectan tantam potuit sobolem iam procreasse. Neque potest hic aliquis dicere, B. Augustinum secutum esse textum LXX. Interpretum, qui ponit Heber centum triginta quattuor fuisse annorum quando genuit Phaleg: quia clarum est, prædictum S. Doctorem existimasse, textum LXX. Interpretum, in ea parte, vbi addit centum annos ad propè singulas horum procerum generationes, esse corruptum, vt nos sub anno mundi 131. num. 4. demonstrauimus. Patet igitur decipi Pererium lib. 16. in Genes. num. 121. vbi ait, quòd dictum S. Augustini asserentis Iectan fuisse natu maiorem ipso Phaleg, infirmam ac futilem reddit Hebræorum opinionem. cùm tamen nihil contra ipsam facere, iam ostensum sit.

3. Ceterùm, hæ rationes demonstrant quidem diuisionem linguarum accidisse multò post natiuitatem Phaleg, (quod & nos credimus,) verùm non ideò consequitur, eam anno post Diluuium trecentesimo quadragesimo contigisse, vt putant Hebræi; qui annus, secundùm ipsos, fuit postremus vitæ Phaleg. Nam si verum est quod asserunt Eusebius in sui Chronici initio, & B. Hieronymus in Oseæ cap. 2. & sanctus Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 17. quos sequuntur omnes penè alij Doctores Ecclesiastici; nimirum, Nemrod fuisse illum, quem Gentilitas appellat Belum; eumdemque regnasse annis sexaginta quinque post conditam Babylonem, & ei successisse Ninum, in cuius regni anno quadragesimo tertio natus est Abraham: proculdubiò, si prædictis annis trecentis quadraginta, à Diluuio ad linguarum diuisionem fluxis, addantur anni 340
sexaginta quinque regni Beli, & quadraginta tres Nini; necessarium erit ponere, Abra- 65
mum esse natum anno post Diluuium quadringentesimo quadragesimo octauo. quod 43
manifestè aduersaretur Scripturæ sacræ, ex qua, Genes. cap. 11. vers. 10. vsque ad 27. vbi 448
describitur genealogia Sem filij Noë, à Diluuio ad ortum Abrahę, iuxta computum in nostris tabulis expressum, colliguntur tantummodò anni trecenti octoginta tres. Si verò sequamur eos, qui putant Abraham natum esse anno vitæ patris sui septuagesimo, & generationem Cainan minimè computandam censent; inuenies à Diluuio ad ortum Abrahæ longè minorem summam, nimirum annos dumtaxat ducentos nonaginta tres. Aliud huic simile absurdum, ex priori opinione consequi necesse est. Nam si ponamus diuisionem linguarum, (quæ proculdubiò facta est, quando Babylon ædificabatur) contigisse in ipso ortu Phaleg, qui, vt colligitur loco Genes. proximè adducto, 102 132
natus est anno post Diluuium (prætermissa generatione Cainan) centesimo secundo; ipsa 65 65
verò connumerata, anno centesimo trigesimo secundo: certè, supposita memoratæ hi- 41 43
storiæ veritate, fateri oportet, Abramum natum esse anno post Diluuium ducentesi- 210 240
mo decimo; aut ad summum, ducentesimo quadragesimo; quod pariter ex suprà dictis certum est Scripturæ sacræ plurimùm aduersari. Quocircà probare nullo modo possu-

possumus id quod Pererius, vir alioqui in expendenda temporum præsertim antiquissimorum ratione accuratissimus, lib. in Genes. 15. num. 148. asserere non dubitauit, dicens, nullam afferri posse rationem, quæ necessariò concludat, vel etiam probabiliter demonstret, diuisionem linguarum non potuisse fieri quando natus est Phaleg: qua in re fortassis, vt fit memoriæ lapsu, videtur sibi non constare: quandoquidem ipse pluribus in locis, & præsertim lib. 15. in Genes. num. 61. 67. & 148. & lib. 16. num. 236. approbat recipitque communem, quam citauimus, horum temporum historiam, asserentem Nemrod eumdem esse cum eo quem Gentiles Belum dixerunt, & eumdem à diuisione linguarum regnasse sexaginta quinque annis in Babylone, quæ fuit initium regni eius, vt dicitur Genes. cap. 10. vers. 10. & Abrahamum natum esse anno quadragesimo tertio regni Nini, qui immediatè successerat dicto Nemrod. Ex quibus profectò (posita diuisione linguarum in anno primo vitæ Phaleg) sequeretur, ipsum Abrahamum natum esse centesimo octauo vitæ ipsius Phaleg: quod quàm falsum sit, dignosci potest ex Genes. cap. 11. vers. 16. vsque ad 25. vbi ab ortu Phaleg ad ortum Thare patris Abrahæ, euidenter colliguntur anni plusquam centum viginti: siquidem ipse Thare natus est anno vitæ Phaleg centesimo vigesimo secundo, vt patet in tabul. s. Quis igitur non videt, contra asserentes diuisionem linguarũ incidisse in ortu Phaleg, posse afferri argumentum valdè firmum? nimirum quia, hac posita sententia, necesse est probabiliorem ac magis receptam horum temporum chronologiam, à probatissimis Auctoribus editam, funditus interire, & nullatenus posse cum Sacro textu conciliari. Itaque relictis hisce duabus opinionibus, dicimus, quòd si vera est, vt credimus, nuper à nobis relata, & communi Doctorum consensu firmata, horum temporum historia dè Nemrod, quòd fuerit idem cum Belo, quemadmodum nos quoque infrà num. 29. comprobabimus, & quòd regnauerit annis sexaginta quinque; & de Abrahamo, quòd natus sit anno quadragesimo tertio regni Nini, qui immediatè post prædictum Nemrod regnasse dicitur: necessarium est fateri, id quod ab exordio huius disputationis proposuimus, videlicet, diuisionem linguarum anno post Diluuium ducentesimo septuagesimo quinto contigisse; qui annus in nostris tabulis cum anno vitæ Phaleg centesimo quadragesimo quarto coincidit. Et hac posita opinione, multa, quæ ex aliis duabus sequi dicebamus, deuitantur absurda; & horum temporum historia ab Ethnicis, atque item ab Ecclesiasticis Scriptoribus tradita ac probata, optimè cum Sacris Annalibus congruere deprehendetur; vt quilibet in nostris præcipue tabulis breuiter facileque poterit experiri.

CVR, ET QVO AVCTORE COEPERIT AEDIFICARI BABYLON CIVITAS, ET TVRRIS EIVS.

4. Ceterùm quia certum est, prædictam linguarum diuisionem tunc esse factam, quando filij Noë ciuitatem turrimque ædificabant, vt ex Sacro textu paulò inferius adducendo palàm fiet: videndum hîc priùs est, quánam occasione, & quo potissimùm auctore, huiusce modi ædificia exstrui cœperint. Fuit autem, vt arbitror, huius ædificationis occasio talis: Accidit per hæc circiter tempora, vt, nescio quo spiritu ducti aut impulsi, qui tunc viuebant homines, Arphaxadi exemplum secuti, qui vt sub anno mundi 1754. num. 2. diximus, iam ante annos plusquam centum septuaginta, traiecto Tigri flumine, cum vniuersa progenie sua in Chaldæam descenderat, ipsi quoque pariter conglobati proficiscerentur de Oriente, vt expressè traditur Genes. cap. 11. vers. 2. id est, non de Armenia, in cuius vno ex montibus Arca consederat; quia respectu Babyloniæ Armenia Aquilonaris est, non Orientalis, quemadmodum in Geographorum tabulis conspicimus; sed de partibus Babyloniæ Orientalibus, ad quas primò eos de Armenia migrasse oportet. Cùm itaque communi passu & consensu de prædictis regionibus, fortè nimiùm montosis, ac minùs frugiferis, Occidentem versus venirent, vt terras magis feraces commodioresque sibi quærerent; aliquantulum ad Meridiem flectentes, inuenerunt campum seu planitiem quamdam admodum spatiosam, quæ posteà Sennaar, mox Babylonia est appellata. Hîc cùm aliquantisper consedissent, vrgebat, vt arbitror, Noë filios ac posteros suos iam valdè admodum multiplicatos & auctos, vt ad terras iam singulis diuisas & assignatas properarent, tum quia putabat valdè id fore gratum Deo, qui ipsis vsque ab initio renouan orbis denuò dixerat: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, &c. tum etiam quia id multò vtilius, & ad victum præsertim, commodius cunctis futurum sperabat, ac denique, quoniam verebatur, ne si diutiùs simul morarentur, grauiora indies inter ipsos dissidia iurgiáve orirentur. Verùm huic tam sanctæ prouidæque paternæ mentis intentioni, sicuti & aliis bonis actibus, hostis humani generis quantum poterat obstare nitebatur; in primis, vt creditur, mediante Nemrod filio Chus, filij Cham; qui cùm ceteros animi corporisque viribus ante-

antecellere videretur, (erat enim maximus & valdè famosus gigas, vt habetur in textu LXX. Interpretum Genes. cap. 10.) aliis quoque omnibus imperare admodum exoptabat: quod vt faciliùs ac commodiùs assequeretur, cunctos simul retinere moliebatur. Et quia fortassis non audebat aperte communi omnium, qui tunc in humanis erant, sententiæ aduersari, ac omnium parenti contradicere; populis callidè suadere non cessabat, vt priusquam ab inuicem discederent, memorandum aliquod suæ potentiæ ac generositatis monumentum posteris derelinquerent, eisque laudes ac nomina ipsorum per cuncta sæcula celebrandi occasionem præberent. Videns autem hæc placere populis, & aduertens, in ea planitie terram non lapideam esse, sed satis argillosam ac tenacem, lateribusque conficiendis aptam; & prætereà abundare puteis bitumen largè proferentibus; ex tam prompta ædificandi materia occasione desumpta, hortabatur omnes vt vnanimiter magnam quamdam ciuitatem exstruerent, quæ veluti aliarum omnium mox in aliis regionibus ædificandarum caput exemplarque esset, & ad munimen decoremque in ea turres erigerent, vnamque præ ceteris excitarent tanta crassitudine, quæ ad cælum attolli posse videretur: vel eluuionis perfugium, vel conueniendi monumentum. Hęc verò tam grandia ædificia versutus proponebat, specie quidem, ipsorum gloriæ ac magnificentiæ consulere simulans; reuerà autem, vt propositum consiliaque sua perficeret; nimirum, vt multitudinem diuturnis huiuscemodi operibus simul occupatam vnitamque detineret; & discessionem ad alias longiores præsertim regiones procrastinaret, vel etiam prorsus impediret. præuidebat enim, eos postmodum commoda & securitatem tam amplæ ac magnificæ ciuitatis, ab ipsismet tot tantisque laboribus ædificatæ, non facile deserturos. Quare vehementiùs cœpit cunctos, tum per se tum per suæ intentionis sectatores, ad opus aggrediendum incitare: Ecce (inquiens) quanta bituminis copia pro cæmento, quanta cretæ, aquarum, ac lignorum largitas; Eia agite, faciamus & coquamus lateres, fodiamus iaciamusque fundamenta, & ædificemus. His atque huiusmodi hortationibus corda virorum sollicitabat. Quid plura? facilè quod volebat, imperitæ multitudini persuasit; quæ communi quodam impetu & concursu, vt fit, ipsum secuta, cœperunt ferè omnes certatim operari, ac ciuitatem turrimque ædificare.

5. Displicuit autem hoc Domino, qui superbis ipsorum conatibus obsistere non distulit; sed cognita eorum obstinatione & pertinacia, illicò confusis mirabiliter ædificantium sermonibus, ita vt se inuicem intelligere non possent, eos tandem ab operibus cessare, atque ad terras singulis familiis assignatas discedere coëgit. Turris autem inchoata, ob linguarum confusionem, Babel primùm, deinde Babylon cum reliqua ciuitate & eius ditione est appellata. Et hoc est quod breuiter legimus Genes. cap. 11. his verbis: *Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem. Cumq; proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. dixitq; alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntq; lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento. & dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum; & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras. Descendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam, & dixit: Ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus: cæperuntq; hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Et idcircò vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* hucusque Sacer textus. qui tametsi, quisnam dictæ ciuitatis ac turris ædificandæ primarius auctor fuerit, hîc non commemoret: attamen quòd fuerit Nemrod, aliquatenus colligi posse videtur ex Genes. cap. 10. versic. 8. vbi de ipso verba faciens, ait: *Ipse cæpit esse potens in terra.* & post pauca: *Fuit autem principium regni eius Babylon.* Et idem sentiunt sanctus Augustinus lib. 16. de Ciuit. c. 4. & communiter Doctores, secuti Iosephum, qui id perspicuis verbis asserit 1. Antiq. c. 5. hanc eamdem historiam ita describens: *Tres verò Noë filij, Semas, Iaphethus, & Chamas, centum annis ante Diluuium nati, primi relictis montibus planitiem habitare cæperunt, & aliis recenti etiam tum cladis memoria pauidis, nec audentibus à celsioribus locis descendere, idem faciendi auctores & exemplum fuere. Campo, quem primùm colere sunt aggressi, nomen est Sennaar. Ceterùm, Deo iubente,* (subaudi ministerio Noë, omnium, qui tum supererant, parentis,) *vt propagandi multiplicandiq; generis gratia colonias deducerent, ne inter se discordias exercerent, sed multam terram colendo, frugum copia fruerentur: homines*

rudes non paruerunt. quamobrem calamitatibus implicati, offensum illum errore suo sunt experti. Cùm enim florerent iuuentutis multitudine, Deus rursum de colonia deducenda admonebat. Illi verò non putantes se, ipsius benignitate, præsentibus commodis perfrui, illamq; felicitatem suis viribus acceptam ferentes, dicto eius non fuerunt obedientes. & quod peius erat, consilium de coloniis, non fauorem Numinis, sed insidias interpretabantur; videlicet quò faciliùs dispersi possent opprimi. Ad superbiam autem Deique contemptum excitabat eos Nabrodes nepos Chamæ filij Noë, vir audax, & manu promptus, docens, non Deo, sed propria virtuti præsentem felicitatem eos debere; atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahebat; ratus fore, vt homines ad se deficerent à Deo, si se illis ducem præberet, opem suam offerens, contra nouum aliud diluuium intentantem. turrim enim se exædificaturum excelsiorem, quàm quò aqua ascendere posset; & insuper maiorum suorum interitum vlturum. Vulgus autem facilè Nabrodis placitis obtemperabat, ignauum ratus Deo cedere: atque ita structuram turris occœperunt, nulli labori parcentes, nihilque sibi ad diligentiam reliquum facientes. Cùmque ingens esset operarum numerus, surgebat opus, supra quòm sperasset aliquis. Crassitudo autem erat tanta, vt proceritatem obscuraret. Struebant autem lateribus coctis, ad firmitatem, bitumine ferruminatis. Hanc eorum vesaniam videns Deus, delere quidem omnes noluit, quando ne priore quidem clade ad meliorem mentem profecerant: sed dissidium inter eos immisit, linguis eorum variatis; ita vt ob diuersitatem sermonis mutuò se non intelligerent. Locus verò turris nunc Babylon vocatur, propter confusam linguam, quæ priùs omnibus ex æquo clara fuerat: nam Hebræi confusionem nominant Babel. De turri autem hoc, déque linguis hominum mutatis, meminit & Sibylla his verbis: Cùm vniuersi homines vno eloquio vterentur, turrim ædificauerunt quidam excelsissimam, quasi ad cælum per eam ascensuri; Dij verò procellis immissis turrim subuerterunt, & suam cuique linguam dederunt; quæ causa fuit, vt vrbs ea Babylonis vocabulum acceperit. De loco autem, qui Sennaar in Babylonia nominatur, meminit Hestiæus hoc modo: Aiunt Sacerdotes cladis eius superstites, Enyelij Iouis sacra ferentes, in Sennaar Babylonia peruenisse. hucusque Iosephus.

BABYLON CVR SIC DICTA.

TVRRIS BABEL QVAM ALTA RELICTA FVERIT

6. Quantum autem iam alta esset turris Babel, quando eius ædificatio disturbata à Deo fuit, scire non possumus: quoniam neque Scriptura sacra id exprimit, neque Iosephus, aliúsve probatus Auctor id asseueranter affirmare ausus est. Nam licet B. Hieronymus sub finem libri 5. Commentariorum suorum in Isaiam, tradat à quibusdam dici, eam in altitudine quattuor millia passuum tenuisse; idem tamen paulò pòst subiungit, Quæ de dicta turri perhibentur, pænè incredibilia videri. Herodotus quoque ab eodem sancto Doctore citatus, tametsi libro 1. aliquantò ante finem, describens templum Iouis Beli, dicat, in eo fuisse turrim solidam altitudine simul & crassitudine stadij, cui alia rursus imposita turris, & huic subinde alia, ad octauam vsque: non tamen aliarum altitudines expressit. Vnde si (vt ibidem supponere videtur) æqualis singulæ erant altitudinis; certe verticem supremæ non quattuor mille, sed mille dumtaxat passus altam fuisse necesse est: siquidem stadium octaua milliarij pars esse dicitur. Opinio autem eorum, qui putarunt turrim Babel habuisse quattuor millia passuum altitudinis, videtur ex præadductis Iosephi verbis deducta, vbi de Nabrode ait, quòd turrim se ædificaturum iactabat excelsiorem, quàm quò aquæ diluuij ascendere possent. Cùm enim constet, Diluuij aquas quindecim cubitis montium cacumina superasse; & Plinius lib. 5. cap. 22. dicat, reperiri montes quattuor millia passuum perpendiculariter altos, putauerunt ipsum Nemrod voluisse quidem attollere turrim ad quinque millia passus: (quæ res certè, præsertim eo tempore, quo homines non adhuc plenè multiplicati erant, videbatur impossibilis.) sed vbi eò ventum est, vt iam deessent tantummodò mille passus altitudinis; opus fuisse impeditum. Verumtamen hoc probandum erat, quòd scilicet tunc, & non multò priùs, ædificatio fuerit intermissa. Relinquamus igitur ea quæ sciri nullo modo possunt, vt ad alia properemus.

DE FABVLIS OCCASIONE TVRRIS BABEL EXCITATIS.

¶ 7. Ex huius tam excelsæ turris ædificatione, atque item ex memorata linguarum diuisione, perhibent occasionem arripuisse Poëtas Ethnicosque Scriptores fingendi duas illas fabulas, quarum meminit Philo Hebræorum disertissimus, in exordio libri, de Confusione linguarum. Alteram de gigantibus celeberrimam, quos ferunt montes montibus superimposuisse, vt bellum diis inferrent; sed ab ipsis fulmine deiectos. Alteram de animalibus irrationabilibus, quæ aiunt, olim vna cunctis communi voce inter se de rebus suis, vt solent homines, agere consueuisse; verùm quia semel perpetuam iuuentutem à diis expetere ausa sunt, ab eisdem confusione vocum posteà esse punitos. Sed de Poëtis, non est quòd mirari debeamus: quandoquidem notum est, eos ex professo fabulandi occasiones vndequaque venari, nec dedignari communiter pro fabula-

bulatoribus haberi; quippe qui largam admodum in hoc genere licentiam iamdudum sibi vsurpauerint, iuxta vulgatum illud Horatij ferè in initio Artis Poëticæ:

——— Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Illud magis mirandum ac deplorandum est, quorumdam hominum impiorum quanta fuerit audacia ac temeritas, qui, vt refert Philo vbi suprà, ausi sunt Historiam sacram calumniari, quòd fabellas contineat prædictis similes. Fabellas, inquam, appellare non sunt veriti, dictæ turris ædificationem, & linguarum diuisionem; putantes, vtrumque fabulosum esse & falsum. Stultissima namque ipsis visa est cogitatio turris struendæ, cuius culmen ad cælum pertingeret; nec minùs impossibilis, quàm prædicta montium superimpositio. Sed & linguarum varietatem semper exstitisse perpetàm existimantes, illud quoque in erroris sui argumentum assumunt, incredibile videri, (si vna tantùm fuisset hominum locutio) potuisse illos sic derepentè proprij idiomatis obliuisci, & illicò nouis atq; inauditis vocabulis internos explicare conceptus. & prætereà non valebant capere, quomodo confusio illa linguarum, in pœnam simul & remedium peccati inducta fuerit. non in pœnam; quia naturale esse putabant, diuersos homines diuersis vti idiomatibus: non in remedium iniquitatum; cùm nihilominùs, etiam post diuisas linguas, viderent infinita propemodum scelera exstitisse, & non vnitatem linguæ, sed propensionem iniquorum hominum in malum, malorum causam esse: quandoquidem etiam lingua mutilati, nutibus, aspectibus, aliisque corporis motibus non minùs quàm verbis, improbitatem cordis proferre norunt: & linguæ vnitas potiùs ad plurima bona vtilis esse videtur, nimirùm ad commercia exercenda, ad scientias edocendas, ad societates stabiliendas, amicitiasque conciliandas, & his similia. CONTRA SACRAE SCRIPTVRAE CALVMNIATORES.

8. Verùm ad hæc non operosum est respondere. Nam quis non videt, admodum differre quæ narrantur à Moyse, ab his quæ fabulatores confinxere? Etenim montes superimponere montibus, & deinde cum superis dimicare, perspicuè patet, naturaliter ab hominibus fieri nullo modo posse: turrim verò altissimam exstruere, facultatem non excedit humanam. Et quidem stultissimum est, fateor, per huiusmodi altitudines ad cælum posse conscendi, quod gigantes intendisse feruntur: atqui non eo consilio docet Scriptura ædificatam esse turrim Babel. Imposuit fortasse calumniatoribus, quod dicitur Genes. cap. 11. versic. 4. *Cuius culmen pertingat ad cælum.* sed hoc hyperbolicè dictum, omnes sacri fatentur Expositores. Quid igitur vastissimo illo ædificio prætendebant? Quid aliud, nisi humanam gloriam, & nomen æternum? vt ibidem tangitur illis verbis: *Et celebremus nomen nostrum?* Quamuis fortasse etiam aliqui rudiores putarent, posse in summitate illius turris à diluuio, si deinceps contingeret, se ipsos præseruare; præsertim cùm scirent, Diluuij aquas quindecim tantùm cubitis montium vertices excessisse. Quantum verò differat historia confusionis humanæ loquelæ, ab ea quam in brutis contigisse fabulantur, vel ex hoc dignosci potest, quòd loqui, hominibus naturale est, brutis autem nequaquam. Quare manifestum est, fabulosum esse quod de brutorum locutione finxerunt; verissimum verò, quod de vno hominum idiomate, diuinitus posteà vatiato, Sacra testantur eloquia. Porrò diuisionem linguarum non semper exstitisse, infrà numero sequenti aduersus Philastrium ostendemus. Nunc illud tantùm asserimus, multò credibilius esse, ante structuram turris Babel vnam dumtaxat omnibus communem fuisse loquelam, quàm plures. Quis enim credat, populum vnum, qui ab vno homine etiamtum viuente descenderat, simulque fermè hactenus habitauerat, diuersa habuisse idiomata? Quòd si dixeris: Quomodo igitur potuit tam citò, atque adeò multipliciter variari? Respondeo; non ex causis naturalibus subitam illam accidisse varietatem, sed omnipotentis Dei voluntate, cui nihil esse difficile, nedum impossibile, nemo sanæ mentis est qui ignoret. Deinde concedimus, linguæ vnitatem hominibus sæpenumerò esse vtilissimam, contrà verò diuersitatem ad multa incommodissimam: verumtamen illud quoque certum est, in memorato casu fuisse appositissimum humanæ transgressionis remedium, nullumque aliud opportunius adinueniri potuisse. Quis enim nesciat, multitudini in malum aliquod vnanimiter conspiranti, quantum obesse possit idiomatis vnitas? quippe quæ ad flagitium perpetrandum non mediocriter incitare valeat. Meritò igitur illis hominibus, qui turrim ciuitatemque ædificare volebant, & in ea simul habitare, ceterasque terrarum regiones incultas relinquere, quod omnimodis erat bono publico diuinæque dispositioni contrarium; meritò, inquam, eos Dominus confusione linguarum inter se diuisit, atque inde ad alias terras seorsum inhabitandas adegit. Itaque, si rectâ mente supra-

ſupradicta penſemus, & circumſtantias temporis, loci, atque intentionis illorum hominum accuratè perpendamus; proculdubio, etiam ſepoſita Sacræ narrationis auctoritate, neceſſarium erit fateri, diuiſionem multiplicationemque humanorum idiomatum non eſſe fabuloſam, ſed verè atque indubitanter diuino conſilio eſſe factam, & iuſtè in pœnam ſuperbiæ impietatiſque, Deo prohibente, ædificare volentium inflictam: necnon iniquam illorum intentionem, toto humano generi atque orbi terrarum pernicioſam, conuenienter tali remedio fuiſſe impeditam. Et hæc aduerſus eos, qui præ impietate Scripturas ſacras facile reſpuunt, breuiter ſint dicta.

CONTRA OPINIONEM PHILASTRII DE PLVRALITATE LINGVARVM ANTE TVRRIS ÆDIFICATIONEM.

9. Ceterùm, quia dictum eſt, olim vnam eamdemque fuiſſe omnibus hominibus communem loquelam, vt apertè indicant verba illa Geneſ. cap. 11. verſ. 1. *Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem*; & ſentiunt omnes penè illius textus Expoſitores, aliique Eccleſiaſtici Doctores: explodenda prorſus eſt opinio, quam neſcio quomodo deceptus tenuit ſanctus Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus in Catalogo hęreſum cap. 106. dicens, firmiter eſſe credendum, quòd etiam multis ſæculis antequam cœpta ſit conſtrui turris Babel, plures fuerint ſermonum ac linguarum varietates, Dei munere illis hominibus conceſſæ, vſque ad eamdem linguarum confuſionem, interpretaturque præcitata Scripturæ verba: *Erat autem terra labij vnius*, &c. *id eſt, non ſecundùm eumdem vocabulorum vſum, ſed ſecundùm eamdem ſenſuum intelligentiam; quia* (inquit) *etſi plura tunc eſſent genera linguarum, omnes tamen ſe inuicem intelligebant.* Adductus eſt autem Philaſtrius ad hanc præcitati loci expoſitionem excogitandam, prioremque ſententiam tamquam hæreticam reprobandam, quoniam obſeruauerat, Scripturam ſacram, antequam Geneſ. 11. cap. deſcribere cœpiſſet ædificationem turris Babel, iam cap. 10. verſ. 5. de filiis Iapheth dixiſſe: *Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, vnuſquiſque ſecundùm linguam ſuam.* & verſ. 20. *Hi ſunt filij Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terriſq, & gentibus ſuis.* & verſ. 31. *Iſti filij Sem ſecundùm cognationes, & linguas, & regiones, in gentibus ſuis.* Ecce quomodo poſteri trium filiorum Noë iam videbantur in varias linguas fuiſſe diſcreti. At contrà Alphonſus de Caſtro lib. 9. aduerſus Hæreſes, non modò primam ſententiam, vt veritati Catholicæ conſonam, amplexandam putat; verùm etiam Philaſtrij opinionem hæreticam eſſe iudicat, tamquam Scripturæ ſacræ omnino repugnantem; quæ loco citato apertiſſimè pronuntiat, terram, ante ſtructuram Babel, fuiſſe labij vnius, & ſermonum eorumdem. & poſt pauca ſubdit: *Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam; & dixit: Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus*, &c. & paucis interpoſitis ſubiungit: *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* & non multò pòſt additur: *Et idcircò vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ.* Quibus verbis quis non videt manifeſtiſſimè indicari, vniuerſum genus humanum, ante Babel, vnius eiuſdemque omnino ſermonis & linguæ vſum tantummodò habuiſſe? varietatemque idiomatum ab illa vnius labij confuſione exortam, atque deinceps in toto orbe terrarum eſſe propagatam? Nec obſtat, quòd diuiſio filiorum ac poſterorum Noë iuxta linguas ſuas facta deſcribatur ante ſtructuram turris Babel: quia id contigiſſe per anticipationis ſeu recapitulationis figuram, in ſacris Scripturis aliàs vſitatam, fateri debemus, vt aſſerit S. Auguſtinus lib. 16. de Ciuit. cap. 4. & 15. & quæſt. 20. in Geneſ. Quæ loca ſi conſideraſſet Philaſtrius, forſitan (vt de alioqui ſancto viro credendum eſt) non fuiſſet lapſus.

QVOMODO FACTA SIT LINGVARVM CONFVSIO.

10. Sed hic tria quæri poſſent. Primò, quomodo prima illa omnibus communis lingua, confuſa & multiplicata fuerit. Deinde, in quot alias diuiſa. Tertiò demum, an ipſa apud aliquos integra remanſerit, & quænam ſit ex his, quæ nunc habentur. Ad Primum dicimus, quòd Deus inducta mirabiliter in cunctis illis hominibus (præterquam in Heber & filio eius Phaleg, quod ipſi, vt num. 12. dicemus, conſilij turris ædificandæ omnino expertes fuerint) ſubita quadam & omnimoda prioris idiomatis obliuione, illicò diuina ſua diſpenſatione & omnipotentia, in eorumdem animis nouos diuerſoſque indidit habitus, iuxta varia linguarum genera ſingulis diſtributa, ita vt ſtatim ſingulæ illæ familiæ promptum expeditumque ac diſtinctum vſum illius ſermonis, qui ſibi obtigerat, haberent. Quare iſte terminus confuſionis linguarum, quo non ſemel Scriptura vtitur, non ſic accipiendus eſt, ac ſi denotare velit, ſingulas linguas in ſe ipſis eſſe confuſas; id enim non eſt credibile; alioqui neque eiuſdem familiæ homines potuiſſent ſe inuicem intelligere; quod perſpicuè videtur aduerſari Scripturæ; & id quoque coloniis deducendis maximo fuiſſet impedimento. ſed appellatione confuſionis linguarum, confuſionem hominum, ob ſubitò variatam ipſorum locutionem, debe-

debemus accipere: siquidem, vt primùm hoc accidit, videntes familiæ illæ quòd alia aliarum sermones capere non valeret, protinus magna inter ipsas exorta est confusio; confusio, inquam, in ædificantium operibus, & inseruientium ordinibus; quoniam non se mutuò intelligentibus, omnia perturbari & confundi necesse erat. confusio item in hominum mentibus, præ stupore tantæ tamque repentinæ nouitatis, audientium tantam vocum diuersitatem numquam aliàs auditarum. Non enim minor extitit admirandi ratio in illa diuisione linguarum, ac postea fuit in primitiua Ecclesia, quando Apostoli omnes repleti Spiritu sancto cœperunt loqui variis linguis, vt dicitur Actorum cap. 2. vers. 4. vbi adiungitur: *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est; quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ*, &c.

11. Dixi, omnes prioris sermonis esse oblitos, præter Heber & familiam eius; nimirum non omnem, sed eam dumtaxat quæ ex Phaleg fuerat propagata, (nam quæ de Iectan fratre eius prodierat, certum est quòd in varia idiomata, pro numero filiorum eius dispertita fuit) quia communiter creditur, primam illam locutionem, quæ ante linguarum diuisionem ab exordio mundi omnibus fuerat communis, & propterea nullo particulari nomine nuncupabatur, integram inuiolatamque in ipso Heber & in eius familia mansisse, & ex eo nomen accepisse. Nam cùm tunc opus esset eam aliquo proprio nomine ab aliis distingui, deinceps Hebræa est appellata. Et sic responsum sit tertio quæsito. Ita namque sentiunt multi grauesque Auctores, Eucherius super Genes. cap. 11. Abulensis ibidem quæst. 1. & 2. Caietanus ibidem, Hieronymus Oleaster in cap. 10. Genes. Sanctes Pagninus in initio libri Isagogæ ad Sacras litteras, Pererius lib. 16. Commentariorum in Genes. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 1. secuti Eusebium lib. 10. de Præparatione Euangelica cap. 2. B. Ambrosium super cap. 3. ad Philippens. B. Hieronymum in epistola ad Damasum, de Visione Isaiæ, & B. Augustinum lib. 16. de Ciuit. cap. 11. & lib. 18. cap. 39. Nec refert quòd idem Sanctus lib. 16. de Ciuit. cap. vltimo prope finem dicat, linguam Hebræam esse inuentam eo tempore, quod fluxit à Noë vsque ad Abraham: non enim ibi indicare voluit, eam anteà non extitisse; sed solum, tunc primùm vocari cœpisse Hebræam, quæ prius humana potiùs dici poterat, quia cuncti homines ea sola vti consueuerant. Eiusdem item sententiæ fuit Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, sub anno mundi 1788. fultus auctoritate B. Hieronymi in Sophoniam, & Origenis Homil. 11. in lib. Numer. & omnium pæne Rabbinorum, vnò dumtaxat excepto Rabbi Iuda, qui Adamum Syriaco vsum sermone credidit.

LINGVA HEBRÆA OMNIVM PRIMA.

12. Ex eo autem, quòd Heber & Phaleg primam linguam retinuisse creduntur, deducunt etiam nonnulli, ipsos non fuisse illius ædificationis participes: alioqui, inquiunt, eadem & ipsi pœna, scilicet mutationis linguæ, plecti debuissent. Sed hic aduertere oportet, quòd Heber & Phaleg, tametsi retenta priori lingua, videantur & ipsi quoquomodò puniti in hoc, quòd alia idiomata, vt creditur, non intelligerent; id tamen eis pœnam non intulit, sicuti ceteris; quoniam diuina illa in ædificantes animaduersio, non propriè in ipsa linguarum mutatione posita fuit (quòd enim quis vno magis quàm altero loquatur idiomate, nullam adfert pœnam) sed in eo, quòd cùm ceteros intelligere non possent, in suscepto ædificandi consilio & executione persistere non valerent: quod memoratis Heber & Phaleg nedum molestiam vllam, quin magnam adferre poterat consolationem. Exultabant enim, videntes cælitùs impeditam, quam ipsi grauiter auersabantur, ædificationem; & iam tandem impleri (vellent, nollent) diuinam iussionem, de Gentium habitatione varias per Orbis partes disseminanda, quod ipsi, & sanctus omnium tunc parens Noë, tantopere exoptauerant; præsertim cùm illa sermonum discretio, ipsis insuper ad vitanda declinandaque impiorum consortia, admodum commoda esset. Et hæc communiter creditur esse causa, cur prima illa omnium antiquissima pariter ac nobilissima locutio in Heber transfusa fuerit. Vnde etiam colligit sanctus Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 11. quòd tametsi euidenter in Sacro eloquio expressum non sit, non obscurè tamen elici potest, fuisse aliquod pium genus hominum, quando ab impiis Babylonia condebatur. Quamquam & alia adferri possit causa, cur potiùs in Heber quàm in aliquo alio antiqua illa locutio remanserit; nimirum, quia ex ipso Heber per lineam Phaleg propagandi erant Patriarchæ &

LINGVA OMNIVM PRIMA CVR IN SOLO HEBER REMANSERIT.

Prophetæ, & gens à Deo electa in populum sibi peculiarem, de quo nasciturus erat Christus secundùm carnem, vt eadem prima omnium lingua esset illa, quam deinceps Patriarcharum & Prophetarum non solùm in sermonibus suis, verùm etiam in Sacris litteris, custodiret auctoritas; quemadmodum tradit S. Augustinus loco proximè citato. Cuius rei signum est, quòd lingua illa non in omni progenie ipsius Heber diffusa est; sed in ea solùm, quæ linea rectà descendit ad Abraham, cui repromissiones de Christo venturo faciendæ erant. Nec ipse Abraham potuit eamdem linguam in omnes filios ac posteros suos transmittere, sed tantùm in Isaac & Iacob, & eos qui de ipso posteà descenderunt, duodecim Patriarchas, ex quibus duodecim tribus Israël ortæ sunt, quæ populum Dei electum constituerunt. Neque obstat, quòd Abraham in Chaldæa natus sit, ibique vltra septuagesimum vitæ annum manserit, ac deinde in terra Chanaan habitauerit: quia nihilominùs potuit linguam à maioribus suis acceptam, in domo saltem sua retinere; sicuti nunc faciunt Hebræi vbique terrarum degentes, & aliæ quoque nationes extra proprias regiones habitantes.

LINGVA HEBRAEA CVR OLIM QVAM NVNC VBERIOR.

13. Aduertendum tamen est, vt benè notat vbi suprà Abulensis, linguam Hebraicam antiquitus fuisse multò quàm nunc sit perfectiorem atq; vberiorem: nam ex quo Hebræi in captiuitatem ducti sunt, exterisque linguis admisti, propriæ quodammodò vsum amiserunt, vel saltem magna ex parte adulterarunt. Vnde post reditum de Babylonia, necessarium fuit constituere, qui populo verba Legis, quæ Hebræo sermone puro atq; incorrupto tradita fuerat, interpretarentur, vt sub anno mundi 3610. num. 6. dicemus. Quare non mirum est, si tempore Saluatoris Hebraica lingua valdè mista erat, & vocabulis Syriacis atq; Chaldaicis referta, vt aliàs ex ipsomet Euangelio ostendemus; & hodie de puris & antiquis pænè illa tantùm remanserint, quæ in Legis codice seruata sunt. Quo fit vt vera ac legitima Hebraica lingua hodie admodum inops & manca esse videatur; quippe quæ nonnisi ex Sacris legalibus libris addisci possit.

CHARACTERES HEBRAICI AB ADAMO INVENTI.

14. Credimus item cum B. Augustino lib. 18. de Ciu. cap. 39. non vocabula solùm, sed etiam litteras & characteres Hebraicos ante diuisionem linguarum communiter apud omnes fuisse in vsu, & pariter cum idiomate per ipsum Heber & posteros eius successiuè ad populum Israëliticum peruenisse. Quare non est recipiendus Philo Iudæus in eo, quòd (vt refert Ludouicus Viues super cap. B. Augustini præcitato) inuentionem litterarum Hebraicarum Abrahamo tribuit. Neque item probari debet, quod Eupolemus & Artapanus, apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. circa medium relati, scripserunt; nempe, Moysen litterarum inuentorem fuisse, easque primùm Iudæis tradidisse; à quibus vicini Phœnices acceperunt, & à Phœnicibus Græci, subaudi, per Cadmum; quin & Ægyptius quoque eumdem Moysen litteras dedisse, ac propterea ab ipsis Mercurium appellatum, ac pro Deo habitum. Hæc enim, & si quæ huiusmodi alia, ab Ethnicis Scriptoribus tradita inueniantur, omnino reiicienda sunt tamquam falsa; & omnino tenendum est, Hebraicas litteras ab ipso pænè mundi initio fuisse inuentas, non ab alio, vt arbitror, quàm ab ipso Adamo omnium sapientissimo. Quòd autem prisci illi litterarum characteres posterioribus posteà temporibus ab Esdra eruditissimo Scriba nonnihil fuerint immutati, ac deinde post multa quoque alia tempora, à quibusdam Rabbinis, addita eisdem fuerint puncta & notulæ illæ, quibus hodie vocalium vice vtuntur Iudæi, ad maiorem legentium facilitatem; sub anno mundi 3610. num. 20. & 21. dicendum erit.

DE NVMERO LINGVARVM.

15. Restat nunc aliquid dicere de numero linguarum, in structura turris Babel diuinitus multiplicatarum, quod erat secundum e tribus propositis quæsitum: nam primo ac tertio iam satisfactum esse putamus. Igitur secuti communiorem Doctorum sententiam, dicimus, primam illam omnibus antea communem linguam, in septuaginta duas fuisse dispertitam: iuxta numerum primariarum stirpium seu familiarum, quæ tunc in mundo reperiebantur; quarum capita recensentur Genes. cap. 10. Sic sentiunt B. Hieronymus in Matth. cap. 26. B. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 3. & 11. S. Epiphanius ferè in principio sui Panarij, & alij. Ex recentioribus verò, Genebrardus suæ Chronologiæ lib. 1. & alij non pauci. Hanc opinionem necesse est veteres desumpsisse vel ex antiquissima aliqua traditione olim admodum peruulgata, vel ex numero prædictorum principum, in sacra Scriptura notato. Et quidem si ex textu LXX. Interpretum, qui antiquitus in Ecclesia magis vsitatus habebatur, prædictum numerum acceperunt; oportet Textum illum antiquum in hoc nonnihil à moderno fuisse diuersum: siquidem is qui hodie circumfertur, non septuaginta duo, sed septuaginta quattuor stirpium capita ponit; vt in tabellis infrà num. 20. 24. & 44. ponendis, videri potest, nempe,

nempe, de Iapheth quindecim, de Cham triginta vnum, & de Sem viginti octo. Cùm tamen certum sit, B. Augustinum lib. 16. de Ciuit. cap. 3. ex antiquo Textu, in generatione Sem, viginti septem dumtaxat familiarum principes posuisse. Sed nescio quomodo Sacer B. Augustini codex duodecim tantùm filios Iectan habuerit: cùm alij omnes, Græci, Latini, & Hebraici habeant tredecim. Econuersò autem filios Iapheth posuerit octo; cùm præter textum LXX. Interpretum Romæ anno salutis 1588. excusum, reliqui ferè omnes ponant tantùm septem, omittentes illum Elisa, qui quinto loco numeratur, & neque in Hebraicis codicibus repentur, neque in Latinis, neque in Chaldaica Paraphrasi, neque in translatione Græca Complutensi; neque fuit in Græco codice, quem ad manus olim habebat B. Hieronymus; quandoquidem ipsemet in Traditionibus Hebraicis apertè asserit, Iapheth filio Noë natos esse septem filios, quos ibidem nominatim commemorat, prætermisso Elisa. Quare si posteri filiorum Noë, in Genes. cap. 10. recensiti, reuerà non fuerunt septuaginta quattuor, sed septuaginta tres, vt colligit sanctus Augustinus; proculdubiò tutius videtur, de priori numero demere vnum de filiis Iapheth, nimirum Elisam, quàm vnum de filiis Iectan. Quomodo autem in codicibus LXX. Interpretum posteà additus fuerit Elisa, incompertum habeo. Ceterùm, si in summa prædicti duces fuissent septuaginta tres, benè res se haberet; quoniam, quemadmodum loco suprà adducto notauit sanctus Augustinus, Heber & Phaleg pro vna tantùm gente & lingua reputari posse videntur; & sic (vt supponunt Doctores) septuaginta duæ dumtaxat gentes linguæve remanerent. Vt autem memorata opinio septuaginta duarum linguarum, etiam ex textu editionis Vulgaræ, in quo vnus tantùm supra septuaginta principes commemorantur, explicari aliquo modo possit, duo supponenda videntur. Alterum scilicet, addendum esse textui Vulgato generationem Cainan, quam expresserunt LXX. Interpretes Genes. cap. 11. & Lucas in Euangelij capite 3. versic. 36. & recipit sanctus Augustinus vbi suprà, quemadmodum nos quoque sub anno mundi 1694. num. 2. & 3. addendam esse censuimus, & cur in eodem textu Vulgaro præterita fuerit, ibidem indicauimus. Alterum est, etiam ipsum Phaleg in ipsa diuisione linguarum propriam, atque ab ea, quam pater eius retinuerat, diuersam linguam fuisse sortitum, eamdemque filios suos docuisse, quos plures genuisse, ex ipsisque propriam gentem constituisse, credibile est; quamuis Scriptura sacra Genesis cap. 10. omnes prætereat, quia nullus tunc aliam particularem familiam constituerat; & cap. 11. vnum tantùm nominet, in genealogia Abrahæ texenda necessarium. Et nihilominùs diuino instinctu factum esse, vt de posteris ipsius Phaleg, hi soli per quos recta linea ad Abrahamum peruentum est, mutato consilio, ab Heber eorum parente linguam Hebræam discere ac continuare maluerint. Alioqui non video quomodo ex Vulgata Bibliorum editione, prædicta opinio elici, aut cum ea conuenire possit.

15
31
28
——
74

16. Ceterùm, si eadem antiquissima satisque recepta opinio de septuaginta duabus linguis vera est; vtique oportet etiam fateri, non easdem fuisse gentes ac linguas patrum ac filiorum, qui Genesis cap. 10. numerantur, puta Gomer, & filij eius Ascenez, ac fratrum eius, & sic de aliis; alioqui multæ linguæ de prædicto numero desiderarentur: sed debemus sentire, singulos ipsorum, tam patres quàm filios, numerosas ad modum habuisse familias; non personarum dumtaxat, sed etiam linguarum diuersitate discretas, tametsi id Scriptura reticuerit, tamquam clarum; quippe cùm absurdum videatur aliter credere, & ex ipsamet Sacra narratione satis constet, Moysen non particulares personas, sed stirpes ac familias, earumque capita ibidem dinumerare intendisse; & hac de causa, de cunctis posteris trium filiorum Noë, ceteris penè innumeris consultò prætermissis, illos dumtaxat nominatim expressisse, qui erant, vt diximus, veluti principes illarum familiarum, & gentium, seu linguarum, in quas prima illa diuisa fuerat; ita vt nullus ex his principibus, præter Heber, vt iam notarum est, paternam linguam retinuerit.

CVNCTOS PRINCIPES FAMILIARVM DIVERSAS LINGVAS FVISSE SORTITOS.

17. Quamuis hic quoque dubium sit de ipso Noë, & tribus filiis eius, Sem, Cham, & Iapheth, cur in prædictorum principum numero non sint recensiti; & an ipsi pariter priorem linguam in aliam commutauerint. Ad quod dupliciter respondere possumus; nimirum, vel eos ob ingrauescentem iam ætatem quietioris vitæ fuisse studiosos, ideoque inter illius diuisionis principes connumerari renuisse: iam enim Noë octingentesimum septuagesimum, & filij eius trecentesimum septuagesimum vitæ annum excesserant, vt videre est in tabulis. Vel meliùs, quia ipsi erant primarij atque vniuersales omnium qui tum in mundo supererant hominum principes, non decuisse inter mino-

NOE ET TRES FILII EIVS CVR INTER PRINCIPES LINGVARVM NON SINT RECENSITI.

res ac partiales dinumerari. De mutatione verò linguæ, licet nihil certi proferre possimus, videtur tamen satis rationabile opinari, ipsos, cùm essent ceterorum omnium parentes, singulari quodam Dei priuilegio cuncta linguarum genera calluisse; vt possent omnibus ex æquo consulere, & pro opportunitate singulis monita salutis dare. Tametsi etiam probabile sit, vnumquemque ipsorum posteà illi magis idiomati adhæsisse, in quo sibi chariores contigit inueniri, & penes quos potiùs habitare complacuit.

CAVSAE MVLTIPLICATIONIS LINGVARVM.

18. Porrò de memoratis septuaginta duabus linguis quæri etiam solet, num adhuc exstent omnes, vel saltem aliquæ: & an ceterarum omnium quæ posteà fuerunt, aut sunt, matrices sint, exstiterintve. Veruntamen, quia vt notat Genebrardus libro 1. suæ Chronologiæ sub annò mundi 1850. siue, vt ipse putat, occulta de causa, siue etiam, vt nos arbitramur, ob multiplices temporum ac regnorum mutationes, populorumque misturas, bellorum causâ potissimum contingentes, perspicuè videmus vsqueadeò linguas esse inter se mistas, variatas, ac multiplicatas, vt intra propè centum leucarum spatium, propter innumeras vocum accentuumque varietates, diuersasque vocabulorum productiones ac contractiones, difficile possint-le homines inuicem intelligere. Quod & in nuuo Orbe ab Americo Vespucio obseruatum fuisse, testatur idem Genebrardus vbi suprà. Idcircò videtur vix esse credibile, vt primæ illæ septuaginta duæ linguæ, vel fortè etiam earum aliquæ, in tanta rerum varietate, tam diu puræ incorruptæque conseruari potuerint. Et quamuis ab illis ceteras omnes, quotquot illæ sint, aliquo modo deinceps mediatè vel immediatè deriuatas esse, probabilissimum sit: nunc tamen sex fere tantummodò in nostro hoc hemisphærio, tamquam aliarum matrices, communiter reputari solent: nimirum Hebraica, genitrix Syriacæ, & Arabicæ, & aliarum: Latina, Italicæ, Valachicæ, Gallicæ, Hispanicæ, &c. Græca, Doricæ, Ionicæ, Æolicæ, Atticæ, & huiusmodi: Sclauonica, Polonicæ, Boëmicæ, Moscouiticæ: Germanica, Helueticæ, Flandricæ, & Anglicæ: Tartarica, Turcicæ, Sarmachaticæ, Abyssinæ, Æthiopicæ, & Sabeæ. Quòd autem inter linguas aliæ aliis sint vniuersaliores, potuit accidisse potissimùm propter scientiam aut potentiam populorum, vt patet de Græcis, quorum lingua ob plures admodumque eminentes ipsorum scientias, in varias mundi partes inuecta est: & de Romanis, qui olim longe lateque imperantes, legem sanxerunt, vt omnes linguam Latinam addiscerent. & perspicuum est, subditos, etiam sine vlla lege eos cogente, libenter dominorum suorum, quantumuis exterorum, linguam imitari solere.

SEX LINGVAE ALIARVM MATRICES.

CVR ALIAE ALIIS VNIVERSALIORES.

DE GENTIVM DIVISIONE.

19. Sed iam tempus est, vt posteaquam de diuisione linguarum satis actum fuit, ad diuisionem Gentium, quæ illicò per varias orbis regiones subsecuta est, deueniamus. Cuius etiam meminit Moyses in suo Cantico, quod habetur Deuteronom. cap. 32. v. 7. illis verbis: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi. Quando diuidebat Altissimus Gentes: quandò separabat filios Adam*, &c. Ex quibus verbis obiter hîc colligi potest, ferè omnia, quæ de post Diluuium actis, ac præcipuè de linguarum gentiumque diuisione à Moyse scripta sunt, non solùm ad ipsum Moysen, sed & communiter ad alios quoque eius suppares, per successiuas generationum traditiones peruenisse. Verùm antequam de populis ac nationibus, quæ posteà de prædictis principibus ac familiis exortæ sunt, ac per insignes orbis partes disseminatæ, agamus, illud inprimis in vniuersum Lectorem monere duximus, generationes Sem de campo Sennaar, in quo facta est linguarum diuisio, magis ad Orientem Austrumque in Asia maiori sese extendisse: contrà verò, familias Iapheth & Cham, ad Occidentem. Quamquam illud inter has interfuit, quòd posteri Cham magis Australes plagas paulatim incedentes, maiorem Arabiæ partem, & totam ferè Africam incoluerunt: familiæ autem Iapheth, ad Aquilonem vndique sese dilatantes, vniuersas Asiæ prouincias Aquilonares, & insuper ad Occasum pergentes, Asiam minorem pænè omnem, & Mediterranei maris insulas, ac denique Europam vniuersam habitatoribus repleuisse creduntur. Rationabile autem est credere, ipsos omnes, primò regiones Babyloniæ proximiores inhabitare cœpisse; procedentibus verò temporibus, paulatim ad remotiores Orbis partes, prout dictum est, commigrasse. Non enim verisimile videtur, eos post diuisionem linguarum statim remotissima terrarum spatia peragrasse, mariaque latissima transmisisse, vt sibi sedes deligerent: sed priùs in locis vicinioribus consedisse, ibique domos ac vrbes ædificasse; præsertim cum tunc vbique regiones incultæ ac desertæ facilè reperirentur; & vbi vno in loco admodum multiplicati essent, ita vt iam eos commode terra illa ampliùs capere non posset, (more apum) qui iuniores ac magis robusti erant, delecto sibi duce, relictis-

lictisque ibidem ceteris, pariter proficiscentes, ad remotiora loca transmigrasse. Et sic successiuè, donec tandem eò ventum est, vt maria transmeare, & ad insulas transmarinasque prouincias proficisci opus esset: quod non nisi post multa tempora, vt dictum est, contigisse credimus.

20. Dicamus nunc aliquid sigillatim de singulis. Et primò de posteris Iapheth, qui recensentur Gen. cap. 10. vers. 2. vsque ad 6. & 1. Paralip. cap. 1. vers. 5. vsque ad 8. ac de populis, qui mox ex ipsis propagati sunt. Sed priùs duplicem ipsius Iapheth posteritatis tabellam, alteram scilicet ex Vulgata, alteram ex LXX. Interpretum editione (quoniam inter eas nonnihil interest) descriptam, veluti ante oculos ponere visum est, vt faciliùs quæ deinceps dicentur percipi valeant. Quod & de aliis duobus filiis Noë, infrà suis locis præstabimus. DE POSTERIS IAPHETH.

Posteritas Iapheth ex Vulgata editione Latina, Romæ anno salutis 1593. impressa.

Iapheth genuit	Gomer, qui genuit	Ascenez, Riphath, Thogorma
	Magog	
	Madai	
	Iauan, qui genuit	Elisa, Tharsis, Cetthim, Dodanim
	Thubal	
	Mosoch	
	Thiras	omnes 14.

Ex textu LXX. Interpretum, Romæ anno salutis 1588. edito.

Iapheth genuit	Gomer, qui genuit	Ascanaz, Riphath, Thogorma
	Magog	
	Madoi	
	Iauan, qui genuit	Elisa, Tharsis, Cetij, Rhodij
	Elisa	
	Thobel	
	Mosoch	omnes 15.
	Thiras	

Hi sunt principes familiarum generationis Iapheth; qui licet numero longè pauciores ceteris exstiterint, nihilominùs vsqueadeò posteà multiplicati sunt, vt latiora terrarum spatia occupasse credantur, quemadmodum ex infrà dicendis manifestum fiet; ac propterea non otiosè dixisse videatur Noë, quando filiis suis benedixit Genes. cap. 9. vers. 27. *Dilatet Deus Iapheth*, &c. quæ verba præcipuè ad latissima terrarum spatia, quę posteri eius occupaturi erant, respexisse videntur.

21. Sanè regiones ab his cultæ, habitatoribusque repletæ, in vniuersum (vt ait Iosephus 1. Antiq. cap. 7. quem posteà B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. & alij quotquot de singulis posterorum Noë propagationibus tractarunt, magna ex parte secuti sunt) fuerunt omnes illæ, quæ à Tauro & Amano montibus in Asia, vsque ad fluuium Tanaim, qui Asiam separat ab Europa, & inde ad Gades excurrunt, nempe, vsque ad extremas Hispaniæ oras, quæ freto Gaditano ab Africa diminuuntur, hoc est, vt vno verbo dicam, omnes Aquilonares Occidentalesque Asiæ prouinciæ, & insuper omnis Europa. In his enim regionibus filij Iapheth, vt ait B. Hieronymus, nomina locis & gentibus reliquerunt; quorum nonnulla in Prophetis, apud Isaiam, Ieremiam, & præcipuè Ezechielem memorantur, plurima verò fuerunt immutata. Itaque vt ad singulos descendamus, à Gomer primùm inter filios Iapheth nominato, dissèminati sunt Gomorenses, seu Gomoritæ populi, quos priùs consedisse in partibus Asię Septemtrionalibus Syriæ proximis, colligit Pererius in Genes. ex Ezechielis cap. 38. vers. 6. oportet autem eos posteà duxisse colonias in Asiam minorem: nam teste Iosepho, ex ipsis deinde orti sunt Galli, seu Galatæ, qui Galatiam eiusdem Asiæ prouinciam ab ipsis denominatam incoluerunt; ex quibus plurimi mox, spoliata Delpho, & prope Troadem consedentes, maiorem Phrygiæ partem occupasse feruntur; & cum Græcis misti, propterea Gallogræci, & illa regio, à Græcis Gallogræcia fuit appellata, vt scribit Iustinus lib. 35. Sunt qui putant Gomeritas esse Cymerios, & à Pomponio Mela Comaros nuncupari, ex quibus posteà Cymbri prodiisse dicuntur. Porrò tres filij Gomer fuere: primus Ascenez, de quo eiusdem nominis populi, qui Ieremiæ cap. 51. versic. 27. simul cum Medis aliisque nationibus Asiaticis inuocantur contra Babylonem; vnde meritò & ipsi creduntur fuisse Asiatici, Mediæque finitimi: verumtamen posterioti-

DE REGIONIBVS A POSTERIS IAPHETH OCCVPATIS

GOMORITÆ.

GALLI, ET GALATÆ.

GALLOGRÆCI.

CYMERII, ET COMARI. CYMBRI.

ASCENEZÆI.

Ascanii, qui et Germani. Riphatæi seu Riphathæi, et Riphaces, qui et Phalangones. Thogormæi. Phryges. Maggogæi.

rioribus temporibus, plurimi ex ipsis ad Aquilonem Occidentemque properantes Ascaniis originem dedisse feruntur, qui posteà Germani dicti sunt. Alter nomine Riphath, de quo Riphathæi, siue Riphaces, vel Riphæi, qui Iosepho ac B. Hieronymo auctoribus, posteà dicti sunt Phalangones. Tertius demum Thogorma, à quo deriuati sunt Thogormæi, quos cùm sub nomine domus Thogormæ Ezechiel cap.38. versic.6. recenseat inter sequentes agmina Gog, seu Regum Syriæ, contra terram Israël; rectè cum Pereno arbitramur, fuisse Asiaticos, vel Asiæ finitimos: Iosephus & B. Hieronymus illos à Græcis Phrygas appellatos putarunt: Arias Montanus putat esse Turcas. Redeamus ad filios Iapheth; quorum qui secundo loco ponitur, Magog genuit Magogæos, de quibus sub nomine terræ Magog meminit Ezechiel cap. citato vers.2. Et quoniam teste Plinio lib.5. cap. 23. olim fuit in Syria ciuitas, nomine Magog, quæ aliter etiam dicebatur Hierapolis; creduntur Magogæi primò quidem in Cœlesyria habitasse, mox ad Septemtrionem sese vndique extendentes, disseminasse in vastis illis regionibus alios populos; nempe Massagetas, Getas, & Scythas, ex quibus prodiisse dicuntur Tartari, & Turcæ. Non defuerunt etiam, vt notat B. Hieronymus, qui putant de Magogæis quoque descendisse Gothos. Certum item est omnium consensu, de Madai, tertio inter filios Iapheth, processisse Madæos, quos Græci vocant Medos; qui olim secus mare Caspium habitantes, erant potentissimi, & cum Persis secundam quæ in mundo exstitit Monarchiam, extincta prima, multo tempore tenuerunt. Ecce quomodo ex dictis fit manifestum, quod superiùs dixeramus, nimirum Iaphethi genus omnes Occidentales Septemtrionalesque Asiæ prouincias non solùm vltra, sed etiam quasdam citra mare Caspium, occupasse.

Massagetæ. Getæ. Scythæ. Tartari. Turcæ. Gothi. Medi.

Iauani, qui et Ionii. Æoles. Tharsenses. Cilices.

22. Videamus modò quomodo etiam Europam vniuersam habitatoribus repleuerit. De Iauan filio Iapheth, qui quarto loco numeratur, Iauani populi procreati sunt qui & Ionij. Et hi primi creduntur, transmisso mari, de Asia venisse in Europam; nimirum primò in Græciam, & ab iisdem nonnullos quoque alios Græcorum populos esse profectos, & mare Ionium fuisse denominatum. Genuit autem Iauan quattuor familiarum principes: nempe Elisam, à quo Æoles, qui posteà quintam Græcorum linguam constituerunt; & alij, qui Archipelagi insulas habitatoribus repleuisse, necnon ad incolendam Italiam, vel saltem eius partem Græciæ proximiorem, peruenisse putantur. Secundus Iauani filius, vocabulo Tharsis, Tharsensium, ac aliorum Ciliciæ populorũ auctor fuit; nam quæ postmodum Cilicia dicta est, priùs Tharsis, seu Tharsus dicebatur, *cuius rei* (vt ait Iosephus) *signum est, Tarsus vrbium eius celeberrima, ceterarumq; princeps, prima nominis littera in Tau mutata.* Idem confirmat B. Hieronymus loco citato, & de Locis Hebraicis. & Glossa interlinearis, Genes. cap.10. & Lyranus, & Lipomanus, & alij illius loci Expositores. Vnde tametsi vrbem Tharsis nuncupatam quidam putent conditam fuisse à Perseo Danaæ filio, Iudicum temporibus, vt notat Ioannes de Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis cap. 14. Quidam verò cum Athenæo lib.12. ex Aristobuli testimonio, eiusdem vrbis conditorem faciunt Sardanapalum Assyriorum regem: nihilominùs fieri potest, & credibilius videtur, quòd olim primo à Tharsis filio Iauan, vel ab eius posteris condita fuerit, & ex eius nomine nuncupata; posteà verò à Perseo, ac demum à Sardanapalo iterùm ædificata sit; dicaturq; ab his condita, hoc est reædificata. Quemadmodum & Babylon, quæ quamuis constet, quòd primò condita fuit à Belo, qui & Nemrod: dicitur tamen ædificata à Semiramide; quoniam ipsa eam instaurauit atque ampliauit, vt sub anno mundi 1997. num.5. & 2049. num.1. dicemus. Certum namque est, omnes ferè vrbes, præsertim antiquiores, non semel fuisse destructas atque renouatas. Tertius Iauani filius vocabatur Cetthim siue Cetij. huius progenies Cyprum insulam primùm incoluisse fertur; deinde colonias in Græciam, hoc est in Macedoniam, postremò etiam in Italiam deduxisse, easque regiones omnes, ex patris nomine, Cetthim denominasse: cuius rei, inquiunt, signum est, quòd, Iosepho 1. Antiq. cap.7. & B. Hieronymo in Quæstionibus Hebraicis in Genes. cap. 10. testibus, in Cypro adhuc extabat vrbs nomine Citium, & 1. Machab. cap.1. vers.1. legimus, quòd *Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egressus* est *de terra Cetthim.* & Numer. cap. 24. vers.24. & Ezechiel. cap. 27. vers.6. & Daniel. cap. 11. vers.30. vbi textus Hebraicus habet Cetthim, Latinus reddit Italiam, vel Romanos, quod idem ferè est. Sunt etiam qui ab eodem Cetthim, seu à posteris eius, putant descendisse Cretenses, olim dicti Cortini, à quibus item eam Italiæ partem, quæ quondam magna Græcia dicebatur, habitatam, & mox quoque vrbem, quæ Caieta dicitur, ædificatam fuisse perhibent. De quarto demum Iauani filio, nomine Dodanim, siue

Cetthim siue Cetii. Itali. Cretenses, Cortini.

vt

vt alij putant, Rodanim, Rhodios originem duxisse ferunt. Quidam ab eisdem quoque Dodanam Epiri vrbem conditam, necnon & in Gallia Rhodanum fluuium denominatum, coloniis eódem deductis. Restant adhuc quattuor de filiis Iapheth, vel potiùs tres; nam ve supra num. 14. diximus, Elisa, qui quinto loco à LXX. Interpretibus ponitur, in aliis editionibus minimè reperitur; & propterea à Iosepho, & B. Hieronymo, & ab aliis meritò fuit prætermissus, & eadem de causa à nobis quoque prætermitti debet. Igitur post Iauan sequitur Thubal, à quo Thubalæi, qui primùm Asiatici fuisse creduntur; mox, sicut & cæteri populi, præsertim de Iapheth orti, ad Aquilonem vel ad Occidentem paulatim multiplicantes & excurrentes deuenisse. Hos B. Hieronymus Iberos vocat, & Hispanos, à quibus Celtiberos exiisse ait; Iosephus verò simpliciter Iberos nuncupauit. Quamobrem aliqui opinati sunt, ipsum intelligere Iberos Aquilonares, qui iuxta Mæotidem paludem habitabant; à quibus aiunt deductas fuisse colonias in Hispaniam, quam idcircò Iberiam appellarunt: vnde Hispani, qui etiam Iberi Occidentales dicuntur, originem illorum, qui primi regiones suas incoluerunt, ad Thubal communiter referre perhibetur. Verumtamen mirum dictu videtur, Aquilonares Iberos de Mæotide palude, per tot tantaque maria, vel latissimis Germaniæ Galliæque prouinciis emensis, ad Hispanias peruenire potuisse, peragrata propemodum totius Europæ latitudine, cuius termini (vt refert Ioan. Boterus suarum Relationum vniuersalium initio) à Tanai fluuio ad Lusitaniæ promontorium poni solent, & inter se ad ter millia octingenta passuum milliaria distare feruntur; nisi fortè post multa tempora, interimque prius cultis paulatim multis eiusdem Germaniæ Galliæque regionibus: tametsi de hoc (quòd ego nouerim) nulla extet apud Scriptores memoria. De Mosoch, quem Iosephus Meschum appellat, prodierunt Mosochæi, qui primò regionem quamdam Syriæ Arabiæque proximam incoluisse creduntur; mox transiisse in eam Asiæ prouinciam, quæ postmodum Cappadocia dicta est, vt colligit Iosephus ex nomine vrbis Mazaca, quæ suo tempore adhuc in ea prouincia extabat. Sunt, qui ex eisdem Mosochæis etiam putent exiisse Moscouitas. Septimus denique ac postremus filius Iapheth, appellatus est Thiras; à quo Thraces, & Thracia prouincia, quæ nunc Romania dicitur, olim inhabitata ac denominata fuit.


RHODII. THVBALÆI. IBERI. HISPANI. CELTIBERI. EVROPÆ TERMINI ET LATITVDO. MOSOCHÆI CAPPADOCES. MOSCOVITÆ. THRACES.

23. Ex his itaque apparet, filios seu posteros Iapheth non solùm suprà memoratas Asiæ prouincias, sed etiam Mediterranei maris insulas, & totam Europam incoluisse. Et hoc est quod insinuatur Genes. cap. 10. vers. 5. illis verbis: *Ab his diuisæ sunt insulæ gentium*, &c. puto enim per insulas gentium, totius Mediterranei maris insulas esse accipiendas, & prætereà item Europam vniuersam: quæ si Asiæ atque Africæ conferatur, insularum nomine nuncupari non incongruè potest. Nam illæ quidem singulæ, partes prouinciasque suas inter se vnitas & collectas habent: Europa verò ferè omnis, in plures insulas pæninsulasque diuisa ac distincta cernitur in Geographorum tabulis. Nam Græciæ Archipelagus insularum plenus conspicitur; inter quas Creta, & Eubœa, quam hodie Negropontum vocant, amplitudine atque agrorum vbertate sunt clariores. Alia quoque maria ad Europam pertinentia multas habent insulas maiores ac minores: nam in Ionio & Hadriatico extant, Zacinthus, Cephalenia, Corcyra, & aliæ penè innumerabiles in tota Illyrici ora positæ. In Tyrrheno pariter ac Mediterraneo videre est aliquot insulas ceteris insigniores, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Maioricam, Minoricam, præter plures alias obscuriores. In Oceano autem, qui Europam ab Occidente & à Septemtrione alluit, ad Galliæ confinia conspiciuntur, Anglia, quæ Scotiæ iuncta, celeberrimam constituit insulam; & non procul ab ea, Hibernia, aliæque his adiacentes plurimæ. In Germaniæ verò Inferioris finibus, certum est Zelandiæ Hollandiæque prouincias valdè insignes, in plures insulas pæninsulasque esse distinctas, & multas alias in illo Septemtrionali tractu insulas inueniri. Constat etiam quasdam præclaras eiusdem Europæ prouincias, pæninsularum formam esse sortitas, vt sunt Peloponnesus, quæ nunc Morea vocatur, & Italia, & Hispania, & tota illa Borealis plaga, quæ Gothiam, Suediam, Noruegiam, aliasque regiones complectitur. Et has exempli gratia hîc commemorasse sufficiat. Plurimas namque alias eiusmodi insulas pæninsulasque in Europæ descriptionibus accuratus indagator inueniet. Itaque vt ad rem redeamus; non mirum est, si Europæi populi, nempe Græci, Itali, Hispani, Galli, Germani, Gothi, Moscouitæ, Thraces, & si qui sunt alij, à posteris Iapheth originem traxisse creduntur: licet de nonnullis dubium sit, vtrùm ex vno potiùs, an ex altero prodierint. Nam Græcos quidem à Iauan ortos esse, colligi potest Isaiæ cap. 66. vers. 19. & Ezechiel. cap. 27. vers. 13. & Ioël. cap. 3. vers. 6. quibus in locis pro Iauan, Græciam,

QVID PER INSVLAS GENTIVM INTELLIGENDVM SIT.


Græciam, & pro Iauanim, Græcos, in Vulgata editione legimus, Hispanos verò, vt diximus, à Thubalæis, Gallos à Gomeritis, Italos autem à Thubalæis, vel Elisæis, vel à Cetthim: Germani item, vel ab Ascenez, vt quidam putant, vel à Thogorma. Et fortasse fieri potest, vt aliqui Germanorum populi ab vno, alij ab alio originem duxerint; & similiter aliquę Italorum nationes ab Thubalęis, aliquæ ab Elisæis, aliquę à Cetthim exierint; quemadmodum ex supradictis constat de Græcis, aliquos quidem, puta Aeoles, ab Elisa, alios, nempe Macedones, à Cetthim initium habuisse. Sanè iam
MACEDONES dictum est, Moscouitas à Mosochæis, Thraces à Thiras, & Gothos à Magogæis, deductos perhiberi. Sunt etiam qui Africæ oram, quam dicimus Barbariam, à Thogor-
BARBARI. mæ familia putant fuisse propagatam. Quidquid sit, illud certum est, Græcos etiam in Africam colonias transmisisse, ibique Alexandriam, Alexandri magni temporibus, vrbesque alias ædificasse. Quinetiam, vniuersas pænè Australes Asiæ prouincias, quæ priùs à filiis Sem fuerant inhabitatæ, occupasse; quando scilicet idem Alexander, subacto Regno Persarum, aliisque contritis Regibus, vniuersum pænè Imperium Asiaticum ad Græcos transtulit: cuius rei plenæ sunt Historicorum paginæ. Atque ad hoc fortè spiritu prophetico alludere voluisse videtur Noë, quando dixit: ***Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem.*** Ecce quomodo dilatauit Deus Iapheth, quippe cuius descendentes non modò (vt superiùs ostensum fuit) olim omnes ferè Aquilonares Occidentalesque Asiæ regiones, & Mediterranei maris insulas, & denique Europam vniuersam omnino desertam habitatoribus repleuerunt; verumetiam posteà aliquas item Africæ Aquilonares prouincias, & plurimas Asiæ Australes, ditioni suæ subiugarunt, & denique (vt infrà num. 47. dicemus) ad Americam, & alias Noui orbis regiones penetrarunt. Atque hæc dicta sint de posteritate Iapheth.

24. Veniamus modò ad progeniem Cham, quæ recensetur Genes. cap. 10. vers. 6.
DE POSTERIS CHAM. vsque ad 21. & 1. Paralip. cap. 1. vers. 8. vsque ad 17. Huius tabella ex editione Vulgata hæc est:



Poste-

Posteritas Cham ex textu LXX. Interpretum Genes. cap. 10.



25. Posteri Cham, vt ait Iosephus 1. Antiq. cap. 7. eam terram, quæ est à Syria, & montibus Amano & Libano obtinuerunt, quidquid eius ad mare vergit occupando, & ad Oceanum vsque ditionis terminos proferendo. Regionum autem vocabula partim omnino euanuerunt, partim ita deprauata sunt in diuersum, vt haud facilè agnoscantur. In summa, filij seu posteri Cham partem Syriæ, & pænè totam Arabiam Africamque occuparunt, vt ex his, quæ hic dicemus, apparebit. Et hoc quidem, quemadmodum superiùs num. 18. annotauimus, non est putandum contigisse statim, aut paulò post diuisionem linguarum; tunc enim vix cuncta viciniora loca incolere potuerunt; sed paulatim post multa tandem tempora, proximioribus regionibus incolarum multitudine repletis, ad remotissimas quoque incolendas peruenerunt. Porrò Chus, qui primus omnium filiorum Cham memoratur, Cusitis originem dedit; per quos, quidam Arabes, sed meliùs Æthiopes accipere debemus. siquidem, vt aiunt Iosephus & B. Hieronymus, vsque ad ipsorum tempora, Chus Æthiopia, & Chusæi Æthiopes à se ipsis, & ab Asianis atque Hebræis nominabantur; & in Sacris libris, vbicumque Chus Hebraicè legitur, vel Chusim; Latinus Interpres reddit Æthiopiam, vel Æthiopes. Quare nemini dubium est, Æthiopes à Chus descendisse, quod etiam ipsa nominis significatio manifestat: Chus namque *niger* interpretatur; & Lusitani, vt fertur, vsque hodie, Æthiopes, Chusios vocant. Et quoniam præcipuorum Geographorum auctoritate certum est, duplicem fuisse Æthiopiam; Alteram Orientalem, quæ erat in Arabia, & ab Aegypto Palæstinaque non valdè distabat, in qua olim regnabat Zara ille, qui cum ingenti exercitu, decies centena millia virorum, & curribus trecentis, egressus est contra Asa Regem Iuda, & ab eodem, fauente Deo, cum paucis victus ac profligatus est, vt describitur 2. Paralip. cap. 14. vers. 9. Alteram Occidentalem, quæ in Africa est, & à prænotatis regionibus remotissima; admodum rationabile est credere, progeniem Chus in priori priùs Æthiopia habitasse, eamdemque sic denominasse: siquidem ea non valde admodum distat à terra Sennaar, vbi facta est diuisio linguarum: deinde verò procedentibus temporibus traiecisse mare Rubrum, Africæque regiones incoluisse, ac secundam Æthiopiam, quæ postea vsque nunc nomen retinuit, constituisse.

Posteri Cham quas orbis plagas occupauerint.

Cusitæ, qui et Æthiopes, et Chusii.

Æthiopia duplex.

26. Verùm quia Chus primus Æthiops, siue niger fuisse creditur, saltem post Diluuium (nam antea an fuerint Æthiopes, incertum est) libet hoc loco inquirere, num vniuersa progenies eius nigra fuerit: vel saltem omnes, qui posteà nigri nati sunt, ab ipso

De Æthiopum nigredine et eius causis.

ipso prodierint. Et primum quidem, certum est, probari non posse; cùm potiùs appareat oppositum. constat enim, Nemrod filium Chus habitasse cum prosapia sua in terra Sennaar, hoc est, in Babylonia seu Chaldæa; vbi nusquam legimus incolas fuisse nigros. Quod si verum est, etiam consequitur, illam cutis nigredinem non semper necessariò ex propagatione generari, ita vt niger vir non possit nisi nigrum filium gignere; cùm iam dictum sit, nigredinem Chus non fuisse in omnes eius posteros diffusam. An verò omnes nigri ab ipso Chus originem duxerint, non facile est definire; quoniam videtur esse communis opinio, atrum illum cutis colorem potiùs ex loci ariditate & solis adustione, quàm ex aliqua alia causa produci. communiter namque videmus, in aridissimis calidissimisque terrarum plagis nigros, aut saltem subnigros homines reperiri; contrà verò, in humidioribus frigidioribusque, admodum albos. Sed huic opinioni officere videntur, quæ refert Abraham Ortelius in tabulæ quartæ sui Theatri Commentariolo: nempe, in calidioribus quibusdam locis, sub eodem parallelo, atque adeò sub eadem cæli constitutione, alicubi nasci homines albos, vt in America; alicubi subfusci coloris, vt in Abyssinorum regionibus; alicubi nigerrimos, vt in Asiæ prouincia, quam vocant Malabar, in qua est ciuitas nomine Calecuth, negotiatoribus famosissima. Et præterea in aliquot Africæ prouinciis, & fere in omnibus Americæ regionibus, quantumuis calidis ac siccis, homines esse albos, vel certè non nigros. Constat demum, eos qui incolunt Australes Cretę, Sicilię, Hispaniæq; partes, candidi esse coloris; cùm tamen certum sit, eosdem non minùs ab Æquinoctiali distare in nostro hoc hemisphęrio Arctico, quàm in Antarctico distet ab eodem Æquatore extremum illud Africæ promontorium, quod Caput bonæ spei dicitur; cuius habitatores esse nigerrimos, testantur Lusitani, qui in suis ad Indias Orientales nauigationibus frequenter admodum per illas oras pertransire coguntur.

27. Ex quibus omnibus tria satis probabiliter colligi posse videntur. Primò, solis propinquitatem seu adustionem terræque ariditatem simul concurrentes, esse quidem causas valdè appositas ad conseruandam vel etiam augendam cutis nigredinem, præsertim in facie, aliisque partibus minimè opertis; vt quotidie fieri videmus in rusticis, aliisque, qui æstiuo tempore sub radiis solaribus commorari diutiùs solent: verumtamen non sufficere ad producendos homines naturaliter nigros; alioqui in omnibus calidissimis siccissimisque regionibus nascerentur homines nigri. quod non ita esse, probant superiùs narrata. Vnde certissimum puto, quemadmodum etiam sentit Posseuinus lib. 15. suæ Bibliothecæ selectæ, cap. 19. in corporibus humanis originem nigredinis non propriè à regionum qualitate, sed ex alia causa prouenire; nimirum primariò à stirpe seu generatione & sanguine parentum. Secundò, probabile admodum esse, quòd naturalis humanorum corporum nigredo primò omnium apparuerit, & à natiuitate ingenita sit in ipso Chus; tametsi is in terra Sennaar, vel potiùs in Armenia natus credatur, quæ nimiam solis vstionē non patitur. Et hoc ex diuina dispositione factum credimus, non quidem in pœnam paternæ impietatis & auitæ maledictionis; quandoquidem ex supradictis apparet, ipsum Chus multò antè fuisse genitum, quàm pater eius Cham, in præmium suæ impietatis, Noëticam maledictionem in filio Chanaan accepisset; sed aliqua alia de causa, soli Deo cognita. Quòd si propinquiores causas nigredinis Chus indagari velimus, dicere possumus, id contingere potuisse vel ex vehementi quadam & fixa matris imaginatione cuiusdam rei nigerrimæ, in ipso conceptionis tempore occasionaliter excitata, ad similitudinem eius, quod in gregibus Iacob accidisse legimus Genes. cap. 30. vers. 37. vel ex repentino quodam ac vehementissimo appetitu materno rei nigerrimæ, quem adimplere non valuit, quando ipsum Chus gestabat in vtero; vt videmus contingere in mulieribus, quæ maculosos fetus pariunt, quodammodò exprimentes in ipsa macula colorem rei concupitæ. Nam si leuior causa maculam in aliqua cutis parte, verbi gratia nigram atque indelebilem efficere potest, quemadmodum ipsa docet experientia: vtique videtur huiuscemodi vehementissima causa, tamquam multò magis humores commouere atq; alterare valens, totam prolis cutem eodem colore quodammodò naturaliter inficere potuisse. Neque inconuenit, quòd procedentibus posteà temporibus, ex Chus nigro, & vxore eius alba, procreati sint filij, alij nigri, alij albi, quidam verò subfusci: quandoquidem videmus filios aliquando magis assimilari patri, aliquando matri, & interdum veluti ex æquo, vtrique. Tertiò demum credibile esse, quòd de filiis Chus, qui erant nigri aut subfusci, posteà plures delegerint sibi ad habitandum regiones valdè calidas & siccas, tamquam ipsorum naturæ magis accommodatas; & quandocumque (vt aliis quoque nationibus sæpius

CHVS CVR NIGER NATVS.

piùs contigisse certissimum est) de propriis sedibus pulsi sunt, ad alias non valdè dissimilis temperamenti commigrarint. Atque hinc factum esse, vt tametsi omnes Æthiopes à Chus originem traxisse credantur; non tamen in eadem orbis plaga, sed in diuersis hodie reperiantur, calidis nimirum & siccis. Vtrùm autem quod diximus accidisse ipsi Chus, posteà vnquam alicui alteri contigerit, vt scilicet ex vtroque parente albo niger aliquis sit genitus, neque negare, neque affirmare audemus. nam licet quòd semel accidit, aliàs etiam, ni Deus prohibeat, accidere posse videatur; verumtamen, quòd id de facto acciderit, incompertum habemus. Si verò id aliàs contigisset, certum esset, quòd non omnes Aethiopes de posteritate Chus descendisse, posset affirmari. Sed iam ad filios ipsius Chus deueniamus.

28. Saba primus inter filios Chus recensitus, & alter Saba, qui Hebraicè potiùs SABAEI.
Schaba dicitur, filius Regma, filij Chus, nomen originemque dedere Sabæis, Gentibus, propter thus quod inde vbique deferri solet, communiter admodum notis. Hi inter sinum Persicum & Arabicum, quem Mare rubrum vocant, hoc est, Arabiam incoluerunt. Quamquam Schabæi siue Stabæi, qui ex Schaba filio Regma descenderunt, STABAEI.
magis ad Orientem, & prope sinum Persicum; Sabæi verò, qui ex Saba filio Chus, magis ad Occidentem, & ad Mare rubrum seu Arabicum inhabitasse credantur. De Sabæorum diuitiis & odoribus, vide Pomponium Melam lib. 3. cap. 8. & Strabonem libro 16. quamuis id quoque satis coniici possit ex auro, aromatibus, ac gemmis pretiosissimis, quas attulit Regina Saba Regi Salomoni, vt habetur 3. Reg. cap. 10. vers. 10. & 2. Paralipom. cap. 9. vers. 9. Heuila alter filius Chus, Heuilæos protulit. quos in con- HEVILAEI.
finio Ismaëlitarum & Amalecitarum priùs habitasse colligimus Genes. cap. 25. vers. 18. vbi dicitur, Ismaëlitas habitasse ab Heuila vsque Sur. & 1. Reg. cap. 15. vers. 7. Saulem percussisse Amalecitas, ab Heuila, donec venias ad Sur. Oportet autem de Heuilæis posteà plurimos transisse in Getuliam, quæ erat Africæ interioris regio, eremo cohærens, si verum est quod aiunt Iosephus & B. Hieronymus, nimirum, Heuilæos esse Ge- GETVLI.
tulos. De Sabatha tertio filio Chus, exisse aiunt Sabathæos; quos putant in Arabia fe- SABATHAEI
lici primùm insedisse: siquidem illius regionis Metropolis, Ptolemæo teste Geographiæ lib. 6. cap. 7. Sabatha dicta est. Deinde transisse creduntur in Africam, ac prope Meroën clarissimam Nili insulam inhabitasse, propterea que à Iosepho & B. Hieronymo dici Astabaros. Regma quoque quartus filius Chus, Regmæos genuit, qui pariter ASTABARI.
in Arabia felici habitasse censentur, cum Sabathęis & Sabæis: cuius rei signum est, quòd REGMAEI.
Ezechiel. cap. 27. vers. 22. inter negotiatores Tyri afferentes aromata, lapides pretiosos, & aurum, iunguntur Saba & Reema, id est, Sabæi & Regmæi. Quidā putant Regmæos posteà eam regionem incoluisse, quæ Carmania dicta est. Sanè de Dadan, altero filio DADANAEI
Regmæ, (nam de primo nomine Saba seu Schaba, initio huius numeri iam dictum est) aiunt descendisse Dadanæos, quos fuisse finitimos Idumęis, coniici potest ex Ierem. capite 49. vers. 8. & Ezech. cap. 25. vers. 13. vbi prophetantes contra Idumæam, videntur eamdem cladem communem facere Dedanæis. & Ezechiel. cap. 27. vers. 15. filij Dedan appellantur negotiatores Tyri, & inter alias nationes non longè à Tyro distantes collocari videntur. Quare quidam putarunt, eos fuisse primos cultores illius Syriæ regionis, quam Ptolemæus lib. 5. suæ Geographiæ cap. 15. Palmirinam vocat. Iosephus & B. Hieronymus Dadanæos dicunt esse Aethiopes Occidentales: quod vt verum sit, oportet ipsos posterioribus temporibus de Asia, traiecto mari Rubro, transisse in Africam, atque ad Occidentalem peruenisse Æthiopiam. Qui autem fuerint Sabatachæi, SABATA-
ex Sabatacha quinto filio Chus progeniti, & vbi habitauerint, incertum est: quoniam, CHAEI.
vt ait B. Hieronymus, Regma & Sabatacha paulatim antiqua vocabula perdidere, & quæ nunc pro veteribus habeant, ignoratur.

29. Ceterùm de Nemrod sexto filio Chus, & Chami nepote, Scriptura sacra seor- DE NEM-
sum loquitur, vt ait sanctus Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 3. vel quia post prænomi- ROD.
natos filios ac nepotes ipsius Chus genitus fuerit, aut (quod credibilius est) propter eius eminentiam supra ceteros. Nam & de ipso dicitur: *Ipse cœpit esse potens in terra.* & post pauca: *Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar,* Genes. cap. 10. vers. 10. Ex quibus verbis tria videntur posse colligi, ad historiam nostram pertinentia. Primum est, annos regni Nemrod numerari debere ab ædificatione Babylonis iam aliquatenus expedita, nimirum post diuisionem linguarum, ac discessioné Gentium in varias terræ regiones: tunc enim cessauerunt ædificare ciuitatem, inquit Scriptura Genes. cap. 11. vers. 8. Quare oportet ipsum Nemrod tunc aut paulò pòst regnare cœpisse in Babylone. Alterum est, Scripturam sacram, cùm dicit, Baby-

Babylon & alias memoratas vrbes terræ Sennaar fuisse principium regni eius; tacitè indicare, ipsum posteà etiam regnasse super plures alias vrbes. Tertium est, Scripturam sacram, cùm de nullius alio regno antè meminerit, quodammodò insinuare, ipsum Nemrod fuisse primum qui regnare cœperit. Quamuis non sit absolutè accipiendum, Nemrod fuisse primum Regem, ita vt ante ipsum nullus fuerit Rex in hoc mundo; nimirum accipiendo nomen Regis, vt solet sæpius Scriptura illud vsurpare, pro principe, seu præside, aut primario rectore ciuitatis aut prouinciæ. Nam vsque ab initio mundi, id est, ex quo cœperunt ædificari ciuitates, necesse est in eis fuisse Reges: quia sicuti ciuitas non potest diu stare sine lege; ita nec lex potest ciuitatem conseruare sine rectore & moderatore, vt nos latiùs sub anno mundi 233. num. 2. explicauimus. Et eodem modo post Diluuium, credibile est, singulos illos Principes, qui fuerunt veluti capita variarum nationum & linguarum, regnasse in vrbibus à se conditis, eodem tempore quo regnabat in terra Sennaar ipse Nemrod. Verùm si loquamur de Rege, non quasi de naturali Principe, sed vt etiam communiter accipitur, pro tyranno, qui per vim occupando alienas vrbes, nil aliud curat, nisi per fas nefásve suum augere imperium: proculdubiò dicere possumus, Nemrod fuisse primum, qui sic regnauerit in hoc mundo, saltem post Diluuium. Ipse enim cùm esset potens, cœpit potentiam suam in subiiciendis sibi populis, etiam ad se nihil pertinentibus, exercere. Et primò quidem dominium arripuit super eos, qui secum in terra Sennaar remanserant; nimirum in Babylone, & in aliis tribus ciuitatibus paulò antè commemoratis, Arach, Achad, & Chalanne, pro quibus interpretatur B. Hieronymus Edessam, Nisibim, & Seleuciá, vel certè Ctesiphontem: deinde his non contentus, finitimas nationes inuasit ac subegit: postremò etiam remotiores populos, puta Persas, & fortè item Assyrios; ita vt non solùm super plurimas vrbes, sed super varias quoque prouincias ac linguas, ipse magnus Rex seu Tyrannus euaserit. Rectè igitur (inquit S. Isidorus lib. 7. Etymologiarum) appellatus est Nemrod, quod interpretatur *tyrannus*; quia prior omnium ipse insuetam arripuit in populis tyrannidem: & hoc idem priùs etiam asseruerat B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim. Oportet itaque ipsum Nemrod non solùm fuisse robustum viribus, sed etiam ingenio audacem, ac dominandi cupidissimum; & consequenter, vt esse solent huiusmodi homines, virum crudelissimum, sanguinarium, impium, atque rapacem. Hinc est, quòd posteà ipsius imitatores, qui omnia diuina humanaque iura peruertere ac violare non verentur regnandi gratia, ex illius nomine, Tyranni, non Reges nuncupari cœperunt. Quòd insuper Nemrod fuerit idololatra, & gentes sibi subditas ad idololatriam, ne à se deficerent, adegerit, affirmat Hugo de sancto Victore in suis Annotationibus in Genes. vbi ait: *Nemrod mole corporis & viribus alios superans, dominium cepit exercere per violentiam, & induxit homines ad idololatriam, vt ignem, ac solem qui igneus est, quasi Deum colerent. quem errorem posteà Chaldæi secuti sunt. Itaque Deo & homini iniuriam fecit; Deo, quia ei debitum cultum ademit; homini verò, quia eum dominio iniusto oppressit, & in errorem decipiendo induxit.* Isidorus item lib. 14. Etymologiarum scribit, eumdem Nemrod abiisse in Persidem, ibiq; Persas ignem colere docuisse: *nam omnes*, inquit, *in illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua El dicitur.* Ex quibus omnibus dignosci potest, quàm procul à veritate aberrauerint, Annius & eius asseclæ, dicentes, Nemrod magis studuisse paci religioníque decorum, quàm opulentiæ; ideoque translatum à diis, subitò non comparuisse.

Nemrod primus tyrannice regnavit.

Et fuit idololatra.

5 30. Quæri hoc loco potest, num iste Nemrod sit ille primus Rex, quem Belum, seu Bel, Ethnici appellarunt; an quem Gentilitas vocat Ninum, vel fuerit diuersus ab istis. Certè Berosus ille ab Annio confictus, tradit Nemrod fuisse illum, quem Saturnum profani dixere Scriptores; eumdemque extitisse patrem Beli, auumque Nini. At Gerardus Mercator in sua Chronologia affirmat, Nemrod fuisse Ninum, refellitque prædictam Berosi Anniani sententiam, dicens, eam nullo modo posse subsistere. Sed si Nemrod idem fuit cum Nino, ergo non regnauit primus in Babylone: siquidem etiam ipse Mercator admittit, Ninum regnasse post Belum. Quomodo igitur verum erit quod de Nemrod dicitur Genes. cap. 10. vers. 8. *Ipse cœpit esse potens in terra.* & vers. 10. *Fuit autem principium regni eius Babylon?* Meritò itaque dictam Mercatoris opinionem, tamque singularem, & omnibus ferè primariis Scriptoribus, immò & Scripturæ sacræ contrariam, reiicit Pererius lib. 15. Commentariorum suorum in Genes. num. 64. eiusque argumenta optimè dissoluit. Nam ad id quod ait Mercator, ea quæ de Nemrod Ecclesiastici scribunt Auctores & Iosephus, nimirum quòd fuerit vir valdè bellicosus & impius, & primus qui per vim regnare cœperit, & vrbes expugnare ac sibi subditas facere,

Nemrod num idem qui et Bel sive Belus

& huiusmodi alia, conuenire prorsus cum his, quæ de Nino habentur in Gentilium historiis: responderi potest, hæc multò magis congruere cum his quæ de Belo iidem Auctores prodiderunt, vt idem Auctor numero loci citati 67. accuratè ostendit. & paulò antè, videlicet num. 61. eamdem sententiam Mercarori contrariam comprobat auctoritate B. Hieronymi super cap. 2. Oseæ, & Eusebij in Chronico, & B. Augustini lib. 16. de Ciuit. cap. 17. quorum duo posteriores apertè asserunt, Belum fuisse primum Regem Assyriorum in Babylone. Et hoc idem repetit S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. sub finem cap. 2. & in eodem libro dinumerat Reges Assyriorum, non à Nino, vt facit Eusebius, sed à Belo Nini patre, & primo ipsorum Rege, vt dictum est; quemadmodum manifestè colligi potest ex collatione eorum, quæ de dictis Regibus scribit ipse S. Augustinus libro citato cap. 2. 3. 4. 7. 8. 11. & 19. cum his, quæ de eisdem Regibus tradit Eusebius in Chronicis. Quem enim iste facit, verbi gratia quartum, vel sextum, vel octauum, ille dicit fuisse quintum, vel septimum, vel nonum, & sic de alijs. His adde quòd idem Eusebius lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. non procul ab initio, refert ex Alexandro Historico, & Eupolemo, primùm Babylonius Belum regnasse, & sub finem eiusdem capitis refert ex Abydeno, Babylonem à Belo fuisse conditam. ergo idem fuit Belus cum Nemrod, quem Scriptura sacra primò omnium regnasse in Babylone testatur; & quem nos suprà num. 5. probauimus fuisse primarium auctorem dictæ ciuitatis ædificandæ. Cùm igitur in hac veritate tum sacri tum Ecclesiastici, tum etiam profani antiquissimique Scriptores conuenire videantur: libenter nos quoque eamdem sequi amplectique debemus sententiam; præsertim quia si verum est quod ait Berosus Annianus, videlicet, Nemrod eumdem fuisse cum eo, quem profani Saturnum appellarunt: certè de Belo idem nos quoque sub anno mundi 1997. num. 2. probabimus. Vnde fit consequens, Nemrod à Belo non fuisse diuersum. Cur autem Nemrod à Gentilibus dictus sit Bel, non penitus exploratum videtur. Nam etsi non sit improbabile, vt quidam putarunt, ipsum fuisse binominem, ac primò quidem quando natus est, vocatum fuisse Bel; posteà verò, ex quo factus vir cœpit exercere tyrannidem, dici cœpisse Nemrod: attamen mihi probabilius videtur, ei primò nomen Nemrod à proprio patre fuisse impositum, qui prophetiæ dono (quod interdum etiam malis concessum constat) futura prospiciens, nominauerit filium suum Nemrod, eò quòd tunc præuidisset, ab eo tyrannidem in mundo esse introducendam; quemadmodum de quibusdam alijs huiusmodi priscorum patrum prædictionibus non semel dictum est. Vnde ergo nomen Bel? An à suæ linguæ gentibus id ei posteà inditum fuit, quòd apud Syros, Hebræos, & reliquos Orientales, Bel, dominum sonet? An ideò primum eius nomen, Nemrod, apud Hebræos tantùm; Belis autem vocabulum in vniuersa etiam Gentilitate deinceps diffusum est? An ipse deinde vrbem à se primò conditam, vocari voluit ex proprio nomine Babel? An inde postmodum vrbes ab earum conditoribus denominandi consuetudo inualuit? Certè Ninus, qui ei immediatè successit, aliam vrbem à se ædificatam, Ninum siue Niniuen appellauit. Et post multa tempora Alexander Alexandriam, Seleucus Seleuciam, Antiochus Antiochiam, & alij permulti. Sed quidquid sit de ipsius Nemrod nominibus; constat, vt suprà num. 28. diximus, annos regni eius, ab ædificata Babylone seu à diuisione linguarum esse auspicandos: hæc enim duo eodem circiter tempore accidisse, ex sacra Genesi satis apertè colligi potest. Quare nos quoque infrà, sub anno mundi proximo, & item in tabulis, ab anno qui diuisionem linguarum immediatè sequitur, & est à Diluuio ducentesimus septuagesimus sextus, annos regni Nemrod siue Belis dinumerare incipiemus.

NEMROD CUR A GENTILIBUS BEL SIVE BELUS DICATUR.

31. Prosequamur nunc dicere aliquid de ceteris filijs ac nepotibus posterisve Cham, & primò de Mesraim, qui secundo loco inter filios eius numeratur. Ab hoc clarum est omnium consensu, prodiisse Ægyptios: nam vsque nunc, Arabes & Turcæ Aegyptum appellant Masra. Ex quo patet, eos nullo vero ac solido niti fundamento, immò etiam sacræ Scripturæ aduersari, qui Aegyptiorum Dynastias, aut cum ipso ferè mundi exordio incœpisse, aut non multò post Diluuium inchoasse, perperàm contendunt: siquidem ex Sacro eloquio certissimum est, non diuisas esse Gentes, neque de finibus Chaldææ esse egressas; nisi post diuisionem linguarum, quæ ducentis septuaginta sex annis à Diluuio facta est. Neque probabile est, tunc statim primam cœpisse Dynastiam, nisi primum ipsorum Dynastiam ipsum Mesraim cõstituere velimus; quod ipsi non faciunt. De Mesraim B. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 3. secutus textum LXX. Interpretum, dicit commemorari quos genuit, non tamquam singuli homines, sed nationes septem; & de sexta, veluti de sexto filio, gentem commemorari exisse,

AEGYPTII.

PHILISTHIIM SEV PALÆSTINI. CAPHTORIM. LVDIM. TROGLODYTAE. LIBYES. NVMIDAE. PETRAEA. SARACENI.

quæ appellatur Philisthiim; vnde fiunt octo. Verùm in textu Vulgato sex tantùm commemorantur, & de sexta duæ aliæ prodiisse dicuntur, nempe Philisthiim & Caphtorim, ex quibus octo nationibus, (exceptis Laabim, quæ sola natio, colonis in Libyam ductis, regionem à se denominauit; & Philisthiim, quos corruptè nos Palæstinos vocamus) ceteras sex Gentes, præter nomina, ignotas nobis esse, eo quòd ab Aethiopibus omnino subuersæ fuerint, tradunt Iosephus & B. Hieronymus. De tribus autem, nimirum de Ludim, Philisthiim, & Caphtorim, non semel mentio reperitur in Sacris libris, vt infrà suis locis dicetur: & nihilominùs non desunt, qui de aliis quoque quinque filiis Mesraim, alias quoque nationes produsse perhibent; nimirum, de Anamim populos illos, qui Troglodyticam incoluere regionem: de Laabim, vt dictum est, Libyes, & Libyam Africæ prouinciam. Fuisse autem Troglodytarum Libyæque regiones ab Aegypto non valdè distantes, colligitur 2. Paralip. cap. 12. vers. 3. vbi dicitur, Sesac Rex Aegypti, in suo exercitu quem duxit contra Roboam Regem Iuda, habuisse Libyes & Troglodytas. De Nephthuim primos Numidiæ incolas, quorum meminit Virgilius Aeneidos lib. 4. *Et Numidæ infreni cingunt*, &c. de Phetrusiim, habitatores regionis Petrææ in Arabia, cuius metropolis Petra dicta est: de Chasluim, eos qui posteà Saraceni sunt nuncupati. Sed vndenam hæc desumpserint, præter id quod de Laabim ex Iosepho sumptum est, incompertum habeo. Certe Scriptura sacra Genes. cap. 10. vers. 14. de Chasluim, non Saracenos, sed Philisthiim & Caphtorim egressos esse testatur, quod successiuè debet intelligi, ita vt priùs de Chasluim exierint Caphtorim; posteà de Caphtorim, Philisthæi, vt infrà num. 32. probabimus. Priùs autem loco Genesis proximo adducto ponuntur Philisthiim, tamquam magis noti Iudæis, quibus potissimùm hæc historia scribebatur; vel etiam, quia temporibus Moysi, Caphtorim iam fortè defecerant.

LVDI AFRICANI. LVDI ASIANI.

32. Vt autem de reliquis quoque tribus nationibus aliquid hoc loco attingamus, dicimus de Ludim exisse Lydos, quorum regio Lydia dicta est, si sacræ Scripturæ Interpretibus credimus, qui Ludim vertunt Lydos. Porrò hos fuisse Aegyptiis finitimos, colligi potest Ierem. cap. 46. vers. 9. vbi vaticinans Propheta aduersus exercitum Nechao Regis Aegypti, commemorat inter milites eius, Aethiopes, Libyes, & Lydos. & Ezechiel cap. 30. vers. 4. cladem quam prædicit Aegyptiis, etiam Lydis tamquam fœderatis communem facit, dicens: *Cùm ceciderint vulnerati in Aegypto, & ablata fuerit multitudo illius, & destructa fundamenta eius, Aethiopia, & Libya, & Lydi, & omne reliquum vulgus, & Chub, & filij terræ fœderis, cum eis gladio cadent*. Ex quo patet, hos Lydos fuisse Africanos, & prædictis aliis Africæ populis proximos, & consequenter valdè diuersos ab his Lydis, qui Asiam minorem incolebant, & ab vno de filiis Sem nomine Lud descendisse putantur; vt infrà suo loco dicetur. Quod attinet ad Caphtorim, sciendum est, quòd Latinus Interpres pro *Caphtorim* reddit *Cappadoces*, & pro *Caphtor*, *Cappadociam*, quam non debemus credere esse illam, cuius meminit S. Petrus initio suæ primæ Epistolæ, scribens electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, &c. sed aliam Palæstinæ viciniorem, illam nimirum insulam Cappadociæ, de qua loquitur Ieremias cap. 47. vers. 4. vbi vocat Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ. Clarum est autem, eam de qua meminit sanctus Petrus, non esse insulam, sed Asiæ minoris prouinciam, non longè ab aliis ibidem dinumeratis. Simile quid legimus 4. Reg. cap. 16. vers. 9. *Ascendit enim Rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenen*. vbi per *Cyrenen* non illam intelligit, ex cuius nomine prouincia Cyrenaica est appellata, quæ est in Africa iuxta Libyam, vt patet Actorum cap. 2. vers. 10. vbi dicitur: *Et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen*. siquidem tunc Reges Assyriorum non dominabantur Africæ; sed intelligit aliam Cyrenen, quæ erat in Media, & subiecta Regi Assyriorum.

DE INSVLA CAPPADOCIAE.

Ceterùm, quænam fuerit insula Cappadociæ, cuius meminit Ieremias, adhuc incompertum habeo. nisi fortè (quoniam oportet eam fuisse Palæstinæ proximam, & nulla alia ibi à Chronographis ponitur) libeat coniectari, fuisse illam, in qua posterioribus deinde temporibus noua Tyrus extructa est; nimirum post eiectos inde, aut vltrò alibi commigratos, qui Caphtorim siue Cappadoces dicebantur.. Quòd enim olim Tyrus, non vt postmodum, pæninsula, sed vere insula fuerit, à continenti distans ad stadia quattuor, testatur Diodorus lib. 17. sub anno regni Alexandri Magni quarto; vbi ait, quòd idem Alexander, vt nouam Tyrum expugnaret, veterem in littore positam diruit; & ex eius lapidibus ac terra, aggerem ducentùm latum pedes, vsque ad insulam perduxit; atque ita exinde Tyrus pæninsula facta est. Sed quidquid de hoc sit, illud omnino certum est, quòd prædicti

Caph-

Caphtorim siue Cappadoces, quos de Chasluim exisse diximus, olim expulerunt Heuæos, qui habitabant in Haserim vsque Gazan, vt clarè habemus Deuter. cap. 2. vers. 23. & B. Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis, agens de Gaza vrbe Philisthinorum, ait: *Gaza olim ciuitas Heuæorum, in qua habitauere Cappadoces, pristinis cultoribus interfectis.* Quod certè fieri potuit, quando, vt diximus, ipsi Cappadoces de prædicta insula, tamquam pro ipsorum habitatione nimis angusta, discesserunt. Et hoc oportet olim valdè accidisse: nam Abrahæ Moysisq; temporibus, prædicta terra iam ad Philisthæos erat deuoluta, vt inferiùs apparebit. Quare perspicuum fit, quod suprà num. 30. dicebamus, scilicet de Chasluim exisse Caphtorim, & posteà de Caphtorim Philisthæos; ita vt fortè iidem fuerint Caphtorim & Philisthæi, sicuti Israëlitæ & Iudæi, quos certum est ex eadem stirpe produsse.

33. Sanè, vt de ipsis quoque Philisthæis hìc aliquid dicamus, scire oportet, eos priùs Philisthiim, deinde Philisthæos, posteà corrupto vocabulo Palæstinos fuisse appellatos: vnde Palæstina prouincia nomen accepit. Quamquam autem posterioribus temporibus, Palæstinæ vocabulum significare consueuerit totam terram Chanaan, seu Chananæam olim dictam, quæ nunc Terra sancta appellatur: antiquitus tamen quamdam tantummodò ipsius partem complectebatur, quam paulò post propriis terminis circumscribemus. Porrò Philisthiim exisse de Caphtor, seu de prædicta Cappadociæ insula (quæcumque illa fuerit) manifestum est, non solùm ex citato Ieremiæ textu, vbi apertè dicit, Palæstinos esse reliquias insulæ Cappadociæ; verùm etiam ex Prophetiæ Amos cap. 9. vers. 7. vbi legimus: *Numquid non Israël ascendere feci de terra Aegypti, & Palæstinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* Habitabant autem Palæstini non solum illam terram, quam diximus à Caphtorim antiquitus ablatam fuisse Heuæis; sed etiam totum illum maritimum Chananææ tractum, qui extenditur à fluuio Ægypti vsque ad terminos Accaron contra Aquilonem, vt dicitur Iosue cap. 13. vers. 3. & habet ab Occasu mare Mediterraneum; ab Oriente verò & Aquilone, reliquos Chananæorum populos; & à Meridie, memoratum fluuium, qui aliquando appellatur fluuius Ægypti, eò quòd secernere Ægyptum à terra Chanaan: aliquando dicitur fluuius turbidus, qui irrigat Ægyptum, vt loco Iosue proximè adducto. Aliter item nuncupatur iste fluuius Rinocolura, quemadmodum etiam vicina regio, quæ ad Ægyptum pertinebat, & dicebatur Regio Rinocolurarum, vt tradit S. Epiphanius in suo Ancorato, & idem videtur sensisse Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 24. in fine, vbi exponens illa verba Genes. cap. 15. vers. 18. *A fluuio Aegypti,* &c. ait: *Non ergo à flumine magno Aegypti, hoc est, Nilo; sed à paruo, quod diuidit inter Aegyptum & Palæstinam, vbi est ciuitas Rinocolura.* sic ille. De hoc etiam fluuio putant aliqui mentionem fieri Genes. cap. 26. vers. 17. sub nomine torrentis Geraræ, eò quòd esset vicinus vrbi seu regioni Geraræ, vbi Abraham & deinde etiam Isaac, foderunt puteos, quos Philisthiim inuidia stimulati obstruxerant, & pro eis iurgati sunt cum pastoribus Isaac; & demum composita pace ibidem positum est loco illi nomen Bersabee; in quo posteà loco vrbs eiusdem nominis ædicata fuit, quæ erat vltima terræ Chanaan versus Ægyptum. siquidem 3. Reg. cap. 4. vers. 25. termini longitudinis terræ Israël ab Aquilone ad Meridiem, dicuntur fuisse Dan vsque Bersabee. Sed quòd inter se differant torrens Ægypti à torrente Gerar, colligi poterit ex his, quæ nos sub anno mundi 2118. n. 14. dicemus. Erat autem prædicta Palæstinorum regio in quinque prouincias distincta, vt loco Iosue citato describitur; quarum prouinciarum capita, & veluti Metropoles, erant, Gaza, cuius populi Gazæi dicebantur: Ascalon, vnde Ascalonitæ: Geth, ex qua Gethæi: Accaron & Azotus, ex quibus Accaronitæ & Azotij: quo factum est, vt in restitutione Arcæ, post septem menses ex quo manserat in regione Philisthinorum, propter plagas maximas quas illi populi perpessi erant, de consilio suorum sacerdotum exoluerunt Domino quinque anos aureos, & quinque mures aureos, iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum; quia plaga vna fuerat omnibus ipsis, & Satrapis suis, vt latè describitur 1. Reg. cap. 6. Sanè isti quinque populi Philisthinorum, licet numquam plenè subiecti fuerint filiis Israël, nisi temporibus Dauidis; priùs tamen etiam temporibus Iosue quodammodò subacti fuerant, & iam terra ipsorum obtigerat tribui Iudæ, vt colligi potest Iosue cap. 15. vers. 45. non quia Philisthiim essent de stirpe Chanaan (diximus enim eos descendisse de Mesraim) sed quia, vt dictum est, ipsi Philisthiim habitabant terram, quæ aliàs fuerat Heuæorum, qui erant Chananæi, & quorum terra promissa & assignata fuerat à Domino filiis Israël in possessionem.

PHILISTHIIM SIVE PHILISTHAEI, QVI ET PALAESTINI.

PALAESTINORVM TERMINI.

DE FLVVIO AEGYPTI.

DE PALAESTINORVM REGIONE IN QVINQVE PROVINCIAS DISTINCTA. GAZAEI. ASCALONITAE. GETHAEI. ACCARONITAE. AZOTII. PHILISTHINORVM TERRA CVR DATA ISRAELI.

34. Transeamus ad alios filios Cham. Post Mesraim sequitur Phuth, de cuius posteritate

BEPHUTHIIS SEV PHVTHAEI SVEL PHVTENII SVS. steritate, nulla fit mentio Genes. cap. 10. non quia nullos habuerit successores, neque quia eius progenies fortè obscurior fuerit, aut citò finem habuerit; vt quidam suspicati sunt: quandoquidem iam dictum est, omnes ibidem recensitos numerosas admodum habuisse familias, quæ nomen gentium meruerunt; & ipsos tantùm, tamquam ipsarum principes, fuisse commemoratos. Et credibile est, ipsum Phuth cum vniuersa familia sua primò partem illius prouinciæ, quæ postmodum Libya dicta est, incoluisse; deinde etiam Occidentem versus aliam, quæ nunc Mauritania, appellatur: nam Ierem. cap. 46. vers. 9. & Ezechiel. cap. 27. vers. 10. & cap. 30. vers. 5. vbi Hebraicè habetur Phuth, Latinus Interpres vertit Libyam seu Libyes, & Iosephus ac B. Hieronymus aiunt, ipsum Phuth Libyæ dedisse colonos, & Libyes prius Phuthos, seu Phuthæos fuisse appellatos; mutatum autem posteà fuisse illi regioni nomen, ab vno filiorum Mesraim, qui vocabatur Libs: vnde vocabulum Libyæ mox deductum fuit, quo quandoque tota quæ nunc Africa dicitur, nuncupabatur, sed deinde mutato vniuersali magnæ illius regionis nomine in Africam, antiquum Libyæ vocabulum in vna tantùm climatis parte resedit. Addunt prætereà citati Auctores, quòd etiam in Mauritania vsque ad ipsorum tempora extabat flumen nomine Phuth, & tota illa regio Phutensis dicebatur, idque multorum tum Græcorum tum Latinorum Scriptorum testimonio comprobant. Ex quo fit consequens, progeniem Phuth neque obscuriorem fuisse, nec citò defiisse. Quare ratio, cur nullus de posteris Phuth in prædicto cap. Genes. 10. fuerit commemoratus, est, quia tota eius progenies vnam tantùm linguam constituit, cuius caput fuit ipse Phuth: non autem plures, sicut aliæ ceterorum filiorum Cham.

MAVRITANIA. LIBYA. CVR DE POSTERIS PHVTH NEMO NOMINATVS.

35. Quarto ac postremo loco inter filios Cham ponitur Chanaan, cui ob paternam impietatem maledixit Noë, & seruiturem, qua eius posteri à filiis Sem & Iapheth premi debebant, longè antè prædixit. Iste Chanaan plures filios habuit, quorum præcipui, numero vndecim, Genes. cap. 10. vers. 15. & 1. Paralip. cap. 1 vers. 13. & alibi sæpiùs in sacris Scripturis nominantur; qui singuli singularum gentium ac linguarum principes fuerunt: nempe Sidon, Hethæus, Iebusæus, Amorrhæus, Gergesæus, Heuæus, Aracæus, Sinæus, Aradius, Samaræus, & Amathæus. Per hos (inquit Scriptura) disseminati sunt populi Chananæorum; quod contigisse oportet posteaquam illam Chananæorum regionem, quæ in diuisione Orbis à Noë olim facta filiis Sem obtigerat, auarus Chanaan iam occupauerat, si vera est S. Epiphanij opinio, & antiqua illa Syrorum traditio, cuius mentionem fecimus sub anno mundi 930. num. 4. & an. 1909. num. 2. Porrò ex Sidone primogenito ipsius Chanaan, originem duxerunt Sidonij populi in Phœnicia, & Sidon vrbs maritima, & valdè celebris, non solùm apud Ethnicos Scriptores, sed etiam in Sacris libris, præsertim Iosue cap. 11. vers. 8. & cap. 19. vers. 28. vbi appellatur magna, fortassis respectu omnium aliarum quæ in dictis capitibus memorantur. In eodem tractu maritimo, Palæstinam versus, erat quoque Tyrus vrbs munitissima & inclyta, quæ etiam ab ipsis Sidoniis prodiisse credi potest, si ad litteram accipiamus illud Isaiæ cap. 23. vers. 12. vbi vocat Tyrum filiam Sidonis. Ex hisce populis, nimirum Tyriis ac Sidoniis, qui numquam à filiis Israël subiugari potuerunt, exiit mulier illa, cuius filiam à dæmonio vexatam liberauit Christus, quando secessit in partes Tyri & Sidonis, vt legimus capite 15. versic. 22. & idcircò eam Matthæus vocat Chananæam, quia erat de stirpe Chanaan per lineam Sidonis Marcus verò cap. 7. vers. 16. dicit, eam fuisse Syrophœnissam genere, quoniam illa meregio posteà à Græcis Phœnicia, & ob Syriæ viciniam, Syrophœnicia dicta est.

DE CHANANAEIS. SIDONII. TYRII.

36. Ex Hethæo, qui secundum locum tenet inter filios Chanaan, Hethæi populi prodierunt, qui in terra Chanaan ad Austrum habitabant, vbi erant Hebron & Bersabee, & aliæ finitimæ ciuitates, non longè à Philisthæis. Nam quòd Bersabee esset in confinio Geraræ, quæ fuit terra Philisthinorum, colligitur Genes. cap. 26. vbi describitur historia Isaac, qui premente fame perrexit ad Abimelech Regem Philisthinorum in Geraris, & paulò pòst, ob dissidium puteorum causa cum Palæstinis, profectus est in Bersabee, quò veniens Abimelech, inierunt fœdus; & non mult pòst, Esau duxit duas vxores Hethæas, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ, de quibus etiam in fine capitis sequentis dixit Rebecca ad Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere*. Ex quibus locis apparet, quòd vrbs Bersabee erat in terra Hethæorum. Quòd Hebron quoque, vbi mortua & sepulta est Rebecca, esset in medio filiorum Heth, patet legentibus totum caput 23. Genes. vbi describitur alia historia agri & speluncæ duplicis, quam emit Abraham

HETHAEI.

ham ab Ephron Hethæo, præſentibus filiis Heth. Porrò Hebron olim dicebatur ciuitas Arbee, vt in citati capitis initio; ſiue Cariath Arbæ, Iudicum cap. 1. verſ. 10. id eſt, ciuitas Arbæ. fuit autem Arbe pater Enach, Ioſue cap. 15. verſ. 14. de cuius ſtirpe erant gigantes habitantes in Hebron, quorum nomina commemorantur Numer. c. 13. verſ. 23. & eorum monſtroſa ſtatura deſcribitur in fine eiuſdem capitis. Notatur quoque in eodem capite, quòd Hebron ſeptem annis ante Tanim Ægypti vrbem condita fuerat; vnde patet, ipſam fuiſſe antiquiſſimam, & Hethæos viros valdè admodum fortes & bellicoſos extitiſſe; vt proptereà mirum non ſit, ſi de his ſuperandis maximè diffidebant Iſraëlitæ, audientes ab exploratoribus eorum proceritatem & vires. Sed & temporibus Ioram filij Achab Regis Iſraël, adeò tremendum erat nomen Hethæorum apud Syros, in quorum confinio tunc fortè, iampridem de terra Chanaan eiecti, habitabant, vt iidem Syri Samariam obſidentes, quadam die veriti ne Rex Iſraël conduceret contra ſe Hethæos, ſtatim ſoluta obſidione turpiter aufugerint, vt legimus 4. Reg. cap. 7. verſ. 6.

37. De Iebuſæo orti ſunt Iebuſæi; quorum virtus in bello inde dignoſci poteſt, quòd numquam de Iebus, in qua habitabant, à filiis Iſraël omnino eiici potuerunt (vt dicitur Ioſue cap. 15. in fine, & Iudic. cap. 1. verſ. 21.) niſi poſt multa tempora, nimirum temporibus Dauidis; vt videre eſt 2. Reg. cap. 5. verſ. 7. & 1. Paralipom. cap. 11. verſic. 4. Sed neque tunc prorſus expelli de terra Iſraël valuerunt; ſiquidem legimus 3. Reg. c. 9. verſ. 20. & 2. Paralip. cap. 8. verſ. 7. quòd ipſorum, & aliorum Chananæorum reliquias quæ remanſerant, Salomon ſubiugauit, ac ſibi tributarias fecit. Quin etiam extabant quoque eorumdem populorum reliquiæ inter Iudæos Eſdræ temporibus, vt apparet 1. Eſdræ cap. 9. verſ. 1. Porrò à temporibus Ioſue vſque ad Dauidem, certum eſt, quòd Iebuſæi magna ex parte habitabant in Iebus, quæ poſteà dicta eſt Ieruſalem, vt apertè colligitur Ioſue cap. 18. verſ. 28. & Iudic. cap. 19. verſ. 10. & 1. Paralipom. cap. 11. verſ. 4. Verùm poſteaquam inde à Dauide pulſi ſunt, quónam ſeſe receperint, incompertum habeo. Ceterùm, ſi vera eſſet illa Hebræorum traditio, de qua infrà ſub anno mundi 2156. num. 1. & 2. diſſeremus, de Sem, quòd ipſe eſſet Melchiſedech, qui temporibus Abrahæ regnabat in Salem, quæ teſte B. Hieronymo creditur fuiſſe Ieruſalem: oporteret concedere, ipſam Ieruſalem, quæ priùs vocabatur Salem, ab ipſo Sem donec vixit pacificè fuiſſe poſſeſſam, & poſt eius obitum à Iebuſæis, qui ab ea non procul habitabant, eſſe occupatam, Iebuſq; ex ipſorum nomine nuncupatam; denique ab Hebræis captam, iterùm mutato nomine Ieruſalem fuiſſe appellatam.

IEBVSAEI. IERVSALEM OLIM SALEM ET IEBVS DICTA.

38. Sequitur Amorrhæus, de quo egreſſi ſunt populi Amorrhæorum, quorum præcipua pars viuente Moyſe trans Iordanem habitabat, à torrente Arnon vſque ad montem Hermon, Deuteronom. cap. 3. verſ. 8. habebantque duos inſignes Reges: nomen vni Sehon, qui regnabat in Heſebon, tuleratque omnem terram Moabitarum vſque ad torrentem Arnon, & idcircò Arnus poſteà erat terminus diuidens Moabitas ab Amorrhæis. nomen alteri Og, qui regnabat in Baſan. Hos negantes ſibi tranſitum, contriuit ipſemet Moyſes, vt deſcribitur Numer. cap. 21. verſ. 21. & Deuteronom. cap. 2. verſ. 26. & Iudic. cap. 11. verſ. 19. diſtribuitque vrbes eorum tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe, vt habemus Num. cap. 32. verſ. 33. & Ioſue cap. 22. Aliquos etiam Amorrhæorum habitaſſe iuxta Cadeſbarne, patet Deuter. cap. 1. verſ. 19. vbi legimus: *Cumq; veniſſemus in Cadesbarne, dixi vobis: Veniſtis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.* quoſdam item in Aſaſonthamar prope Amalecitas, Geneſ. cap. 14. verſ. 7. & alios quoque in Conualle Mambre, cum quibus olim Abraham pepigerat fœdus; vt ibidem legimus verſ. 13. Quare videntur Amorrhæi per Chananææ regiones admodum fuiſſe diſperſi; niſi fortè Amorrhæorum appellatione (propter inſignem eorumdem potentiam & prauitatem, vel etiam quia primi ab Hebræis ſubacti ſunt) interdum intelligere velimus vniuerſaliter cunctos Chananæorum populos, terras Iſraëlitis promiſſas occupantes; quemadmodum ſignificari videtur Amos cap. 2. verſ. 10. *Ego ſum qui aſcendere vos feci de Terra Aegypti, & duxi vos in deſerto quadraginta annis, vt poſſideretis Terram Amorrhæi.* & Geneſ. cap. 15. verſ. 16. illis verbis: *Necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorũ.* Quamuis vel ex illa Iudaicæ prauitatis exaggeratione, quæ habetur apud Ezech. cap. 16. ver. 3. illis verbis: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* quæ pariter ibidem replicantur verſ. 45. ſatis apertè indicetur, ipſos Amorrhæos fuiſſe inter ceteras illas nationes improbiſſimos. Ex eadem quoque gente extitiſſe gigantes fortiſſimos, conſtat ex Deuter. cap. 3. verſ. 13. vbi dicitur, quòd cuncta Baſan, quam incolebant Amorrhæi, vocatur Terra gigantum; & ſu-

AMORRHAEI.

prà

prà versic. 11. legimus, quòd monstrabatur lectus ferreus Og Regis Basan, longitudinis nouem cubitorum, & quattuor latitudinis, ad mensuram virilis cubiti. & Amos cap. 2. vers. 9. legimus: *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus.*

GERGESÆI 39. De Gergesæo, certum est exisse populos ab eodem denominatos Gergesæos; quos cōstat habitasse in terra Chanaan Israëlitis promissa: nam in Scripturis sacris, vbicumque fit mentio de illis gentibus, quas Dominus expellere, & eorum terras dare Israëlitis repromittit, ferè semper etiam memorantur Gergesæi. Posset hic forsitan aliquis suspicari, cum Gergesæis eosdem esse, vel ab ipsis fuisse propagatos populos illos, qui Gessuri & Gerzi dicuntur 1. Reg. cap. 27. vers. 8. & ibidem perhibentur habitasse iuxta Amalecitas, in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad terram Ægypti: vel etiam populos illos, qui Getaseni in Euangelio appellantur, quorum mentionem faciunt sancti Mathæus cap. 8. vers. 28. Marc. cap. 5. vers. 1. & Luc. cap. 8. vers. 26. Et quidem, si Gergesæi habitassent vel trans mare Galilææ, vel prope Amalecitas versus Ægyptum, posset quis probabiliter tum ex nominis similitudine; tum etiam ex habitationis loco, colligere eos fuisse eiusdem generis. Verùm quia vbinam Gergesæi, seu in quānam terræ Chanaan parte habitauerint, Scriptura sacra non exprimit; & proinde datur intelligi, eos mixtim cum ceteris illis gentibus inhabitasse: propterea incertum quoque remanet, an Gergesæi iidem fuerint cum prænominatis populis, vel ab ipsis illi prodierint. Quin potius (saltem de Gessuritis) quòd non fuerint de genere Chananæorum, colligi potest ex 2. Reg. cap. 3. v. 3. vbi apparet, Dauidem duxisse in vxorem Maacha filiam Tholmai Regis Gessur, ac de ipsa genuisse Absalom; quod vtique credendum est ipsum facturum non fuisse, si Gessuritæ fuissent Chananæi, quandoquidem Deuter. cap. 7. vers. 3. vetitum erat Israëlitis connubia contrahere cum Chananæis. Probabilius ergo est, ipsos Gessuritas, & similiter Gersitas, & fortè etiam Gerasenos, de aliis gentibus fuisse progenitos.

HEVÆI. 40. Ab Heuæo, qui in ordine sextus est, constat prodiisse Heuæos; quos suprà numer. 32. diximus habitasse olim in Haserim vsque ad Gazan; sed posteà inde eiectos fuisse à Caphtorim, qui Latinè Cappadoces dicuntur; quibus postmodum Philisthiim successerunt. Itaque Heuæi de propriis pulsi sedibus, alias Chananææ regiones, vel illis finitimas inhabitare coacti sunt. Et quidem ipsorum plurimos in Gabaon habitasse, patet Iosue cap. 11. vers. 19. maiorem verò ipsorum partem consedisse ad radices montis Hermon, in terra Maspha, habemus vers. 3. citati capitis. & Iudic cap. 3. vers. 3. legimus, quòd Chananæi, Sidonij, & Heuæi habitabant in monte Libano, de monte Baal Hermon vsque ad introitum Emath. & ex Iosue cap. 11. vers. 8. colligi potest, campum

TERRA MASPHA. Masphe non procul exstitisse à Sidone, & ab aquis Maserephoth, & consequenter valdè remotum ab Ierusalem. Quare oportet hanc Maspha, esse valdè diuersam ab ea, in qua congregari solebant Israëlitæ Samuelis temporibus coram Domino, vt nos sub anno mundi 2974. num. 6. fusiùs ostendemus.

41. Remanent alij quinque de filiis Chanaan, nempe Aracæus, Sinæus, Aradius, Samaræus, & Amathæus; de quibus, quemadmodum certum est exisse singulos populos ab vnoquoque ipsorum denominatos, ita de singulis locis, vbi habitauerint, non fa-

ARACÆI. tis claram ex Sacris libris haberi notitiam. Nam de Aracæis, quod sciam, Scriptura sacra non meminit: Iosephus & B. Hieronymus, ab ipsis conditam fuisse aiunt vrbem, nomine Arachas, ad radicem Libani, contra Tripolim, quam Brocardus parte 1. cap. 2.

SINÆI. §. 15. vocat Castrum Archas. Ex Sinæo, Sinæi populi prodiisse creduntur, & incoluisse loca monti Sinai proxima, siue in deserto Sina existentia. Fieri etiam potest, vt aliqui ipsorum condiderint atque inhabitauerint vrbem illam, quam B. Hieronymus dicit exstitisse haud procul ab oppido Archas, nomine Sin; *qua posteà*, inquit, *vario bellorum euentu subuersa, nomen tantum loco pristinum reseruauit*. Hanc Brocardus vbi suprà, §. 16. appellat Sinon, siue Sinochin; & dicit distare media leuca à Castro Archas. De Ara-

ARADII. dio, Aradij; qui quamdam insulam Phœniciæ littoribus proximam incoluisse perhibentur, ex eorum nomine, Aradum nuncupatam. Horum mentionem facit Ezechiel cap. 27. vers. 8. innuens Tyriis fuisse finitimos. & Strabo lib. 16. inter Phœniciæ insulas ponit Tyrum & Aradum. & Brocardus vbi suprà, §. 17. ait, in memorata Aradum insula, quæ media leuca distat à continenti, olim fuisse ciuitatem electam, eiusdem nominis; quæ etiam suo tempore exstabat, licet imminuta. In littore autem maris, ante dictam insulam, octo leucis vltra Arachas & Sinochin, ponit Anteradum, sic dictum

SAMARITANI. quasi Ante Aradium. De Samaræo, Samaritani; à quibus primùm Samaria vrbs condita

dita & denominata fuit, & regio Samaritana dici cœpit. Creditur autem antiqua hæc vrbs Samaria fuisse illa, quę postea Iosue temporibus dicebatur Semeron; cuius Rex venerat cum aliis ad pugnandum contra ipsum Iosue, vt cap. eius 11. vers. 1. legimus; & cap. 12. vers. 20. connumeratur inter Reges terræ Chanaan, ab ipso Iosue percussos; & eius ciuitas deinde cecidit in sortem Zabulon, vt videre est in eiusdem libri cap. 19. vers. 15. Vnde (quemadmodum etiam probat Abulensis super 3. Reg. cap. 13. quæst. 40. & cap. 16. quæst. 15.) patet, antiquam Samariam fuisse valde diuersam ab ea, quam posteà Amri sextus Israëlis Rex ædificauit in quodam monte, à Somer coëmpto, vt traditur 3. Reg. cap. 16. vers. 24. & nos sub anno mundi 3112. num. 1. dicemus. Quòd si quis diceret, etiam longè ante prædictum Regem extitisse regionem Samaria nuncupatam, vt videtur posse colligi ex 3. Reg. cap. 13. vers. 32. vbi, temporibus Ieroboam primi Regis Israël, memorantur vrbes Samariæ; & 4. Reg. cap. 23. vers. 18. fit mentio ossium cuiusdam Prophetæ, qui regnante ipso Ieroboam venerat de Samaria. Ad hoc responderi posset, Auctorem dictorum librorum fuisse multò posteriorem dicto Rege Amri, & fortè locis citans posuisse Samariam, clarioris doctrinæ gratia: quia quando ipse eamdem scribebat historiam, iam illa vrbs & regio ei adiacens, communiter ab omnibus Samaria nuncupabatur. Ex Amathæo, Amathæi populi; qui duas vrbes extruxisse, ac de nomine suo nuncupasse feruntur: quarum altera Amath, siue Emath, absolutè dicebatur; eratque in confinio Israëlitarum ab Aquilone posita; cuius non semel meminit Scriptura sacra, sub occasione cuiusdam vallis seu viæ transeuntis per montem Libani, ac ducentis ad ipsam, quæ proptereà dicebatur Introitus Emath. Altera vocabatur Emath rabba, id est magna, quia priori longè maior erat. Primam putat beatus Hieronymus posteà appellatam fuisse Epiphaniam, Antiochiam alteram. Et hæc dicta sint de filiis Chanaan, & gentibus ab eisdem deriuatis; quorum maior pars disseminata est in terra Chanaan, *à Sidone Geraram vsque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, vsque Lesa*, Genes. cap. 10. vers. 19. Quibus paucis verbis breuiter & subobscurè describuntur quattuor termini laterales totius terrę Chanaan, quæ posteà promissa est Israëli. Nam latus Occidentale, à Sidone, quæ posita erat veluti in angulo contactus lineæ Aquilonaris & Occiduæ, protendebatur secus littora Mediterranei maris, vsque ad locum, vbi torrens Geraræ intrabat in mare: ibi enim erat alter angulus, inter Occidentem ac Meridiem positus. Meridianum verò latus, à prædicto torrentis loco excurrebat ad Gazam; & inde, vt arbitror, ad Bersabee, quæ loco Genes. citato reticetur; ac demum terminabatur in Sodoma: ipsa enim iacebat in tertio angulo copulante prædictum latus Meridianum cum Orientali; qui deinde à Sodoma per Gomorrham, Adamam, & Seboim transiens, perueniebat vsque Lesa, quæ & Lais, & posteà Dan dicta est; vbi erat quartus angulus, coniungens Orientale latus cum Aquilonari; quod inde redibat ad Sidonem. Et in hoc eodem Aquilonari latere erat ille Introitus Emath, cuius paulò antè meminimus, & de quo fit mentio 3. Reg. cap. 8. vers. 65. illis verbis: *Ab introitu Emath, vsque ad Riuum Ægypti*. quæ erat longitudo totius terræ Chanaan, ab Aquilone ad Meridiem ducta. Et hanc eamdem longitudinem ipsa Scriptura in eiusdem lib. cap. 4. vers. 25. aliis terminis metiebatur, nempe, à Dan vsque Bersabee. Hanc Chananææ longitudinem si quis scire cupit quanta fuerit, consulat B. Hieronymum, qui in Epistola ad Dardanum, quæ in ordine ad alias, est 129. ait, quòd vix centum sexaginta millia passuum spatio tendebatur. Plinius verò lib. 5. cap. 13. à confinio Arabiæ vsque Phœnicem, ponit centum octoginta nouem millia passuum. Latitudo autem erat varia: nam alicubi, puta à Sidone ad Lesa, Masius super Iosue cap. 19. ponit triginta quinque circiter milliaria; alibi verò, nempe à Ioppe vsque ad Bethleem, B. Hieronymus vbi suprà, numerat milliaria quadraginta sex. In quibusdam autem aliis locis puto multò plura inueniri.

AMATHAEI

DESCRIPTIO TERMINORVM TOTIVS TERRAE CHANAAN.

CHANANAEAE LONGITVDO ET LATITVDO.

42. Sed quoniam terra Chanaan posteà Israëlitis à Deo promissa fuit in possessionem, exterminatis priùs habitatoribus eius; Quæret fortasse aliquis, num omnes & soli vndecim populi superiùs commemorati, vi diuinæ promissionis erant disperdendi. Ad quod respondendum videtur negatiuè: nimirum, neque omnes, neque solos quos recensuimus vndecim populos, fuisse Israëlitis à Deo traditos in direptionem & exterminium: quandoquidem certum est, Sidonios Tyriosque numquam ab ipsis fuisse subactos, & vsque ad tempora Saluatoris proprias vrbes retinuisse. De Aracæis quoque, & Aradiis, & Amathæis, non apparet in Sacris libris, quòd vmquam de sedibus suis ab Israëlitico populo pulsi fuerint. contrà verò constat, Philisthæos, qui de Chanaan non descenderant, sed de Mesraim, vt suprà num. 31. dictum est, nihilominùs ab Israële fuisse ex-

QVI POPVLI PROPTEREA ISRAELITAS ESSENT EXTERMINANDI.

se exterminatos; quia possidebant terram olim ab Heuæis ablatam. Præterea Genesis cap. 15. vers. 20. vbi Deus promittit dare terram Chanaan posteris Abrahę, licet in editione LXX. Interpretum, vndecim populi eisdem tradendi numerentur, in Vulgata tamen decem tantummodò inueniuntur; nimirum Cinæi, Cenezæi, Cedmonæi, Hethæi, Pherezæi, Raphaim, Amorrhæi, Chananæi, Gergezæi, & Iebusæi, omissis Heuæis, qui in LXX. Interpretibus adduntur. Et in vtraque Editione neque omnes, neque soli connumerantur ij, quos suprà de Chanaan descendisse commemorauimus: siquidem prætermittuntur Sidon j, Aracæi, Aradij, Samaritæ, ac Amathæi; & insuper in Vulgata etiam Heuæi: adduntur verò alij, qui ab his diuersi admodum videntur, nempe, Chananæi, Pherezæi, Cenezęi, Cedmonæi, & Raphaim. Deniq; Deuteronom. cap. 7. vers. 1. & Iosue cap. 3. vers. 10. & cap. vlt. vers. 21. septem tantum gentes numerantur ab Israëlitis delendæ; nimirum Hethæi, Gergesæi, Amorrhæi, Chananæi, Pheresæi, Heuæi, & Iebusæi; quod etiam confirmat S. Lucas Actorum cap. 13. vers. 19. dicens: *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum.* Quamquam alibi Scriptura, nempe Exodi cap. 3. vers. 8. & cap. 33. vers. 2. & cap. 34. vers. 11. & Iosue cap. 9. vers. 1. & cap. 11. ver. 3. omissis Gergesæis, reliquas tantummodò sex gentes recenset: & similiter 2. Esdr. cap. 9. vers. 8. vbi, licet connumerentur Gergesæi, omittuntur tamen Heuæi. Quid igitur in tanta Textuum varietate dicendum est, quænam, & quot fuerint gentes à Deo Iudæis in direptionem traditæ? Respondeo, vel reuerà temporibus Moysi & Iosue, ad septem illas fuisse redactas, quæ ex Deuter. c. 7. & Iosue locis suprà adductis recensuimus: vel si fuerunt plures, certè illas septem fuisse magis insignes, & inter has, adhuc sex aut quinque fuisse ceteris insigniores: vel fortè dicuntur septem, quatenus iste numerus septenarius interdum pro quadam vniuersalitate vsurpari solet, & complectitur omnes populos, quotquot fuerint, qui terram Chanaan incoluerunt; qui quidem quoniam aliquando vndecim, aliquando decem, quinque, septem, aut sex, pro temporum varietate, extitisse creduntur; propterea potuit Scriptura, habito respectu ad varia tempora, ipsorum numerum variare.

43. Sed adhuc remanet dubitatio; videlicet, quinam fuerint hi populi qui diuersi videntur ab illis vndecim, quos suprà ex Genes. cap. 10. commemorauimus; nimirum Chananæi, Pherezæi, Cenezæi, Cedmonæi, & Raphaim, & quomodo ad posteros Chanaan pertinuisse videantur. Ad hoc dicimus, quòd qui Chananæi speciatim nuncupantur, & ab aliis Chananæorum populis hoc speciali nomine distinguuntur, (vt arbitror) non ab vllo memoratorum vndecim filiorum Chanaan, qui singuli variarum linguarum principes erant, descenderunt; sed ab aliis innominatis, qui propriam ac particularem familiam ac linguam ipsius Chanaan faciebant; ideoque non ab alio principe, quàm ab ipso Chanaan denominari voluerunt. diximus enim, quòd omnes filij ac nepotes Cham, Sem, & Iapheth, in cap. Genes. 10. recensiti, habuerunt singuli linguas ac familias proprias à se denominatas: vnde necesse est idem sentire de ipso Chanaan, & consequenter, quòd aliquis populus ab ipso particulariter ac propriè dictus sit Chananæus. Pherezæos autem quidam putant à Samaritis produsse, quoniam cóstat, ipsos in locis Samariæ proximis habitasse, nimirum inter Bethel & Hai, Genesis cap. 13. vers. 4. & 7. & prope Sichem, Genes. cap. 34. vers. 30. & iuxta montem Ephraim, Iosue cap. 17. vers. 15. & in Iericho, Iosue cap. 24. vers. 11. & in Bezech, Iudicum cap. 1. vers. 4. & 5. hæc autem loca non procul à Samaria distasse creduntur. Verumtamen hæc ratio non admodum firma est; quoniam scimus diuersos populos in terra Chanaan mixtim non solùm in vna prouincia, sed etiam in vna eademque ciuitate habitasse; vt manifestè colligitur Iosue cap. vlt. ver. 11. vbi sic legimus: *Transistisq; Iordanem, & venistis ad Iericho; pugnaueruntque contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergezæus, & Heuæus, & Iebusæus; & tradidi illos in manus vestras.* Illud verò certum puto, ipsos Pherezæos (si non à Samaritis descenderunt) vel ab aliqua alia filiorum Chanaan gente propagatos esse; vel (si nihil ad posteros ipsius Chanaan pertinebant) certè, quia terram Hebræis promissam incolebant, meritò ab ea fuisse exterminatos, vt de Philisthæis dictum est. & idem videtur dicendum de Cenezæis, Cedmonæis, & Raphaim, quiqui ipsi fuerint. Quamquam, quia pro Raphaim sæpenumerò in Sacris libris accipi solent gigantes; & certum est, in aliquot Chananæorum populis, & specialiter inter Hethæos & Amorrhæos, vt suprà numer. 36. & 38. probatum est, extitisse gigantes: fortassis hoc loco, nomine Raphaim, non tam gens aliqua particularis, quàm singularis qualitas, nimirum eximia fortitudo quorumdam inter illas gentes degentium, signari videatur. Ceterùm, quia communis opinio

CHANANÆI QVI FVERINT.

PHEREZÆI

CENEZÆI CEDMONÆI RAPHIDIM

opinio est, Chananæorum populos, saltem plurimos, ob maledictionem quam olim Noë aduersus Chanaan ipsorum parentem meritò protulerat, tandem subuersos à filiis Israël, & ab iisdem eorumdem terras vrbesque fuisse occupatas: pensare licet, paternæ illius maledictionis quanta & quàm grauis ac diururna vis fuerit; quæ etiam post tam multa tempota, ac post tot tantasque generationes, tantam cladem impij illius successoribus inurere potuerit: & consequenter, quantopere vereri atque cauere debeant filij, ne malis operibus parentes ad se maledicendum prouocent. Et hæc dicta sufficiant de progenie Cham. PATERNÆ MALEDICTIONIS VIS.

44. Veniamus nunc ad postetos Sem, cuius posteritas ex Vulgata editione hæc est: DE POSTERIS SEM.

Sem genuit
- Ælam
- Assur
- Arphaxad, qui genuit Sale, qui genuit Hebet, qui genuit
  - Phaleg
  - Iectan, qui genuit
    - Elmodad
    - Saleph
    - Asarmoth
    - Iare
    - Aduram
    - Vzal
    - Decla
    - Ebal
    - Abimaël
    - Saba
    - Ophir
    - Heuila
    - Iobab
- Lud
- Aram, qui genuit
  - Vs
  - Hul
  - Gether
  - Mes

omnes 26.

Posteritas eiusdem Sem, ex LXX. Interpretibus.

Sem genuit
- Elam
- Assur
- Arphaxad, qui genuit Cainan, qui genuit Sala, qui genuit Heber, qui genuit
  - Phaleg
  - Iectan, qui genuit
    - Helmodad
    - Saleth
    - Sarmoth
    - Iarach
    - Hodorra
    - Æbel
    - Decla
    - Eual.
    - Abimaël
    - Saba
    - Ophir
    - Euila
    - Iobab
- Lud
- Aram, qui genuit
  - Hus
  - Vl
  - Gatet
  - Mosoch
- Cainan

omnes 28.

45. Itaque filij Sem, qui recensentur Genes. cap. 10. vers. 21. & 1. Paralipom. cap. 1. vers. 17. profecti de campo Sennaar ad Orientis Austrique plagas, ibidemque paulatim dilatati, partem Asiæ (vt aiunt Iosephus & B. Hieronymus) quæ est ab Euphrate ad Indicum Oceanum, tenuerunt. Verumenimuerò, quia Arias Montanus in libello quem inscripsit Phaleg, hoc est, De primis gentium sedibus, ponit, filios Sem etiam valdè vlteriùs processisse, nimirum ad noui quoque Orbis partes, quas Americas appellant, putatque eas cum Asia maiori, (vt eius ibidem tabella ostendit) esse continuatas, & vsque ad Salomonis tempora fuisse notas, Ophirque nuncupatas, vnde aurum aduehi solebat: necessarium videtur, non solùm memoratam Ariæ opinionem refutare, sed etiam hoc loco aliquid vniuersaliter tangere, de modo quo humanum genus, & alia item animalia, post exitum de Arca Noëtica, in omnes orbis partes disseminari potuerint. Sanè quòd attinet ad Ariam, puto ipsum hallucinari, Primò, quia, etsi fortè non adhuc vsquequaque exploratum sit, num Asiæ partes Orientales cum America copulentur, nécne: si tamen magis probatis Geographorum tabulis credimus, apparet non esse coniunctas, sed freto Aniano distingui. Deinde, regiones illas Ophir Tharsisque nuncupatas, à quibus olim Salomon aurum aliaque pretiosa multa deferri curabat, non in noui Orbis, sed in Indiæ Orientalis regionibus extitisse, nos sub anno mundi 3043. num. 7. & 8. fusiùs ostendemus. Huc accedit, non videri verisimile, filios Iectan, Ophir scilicet & Iobab, sedes vsqueadeò remotas sibi deligere potuisse, aut voluisse; cùm præsertim tunc temporis non deessent innumeræ aliæ regiones, multò viciniores & commodiores: & ratio suadebat, vt priùs propinquiores prouincias incolerent, deinde paulatim & suc-

OPINIO ARIÆ MONTANI REFELLITVR.

ASIA AB AMERICA SEIVNCTA.

OPHIR, ET THARSIS VBI ESSENT.

successiuè ad remotiores pertransirent. Denique si in cunctas insigniores orbis terræ partes primæ illæ septuaginta duæ familiæ dispertiendæ erant, prout videtur arbitrari Arias; profectò oporteret aliquas ipsarum ex tunc, etiam ad nobis adhuc incognitas orbis terrarum plagas, nempe ad Arcticas Antarcticasque accessisse: quod ne ipse quidem Arias facile concederet; quippe qui cunctas Noëticas familias in tres tantùmmodò mundi partes magis notas distribuerit; nimirum in Europam, Africam, atque Asiam, cui vtramque Americam, Mexicanam scilicet & Peruuianam, coniunctam esse putauit: nec vllam prorsus ex memoratis familiis, in plagis Arcticis atque Antarcticis collocauit; quas tamen ab hominibus inhabitatas esse, præsertim Antarcticas, ex Hispanorum nauigationibus planè constat. Quòd si ipsum Ariam centum vel ampliùs ab hinc retrò annis in humanis esse, & prædictum libellum conscribere contigisset, quando scilicet nulla prorsus noui Orbis cognitio habebatur, neque aliæ terrarum plagæ habitabiles, præter tunc communiter notas, existere seu reperiri posse credebantur: certè præfatas familias omnes inter illas dumtaxat regiones compartiri curasset, quemadmodum probè fecerant Iosephus, & B. Hieronymus, & alij.

46. Quid igitur dicemus de hisce regionibus, quæ tam diu ignotæ permanserunt, & demum non nisi ab anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo detegi cœperunt, ac quotidie deteguntur, atque hominibus refertæ inueniuntur: quomodo, post vniuersale Diluuium, homines, ex paruula dumtaxat illa Noëtica familia per Arcam in montibus Armeniæ à Deo mirabiliter præseruata, procreati, ad eas regiones incolendas deuenire potuerunt? Respondemus, diuinæ prouidentiæ dispensatione factum esse, vt primariæ terrarum plagæ, tametsi vt plurimùm vastissimis disiunctæ maribus, alicubi tamen aliquo vel tenui isthmo copulatæ sint, vel exiguo freto inter se distinctæ. Videmus enim in vniuersalibus Orbis terrarum descriptionibus, Asiam cum Africa, isthmo, qui est inter mare Mediterraneum & Arabicum, coniungi; & duas illas latissimè patentes Americæ seu noui Orbis partes, quæ ad formam duarum pæninsularum, altera ad Aquilonem, quæ Mexicana; altera ad Meridiem, quæ Peruuiana dicitur, extenduntur, alio pariter isthmo iunctas esse, inter Oceanum Occidentale, & illud, quod *del Sur* appellant, posito. Videmus item Africam ab Europa, circa Hispaniæ ac Mauritaniæ fines, freto tantùm Herculeo seu Gaditano seiungi: & eodem modo Europam ab Asia, Hellespontο, & duobus Bosphoris, Thracio scilicet & Cymmerio. Quamquam eadem Europa, supra paludem Mæotidem, fluuio dumtaxat Tanai ab Asia dirimitur; & in parte magis Boreali, inuicem Asia Europaque copulantur, isthmo satis amplo, qui à fontibus prædicti fluminis rectà ad Granicum, Aquilonaris Oceani sinum excurrit. Asia quoque à regionibus Arcticis ad nouam Zemblam modico freto secernitur; & ab America altero freto, nimirum Aniano dirimi creditur. America item Australis seu Peruuiana, ab Antarcticis regionibus certum est freto tantùm Magellanico separari. Sunt etiam qui putant, Americam Aquilonarem vsqueadeò sese ad Arcticum extendere Europam versus, vt ab ea ibidem breui tantùm maris tractu disiuncta sit. Prætereà certum est, aliquot maris insulas insigniores à continenti non admodum esse remotas; vt in Oriente Taprobana, quæ hodie Sumatra dicitur; & in Occidente Anglia, & Hibernia; & in Meridie Madagascar, quæ etiam Insula S. Laurentij nuncupatur; & aliæ alibi. Et insuper alicubi plures esse inter se adeò proximas, vt ab vna ad alteram facilis sit transitus; & per ipsas successiuè, veluti per quamdam scalam, ab vna regione ad alias, alioqui vastissimo mari separatas, satis commodè perueniri posse videatur. Huius rei duo præ ceteris insignia habemus exempla. Alterum in maris Ægæi archipelago, vbi tot tantæque insulæ sunt inuicem proximæ, vt per eas ab Europa ad Asiam, ibidem alioqui valdè remotam paruis etiam nauiculis transiri possit. Alterum in Oceano Orientali, inter Asiam siue Indiam & regiones Antarcticas, inter quas licet vastissimum mare medium sit, illud tamen innumeris pęnè insulis refertum est, inter quas sunt quæ Molucæ dicuntur, & aliæ permultæ, non admodum ab inuicem remotæ; per quas ab aurea Chersonneso, quæ nunc Malaca vocatur, Orientem versus ad nouam Guineam, quæ vtrùm insula sit, an continentis Antactici pars, adhuc incompertum est, & item ab eadem Malaca, magis versus Austrum ad Sumatram insulam, inde ad Iauan maiorem, mox ad minorem, vel citiùs rectà ad terram Beach, quæ inter Antarcticas computatur, non magno negotio nauigari posse videtur. Quæ omnia, vt veluti ante oculos posita clariùs perspici queant, vniuersalem Orbis descriptionem in parua tabella hic inserere visum est.

MVNDI PARTES QVOMODO ALICVBI INTER SE IVNCTAE SINT, VEL INVICEM PROXIMAE.

Ad

SITVS PARTIVM PRÆCIPVARVM TOTIVS ORBIS TERRARVM.

AMERICA
MEXICANA
PERVVIANA.
REGIONES ANTARCTICÆ.
REGIO NES ARCTICÆ.
EVROPA.
AFRICA.
ASIA.
Tartaria
China
India
Persia
Media
Arabia
Græcia

Ad quid, obsecro, ista regionum insularumque dispositio? certè non casu, sed mira Dei dispensatione facta est, nimirum, vt homines post Diluuium ab Armenia exeuntes, commodè aliquando possent à proximis ad remotissimas quasque prouincias paulatim & successiuè disseminari, & tandem (quemadmodum ipse iusserat Dominus) habitatoribus replere omnem terram: non enim id impetrasset, si non prius regiones omnes ita disposuisset, vt ab vna ad alteram, alicubi saltem, non incommode pertransiri posse videretur.

QVOMODO HOMINES AD IGNOTAS NOVI ORBIS PARTES PRIMO PERVENERINT.

47. Igitur, vt quæsito respondeamus, credimus filios Sem post multa tempora, cùm sensim ad Orientem sese extendentes, plurimas in illis partibus Asiæ regiones incoluissent, & quas nunc Chinæ prouincias vocant, aliasque his finitimas habitatoribus repleuissent, à littoribus illis Orientalibus soluisse, ac ad Iaponias insulas, & si quæ ibi sunt, alias inter Asiam & Americam Aquilonarem inhabitandas, atque inde postmodum etiam in ipsam Americam penetrasse. Ad quam non solùm posteri Sem, eo modo quo dictum est, sed etiam, & fortè faciliùs, posteri Iapheth peruenire potuerunt. Postquam enim per plagas Asiæ Aquilonares, quas nunc Tartari incolunt, disseminati, tandem ad Orientales eiusdem Asiæ fines, qui supra Chinam nonnihil flectunt ad Aquilonem, deuenerunt; prope fretum Anian, quo, vt diximus, ipsa Asia ab America seiungi perhibetur; proculdubiò ab illis Asiæ oris facilè ad Americam transfretare potuerunt, & longè lateque patentes quæ illic sunt regiones, maximè ad ipsam Asiam respicientes, inhabitare; ac deinde succedentibus temporibus iungi cum posteris Sem, ad ea pariter loca magis Orientalia, vt dictum est, deuectis; ac simul cunctas oras maris, quod nunc appellant *del Sur*, sensim habitatoribus replere; donec tandem post multa sæcula ad fretum Magellanicum deuentum est: inde enim ad regiones quoque Antarcticas non magno negotio transfretasse, admodum rationabile est. Potissimum

ANTARCTICAE REGIONES VASTISSIMAE.

tò quoniam Antarcticæ regiones vastissimæ esse creduntur, & iam aliquot in locis, in Oriente, Occidente, ac Meridie detegi cœperunt, nec vtrùm continuæ sint, an pluribus maris finibus ab inuicem segregatæ, adhuc exploratum habemus. Si quis percontetur, quinam de posteris Noë ad eas primò incolendas venti[t]auerint, & quo modo, dicimus, nihil aliud probabilius cogitare nos posse, nisi distinguendum esse de illarum partibus. Nam quod attinet ad partes nobis Occidentales, verisimile admodum puto, vt diximus, quòd hi qui de posteritate Sem & Iapheth ad Americam penetrarunt, post occupata ipsius Americæ littora, secus mare quod dicitur *del Sur*, vsque ad fretum Magellanicum; mox illo transmisso, in Antarcticis quæ illic sunt regionibus diffusi ac dilatati fuerint. At in partes Orientales ad Austrum vergente, familiæ à Sem deductæ, quæ habitabant oras Oceani Indici; in quo, vt ostendunt Geographorum tabulæ, sunt insulæ non multùm ab Asia neque inter se distantes, quas hodie vocant Paloham, Mindano, Borneo, Celebres, Giloho, & Maluche, à quibus deferuntur aromata; & aliæ pænè innumerabiles. Per has (inquam) insulas, successiuè, vt dictum est, videntur posteri Sem potuisse non multo labore ab India penetrare vsque ad nouam Guineam, quæ Antarctica est, & ad alias finitimas regiones. Sed & eædem familiæ Sem ab Indicis littoribus magis ad Austrum flectentibus, præsertim verò ab illa prouincia quam Malacam vocant, quæ in modum oblongæ cuiusdam pæninsulæ in mari Indico valdè admodum protenditur, ad Taprobanam insulam ei proximam; & inde ad Iauan maiorem, non multùm à Taprobana distantem; ac demum ad Antarcticas regiones à Iaua non valdè admodum remotas, nimirum ad terram Beach, nauigare potuerunt. Ad illas autem Antarcticas prouincias, quæ nobis omnino Australes esse videntur, & contra extremum Africæ promontorium, quod Caput bonæ spei appellant, respiciunt, & licet adhuc benè cognitæ non sint, ab hominibus tamen habitatas esse certissimum est: ad has (inquam) conijcere probabiliter possumus, primùm penetrasse posteros Cham, qui prædictum promontorium cæterasque Africæ partes incoluisse dicuntur: hi enim à prædictis Antarcticis regionibus omnium minus remoti fuisse videntur; & consequenter ad eas potuisse commodiùs pertransire. Et hæc de ordinaria ac faciliori hominum per cunctas orbis terras disseminatione sint dicta.

IGNOTAE REGIONES QVOMODO CASV DETECTAE.

48. Nam præter hanc est etiam alia, extraordinaria illa quidem, & difficilior ac periculosior, sed tamen quæ frequentiùs ac pluribus in locis, quin etiam in omnibus ferè maris tractibus vsu venire potuit. Quamuis enim non sit credibile, vbi regiones vastissimo mari disiunctæ sunt, quemquam olim dedita opera ab vna ad alteram nauigare ausum esse, præsertim antequam nauigandi ars vsum peritiamque haberet nauticæ pyxidis, & hydrographicæ tabellæ, sine quibus rectè nauigia dirigi posse non videntur,

dentur, vbi nihil aliud cernitur nisi pontus & aër; attamen certissimum est, contigisse multos, dum ad proximas ciuitates seu prouincias mercimonij gratia, siue alia de causa, secus littus maris (quemadmodum olim fieri solebat) nauigare putarent, vt derepentè, vi tempestatis, per vastissimos fluctus ad remotissimas tandem ipsisque incognitas insulas prouinciasve se translatos esse cognououennt. Non desunt antiqua huiuscemodi exempla ad Plinium lib. 6. cap. 22. vbi refert de quodam Annij Plocami, qui maris Rubri vectigal à Fisco redemerat, liberto; Hic, inquit, Claudio imperante, circa Arabiam nauigans, Aquilonibus præter Carmaniam raptus, decimaquinta die Hippuros, quæ erat Taprobanæ insulæ portus, deuenit. Et lib. 2. cap. 67. ait, quòd imperante C. Cæsare Augusti filio, signa nauium ex Hispaniensibus naufragiis in sinu Arabico feruntur agnita. Et quod mirabilius est, in eodem capite paulò post prædicta ex Cornelio Nepote refert: *Q. Cornelio Celeri, C. Afranij in Consulatu collega, sed tum Galliæ Proconsuli, Indos à Rege Sueuorum dono datos; qui ex India, commercij causa nauigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti.* Sed quid veterum exempla perquirimus, cùm etiamnunc huiuscemodi casus nautis non semel accidisse ferantur? & ille imprimis illustrissimus pariter ac notissimus sit, qui non longè à nostris temporibus cuidam nautæ contigit, ac posteà viam ad nouum Orbem detegendum aperuit. Hic (si tamen vera est historia quæ circumfertur, scimus enim eam à nonnullis, immeritò, vt arbitror, haud esse receptam) secus Africæ Hispaniæque oras nauigans, tempestate iactatus, mirum dictu, vsque ad Americæ conspectum; mox ab eadem rursus in Europam proiectus, cùm forte apud Christophorum Columbum diuertisset, in præmium hospitij, eumdem certiorem fecisse de terris trans Oceanum Occidentale à se visis; & vt posteà ad eas ipse primus peruenire contenderet, auctor fuisse, à probatis Auctoribus traditur. Porrò, si diuina prouidentia disposuit, vt nouus Orbis, posteaquam habitatoribus iam repletus fuerat, inopinato casu & vi tempestatis à Christi cultoribus repertus sit, vt ab ipsis homines in illo degentes de necessariis ad salutem edoceri & informari possent, ac ad Christi fidem perduci, atque per ipsum æternam consequi beatitudinem, ad quam genus humanum à Deo conditum est: quis miretur, eodem modo olim ad easdem regiones primò populis replendas, eamdem diuinam prouidentiam disposuisse, vt plurimi de cognatione Iapheth & Cham, qui Africæ Hispaniæque Occidentalia littora incolebant, dum per illas maris oras negotiationis causa nauigarent, secum pariter haberent vxores aut alias mulieres, & ab aliquo ventorum impetu ad noui Orbis regiones fuerint deportati? & cùm de reditu ad proprias sedes iam desperarent, nec se ampliùs tantis ac tam immensi pelagi periculis committere auderent, illic permanere decreuerint? & humanum genus in ignotis illis terris propagare cœperint? & succedentibus temporibus ad Occidentem ac Meridiem progredientes, tandem post multa sæcula ad illos, qui de stirpe Sem & Iapheth ab Oriente ad Americam transierant, peruenerint? ac demum cum illis sese immiscuerint? Certè non solùm noui Orbis Occiduas partes, sed & alias quoque, nimirum Meridionales, Orientales, & Aquilonares, ac præterea omnes maris insulas à terra remotiores, hoc modo olim primò inuentas esse, atque inhabitari cœpisse, vsqueadeò probabile est, vt nullum rationi relinquat hæsitandi locum. Quandoquidem etiam nostris temporibus, ex relatione eorum qui de noui Orbis nauigationibus scripsere, constat, maiorem partem insularum ac regionum quæ detectæ sunt ac continuò deteguntur, eodem modo, videlicet casu & vi tempestatum inuentas esse, & quotidie reperiri. Ad quid hoc? nisi vt rem tanti momenti non industriæ hominum dumtaxat, sed in primis diuinæ prouidentiæ referendam esse discamus: propterea enim non hæc solùm, sed cetera quoque mirabilia ferè omnia, qualia sunt eximiæ quædam ab reconditæ animalium, plantarum, lapidum, terrarum, mineraliumque virtutes, hominibus fortuitò vt plurimùm innotescere voluit Deus; vt quemadmodum illa ab ipso processisse dubitare non debent, ita earumdem cognitionem ab eodem pariter recognoscerent. Etenim cuncta, quæ casu nobis accidisse videntur, ab ordinatissima Dei dispositione, quæ nihil casualiter agit, prouenire certissimum est.

NOVI ORBIS DETECTIO.

49. At enimuerò, quemadmodum facile est concedere, homines post Diluuium vel voluntaria alicuius freti transmissione, vel vi ventorum violenta ac repentina iactatione, ad transmarinas regiones penetrasse: ita difficile est inuestigare, quomodo animalia ad easdem peruenire potuerunt; animalia, inquam, non quæ ex putri materia generantur, imperfectaque dicuntur: (siquidem ex iisdem causis quibus ante Diluuium, etiam post ipsum vbique produci potuerunt) neque de his loquimur, quæ domestica

sunt, & hominibus deseruire in multis admodum solent; qualia sunt oues, boues, equi, canes, & huiusmodi alia. cum ipsis namque hominibus, ad ipsorum vsum, siue ad venditionem commutationémve deuecta esse, dubium non est; sicuti hodie etiam, iisdem de causis, ad remotissima quæque loca deuehi videmus. Et scimus in insulis noui Orbis, ante Americam repertis, tametsi magnæ essent, & admodum feraces, nihilominus (vt refert Iosephus Acosta lib. 1. Historiarum naturalium & moralium Indicarum cap. 21.) nulla ibi huiuscemodi animalia extitisse; sed primò eódem ab Hispanis fuisse delata: nunc autem eousque esse multiplicata, vt nullos hodie proprios dominos habere videantur; sed more ferarum, fiant capientis. Neque item magna de volatilibus videtur esse difficultas; quandoquidem, licet multa ex ipsis non longè admodum volitare posse videantur, attamen, vel vbi mare angustum est, transuolare potuerunt, vel vt videmus hirundines, & coturnices, & huiusmodi parua volatilia, vi ventorum rapta, ad remotissimas quoque transmarinas regiones insulásve transferri, vel etiam ab hominibus deportari. Sed tota difficultas est de animalibus non modò homini vtilibus, verùm etiam noxiis; vt sunt lupi, vulpes, pantheræ, leones, tigres, & in summa, genus omne ferarum; quomodo post Diluuium, de Asia ad terras medio mari ab ea separatas deuenire potuerint. Hanc difficultatem tangit B. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 7. & videtur tripliciter respondere; nimirum, huiusmodi animalia vel natando ad insulas transisse, vel ab hominibus fuisse deportata, vel denique Dei ordinatione in ipsis esse producta, iuxta illud Genes. cap. 1. vers. 24. *Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas.* Sed hoc tertium omittamus: nam secluso miraculo fieri non potuit. quod enim de primæua animalium perfectorum productione dictum est, non debet ad posteriora transferri, quæ naturaliter non nisi per propagationem fieri possunt. Et ideò ab initio in cunctis speciebus fecit Dominus masculum & feminam, & posteà in Arcam iussit de cunctis assumi mares & feminas, *vt saluetur*, inquit, *semen super faciem vniuersæ terræ*, Genes. cap. 7. vers. 3. Quid est autem, *Vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ*, nisi vt per feminis propagationem multiplicari ac conseruari possint ipsorum species in vniuersa terra? Sanè hoc frustrà factum iussúmve fuisset, si voluisset Deus, vt post Diluuium terra mirabiliter huiuscemodi animalia perfecta produceret, quemadmodum in ipso mundi exordio, ipso iubente, fecerat. Quare ad quæsitum meliùs satisfieri poterit duobus prioribus responsis; nimirum, prædicta animalia quandoque ob aliquam vrgentem necessitatem, puta vt se ab insequentibus eriperent, angustum aliquod fretum natando pertransire potuisse: ad remotas verò admodum à littore insulas prouinciasque naui ab hominibus fuisse deuecta, siue quæstus, siue curiositatis gratia, aut aliqua alia de causa, vel particulari quodam hominum instinctu, aut casu, vt paulò pòst dicetur. Et hæc quidem nemini videri debent incredibilia, præsertim cùm videamus principes, ad potentiam magnanimitatemque ostendendam, habere in locis ad hoc specialiter destinatis ac fabricatis, ex omni penè ferarum genere, masculos & feminas, à remotissimis regionibus magno sumptu aduectos, siue dono ab aliis principibus habitos, siue non exiguo pretio comparatos; de quibus quoque prolem haberi, & fetus multiplicari curant, vt illos pariter aliis principibus mittant. Et probabile admodum est, plures huiuscemodi feras nonnumquam ex ergastulis & catenis custodum incuria elapsas, ad lucos montésve simul aufugisse, & ibidem multiplicasse. Videmus item alios diuites, siue ob curiositatem, siue ad ostentationem, apud se alere alia quædam minora huiuscemodi animalia peregrina, vt sunt varia simiarum genera, & qui vocantur Italicè *Gatti maimoni*, & similia, omnino hominibus inutilia, & interdum noxia. Quare cùm certum sit, cuncta quoque ferarum genera ab hominibus per longas nauigationes deferri solere: quis miretur non semel contigisse, ad insulas quoque à continenti remotissimas, tempestatibus delatas huiuscemodi naues, dum iactum faciunt, vt fit in magnis periculis, aliquando etiam dictas feras, vel in ipsis insulis vltrò dimissas; vel non procul in mari iactatas, ad easdem insulas natando peruenisse, ibique deinceps esse multiplicatas? Hæc responsio videtur admodum rationabilis, & omnibus satis plenè satisfacere posse. Quòd si alicui non placet, neque alia melior reperiatur: non incongruum putarem, in hoc casu recurrere ad miracula, & dicere, quòd quemadmodum credimus, imminente Diluuio, cuncta animalium genera ministerio Angelorum perducta esse ad Arcam: ita post Diluuium, eorumdem operâ per omnes terras ac insulas fuisse dispersa. Er hæc de hominum cunctorúmque animalium vniuersum per orbem disseminatione dicta sufficiant.

FERAE QVOMODO AD REGIONES TRANSMARINAS PERVENIRE POTVERINT.

50. Re-

50. Redeamus nunc ad id vnde digressi sumus, nimirum ad filios Sem, & ad regiones à singulis primò cultas ac denominatas. Primus, qui inter ipsos in Sacris libris nominatur, fuit Ælam, à quo posteà prodierunt ac denominati sunt populi, quos profani Scriptores Elymæos, Ecclesiastici autem vocant Ælamitas; quorum etiam fit mentio Actorum cap. 2. vers. 9. Hos aiunt incoluisse eam Persidis partem, quæ magis vergit ad Meridiem. Iidem, Abrahæ temporibus, Regem habebant nomine Chodorlahomor, sub quo, vsque ad Sodomiticam regionem excurrentes, eam sibi subditam tenuerunt, annis duodecim, vt habetur Genes. cap. 14. vers. 4. & nos infrà suo loco referemus. Ab Ælamitis postmodum exisse Persas, qui mox erecta Monarchia, vniuersam illam regionem ex ipsorum nomine Persidem appellarunt, tradit Iosephus 1. Antiq. cap. 7. & ab omnibus penè Historicis iam receptum est. & ex Danielis cap. 8. vers. 2. etiam non obscurè colligi potest, vbi legimus Susan castrum (quod deinde fuit Sedes Regum Persarum, vt patet in exordio libri Esther) fuisse in regione Ælam. ELYMAEI SEV AELAMITAE. PERSAE.

51. Alter filius Sem fuit Assur, à quo posteà Assyriorum populi propagati sunt, & eorum regio Assyria; nunc corrupto vocabulo, Azimia dicta est; Asiæ maioris prouincia: quæ olim hisce terminis continebatur. A Septemtrione, Armeniæ maioris parte; ab Occasu, Mesopotamiæ finibus, medio Tigride fluuio, cincta erat; à Meridie, Susianam habebat; & ab Oriente, Mediam; vt docet Ptolemæus suæ Geographiæ lib. 6. c. 1. & distabat Assyria ab Ierusalem, versus Aquilonem, quinque gradibus. vnde valdè diuersa erat à prouincia Syriæ, quæ nunc Italicè *Soria* appellatur; & inter alias partiales prouincias, etiam Ierosolymiticam continebat regionem, sicuti Italia Lombardiam. Vtrùm autem prædictus Assur idem fuerit cum illo, de quo dicitur Genes. cap. 10. v. 11. *De terra illa* (id est, de Sennaar, quæ est Babylon) *egressus est Assur, qui ædificauit Niniuen.* apud multos controuersum est: nobis tamen videtur absolutè responderi posse, fuisse diuersum. Nam certum est omnium consensu, Niniuen à Nino fuisse conditam ac denominatam. Sanè Ninus, quem loco citato Scriptura sacra, ob causas inferiùs dicendas, vocat Assur, fuit filius Beli, id est, ipsis Nemrod, qui regnauerat in terra Sennaar, & consequenter erat non de stirpe Sem, sed de progenie Cham; neque habitabat cum posteris Sem in Assyria, sed cum posteris Cham in terra Sennaar: ideoque signanter dicit Scriptura, conditorem Niniues exisse de terra Sennaar, id est de propria prouincia, quæ familiæ Nemrod obtigerat tempore diuisionis linguarum, & transisse in Assyriam, ibique ædificasse Niniuen. (constat enim Niniuen in Assyria extitisse.) Alioqui ineptè videretur dici de Assur filio Sem, quòd esset egressus de terra Sennaar: siquidem ea non fuerat patria eius propria, sed cōmunis omnibus; & ab ea nō ipse solùm, sed & omnes alij ceterarum vrbium conditores exierant, excepta sola familia Nemrod, quę ibidem remanserat; & propterea, tamquā quid singulare, notatum fuit de Nino, quòd non vt ceteri de familia eius remanserit in terra Sennaar, sed inde exiens ædificauerit Niniuen. hoc est, mortuo patre Belo in Babylone, ipse subactis Assyriis transtulerit eò sedem Regni sui, in ciuitatem à se ædificatam ac denominatam Niniuen. Dicitur autem Ninus Assur, vel quia, sicuti dictum est de patre eius, qui Nemrod & Belus appellabatur, ipse quoque erat binominis, vt videntur sensisse B. Hieronymus & sanctus Cyrillus super loco Geneseos citato; vel quia post deuictos Assyrios, Assur nuncupari voluit, quemadmodum Scipio subactis Afris Africanus dici cœpit; vel denique, quia constat Scripturam sacram appellatione Assur significare consueuisse Regem Assyriorum, quocumque nomine is vocetur. Ita legimus in Psalm. 82. vers. 9. *Etenim Assur venit cum illis*. & Isaiæ cap. 10. vers. 5. *Væ Assur, virga furoris mei.* & Oseæ cap. 5. versic. 13. *Et abiit Ephraim ad Assur.* hoc est, vt peteret auxilium à Rege Assyriorum. & alibi non semel. Atque hoc pacto potest intelligi quod dictum est, *De terra illa egressus est Assur, qui ædificauit Niniuen*, id est, ille Rex Assyriorum, qui condidit Niniuen, videlicet qui proprio nomine vocabatur Ninus. ASSYRII. ASSYRIAE CONFINIA. SYRIA. ASSVR FILIVS SEM DIFFERT A NINO.

52. Tertius filius Sem dicitur Arphaxad, à quo Iosephus & B. Hieronymus asserunt prodiisse Chaldæos. Quod si verum est, oportet olim Chaldæam fuisse distinctam à Babylonia, quam diximus obtigisse filiis Nemrod; posterioribus autem temporibus Babyloniam in Chaldæa extitisse perhibent. Alij putant, de Arphaxad descendisse eos, qui posteà Susij dicti sunt; vnde Susiana prouincia nomen accepit, quæ inter Chaldæam & Persidem posita dicitur. Quinam verò de Cainan filio Arphaxad, & de Sale filio Cainan, populi prodierint, ignorum est. De Heber autem filio Sale descendisse Hebræos per lineam Phaleg, satis apertè colligitur Genes. cap. 11. vers. 17. vsque ad finem capitis. & infrà sub anno mundi 2217. num. 2. probabimus, ipsos Hebræos CHALDAEI. SVSII. HEBRAEI.

 ab

ab ipso Heber fuisse denominatos. Portò Hebræos vsque ad Abrahami tempora habitasse in Chaldæa, colligi potest Genes.cap. 15. vers. 7. & clariùs habetur Iudith cap. 5. vers. 6. & 7. Et prætereà certum est, quòd Thare, qui fuit quintus de posteris dicti Heber, venit cum filio suo Abramo, & Lot filio alterius filij sui Aran, in Mesopotamiæ vrbem nomine Haran, siue Charan, Genes. cap. 12. vers. 5. eoque non multò pòst venit etiam Nachor, alter Abrahæ frater, à quo posteà denominata est illa vrbs Nachor, ad quam deinde post multos annos Abraham misit seruum suum, vt ibi acciperet vxorem filio suo Isaac, quemadmodum patet legenti cap. Genes. 24. & 29. Ibidem namque ipse Nachor genuerat de Melcha vxore sua octo filios, & de Roma concubina sua quattuor, quorum nomina recensentur Genes. cap. 22. vers. 20. inter quos nominatur Camuel pater Syrorum. Vnde apparet, filios Nachor habitatoribus repleuisse non solùm partem Mesopotamiæ, sed etiam Syriæ. Abraham autem de dicta vrbe Haran cum Lot nepote suo venit, habitauitque in terra Chanaan ipse, & posteà filius eius Isaac, & nepos Iacob: qui licet deinde cum filiis suis profectus sit in Ægyprum, inde tamen post multa tempora redierunt posteri eius in terram Chanaan; vbi deinceps sub nomine populi Israëlitici & Iudaici diu admodum floruerunt: vt videre est in libris Iosue, Iudicum, & Regum. De Heber quoque per eamdem lineam Phaleg succedentibus temporibus propagati sunt & alij populi, nimirum ex duobus filiis memorati Lot, Moab scilicet & Ammon, Moabitæ & Ammonitæ. Et de Ismaële filio Abrahæ ex Agar ancilla, Ismaëlitæ, & Agareni. Item de Madian pariter filio Abrahæ, & aliis ex Cetura genitis, Madianitæ, aliique plures, qui breuiter recensentur initio cap. 25: Genesis, & 1. Paralipomenon cap. 1. versic. 29. vsque ad 34. De Esau quoque, qui & Edom, fratre dicti Iacob, prodiere Idumæi: & de Amalec filio Eliphaz filij Esau, Amalecitæ: & de aliis filiis Esau, alij populi, vt colligi potest Genesis cap. 36. vers. 15. vsque ad finem capitis.

MOABITAE. AMMONITAE. ISMAELITAE. AGARENI. MADIANITAE. EDVMAEI. AMALECITAE.

DE FILIIS IECTAN.

53. Ex linea verò Iectan, qui fuit alter filius Heber, connumerantur Genes. cap. 10. vers. 26. & 1. Paralipom. cap. 1. vers. 20. tredecim progenies, de quibus quinam populi prodierint, incompertum habemus; nisi quòd Genes. cap. citato vers. 30. legimus, eas habitasse à Messa vsque Sephar montem Orientalem. Vbi autem essent Messa & Sephar, nescimus: nam quod ait Arias Montanus in calce libri, Phaleg inscripti, Sephar in nouo Orbe reperiri, & esse omnium qui vspiam reperiantur montium longissimum, si libet, credi magis potest, quàm probari: tametsi Iuktan, nomen vrbis, quam in illis partibus existere asserit, ob similitudinem vocis cum Iectan, aliquam, licet valdè obscuram, facere posse videatur probabilitatem. Certè si vera sunt, quæ suprà num. 45. contra dictum Ariam disputauimus; non est verisimile, quemquam de filiis Iectan ad noui Orbis partes penetrasse, sed non nisi post multa tempora, eorum posteros. Et, si Iosepho ac B. Hieronymo credimus, quos alij ferè omnes secuti sunt, oportet filios Iectan latissimas Indiæ Orientalis regiones, illisque finitimas primò incoluisse. *Harum gentium* (inquit idem B. Hieronymus) *posteriora nomina inuenire non potui, sed vsque in præsens, quia procul à nobis sunt, vel ita vocantur vt pridem, vel quæ immutata sunt, ignorantur.* His tamen eiusdem B. Hieronymi dictis haud obstantibus, non defuere qui putarunt, de Elmodad exisse Themeothas; de Saleph, Selebios; de Asarmoth, Sarmatas & Sauromatas, & ab iis Sarmatiam regionem esse denominatam. de Iare, qui Ariam & Arachosiam primi incoluere: de Aduram, Hyrcanos, vnde Hyrcania prouincia, quæ olim nomen dedit mari proximo, quod priùs Hyrcanum, posteà Caspium appellatum fuit. de Vzal, Oxios & Bactrianos: de Decla, Scythas intra Imauum montem habitantes: de Ebal, Bolitas intra Caucasum & Paropanysum montes: de Abimaël, Imauos, à quibus mons Imauus admodum celebris denominatus est: de Saba, quos Pomponius Mela & Ptolemæus vocant Sacos, vel qui à Dionysio Geographo dicuntur Sabæi Indiam incolentes, ad differentiam illorum qui in Arabia habitabant. De Ophir, qui regionem nunc Peru in nouo Orbe appellatam primi tenuerunt. De Heuila, qui plagas circa Gangem fluuium existentes inhabitare cœperunt. De Iobab, qui ad terram noui Orbis, Parias dictam, ante omnes penetrarunt. Et hæc ferè omnia ex dicto Aria, qui vndenam ea desumpserit, præsertim quæ de nouo Orbe memorat, ignoramus. Hactenus de filiis Iectan.

THEMEOTHAE. SELEBII. SARMATAE. ARACHOSII. HYRCANI. OXII. BACTRIANI. SCYTHAE. BOLITAE. IMAVI. SACI. SABAEI. PERV.

LYDI.

54. Remanent duo de filiis Sem, nempe Lud, & Aran. De primo Lydos prodiisse, asserunt Iosephus & B. Hieronymus, & alij hos secuti. Lydos, inquam, olim Asiæ minoris incolas, qui & Ludi etiam sunt appellati, & consequenter admodum diuersi fuerunt ab hisce Lydis, quos suprà num. 31. de Ludim filio Mesraim originem pariter ac

nomen

nomen accepisse, quamdamque Africæ regionem eodem vocabulo olim nuncupatam, Ægyptoque finitimam, inhabitasse probauimus. De Aran, postremo loco inter filios Sem commemorato, Arias putat exisse Armenos Armeniæ maioris habitatores, quod an verum sit, nescio. Sanè Iosephus & beatus Hieronymus de eodem Aran, siue Aram, aiunt propagatos esse Aramæos, quos Græci, inquit Iosephus, vocant Syros. Et hoc quoq; colligi potest ex pluribus sacræ Scripturæ locis, in quibus pro *Aram* Hebraicè, Latinus Interpres vertit *Syriam*, quæ antiquitus in varias subdiuidebatur prouincias, hæque cum aliqua nominis adiectione distinguebantur, nempe Aram, seu Syriam Damasci, Cœlesyriam, Aram Soba, Aram Naharaim, id est, Interamnem, quia inter Euphratem ac Tigrim erat posita, quam Græci posteà Mesopotamiam, & Scriptura sacra quandoque Mesopotamiam Syriæ nominat. Ceterùm Aram filius Sem, inter alios eius filios, quatuor habuit familiarum principes, à quibus singulis alios populos emanasse, in confesso est apud omnes. Nam de Vs, vt aiunt Iosephus & B. Hieronymus, exierunt populi, qui Trachonitidem regionem, cuius fit mentio Lucæ cap. 3. v. 1. inter Palæstinam & Cœlesyriam primi incoluerunt, & Damascum condidisse dicuntur, & Ausitidem populis repleuisse, quæ etiam terra Vs dicta est, ab ipso Vs filio Aram sic denominata; in qua natus est Iob, vt patet initio eius libri, & ante ipsum habitauit Esau, à quo pars illius terræ dicta est Edom. Edom enim in terra Hus extitisse, apertè tradit liber Threnorum cap. 4. vers. 21. Et hæc terra in Arabiæ Syriæque finibus posita erat, non longè à Chaldæis ac Sabæis: vt non obscurè inferri potest ex historia ipsius Iob, cap. 1. vers. 15. & 17. vbi fit mentio horum populorum, qui eius armenta surripuerant. Quamquam, quod attinet ad Sabæos, credendum sit, non esse illos, quos de Saba filio Iectan propagatos, quamdam IndiæOrientalis regionem incoluisse, suprà num. 53. diximus. neque eos, qui de Saba filio Chus, aut de altero Saba filio Regmæ filij Chus, in Arabia quidem, sed illi ad mare Rubrum, isti ad sinum Persicum (vt suprà num. 28. dictum est) habitabant: siquidē omnes isti valdè remoti fuisse videntur à terra Hus. sed, vt arbitror, fuisse alios Sabæos, ab alio Saba progenitos, qui fuit filius Iecsan filij Abrahę ex Cetura, cuius meminit Scriptura Genes. cap. 25. vers. 3. Hos namque ipsi terræ Hus proximiores extitisse, probabilius est. Ceterùm, de Hul, altero filio Aram, citati Auctores aiunt prodiisse Armenos: de Gether, alter ipsorum, nempe B. Hieronymus, Acarnanios, seu Carios; Iosephus verò Bactrianos: de Mes, Mesanæos, seu Meones, vel, vt alij, Mysios ex Mysia regione; quos Iuuenalis vocat Mœsos, inquiens: *De grege Mœsorum.* —— Et hæc dicta sint de prima illa Mundi diuisione in varias regiones ac linguas, à filiis ac posteris Noë olim peracta.

ARMENI, ARAMAEI, QVI ET SYRI.

TRACHONITIS REGIO, AVSITIS, SEV TERRA HVS.

ARMENI. ACARNANII, SIVE CARII. MESANAEI, SIVE MEONES, AVT MYSII, VEL MOESI.

§ 55. Nam non multò pòst, sicuti primas linguas, ita etiam huiusmodi regionum distributiones confundi cœptas esse, certissimum est. Etenim inordinata regnandi ac dominandi cupido, quæ primò, vt diximus, excelluit in Nemrod, deinde ad posteros suos, necnon & ad alios per cuncta ferè sæcula pertransiit, innumeras bellorum causas excitauit, & multos populos de propriis sedibus pulsus ad alias commigrare coëgit, & colonias transmittere docuit, vrbes destruere, alias ædificare, regna transferre, linguas miscere, & paulatim insusitatas introducere, prouinciarum terminos immutare, atque regionibus ipsis, necnon & ciuitatibus ac locis noua nomina imponere, &, vt vno verbo dicam, omnia confundere: ita vt breui, primæ illius distributionis terrarum pauca admodum vestigia remanserint. Etenim certum est, terram Sennaar mox Babyloniam fuisse nuncupatam; & Babylonios Reges, regni sedem in Assyrios transtulisse, ac deinceps multo tempore appellari voluisse Assyrios: & terram à Chananæis, qui erant de stirpe Cham, vi occupatam, ac diu possessam, tandem ad Hebræos, qui de Sem descenderant, rediisse; ac mutato sæpiùs nomine, aliquando Terram Israël, Iudæam, Palæstinam, Terram sanctam esse vocatam: item terram Cham, Ægypti nomen accepisse. Posterioribus verò temporibus, vniuersas pænè Australes Asiæ regiones, quæ priùs à filiis Sem cultæ habitatoribusque repletæ fuerant, ab Alexandro Magno, Græcisque, qui, vt suprà num. 22. dictum est, de Iapheth prodierant, fuisse occupatas ac possessas, Græcamque in eas linguam esse introductam; & idem ferè factum fuisse per oras Africæ Aquilonares, præsertim verò in tota Ægypto, quam tamen à filiis Cham primò inhabitatam esse, iam num. 31. ostendimus. è conuerso autem in Peloponneso, quæ Græciæ pars est, nunc Italicè *Morea* vulgò nuncupata, ad quam olim primò incolendam diximus peruenisse filios seu posteros Iapheth, cōstat mox floruisse Lacedæmonios, qui & Spartiatæ siue Spartani dicuntur, & à Lycurgo pariter Spartiata, leges acceperunt, vt videre est in eiusdem Lycurgi vita apud Plutarchum. Hos enim de Abrahami

VNDE MVTATIONES REGIONVM, REGNORVM AC LINGVARVM.

hami semine, & consequenter de Sem prodiisse, apertè traditur 1. Machab. cap. 12. versic. 21. & apud Iosephum 12. Antiq. cap. 5. & lib. 13. cap. 9. appellantur cognati, seu de cognatione Iudæorum. Sed nimis longum esset, innumeras eiusmodi alias nominum, populorum, linguarum, regnorum, ac prouinciarum, vrbiumque mutationes persequi. Conferat prudens Lector veterum libros, tabulasque Geographorum, & priscorum Historias cum modernis ac recentioribus; & inueniet non solum nomina vrbium, & prouinciarum, ac regnorum; sed etiam ipsorum terminos, & interdum situs quoque prorsus fuisse immutatos: & quandoque de plurimis paruis regnis, prouinciisve, facta esse pauciora & ampliora, quandoq; verò, è contrario, magna regna ingentesq; prouincias, in plures paruas esse diuisas: ita vt (quantum ad hoc spectat) tota pænè terrarum facies videatur variata, & succedentibus temporibus assidue variari.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1932.	SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 276.

INITIVM REGNI BELIS SIVE NEMROD.

1 AB Anno, diuisionem linguarum ac discessionem gentium de terra Sennaar circiter insequente, credimus auspicandos esse annos regni Nemrod in Babylone & vrbibus proximis super gentem linguæ suæ, quæ sola ibi remanserat, ac deinde etiam super alias finitimas à se occupatas, vt sub anno mundi præcedente numer. 29. & 30. comprubauimus. Porrò iste Nemrod, si fuit idem cum Belo, vt loco proxime citato docuimus, regnauit in Babylone annis sexaginta quinque, vt tradunt Eusebius in Chronico, & B. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 17. & alij. Qualis autem vir fuerit iste Nemrod siue Bel, satis à nobis dictum est locis paulò antè citatis.

INITIA REGNORVM ALIARVM GENTIVM.

2. Per idem quoque tempus, credibile est, ceterarum quoque linguarum principes regnare cœpisse (non tamen tyrannicè, vt Nemrod) singulos in gente sua, & in singulis regionibus, ad quas primò incolendas peruenerunt. Puto autem eas non admodum à Babylonia fuisse remotas: rationabile namque est credere, priùs proximiores quàm remotiores à priscis illis gentibus terras fuisse cultas. Quamquam non multò pòst, ad declinandam nimis molestam ipsius Nemrod tyrannidem, qui non contentus imperare Babyloniis, alias quoque finitimas gentes infestare, ac sibi violenter subiugare nitebatur, plurimos longiùs recessisse credimus. Quare, quemadmodum posteà in primitiua Ecclesia, prima illa persecutio, quæ facta est Ierosolymis aduersus Christi fideles, in causa fuit, vt ipsi ad fidem latiùs propagandam dispergerentur in varias Orbis prouincias, quibus deinde scripsit B. Petrus primam illam Epistolam, nimirum, *Electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*: ita priscis illis temporibus diuina prouidentia factum est, vt tyrannica inuasio ipsius Nemrod, diuinæ ordinationi deseruiret, ad populis replendas etiam alias terrarum regiones, à prioribus illis valdè admodum remotas. In quibus deinceps varia regna surrexisse, dubitandum non est; præcipuè verò apud Ægyptios, & item apud Sicyonios in Græcia, de quibus aliquid suis locis ex Eusebio tangemus: nam de regno Italiæ, quod Io. Lucidus in suis tabulis ponit cœpisse viginti quattuor annis ante Nemrod primum Regem Babylonis, adeò irrationabile est, vt figmento simile videatur. De cunctis autem priscorum illorum temporum regnis, sicuti nullum aliud tempore præcessit regnum Babylonis, ita nullum illo maius fuit. Nam non multò pòst, nempe temporibus Nini, qui sedem eius transtulit in Assyriam, vsqueadeò excreuit, vt Monarchiæ Assyriorum nomen acceperit. Quare nos aliqua quidem certiora quorumdam regnorum Ethnicorum initia suis locis commemorare non negligemus; verumtamen successiuam Regum seriem, tantummodò huius, & aliarum Monarchiarum, quarum Scriptura sacra meminit, in hisce nostris Annalibus adnotabimus.

DYNASTIARVM AEGYPTIORVM INITIA.

3. Ab hoc quoque circiter tempore, & non priùs, sed potiùs aliquantò pòst, oportet inchoatas esse Dynastias seu Potentatus Ægyptiorum. certum est enim ex supradictis, & irrefragabili ipsiusmet sacræ Scripturæ testimonio, ante diuisionem linguarum gentes non esse diuisas, sed post: neque vllas alias orbis regiones, præter Armeniam & Babyloniam, & loca ad Orientem illis proxima, ab hominibus post Diluuium fuisse inhabitatas, nisi, vt diximus, post diuisionem linguarum. Quamobrem benè Ioan. Lucidus lib. 5. de Emendatione temporum cap. 1. & in suis tabulis, primam Ægyptiorum Dynastiam inchoat ab initio regni Nemrod & Chaldæorum. Vnde necessarium videtur asserere, sexdecim illas priores Dynastias, quas Eusebius in Chronico ponit præcessisse ortum Abrahæ, aut fuisse multò pauciores, aut admodum breues: etenim hinc

hinc ad natiuitatem Abrahæ computantur tantummodò anni centum septem, vt pareret in tabulis, nimirum sexagintaquinque regni ipsius Nemrod seu Beli, qui fuit primus Rex Chaldæorum; & quadraginta duo regni Nini, qui immediatè successit Belo: natum enim esse Abrahamum anno quadragesimo tertio regni ipsius Nini, infrà sub anno mundi 1997. num. 1. probabitur. Vnde sequitur, non potuisse singulas Dynastias septem annos expleuisse.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1956. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 300.

1. ANNO trecentesimo post expletum Diluuium, (si tamen vera sunt quę sub anno mundi 1756. ex Methodio retulimus) Noë datis Ionicho filio suo amplissimis muneribus, misit eum in terram Ethan, vsque ad Eliocora, id est Solis regionem, ad quam aiunt etiam accessisse nonnullos filiorum Iapheth, ibique ciuitatem extruxisse, quam Ionicam ex eius nomine appellarunt. Sed hæc quoque tamquam incerta & dubia, vtcumque hoc loco sint commemorata. IONICHVS FILIVS NOE CREDITVR A PATRE MANVMISSVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1966. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 310.

1 ANNO regni Nemrod, siue Beli, trigesimo quinto circiter inchoante, oportet cœpisse regnum Sicyoniorum, in ea Græciæ prouincia, quæ postmodum Achaia dicta est. Quod ex Eusebio colligimus, qui in Chronico ait, Ægialeum primum Sicyoniorum regem (ex cuius nomine territorium, quod posteà Peloponnesus appellatum fuit, prius Ægialia dicebatur) regnasse annis quinquaginta duobus; & quòd ipso defuncto regnare cœpit secundus Sicyoniorum Rex, nomine Europs, cuius anno regni vigesimo secundo (vt idem Eusebius ibidem non semel repetit, quamuis quodam in locu corruptè legatur vigesimo quinto) natus est Abraham. Ex quibus Eusebij dictis manifestè deducitur, ipsum Ægialeum regnasse Belo adhuc superstite annis vno & triginta, ac defunctum esse, anno regni Nini vigesimo primo circiter desinente. Hinc enim vsque ad annum quadragesimum tertium regni eiusdem Nini, in quo natus est Abraham, remanent præcisè anni viginti duo regni Europs; vt clarius omnia hæc videre erit in tabulis. Igitur Ægialeus, vt dictum est, regnare cœpit circa initia huius anni trigesimi quinti, ex quo regnare in Babylone cœperat Belus. Fuit ergo Sicyon Sicyoniorum metropolis, vrbs antiquissima ac nobilissima in ea Peloponnesi prouincia, quæ postmodum Achaia dicta est, non procul à Corintho posita. Hæc à Sicyone decimonono eius Rege, nomen accepisse, & vicinæ regioni Sicyoniæ nomen dedisse creditur. Nam olim, vt dictum est, tam ipsa vrbs, quàm eius regio Ægialia dicebatur: posteà verò ab Apis quarto eius rege Apia; deinde, vt diximus, à Sicyone, Sicyonia; ac demum à Pelope Tantali filio, Peloponnesus dicta est: quo nomine postmodum tota illa pæninsula, quæ nunc Morea dicitur, nuncupari cœpit. In Sicyone quot annis regnatum sit, non conuenit inter Auctores, quandoquidem ex Eusebio (qui in Chronico, præter dictum Ægialeum, alios vigintiquattuor Reges recenset, & singulorum annos notat) videtur posse colligi, regnum hoc perdurasse annis 888. Chronographia verò Castoris ab eodem Eusebio relata, ponit ab Ægialeo primo ad Zeusippum vltimum Sicyoniorum Regem annos 862. Alij autem eos faciunt 962. præter alios 32. quibus præfuisse dicuntur sacerdotes Carni, qui 32. anni prædictis 962. additi, faciunt summam annorum 994. At S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 19. *Regnum*, inquit, *Sicyoniorum per annos 959. traditur fuisse porrectum*. In hac opinionum diuersitate quid sentiendum sit, nos sub anno mundi 2928. num. 1. indicabimus. Ceterùm Sicyonem Plinius lib. 36. cap. 4. Officinarum omnium metallicarum patriam appellat. Fuit etiam patria Arati, viri quondam clarissimi, cuius vitam inter alias Illustrium virorum scribit Plutarchus. Hodie eadem vrbs satis obscura est, & vulgò *Vasilico* dicitur. REGNI SICYONIORVM INITIVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1979. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 323.

1 ANNO vitæ suæ septuagesimo explero, seu septuagesimo primo circiter inchoante, Thare dicitur genuisse tres filios, nempe Abraham, Nachor, & Aran; Genes.

THARE COSPIT GIGNERE TRES FILIOS SVOS IN SCRIPTVRA NOMINATOS.

Genef. cap. 11. verfic. 26. Quamquam, quemadmodum fuprà diximus de Noë, non debemus accipere quòd Thare genuerit hos tres eodem anno, vt ait S. Auguftinus quæft. 25. in Genef. cuius verba funt hæc: *Non vtique hoc intelligi voluit, quia eodem anno feptuagefimo ætatis fuæ omnes tres genuit; fed, ex quo anno generare cœpit, eum annum commemorauit Scriptura. Fieri autem potuit, vt pofterior fit generatus Abraham, fed merito excellentiæ, qua in Scripturis valdè commendatur, prior fuerit nominatus; ficut Propheta priùs nominauit minorem: Iacob dilexi, Efau autem odio habui. & in Paralipomenon, cùm fit quartus nafcendi ordine Iudas, prior eft nominatus; à quo Iudaicæ genti nomen eft datum, propter tribum regiam*. Sic S.Auguftinus. cuius fententiam fecuti, credimus ipfum Thare nullum faltem ex prænominatis ante prædictum annum genuiffe. Etenim non placet opinio Pererij, qui exponens præcitatum Genefis locum, *Vixítque Thare feptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran*; dicit, germanum ac veriffimum huius fententiæ intellectum effe, ac fi dixiffet: Cùm Thare vixiffet annos feptuaginta, iam genuerat Abraham, & Nachor, & Aran. videlicet Abraham eodem anno feptuagefimo, reliquos autem duos priùs. Certè fi fic eft, oportet eodem modo exponere textum Genef. cap.5. in fine, vbi legimus: *Noë cùm quingentorum effet annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth*. id eft, quòd vnum ex his eo anno genuerit, reliquos verò duos iam anteà genuiffet. Atqui hoc nullo modo ftare poteft: nam Genef. cap. 11. verf. 10. legimus, quòd *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio poft Diluuium*. Vnde videtur Sem natus, non anno quingentefimo, fed quingentefimo fecundo vitæ patris fui Noë, vt fentiunt Hebræi. Et confirmari poteft ex textu LXX. Interpretum Genef.cap.10. vbi loquitur de Sem, cuius fratrem, Iapheth appellat maiorem. Quòd fi magis cum textu Vulgato ibidem verf. 21. dixeris, Sem fuiffe natu maiorem ipfo Iapheth, & natum effe anno quingentefimo vitæ ipfius Noë, eo modo quo nos fub anno mundi 1659. num.2. declarauimus; neceffarium erit fateri, ipfum Iapheth natum effe poft prædictum annum quingentefimum ætatis Noë; & item poft ipfum Iapheth, genitum effe Cham, qui Genef.cap.9. verf. 24. appellatur filius minor ipfius Noë. Quare fi memorata Pererij expofitio non poteft adaptari textui Genef. cap.5. non poterit etiam competere textui Genef. cap.11. Etenim vtrobique eadem prorfus fententia eft, mutatis nominibus, & idem loquendi modus; & nulla videtur poffe affignari caufa, quamobrem diuerfimode vterque locus explicari debeat. Itaque præferamus Pererio, fi placet, expofitionem B.Auguftini, & cum ipfo dicamus, ipfum Thare, cùm effet feptuaginta annorum, cœpiffe generare tres filios fuperiùs memoratos, & non eodem anno omnes; fed vnum tantum genuiffe, reliquos verò duos poftea.

2. Quòd fi quæras, quis hoc anno & ante alios fit genitus: dicimus, de Abramo nos infrà fub anno mundi 2039. probaturos, quòd ipfe multis poftea ab hinc annis natus eft. De Nachor verò & Aran, quifnam prior ortus fit, difficile admodum certò fciri poteft. Verumtamen fi Abraham prius nominatus eft, quia ceteris longè dignior fuit, cùm inter alios duos nulla dignitatis differentia extitiffe videatur; probabilius videtur, eum fuiffe natu maiorem, qui prior in ordine eft pofitus. nam de hoc nihil in Scripturis facris oppofitum reperimus: non fic autem de filiis Noë, quorum Cham declaratus eft minor, vt dictum eft. Itaque probabiliter conicere poffumus, hoc anno de Thare natum effe tantummodò Nachor: quando autem natus fit Aran, incompertum habemus. Puto autem Moyfen, ceteris Thare filiis filentio inuolutis, hos tantùm tres commemoraffe, quòd ex his vniuerfa gens fua originem duxiffet: fiquidem illa ex Abrahamo paternum, ex aliis verò duobus maternum genus habuit. Nam fcimus quòd Abraham de Sara filia Aran genuit Ifaac; Ifaac autem ex Rebecca filia Nachor, more Hebraico, id eft filia Bathuelis filij Nachor, (vt habemus Genef. cap.24. verf.15. 24. & 47.) genuit Iacob, Iacob verò ex Rachele & Lia filiabus Laban, duodecim Patriarchas, de quibus duodecim tribus Ifraël. Fuit autem Laban frater Rebeccæ, vt habetur cap. Genef. proximè citato verf.29. id eft, & ipfe filius Bathuelis, filij Nachor; vnde etiam Genef.cap.29. verf.5. more, vt dixi, Hebræorum, appellatur filius Nachor. Itaque, vt dictum eft, de Abraham, Nachor, & Aran, omne genus prodiit Ifraëlitarum & Iudæorum.

CVR TRES TANTVM FILII THARE RECENSITI.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 1996. | SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 340.

ARPHAXAD QVANDO MORTVVS, ET CVM QVIBVS VIXERIT, AC QVAMDIV CVM SINGVLIS.

1 ANNO trecentesimo trigesimo octauo ætatis suæ Arphaxad mortuus est, Genes. cap. 11. vers. 13. iuxta editionem Vulgatam, quam sequimur: nam textus LXX. Interpretum, quem sub anno mundi 131. num. 4. probauimus in hac parte fuisse corruptum, ponit ipsum Arphaxad vixisse annos quadringentos triginta quinque.

Itaque Arphaxad vixit cum	Noë	annis	trecentis triginta octo.
	Sem		trecentis triginta octo.
	Cainan		trecentis tribus.
	Sale		ducentis septuaginta tribus.
	Heber		ducentis quadraginta tribus.
	Phaleg		ducentis nouem.
	Reu		centum septuaginta nouem.
	Sarug		centum quadraginta septem.
	Nachot		centum decem & septem.
	Thare		octoginta octo.
	Nacbor		decem & octo.

ORTVS NIMROD SIVE BELI.

2. Eodem anno, qui erat octogesimus octauus ætatis Thare, vt patet in tabulis, necesse est obusse Nemrod, siue Belum, Nini patrem: hoc enim anno desinente completi sunt (vt in iisdem tabulis apparet) sexaginta quinque anni, quibus ipsum Belum regnasse scribit Eusebius in Chronico, vbi agit de genealogia Sem filij Noë. Huius mortui simulacrum postea Ninus filius coli iussit instar Dei, vt latiùs sub anno mundi proximo num. 2. declarabimus. Nemo autem miretur, nos posuisse obitum Beli in anno Thare octogesimo octauo, cùm Eusebius eumdem posuerit sexaginta annis anteà, videlicet in anno eiusdem Thare vigesimo octauo: nimirum id facere coacti sumus, quoniam Eusebius natiuitatem Abrahæ (quæ necessariò ponenda est in anno quadragesimo tertio regni Nini, vt sub anno mundi 2039. num. 1. ostendemus) posuit in anno septuagesimo vitæ Thare, nos verò in annum eiusdem Thare centesimum trigesimum eamdem ponemus, ob causas sub anno mundi proximè adducto assignandas. Et hinc necessariò oritur inter Eusebium & nos prædicta de tempore ortus Abrahæ sexaginta annorum differentia. Ceterùm, quamuis Genes. cap. 10. vers. 10. manifestum sit, Nemrod siue Belum regnasse in Babylone: non tamen arguendus videtur Eusebius quòd loco citato dixerit eumdem Belum fuisse primum Regem Assyriorum. nam & hoc etiam non semel asseruit B. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 2. & cap. 21. idque non immeritò, quàdoquidem, vt sub anno mundi 2016. num. 5. dicemus, Babylon olim, & fortè etiam Eusebij temporibus, inter Assyriæ oppida computabatur. Vnde & Herodotus lib. 1. versus finem hæc ad verbum, ait: *Assyriæ, cùm alia multa sunt magna oppida, tum verò celeberrimi nominis ac validissimum Babylon.* Nos tamen inter Monarchiæ Assyriorum Reges, prætermisso Belo, primum ponemus Ninum; tum præcipuè ob ea quæ sub anno mundi num. 5. proximè citatis de huius Monarchiæ Rege dicenda erunt; tum etiam, ne in numeris horum Regum adnotandis ab Eusebio, qui in Chronicis idem facit, dissentientes, aliquam in legentium animis confusionem gignere velle videamur.

CVR A NINO NON A BELO REGES ASSYRIORVM NVMERANDI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1997. | SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 341.

REGNARE COEPIT NINVS.

1 ANNO insequente, qui erat ab expleto Diluuio annus trecentesimus quadragesimus primus, cœpisse regnare Ninum, inde etiam colligimus, quòd tam Ethnici quàm Christiani Scriptores fatentur, Ninum regnasse quinquaginta duobus annis, & Abramum natum esse anno quadragesimo tertio regni Nini, vt ait Pererius lib. 15. in Genes. num. 148. & lib. 16. num. 236. idem auctor testatur, hanc fuisse sententiam Eusebij, Hieronymi, Augustini, Cyrilli, Bedæ, Isidori, & omnium Scriptorum Ecclesiasticorum. Infrà autem sub anno mundi 2039. num. 1. & sequentibus probabimus, Abramum natum esse anno post Diluuium trecentesimo octogesimo tertio. Itaque si annus à Diluuio trecentesimus octogesimus tertius, fuit quadragesimus tertius

tius regni Nini; proculdubiò annus ab expleto Diluuio trecentesimus quadragesimus primus, erit primus regni eiusdem Nini.

2. Hic, circa regni sui initia, inordinato quodam actus pietatis affectu erga patrem suum nuper defunctum, primus ei imaginem erexit, eamque reis veluti asylum esse voluit; vt sic populos ad honorandum patrem suum etiam post mortem incitaret. Ex quo errore sensim introductus est cultus simulacrorum & imaginum; & exinde Bel tamquam Deus, ab Assyriis primùm & Chaldæis, mox etiam à ceteris gentibus coli cœpit, qui posteà à populis, pro varietate linguarum, diuersimode appellatus est; nimirum Bel, Baal, Baalim, Belzabub, Belsegor, & huiusmodi. Et quoniam Bel primus fuit, qui ab hominibus pro Deo habitus & inuocatus fuerit, idcircò eumdem Gentilitas Saturnum, quem Græci deorum parentem faciunt, posteà appellauit; quod etiam ex Eusebio comprobari potest, qui in Chronico ait: ***Belum, Assyrij, deum nominarunt Saturnum.*** & libro 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. non longe à principio, ex Alexandro Historico & ex Eupolemo refert, primum Babylonis Belum regnasse, quem Latine, inquit, Saturnum dicimus. Porrò ad hanc primam idololatriæ introducendæ occasionem alludere voluisse videtur Auctor libri Sapientiæ cap. 14. vers. 15. illis verbis: ***Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem; & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere cœpit; & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta,*** &c. Quæ Sapientiæ verba, tametsi nonnihil diuersum tradere videantur, ab his quæ de Nino retulimus; quippe qui primus non filij, sed patris defuncti imaginem fecisse ac coluisse dicitur: nihilominus vniuersaliter in idem incidunt. Nam verus verborum Sapientiæ sensus est, idololatriam ab inordinato pietatis affectu initium sumpsisse, licet diuersimodè, nonnumquam patre faciente imaginem filij, interdum verò contrà, vt de Nino dictum est, & benè notat Iansenius super loco Sapientiæ citato. Aduertendum tamen est, quòd licet idololatria communiter credatur initium sumpsisse à Nino: nihilominùs credibilius videtur, non quidem Ninum absolutè primum idololatriæ auctorem fuisse; sed primum, post Diluuium. nam etiam ante Diluuiũ idololatras extitisse, iam nos sub anno mundi 236. num. 3. ostendimus. Sed neque omnino primus post Diluuium Ninus Dei cultum creaturis tribuendum esse docuit: siquidem anteà Belus pater eius solem adorasse, & Orientales prouincias ad eiusmodi errorem perduxisse fertur, vt sub anno mundi 1931. num. 28. ex Hugone probatum est. Ninus ergo post Diluuium primus omnium humana fingi simulacra & defunctorum imagines, eisq; paulatim diuinos exhiberi honores curauit. Quare, quod sub anno mundi 1850. num. 1. diximus ex S. Epiphanio & Suida, nempe idololatriam, hoc est cultum imaginum, cœpisse temporibus Sarug, pressiùs exponi debet, id est, anno vitæ eius circiter centesimo quadragesimo octauo, qui concurrit cum anno regni ipsius Nini primo, vt patet in tabulis.

BEL PRIMVM PRO DEO HABITVS, AC DE IDOLOLATRIAE INITIO.

¶ 3. Verumtamen si quis vniuersaliores altioresque idololatriæ causas inquirere sciréve auet, & quomodo introducta, & multipliciter aucta ac dilatata fuerit, consulat beatum Gregorium Nazianzenum, Oratione 2. de Theologia. vbi cùm priùs præclarè ostendisset, mentem humanam languere ac fatisci, quamdiu cum sua infirmitate, ea quæ vires eius excedunt, speculatur; protinus subiungit: ***Etenim Deum quidem, ac primariam illam causam, natura quidem omnis rationis particeps appetit. Ceterùm, ob eas quas dixi causas, viribus deficitur. Languens autem desiderio, maléque omnino affecta, ægerrimeq; hoc damnum ferens, secundam, vt dici solet, nauigationem init; vt scilicet vel ad eas res quæ sub aspectum cadunt, oculos flectat, ac quampiam earum pro numine colat, pernicioso vtique errore labens; (quid enim in omnibus rebus quæ oculis cernuntur, excelsius & diuinius est eo à quo cernuntur, vt illud adoretur, hoc adoret?) vel per aspectabilium rerum pulchritudinem ordinémque, Dei cognitionem assequatur, atque ad ea percipienda, quæ oculorum obtutum fugiunt, ducibus oculis vtatur, non autem per earum rerum, quæ oculis subiecta sunt, magnificentiam, Dei iacturam faciat. Hinc alij solem, alij lunam, alij siderum multitudinem, alij cælum quoque ipsum vnà cum illis (quibus, pro motus qualitate vel quantitate, mundi gubernationem administrationemq; tribuerunt) alij rursus propter necessarium vsum, terram, aquam, aërem, ignem, quòd his sublatis, humanæ vitæ salus incolumitasq; constare non possit. Alij denique quidquid temerè ex rebus aspectabilibus ipsis occurrit, coluerunt, pulcherrima quæque eorum, quæ oculis obuersabantur, deos sibi proponentes. Nec defuerunt qui imagines atque figmenta diuinis honoribus affecerint, primùm quidem propinquorum ac necessariorum, ij videlicet, qui vehementiori luctu afflicti erant, corporique addictiores; ac proinde homines vita per-***

DE IDOLOLATRIAE CAVSIS EX NAZIANZENO.

perfunctos, monumentorum honore prosequebantur: posteà autem alienorum quoque, nempe iis, qui multis post eos sæculis extiterunt, ignoratione videlicet primæ naturæ, ac serie per manus ipsis à maioribus traditi honoris, quasi iusti & necessarij. Consuetudo enim temporis longinquitate confirmata, pro lege habita est. Nonnulli etiam principatum atque imperium colentes, & corporis robur laudibus efferentes, ac formæ venustatem admirantes, eum qui ab his rebus ornabatur, temporis progressu in deorum numerum adscripserunt; ad huiusmodi imposturæ subsidium & patrocinium fabulas quasdam assumentes. Iam vitiosissimi quique, vitia ipsa fœdosq; affectus, deos esse censuerunt; aut certè sub deorum nomine coluerunt; iram nimirum, cædem, libidinem, temulentiam, reliquáque eius generis, non æquam nec honestam hanc scelerum suorum excusationem nacti. Atque eos partim humi reliquerunt, partim sub terram abdiderunt, (hoc vnum satis consultè) partim in cælum euexerunt. ô ridiculam hæreditatis partitionem! Ac deinde figmento cuique nomen aliquod vel deorum vel dæmonum tribuerunt, pro erroris nimirum licentia, solutaq; libertate. Statuasq; insuper erexerunt, eásque adeò magnificas & excellentes, vt pretio ipso vulgi animos inescarent. Ad hæc victimarum cruore, ac sacrificiorum nidoribus: quidam etiam obscœnis flagitiis, hoc est, furore ac cædibus, huiusmodi numina honorari existimarunt. Tales quippe honores diis talibus haberi conueniebat. Eò etiam amentia quidam proruperunt, vt bestiis, & quadrupedibus, & reptilibus, atque horum turpissimis quibusque maximéque ridiculis, seipsos dedecorarent, iisque Dei gloriam assignarent. Vt non sit facile constituere, vtri magis contemnendi sint, sine qui adorabant, an qui adorabantur. Quamquam fortasse multo maiore contemptu atque ignominia digni erant, qui res huiusmodi adorabant: quoniam cùm ratione præditi essent, Deique gratiam accepissent, deterius meliori prætulerunt. Atque hæc fuit impuri illius hostis impostura, rei honestæ specie ad malum abutentis, qualia sunt pleraque illius facinora. Nam cùm eorum cupiditatem ad Dei conquisitionem oberrantem accepisset, vt principatum ad se transferret, ac desiderium illorum illuderet, quasi cæcos via cuiusdam cupiditate flagrantes manuducens, alios aliò præcipites egit, atque in vnum quoddam mortis exitiique barathrum dispersit. hactenus verba Nazianzeni. Quibus addere possumus, quod benè notat Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agit de profanis, quæ temporibus Aod acciderunt: nempe *quòd vetus idololatria, quam retinuerunt Persæ, Chaldæi, & reliqui Orientales, magis erat posita in cultu planetarum & siderum, id est, vt loquuntur Prophetæ, militia cæli, & idolorum, quæ non modò siderum, tamquam deorum immortalium simulacra & signa haberentur, verùm etiam eorum diuinitatis & virtutis domicilia, sedésque, & corpora. Quamquam etiam hominum mortuorum, vt Beli, consecrationem adhibuit; quorum nominibus appellari, salutari, responsa dare, oracula fundere, & varia ostentare studebant dæmones.* sic Genebrardus. Qui & aliquantò superiùs, de externis tertiæ mundi ætatis agens, ait, quòd *apud Orientales Bel fuit deorum supremus, vt apud Occiduos Iupiter. Fabulosè ergo* (subiungit) *diis maximis Orientalium, à suppostitio Beroso nomina imponuntur deorum Occidentalium nominibus similia, nempe Saturni Babylonici, Iouis Babylonici, Mercurij, & similium: quoniam Orientales ante Alexandrum Magnum ista nomina nescierunt, & eorum idololatria perpetuò fuit à Græca & Occidua differens. Sed & Saturnus, Iupiter, & quicumque alij nominantur Græcorum dij, multò fuerunt Baalim, siue Belis, posteriores.* hactenus ille. Portò de horum deorum, quos Græci coluerunt, sæculo, nos infrà sub annis mundi 2092. num. 1. & 2498. num. 1. & 2583. num. 39. agemus. Nunc verò ad Ninum redeamus.

4. Sanè, quemadmodum sub anno mundi 1931. num. 50. dictum est, credimus hunc Ninum esse illum, quem Scriptura sacra Genes. cap. 10. vers. 11. vocat Assur; qui cum exercitu exisse dicitur de terra Sennaar, id est de Babylone, vbi regnauerat pater eius, & subactis Assyriis ædificasse in Assyria ciuitates ibidem nominatas, & vnam præ ceteris magnam, (vt sub anno mundi 2016. num. 1. dicemus) quam ex nomine suo appellauit Niniuen, in quam de Babylone sedem regni sui transtulit; ac deinceps Assur, hoc est, Assyriorum Rex, nuncupari cœpit. Ceteras verò ipsius Nini res gestas multas, admodumque præclaras, breuiter ex Ctesia Cnidio recenset Diodorus Siculus lib. 3. Rerum antiquatum cap. 1. vbi sic ait: *Primus rex Assyriorum Scriptores nactus est Ninus, qui eius gesta litteris traderent. Is naturâ bellicosus, & virtutis appetens, cùm primùm robustissimos iuuenum plurimo tempore armorum vsu ad omnem laborum patientiam, & belli pericula exercuisset, coacto exercitu societatem iniit cum Arico Arabum Rege.* & post pauca subiungit: *Ninus igitur Arabum Rege assumpto, exercitum duxit aduersus Babylonios, Arabiæ conterminos. Nondum enim condita erat Babylonia, sed aliæ circà vrbes nobiles incolebantur; quibus propter armorum desuetudinem facilè superatis, tributóque imposito, Regem eorum cum filiis captum interemit. Deinde quibusdam Armeniæ vrbibus in potesta-*

DE NINO.

NINI RES GESTAE EX CTESIA ET DIODORO.

testatem redactis, Barzanes Rex Nino viribus impar, cum multis donis occurrens, & se & regnum, eius potestati permisit. Huic Ninus, magno vsus animo, Armenia regnum restituit, commeatu & militibus imperatis. In Mediam deinde auctis viribus transgressus, cùm ei Farnus Rex cum exercitu occurrisset, prælio victum, cumq; vxore & septem filiis captum, cruci affixit. Prospera fortuna elatum Ninum cupiditas cepit totius Asiæ, quæ inter Tanaim Nilúmque iacet, potiundæ: secundæ etenim res vt plurimùm maiorum ingerunt cupiditates. Itaque Præside ex amicis quodam Mediæ imposito, ipse ad reliquam subiiciendam Asiam profectus, omnem annis decem & septem, præter Indos & Bactrianos, in potestatem redegit. Pugnas singulas, aut deuictorum numerum, nullus Scriptor tradidit. Nos, quæ excellentiora feruntur, Ctesiam Cnidium secuti, paucis narrabimus. Subiecit omnes maritimas ac propinquas gentes, Aegyptios, Phœnices, & interiorem Syriam, Ciliciam, Pamphiliam, Lyciam, Cariam, Phrygiam, Misiam, Lydiam, Troada, & Phrygiam quæ est supra Hellespontum, Propontida etiam, ac Bithyniam, & Cappadociam, & genses iuxta Pontum barbaras, vsque ad Tanaim flumen, suæ ditionis fecit. Adiecit imperio Cadusios, Tapyros, Hyrcanos, Drangas, Dernicos, Carmanios, Coroneos, Rhombos, Vorcanios, Parthos, Persas prætereà, ac Susianos, Caspiósque, ad quos angustus est aditus, vnde & portæ Caspiæ appellantur: pluresque alias, quas recensere, instituto opere prolixius esset, ignobiles nationes. sic Diodorus vbi suprà. qui cap. 2. ex eodem Cresia tradit, eumdem Ninum habuisse in exercitu suo peditum ad decies septies centena millia, equitum millia ducenta, currus verò falcatos paulò minùs decem millibus & sexcentis; & superasse ac debellasse Zoroastem Regem Bactrianorum, qui cum quadringentis armatorum millibus ei obuiàm venerat. Contigit autem hæc Nini de Zoroaste parta victoria post conditam Niniuen, vt ex Diodori Siculi verbis infrà sub anno mundi 2016. num. 1. referendis patebit. Ceterùm, hunc Zoroastem eumdem fuisse cum Cham filio Noë, tradidit Berosus Annianus libro 3. Antiquit. (vt scribit Io. Lucidus libro 2. cap. 5.) & causam subiungit, quòd semper magicæ ac veneficæ studens, Zoroastis nomen consecutus est. Sed num id verum sit, asserere non ausim; præsertim cùm iste Berosus (vt aliàs ostendimus) supposititius esse credatur; & vndenam illud desumpserit, ignoremus.

IN MEMORATA DIODORI HISTORIA, QUÆDAM ADVERTENDA.

¶ 5 Verumenimuerò, in hac quam retulimus Diodori historia quattuor aduertere oportet: Primò, ipsum supponere, quòd Ninus, mortuo patre Belo, qui in Babylone regnauerat, vel à Babyloniis eiectus fuerit, & ideò eisdem bellum inferre necesse habuerit; vel inde vltrò exierit, vt regni sedem in Assyriam collocaret; ac propterea Babylonij id indignè ferentes, ab ipso defecerint. Et hoc Scripturæ sacræ magis consonat, quæ Genes. cap. 10. vers. 11. id non obscurè videtur insinuare illis verbis: *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen.* quemadmodum sub anno mundi 1931. num. 50. explicatum est. Alterum est, illud Diodori, *Nondum enim condita erat Babylon*, debere exponi, id est, Nondum enim perfecta & absoluta erat eo modo, siue in ea amplitudine, ac munitione, atque ædificiorum magnificentia, quæ posteà à Semiramide ipsius Nini vxore constructa fuit. Nam alioqui ex sacra Scriptura constat, Babylonem ante Ninum non solùm conditam, sed etiam Babylonis vocabulo fuisse appellatam. Vnde B. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 2. sub finem, de Semiramide verba faciens, ait: *Hanc putant nonnulli condidisse Babylonem, quam quidem potuit instaurare. Quando autem, vel quomodo condita fuerit, in decimosexto libro diximus*, subaudi cap. 4. sic ille. Dixerat autem idem Sanctus cap. citato, Babylonem à Nemrod fuisse conditam, ante linguarum ac gentium diuisionem: quod etiam euidenter colligitur ex his, quæ narrantur Genes. cap. 11. vers. 1. vsque ad 10. Præterea quod ait Diodorus, de Ægypto ac finitimis regionibus à Nino subactis; videtur exponi debere, ita vt vel non plene, vel non diu eas possederit. Nam Abrahami temporibus neque ipsa Ægyptus, neque terra Chanaan videtur fuisse subiecta regibus Assyriorum: siquidem certum est, tunc temporis in Ægypto regnasse Pharaonem illum, ad quem, fame in Chananæa vrgente, profectus est Abraham, vt describitur Genes. cap. 12. & apud Palæstinos Abimelech, Genes. cap. 20. & 26. & plures alios in vrbibus Chananææ regulos. Et ab ingressu Abrahæ in ipsam Chananæam, nulla omnino in sacra Genesi inuenitur mentio Nini, aut vllius successorum eius, quod mirum valdè esset, si ipse aut alius Rex Assyriorum fuisset dominus terræ illius. Denique si vera sunt quæ de Nino tradit Diodorus, (quemadmodum maximè credibilia & recipienda esse asserit Pererius lib. 15. in Genes. num. 149. tamquam non ab Ethnicis tantùm, sed etiam à nostris & Ecclesiasticis Auctoribus approbata) profectò satis validum hinc desumi potest argumentum aduersus ipsum

Pere-

Pererium alioſque, exiſtimantes de genealogia poſterorum Sem detrahendam eſſe generationem Cainan, quæ in Sacro textu Geneſis Vulgato nō reperitur: & item diuiſionem linguarum poni debere in ortu Phaleg, & ortum Abrahæ in anno ſeptuageſimo vitæ Thare. Siquidem hoc pacto, poſtrema Nini tempora ducenteſimum vigeſimum à Diluuio annum non attigiſſent. Nam à Diluuio ad ortum Phaleg (dempta generatione Cainan) computantur tantummodò anni centum & duo; & à diuiſione linguarum, ſi tunc facta fuit, ad finem regni vitæque Nini, reſtant anni dumtaxat centum decem & ſeptem; nempe ſexaginta quinque, quibus regnauit Belus; & quinquaginta duo regni Nini, qui faciunt in ſumma annos ducentos decem & nouem. Sanè in tam breui annorum curriculo, non videtur veriſimile, genus humanum vſqueadeò multiplicari potuiſſe, vt iam tot tantæque prouinciæ populis repletæ eſſent, & Reges tam numeroſos haberent exercitus. contrà verò, admiſſa & computata generatione Cainan, vt apud LXX. Interpretes habetur; & poſito, diuiſionem linguarum incidiſſe in annum centeſimum quadrageſimum quartum vitæ Phaleg, & natiuitatem Abrahæ in annū centeſimum trigeſimum ætatis Thare, vt nos facimus; proculdubiò poſtrema Nini tempora incidunt non longè ante quadringenteſimum à Diluuio annum, vt videre eſt in tabulis. Et tunc multò credibilius eſt, potuiſſe hominum multiplicationem tantopere iam eſſe auctam, vt Ninus & Zoroaſtes inter ſe bellantes, cogere valuerint exercitus adeò numeroſos, quales præcedenti numero deſcripſimus.

102
65
52
219

AB ORBE CONDITO ANNVS 2006.	SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 350.

1 ANNO vitæ ſuæ nongenteſimo quinquageſimo circiter expleto, Noë mortuus eſt, Geneſ. cap. 9. in fine. Huius viri ſanctitas quanta fuerit, conijci poteſt ex illis ſacræ Scripturæ verbis, quæ de ipſo habentur Geneſ. cap. 6. verſ. 8. *Noë inuenit gratiam coram Domino.* & paulò pòſt: *Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit*, &c. Item Eccleſiaſtici cap. 44. verſ. 17. *Noë inuentus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Ideò dimiſſum eſt reliquum terræ, cùm factum eſt diluuium. Teſtamenta ſæculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poſſit diluuio omnis caro.* ſic Eccleſiaſticus. Plurimùm igitur debet vniuerſum genus humanum huic ſancto viro, in cuius gratiam iuſtè iratus homini Deus, ita eidem reconciliari voluit, vt tempore Diluuij humanas in terra reliquias dimittere non recuſauerit; & inſuper ipſi Noë teſtatum fecerit, ſe nequaquam vltrà maledicturum terræ propter hominem, neque ampliùs deleturum aquis diluuij omnem carnem. Quare non mirum eſt, ſi de eodem Noë etiam ipſi Apoſtolorum principes Petrus & Paulus honorificè admodum loquuntur: ſic enim in 2. Petri Epiſtola cap. 2. verſ. 5. legimus: *Et originali mundo non pepercit,* (ſupple Deus) *ſed octauum Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens.* ac ſi dixiſſet: Deus primæ mundi ætatis hominibus non parcens, ſed delens Diluuio impios, cuſtodiuit ipſum Noë, octauum eorum qui erant in Arca, qui fuerat eximius iuſtitiæ præco, quemadmodum nos ſub anno mundi 1557. num. 20. declarauimus. Et Paulus in Epiſtola ad Hebr. cap. 11. verſ. 7. ait: *Fide Noë reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit Arcam, in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, heres eſt inſtitutus.* Quaſi diceret: quòd Noë tantam diuinis verbis fidem adhibuit, vt nullo adhuc Diluuij ſigno tunc apparente, ac ceteris omnibus nihil minùs ſuſpicantibus, ipſe ſancto Dei timore perculſus Arcam fecerit, per quam ipſe domuſque eius ſalua facta eſt, ceteri verò, incredulitatis conuicti ac damnati. ex quo manifeſtum fit, ipſum veluti hereditariam ſanctorum quorumdam prædeceſſorum ſuorum iuſtitiam, quæ ex fide eſt, retinuiſſe. Sed & Ioſephus 1. Antiq. cap. 4. poſt recenſita priſcorum illorum hominum facinora, ſubiungit: *Noë autem facta eorum moleſtè & indignè ferens, ſuadebat vt in melius mentem ac opera ſua tranſmutarent. Verùm cùm videret illos ſibi non parere, totóſque vitiorum dulcedini ſuccumbere, veritus ne & ſe & familiam ſuam interimerent, ſecedens cum ſuis in aliam regionem migrauit. Et Deus viri iuſtitia delectatus, non illorum ſolùm malitiam damnauit, ſed cùm decreuiſſet vniuerſum humanum genus extinguere, aliúdque nouum & à vitiis purum inſtaurare, diluuio genus illud aboleuit vniuerſum; Noë autem ſolus eſt ſeruatus, diuino oraculo viam euadendi & rationem edoctus.* ſic de hoc ſancto viro Ioſephus.

NOE MORITVR, ET EIVS SANCTITAS COMMENDATVR.

QVIBVSCVM, ET QVAMDIV VIXERIT NOE.

2. Ceterùm ipse Noë vixit cum … annis

Enos	octoginta quattuor.
Cainan	centum septuaginta nouem.
Malaleel	ducentis triginta quattuor.
Iared	trecentis sexaginta sex.
Mathusalem	sexcentis.
Lamech	quingentis nonaginta quinque.
Sem	quadringentis quadraginta octo.
Arphaxad	trecentis triginta octo.
Cainan	trecentis tredecim.
Sale	ducentis octoginta tribus.
Hebet	ducentis quinquaginta tribus.
Phaleg	ducentis decem & nouem.
Reu	centum octoginta nouem.
Sarug	centum quinquaginta septem.
Nachor	centum viginti septem.
Thare	nonaginta octo.

NOE IN ITALIAM NON VENISSE.

3. Quòd autem nonnulli aiunt, Noë in Italiam venisse, naturaliumque ac diuinarum rerum libros à se conscriptos Italis reliquisse; & insuper eumdem Noë Ianum illum extitisse, qui primus in Italia imperauit; inter Annij & sectatorum eius figmenta somniave computari debent. Quomodo enim sit credibile, virum iam ætate confectum (quippe qui tempore diuisionis linguarum ac gentium octingentesimum septuagesimum quintum, vt patet in tabulis, annum agebat) ad tam longinquas terræ partes peragrare valuisse aut voluisse? nulla præsertim tunc cogente necessitate, aut ratione suadente; præsertim cùm tunc aliæ innumeræ terrarum plagæ multò propinquiores priùs replendæ habitatoribus restarent. Aut quî fieri potest, vt ipse Noë Italis libros conscripserit reliqueritve, cùm probari non possit, quòd ipso viuente vix vlla Italiæ pars habitari cœperit? Sed si (vt ex Eusebio nos sub anno mundi 2722. num. 1. dicemus) Ianus primus Italiæ Rex, non nisi anno Debboræ & Barac secundo regnare cœpit: vtique oportet ab obitu Noë ad Ianum Regem intercessisse annos septingentos sexdecim, vt supputari potest in tabulis. Quomodo ergo potuit idem esse Noë cum Iano primo Italiæ Rege? Potuit quidem Noë à Gentilibus nuncupari Ianus, ob causas à nobis sub anno mundi 1657. num. 4. allegatas; sed esse ille qui primus regnauit in Italia, nequaquam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2016. — SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 360.

NINIVE QVANDO CONDITA.

1 Anno regni sui circiter vigesimo, Ninum condidisse vrbem Ninam, siue Niniuem, coniicere possumus ex his quæ scripta reliquit Diodorus Siculus Rerum antiquarum lib. 3. cap. 1. vbi de Nino ait, quòd post recuperatum Babyloniæ regnum, post subactam Armeniæ partem, eamque benignè Regi suo restituram, & occisum Mediæ Regem, prospera elatus fortuna, in animum induxit, totam Asiam, quæ inter Tanaim & Nilum iacet, suo subiicere imperio. Quare quodam ex amicis Mediæ præfecto, ipse ad reliquam subiugandam Asiam profectus, omnem annis decem & septem, præter Indos & Bactrianos, in potestatem redegit. Deinde Bactrianis bellum intulit; sed locorum difficultatem & hostium vim ad sese tutandos aduertens, retrocessit, atque in aliud tempus expeditionem illam distulit. Interim autem, reducto in Asiam exercitu, cùm se superiores omnes gloria & rebus gestis superasse intelligeret, vrbem quoque ingentem condere statuit, cui par magnitudine neque fuisset anteà, neque esset futura. Itaque coactis vndique viribus, & his quæ ad tantum opus spectarent, paratis, supra Euphratem eam condidit. Hæc ex Diodoro. Ex quibus satis verisimiliter deduci posse videtur, Niniuem anno regni ipsius Nini circiter vigesimo, vt dictum est, ædificari cœptam esse. Siquidem post translatam regni sedem in Assyriam, & recuperatam Babyloniam, & deuictum Mediæ Regem, Asiam annis decem & septem iam subegerat. Porrò huius magnitudinem vrbis idem Auctor ibidem prosequitur, dicens: Eam non æqua laterum dimensione fuisse fundatam

DE MAGNITVDINE VRBIS NINIVE

atque erectam: *nam duæ muri partes, longiores erant reliquis. Horum latus quodlibet, longitudine est stadiorum centum quinquaginta, breuiores verò stadiis nonaginta. Quare totus*

muri

muri ambitus stadia complectebatur quadringenta octoginta. Et sanè spe sua nequaquam frustratus est. Nulla enim postmodum vrbs tanto ambitu, tantáve mœnium magnificentia constructa est. Altitudo murorum, pedum est centum; latitudo, qua tres currus simul perambularent. Turres mille & quingentæ, quarum altitudo pedum est ducentorum. Habitare eam coëgit maiora ex parte Assyrios, & quidem potentiores. Ex reliquis nationibus voluntarios assumpsit; à nomine suo vrbem Ninam appellans. Agros propinquos habitatoribus diuisit, sic Diodorus. Congruunt verò quæ de huius vrbis amplitudine idem Auctor asseruit, cum his quæ de eadem tradit Scriptura sacra Ionæ cap. 3. vers. 3. illis verbis: *Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.* nimirum, in circuitu. Nam si stadium octaua milliarij pars est, vt aperte colligitur ex Plinio, qui lib. 2. cap. 23. ait: *Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus.* constat autem, quòd centum viginti quinque passus octies ducti faciunt mille passus. vtique quadringenta octoginta stadia, faciunt iter sexaginta millia passuum, quod ordinariè pedites triduo conficere solent. Vnde patet, meritò hanc vrbem Genes. cap. 10. vers. 12. veluti per antonomasiam, nuncupari magnam.

DE STADIO.

2. Per hæc item circiter tempora, probabile admodum est, eumdem Ninum, ob ingentem eius potentiam, & super alios illius temporis Reges eminentiam, Monarchæ nomen obtinuisse; ac primam, quæ Assyriorum dicta est, Monarchiam erexisse. Huius nos, quemadmodum & aliarum quoque trium præcipuarum mundi Monarchiarum, singulos Reges successiuè proprijs locis ac temporibus adnotabimus. Non quia intentio nostra sit, exterorum Regum Chronologiam texere: sed quoniam ad Sacros Annales ritè ordinandos plurimum confert qualis qualis saltem notitia illarum quattuor principalium mundi Monarchiarum, seu Regnorum quorum meminit Daniel cap. 2. vers. 38. sub typo statuæ illius magnæ, quæ habebat caput aureum, pectus & brachia de argento, ventrem & femora ex ære, & tibias ferreas. & cap. 7. vers. 3. sub figura quattuor bestiarum ascendentium de mari. & Zachar. cap. 6. sub imagine quattuor quadrigarum de medio duorum montium æneorum egredientium. Hisce etenim similitudinibus diuersæ eorumdem Regnorum differentiæ proprietatesque adumbratæ sunt, de quibus hîc agere opus non est, quòd paucis explicari nequeant; & fusiùs eadem prosequi, nunc nostri muneris non sit. Porrò harum Monarchiarum prima fuit Assyriorum, altera Persarum atque Medorum, tertia Græcorum, quarta Romanorum. Quamquam de secunda item & tertia fusiùs agitur in eadem Danielis Prophetia cap. 8. per totum, sub figura arietis & hirci inuicem prælantium. & cap. 11. vbi breuiter prædicuntur, Monarchiæ Persarum interitus, & Regni Græcorum exaltatio; & prælia item, quæ mox inter Alexandri Magni successores sunt exorta. Harum verò quattuor duntaxat Monarchiarum in Sacris libris facta est mentio; non quòd post ipsas vsque ad mundi finem aliæ non essent erigendæ: (videmus enim Turcarum Imperium posteà Romano successisse, & post ipsum probabile est alia surrectura) sed quia quattuor illæ tantùm Christi Regnum præcedere debebant; quod in hoc mundo vsque ad extremam Iudicij diem, & deinceps perpetuò in cælis duraturum erat; vt apertè significatur cap. Danielis 2. vers. 34. & 35. vbi dicitur, quòd lapis, qui percussit statuam, & contriuit quattuor regna hæc, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Lapis quippe ille, figura fuit Christi, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 10. ver. 4. *Petra autem erat Christus.* Quod & apertiùs declarat citatus Daniel cap. 2. versic. 44. & 45. vbi prædictam statuæ visionem exponens, *Suscitabit*, inquit, *Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur*, & comminutis prioribus regnis, *ipsum stabit in æternum.* Hoc verò regnum aliud non est, nisi regnum Christi & sanctæ eius Ecclesiæ: de quo dicitur in Psal. 102. vers. 19. *Et regnum ipsius omnibus dominabitur.* Itaque, vt dixi, de prædictarum quattuor Monarchiarum Regibus, eorumque iugi successione, quandò scilicet & quot annis singuli regnasse dicantur, proprijs locis commemorare, non modò non erit inutile, quin potiùs ipsam Sacrorum Annalium seriem mirificè potent illustrare.

NINVS MONARCHA DICITVR, NIMIRVM PRIMA AVCTOR MONARCHIAE.

DE QVATTVOR MONARCHIIS.

CVR QVATTVOR TANTVM MONARCHIAS SCRIPTVRA COMMEMORET.

3. Illud autem inprimis de hisce quattuor regnis seu Monarchijs, vniuersaliter præsciendum est, eas Monarchiarum nomine nuncupari, non quia semper Monarchico vterentur regimine, aut singulæ iugiter vnum duntaxat caput habuerint; sed quoniam in eis magni quidam Monarchæ extiterunt. Deinde etiam scire oportet, quòd eadem regna non semper in eodem potentiæ statu permanserunt; sed, vt fit in rebus humanis, multoties multa passa sunt, non ab alienis tantùm, verùm à proprijs etiam subditis; & sæpiùs diuisa, labefactata ac dilacerata fuerunt. Nec propterà tamen cessasse

CVR MONARCHIAE SINT DICTAE.

QVOD NON SEMPER IN EODEM STATV PERMANSERINT.

fuisse dicuntur, donec tandem ita ceciderunt, vt iam ampliùs posteà surgere non valuerint. Quando autem id contigerit, suis locis dicemus. Sciendum quoque est, quòd ista regna non ita sibi inuicem successisse credenda sunt, vt secundum prorsus non exstiterit, nisi omnino cessante primo; neque tertium, nisi destructo penitus secundo; neque quartum, nisi tertio prorsus abolito: quia clarum est, extinisse regnum Medorum atque Persarum, antequam regnum Assyriorum fuerit extinctum: & similiter regnum Græcorum cœpisse multò ante interitum regni Persarum: & item Romanorum Imperium fuisse satis potens, priusquam omnino subactum esset regnum Græcorum. Sed hæc regna dicuntur sibi inuicem successisse, quia initium secundi, fuit valdè posterius exordio primi; & similiter de aliis. Et prætereà, quoniam processu temporis posteriora successiuè prioribus præualuerunt; ac tandem priori extincto, posterius eousque magnificatum est, vt supremam in terris potestatem penes ipsum remansisse, omnium consensu, certum esset. Quoniam autem ex his regnis tertium, quod dicitur Græcorum, non sicut duo priora, sub vno semper Principe fuit; sed post Alexandri Magni obitum in plures dominos ac Reges diuisum est, & nihilominùs singuli ad regnum Græcorum pertinuisse videntur: propterea hoc regnum, non sicut duo priora, totum vnica vice extinctum fuit; sed paulatim & per partes à Romanis subactum est, diuersis eius Regibus & eorum regnis per diuersa tempora subiugatis. Quo fit, vt non nisi postremo ex eius Regibus superato & in potestatem redacto, illud omnino extinctum dici possit. Propterea nos sub annis mundi 3723. num. 2. & 4023. num. 2. ponemus finem regni huius, in anno pugnæ Actiacæ, quoniam Ægyptus, quæ non infima regni Græcorum pars fuerat, non nisi tunc ab Augusto Cæsare a propriis Regibus penitus ablata, & Imperio Romano adiecta fuit.

QVOMODO SIBI INVICEM SVCCESSERINT.

REGNVM GRAECORVM QVOMODO EXTINCTVM SIT.

DE MONARCHIARVM MAGNITVDINE.

4. Non est autem existimandum, quòd Assyriorum Monarchia ceteras omnes Imperij magnitudine superarit, propterea quòd in Sacro eloquio comparata sit auro, quod est metallorum omnium pretiosissimum; & capiti, quod ceteris humani corporis membris antecellere ac præstare perspicuum est. Quandoquidem si hoc esset, sequeretur ex vi similitudinis, Monarchiam Persarum, quæ assimilatur pectori & brachiis & argento; & Græcorum, quæ comparata est ventri & æri, fuisse maiorem Monarchia Romanorum, quæ sub typo tibiarum & ferri describitur, quod prænotatis metallis vilius est; & tamen ibidem, nimirum Danielis cap. 2. vers. 40. dicitur: *Sicut ferrum comminuit & domat omnia, sic quartum regnum comminuet & conteret omnia hæc.* quibus verbis apertissimè præuidit ac prædixit Propheta, Romanorum Monarchiam longè maiorem aliis euasuram. Et licet idem Propheta in eiusdem capitis vers. 38. dixerit ipsi Nabuchodonosor, cui hæc prædicebat: *Tu es caput aureum; & post te consurget regnum aliud minus te argenteum.* Ex quo Scripturæ testimonio manifestum est, secundam Monarchiam fuisse minorem prima: tamen illicò sequitur, *& regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.* quæ verba non simpliciter, sed hyperbolicè accipienda sunt; ac si dicere voluisset, quòd regnum Græcorum regno Persarum tanto longiùs latiùsque protendi debebat, vt quodammodò videri posset imperare vniuersæ terræ, quemadmodum sub Alexandro Magno contigit, qui deuicto Dario vltimo Rege Persarum, regnum eius suo adiunxit Imperio. Igitur ex memorata metallorum similitudine, nequaquam Imperij magnitudinem arguere possumus, sed potiùs fortè ætatum mundi proprietates, quæ quod attinet ad bonitatem, semper in peius declinasse perhibentur.

DE ASSYRIORVM MONARCHIA.

5. Ceterùm, vt hoc loco de Assyriorum Monarchia, quæ tempore omnium prima fuit, atque etiam duratione ceteris antecelluisse creditur, aliquid dicamus; scire oportet, eam non omnino diuersam à Babyloniorum seu Chaldæorum Monarchia reputari debere; sed ambas pro vna eademque esse accipiendas, vt ex capite Danielis proximè citato colligi potest, vbi exponens Propheta Regi somnium illud statuæ, cuius caput erat ex auro, pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ. quæ quattuor metalla, vt dictum est, quattuor Monarchias significabant: dixit ipsi Regi Nabuchodonosor, qui tunc regnabat in Babylone: *Tu es caput aureum.* hoc est, tu nunc primam ex memoratis tenes Monarchiam. Nec refert, quòd huius primæ Monarchiæ Reges sedem regni quandoque in Assyria, nimirum in Niniue, habuerint; quandoque in Chaldæa, hoc est, in Babylone: siquidem Belus Nini pater, vt sæpiùs dictum est, regnare cœpit in Babylone; Ninus verò mortuo patre inde egressus, ædificauit in Assyria Niniuem, ibique sedem regni statuit: Semiramis autem, quæ viro suo Nino successit, rursus regnasse creditur in Babylone, vbi etiam ædificia admodum sum-

ſumptuoſa extruxiſſe dicitur: deinde ſucceſſores eius, denuò in Niniuen, vſque ad Sardanapalum, vel fortè etiam vſque ad finem regni Aſarhaddon; (conſtat enim ex 4. Regum cap. 19. verſ. 36. & Tobiæ cap. 1. verſ. 11. quòd Salmanaſar, & Sennacherib, & Aſarhaddon, Reges Aſſyriorum, regnabant in Niniue.) Exinde verò, poſt deuictum Aſarhaddon à Merodac Rege Babylonis, vſque ad initium Monarchiæ Perſarum, ſedem primæ huius Monarchiæ in Babylonia manſiſſe certum eſt. Quare, licet quodammodò initium & finis huius Imperij videatur extitiſſe in Babylone; dicitur tamen hæc Monarchia Aſſyriorum potius, quàm Babyloniorum; tum quia olim Babylonia inter Aſſyriæ prouincias computabatur, teſte Herodoto lib. 1. qui inter Aſſyriæ oppida dicit Babylon fuiſſe celeberrimi nominis, ac validiſſimum: tum etiam, quoniam reuerà hæc Monarchia cœpta fuit in Niniue Aſſyriorum metropoli: regnum namque Beli, quod in Babylone præceſſerat, non tam amplum fuerat, vt Monarchiæ nomen apud Scriptores meruiſſe videatur. Sed poſteaquam Ninus, ſubactis Aſſyriis, ac longè lateque dilatato patris Imperio, Niniuen condidit, eamque regni ſedem eſſe voluit: tunc primùm Aſſyriorum Monarchia per vniuerſum orbem denominari celebrarique cœpta eſt.

6. Vt autem de amplitudine ac duratione primæ huius Monarchiæ aliquid præmittamus: quoniam ex Danielis cap. 2. eam maiorem ſecundâ, quæ fuit Perſarum, extitiſſe diximus: aduertere oportet, id non vniuerſaliter de omni tempore eſſe accipiendum; ſed ſpecialiter temporibus Nini, & etiam prope tempora Sardanapali, qui vniuerſam Aſſyriam, Mediam, Chaldæamq; poſſediſſe creditur: & item regnante magno Nabuchodonoſor; qui præter prouincias olim ſub Sardanapalo amiſſas, à maioribus ſuis recuperatas, etiam alia regna Imperio ſuo adiunxit; ita vt de ipſo (licet quodammodò hyperbolicè) ibidem dictum ſit; *Tu Rex Regum es, & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi; & omnia in quibus habitant filij hominum, & beſtiæ agri; volucres quoque cæli dedit in manu tua, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit.* Numquam autem anteà vel pòſt maior aut potentior fuiſſe creditur hæc Monarchia, quàm temporibus iſtius Nabuchodonoſor; niſi fortè regnante Nino, ſi verum eſt quod Euſebius lib. 10. de Præparatione Euangelica cap. vlt. non longè ab initio, & in Chronicis refert: videlicet, Ninum toti Aſiæ, exceptis Indis, imperaſſe. Quòd verò poſt Ninum Reges Aſſyriorum non toti Aſiæ dominarentur, conijci poteſt; quia Geneſis cap. 14. legimus, quattuor Reges veniſſe contra Sodomam & Gomorrham, inter quos nominatur Rex Sennaar, id eſt Babylonis; & Rex Ælamitarum, hoc eſt Perſarum. Ergo tunc temporis, in quo (vt videre eſt in tabulis) regnabat Zamæis in Aſſyria, non in tota Aſia regnabat Rex Aſſyriorum. cùm enim probari non poſſit, prædictos quattuor Reges fuiſſe ſubditos Regi Aſſyriorum, videtur ſupponi poſſe, eos liberos & ſui iuris extitiſſe. Sed demus eos fuiſſe aliquo modo ſubditos, ſeu confœderatos Regi Aſſyriorum, vt videtur placuiſſe Ioſepho 1. Antiq. cap. 10. Certè quòd ipſi Reges Aſſyriorum vmquam, ante tempora Manahem Regis Iſraël, dominati fuerint terræ Chanaan (quæ tamen in Aſia eſt) nuſquam inuenimus. Quin etiam conſtat, quòd poſteaquam ab Abrahamo dicti quattuor Reges profligati fuerunt, numquam poſteà Pentapolitanis ampliùs imperaſſe leguntur. Deinde, ſi toti Aſiæ præfuiſſent Reges Aſſyriorum, oporteret & Meſopotamiam & totam Syriam ad ipſorum ditionem pertinuiſſe. Quòd ſi verum eſſet, proculdubiò temporibus Ioſue, quando ſcilicet ipſe cum tam grandi Hebræorum exercitu venit ad ſubijciendam ſibi terram Chanaan, vel commoti aliquo modo fuiſſent Aſſyrij, vel ſaltem Reges Chananæi ad Regis Aſſyriorum, tamquam omnium tunc potentiſſimi, auxilium implorandum protinus accurriſſent. Et eodem modo, regnante in Iudæa Dauide, feciſſent Syriæ Reges, quando contra eos Dauid duxit exercitum, cepitque Damaſcum, & Syriæ partem occupauit, vt breuiter traditur 2. Reg. cap. 8. Et tamen nuſquam legimus, Reges Aſſyriorum hiſce temporibus perturbaſſe Iſraëlem, aut vmquam veniſſe in terram eius, niſi poſt multa tempora, nimitum quando, regnante Ozia in Ieruſalem, venit Phul Rex Aſſyriorum, cui Manahem Rex Iſraël dabat mille talenta argenti, vt eſſet ei in auxilium, & firmaret regnum eius, vt dicitur 4. Reg. cap. 15. verſ. 19. Vnde arbitror cum Genebrardo libro 1. ſuæ Chronologiæ, Aſſyriorum Imperium ante prædictum Phul, videlicet poſt Ninum, Euphratis terminos Occaſum verſus non pertranſiſſe: alioqui in prænotatis occaſionibus, Reges illi adeò potentes, aliquid certè contra Iſraëlitas moliri non omiſiſſent; atque de ipſis vtique aliqua in libro Ioſue, & in 2. Regum, mentio facta fuiſſet; quemadmodum poſteà ſæpe fit in 4. Regum, vbi loco citato prædictus Phul memoratur, & verſ. 29.

DE MAGNITVDINE AC DVRATIONE MONARCHIAE ASSYRIORVM.

The-

Theglathphalasar, qui dicto Phul successerat, & partem Israëlis transtulit in Assyrios; & posteà Salmanasar, qui reliquas tribus Israëliticas duxit captiuas, vt describitur capite 17. vers. 3. & cap. 18. vers. 9. Et vers. 13. Sennacherib, qui ascendit regnante Ezechia aduersus Iudæos. Vnde patet, quòd illis temporibus Reges Assyriorum Imperij sui fines iam protraxerant, non solùm vltra Euphratem, sed etiam vsque ad Iudæos, & deinde etiam vlteriùs: nam regnante mox Nabuchodonosor, etiam Ægyptus eidem Monarchiæ addita est, vt suo loco dicetur.

REFVTATVR EVSEBIVS. 7. Ex dictis manifestum fit, hallucinari Eusebium & qui eum sequuntur, existimantes Monarchiam Assyriorum durasse tantum annis mille ducentis quadraginta, siue iuxta nostrum computum in tabulis notarum, mille ducentis triginta quinque; nimirum à Nino ad Sardanapalum, quem postremum Assyriorum Regem faciunt: nam etsi, quando ab Arbace Medorum Duce, & Beloso Babyloniorum Satrapa, deuictus est Sardanapalus, vt sub anno mundi 3234. num. 2. dicemus, nemini dubium est, Assyriorum Monarchiam tanta clade acceptâ, valdè admodum periclitatam esse, ac propè interitum accessisse, verumtamen certum est, calamitatem illam non diu admodum perdurasse: quin potius regnum illud non multò pòst refloruisse, ac ditionis suæ terminos latiùs quàm anteà extendisse; vt nos fusiùs sub anno mundi proxime adducto, num. 3. 4. & 5. ostendemus, vbi etiam demonstrabimus, decipi Iosephum aliosque ipsum secutos, qui putant, Assyriorum Imperium Ezechiæ temporibus fuisse à Medis destructum. Non igitur ille Sardanapalus, qui anno regni Oziæ sexto vel nono dicitur obiisse, fuit postremus Monarchiæ Assyriorum Rex: neque etiam ille Asarhaddon, qui in Niniue regnauit Ezechiæ temporibus, quemque aliqui etiam Sardanapalum appellant: sed reuerà postremus huius Imperij Monarcha fuit Baltassar, qui regnabat in Babylone, quo à Medis Persisque interempto, protinus initium habuit secunda mundi Monarchia, Persarum scilicet atque Medorum. Et propterea si quis quærat, quot annis prima, quæ Assyriorum dicitur, Monarchia perdurauerit; rectè, relictis aliorum inter se minimè consentientium opinionibus, quas refert Pererius in Genes. lib. 15. num. 89. & sequentibus, respondebimus, eam perdurasse annis circiter mille quingentis; tot enim ab anno Nini vigesimo ad Baltassaris obitum, primumque Monarchiæ Persarum, anni in tabulis nostris inueniuntur. Sed hæc infrà suis locis clariùs explicabimus.

DE INITIO REGNI ITALIAE. ☞ 8. In eodem anno regni Nini vigesimo, Io. Lucidus in suis Tabulis temporum annalibus, ex Beroso Anniano, ponit secundum Iani aduentum in Italiam: nam primum posuerat viginti tribus annis ante initium regni Nemrod; quod Scripturæ sacræ omnino reluctari, nos sub anno mundi 1932. num. 1. 2. & 3. ostendimus. Verùm quia hîc forsitan quis suspicari posset, non secundum, sed primum eiusdem Iani aduentum, & consequenter regni Italiæ initium, ad hæc potius tempora pertinere: præsertim cùm anno eiusdem Nini vigesimo secundo, Ianus Ianiculum sedem sibi & successoribus suis perpetuam statuisse feratur, coloniis vsque ad Arnum fluuium dispositis, vt idem ibidem tradit Lucidus, qui & huius Regis, nimirum Iani successores, & annos quibus singuli regnasse dicuntur, in toto ferme libro 3. de Emendatione temporum, per plura sæcula, ex eodem Beroso aliisque Auctoribus recenset. Ad hoc dicimus, quòd si per Ianum isti Noë accipiunt, nullatenus esse probandos. non enim potuit hoc anno Noë venire in Italiam, qui iam decennio antè, vt sub anno mundi 2006. num. 1. dictum est, è vita excesserat. Si verò Iani nomine, alium à Noë diuersum intelligunt, nempe illum Ianum, cuius meminit Eusebius in Chronicis; proculdubiò, cùm idem Eusebius ibidem asserat, à Iano & successoribus suis in Italia regnatum esse tantummodò annis circiter centum quinquaginta, vsque ad Æneam: si hoc verum est, necessariò oportet initium regni Italiæ ad longè posteriora tempora transferre, vt nos sub anno mundi 2722. num. 1. dicemus. Sed nobis sat sit, hæc breuiter hoc loco attulisse. Non enim in his, quæ præcipui nostri non sunt instituti, diutiùs immorari debemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2017. | SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 361.

OBITVS AEGIALEI SICYONIORVM REGIS. 1 ANNO regni Nini vigesimo primo circiter desinente, qui erat primus Monarchiæ eius, oportet obiisse Ægialeum primum Sicyoniorum Regem; quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 1966. num. 1. diximus, euidenter infertur.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2018. | SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 362.

1 ANNO insequente circiter incipiente, apud eosdem Sicyonios regnare cœpisse secundum ipsorum Regem, cui nomen fuit Europs, colligi potest ex Eusebio, qui hunc dicto Ægialeo immediatè successisse tradit, in Chronicis; vbi etiam recenset eiusdem regni Reges viginti quinque, qui sibi inuicem successerunt; & quot annis singuli regnauerint adnotat. Quæ nos libenter, iuxta ea quæ sub anno mundi 1932. num. 2. proposuimus, (quòd ad rem nostram non faciant) prætermittere intendimus. Oportuit tamen de hisce primis duobus huius regni Regibus hîc & in tabulis mentionem facere, quoniam Eusebius vbi suprà ait, Abrahamum anno regni huius Europs vigesimo secundo esse natum, vt quilibet intelligat, id etiam à nostris Annalibus non dissidere. REGNAT EVROPS APVD SICYONIOS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2026. | SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 370.

1 ANNO ætatis suæ ducentesimo trigesimo nono circiter expleto Phaleg mortuus est, Genes. cap. 11. vers. 19. vt habetur in Vulgata editione, quam libenter hac in parte præferimus textui LXX. Interpretum, qui (corrupte, vt credimus) ponit Phaleg vixisse annis trecentis triginta nouem. PHALEG MORITVR.

Vixit ergo Phaleg cum	Noë	annis	ducentis decem & nouem.
	Sem		ducentis triginta nouem.
	Arphaxad		ducentis nouem.
	Cainan		ducentis triginta nouem.
	Sale		ducentis triginta nouem.
	Heber		ducentis triginta nouem.
	Reu		ducentis nouem.
	Sarug		centum septuaginta septem.
	Nachor		centum quadraginta septem.
	Thare		centum decem & octo.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2027. | SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 371.

1 ANNO ætatis suæ centesimo quadragesimo octauo circiter desinente, Nachor Thare pater mortuus est, Genesis cap. 11. vers. 25. vt habet editio Vulgata, quam sequimur, relicto hac in parte textu LXX. Interpretum, qui ponit, ipsum Nachor ad trecentos quattuor annos vitam produxisse. OBIIT NACHOR AVI ABRAHAE.

Vixit itaque Nachor cum	Noë	annis	centum viginti septem.
	Sem		centum quadraginta octo.
	Arphaxad		centum decem & septem.
	Cainan		centum quadraginta octo.
	Sale		centum quadraginta octo.
	Heber		centum quadraginta octo.
	Phaleg		centum quadraginta septem.
	Reu		centum quadraginta octo.
	Sarug		centum quadraginta octo.
	Thare		centum decem & nouem.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

2. Per hæc circiter tempora, Ninus rex Assyriorum primus, post ædificatam Niniuem, expeditionem secundò suscepit aduersus Zoroastem Bactrianorum Regem; & ducto in Bactrianam regionem numerosissimo ac fortissimo exercitu, tandem ope atque industria Semiramidis, quæ tum vxor erat vnius ex militibus suis, capta vrbe regia, ac demum toto illo regno ditioni suæ adiecto; recolens, pariterque admirans Ninus virtutem Semiramidis, simul ac eximia eius pulchritudine allectus, virum eius suasionibus primò ac pollicitationibus, mox etiam minis inducere conatur, vt eam sibi sponte dimittat. quo recusante, ac denique præ nimio coniugis amore, Niniique timore, laqueo semet suspendente, Ninus Semiramidem ducit vxorem; & ex ea mox filium genuit, cui Niniæ seu Nini nomen imposuit. Quæ fusiùs prosequitur Diodorus Rerum antiquarum lib. 3. cap. 2. & 3. NINVS BACTRIANOS SVBIGIT, ET SEMIRAMIDEM DVCIT VXOREM.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2039. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 383.

DE TEMPORE ORTVS ABRAMI.

1 THARE anno vitæ suæ centesimo trigesimo, (vt paulò pòst probabitur,) qui erat regni Nini quadragesimus tertius, (vt patet in tabulis) genuit Abramum, quem posteà Deus Abrahamum vocari maluit, vt sub anno mundi 2138. nu. 1. dicemus, vnde nos vsque ad eum locum, ipsum vocabimus Abram. Sanè sub anno mundi 1997. num. 1. iam probatum est, ipsum Abram natum esse anno regni Nini maioris quadragesimo tertio. Quòd autem natus etiam sit anno vitæ patris sui Thare centesimo trigesimo, sentiunt Theodoretus à Lipomano in sua Catena in Genes. relatus, item Caietanus super Genes. cap. 12. & Lyranus ibidem, & Iacobus Naclantus in libro Arcanorum Christi, circa initia Tractatus de annis tertiæ mundi ætatis, & al.j. Hoc autem ex Sacro eloquio sic colligi potest. Abram septuaginta quinque erat annorum, quando egressus est de Haran, Genes. cap. 12. versic. 4. & tunc iam mortuus erat pater eius Thare, quemadmodum in calce præcedentis capitis traditur, & apertius Actorum cap. 7. vers. 4. asseritur, vbi eadem historia à sancto Stephano relata describitur. Defunctus est autem Thare anno vitæ suæ ducentesimo quinto in Haran, Genes. cap. 11. in fine. Et ratio suadet, eodemmet anno obitus patris sui, Abramum exisse de Haran, & venisse in terram Chanaan, prout ei Dominus imperauerat (non enim erat cur ampliùs, mortuo patre, morari deberet in Haran, & Dei obedientiam protrahere.) Igitur si Abram septuaginta quinque annos habebat ætatis, quando pater eius annum agens ducentesimum quintum mortuus est; vtique consequitur, eumdem Abramum natum esse anno centesimo trigesimo vitæ patris sui Thare, vt dictum est. Nam si eidem anno centesimo trigesimo ætatis Thare adieceris septuaginta quinque filij eius Abrami, habebis summam annorum ducentorum quinque, quos vixisse ipsum Thare iam diximus.

EXPONITVR TEXTVS GENES. CAP. 11 VERS. 26.

2. Nec obstat, quòd Genes. cap. 11. vers. 26. scriptum est: *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran.* Ex quo loco nonnulli mordicus probare contendunt, Abramum natum esse anno patris sui septuagesimo; Non, inquam, hoc obstat, quia sensus citati textus (vt optimè illum exponit S. Augustinus quæst. 25. in Genes.) non est, quòd Abram natus sit anno septuagesimo patris; sed quòd Thare pater eius, anno vitæ suæ septuagesimo, cœpit generare tres illos filios: videturque existimasse B. Augustinus, Abramum fuisse inter ipsos natu minimum: nam subdit, ipsum non ante alios fuisse nominatum, quia esset natu maior; sed quòd ceteris dignior fuerit, & quoniam ab eo deducenda erat prosapia Saluatoris. Et ibidem aliquor aliis Scripturæ exemplis docet, interdum natu posteriores priùs fuisse memoratos, vt nos etiam sub anno mundi 1979. num. 1. retulimus. Patet igitur, præcitata Genesis verba (si iuxta B. Augustini expositiunem, quam puto esse germanam & propriam, accipiantur) non solùm his, quæ de anno ortus Abrami diximus, non aduersari; sed & ad ea magis confirmanda non mediocriter facere. fieri enim potest, quòd Thare anno septuagesimo genuerit Nachor, & centesimo Aran, & centesimo trigesimo Abram. Simile quid habetur in calce capitis 5. Genes. vbi legimus: *Noë, cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.* Quæ verba sic exponuntur à sacris Doctoribus, ac si dictum esset: Noë anno quingentesimo generare cœpit hos tres filios, & eodem anno primum ex ipsis genuit, reliquos verò posteà; quemadmodum sub anno mundi proximè citato declarauimus. Si quis autem quærat, cur Moyses simul commemorare voluerit hos tres filios Thare; dicimus, quia ab istis tribus quoquomodò propagatus est populus Israëliticus, cui hæc potissimum scribebat. quemadmodum nos sub anno mundi 1979. num. 2. declarauimus.

PERERII OBIECTA DILVVNTVR.

3. Non etiam obstant, quæ opponit Pererius lib. 16. in Genes. num. 193. nempe perturbatum iri sacram illorum temporum Chronologiam, nisi dixerimus, Scripturam sacram signanter expressisse tempus natiuitatis Abrami illis verbis: *Vixitq. Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran.* sicuti præcisum expresserat tempus natiuitatis singulorum primæ ac secundæ mundi ætatis patrum, qui ipsum Abram præcesserant. Nam responderi potest, Scripturam sacram non modò in his quæ ad Chronologiam pertinent, sed etiam in his quæ ad historiam ipsam, & item ad doctrinam moralem aut spiritualem spectant, non semper dilucidè omnia exprimere, sed aliqua interdum subobscurè, prout Spiritui sancto visum est, tradere consueuisse,

vt

vt vel ſic ad veritatem curioſiùs auidiuſque indagandam ingenia magis prouocarentur. Et hoc idem comprobat celeberrimum illud B. Auguſtini dictum tractatu 45. in Ioannem, vbi de Domino docente agens, *Paſcit* (inquit) *manifeſtis, exercet occultis*. Et B. Hieronymus ſuper cap. 45. Ezechielis ait: *Scriptura difficultatem habet in numeris, vt intentum animum faciat auditoris; ideóque multa dicuntur in parabolis & ænigmatibus, vt qui habet aures audiendi, audiat: omniſq; prophetia in obſcuritate continet veritatem, vt diſcipuli intrinſecùs audiant, vulgus ignobile & foris poſitum neſciat quid dicatur*. hæc Hieronymus. Poſſent huiuſcemodi innumera propemodum in omni genere loca ſacræ Scripturæ intellectu difficillima obſcurioraque proferri; ſed ea breuitatis cauſa, in re præſertim tam manifeſta, libenter præterimus: nam quod attinet ad ſacram chronologiam, de qua nunc agimus, frequenter deinceps palàm fiet, quàm multa ſint in Sacro eloquio obſcurè tradita, & vix aliquo modo inſinuata, vt propterea non niſi multo labore, ac diligenti Textuum diſcuſſione, accurataque eorumdem collatione, diſquiri ac dilucidari poſſint. Non igitur dicendum eſt, ſacram perturbari chronologiam, aut incertam reddi, ſi conceſſerimus, Scripturam non expreſſiſſe annum ortus Abrami, quemadmodum ceterorum patrum qui ipſum præceſſerant: ſatis enim eſt, quòd ex his quæ ipſa tradit, illé euidenter nobis innoteſcere poſſit, ſicuti in principio huius tractatus iam oſtenſum eſt. Poſſet etiam dici, Scripturam ſacram intendiſſe quidem Abrami pariter genealogiam, chronologiamque ab Orbis initio deducere, ſed genealogiam imprimis, chronologiam verò non æquè principaliter. Scimus enim & aliorum excellentium hominum, puta Eſdræ, Iudith, Mardochæi, & demum ipſius Chriſti, genealogias, honoris cauſa eſſe traditas; chronologias autem non item. Quare ſi tempora ortus noſtri Redemptoris Scriptura ſacra non niſi obſcurè admodum indicauit: quid miramur ſi præciſum natiuitatis Abrami annum non expreſſit.

4. Contrà verò, ſi ponamus Abram natum eſſe anno ſeptuageſimo vitæ patris ſui Thare, vt videntur prima fronte innuere citata Geneſis verba: *Vixitque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran*. & nituntur defendere Abulenſis ſuper cap. 11. & 12. Geneſ. & Pererius loco ſuprà citato, & alij nonnulli; certè plura ſequi inconuenientia neceſſe eſt. Nam peto de Nachor & Aran, num ante Abramum nati ſint, vel poſt. Si dicis, poſt; ergo Sara vxor Abrami, non potuit eſſe filia Aran fratris ſui, & ſoror conſobrina ipſius Abrami: Non filia Aran; ſiquidem ipſa erat iunior ipſo Abramo decem tantùm annis, vt nos ſub anno mundi 2049. num. 1. ex ipſamet Scriptura ſacra probabimus, & conſequenter oporteret eam fuiſſe genitam anno octauo vel nono vitæ patris ſui Aran, quod eſt impoſſibile. Non ſoror conſobrina Abrami; niſi dicamus eam fuiſſe filiam alterius fratris Abrami innominati, qui longè ante ſeptuageſimum annum ætatis Thare ſit genitus. de qua re nihil ex ſacris Scripturis, neque aliundè habentes, quidquam certi affirmare non poſſumus, nec debemus; præſertim cùm Saram & fuiſſe ſororem conſobrinam viri ſui Abrami, & filiam Aran, ſententia ſit communior & ſanior Doctorum, etiam ab ipſomet Pererio approbata, vt ſub proximè citato mundi anno fuſiùs oſtendemus. Si dicis, Nachor & Aran ante Abramum, & ante ſeptuageſimum Thare annum eſſe natos: profectò cogemur dicere cum Pererio vbi ſuprà, & cum Soto in 4. Senten. diſt. 4. quæſt. vnica artic. 4. ſenſum illorum verborum Geneſis, *Vixitque Thare ſeptuaginta annis*, &c. eſſe, quòd Thare anno ſeptuageſimo genuit Abramum, cùm prius iam genuiſſet alios duos, Nachor ſcilicet & Aran. Atqui ſenſus iſte (pace tantorum virorum dixerim) nimis videtur extortus, & non ſolùm ab expoſitione B. Auguſtini ſuperiùs num. 2. allata, verùm etiam à mente Moyſis valdè alienus: quandoquidem oporteret eodem modo exponere illud Geneſ. cap. 5. in fine: *Noë, cùm quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth*. id eſt, illo anno genuit vnum ex illis, cùm priùs reliquos duos iam genuiſſet; quod nullus adhuc grauis Auctor, quem viderim, ſcriptum reliquit; & nos ſub anno mundi 1979. num. 1. oſtendimus, huiuſcemodi interpretationem aliis ſacræ Scripturæ locis omnino refragari.

QVOD ABRAM NATVS NON SIT ANNO 70. PATRIS.

5. Præterea ſi poſuerimus, Abram natum eſſe anno ſeptuageſimo vitæ patris; vix poterit à pluribus contradictionibus Scriptura ſaluari. Nam ſi ſic eſt; ergo Abram cum patre vixit annos centum triginta quinque: conſtat enim, ipſum Thare obiiſſe anno vitæ ſuæ ducenteſimo quinto; ergo Abram erat ad minus centum triginta quinque annorum, quando mortuo patre exiuit de Haran ſeu Charan, (idem enim eſt) vt veniret in terram Chanaan; ergo Iſaac iam natus erat in Haran ante obitum aui ſui, nimirum agente Thare annum vitæ centeſimum ſeptuageſimum: ille enim erat annus

centesimus Abrami, in quo paulò pòst dicemus natum esse Isaac. ergo Isaac erat triginta quinque annorum, quando pater eius Abram, iubente Domino, exiuit de Haran, & ipse pariter cum patre venit in terram Chanaan. Hæc autem non esse admittenda, constat ex his quæ in calce capitis 11. Genes. & in principio capitis 12. vsque ad vers. 6. legimus, nempe, mortuum esse Thare in Haran, deinde Abram exisse de Haran, & venisse in terram Chanaan; & expresse dicitur quòd *septuaginta quinque annorum erat Abram, cùm egrederetur de Haran*; & subiungitur: *Tulitque Sarai vxorem suam, & Lot filium fratris sui, vniuersamq́; substantiam quam possederant*, &c. nulla prorsus mentione facta de filio Isaac, tamquam tunc non adhuc nato; nec dubium est, quin signanter dixisset: Tulitque Sarai vxorem suam, & Isaac filium suum, &c. si eo tempore natus, & iam vir factus fuisset Isaac. Deinceps verò in eodem cap. & sequentibus multa narrantur, quæ acciderunt ipsi Abramo in terra Chanaan, & in Ægypto; ac demum in initio capitis 21. describitur natiuitas ipsius Isaac, quæ ibidem vers. 5. dicitur contigisse anno centesimo vitæ Abrami, qui tum habitabat in terra Abimelech Regis Geraræ, vt ex eodem capite, ac etiam ex præcedenti colligi potest. In cap. item Actorum 7. vers. 4. aperte dicitur, quòd Deus transtulit Abramum de Charan in terram Chanaan, postquam mortuus est pater eius, & cùm non haberet filium. Hæc autem omnia, cum his quæ priùs dicta sunt, conuenire nullo modo posse videntur. Hic addi posset argumentum de tam ingenti hominum multiplicatione temporibus Nini iam facta, quod sub anno mundi 1997. num. 4. adduximus, & admodum facit contra ponentes ortum Abrami Diluuio propinquiorem, quàm nos facimus.

QVAESITI DIFFICVLTAS.

6. Equidem non ignoro, famosissimam hanc difficultatem, apud veteres ac recentiores sacræ Scripturæ Expositores, plurimorum excellentiumque virorum exercuisse ingenia. Nam & B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. vt magnam eius perplexitatem indicaret, insolubilem appellare non est veritus: & S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 15. & quæst. 25. in Genes. plures eam explicandi & enodandi rationes excogitauit; nihil tamen certi determinasse visus est. nouissimè autem Pererius lib. 16. in Genes. num. 186. quinque soluendi modos, partim ab ipso B. Augustino, partim ab aliis collegit; & primum quidem, ac tertium, & quartum, ipse manifestis rationibus optimè redarguit: secundum verò, quem nos sequimur, priùs probare videtur, quòd (vt ipsemet refert) omnem propositæ quæstionis difficultatem penitus exhauriat, nullamque, ne in specie quidem, in Sacris litteris dissonantiam atque discrepantiam relinquat: mox quædam ei obiicit, quibus iam satis suprà num. 1. & 3. nos respondisse existimamus. Restat igitur, vt quintum enodandæ quæstionis modum, quem ipse Pererius amplectitur, & B. Augustino in primis tribuendum censet, tametsi posteà ab Abulensi super cap. 11. & 12. Genes. fusiùs fuerit explicatus, refellere aggrediamur.

QVINTA PERERII SOLVTIO REFELLITVR.

7. Putant huius opinionis sectatores, Abramum reuerà natum esse anno septuagesimo vitæ patris sui Thare, & bis exisse de Haran, ac venisse in terram Chanaan. primò, quando (inquiunt) adhuc viuente patre suo, & agente annum centesimum quadragesimum quintum, ipse Abram erat septuaginta quinque annorum: & de hoc primo aduentu aiunt agi Genes. cap. 12. creduntque ipsum deinceps vel sæpiùs rediisse in Haran ad visendum patrem; vel tunc saltem, quando audiuit eum esse morti proximum, vel iam obiisse, vt partem paternæ hereditatis, quæ sibi obueniret, acciperet. Demum mortuo patre, secundò venisse in terram Chanaan, numquam ampliùs ab ea discessurum. Et de hoc postremo aduentu dicunt agere S. Lucam Actorum cap. 7. Sed (vt omittamus quæ aduersus hanc distinctionem disputat Naclantus loco suprà num. 1. iam citato) certè contra hanc distinctionem facit, quod B. Chrysostomus Hom. 31. in Genes. asserit, Abramum ante obitum patris sui Thare numquam de vrbe Haran discessisse. Et si res accuratiùs perpendatur, nulla comperietur necessitas ponendi duplicem istum Abrami introitum in terram Chanaan; siquidem, vt numero præcedenti dictum est, possunt sine hac positione omnes Scripturæ loci optimè conciliari, & cunctæ difficultates dilui. Deinde gratis poni videtur ista distinctio, quæ ex Scriptura sacra demonstrari non potest; quin potiùs eidem reluctari certum putamus: nusquam enim in Sacris libris reperimus fieri mentionem, nisi de vna tantùm Abrami transmigratione de Haran in terram Chanaan, vt infrà ostendemus. Nec credibile est, ipsum, ex quo semel iubente Domino exiuit de Haran, iterùm illuc redire voluisse. Nam qui proprio filio non pepercit, vt Domini iussionem impleret; quomodo putandum est, siue ob affectum paternum, siue vt temporalia bona conquireret,

reret, siue alia quauis de causa adduci potuisse, vt denuò rediret ad habitandum in ea regione, de qua eum Dominus exire præceperat? præsertim cùm iam prima vice exiens, veluti quodammodò à patre manumissus, secum tulisset omnem substantiam suam. Sanè si ad terram, vnde à Deo translatus fuerat, reuerti ausus esset; vereri poterat, ne perniciosum posteris à diuina vocatione retrocedendi exemplum relinqueret. Sed si quandoque, pietatis gratia (vt quidam existimant) ad visendum patrem ire consueuisset; tunc profectò ad eumdem potiùs se recipere debuisset, quando facta est fames in terra Chanaan: & tamen legimus, ipsum tunc in Ægyptum descendere maluisse, non sine graui vitæ honorisque periculo, quod facilè deuitare poterat, si in Haran ad patrem ac propinquos suos, saltem donec cessaret fames, diuertere voluisset. Verumenimverò, quòd Abram numquam de terra Chanaan redierit in Haran, satis euidenter probari potest ex eo quod Genes. cap. 22. vers. 20. legimus, ipsum Abram, postquam reuersus est de monte, in quo iussus fuerat immolare filium suum Isaac, id est, quando erat annorum circiter centum vigintiquinque, (vt sub anno mundi 2163. num. 4. probabitur) accepisse nuntium de Haran, à quo tunc primùm intellexit de ortu duodecim filiorum fratris sui Nachor, quos tamen oportet multos ante annos, hoc est ferè statim post discessum ipsius Abrami de Haran, nasci cœpisse. Nam inter eos octauus recensetur Bathuel, cuius filiam nomine Rebeccam, mox Isaac quadragenarius, anno vitæ patris sui Abrami centesimo quadragesimo, duxit vxorem. Igitur si Abram non nisi anno ab ingressu suo in terra Chanaan quinquagesimo (annis enim 75. si addantur 50. fiunt. 125.) audiuit de prædictorum nepotum suorum natiuitate; certissimum profectò signum est, quòd ipse numquam redierat in Haran; & item, quòd ante egressum eius de Haran, iam mortuus erat pater eius Thare, vt probatum est, & paulò pòst, ac etiam sub annis mundi 2113. num. 4. & 2163. num. 8. comprobabitur. Alioqui non videretur credibile, quòd Abram vir piissimus tamdiu ad inuisendum patrem, vel ipse proficisci, vel saltem seruos suos mittere neglexisset: & sic de ortu nepotum multò citiùs edoctus fuisset.

8. Disquiramus modò, vtrùm Abulensis, & qui eum sequuntur, benè colligant ex Sacris libris duplicem hunc Abrami exitum de Haran, siue introitum in terram Chanaan: in hoc enim summa huius negotij videtur consistere. De primo inquiunt agi Genes. cap. 12. De secundo autem, Actorum cap. 7. Contrà nos dicimus, eademmet breuiter & compendiosè referri in Actis, quæ fusiùs descripta erant in Genesi: & nullatenus intelligi posse, S. Stephanum in Actis loqui de alio aduentu Abrami in terrã Chanaan ab eo qui describitur in Genesi, vt ex collatione eorum, quæ vtrobique leguntur, manifestum fiet: nam in calce cap. 11. Genes. vt dictum est, narratur mors Thare, & in principio sequentis describitur egressus Abrami de Haran, cùm septuaginta quinque esset annorum, quo tempore nondum habebat filium. & ibidem subditur, quòd tulit secum vniuersam substantiam. vnde apparet, ipsum nihil reliquisse ex his quæ ad se pertinere poterant de paterna hereditate; & consequenter, non opus fuisse eum illuc ampliùs reuerti, vt quidquam à propinquis suis repeteret. Nusquam verò deinceps legimus in Genesi, Deum dedisse vllam Abramo hereditatem, donec vixit, in terra Chanaan: sed tantummodò, quòd repromisit dare semini suo vniuersam terram illam, videlicet post quartam generationem, vt patet Genes. cap. 12. vers. 7. & cap. 13. versic. 15. & clariùs in fine capitis 15. & deinde post multa, nimirum cap. 21. narratur natiuitas Isaac, quæ dicitur contigisse anno centesimo vitæ patris sui Abrami. vnde apparet, memoratas promissiones Abramo factas fuisse antequam haberet filium. Hæc sunt, quæ habentur in Genesi. Videamus nunc quid in Actis scriptum sit: ***Et inde*** (inquit S. Stephanus) id est de Charan, ***postquam mortuus est pater eius, transtulit*** (supple, Deus ***illum*** (nempe Abramum) ***in terram istam, in qua nunc vos habitatis: & non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis; sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.*** sic B. Stephanus apud S. Lucam. Quid clariùs dicere potuisset, qui tam paucis verbis repilogare narrata in Genesi voluisset? Cùm igitur, quę traduntur in Actis, simpliciter & prout sonant intellecta, nihil nouum, nihil diuersum contineant ab his quæ habentur in Genesi; sed vtraque loca simul collata, idem prorsus significare, atque per omnia inter se consona esse perspicuè videamus; ad quid (vt aiunt) nodum in scirpo quærere? & duplicem Abrami exitum de Haran excogitare? qui rectè Sacris verbis adaptari non potest; in quibus cõstat, vnius tantùm eiusdemque met exitus fieri mentionem; quemadmodum circumstantiæ, quę vtrobique ponuntur, manifestè declarant: nimirũ, quòd iam mortuus erat Thare, quando filius eius Abram

REFELLITVR ABVLENSIS.

septuaginta quinque annos natus translatus est de Haran in terram Chanaan; & quòd tunc ipse Abram nondum habebat filium, nec possessionem vllam; sed repromissiones à Deo accepit in terra Chanaan, &c.

9. Illud quoque pro prædictorum confirmatione hoc loco haud prætereundum puto, magis ponderandum esse in ipsa Actorum lectione verbum *transtulit*, quod in editione Vulgata (quæ maioris est auctoritatis) habetur, quàm verbum *collocauit*, quod olim in codice penes B. Augustinum existente habebatur. Constat autem, verbum *transtulit* proprie non simplicem quemdam post paucorum dierum absentiam reditum significare, qualis fuit ille, quem isti secundò Abramum fecisse imaginantur, sed potius denotare totalem ac realem prioris domicilij translationem, qualem proculdubiò fecit Abram, quando post mortem patris, annum agens septuagesimum quintum, ad iussum Domini transtulit se cum tota familia, & vniuersa substantia sua, de Haran in terram Chanaan, vt refertur in Genesi, & iam sæpè dictum est. Non igitur audiendi sunt, qui dicunt mortem Thare, quam putant contigisse post primum Abrami ingressum in terram Chanaan, ante ipsum fuisse descriptam in Genesi per figuram anticipationis in Sacro eloquio satis vsitatam: quia, vt fatentur omnes sacrarum Scripturarum vel mediocriter studiosi, quotiescumque nihil obstat, quominùs ritè possimus intelligere res eo ordine fuisse gestas quo inueniuntur descriptæ, nec ex alio Scripturæ loco oppositum conuinci potest; proculdubiò non est recurrendum ad huiuscemodi figuras anticipationis, aut postpositionis; sed sine vlla dubitatione tenendum est, sacram Scripturam in rebus enarrandis ordinem temporum obseruasse: alioqui non modò perturbaretur, sed & omnino confunderetur omnis sacra Chronologia, nec quidquam certi, quod ad ipsam attinet, ex Sacris libris haberi posset. Et hæc regula adhuc magis militat in casu nostro, in quo non solùm nullum habemus alium Scripturę locum nobis reluctantem; sed & insuper vnum, mirificè sententiam nostram comprobantem, nempe illum qui ait: *Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum*, &c.

PONDERATVR VERBVM ACTORVM CAP. 7.

ANTICIPATIONIS FIGVRA QVANDO ADMITTENDA.

10. Non item quemquam mouere debet, quòd aiunt, illa Actorum verba, *Cùm non haberet filium*, non esse referenda ad illa quæ priùs dixerat, *Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam*, &c. sed tantummodò ad sequentia, *Et non dedit illi hereditatem*, &c. ita vt sit sensus verborum B. Stephani: quòd Deus transtulit secunda vice Abramum in terram Chanaan post mortem patris sui, & non dederat ei hereditatem; sed repromiserat dare illi, quando nondum habebat filium. Non, inquam, hæc obstant; Primò, quia non sic oportet Scripturam exponere, addendo eidem, & variando eius verba; alioqui proculdubiò facile cuiquam erit extorquere sensus Scripturarum ad propriam voluntatem. At si velimus (vt par est) relinquere Sacrum textum in sua simplicitate; quis non videt, S. Stephanum nihil aliud hisce verbis significare voluisse, nisi quòd post mortem Thare hæc omnia successiuè contigerunt; nimirum, primò egressus Abrami de Haran, ille inquam idem, de quo in Genesi; posteà repromissiones, postremò natiuitas ipsius Isaac: eo scilicet prorsus ordine, quo in ipsa Genesi descripta inueniuntur. Deinde, si dicta verba, *Cùm non haberet filium*, referenda essent tantummodò ad illa, *& non dedit illi hereditatem*, &c. viderentur indicare, datam posteà fuisse Abramo hereditatem, post natum Isaac. Atqui clarum est, Deum nullam dedisse ipsi Abramo hereditatem in terra Chanaan, neque posteaquam habuit filium. Nam quòd aiunt de duobus agris, quos post natum Isaac videtur Abram possedisse; alterum in Bersabee, vbi fodit puteum, & plantauit nemus, Genes. cap. 21. versic. 25. & sequentibus; alterum in terra Heth, vbi erat spelunca duplex non procul ab Hebron, de qua agitur Genes. cap. 23. vers. 17. Dicimus, verum quidem esse, quòd secundum hunc agrum possedit Abram, non titulo hereditario, sed emptionis; siquidem eum coëmerat ab Ephron Hethæo, vt ibidem describitur. Et idem videtur sensisse sanctus Augustinus quæst. 57. in Genes. etiam de priori agro, quòd scilicet eum emisset ab Abimelech Rege Palæstinorum. Verumtamen nos sub anno mundi 2144. num. 3. ostendemus, quòd Abram neque iure hereditario neque emptionis vmquam possederit priorem illum agrum, sed tantummodò tamquam conductor & colonus. Præterea ex verbis S. Stephani manifestè apparet, ipsum non loqui de possessione terræ emptæ, sed de hereditate, seu promissione terræ Chanaan danda posteris Abrami post quadringentos circiter annos, vt patet in ipsa continuatione sermonis, vbi sæpius, nempe vers. 6. 7. 17. & 45. eiusdem capitis, fit mentio dictæ promissionis terræ Chanaan. Rectè ergo ibidem Caietanus, Aduerte, inquit, quòd littera non dicit, Abramum non possedisse nec passum pedis in terra Chanaan; sed quòd Deus *non dedit illi hereditatem in* *ea*,

EXPONVNTVR VERBA ACTORVM CAP. 7.

ea, nec passum pedis; sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum. Ex quibus omnibus clare consequitur, vt iam satis dictum est, verba illa, *Cùm non haberet filium*, non debere referri tantummodò ad illa, *Et non dedit ei hereditatem*, &c. sed principaliter ad illa, quæ paulò superiùs dixerat, *Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam*, &c. ita vt sit sensus, translationem illam & repromissiones factas fuisse post obitum Thare, & antequam nasceretur Isaac, vt habetur in Genesi. Denique si (vt suprà num. 7. dictum est) ex his, quæ Genesis cap. 22. vers. 20. traduntur, conuinci omnino potest, ipsum Abram numquam de terra Chanaan rediisse in Haran, vnde semel exierat; proculdubiò patet, memoratam de duplici Abrami in terram Chanaan profectione distinctionem nullatenus esse recipiendam, tamquam Scripturæ sacræ aduersantem, & ab eius sensu omnino alienam. Neque obstare, quòd S. Augustinus locis suprà numero 6. citatis, eam tetigerit, ansámque Abulensi aliisque eamdem amplexandi præbuerit: quia profectò, vt arbitror sanctus Doctor id non fecisset, si ad proximè adductum Genesis locum aduertisset. Et nihilominùs idem sanctus Doctor propositæ difficultatis dissoluendæ modum, qui à dicta distinctione dependet, aliis ab eo ibidem excogitatis non prætulit; sed tantummodò cum aliis simpliciter proposuit, atque inter ipsos, illum quoque quem nòs sequimur, recensuit; relinquens de his Lectori iudicium, vt vnusquisque quem mallet sibi deligeret. Quare licet nos in hac parte ab Abulense & eius asseclis dissentiamus, non minus tamen quàm ipse cum eodem S. Augustino sentire censendi sumus. Ceterùm, ad rationes à nobis hucusque adductas vtique respondere debuissent, qui postea, his non obstantibus, & sine vlla alia probatione, duos Abrami aduentus in terram Chanaan ponere non sunt veriti.

11. Itaque si Abrami natiuitas incidit anno centesimo trigesimo vitæ patris sui Thare, vt satis superque iam probatum esse confidimus, duo consequuntur. Alterum est, decipi Eusebium in Chronicis, & Græcorum Chronographos, qui pariter in temporum ratione sequuntur LXX. Interpretes; & nihilominus ponunt Abrami natiuitatem in anno mundi ter millesimo centesimo octogesimo quinto, qui numerus tum ab Hebraica veritate, tum etiam à LXX. Interpretum translatione plurimùm distat; vt ex his, quæ nos sub anno mundi 131. num. 4. disseruimus, liquidò constare potest. Alterum est, etiam hallucinari eos, qui existimant ipsum Abram multis annis vixisse, cùm adhuc in humanis esset Noë: nam (vt in nostris tabulis supputari potest) ab obitu Noë ad ortum Abrami, intersunt anni ad minus duo & triginta. Vnde vanum est quærere, (quod nonnulli faciunt) num Abram fuerit inter eos, qui profecti de Oriente venerunt in campum Sennaar, ad extruendam turrim, quæ posteà Babel appellata fuit: cùm exploratissimum sit, illud ædificium ipsius Noë temporibus cœptum, atque à Deo disturbatum fuisse. Ex dictis item consequitur, falli tùm Pererium multis in locis, tum etiam Iosephum Scaligerum lib. 7. de Emendatione temporum pag. 377. vbi ponit Epochas à condito mundo; qui aiunt, à Diluuio ad ortum Abrami decurrisse annos duntaxat ducentos nonaginta duos: cùm ex superiùs adductis, & in nostris tabulis in calce huius secundæ mundi ætatis adnotatis, constet, fluxisse trecentos octoginta duos. Causa autem huius diuersitatis inter prædictos Auctores & nos, est; quia ipsi inter Arphaxad & Sale omittunt generationem Cainan, & triginta annos quos habebat quando genuit Sale; & item in summa annorum, quæ fluxit ab ortu Thare ad ortum Abrami, prætereunt alios sexaginta annos; quos, & priores triginta, nos ob rationes hactenus sub hoc anno, & sub anno mundi 1694. adductas, credimus esse adiiciendos.

REFELLVNTVR EVSEBIVS ET GRÆCORVM CHRONOGRAPHI, ET QVI ABRAM CVM NOE VIXISSE PVTANT.

ANNI A DILVVIO AD ORTVM ABRAMI QVOT.

12. Sed, vt hîc aliquid de ipso Abramo, & priùs de ipsius nomine dicamus; si quis percontetur, cur sanctus iste vir Abrami potiùs vocabulo, (quod *transitor* interpretatur) quàm alio, fuerit appellatus: respondet B. Chrysostomus Homil. 35. in Genesin, *Ab initio*, inquiens, *parentes ei hoc nomen indiderant, iam anteà significantes, eum inde migraturum: vocatus enim est Abram, quia migraturus erat trans Euphratem, & in Palæstinam venturus. Attende, quomodo & parentes eius, licet infideles forent, ductu potentissimæ sapientiæ Dei, nomen puero imposuerunt: sicut & Lamech suo Noë. Est enim & hoc diuinæ misericordiæ, futura per infideles dicere.* sic B. Chrysostomus. Porrò Abram natum educatumque fuisse in Vr ciuitate Chaldæorum, communis est Doctorum opinio. quæ etiam ex pluribus sacræ Scripturæ locis apertè colligi potest; nimirum Genes. cap. 11. versic. 28. vbi dicitur, quòd Aran Abrami frater *mortuus est ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.* & ibid. vers. 31. legimus, quòd Thare tulit Abram, & Saram, & Lot, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan. & cap. 15. vers. 7. ait Deus ipsi Abramo: *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum.*

ABRAM CVR SIC VOCATVS.

VBI NATVS ET EDVCATVS.

item Iudith cap. 5. ver. 6. testatur Achior, populum Iudaicum fuisse ex progenie Chaldæorum; quod verum esse non posset, nisi Abram fuisset Chaldæus. & demum Actorum cap. 7. vers. 4. apertè dicitur Abramum exisse de terra Chaldæorum. Idem sentiunt Iosephus 1. Antiq. cap. 8. vbi id etiam antiquissimorum Scriptorum, Berosi, Hecatæi, & Nicolai Damasceni testimoniis comprobat; & Philo Hebræorum disertissimus, in libro, quem De Abrahamo inscripsit, non semel hoc idē supponit & significat, dicens, Deum apparuisse Abramo, quando more Chaldæorum intentus erat siderum cursibus; & ipsum Dei iussu primò de Chaldæa migrasse in Charan, inde in Chananæam. Eusebius quoque in principio sui Chronici dicit, Abramum natione Chaldæum, primam ætatem apud Chaldæos egisse; & libro 9. de Præparatione Euangelica, cap. vlt. non longè ab initio, testatur Abramum natum esse in Camerine, Babyloniæ vrbe, quam alij (inquit) Vrien dicunt, quod nomen Latinè Chaldæopolim significat; & ab ipso Astrologiam fuisse apud Chaldæos inuentam. Horum sententiam secuti sunt B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genes. & S. Augustinus de Ciu. lib. 16. cap. 12. & 13. & alij ferè omnes; ita vt de hac re dubitandum non sit, hallucinari Paulum Burgensem in 1. Additione ad Postillas Lyrani super Genes. cap. 12. vbi oppositum conatur ostendere; cuius argumenta optime dissoluit Pererius super idem cap. Genes. num. 20. Quamquam etiam ipse Burgensis postmodum, mutata opinione, in suis Additionibus ad cap. 28. libri Deuter. asseruit, Abramum natum esse in Chaldæa, & inde à Deo fuisse eductum. Et hæc de ortu Abrami dicta sufficiant, si illud addiderimus, quòd sicut Noë fuit decimus ab Adam, ita & Abram à Noë, & vigesimus ab Adamo, iuxta textum LXX. Interpretum, quem in hac parte nos sequimur; nam secundùm textum Vulgatum Genesis, in quo nulla reperitur mentio Cainan filij Arphaxad, remanet Abram decimusnonus ab Adam; à Noë verò non potest esse decimus, nisi vtrisque terminis computatis. Constat autem, vt benè notat Hieronymus Oleaster super cap. 11. Genesis, cunctas priores generationes, ab Adam vsque ad Abram, supputatas esse propter ipsum Abram, cuius præcipue historiam Scriptura sacra, seu Moyses, intexere intendebat. Quemadmodum enim S. Matthæus, volens conscribere historiam vitæ Christi, qui fuit pater gratiarum, & Redemptor generis humani, orsus est ipsius Christi genealogiam ab Abramo, de cuius semine iuxta diuinam pollicitationem nasciturus erat: ita Moyses, intendens describere gesta Abrami, qui fuerat pater circumcisionis, & figura Redemptoris, voluit auspicari genealogiam eius ab Adamo, qui fuit pater vniuersæ carnis. Quamquam illud interest, quòd sanctus Euangelista Matthæus succinctè admodum percurrit Christi progenitores, sine vlla digressione; quippe qui sciebat reliqua in Sacris veteris Testamenti libris haberi, Moyses autem sæpissimè digreditur, & plurima scitu digna veluti obiter interponit, certò sciens, ea priùs à nemine fuisse conscripta.

Abram a Noe decimus, ab Adamo vigesimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2048. — SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 392.

Obitus Nini. 1 ANNO decimo ætatis Abrami, necesse est mortuum esse Ninum primum Regem Assyriorum, ac primæ mundi Monarchiæ conditorem, qui regnasse dicitur annis quinquaginta duobus, vt scribit Eusebius in Chronicis. Si enim (vt sub anno mundi 1997. num. 1. multis Scriptorum testimoniis probatum est) primus ætatis Abrami annus concurrit cum anno quadragesimo tertio regni Nini; proculdubiò oportet quinquagesimum secundum eiusdem Nini concurrisse cum decimo ipsius Abrami, vt patet in tabulis. Reliquit autem Ninus Imperium vxori suæ Semiramidi, cuius virtutem benè cognitam ac perspectam habebat, & quia etiam, vt creditur, filius eius per ætatem non adhuc tanto aptus regendo erat Imperio. *Sepultus verò fuit Ninus in regia*, hoc est in Niniue, *sepulchro ingentis molis, altitudine nouem stadiorum, latitudine, vt ait Ctesias, decem, ei constructo. Cùm ciuitas iuxta Euphratem sit in plano condita, conspicitur velut arx quædam ea moles, licet multis stadiis distans: quam nunc etiam stare dicunt.* sic Diodorus Rerum antiquarum lib. 3. cap. 3. in fine.

Ninus cur reliquerit regnum Semiramidi. Vbi sepultus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2049. — SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 393.

De Semiramide. 1 ANNO insequenti, Semiramis, quæ fuerat Nini Regis vxor, viro suo successit in regno Assyriorum, vt testantur Diodorus vbi suprà, & Eusebius in Chronicis. Et circa initia, vt arbitror, regni eius, Ninam seu Niniuem vrbem regiam à Medis fuisse diru-

dirutam, tradit Diodorus Rerum antiquarum lib. 3. cap. 4. in principio. Quo tempore (si eidem Diodoro & Iustino circa initia libri primi credendum est) ipsa Semiramis, magni mulier animi, cupiens virum terum gloria excellere, vrbem in Babylonia condidit; hoc est, vrbem Babylon appellatam, & à Nemrod olim inchoatam, & numquam posteà plenè hactenus absolutam, ipsa Semiramis mirifice auxit atque ampliauit, ac veluti de nouo totam condidit, magnificentissimis in ea extructis ædificiis, vt in toto proximè citato capite idem Diodorus fusiùs describit, ad quem huiuscemodi rerum curiosos libenter remittimus, ne ab instituto nostro longiùs quàm par est digredientes, in rebus parum vtilibus tempus conteramus. Hæc ferè eadem de Semiramide tradit Berosus Annianus. At verò legitimus verusque Berosus (vt videre est apud Iosephum libro 1. contra Apionem) è contrario reprehendit Scriptores Græcos, quòd falsò tradiderint, à Semiramide Babylonem esse ædificatam siue instauratam, & miranda illa circa vrbem opera fuisse constructa; quæ ipse à Nabuchodonosor excitata tradit. Vnde euidenter infertur, Berosum Annianum esse suppositium & falsum, vtpote vero ac legitimo aperte contrarium. Ceterùm, si vera sunt quæ de Medis vbi suprà tangit Diodorus, vtique oportet regnum Medorũ ab hoc vsque tempore inchoasse, aliquo ipsorum ab Assyriis deficiente, ac regnum Mediæ sibi vsurpante. Sed de hac re nihil aliud, quàm quod dictum est, hic adferre possumus. Reliqua verò gesta Semiramidis prosequitur Diodorus lib. citato cap. 4. & 5. vbi tradit, eamdem magnam Libyæ Æthiopiæque partem in suam ditionem redegisse, ac bellum Indis illatum vario euentu gessisse. Quod & breuiter tangit Iustinus loco citato, vbi plura de mirabili Reginę huius virtute ac prudentia paucis perstringit. atq; illud inprimis, quòd statim ac orbata marito est, nec impuberi immaturoq; filio ausa tradere Imperium, nec ipsa illud palàm tractare, tot ac tantis Gentibus vix patienter vni viro, nedum feminæ, parituris; sexum ad tempus mentita, se pro filio bellè admodum aliquamdiu cedi curauit; donec tandem rebus præclatè gestis se ostendit talem, quæ etiam viros virtute anteiret, & cui propterea nemo patere detrectaret. *AN BABYLONEM ÆDIFICAVERIT.*

2. Eodem anno, nimirum decennio post ortum Abrami, natam esse Sarai siue Saram, manifestè colligitur Genes. cap. 17. vers. 17. vbi dicitur, quòd Abram etat centenarius, quando Sara erat nonagenaria. De hac Sarai, quæ posteà fuit vxor Abrami, operæpretium erit hoc loco non oscitanter disquirere, cuiusnam filia fuerit. Id enim scire necessarium videtur, tum ad veram aliquot Scripturæ sacræ locorum intelligentiam, tum etiam ad veracem ac legitimam eiusdem Scripturæ historiam (quod nostri muneris est) indicandam. Itaque, vt ad rem veniamus, scire inprimis oportet, quattuor de hoc quæsito teperiri opiniones. Prima est, ipsam verè fuisse sororem germanam Abrami, non tamen vterinam, filiam scilicet Thare patris Abrami, sed alterius matris. Putant namque isti, ipsum Thare duas duxisse vxores, atque ex prima genuisse Abram, ex altera verò Saram. Altera sententia est, quòd Sarai fuerit filia Aran fratris Abrami: dici verò sororem ipsius Abrami, more Hebraico, vt mox probabitur. Tertia opinio fuit, Saram fuisse quidem ipsius Abrami fratris filiam; non tamen ab ipso Aran, neque à Nachor, sed ab alio aliquo Abrami fratre innominato, genitam. Quarta denique sententia est, quòd, quidquid sit de proprio ac naturali patre eiusdem Saræ, ipsa fuerit filia Thare adoptiua, & consequenter vera soror Abrami. Quoniam autem res admodum difficilis est; oportet, bona Lectoris venia, singulas hasce opiniones diligentiùs examinare, vt videre possimus, quænam verior sit, & ceteris derelictis potiùs amplexanda. *ORTVS SARAE.* *CVIVS FILIA FVERIT.* *QVATTVOR HAC DE RE OPINIONES*

3. Primæ opinionis videtur fuisse B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, super cap. 20. Genes. sed alibi aliter sentit, vt infrà ostendemus. Placuit verò primò hæc opinio Clementi Alexandrino non multò ante finem libri secundi Stromatum, & Lipomano in sua Catena, super cap. 20. Genes. & Caietano, qui super cap. 11. Gen. & alibi, maximè omnium pugnat pro hac assertione sustinenda. Dominicus item Soto lib. 2. de Iustitia & Iure, quæst. 3. artic. 8. ad 4. vbi obiter hanc tangit difficultatem, videtur sentire cum Caietano, sed tamen nihil determinat. Immò non est (inquit) hîc locus, hoc vel pressiùs discutiendi, vel certiùs definiendi. At verò idem Sotus in 4. Sententiarum, dist. 40. quæst. vnica, art. 4. ad 2. vbi ex professo tractat hanc difficultatem, cùm retulisset argumenta Caietani, & alia ipse ex proprio ingenio in fauorem huius opinionis addidisset; tandem licet videatur concludere, probabile admodum esse, quòd Sara fuerit verè soror Abrami; non quia coniugium inter fratres & sorores Iure naturali fuerit licitum, vt vult Caietanus, sed quia Abram ex speciali reuelatione Dei eam duxerit. *PRIMAE OPINIONIS AVCTORES.*

xerit. Verumtamen cùm de hac reuelatione nihil constet, & nulla necessitas tam vrgens appareat, consultius (inquit) est sentire cum his, qui sententiam tuentur oppositam, de qua nos infrà suo loco dicemus.

PRO PRIMA OPINIONE ARGUMENTA.

4. Porrò argumenta, quæ pro hac prima opinione adducunt Caietanus & Sotus, breuiter ad hæc reduci posse videntur. Primò, (inquiunt) si ponderemus verba Abrami, Genes. cap. 20. vers. 12. *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem*. nihil expressius videtur dici potuisse, ad significandum eam simul fuisse & sororem eius germanam, licet non vterinam, & coniugem. Secundò, si appellasset eam sororem more Hebraico, nimirum eò quòd esset filia Aran fratris sui, vt secunda tenet opinio: profectò cùm dixisset, *filia patris mei*, non debuisset addere, *& non filia matris meæ*; quia ita fuisset neptis matris Abrami, sicut & patris (supponunt enim, Aran & Abram ex eadem matre fuisse progenitos.) Tertiò, quando Rex Abimelech conquestus est de Abramo, quòd imposuisset ei, dicens, illam esse sororem suam, cùm tamen esset vxor; debuisset Abram respondere Regi: Dixi esse sororem meam, iuxta ritum gentis meæ, (nam consanguineas solemus appellare sorores.) cùm autem absolutè dixerit: *Verè soror mea est*, &c. proculdubiò videtur vel indicare voluisse, reuerà esse sororem, vel fallere Regem, credentem esse sororem germanam. Quartò, quando Genes. cap. 11. vers. 29. dicitur, quòd *Abram & Nachor* fratres *duxerunt vxores, nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Iescha*. si Sara fuisset filia Aran, vtique dixisset, Filia Aran, patris Melchæ & Sarai; præsertim cùm magis expediret scire, cuius filia esset Sara, quàm Melcha. Quintò, Abram videtur senior fuisse ipso Aran: siquidem primus nominatur inter fratres suos. Quomodo ergo Aran potuit esse pater Saræ, quæ erat iunior Abramo decem dumtaxat annis? Sextò, Non est quòd quis perhorrescat, audiens Abramum duxisse propriam sororem in coniugem; cùm tales nuptiæ non sint Iure naturali prohibitæ, quemadmodum probat Caietanus super 2. 2. quæst. 154. art. 9. & in Opusculo ad Clementem VII. de coniugio Regis Angliæ, & sentiunt Richardus dist. 40. quæst. 2. Durandus, & Scotus. Quamquam reliqui (præter Caietanum) videantur non constanter loqui, sed pugnantia dicere, vt refert Sotus in 4. vbi suprà.

5. Mouetur verò Caietanus his rationibus, quòd scilicet nuptiæ inter fratres & sorores non sint Iure naturali prohibitæ: Primò, quia si Iure naturali essent prohibitæ, semper & vbique fuissent prohibitæ, nec vlla prorsus de causa potuisset in eis dispensari. atqui proculdubiò fuerunt licitæ in exordio mundi, inter primos Adæ liberos. ergo, &c. Deinde si dixeris, Repugnat naturæ, vt pater contrahat cum propria filia. Verum est, (inquit) quoniam pater & filia ita sunt per se & immediatè coniuncti, vt filia sit quodammodò pars patris: at fratres & sorores non per se, sed ratione patris, sanguine iuncti sunt; nec alter potest vllo modo dici pars alterius, vnde non repugnat Iuri naturæ, vt possint inter se contrahere. Præterea si non potuissent huiuscemodi connubia concedi, profectò non dixisset Thamar Amnoni fratri suo volenti eam opprimere: *Noli frater mi facere stultitiam hanc; quin potiùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi*, 2. Reg. cap. 13. vers. 12. Quid enim est dicere, *Non negabit me tibi*, nisi supponere, Regem potuisse in tali coniugio iustè dispensare? Denique exemplis confirmant, dicentes, à Pontifice Maximo fuisse dispensatum cum Emanuele Portugaliæ Rege, vt duas successiuè sorores duceret: & cùm Catharina, Fernandi & Elisabeth Regum Hispaniarum filia, vt successiuè duobus nuberet fratribus Angliæ Regibus.

SARAM NON FUISSE SOROREM GERMANAM ABRAMI.

6. His tamen non obstantibus, dicimus, nullo modo concedi deberi, Saram fuisse sororem germanam ipsius Abrami: nam eo tempore non solùm non erant licitæ, sed nec in vsu nuptiæ inter fratres & proprias sorores. Primum patet, quia coniugia inter primi gradus consanguineos non modò in linea recta, veluti inter patrem & filiam, aut (quod fœdius est) inter filium & matrem; sed & in transuersali, scilicet inter fratrem & sororem (excipiamus nunc casum publicæ extremæque necessitatis, aut diuinæ reuelationis, de quibus infrà dicemus) Iuri naturæ videntur repugnare. Nam si de prioribus agamus, certum est, quòd homines rationis vsum sequentes, huiuscemodi connubia naturaliter horrere consueuerunt, tamquam fœda, & humanæ naturæ prorsus aduersantia, & ferarum morem quodammodò redolentia, iuxta illud Ouidij lib. 7. Metamorphoseos:

Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat, ferarum more ferarum.

Quin etiam & bruta ipsa, naturali quodam instinctu acta, visa sunt aliquando nefandos

dos huiuſcemodi congreſſus mirum in modum auerſari. In promptu ſunt exempla, quæ Ariſtoteles lib. 9. de Hiſtoria animalium cap. 47. & Plinius lib. 8. cap. 42. ſcripta reliquerunt, de camelo & equo, qui operimento contectas matres ſuperuenire coacti, poſteaquam oblato operimento cognouerunt ſe cum matribus concubuiſſe; alter camelarium, tamquam ſceleris auctorem morſu interemit; alter verò ſe ipſum, præ facti pœnitudine, præcipitem dedit; ac ſi deinceps ſe vita indignum exiſtimaret, ex quo tale facinus perpetraſſet. Si autem fraterna connubia conſideremus; quis non videt, quantis mentis caligine laborauerint barbaræ quædam nationes, veluti Perſæ & Ægyptij, de quibus fertur, quòd aliquando peruerſis admodum legibus ea permiſerunt? quæ licet non vſqueadeò ſint abominabilia, quemadmodum ſi inter parentes filioſque contraherentur: attamen eſſe omnino indigna, & naturali decentiæ reuerentiæque, necnon & humano pudori atque honeſtati contraria, vel ex verbis B. Hieronymi colligere licet, qui aduerſus Eluidium meritò admiratur, dicens: *Quale eſt, vt Abram vir iuſtus patris ſui filiam coniugem ſumpſerit? cùm in primis hominibus propter aurium ſanctitatem, id ipſum Scriptura non nominet; malens intelligi, quàm proferre: & Deus poſteà ſanciat, & minetur: Qui acceperit ſororem ſuam de patre ſuo, vel de matre ſuo, & viderit turpitudinem eius, & ipſa viderit turpitudinem illius; opprobrium eſt, & exterminabuntur coram filiis generis ſui.* hæc S. Hieronymus. Extat verò hæc lex Leuitici cap. 20. verſ. 17. Vbi cùm prohibuiſſet coitum cum maſculo & cum iumentis, continuò prohibet damnatque ſub eadem mortis pœna nuptias cum propria ſorore, ſiue vterina, ſiue non; quodammodò indicans non ſecùs eſſe abominabiles, ac nefandiſſima illa peccata ibidem paulò priùs memorata. Neque verò tantummodò vetitum eſſe talia coniugia contrahere, ſed etiamſi contrahantur, nullius eſſe valoris, docet Innocentius in cap. Gaudemus, de Diuortiis, vbi abſolutè pronuntiat, *infidelium matrimonia in primo gradu contracta non tenere; ſed cùm quis eorum ad fidem venerit, omnino eſſe reſcindenda, tamquam prorſus irrita & nulla.* BRVTA NATVRALITER ABHORRENT CVM MATRIBVS COIRE.

7. Quòd autem Abrami temporibus non eſſent in vſu nuptiæ inter fratres & ſorores, inde colligi poteſt, quòd Abram Geneſ. cap. 12. verſ. 13. & cap. 20. verſ. 2. veritus ne Ægyptij & Palæſtini putantes Saram eſſe vxorem ſuam, ipſum occiderent, vt poſſent illam ducere, quia erat pulchra valdè: rogauit eam, vt diceret ſe eſſe ſororem ſuam. & idem legimus feciſſe Iſaac Geneſ. cap. 26. verſ. 7. Videbatur enim ſatis eſſe ad oſtendendum quòd aliqua non eſſet vxor, dicere, eſſe ſororem, tamquam ſi tunc euidentiſſimè conſtaret, ſorores ſuorummet fratrum coniuges eſſe non poſſe. Et ideò Pharao, ſtatim vt audiuit Saram eſſe ſororem Abrami, ſine vlla prorſus hæſitatione credidit non eſſe eius vxorem, & voluit ipſe eam ducere: contrà verò, quando cognouit illam eſſe vxorem Abrami, continuò intellexit non eſſe veram germanamq; ipſius ſororem; & proptereà conqueſtus eſt, dicens: *Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam?* Et idem ferè fecit Abimelech Rex Palæſtinorum cum Abramo & Iſaac. Itaque optimè S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 35. *Eo tempore* (inquit) *quo Abram in humanis erat, iam fratres ex vtroque, aut altero alteróve parente notos, necti coniugio non licebat.*

8. Diluamus ergo argumenta in contrarium adducta: & primò ſupponamus, (quod veriſſimum eſt) Abramum, quando dixit, *Verè ſoror mea eſt*, &c. more patrio eſſe locutum. Non igitur ſenſus horum verborum eſt, quòd Sara vera ſoror, id eſt naturalis & germana ſoror eſſet Abrami; ſed quòd Abram verum dixerat, & verè, id eſt veridicè pronuntiauerat, dicens Saram eſſe ſororem ſuam. reuerà enim dicebatur ſoror ſua, iuxta conſuetudinem patriæ ſuæ. Solebant namque Hebræi, fratrum filias appellare ſorores, vt infrà probabitur; & proprias neptes, auunculi filias dicere. Et ideò verè & ſine vllo mendacio etiam ſubiunxit, *filia patris mei, & non filia matris meæ*. apertè indicans, Tharam non ex eadem coniuge genuiſſe Abramum & Aran; quo fit, vt Sara filia Aran verè etiam dicebatur filia Thare aui ſui, qui erat pater Abrami; ſed non filia matris ipſius Abrami. Et per hæc patet reſponſio ad primum & ſecundum argumentum. Ad tertium dicimus, quòd Abram ſemper locutus eſt in ſua ſimplicitate, ſecundùm conſuetudinem patriam; nec habuit intentionem ſignificandi, Saram fuiſſe ſororem ſuam naturalem ac germanam, nec fallendi Regem. Nam ex quo poſteà dixit, eſſe ſororem pariter & vxorem ſuam, ſatis clarè videtur eidem inſinuaſſe, quomodo intelligere deberet quod dixerat, eſſe ſororem ſuam, nimirum non natura, ſed cognatione, eo ſcilicet modo quo iam declaratum eſt, & inferiùs etiam dicetur. Et probabile item admodum eſt, ipſum Abimelech ſic intellexiſſe; alioqui potuiſſet ei reſpondere: AD ARGVMENTA RESPONSIO.

dere:

dere: Quomodo ergo non es veritus ducere germanam sororem in coniugem; quod neque nos, in quibus existimasti non esse timorem Dei, facere audemus? Ad quartum asserimus ex sententia SS. Hieronymi in Traditionibus Hebraicis in Genes. cap. 11. & Augustini lib. 16. de Ciuit. in fine cap. 12. & aliorum; Saram eamdem esse cum ea, quæ dicitur Iescha; duplici namque nomine alias quoque mulieres, & ipsammet Adæ vxorem appellatam fuisse, sub die mundi 6. num. 22. docuimus. Et fieri potest, vt in Chaldæa & Mesopotamia frequentiùs appellari soleret Iescha; in terra verò Chanaan, Sara. Et idcircò Moyses, vt hoc quoquomodò indicaret, semel Iescham, deinceps autem Saram semper nuncupauerit. Ad quintum respondet Sotus in quarto suprà citato, quòd Abram erat natu minimus, Aran verò maximus; verumtamen Abram prius nominatus est, quia ceteris dignior fuit. & in hoc verum dicit Sotus, vt nos sub anno mundi 2039. num. 2. ex B. Augustino probauimus. Non autem certum est quod asserit Sotus, nimirum Aran fuisse natu maximum; propter ea quæ à nobis sub anno mundi 1979. num. 2. dicta sunt. Neque vllo modo recipiendus est Sotus in eo quod subdit: Itaque vbi legitur Genes. cap. 11. quòd Thare septuagesimo ætatis suæ anno genuit Abram, Nachor, & Aran; intelligitur tunc genuisse Abramum; sed anteà, cùm esset forsan quadragenarius vel sexagenarius, genuerat Aran. sic Sotus. Sed nos iam satis sub anno mundi proximè allegato num. 1. contra hanc illius Textus expositionem disputauimus, & diximus, verum ac legitimum illius loci sensum esse, quòd Thare, cùm esset annorum septuaginta, cœpit generare tres illos filios, quorum commemoratio Moysi videbatur necessaria, ob causas ibidem à nobis adductas: & quòd tunc quidem genuit Nachor, & post aliquot annos, Aran; deinde, cùm esset annorum centum triginta, genuit Abramum natu minimum. Ad sextum dicimus cum Soto & aliis, nuptias inter fratres & germanas sorores, etiam non vterinas, esse Iure naturæ vetitas; excepto dumtaxat casu diuinæ reuelationis, aut extremæ propagandi generis humani necessitatis. Nam, vt beatus ait Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 16. sorores accipere in matrimonium, primis humani generis temporibus omnino licuit; illa tamen necessitate cessante, sic naturæ aduersatur, quasi numquam licere potuerit. Ratio huius dicti peti potest ex Soto, super 4. Sententiarum iam citato, vbi ait; huiuscemodi nuptias quidem Iure naturali prohibitas: sed ducere sororem, non est per se & intrinsecè malum, sicut peierare, blasphemare, & huiusmodi, ita vt non possit Deus super tali coniugio dispensare: ideò existimare debemus, in casu publicæ & extremæ necessitatis, quemadmodum in exordio mundi, fuisse à natura, siue à Deo tamquam naturæ auctore, dispensatum; nec alia tunc opus fuisse reuelatione præter clamorem ipsius naturæ, vt fratres sororibus commiscerentur.

9. Ad argumenta Caietani. Quando dicit, Si tales nuptiæ Iure naturali essent vetitæ, semper & vbique fuissent prohibitæ; concedimus, iisdem manentibus circumstantiis: at his mutatis, nequaquam. Scimus enim, quòd circumstantiæ nonnumquam mutant speciem actus. Vnde quemadmodum naturale est homini, retrahere manum à ferro eam percutere attentante; & nihilominùs etiam naturale est, eamdem manum aut brachium ensi vltrò supponere, ne caput feriatur: ita dicimus, naturale esse hominibus, non contrahere inter fratres & sorores, ad naturalem indecentiam deuitandam: verumtamen naturale quoque fuisse, in ipso mundi exordio, fraterna celebrare coniugia, propter ineuitabilem necessitatem propagandi genus humanum. Non desunt alij casus, in quibus clarum est, Deum, seu Legem diuinam, dispensare in his quæ sunt Iuris naturalis, ob aliquod maius bonum. nam repugnat Iuri naturæ, vnum virum plures simul habere vxores, vt latè probat Sotus in 4. dist. 33. quæst. 1. art. 2. & nihilominùs patet, Deum multoties, ad propagandum Israëliticum populum, super hoc dispensasse, in Abramo, Iacob, Dauide, & multis aliis sanctissimis viris; de quibus dubium non est, quin Deo inspirante aut consentiente id fecerint. Sunt etiam matrimonia inter infideles Iure naturali perpetua, & tamen Lex diuina concedit dissolutionem, quando alter eorum conuertitur, nec potest sine iniuria Creatoris habitare cum altero. Quin etiam & fidelium matrimonia, per verba de præsenti contracta; licet, si tantummodò Ius naturæ spectes, sint indissolubilia: tamen si quis eorum ante consummationem ingrediatur Religionem, illicò vi diuinæ Legis dissoluuntur. Et sic cessat prima ratio Caietani. Ad secundam dicendum est cum Soto, quòd etsi frater & soror inter se, non per se coniungantur, sed ratione parentum; satis tamen est, tam propinquo strictoque nexu in parentibus vniri, vt quasi idem reputentur. Nam si filius, vt ait Aristoteles, est pars patris; filius & soror, tamquam partes totius reputantur. Ad tertiam responderi

potest,

poteſt, quòd Thamar, inopinata facinoris immanitate perturbata, protulit illa verba; non quia certò ſciret, Regem ſuper tali matrimonio potuiſſe diſpenſare, cùm potiùs debuiſſet ſcire oppoſitum, eò quòd in Lege eſſet expreſſè prohibitum; ſed vt hac ſpe fratrem ab illo ſcelere diuerteret: vel quia præ ignorantia & ſimplicitate ſua reuerà putaret, Regem, vt vulgò dicitur, omnia poſſe. Ad quartam, quòd Papa diſpenſauerit, vt Emanuël Portugaliæ Rex duas non proprias, ſed alienas ſorores ſucceſſiuè duceret; & vt Catharina Hiſpaniarum Regum filia, duobus nuberet fratribus Angliæ Regibus; fieri poteſt: & nos non negamus, Papam diſpenſare poſſe, vt quis ducere valeat ſororem eius, quæ fuerat vxor ſua, quod eſt diſpenſare in primo gradu affinitatis: ſed quòd vnquam diſpenſauerit in primo gradu conſanguinitatis, ſcilicet quòd quis propriæ ſorori nuberet; reperiri non poterit. Ex his igitur perſpicuum eſt, primam opinionem, nimirum quòd Sara fuerit propria ac germana ſoror Abrami, nequaquam ſuſtineri poſſe.

10. Examinemus nunc ſecundam, quæ erat, quòd Sara fuerit filia Aran fratris Abrami, dictaque ſit ſoror ipſius Abrami duplici de cauſa. Primò, quia Thare, cùm eſſet paterfamilias omnis illius domus, quæ venerat de Vr Chaldæorum in Haran, omnes tum filij tum nepotes appellabant eum patrem, & inter ſe dicebantur fratres. Specialiùs autem Sara dicta eſt filia Thare; quia ex quo mortuus fuerat Aran, verus ac naturalis Saræ pater; ipſa Sara nullum alium agnoſcebat patrem niſi Thare, & Thare eam tàmquam ſibi a filio ſuo genitam & relictam, pro vera filia diligebat, habebatque. Vnde non immeritò Abram, volens explicare quomodo ſoror ſua eſſet, dixit: *filia patris mei*, &c. loquendo ſcilicet iuxta ritum gentis ſuæ. Potuit quoque dici Sara ſoror Abrami, eo prorſus modo, quo Lot filius eiuſdem Aran nuncupatur frater Abrami Geneſis cap. 13. verſ. 8. & cap. 14. verſ. 14. & Laban Geneſ. cap. 29. verſ. 15. vocauit Iacob fratrem, eò quòd eſſet filius ſororis ſuæ Rebeccæ. Conſueuerant autem Hebræi non ſolum fratrum, ſed etiam conſobrinorum filios filiaſve, appellare fratres ac ſorores, vt patet de Iſaac, qui Geneſ. cap. 26. verſ. 7. dicit, Rebeccam eſſe ſororem ſuam, quæ erat filia Bathuelis, filij Nachor, fratris Abrami, Gen. cap. 22. verſ. 33. & cap. 24. pluribus in locis. Quin etiam omnes qui erant de cognatione ſua, fratrum ſororúmve nomine appellari ſoliti erant, vt probat S. Auguſtinus contra Fauſtum loco citato, aliquot Scripturæ exemplis. Nam Tobias (inquit) iunior, quam accipiebat vxorem, appellauit ſororem, Tobiæ cap. 8. verſ. 9. non quidem eiuſdem patris aut matris ſuæ natam, ſed ex eadem ſtirpe cognationis exortam. Et in Euangelio, fratres Domini nominantur, non eiuſdẽ matris filij, ſed ex eadem conſanguinitate propinqui. Idem diffusè probat B. Hieronymus contra Eluidium, vbi ait: fratrem quadrupliciter accipi, natura, gente, cognatione, & affectu; ac de ſingulis plurima Scripturarum profert exempla. SARA QVOMODO FILIA THARE.

11. Porrò Saram fuiſſe filiam Aran fratris Abrami, ſcribit Ioſephus lib. 1. Antiq. ſub finem capitis 7. & initio octaui, & id quoque aſſeueranter docet B. Auguſtinus libro 16. de Ciuit. cap. 19. & fuſius lib. 22. contra Fauſtum cap. 35. & in Quæſtionibus in Geneſ. & refertur 22. quæſt. 2. can. Quæritur. Eamdem ſententiam recipit B. Thomas 2. 2. quæſt. 110. art. 3. B. etiam Hieronymus loco citato contra Eluidium, & ſuper cap. 1. Iob eiuſdem videtur fuiſſe ſententiæ; & etiam in Traditionibus Hebraicis in Geneſim. Nam licet ſuper illa verba Geneſ. cap. 20. verſ. 12. *Aliàs autem & verè ſoror mea eſt*, &c. viſus ſit inclinare in eam opinionem, quòd Sara fuerit ſoror naturalis Abrami, & in excuſationem huius coniugij dicat, necdum illo tempore tales nuptias Lege Moyſi fuiſſe prohibitas: tamen in eodem libro ſuper illa verba cap. 11. verſic. 29. *Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Ieſchæ.* affirmat, Aran Abrami fratrem duas habuiſſe filias, Melcham ſcilicet & Saram, quæ alio nomine vocabatur Ieſcha; & ambas duobus fratribus ipſius Aran fuiſſe nuptas, nempe Melcham ipſi Nachor, Saram verò Abramo. *Necdum quippe* (inquit idem S. Hieronymus) *inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant Lege prohibitæ, quæ in primis hominibus, etiam inter fratres & ſorores initæ ſunt.* Vbi non oportet arbitrari, B. Hieronymum indicare voluiſſe, quòd poſteà in Lege Moyſaica vetitæ fuerint nuptiæ inter patruum & fratris filiam; nullibi enim hoc reperitur, quin potiùs conſtat de oppoſito: Othoniel namque duxit Axam filiam fratris ſui Caleb, vt legimus Iudicum cap. 1. verſ. 13. Sed vult dicere B. Hieronymus, quòd temporibus Abrami non erant prohibitæ tales nuptiæ, ſicuti poſteà ſub Euangelio. Sotus item in 4. Sententiarum, loco iam ſæpiùs notato, hanc eamdem ſecundam ſequitur opinionem, & teſtatur, quòd etiam B. Chryſoſtomus, licet quidam putauerint eum aliter ſenſiſſe, tamen in hanc potiùs videtur ire ſententiam: ait enim in Homil. SARA QVOD FVERIT FILIA NATVRALIS ARAN.

Homil. 45. in Genes. exponens illa verba: *Soror mea est*, &c. *Quia eumdem illa patrem vocat, quem & ego patrem appello; idcirco & ipsam ego sororem vocaui.* Ecce quòd ratio cur eam dixerit sororem, assignatur esse, non quia fuerit filia naturalis Thare, sed quia ipsa vocabat eum patrem more Hebraico. Siquidem, vt dictum est, in vnaquaque familia, eum qui ipsius caput, & veluti stirps erat, omnes appellabant patrem. Hanc eamdem opinionem sequitur Abulensis, testaturque esse cummunem, & Pererius quoque, & alij. Vnde & nos, tot tantorumque Doctorum ac præcipuorum Ecclesiæ Patrum doctrinæ inhærentes, eam libentissimè amplectimur: præsertim cùm his, quæ eidem opponi solent, iam satis nos suprà respondisse confidamus. Et item, quia si Sara non fuisset filia Aran, non erat cur ipsius Aran mentionem faceret Moyses. diximus enim sub anno mundi 1979. num. 2. & sub anno 2039. num. 2. Scripturam sacram tres tantùm Thare filios nominasse; quia ex his tribus originem duxit Israëliticus populus. ex Abramo namque paternum, ex aliis verò duobus maternum genus habuit, vt ibidem ostendimus.

REPELLITVR TERTIA OPINIO.

12. Tertia opinio erat, quòd Sara non fuerit filia Aran, sed alterius fratris Abrami innominati; diceretur que soror ipsius Abrami, ratione superiùs exposita. Sed quoniam neque ex sacra Scriptura, neque ex vllo antiquo probatoque Scriptore id probari potest: arbitror (vt liberè dicam quod sentio) hoc fuisse inuentum eorum, qui putant, Abramum natum esse anno septuagesimo vitæ patris sui Thare. Nam quia ipsis videbatur nimis durum exponere illa verba, *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran*, eo modo quo exponunt Sotus & Pererius, vt sup. num. 8. dictum est; scilicet quòd Thare anno ætatis suæ septuagesimo genuerit Abram, cùm iam anteà genuisset Nachor & Aran, quod valdè pugnat cum expositione S. Augustini; & si concederent, Aran natum esse post Abramum; videbant fieri non posse, quòd Aran fuerit pater Saræ: siquidem Sara decennio tantùm iunior erat ipso Abramo: quare oportet eam octauo aut nono vitæ patris anno esse natam. Idcircò, vt possent mordicus tenere ac defendere, Abramum ortum esse anno septuagesimo patris sui Thare, excogitauerunt tertiam hanc positionem; nimirum, fieri posse quòd Sara fuerit filia alterius fratris Abrami innominati, qui multò ante septuagesimum Thare annum sit genitus. Sed omittamus, obsecro, hanc opinionem, quæ nullum habet solidum fundamentum; & ex sola quadam, eaque admodum obscura atque incerta coniectura pendere cernitur; & secundæ aduersatur, iam firmissimis argumentis & clarissimorum Doctorum auctoritatibus confirmatæ.

REIICITVR ITEM QVARTA.

13. Quarta demum ac postrema opinio, excogitata creditur ab his, quibus valdè absurdum videtur concedere, quòd Abram propriam duxerit sororem, cùm id (præter casum publicæ extremæque necessitatis, veluti inter primos Adæ filios) numquam fuerit naturaliter licitum, nec de vlla speciali reuelatione quidquam constet. Et propterea, cùm Scriptura sacra dicat, Saram verè fuisse sororem Abrami, putant id non aliter posse verificari, nisi quoniam (inquiunt) Thare eam adoptauerat in filiam. Sed ista quoque positio reiicienda est, tum quia gratis & sine vllo fundamento asserirur; tum quia aliter optimè ostendi potest, memoratum Scripturæ dictum esse verum, vt in secunda positione ostendimus. Et prætereà nimis fuisset indignum, & pariter contra Ius naturæ, si Abram proprij patris filiam adoptiuam, adhuc manente adoptione, ducere ausus esset; etenim, manente adoptione, erat verè soror; & consequenter non poterat esse vxor: soluta verò adoptione, dici verè soror minimè potuisset. Et hæc dicta sint, ad ostendendum, Saram nequaquam fuisse naturalem ac germanam sororem Abrami; sed ipsius neptem, filiam scilicet Aran fratris sui.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2052. | SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 396.

ABRAM CREDITVR INCREPASSE PATREM, QVOD IDOLA FACERET

AN VMQVAM FVERIT IDOLOLATRA.

1 ANNO vitæ suæ decimo quarto, Abram, vt tradit Suidas in verbo Abraham, creditur increpasse patrem, quòd idolorum imagines faceret, & quæstus gratia seduceret homines, qui huiuscemodi imaginibus diuinum cultum adhibebant. Sanè hoc Suidæ dictum, quamquam quod ad annum attinet, vndenam desumptum fuerit, ignoratur; libenter recipiunt, qui tenent, Abramum semper fuisse veri Dei cultorem, & numquam idololatriæ erroribus implicatũ. Quod & confirmant auctoritate Iosephi, qui lib. 1. Antiq. cap. 8. de eodem Abramo ita scribit: *Vir fuit rerum omnium peritus, & eloquens, & in coniectando sagax. cumq; se ceteris ob virtutem præferre cœpisset, statuit vulgò receptam de Deo persuasionem conuellere & in melius vertere.*

Ergo

Ergo primus omnium ausus est prædicare, vnum esse Deum rerum vniuersitatis conditorem: de ceteris, si quid ad felicitatem conferat, non nostris nobis viribus, sed illius voluntate contingere. Hoc verò ex terra ac maris obseruatione colligebat: tum eorum, quæ circa solem, ac lunam, & reliqua sidera videbat accidere: esse nimirum potentiam quamdam, quæ horum curam gerat, & omnia decenter administret, qua cessante, nihil nostris vtilitatibus seruiturum, cùm nihil suapte virtute polleat, sed vniuersa omnipotenti ipsius voluntati obsecundent: quapropter huic vni honorem deberi, huic gratias agi oportere. Quamobrem, cùm Chaldæi, Mesopotamitæq; ceteri contra eum insurgerent, consilium migrandi cepit, & voluntate ac fauore Dei fretus, terram Chananæam tenuit, vbi sedibus positus Deo struxit aram, & hostias mactauit. hæc Iosephus. Sed & Abramum numquam fuisse idololatram, probare nituntur etiam argumento ex Ioan.cap.8.vers.41.desumpto, nimirum ex illis verbis, quæ Iudæi responderunt Domino, dicentes: *Nos ex fornicatione non sumus nati.* Quod est (inquiunt) ac si iidem Iudæi, qui paulò ante dixerant se esse filios Abrami, nunc subiungerent, simulque inferrent, se non ab idololatris originem duxisse; quandoquidem certum sit, Abramum numquam fuisse idololatram. Constat autem ibidem, sicut & alibi non semel in Sacro eloquio, fornicationis nomine idololatriam intelligi: sequitur enim, *Vnum patrem habemus Deum.*

2. Verùm qui oppositam sequuntur sententiam, putantque eumdem Abramum anno vitæ suæ quadragesimo octauo ab idolorum erroribus ad veri Dei cultum esse conuersum, (vt nos latiùs sub anno mundi 2086. num.1. dicemus) prædictis respondere possent, dicentes, verba Iosephi posse ac debere accipi de tempore, quo Abram post conuersionem suam non solùm ipse Deum colebat, sed etiam aliis colendum prædicabat: non enim absolutè dicit Iosephus, Abramum numquam idola coluisse, sed quòd, cùm ex visibilium obseruatione cognouisset inuisibilem potentiam, quæ Deus est, primus omnium sui temporis ausus est prædicare, vnum Deum esse omnium conditorem ac gubernatorem, &c. Ad illud autem Ioannis dici posset: Iudæos dicere voluisse, se non esse filios fornicationis, quia pater ipsorum Abram, ex quo semel Deum agnouit, numquam ab eo ad spiritualem fornicationem, hoc est, ad idololatriam declinauit: tunc enim propriè dicuntur homines spiritualiter fornicari, quando post spiritualem cum vero Deo coniunctionem, diis alienis adhærere non verentur. Denique ad illud quod ait Pererius in calce tomi secùdi super Genesim, Si Abram aliquando ab Idolis ad veri Dei cultum conuersus esset, non tacuisset Scriptura sacra tam præclarum diuinæ bonitatis exemplum: responderi posset, ipsum Abramum, si quandoque idola coluit, simplici quadam ignoratione id fecisse, vtpute maiorum exempla secutus, & penè ab incunabulis à parentibus ita edoctus: numquam verò aduersus veri Dei cultores, si qui tunc essent, disceptasse, sed statim ac diuino illustratus lumine Dei cognitionem accepit, relictis idolis Deum verum deinceps ex toto corde semper coluisse. Sufficere autem quòd in Sacris libris præclariora huiuscemodi diuinæ bonitatis exempla habeantur, puta Pauli, Manasses, & aliorum, in quibus multò euidentiùs quàm in Abramo conspicitur accidisse quod scriptum est ad Romanos cap. 5. vers. 20. *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.*

AB ORBE CONDITO ANNVS 2053. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 397.

1 ANNO insequenti moritur Cainan filius Arphaxad, cùm vixisset annos trecentos sexaginta, Gen.c.11. iuxta textum LXX. Interpretum, demptis tamen annis centũ, ab illius Textus corruptore perperàm adiunctis. vt sub an. mundi 131.n.4.dictũ est. CAINAN MORITVR.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

Igitur vixit Cainan cum ... annis

Noë	trecentis tredecim.
Sem	trecentis sexaginta.
Arphaxad	trecentis tribus.
Sale	trecentis triginta.
Hebet	trecentis.
Phaleg	ducentis triginta nouem.
Reu	ducentis triginta sex.
Sarug	ducentis quattuot.
Nachot	centum quadraginta octò.
Thare	ceutum quadraginta quinque.
Abram	quindecim.
Sara	quinque.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2056. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 400.

REV MORITVR. 1 REV cùm vixisset annos ducentos triginta nouem, mortuus est, vt habemus Genes. cap. 11. vers. 22. in editione Vulgata, quam sequimur: nam textus LXX. Interpretum corruptè assignat ipsi Reu, quem vocat Rhagau, annos vitæ trecentos triginta nouem.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

Vixit itaque Reu cum	Noë	annis	centum octoginta nouem.
	Sem		ducentis triginta nouem.
	Arphaxad		centum septuaginta nouem.
	Cainan		ducentis triginta sex.
	Sale		ducentis triginta nouem.
	Heber		ducentis triginta nouem.
	Phaleg		ducentis nouem.
	Sarug		ducentis septem.
	Nachor		centum quadraginta octo.
	Thare		centum quadraginta octo.
	Abram		decem & octo.
	Sara		octo.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2062. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 406.

EVROPS MORITVR. 1 ANNO regni sui quadragesimo quinto circiter expleto, cessit è vita Europs secundus Rex Sicyoniorum, cui posteà inuicem successerunt Reges viginti tres, quorum nomina annosq; recenset Eusebius in Chronico. Sed de iis nihil ad nos, propter regulam, quam sub anno mundi 1932. num. 2. nobis ipsi præstituimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2068. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 412.

ABRAM CREDITVR DVXISSE VXOREM. 1 ANNO circiter vitæ suę trigesimo Abramum duxisse vxorem Saram, quam fuisse filiam fratris sui Aran, sub anno mundi 2049. num. 10. probatum est. Inde probabiliter conicere possumus, quòd plurimi secundæ mundi ætatis Patriarchæ, paulò ante vel post trigesimum vitæ suæ annum genuisse leguntur, Genes. cap. 11. vnde videtur probabile, eos circa illud ætatis suæ tempus vxores ducere consueuisse.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2079. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 423.

SARVG MORITVR. 1 ANNO ducentesimo trigesimo vitæ suæ circiter expleto, Sarug mortuus est, Genes. cap. 11. vers. 24. vt habet editio Vulgata, quam amplectimur, relicto in hac parte textu LXX. Interpretum, qui corruptè ponit, eumdem Sarug vixisse annis trecentis triginta.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

Vixit ergo Sarug cum	Noë	annis	centum quinquaginta septem.
	Sem		ducentis triginta.
	Arphaxad		centum quadraginta septem.
	Cainan		ducentis quattuor.
	Sale		ducentis triginta.
	Heber		ducentis triginta.
	Phaleg		centum septuaginta septem.
	Reu		ducentis septem.
	Nachor		centum quadraginta octo.
	Thare		centum septuaginta vno.
	Abram		quadraginta vno.
	Sara		triginta vno.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2086. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 430.

1 ANNO vitæ Abrami quadragesimo octauo, putat Genebrardus libro 1. suæ Chronologiæ ipsum Abramum ab idolorum cultu ad veri Dei latriam esse conuersum: idque probat auctoritate Rabbinorum, & præcipuè Rab. Ioanan, & Rab. Hanina. Sanè ipsum Abram aliquando seruisse diis alienis, opinio fuit etiam Philonis: siquidem in lib. De Abrahamo, aliquanto post principium, cùm docuisset quòd Chaldæi olim in siderali scientia admodum exercitati, omnia stellarum motibus tribuentes, credebant ab ipsis dispensari mundi potentias, *qua*, inquit, *constant ex numeris, eorumq; proportionibus: ac propterea, tamquam inuisibilia atque intelligibilia non percipientes, venerabantur sitas res visibiles, illarum tantùm ordinem scrutantes; atque ita è solis, luna, stellarum erraticarum fixarúmque circuitibus, & anni in quattuor tempora distincti vicibus, rerumq; cælestium ac terrestrium consensu, mundum ipsum extistimabant esse Deum: profana opinione creaturam facientes Creatori similem.* illicò subiungit Philo: *Huic innutritus dogmati, & per longum tempus Chaldaico imbutus delirio Abraham, tamquam post altum somnum, aperto mentis oculo, vbi puram lucem pro densis tenebris cœpit intueri, eius splendorem secutus, animaduertit quod priùs non viderat, nimirum præesse mundo quemdam aurigam gubernatorémque, qui non modo in vniuersum operis sui saluti prouideat; sed etiam curator tutórque sit partium eius, quæ diuina cura digna sunt.* Et quibusdam interpositis, idem Auctor narrat, *Deum apparuisse Abrahamo, qui videlicet priùs non fuerat conspicuus, quando more Chaldæorum intentus erat siderum cursibus, extra mundum & sensibilem essentiam, nullam prorsus naturam intelligibilem percipiens. At postquam solum vertit, necessariò cognouit mundum esse subditum, non dominum; nec regere, sed regi ab Auctore suo: quod mens tunc primùm apertis oculis didicit: nam priùs sensibilia magnam ei caliginem offuderant; quam vbi discussit ealidis & ignitis dogmatibus, vix tandem potuit, veluti in serenitate pura, eum qui priùs latuerat, cernere.* hactenus Philo. Ex cuius verbis manifestè appatet, ipsum putasse, Abramum aliquando cum ceteris Chaldæis fuisse idololatram. Et idem sentit Andreas Masius in Iosue, exponens illa verba, quæ habentur cap. vlt. vers. 2. *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, seruierúntque diis alienis.* Vbi disputans Masius aduersus oppositam tenentes sententiam, supponit primò, totam hanc Iosue narrationem in explicanda Dei benignitate versari, quam ille in Israëlis genus contulit, & hoc solùm agi, vt constet, gratuitò ipsos esse à Deo adoptatos pro populo; neque gratis solùm, verum cùm etiam hostes essent, & eos honores cultusque, quos ipsi, tamquam suo parenti & effectori debebant, adhiberent ad deos alienos: nominatim autē poni Thare, & duos filios eius, Abram & Nachor; quia ex his vniuersum genus Israëliticum propagatum fuit; paternum scilicet ab Abrahamo, maternum verò à Nachor, per Rebeccam, Liam, & Rachelem. Deinde statim subinfert: Neque enim (inquit) eos audire possum, qui magno conatu Abrahamum ab hoc turpissimo scelere vindicare, nescio quibus argutiis, student. quasi verò non tanto illustrior sit Dei gratia, qua illum est complexus, quanto ipse fuit sceleratior, minusque tanto dignus fauore? sic Masius. qui etiam idem confirmare prosequitur, dicens: Ideò pro admirabili beneficio non semel in Scriptura commemorari, quòd Deus Abramum de Vr Chaldæorum eduxerit, hoc est, de patria sua, & de idololatrarum consortio extraxerit. Et certè citata ipsius Iosue verba nobis admodum clara esse videntur: tametsi Pererius in fine tomi secundi in Genesim ea aliter exponere nitatur. Quare licet hæc opinio magis firma esse videatur; quia tamen etiam opposita, cuius sub anno mundi 2052. num. 1. meminimus, probabilis est, idcircò vtramque suis locis commemorare visum est; vt vnusquisque, quam magis probandam iudicauerit, sibi deligere valeat.

ABRAM ALIQVANDO FVISSE IDOLOLATRAM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2089. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 433.

1 ANNO regni Semiramidis Assyriorum reginæ circiter pænultimo, qui erat vitæ Abrami quinquagesimus secundus, cœptum esse regnum Cretæ, & tunc primò omnium regnasse quemdam illius regionis indigenam, qui dicebatur Cres, à quo postmodum tota illa insula, Cretæ nomen accepit, scriptum reliquit Eusebius in Chronicis, sub hoc eodem Abrami anno. Quamquam inferiùs posteà dicit,

INITIVM REGNI CRETÆ.

cit, aliquos putare prædictum regni Cretæ exordium poni debere sub anno eiusdem Abrami centesimo trigesimo tertio.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2090. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 434.

SEMIRAMIDIS OBITVS. I POSTREMO autem dictæ Semiramidis anno desinente, nimirum sub finem anni quadragesimi secundi vitæ Saræ vxoris Abrami, necesse est defunctam esse Semiramidem Assyriorum Reginam: siquidem ipsa (teste Eusebio in Chronicis) regnauit post virum suum annis quadraginta duobus. Quod & tradunt Diodorus Rerum antiquarum lib. 3. in calce capitis 5. & ex Trogo Pompeio Iustinus circa initia libri primi. superiùs autem, sub anno mundi 2049. num. 1. & 2. dictum est, eamdem regnare cœpisse eodem anno quo nata est Sara; à quo ad hunc annum, in tabulis inuenies prædictos duos & quadraginta annos. Huius Reginæ, quæ de cetero, propter rerum gestarum gloriam, & quòd fuerit mulier virtute plusquam virili, celeberrima est; infelicem sanè ac fœdum indecorumque exitum scribit Iustinus vbi suprà, dicens, eam à Nino minore proprio eius filio fuisse necatam, quòd licet vetula (erat enim duos & sexaginta annos nata, vt tradit ex Ctesia Diodorus loco citato) insana ardens libidine, incestuosum eius concubitum expetiuisset. Et hoc, tamquam magis receptum, refserunt etiam B. Augustinus de Ciuit. lib. 18. sub finem capitis secundi, & Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, aliique Auctores. tametsi Diodorus suprà relatus, de obitu eius agens, dicat; quòd ipsa *detectis, quas ei Ninus per Eunuchum parauerat, insidiis, omniq; iniuria iuxta Ammonis responsum remissa, cùm omnibus filio, vt Regi parerent, præfectis mandasset, euestigiò euanuit, ad deos, iuxta Oraculi responsum, vt creditum est, translata.* Sic Diodorus. qui his posteà quædam fabulosa subiungit, quibus etiam prioribus fidem abrogasse videtur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2091. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 435.

REGNAT ZAMEIS IN ASSYRIA. I ANNO proximo circiter inchoante, prædictæ Reginæ successit Zameis, qui & Ninias, siue Ninus minor, maioris Nini ac Semiramidis filius, tertius Assyriorum Rex, vt scriptum reliquerunt Eusebius in Chronicis; & Historici proximè allegati, Iustinus & Diodorus. Quorum postremus lib. 3. cap. 6. huius Regis vitam moresque, & gubernandi rationem longè diuersam ab ea, quam hactenus maiores sui tenuerant, initam, breuiter describit; additque eamdem à posteris quoque suis vsque ad Sardanapalum fuisse æmulatam. Et idem ferè paucis perstringit loco citato Iustinus, de hoc eodem Nino minore dicens: *Ninus elaborato à parentibus Imperio contentus, belli studia deposuit, & veluti sexum cum matre mutasset, rarò à viris visus, in feminarum cœtu consenuit. Posteri quoque, eius exempla secuti, responsa gentibus per internuntios dabant.* Sic ille.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2092. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 436.

DE IOVE ET ALIIS GRÆCORVM DIIS I SVB anno vitæ Abrami quinquagesimo quarto, Eusebius in Chronicis videtur facere Iouem ipsi Abramo supparem, tamquam si circa prædictum Abrami annum Iupiter natus fuerit. Ex quo loco quidam colligunt quasdam, licet in disparibus vel etiam contrariis, Dei ac diaboli operibus conuenientias seu similitudines; nimirum, quòd quemadmodum, quo tempore Deus Abramum in Chaldæa, veluti bonorum parentem, ad diuini cultus profectum excitauit; eodem pænè etiam diabolus, tamquam Dei æmulator, induxerit in Græcia Iouem, inanium deorum patrem: & quando de Iacobo viro iusto nati sunt Patriarchæ populi Dei, & duodecim tribuum principes; eodem fermè tempore, de Ioue viro impio, nati sunt Mars, Apollo, Mercurius, Vulcanus, Minerua, Diana, & ceteri pessimæ superstitionis auctores: & item, ex quo per Moysen diuinæ bonitati sanctas Hebræis Leges sacrasque cærimonias & ritus tradere complacuit; ab inde diabolica calliditas per Cecropem Athenarum conditorem, deorum simulacra, & profana in Græciam sacrificia introducere curauit. Sed, tametsi non imus inficias, diabolum per cuncta sanè sæcula, quantum potuit, pessi-

pessimas quasdam molitiones, salutaribus Dei adinuentionibus quoquomodò non absimiles, opponere numquam destitisse; non tamen illæ, quas paulò antè retulimus, videntur certò posse astrui, aut refutari; tum quia, quæ apud Græcos ante initia Olympiadum gesta fuerunt, (quod ad rationem temporis attinet) adeò incerta & confusa sunt, vt nullo modo cum historiis in Sacro eloquio contentis, quæ certa ac determinata habent tempora, tutò componi & rite ordinari posse videantur: tum quia ætas deorum, qui in Græcia nati perhibentur, ad posteriora tempora multò probabilius referri solet, vt nos infrà ostendemus: tum denique, quoniam idem Eusebius sub anno vitæ Iacobi sexagesimo sexto, ponit Niobe, cui, inquit, primæ omnium mulieri mixtus est Iupiter; & sub anno Muysis sexagesimo ait Iouem cum Io Inachi filia concubuisse; & triennio ante exordium ducatus Othonielis addit, ipsum Iouem cum Europa Phœnicis filia rem habuisse. Quin & eiusdem Europæ raptum quandoque etiam sub anno ducatus dicti Othonielis decimo, quandoque autem biennio ante Gedeonis ducarum ponit, propter varias de dicti raptus tempore opiniones, & nihilominùs postremam hanc magis probare videtur, ibidem subiungens: *His congruunt, quæ de Minoë dicuntur, de Cadmo, & Spartis*. Constat autem, quòd si ab hoc postremo tempore, retrò vsque ad prædictum Abrami annum quinquagesimum quartum recurrere voluerimus, inueniemus interfluxisse annos sexcentos sexaginta sex, vt dinumerari potest in tabulis: vnde oporteret, vel ipsum Iouem non modò ad sexcentesimum sexagesimum sextum vitæ annum peruenisse; sed etiam in tali ætate adhuc adeò fuisse robustū, & ad iuuenilia procliuem, vt passim mulierum amoribus vacare, & gignendis liberis operam dare potis esset; quod non videtur credibile, ea præsertim tempestate, in qua hominum vita iam valde abbreuiata erat, & communiter homines annum centesimum trigesimum vix excedere solebant, ac nemo ad centesimum quadragesimum peruenisse in Sacris litteris comperiatur: vel fateri necesse est, (quod longè credibilius videtur) plures fuisse Ioues; & prædicta non de vno tantùm eodemq; Ioue accipienda esse, sed quædam de vno, & de alio aliisve alia. Ad cuius rei confirmationem faciunt, quæ tradit Genebratdus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi de externis Moysi tempore gestis agit, nimirum, intra trecentos quinquaginta annos ante bellum Troianum decursos, plures extitisse Saturnos, Ioues, Mercurios, Apollines, aliosque eiusdem nominis deos deasque; eos scilicet de quibus singulis agit Cicero lib. 3. de Natura deorum, circa librì medium. & hinc item dictus Genebrardus colligit, deorum Græciæ ætatem non modò post Abramum, sed etiam post Moysen, esse ponendam. Quod si de ipsorum ætate magis florida, id est, de tempore quo plures dij in Græcia viguerunt, intelligit; admitti posse censemus: si verò putat, nullus ante hæc tempora deos in Græcia extitisse, id certe non satis firmiter demonstrari posse putamus, tum propter superiùs dicta, tum etiam ob ea, quæ sub anno mundi 2498. num. 1. dicemus. Ceterùm qui plura de diis Gentium scire desiderat, consulat Lilium Gregorium Gyraldum, qui fusissimè eorum historiam libris 17. tradit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2105. | SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 449.

1 ANNO vitæ Abrami sexagesimo septimo circiter incipiente (vt ex paulò pòst dicendis inferri poterit) Reges Pentapolis, videlicet Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, & Segor, subiugari sunt à Chodorlahomor Rege Ælamitarum, Genes. cap. 14. vers. 4. vbi etiam dicitur, quòd prædicti Reges seruierunt (nimirum tributa pendentes) ipsi Chodorlahomor duodecim annis, & anno decimotertio recesserunt ab eo: quartodecimo autem anno venit idem Chodorlahomor cum aliis tribus Regibus aduersus memoratos quinque Reges, & obtinuit eos. Et nos sub anno mundi 2118. num. 1. dicemus, postremam dicti Chodorlahomor de Pentapolitanis Regibus victoriam contigisse anno circiter octogesimo vitæ Abrami. Vnde apparet, hanc primam accidisse anno eiusdem Abrami sexagesimoseptimo, vt dictum est. Quis autem fuerit iste Chodorlahomor, & tres alij Reges qui cum eo venerunt, sub anno mundi proximè adducto dicendum erit: nam de Ælamitis quibus imperabat memoratus Chodorlahomor, sub anno mundi 1931. num. 49. iam diximus. REGES PENTAPOLIS A REGE ÆLAMITARVM SVBIVGATI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2108. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 452.

REFVTATVR NACLANTI OPINIO DE PRIMA DEI APPARITIONE FACTA ABRAMO.

I ANNO ætatis Abrami septuagesimo, putat Iacobus Naclantus in lib. Arcanorum Christi, Deum apparuisse prima vice ipsi Abramo, in finibus Mesopotamiæ, hoc est, in Vr vrbe Chaldæorum, quæ erat patria eiusdem Abrami; eique præcepisse vt inde exiret; atque eodem tempore eidem præclaras illas fecisse pollicitationes, quæ recensentur Genes. cap. 12. vers. 2. Sed quoniam hoc anno hæc acta esse, ex nullo sacræ Scripturæ loco, aut alio aliquo probato Auctore comprobari potest; quin potiùs prædicta Naclanti opinio eidem sacræ Scripturæ aduersari videtur, quæ ad Galat. cap. 3. vers. 17. testatur, Moysaicam Legem annis quadringentis triginta à promissionibus Abramo factis, fuisse latam; qui anni (vt docet Eusebius in Chronicis, & nostris etiam apparet in tabulis) non à septuagesimo, sed à septuagesimo quinto ætatis Abrami anno numerari debent. Idcircò diuinam hanc apparitionem non sub hoc, sed sub anno mundi 2113. ponendam duximus, supponentes verum esse quod asserit S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 16. nimirum, vno eodemque anno tria hæc acta fuisse; videlicet, Dei promissiones antequam in Charan habitaret Abram, & habitationem eius in Charan, & eius inde profectionem ad terram Chanaan.

REFVTATVR OPINIO HEBRAEORVM, QVOD ABRAM LIBERATVS SIT DE IGNE.

2. Per hæc circiter tempora, nimirum non multò ante exitum Abrami de Chaldæa; Hebræi ex quadam (vt aiunt) ipsorum antiquissima traditione, quam referunt Lyranus in Genes. cap. 11. & alij; & cuius etiam meminit B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. putant, quòd Thare idolorum cultui vsqueadeò fuerit addictus, vt quadam die, insano zelo & furore correptus, proprium filium Abram ad Nemrod, tunc in Chaldæa regnantem, detulerit, quòd solus idola colere recusaret; qui statim Abramum in ignem inijci iussit. Quod vt audiuit frater eius Aran, videns Abrami constantiam, & rei exitum obseruans; dixit in corde suo, se quoque eius religionem sequi velle, si ille illæsus euaderet: vt autem vidit Abramum ab igne, Deo illum protegente, nil passum; illicò eius fidem professus est; & mox iubente Tyranno, ignem adorare cùm renuisset, in ignem immissus, quòd tantæ fidei & virtutis, vt Abram, non esset, incendio periit, patre inspectante. sic enim exponunt illud Genes. cap. 11. vers. 28. *Mortuusq; est Aran ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.* Verùm hanc esse fabulam ab Hebræorum Rabbinis confictam, concors pænè omnium grauissimorum Doctorum sententia est. Siquidem etiam ipsemet B. Hieronymus vbi suprà, fabulam eam appellat. Et licet paulò pòst visus sit eam approbare, dicens: *Vera est igitur illa Hebræorum traditio, quòd Abram Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus, & ex illo tempore, ei dies vitæ & tempus reputetur ætatis, ex quo confessus est Deum, spernens idola Chaldæorum.* Attamen hoc non absolutè creditur pronuntiasse B. Hieronymus, sed ex suppositione, nimirum si alia ratio non suppetat enodandi maximam quam ibidem proposuerat difficultatem, de qua nos latè sub anno mundi 2039. num. 1. vsque ad 11. disseruimus. Porrò memoratam traditionem fabulosam esse & falsam, illud imprimis declarat, quod aiunt, Thare detulisse Abramum ad Nemrod, tunc in Chaldæa regnantem. certum est autem quòd Nemrod, multò antequam natus esset Abram, iam decesserat, vt ex supradictis patet. Deinde non videtur credibile, quòd Thare, de quo dubium est apud Doctores, vtrùm tunc idololatra esset, an iam conuersus ad fidem, proprium filium traduxerit, præsertim cùm ex Sacris libris & ex Iosepho constet, Thare admodum dilexisse filium suum Abram: & vt ait B. Chrysostomus Hom. 31. in Genes. licet infidelis esset, ob amorem tamen filij sui Abrami, socium illi peregrinationis esse voluisse. neque probari vllo modo possit, quòd Thare, etiam quando erat infidelis, oderit filium suum Abramum, nisi ex memorata traditione, quam nunc improbamus. Creditur autem, occasionem huius traditionis introducendæ præbuisse, quòd Vr ignem significet; & quòd Genes. cap. 15. vers. 7. legimus: *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum*, &c. Sed profectò etiam certum est, Vr fuisse nomen vrbis Chaldæorum, quæ erat patria ipsius Abrami, vt patet Genes. cap. 11. vers. 28. vbi dicitur, quòd Aran frater Abrami mortuus est, *in terra natiuitatis suæ, in Vr Chaldæorum*; & clarius vers. 31. vbi habetur, quòd Thare tulit Abram, & Lot filium Aran, & Sarai vxorem Abrami, *& eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan*: vnde quod posteà dicitur cap. 15. referri debet ad id quod dictum fuerat cap. 11. nimirum Abram à Deo, id est, Deo mandante, eductum

esse

esse de Vr vrbe Chaldæorum. Quamobrem apposité LXX. Interpretes, semper pro Vr, vertunt regionem; & ita Iosephus 1. Antiq. cap. 7. Oportet igitur locum 2. Esdr. cap. 9. vers. 7. vbi editio Vulgata habet, Abramum eductum esse à Deo de igne Chaldæorum; vel ab aliquo inscienter fuisse vitiatum: vel ibi ignem figuratè vsurpari, quemadmodum & alibi sæpiùs; vt benè probat Pererius lib. 16. Commentariorum in Genes. num. 240. Denique si Abram mirabiliter de Chaldæorum incendio fuisset liberatus; quomodo Moyses & Iosephus, qui alia eius gesta adeò diligenter narrant: aut B. Paulus, qui ad Hebr. cap. 11. versic. 8. plura recenset, quæ per fidem fecerat Abram; aut Ecclesiasticus cap. 44. vers. 20. vbi eiusdem Abrami laudes commemorat; aut Philo, qui libellum integrum De Abrahamo conscripsit; tantum miraculum, ac tam præclarum virtutis Abrami testimonium prætereire ac silentio inuoluere potuissent?

3. Ceterùm, quia ab anno proximè notato ad promissiones Abramo diuinitus factas remanent anni quinque, vt ex dicendis sub anno mundi 2113. patebit: ex prædictis infertur, hanc secundam mundi ætatem perdurasse annos quadringentos quinquaginta sex. Quòd autem non omnes qui sequuntur textum Hebraicum, aut Vulgatæ editionis Latinum, in hoc numero prorsus inter se conueniant; in causa est, quòd aliqui hanc secundam orbis ætatem inchoant ab incepto Diluuio; nos verò ab explero, propter rationes ibidem adductas. Item, quia multi eam terminant in natiuitate Abrami; nos verò ad promissiones Abramo factas eamdem producimus. Præterea, non pauci prætereunt generationem Cainan filij Arphaxad, eò quòd in textu Genesis Vulgato non reperiatur: nos verò, ob causas sub anno mundi 1694. num. 2. relatas, supputandam censuimus; tametsi non eo prorsus modo, quo ponitur in textu LXX. Interpretum: sed demptis ab ea centum annis, qui corruptè eidem textui adiecti creduntur. Denique, quòd ferme omnes ponunt Abramum anno patris sui Thare septuagesimo natum; nos autem centesimo trigesimo, ex causis sub anno mundi 2039. fusius allegatis. propter quas hæc secunda mundi ætas sexaginta annis diuturnior euadit.

CVR NON OMNES IN NVMERO ANNORVM HVIVS MVNDI AETATIS CONVENIANT.

QVANTVM A VVLGATA DIFFERAT EDITIO LXX. INTERPRETVM IN ANNIS HVIVS MVNDI AETATIS.

4. Quantum autem distet memorata annorum summa, ab ea quæ ex lectione LXX. Interpretum resultat, sequens tabella, ex ipsis LXX. Interpretibus desumpta, indicare poterit.

Sem genuit Arphaxad post Diluuium annis				2
Arphaxad	quando genuit	Cainan,	erat annorum	135
Cainan		Sale,		130
Sale		Heber,		130
Heber		Phale,		134
Phaleg		Rhagau,		130
Rhagau		Sarug,		132
Sarug		Nachor,		130
Nachor		Thare,		179
Thare		Abram,		70
Abram quando exiuit de Haran,				75
			In summa, anni	1247

Sed de hac summa nullam habendam esse rationem, iam satis superque manifestum est ex his, quæ suprà sub anno mundi 131. diximus; vbi prædictum textum LXX. Interpretum in annorum numeris vitiatum fuisse probauimus.

TABVLÆ

Computationis, & concurſus annorum vitæ Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis.

	ANNI						
	Ab orbe condito	Vitæ Noë	Vitæ Sem ſecundùm Latinos, & Iapheth ſecundùm Hebræos.	Vitæ Iapheth ſecundù Latinos, & Sē ſecundùm Hebræos.	A Diluuio	Vitæ Ælam, Gomer, & Chus	Vitæ Aſſur, Magog, & Meſraim
Terra exiccata eſt inchoante hoc anno, cuius menſe decimo natus eſt Ælam	1657	601	101	99	1		
Concurrit ferè totus cum primo Ælam, & fortè etiam Gomer, & Chus. Menſe autem octauo naſcitur Aſſur	1658	602	102	100	2	1	
Concurrit pro maiori parte cum primo Aſſur, & Arphaxad, qui menſe quinto natus creditur; & fortè item cum primo Magog, & Meſraim	1659	603	103	101	3	3 2	1
Creduntur nati Chanaan, Iauan, & Lud circa initia anni	1660	604	104	102	4	3	2
Creduntur nati Thubal, & Aran circa initia anni, & menſe circiter 10. Moſoch	1661	605	105	103	5	4	3
Cōcurrit pænè totus cum primo Moſoch, & menſe circiter 10. naſcitur Thiras	1662	606	106	104	6	5	4
Cōcurrit pro maiori parte cum pri. Thiras Poſt annos 3.	1663 3	607 3	107 3	105 3	7 3	6 3	5 3
Noë vinum bibens inebriatus eſt annó Poſt annos 28.	1666 28	610 28	110 28	108 28	10 28	9 28	8 28
Arphaxad genuit Cainan incho anno Poſt annos 30.	1694 30	638 30	138 30	136 30	38 30	37 30	36 30
Cainan genuit Sale incho. anno Poſt annos 30.	1724 30	668 30	168 30	166 30	68 30	67 30	66 30
Sale genuit Heber incho. anno Poſt annos 2.	1754 2	698 2	198 2	196 2	98 2	97 2	96 2
Noë dicitur genuiſſe Ionithum anno Poſt annos 32.	1756 32	700 32	200 32	198 32	100 32	99 32	98 32
Heber genuit Phaleg incho. anno Poſt annos 30.	1788 30	732 30	232 30	230 30	132 30	131 30	130 30
Phaleg genuit Reu incho. anno Poſt annos 32.	1818 32	762 32	262 32	260 32	162 32	161 32	160 32
Reu genuit Sarug inch. anno Poſt annos 30.	1850 30	794 30	294 30	292 30	194 30	193 30	192 30
Sarug genuit Nachor incho. anno Poſt annos 29.	1880 29	824 29	334 29	322 29	224 29	223 29	222 29
Nachor genuit Thare incho. anno Poſt annos 22.	1909 22	853 22	353 22	351 22	253 22	252 22	251 22
Facta eſt linguarum gentiúque diuiſio an.	1931	875	375	373	275	274	273
Regnat Nemrod, qui & Belus, in Babylone anno Poſt annos 14.	1932 24	876 24	376 24	374 24	276 24	vſque ad diuiſionem vixiſſe certum guli poſteà ſuvno tantùm Arquando obierit,	
Noë fertur miſiſſe Ionithum in Ethan an. Poſt annos 10.	1956 10	900 10	400 10	398 10	300 10		
Incipit regnum Ægialei r. Sicyonior. Reg. Poſt annos 13.	1966 13	910 13	410 13	408 13	310 13		

ANNI

Vitæ Arphaxad, &Madai, & Phuth.	Vitæ Chanaan, Iauan, &Lud	Vitæ Thubal, & Aram.	Vitæ Mosoch.	Vitæ Thiras.	Vitæ Cainan.	Vitæ Sale.	Vitæ Heber.	Vitæ Phaleg.	Vitæ Reu.	Vitæ Sarug.	Vitæ Nachor filij Sarug.	Vitæ Thare.	Regni Nemrod siue Beli.	Regni Ægialei super Sicyon.
1														
2	1													
3	2	1												
4	3	2	1											
5 3	4 3	3 3	2 3	1 3										
8 28	7 28	6 28	5 28	4 28										
36 30	35 30	34 30	33 30	32 30	1 30									
66 30	65 30	64 30	63 30	62 30	31 30	2 30								
96 2	95 2	94 2	93 2	92 2	61 2	31 2	1 2							
98 32	97 32	96 32	94 32	95 32	63 32	33 32	3 32							
130 30	129 30	128 30	127 30	126 30	95 30	65 30	35 30	1 30						
160 32	159 32	158 32	157 32	156 32	125 32	95 32	65 32	31 32	1 32					
192 30	191 30	190 30	189 30	188 30	157 30	127 30	97 30	63 30	33 30	1 30				
222 29	221 29	220 29	219 29	218 29	187 29	157 29	127 29	93 29	63 29	31 29	1 29			
251 22	250 22	249 22	248 22	247 22	216 22	186 22	156 22	122 22	92 22	60 22	30 22	1 22		
273	272	271	270	269	238	208	178	144	114	82	52	23	1	
274 24	ne linguarũ, omnes hos est: Quot verò annis sin-				239 24	209 24	179 24	145 24	115 24	83 24	53 24	24 24	2 24	
298 10	peruixerint, ignoramus, phax. excepto, de quo, paulò pòst dicemus.				263 10	233 10	203 10	169 10	139 10	107 10	77 10	48 10	26 10	
308 13					273 13	243 13	213 13	179 13	149 13	117 13	87 13	58 13	36 13	1 13

	ANNI							
	Ab orbe condito.	Vitæ Noë.	Vitæ Sē secundú Latinos, & Iapheth secundú Hebræos.	Vitæ Iapheth secundú Latinos, & Sem secundú Hebræos.	A Diluuio.	Vitæ Arphaxad.	Vitæ Cainan.	Vitæ Sale.
Thare creditur genuisse Nachor anno Post annos 17.	1979 17	923 17	423 17	421 17	323 17	321 17	286 17	256 17
Arphaxad, & Nemrod, qui & Belus, mortui sunt in fine anni	1996	940	440	438	340	338	303	273
Ninus regnat in Babylone incho. anno Post annos 9.	1997 9	941 9	441 9	439 9	341 9		304 9	274 9
Noë moritur sub finem anni Post annos 10.	2006 10	950	450 10	448 10	350 10		313 10	283 10
Ninus Monarchiam inchoat Assyriorum anno	2016		460	458	360		323	293
Moritur Ægialeus primus Sicyoniorum Rex an.	2017		461	459	361		324	294
Regnat Europs apud Sicyon. inch. anno Post annos 8.	2018 8		462 8	460 8	362 8		325 8	295 8
Moritur Phaleg sub finem anni	2026		470	468	370		333	303
Moritur Nachor Thare pater sub fin. anni Post annos 12.	2027 12		471 12	469 12	371 12		334 12	304 12
Abram nascitur incho. anno Post annos 9.	2039 9		483 9	481 9	383 9		346 9	316 9
Ninus Assyriorum Rex moritur sub fin. anni	2048		492	490	392		355	325
Semiramis regnat in Niniue, & Sarai nascitur in Chaldæa incho. anno Post annos 3.	2049 3		493 3	491 3	393 3		356 3	326 3
Abram creditur increpasse patrem quòd idola fingeret anno	2052		496	494	396		359	329
Cainan moritur sub finem anni Post annos 6.	2053 3		497 3	495 3	397 3		360	330 3
Reu mortuus est sub finem anni Post annos 3.	2056 6		500 6	498 6	400 6			333 6
Moritur Europs secundus Rex Sicyoniorum an. Post annos 6.	2062 6		506 6	504 6	406 6			339 6
Abram creditur duxisse Sarai vxorem anno Post annos 11.	2068 11		512 11	510 11	412 11			345 11
Sarug cessit è vita sub finem anni Post annos 7.	2079 7		523 7	521 7	423 7			356 7
Abram creditur ab idolorum cultu conuersus an. Post annos 3.	2086 3		530 3	528 3	430 3			363 3
Initium regni Cretensium anno	2089		533	531	433			366
Semiramis Assyriorum Regina decessit anno	2090		534	532	434			367
Regnat Zameis in Assyria incho. anno	2091		535	533	435			368
Iupiter à nonnullis creditur natus anno Post annos 13.	2092 13		536 13	534 13	436 13			369 13
Chodorlahomor subegit Sodomitas anno Post annos 3.	2105 3		549 3	547 3	449 3			382 3
Abram falsò creditur exisse de Chaldæa anno Post annos 5.	2108 5		552 5	550 5	452 5			385 5

ANNI

Vitæ Heber.	Vitæ Phaleg.	Vitæ Reu.	Vitæ Sarug.	Vitæ Nachor filij Sarug.	Vitæ Thare.	Regni Nẽrod siue Beli.	Regni Ægialei super Sicyonios.	Vitæ Nachor filij Thare.	Regni Nini.	Monarchiæ Assyriorum.	Regni Europs super Sicyonios.	Vitæ Abrã.	Regni Semiramis super Assyrios.	Vitæ Saræ.	Regni Zameis in Niniue.
226 17	192 17	162 17	130 17	100 17	71 17	49 17	14 17	1 17							
243	209	179	147	117	88	66	31	18							
244 9	210 9	180 9	148 9	118 9	89 9		32 9	19 9	1 9						
253 10	219 10	189 10	157 10	127 10	98 10		41 10	28 10	10 10						
263	229	199	167	137	108		51	38	20	1					
264	230	200	168	138	109		52	39	21	2					
265 8	231 8	201 8	169 8	139 8	110 8			40 8	22 8	3 8	1 8				
273	239	209	177	147	118			48	30	11	9				
274 12		210 12	178 12	148	119 12			49 12	31 12	12 12	10 12				
286 9		222 9	190 9		131 9			61 9	43 9	24 9	22 9	1 9			
295		231	199		140			70	52	33	31	10			
296 3		232 3	200 3		141 3			71 3		34 3	32 3	11 3	1 3	1 3	
299		235	203		144			74		37	35	14	4	4	
300 3		236 3	204 3		145 3			75 3		38 3	36 3	15 3	5 3	5 3	
303 6		239	207 6		148 6			78 6		41 6	39 6	18 6	8 6	8 6	
309 6			213 6		154 6			84 6		47 6	45	24 6	14 6	14 6	
315 11			219 11		160 11			90 11		53 21		30 11	20 11	20 11	
326 7			230		171 7			101 7		64 7		41 7	31 7	31 7	
333 3					178 3			108 3		71 3		48 3	38 3	38 3	
336					181			111		74		51	41	41	
337					182			112		75		52	41	42	
338					183			113		76		53		43	1
339 13					184 13			114 13		77 13		54 13		44 13	2 13
352 3					197 3			127 3		90 3		67 3		57 3	15 3
355 5					200 5			130 5		93 5		70 5		60	18 5

ANNA-

ANNALES SACRI

TERTIAE MVNDI AETATIS

AVCTORE AVGVSTINO TORNIELLO NOVARIENSI

Congregationis S. PAVLI Clerico Regulari.



SEQVITVR, vt tertiæ mundi ætatis Sacrorum Annalium partem aggrediamur; quæ, vt Operis initio dicebamus, à repromissionibus diuinitus Abramo factis, ad exitum Israëlitici populi de Ægypto, Deo cœptis aspirante, perducenda erit.

AB ORBE CONDITO ANNVS. 2113. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 1.

1 ANNO ætatis Abrami septuagesimo quinto, vt iam sub anno mundi 2108. præmonstratum est, qui annus cum anno vitæ Thare postremo concurrebat, quemadmodum patet in tabulis, circa anni initia, credimus Deum prima vice apparuisse Abramo, adhuc in patria sua, id est, in Vr vrbe Chaldæorum commoranti, eique præcepisse vt inde exiret: sic enim legimus Actorum cap. 7. vers. 2. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraha cùm esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi.* Quibus in verbis manifestum est, Mesopotamiæ vocabulum latiori quodam modo sumptum esse, prout scilicet etiam Chaldæam ei finitimam, & Euphrate dumtaxat fluuio disiunctam, comprehendebat: nam statim subiungitur: *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Chaldæam quoque olim quodammodò ad Mesopotamiam pertinuisse, non obscurè insinuare videtur Iosephus 1. Antiq. cap. 8. ex modo dicendi. inquit enim: *Quamobrem, cùm Chaldæi Mesopotamitæq; ceteri contra eum insurgerent*, &c. Quid namque est dicere, *Chaldæi Mesopotamitæq; ceteri*; nisi apertè indicare, Chaldæos aliquando etiam Mesopotamitarum nomine comprehendi consueuisse? Sanè constat, memoratam Actorum sententiam ferè ad verbum desumptam fuisse ex Genes. cap. 12. vers. 1. vbi habemus: *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi. Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Quamquam

PRIMA DEI APPARITIO FACTA ABRAMO, QVANDO, ET VBI.

MESOPOTAMIAM PRO CHALDAEA VSVRPARI.

enim aliqui putent hæc Abramo dicta fuisse, quando iam venerat in Haran, propterea quòd ibidem continuò subditur: *Septuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran.* attamen certissimum puto, prædicta Genesis verba per postpositionis figuram, in Sacris libris frequenter vsurpatam, ibidem fuisse transposita; & vnam eamdemque esse apparitionem ac iussionem Dei Abramo factam, quę habetur loco Geneseos allegato, cum ea quam ex libro Actorum retulimus; vt late etiam probat Pererius in Genes. cap. 12. & certum est quòd non vrbs Haran, sed Vr Chaldæorum erat terra & patria Abrami, de qua eum exire præcepit Deus: quod enim ait S. Augustinus libro 16. de Ciuit. cap. 15. videlicet Deum præcepisse Abramo iam de Chaldæa corporaliter egresso, vt exiret etiam animo: non videtur in sensu litterali posse accipi, neque eidem quadrare; tum propter superiùs dicta, tum etiam quia illud, *Egredere de terra tua*, corporalem, non spiritualem tantùm egressum, manifestè designat: tum denique quia non est verisimile, Abramum contra voluntatem Dei retinuisse in se animum redeundi in Chaldæam, idololatris præsertim refertam, ac sibi suisque valde infensam, vt ex Iosepho 1. Antiq. cap. 8. colligi potest.

QVAE DEVS ABRAMO PROMISERIT.

2. Porrò, in memorata Dei repromissione Abramo facta, quæ non semel in sacra Genesi repetita, & quandoque etiam clariùs explicata inuenitur, nimirum cap. 13. versic. 14. & cap. 15. vers. 5. & 18. cap. 17. vers. 6. cap. 18. vers. 18. & cap. 22. vers. 17. tria hæc summatim videtur Deus Abramo promisisse. Primò, terram Chanaan, illis verbis, *Veni in terram, quam monstrabo tibi.* Secundò, posteritatis suæ ampliationem: *Faciamq́ te in gentem magnam.* Tertiò, multiplices alias benedictiones, tum propriæ eius personæ concedendas, *Erisq́ benedictus*; tum amicis eius, in gratiam ipsius, *Benedicam benedicentibus tibi*; tum denique omnibus gentibus, *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* hoc est, in semine tuo, vt clariùs exponitur Genes. cap. 22. vers. 18. vbi pro semine Abrami, proculdubiò Christum debemus accipere, qui consequenter de eius posteritate nasciturus ibidem repromittitur. ita enim exponit citatum locum Apostolus ad Galat. cap. 3. vers. 16. dicens: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno: Et semini tuo, qui est Christus.* Constat autem, non in persona Abrami factam esse gentium benedictionem, sed in Christo, vt diserte dicitur ad Ephes. cap. 1. vers. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Et certum est, vniuersalem hanc benedictionem significare copiosam totius mundi redemptionem, quæ vtiq; per Christum, non autem per Abramum facta est. Quòd verò prima hæc repromissio illa sit, à qua ad Legem datam, quadringentos triginta annos decurrisse, testatur idem Apostolus cap. ad Galatas citato vers. 17. hic pro certo supponimus, quoniam sub anno mundi 2522. num. 15. id omnino probandum erit; vbi aduersus Genebrardi opinionem, de tempore incolatus filiorum Israël in Ægypto, fusiùs disputabimus. Quomodo autem iidem anni triginta & quadringenti debeant supputari; & sub eodem mundi anno, & sub anno 2544. numero 40. declarabitur. Nunc ad historiæ cursum redeamus.

ABRAM VENIT DE CHALDAEA IN HARAN CVM PATRE ET FAMILIA SVA.

3. Igitur Abram, vtpote qui semper Deo fuit obsequentissimus, vt primùm eius mandatum accepit, illud executioni mandare nihil est moratus; sed statim se ad exitum de Chaldæa præparare cœpit. Quod vt cognouit Thare pater eius, qui eiusdem filij sui operâ ab idolorum superstitionibus ad veri Dei cultum (quemadmodum credimus, & ex verbis Achior paulò infrà citandis videtur posse colligi) iam perductus fuerat; decreuit & ipse pessimam illam idololatrarum consuetudinem deserere, & cum filio, suæ salutis auctore, quocumque Deus vellet, proficisci. *Tulit itaque Thare, tamquam totius familiæ suæ caput, Abramum filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan; veneruntque vsque Haran, & habitauerunt ibi*, Genes. cap. 11. vers. 31. Et hoc est quod referebat Holoferni Achior de Hebraici populi origine, Iudith cap. 5. vers. 6. dicens: *Populus iste ex progenie Chaldæorum est. Hic primùm in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes itaque cærimonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, vnum Deum cæli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan.* hactenus ex libro Iudith. Cuius quidem verba in numero plurali prolata, non de Abramo tantum, sed & de iis qui cum eo venerant in Haran, proculdubiò accipienda sunt; & consequenter planè indicant, tunc etiam ipsum Thare ab idolis ad veri Dei cultum iam fuisse conuersum; alioquin non & ipse exisset de terra Chaldæorum, si noluisset deserere cærimonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum colenda versabantur.

Erat autem Charan, quę & Haran, Mesopotamiæ vrbs illa, apud quam posteà M. Crassus cum exercitu Romano à Parthis cæsus est, vt scriptum reliquit Ptolemæus Geographiæ suæ lib. 5. cap. 18. & nos sub anno mundi 4001. num. 1. dicemus. Sanè Abram, cum patre suo Thare, & Lot nepote, venit in Haran, non animo ibidem permanendi, sed vt omnes irent in terram Chanaan. sic enim legimus loco Genes. proximè adducto. Quare probabilius videtur, quòd antequam exirent de Vr Chaldæorum, iam reuelasset Deus ipsi Abramo, & Abram patri suo Thare, vt irent in terram Chanaan. Neque hoc videtur refragari Apostolo ad Hebræos cap. 11. vers. 8. dicenti: quòd *Abram fide obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem; & exiit, nesciens quò iret.* quia benè fieri potest, quòd Abram quando exiuit, sciret Deum velle vt ipse iret in terram Chanaan; sed nesciret num vellet ipsum ibi requiescere, an etiam vltrà ad remotiorem aliquam regionem progredi: propterea venit in Haran, vt dixi, non animo ibidem sistendi, sed transeundi versus terram Chanaan; certò credens, quòd ibi Dominus sibi monstraturus esset terram, ad quam pergere, & in qua morari deberet: quemadmodum mox reuerà factum fuisse, nos sub anno mundi proximo, num. 2. indicabimus. Non est autem quòd quis huc loco hæsitet de perfectâ Abrami obedientia, eò quòd cùm præcepisset ei Deus, vt exiret, non solum de terra sua, sed etiam de cognatione; ipse tamen non videatur exisse de cognatione, quando & Thare patrem suum, & Lot ex fratre nepotem secum adducere, & cum eis posteà habitare non recusauit: quia si vim diuini huius præcepti rectè pensemus, vtique inueniemus ipsum simile esse illi, quod tradidit Christus Lucæ cap. 14. vers. 26. illis verbis: *Si quis non odit patrem suum & matrem,* &c. *non potest meus esse discipulus.* Nam quemadmodum hîc non absolutè iubemur carnales odisse parentes, sed eos dumtaxat, qui nobis in via Dei aduersantur, vt optimè exponit declaratque S. Gregorius Homil. 37. in Euangelia: sic Dominus præceperat Abramo, vt discederet ac segregaret se à cognatione sua; non ab omni, sed ab ea tantùm, quæ seruire volebat dijs alienis. Itaque sanctus Patriarcha diuino Spiritu, quo plenus erat, probè intelligens Dei præcipientis intentionem ac voluntatem, protinus eam perfectissimè adimplere curauit.

HARAN CELEBRIS OB M. CRASSI INTERITVM

QVA INTENTIONE VENERIT ABRAM IN HARAN.

4. Ceterùm promptam alacremque Abrami in hac sua migratione obedientiam eleganter describit celebratque Philo Iudæorum disertissimus, in libro quem De Abrahamo inscripsit; cuius verba, ad huius sancti viri commendationem hic inserere visum est. *Oraculo perculsus,* inquit, *quo iubebatur migrare, deserta patria, cognatione, paternáque familia, haud secus quàm si è peregrinatione domum redire iussus esset, iter accelerauit in regionem exteram; rem factam se habere putans, si mandatum exequeretur celeriter. Quis alius, putas, tam constans fuisset ac pertinax, vt non flecteretur affectu cognationis & patriæ, quarum innatum & coalitum est cuique desiderium, magis, aut certè non minùs, quàm membra corporis? Testes sunt Legislatores, qui secundam ab extrema capitali pœna, atrocissimorum criminum conuictis, statuerunt exilium: profectò, non secundam, quantum equidem verè iudicare possum; sed aliquanto grauiorem: siquidem mors calamitatum finis est, exilium verò non finis, sed nouorum malorum initium; dum eiuitata vna sensu carente, innumera mortes sentiuntur. Alij negotiationis augendæque rei familiaris causa nauigant; alij legationis; nonnulli amore visendi regiones exteras, aut eruditionis parandæ, ad peregrinationem tracti lucri cupidine, aut iuuandæ patriæ temporibus difficilibus, aut cognoscendi quæ priùs nesciuerant, delectandi & adiuuandi animi gratia. Quantum enim cæci cedunt videntibus, tantum præstant peregrinati, numquam egressis patriam. Omnes tamen ad patrium solum properabundi, videre id & salutare gestiunt, complecti familiares, frui gentilium & amicorum mutuo conspectu longè iucundissimo: adeò vt aliquoties remorantibus se negotiis, propter quæ reliquerunt domesticos, abrumpant ea, non ferentes grauissimarum necessitudinum desiderium. At hic noster, cum exiguo, vel pene nullo comitatu, quamprimùm iussus est, demigrauit; animo priùs in nouam coloniam profectus, quàm corpore; mortalium rerum desiderio cedente amori cælestium. Sepositâ igitur curâ popularium, tribulium, familiarium, amicorum, cognatorum paterni maternique sanguinis; ad hæc patriæ, morum consuetorum, simul educatorum, & vitæ sociorum; quæ singula magnam vim habent ad retrahendum à proposito, libero expeditoque conatu, quamprimùm potest, demigrat. primùm è Chaldæa, regione illo tempore admodum fortunata, in Charrensem agrum: deinde non multò pòst, hinc quoque in locum alium, de quo dicturi sumus.* hactenus Philo. cuius postrema verba, quibus tradit, Abramum, non multò postquam venerat in Charan, inde etiam discessisse; non valdè strictim, sed aliquantò largiùs interpretanda videntur: nam oportet ipsum aliquo tempore, nimirum ferè vsque ad finem illius anni, in quo de Vr discesserat, moram traxisse in Haran:

EGREGIA ABRAMI OBEDIENTIAE DESCRIPTIO EX PHILONE.

CVR, ET QVANDIV MORATVS SIT ABRAM IN CHARAN

ran: siue, vt arbitror, quia Thare pater eius, vtpote iam valdè longæuus, nimiùm ex itinere fessus, vel etiam aliqua forsitan infirmitate correptus esset, siue alia necessaria rationabilive de causa. Vnde ob huiuscemodi aliquantò longiorem quàm putauerant moram, dicuntur habitasse in Charan: præsertim quia ibidem etiam contigit quosdam in familiis Abrami & Lot nasci paruulos, quemadmodum sub anno insequenti num. 1. dicemus.

NACHOR FRATER ABRAMI VENIT MANSITQVE IN HARAN IBIQVE POSTERITAS EIVS.

5. Eodem anno Nachor frater Abrami, qui priùs non venerat cum patre suo Thare & cum fratre Abram in Haran, sed remanserat in patria sua, hoc est in Vr Chaldæorum, quòd *fortè* (vt ait S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 13.) *à paterna ac fraterna pietate desciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum: nunc siue pœnitentia ductus, siue persecutionem à Chaldæis passus, tamquam apud eos de religione suspectus*; vel etiam quia de graui, vt arbitror, Thare patris sui infirmitate audierat; venit & ipse cum vxore Melcha, & omni domo sua, in Haran Mesopotamiæ vrbem; vbi non solùm donec superuixit eius pater, sed etiam post obitum illius, perpetuò mansit; ibique posteaquam mortuus est pater eius, & inde discesserunt Abram & Lot, ipse Nachor genuit ex Melcha vxore filios octo, & ex Roma concubina quattuor, vt traditur Genes. cap. 22. vers. 20. vbi singula ipsorum nomina recensentur, & fit mentio Vs primogeniti; & signate exprimitur, quòd Abram de horum omnium ortu nuntium accepit in terra Chanaan, post eius reditum de illo monte, in quo iussus fuerat immolare filium suum Isaac. Ex quibus omnibus manifestè colligitur, quòd Nachor, quando venit de Chaldæa in Haran, nullum adhuc habebat filiùm, saltem ex Melcha vxore; & quòd omnes prædicti duodecim eius filij nati sunt in Haran, intra illud tempus, quod fluxit ab aduentu Abrami in terram Chanaan, vsque ad eius reditum de prædicto monte; nimirum interuallo annorum circiter quinquaginta, vt sub anno mundi 2039. diximus, & dinumerari potest in tabulis. Igitur Nachor, ex quo, vt diximus, de Chaldæa venit in Mesopotamiam, semper deinceps habitauit in Haran ipse, & vniuersa posteritas eius,

HARAN CVR DICTA SIT VRBS NACHOR.

quæ ibi posteà vsqueadeò excreuit, vt eadem ciuitas deinde vrbs Nachor etiam appellata fuerit, quemadmodum patet Genes. cap. 24. versic. 10. & ex collatione eorum quæ ibi dicuntur, cum his quæ habentur Genes. cap. 27. vers. 43. & cap. 29. versic. 4. comprobari potest. Ceterùm, ex memorata vrbis appellatione videtur etiam posse deduci argumentum non sanè infirmum, contra ponentes, Thare patrem Abrami, vixisse mansisseque in vrbe Haran, vsque ad annum vitæ eiusdem Abrami centesimum trigesimum quintum; quorum opinionem nos sub citato mundi anno 2039. nu. 5. refutauimus. Nam si hoc esset; proculdubiò illa ciuitas potiùs vrbs Thare, quàm Nachor, nuncupata fuisset.

THARE OBITVS.

6. Sub finem eiusdem anni septuagesimi quinti vitæ Abrami mortuus est Thare pater eius in Haran, cùm vixisset annos quinque supra ducentos, vt in calce capitis 11. Genesis expressum est.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

Vixit ergo Thare cum	Noë	annis	nonaginta octo.
	Sem.		ducentis quinque.
	Arphaxad		octoginta octo.
	Cainan		centum quadraginta quinque.
	Sale		ducentis quinque.
	Heber		ducentis quinque.
	Phaleg		centum decem & octo.
	Reu		centum quadraginta octo.
	Sarug		centum septuaginta & vno.
	Nachor		centum decem & nouem.
	Abram		septuaginta quinque.
	Sarai		sexaginta quinque.

AN FVERIT IDOLOLATRA.

7. Vtrùm autem Thare fuerit idololatra, an veri Dei cultor, aliquam habet difficultatem. Nam Iosue cap. 24. vers. 2. expressè asseritur, quòd Thare pater Abram, & Nachor, seruierunt diis alienis. contrà verò S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 13. dicit ipsum Thare ideò exisse de Vr Chaldæorum cum Abram filio suo, & Lot nepote, vt ipsi ab idololatris declinarent: at verò Nachor, quia erat idololatriæ deditus, ibidem tunc remanere voluisse; licet posteà & ipse venerit in Mesopotamiam, habitaueritque ibi in vrbe, quæ Genes. cap. 24. vers. 10. dicitur Vrbs Nachor, ad quam post plures annos venit seruus Abrahæ, vt inde duceret Rebeccam in vxorem ipsi Isaac, vt in eodem cap. describitur. Confirmat sententiam suam B. Augustinus ex alio Scripturæ loco,

co, nimirum Iudith cap. 5. verſ. 6. vbi clarè dicitur, quòd progenitores Hebræorum ideò de Chaldæa in Meſopotamiam tranſmigrarunt, vt deſerentes cærimonias patrum ſuorum, quæ in multitudine deorum erant, vnum Deum cæli colerent, qui præcepit eis vt habitarent in Charan. Ergo (inquit S. Auguſtinus) patet, ipſum Thare, qui vt obediret Deo vero, exiuit cum Abramo & Lot de Vr Chaldæorum, & habitauit in Meſopotamia in Charan, non fuiſſe idololatram; alioqui remanſiſſet cum altero filio ſuo Nachor in Chaldæa. Solutio huius difficultatis eſt, quòd Thare aliquando fuit idololatra, aliquando non. Verumtamen an eſſet infidelis, quando exiuit de Chaldæa, quemadmodum ſentit B. Chryſoſtomus Homil. 31. in Geneſ. ſed poſteà ab Abramo filio ſuo ad cultum veri Dei fuerit perductus; an verò (vt alij ſentiunt) quando erat in Chaldæa, Deum verum coleret, ſed poſteaquam habitauit in Charan, ſiue ob aduentum Nachor filij ſui idololatræ, ſiue ex gentis illius conſuetudine, paulatim corruptus, ad idola colenda declinauerit: non facile eſt determinare. Qui putant Abramum primò de Haran veniſſe in terram Chanaan multò ante obitum patris ſui Thare, facilè in eam ſententiam veniunt, quòd Thare ex abſentia filij ſui Abrami, relictus in Meſopotamia, ſecutus ſit deos alienos. Nos autem, qui ſub anno mundi 2039. num. 5. & ſequentibus, latè admodum diſputauimus contra ponentes duplicem Abrami aduentum de Haran in terram Chanaan, & probauimus, ipſum Abramum ſemel tantum veniſſe de Haran in terram Chanaan, idque poſt mortem patris ſui Thare; credimus eumdem Thare à prima eius ætate ſemper fuiſſe idololatram, donec tandem, paulò antequam exiret de Chaldæa, Abrami opera conuerſus eſt ad veri Dei cultum: exinde autem, vſque dum vixit, ſemper extitiſſe fidelem. Et fortaſſis hæc fuit cauſa potiſſima, cur aliquamdiu Abram in Haran moratus fuerit, ne ſcilicet patrem recenter conuerſum, & ad vitæ finem appropinquare incipientem, non ſine aliquo ſalutis ſuæ periculo, deſereret: quod nequaquam iuſſioni diuinæ reluctari intellexerat.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2114. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 2.

1 ANNO inſequente circiter inchoante, Abram, quando erat annorum ſeptuaginta quinque, id eſt, annum ætatis ſeptuageſimum quintum iam expleuerat, & ſeptuageſimum ſextum inchoare cœperat, paterna ſolutus cura, ac diuini memor mandati, *tulit Sarai vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, vniuerſamq; ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran, & egreſſi ſunt vt irent in terram Chanaan*, Geneſ. cap. 12. verſ. 4. & 5. Sane quod dicitur, *& animas quas fecerant*, accipere debemus paruulos, quos naſci contigerat dum morarentur in Haran; non quidem de Sara, quæ erat ſterilis, vt traditur Geneſ. cap. 16 in principio; ſed vel forte de Lot, qui poſteà anno vitæ Abrami nonageſimo nono dicitur habuiſſe duas filias nubiles, Geneſ. cap. 19. verſ. 8. vel etiam de famulis ac famulabus ipſorum: habebant enim ſinguli, Lot videlicet & Abram, familias adeò numeroſas, vt non multò pòſt coacti ſint diſcedere ab inuicem, quòd non poſſet ambos terra illa capere, hoc eſt, amborum greges alere, quemadmodum patet legenti cap. 13. Geneſ. verſ. 6. & deinceps. Igitur Abram & Lot cum familiis ſuis, tranſmiſſo Euphrate, venerunt pariter in terram Chanaan ad vrbem Sichem, vt num. proximo dicemus. Puto autem eos veniſſe per eamdem viam, quam poſteà perambulauit Iacob, quando cum vxoribus, & liberis, & gregibus, venit de Meſopotamia in Sichem, quemadmodum deſcribitur Geneſ. cap. 31. verſ. 21. vſque ad finem capitis 33. nimirum tranſiens per môtem Galaad, & per Mahanaim, inde in Socoth, donec peruenit in Salem vrbem Sichimorum, quæ etiam dicebatur Sichem. Ex his ergo, quæ hactenus ſub hoc & præcedenti anno mundi diximus, fit manifeſtum, quòd intra vnius fermè anni ſpatium, ab ipſo ferè anni vitæ Abrami ſeptuageſimi quinti initio, ad exordia ſeptuageſimi ſexti defluxum, omnia hæc facta ſunt; videlicet, diuina Abrami vocatio & repromiſſio, antequam habitaret in Charan: diſceſſio eius de Chaldæa, & aduentus habitatioque eius in Charan: item mors patris eius Thare, in eadem Charan: & profectio ipſius Abrami de Charan in terram Chanaan. Et ſic quoque ſentiunt Euſebius in Chronicis, & B. Auguſtinus lib. 16. de Ciuit. cap. 16. & 24. & alij; qui quadringentos triginta annos, quos a promiſſionibus ad Legem decurriſſe tradit Apoſtolus ad Galat. cap. 3. verſ. 17. à memorato ætatis Abrami anno ſeptuageſimo quinto ſupputari debere aſſerunt. Quoniam autem iam probatum eſt, ipſum Abram eodem anno vitæ ſuæ ſeptuageſimo quinto deſinente, vel ſeptuage-

ABRAM VENIT DE HARAN IN TERRAM CHANAAN.

QVAE ACTA SINT ANNO AETATIS ABRAMI SEPTVAGESIMO QVINTO.

fimo fexto incipiente, exiffe de Haran; & quod paulò pòft etiam ingreffus fit in terram Chanaan, conftare videtur ex collatione duorum Textuum Genef. nempe cap. 16. verf. 3. vbi dicitur, quòd Abram duxit Agar Ægyptiam poft annos decem, ex quo ipfe habitare cœperat in terra Chanaan: & infrà verf. 16. additur, eumdem Abramum octoginta & fex annorum extitiffe, quando dicta Agar peperit ei Ifmaëlem: profectò inferri poffe videtur, ipfum Abram, & qui cum eo erant, breui admodum tempore, puta vnico circiter menfe, iter illud de Haran in terram Chanaan confeciffe. Et hoc fi verum eft, vt credimus, omnino conuincit, falfam effe opinionem illam, quam ex Nicolao Damafceno refert Iofephus 1. Antiq. cap. 8. (tametfi à nonnullis aliis Scriptoribus recepta effe videatur) nimirum, Abram de Haran veniffe Damafcum, atque ibidem aliquo tempore regnaffe. Sed hanc eamdem opinionem alus item rationibus improbat Pererius in Genef. cap. 12.

QVOD ABRAM NON REGNAVERIT IN DAMASCO.

2. Ceterùm, intra memoratum decennium, ab ingreffu Abrami in terram Chanaan ad Ifmaëlis conceptionem decurfum, acta funt ea quæ defcripta habemus in Genefi, ferè ab initio capitis 12. vfque ad finem 15. de quibus hîc confequenter agendum erit. Ingreffus ergo Abram in terram Chanaan, & pergens contra plagam eius, inter Orientem ac Meridiem quodammodò mediam, venit vfque ad locum Sichem, & vfque ad Conuallem illuftrem, à Chananæis tunc inhabitatam. Vbi apparuit ei fecundò Dominus (prima enim vice apparuerat ei cùm adhuc effet in Chaldæa, vt fub anno præcedenti num. 1. oftenfum eft) dixitque: *Semini tuo dabo terram hanc,* &c. Genef. cap. 12. verf. 6. Quem locũ exponens B. Stephanus cap. Actorum 7. verf. 5. ait: *Et non dedit illi hereditatem in ea, nec paffum pedis; fed repromifit dare illi eam in poffeffionem, & femini eius poft ipfum, cùm non haberet filium.* Intellexit ergo Abram ex hac fecunda Domini apparitione ac repromiffionis confirmatione, hanc effe terram illam, quam ei fe monftraturum Dominus in prima vifione pollicitus fuerat, quando nimirum prima vice apparuerat ei in Chaldæa adhuc exiftenti, dicẽs, *Egredere de terra tua,* &c. *& veni in terram quam monftrabo tibi.* Quamobrem in huius beneficij recognitionem, ædificauit Abram ibi altare Domino, (quemadmodum loco Genef. proxime adducto fubiungitur) fuper quo etiam oblationes & facrificia pro gratiarum actione obtuliffe, nemo dubitare debet. Verùm, quia non parũ refert fcire, quifnam fuerit ille locus, in quo primùm erexit Abram altare Domino in terra Chanaan, in eoque hoftias immolauit: videtur hîc neceffariò aliquid de prædicto loco Sichem & Conualle illuftri effe dicendum.

ALTERA DOMINI APPARITIO ABRAMO FACTA, QVANDO, ET VBI.

AEDIFICAT ABRAM ALTARE DOMINO IN TERRA CHANAAN.

¶ 3. Porrò Sichem, quæ & Salem dicta eft Genef. cap. 33. verf. 18. etiam Sichima, tam vrbs quàm ager eius nuncupabatur, & incolæ eius Sichimitæ funt appellati. Tempore autem Saluatoris, dicta vrbs dicebatur Sichar, & ad Samariæ prouinciam pertinebat, vt patet Ioan. cap. 4. verf. 5. Pofterioribus verò temporibus, Neapolis; ac demum, corrupto vocabulo, Naploza nuncupata fuit, vt tradit Andreas Mafius fuper Iofue cap. 20. verf. 7. Pofita erat hæc ciuitas in quodam monte excelfo, vel vt idem Mafius putat, apud montem potiùs, quàm fupra ipfum; nempe ad radices eius: qui duo habebat iuga, quorum alterum Garizim, alterum Hebal vocabatur; & poftea etiam mons Ephraim dictus eft, quòd in fortem Ephraimitarum deinde ceciderit: vnde Iofue cap. 20. verf. 7. & 3. Reg. cap. 12. verf. 25. Sichem dicitur fuiffe in monte Ephraim. His prorfus confentanea habentur in libro de Locis Hebraicis, qui de Actis infcribitur, vbi fic legimus: *Sichem ciuitas Iacob, nunc Neapolis dicta, iuxta fepulchrum Iofeph, quæ à filio Hemor fui Regis vocabulum fumpfit: iuxta quam Dominus Samaritana mulieri loquitur ad fontem; vbi nunc Ecclefia fabricata eft, ex latere montis Garizim.* Sic memorati libri Auctor. qui licet inter B. Hieronymi libros circumferatur; ipfius tamen non effe, vel ex eo manifeftè deprehenditur, quòd ipfemet, vbi de Smyrna loquitur, ipfum citat B. Hieronymum. Sed & hîc addere libet verba Mafij, quæ de Sichem fcripta reliquit fuper cap. vlt. Iofue verf. 1. Extabat, inquit, illa, vt ait B. Hieronymus, ad latus montis Garizim, circiter fex millibus paffuum à Samaria. eius ruinæ nunc Iftar vocantur ab incolis: nam Neapolis, aut vt vulgus dicit, Naploza, non eodem folo fubftructa nunc vifitur. hæc Mafius. Sunt qui putant, hanc vrbem primò ab Hemor Heuæo ædificatam, & ex nomine filij fui Sichem fuiffe nuncupatam. Eamdem deinde in folitudinem redegerunt filij Iacob, Simeon & Leui, habitatoribus eius interfectis, Genef. cap. 34. verf. 25. vfque ad 30. Poftea verò etiam vrbem ipfam, nefcio à quo & quomodo inftauratam, iterùm funditus fubuertit Abimelech, fuperfeminato fale, Iudic. cap. 9. verfic. 45. Sed eamdem poft multa tempora reædificauit Ieroboam primus Ifraëlis Rex, & fedem regni fui conftituit, 3. Reg. cap. 12. verf. 25. Plura de Sichem vide apud Brocardum

DE VRBE SICHEM QVIBVS NOMINIBVS FVERIT APPELLATA.

VBI SITA.

LIBRVM DE LOCIS HEBRAICIS, QVI ET DE ACTIS, NON ESSE B. HIERONYMI.

SICHEM A QVIBVS NON SEMEL AEDIFICATA, ET DESTRVCTA.

dum par. 1. cap. 7. §. 16. vsque ad 21. Fuit autem hæc ciuitas olim celeberrima, propter acta quædam valdè insignia, quæ in ea vel penes ipsam acciderunt: cuiusmodi sunt, Dinæ stuprum, ex quo incolarum interitus est subsecutus, Genes. cap. 34. Iosephi Patriarchæ sepultura, de qua in calce libri Iosue fit mentio. Fons Iacob, & prædium quod ipse dederat Ioseph filio suo, Ioan. cap. 4. vers. 5. Fœdus paulò ante obitum Iosue ibidem ictum inter Deum & populum Israëliticum, Iosue cap. vlt. Item (iuxta Brocardum vbi suprà §. 17. & Iosephum 5. Antiq. cap. 1.) recitatio Deuteronomij coram vniuerso populo, Iosue cap. 8. vers. 31. vsque ad finem capitis. Et denique conuentus Hebræorum pro eligendo Roboam filio Salomonis in Regem, quo tempore diuisum est regnum Israel à Iuda, 3. Reg. cap. 12. & 2. Paralip. cap. 10. Illud verò quod magis hanc vrbem seu eius viciniam nobilitauit, fuit hæc prima altaris erectio facta ab Abramo, de qua paulò pòst agemus.

PRAECLARA QVAEDAM IN SICHEM GESTA.

4. Sequitur dicendum de Conualle illustri, sic enim nominatur in editione Vulgata; in Hebraica verò dicitur *Ela Moreh*, quas voces translatio LXX. Interpretum interpretatur, *Ad quercum altam*, Paraphrasis autem Chaldaica, vt videre est in Biblijs Regijs, reddit, *Ad planitiem Moreh*. Ex qua interpretationum diuersitate datur intelligi, conuallem illam fuisse satis planam, & admodum illustrem ac conspicuam, ob multitudinem ac proceritatem quercuum, aliarúmve arborum excelsarum. Erat autem hæc conuallis sanè admodum longa: siquidem, vt ait Brocardus, incipiebat in planitie media inter duos montes, Gelboë & Hermon, inter quos defluebat Iordanis, secus quem extendebatur dicta conuallis vsque ad Mare mortuum. Quin & ipsum mare, siue locus eius, (loquit idem Auctor) ante subuersionem Sodomæ & Gomorrhæ, continebatur in eadem Conualle illustri, quæ aquis irrigabatur veluti Paradisus, & Ægyptus. Credimus autem istam conuallem (vt ex lectione LXX. Interpretum colligi posse videtur Genes. cap. 12. vbi dicitur: *Vsque ad locum Sichem, ad quercum altam*) ab vna eius parte non admodum fuisse remotam ab vrbe Sichem: vnde quando ibi Abram dicitur venisse *vsque ad locum Sichem*, id est, vt nonnulli exponunt, vsque ad locum, in quo posteà condita fuit Sichem: fortè melius est intelligere, ac si dixisset, Vsque ad agrum, seu territorium vrbis Sichem: vel potiùs, quia in editione Vulgata legitur, *vsque ad locum Sichem, vsque ad Conuallem illustrem*, hoc est antonomasticè, vsque ad locum illum positum inter Sichem & Conuallem illustrem; qui locus posteà adeò fuit insignis & celebratus, propter primam aram ibidem ab Abramo extructam, vt ad eumdem locum deinde venerit etiam Iacob, quando reuersus est de Mesopotamia Syriæ, & ibidem empto prædio habitare decreuerit, atque erecto altari, tamquam in loco priùs ab auo suo Abram consecrato, dignum duxerit inuocare super illud fortissimum Deum Israël, vt legimus Genes. cap. 33. in fine. In eodemmet loco (vt putat Masius super cap. Iosue 8. vers. 31.) sub Ela defodit Iacob idola domus suæ, vt patet Genes. cap. 35. vers. 4. Puto autem ob huiusmodi insignia memorati loci priuilegia, etiam ipsum Iosue, quando venit in terram Chanaan, elegisse sibi domicilium iuxta Sichima, vt tradit Iosephus 5. Antiq. cap. 1. prope finem. Et post multa tempora, regnante Alexandro Magno, Satrapa ille Sanabaletes, in gratiam generi sui Manasse, qui erat frater Iaddi Summi Pontificis Ierosolymitani, in eodem potiùs loco (ob insignem eius sanctitatem) quàm alibi, ædificare voluit templum illud Ierosolymitano simile, de quo sub anno mundi 3721. num. 2. dicemus. Et vsque ad tempora Saluatoris locus ille in honore erat apud incolas, vt colligi potest Ioan. cap. 4. vers. 20. ex illis verbis, *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*, &c.

DE CONVALLE ILLVSTRI.

VBI ESSET POSITA.

CVR IOSVE HABITAVERIT IVXTA SICHEM, ET IBIDEM POSTEA AEDIFICATVM SIT TEMPLVM IEROSOLYMITANO SIMILE.

5. Non multò pòst, Abram de prædicto loco, inter Sichem & Conuallem illustrem posito, Orientem versus pergens, venit ad montem Bethel, tetenditque ibi tabernaculum suum inter duas vrbes, nimirum Bethel & Hai; primam habens ab Occidente, alteram ab Oriente: & ibidem quoque erecto altari, inuocauit nomen Domini, Genes. cap. 12. vers. 8. Sanè inter memoratas vrbes vnam circiter itinens leucam extitisse, bis mille & quadringentos passus continentem, quantum scilicet homo pedes vnius horæ spatio commodè conficere solet; testatur Masius super Iosue cap. 7. vers. 2. & super cap. 8. vers. 11. Nominatur autem hic prædicta vrbs, Bethel; quia hoc appellabatur nomine quando Moyses hæc scribebat: nam anteà, quando scilicet Abram prope ipsam venit, vocabatur Luza: post annos verò centum sexaginta duos, (vt videre est in tabulis) à Iacob pergente in Mesopotamiam, primò nominata est Bethel, id est, Domus Dei, propter diuinam illam visionem ibidem ei demonstratam, scalæ à terra ad cælum pertingentis, & Angelorum per ipsam ascendentium ac descendentium,

ABRAM VENIT IN BETHEL.

LVZA PER ANTICIPATIONEM DICTA BETHEL, ET CVR POSTEA SIC APPELLATA.

CVR DEINDE DICTA BETHAVEN.

vt patet Genes.cap. 28. vers. 19. & nos sub anno mundi 2276. num.6. dicemus. Longe verò posterioribus, nempe Regum & Prophetarum temporibus, eadem vrbs, quasi per irrisionem, seu ad execrationem, appellari cœpit Bethauen, id est Domus iniquitatis, vt est apud Oseam cap.4. vers. 15. & cap.5. v.8. & cap.10. v.5. siue ob vicinam solitudinem (cuius meminit Iosue cap. 18. vers. 12.) sic appellatam, quòd fortè in ea cædes & latrocinia fierent: vel potiùs, quia in Bethel Ieroboam primus decem tribuum Rex posuerat vitulum aureum, quem deinceps ab Israëlitis coli voluit, vt habetur 3. Regum cap. 12. vers. 29. Hanc enim ob causam putat B. Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis, & supercitata Oseæ loca, vrbem illam, quæ priùs Domus Dei dicebatur, posteà Domum idoli à piis viris, vt dixi, fuisse denominatam.

DE VRBE HAI.

Hai verò altera ciuitas, posita erat in Occidua parte montis, quem posteà à Christi ieiunio ibidem exacto, Quarantenam appellarunt. habebatque Hai ab Oriente tribus leucis Galgala, vt ait Brocardus, totidem verò à Septemtrione, fontem Elisei, prope Iericho existentem, vt probat Masius super Iosue cap.7. vers.2. Fuit autem Hai secunda ciuitas à Iosue, post ingressum populi in terram Chanaan, expugnata, vt patet Iosue cap.8.

CVR ABRAM NON VNO IN LOCO PERMANSERIT, SED HVC ATQVE ILLVC DOMICILIVM SVVM TRANSTVLERIT.

6. Ceterùm si quis hoc loco percontetur, cur Abram non manserit in loco in quo priùs fixerat tabernaculum, sed huc atque illuc progrediens, veluti in continua quadam peregrinatione, vitam suam suorumque transigere visus sit; dicere possumus, illum ita egisse, quia sic ei Dominus imperauerat Genes.cap. 13. vers.17. dicens: *Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* vt scilicet illam sibi & semini suo repromissam, aliquatenus lustraret ac recognosceret, & vt tandem commodiorem sibi locum ad inhabitandum deligere posset. Vel etiam ob particulares quasdam difficultates in Scriptura sacra prætermissas, de loco ad locum (Deo sic disponente) transire quodammodò cogebatur; vt vel sic mira eius in sequendo ductum Domini constantia fidesque magis ac magis probata ostenderetur, ac posteri egregium quoddam in hoc viro perfectioris vitæ specimen imitandum ante oculos haberent. Et fortè item, ne lucerna tot tantarumque virtutum splendoribus irradiata, veluti sub modio conclusa maneret, sed potiùs quodammodò in conspectu omnium posita, pluribus hisce atque diuersis Chananæorum populis, siue ad ipsorum confusionem reprehensionemque deseruiret, vel etiam ad quorumdam emendationem, eisdem optima quædam benè viuendi exempla documentaque præberet: & ipse sanctus vir ad propriã suorumque merita ampliùs augenda, varias regiones cum vniuersa familia sua optimè admodum instituta peragrando, vitam quodammodò Apostolicam in terris ageret, atque vbique sanctitatis vestigia relinquens, bonarum virtutum semina spargeret, ad plurimorum salutem promouendam accommodata.

ABRAM DESCENDIT CVM FAMILIA SVA IN AEGYPTVM.

7. Eodem anno quo Abram de Haran venerat in terram Chanaan, (iuxta Hebræorum opinionem, quam refert Ioannes Driedo lib.3. de Dogmatibus Ecclesiasticis tract.3. cap.5. concl.4.) hoc est, vt arbitror, in posterioribus illius anni temporibus, exorta fame in terra Chanaan, descendit Abram cum omni familia sua in Ægyptum: vbi veritus ne Ægyptij, nimia vxoris suæ pulchritudine capti, ipsum interficerent, vt eam ducere possent; in tribulationem incidit maximam, cœpitque cogitare quid ageret: duplex quippe sibi periculum imminere videbat, alterum vitæ, honoris alterum. & quidem cum esset in arcto positus, primo sic occurrere decreuit, nimirum rogando Saram, vt tacita veritate, quòd scilicet eius vxor esset, diceret se esse sororem; quod certè sine mendacio affirmare poterat; quandoquidem, cùm ipsa more Hebraico verè diceretur filia Thare patris Abrami, licet non immediate ab ipso, sed mediante Aran filio eius esset genita; profectò iuxta eumdem ritum etiam ipsius Abrami soror ritè dici poterat, quemadmodum sub anno mundi 2049. num. 10. latiùs ostensum est. Aliud verò periculum, nempe honoris, quia Abram nullatenus ei humano consilio prospicere se posse videbat, diuinæ committendum prouidentiæ putauit, quæ, vbi humana cessant auxilia, non deest iis qui humili eam corde implorant; quemadmodum ipsi Abramo in hoc eodem casu euenisse certum est. Nam etsi, vt primùm peruenit fama pulchritudinis Saræ ad Regem, sublata sit mulier in domum Pharaonis, vt dicitur Gen. cap. 12. versic. 15. verumtamen, vt ibidem subditur, *flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius*, (nimirum eos qui laudauerant eam apud ipsum, tamquam delicti participes) *propter Sarai vxorem Abram.* Atque hoc pacto consultum fuit honori ipsius Abrami & coniugis suæ, vt mox clariùs explicabitur, & consequenter euentus comprobauit verum esse, quod ipsi Abramo repromiserat Dominus, dicens: *Maledicam maledicentibus tibi.* hoc est, Malefaciam malefacientibus tibi. iste enim est verus illorum

rum verborum intellectus. Quis verò fuerit iste Pharao, qui temporibus Abrami regnabat in Ægypto, incompertum habemus: quandoquidem scimus, antiquitus per multa tempora, vsque ad Cambysem Cyri filium, qui Ægypti regnũ Imperio Persarum adiunxit, Reges Ægyptiorum communi vocabulo Pharaones fuisse appellatos: quemadmodum iidem, post Alexandri Magni obitum, à primo ipsorum Rege Ptolemæo, deinceps, donec à Romanis subacti sunt, etiam Ptolemæi sunt appellati; more Romanorum, qui mox suos Imperatores, Cæsares & Augustos nominare consueuerunt.

8. Quæ autem fuerint prædictæ plagæ Pharaoni à Deo inflictæ, Scriptura sacra non exprimit. Vnde Hebræi, vt refert Lyranus, putant fuisse fluxum seminis adeò molestum, vt eos redderet inhabiles ad coitum, atque hoc pacto seruata fuerit Sarai ab eis intacta. Alij dicunt fuisse sterilitatem vxorum Pharaonis, quemadmodum posteà, eamdem ob causam, accidisse Abimelech Regi Philisthinorum, infrà suo loco dicemus. Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 9. dicit, Deum huic libidini obstitisse, pestilentia & seditione res Regis infestando. Philo autem in libro De Abrahamo, ait fuisse pœnas corporis & animi graues Regi diuinitus inflictas; ita vt morbo laborans multiplici, amorum voluptatũq; oblitus, longè diuersas agitaret curas; quomodo scilicet euadere posset è tormentis, quibus dies noctesque sine intermissione afflictabatur. B. Theodoretus pariter quæst. 61. in Genes. credidit, Pharaonem grauissimis percussum infirmitatibus non potuisse, vt decreuerat, Saram ducere vxorem. Sed quidquid sit, sufficit plagas illas fuisse tales, quæ prohibuerint ne Pharao, aut quisquam alius, ingredi potuerit ad Saram. Quæret hîc fortasse aliquis, num flagella hæc, statim ac Sarai ducta est in domum Pharaonis, superuenerint Regi & domui eius, an multò pòst. B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. putauit hoc potuisse contingere post multos dies ac menses; arbitratus, quòd quemadmodum apud Reges Persarum ac Medorum mos erat, vt quæ mulier placuisset Regi, non statim ad cubile eius introduceretur, sed priùs vngeret se oleo myrrhino sex mensibus, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus vteretur, ac demum tunc ingrederetur ad Regem, vt legimus Esther cap. 2. vers. 12. ita fieri soleret apud Reges Ægypti; & quòd interim dum hæc ageret Sarai, flagellauerit Dominus Pharaonem. Sed tamen probabilius videtur, flagella hæc illicò euenisse: tum quia, quòd memoratus mos esset quoque penes Ægyptios, illo præsertim tam antiquo tempore, non videtur satis posse probari: tum etiam, quia sic faciliùs potuit Pharao intelligere & credere, propter ablatam illam mulierem, & non alia de causa, sibi domuiq; suæ mala hæc euenisse, quòd certum esset, ea continuò, ex quo illa domum suam intrauerat, & cœpisse, & deinceps perseuerasse. Et infrà sub anno proximo num. 1. probabimus, Abramum breui tempore moram traxisse in Ægypto.

DE PLAGIS PHARAONI A DEO PROPTER EVSVRPATAM VXOREM ABRAMI, INFLICTIS.

QVANDO DICTA FLAGELLA PHARAONI EVENERINT.

9. His itaque eruditus Pharao plagis, iuxta illud quod dicitur, *Vexatio dat intellectum*, intellexit valdè displicuisse Deo, quòd mulierem illam ab aduena sublatam penes se haberet; vnde ipse creditur vel protinus sciscitatum esse mulierem, voluisseque ab illa scire, num esset vxor Abrami; vel, vt alij volunt, id Deo reuelante; aut, vt Iosephus ait, per sacerdotum responsa didicisse. Vt autem cognouit illam aduenæ esse vxorem; statim virum eius accersitum priùs obiurgat, quòd dixerit esse sororem; mox illam ei reddit, dicens: *Ecce coniux tua, accipe eam, & vade.* Quòd autem reddiderit eam omnino intactam, communis est sententia Patrum, præsertim verò B. Augustini, qui lib. 16. de Ciuit. cap. 19. ait: *Absit, vt credamus alieno concubitu fuisse pollutam; quia multò credibilius est, hoc Pharaonem facere afflictionibus magnis non fuisse permissum.* Et B. Chrysostomus Homil. 32. in Genes. scribit: *Acerbissima pœna percussum Regem discedere fecit à nefario flagitio, coërcuit ab irrationabili impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligauit concupiscentiam indomitam, frænauit furoris insaniam.* Philo item vbi suprà dicit, quòd Deus eximiam fidem, obedientiamque, ac pietatem Abrahæ, egregio quodam beneficio remunerauit, coniugium eius à potente quodam & immoderato Rege ingens in discrimen adductum, mira quadam ratione inuiolatum intactumque seruans. Denique B. Theodoretus loco suprà numero præcedenti allegato, *Quanta igitur*, inquit, *curæ fuisset Abram Deo, si vidit vxorem eius adulterio stupratam? cur tanta, & tanta, & tam formidanda minatus est Pharaoni, & vniuersa domus eius, si noluit cohibere congressum illum iniquum?* & alibi, vt refert Lipomanus in sua Catena in Genesim, *Manifestum est*, inquit, *cùm primùm Sarai rapta est à Pharaone, Deum ægrotatione quasi vinculo quodam eum obligasse, ne Saram violaret: ægrotatio enim appetitionem Regis hebetauit, & venator intra retia sua captam habens feram, quam maximè optabat, præda tamen frui non potuit.* sic Theodoretus. Sed & hoc idem, nimirum intactam à Pharaone Saram fuisse redditam,

PHARAO ABRAMI VXOREM REDDIT INTACTAM.

etiam

etiam Alexander Historicus ex Eupolemo antiquissimo Scriptore refert apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. vlt. vt iam de hac re dubitare nemo iure debeat, de qua non Ecclesiastici tantùm, sed etiam profani Scriptores fidem faciunt; & ratio ipsa suadet, id ita sese habuisse. Quin potiùs merito hic agnoscere licet, atque in immensum laudibus extollere Dei prouidentiam ac singularem protectionem, eorum præsertim qui pietatem enixiùs colere satagunt: quos tametsi, ad merita eorum augenda, nonnumquam sinat variis exerceri tribulationibus, non tamen in periculis deserit; sed tunc maximè eis opportunè, etiam mirabiliter præstò esse non negligit. Verùm nos iam ad historiæ seriem redeamus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2115.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 3.

ABRAM NON DIU MANSIT IN AEGYPTO. 1 ANNO proximo, nimirum circa initia, vt arbitror, anni vitæ suæ septuagesimi septimi, credimus Abramum cum Lot & omni familia sua rediisse in terram Chanaan de Ægypto, in qua ipsum non multo tempore mansisse, ex ipsamet sacra Scriptura colligi posse videtur. Nam certum est, quòd vt primùm viderunt Ægyptij Saram, commendauerunt eius pulchritudinem coram Pharaone, qui statim præcepit eam duci in domum suam. Quo facto, protinus, vt dictum est, flagellauit eum Dominus plagis maximis, ne Abramo iniuriam inferre valeret, ingrediendo ad eius vxorem. Vt verò duram admodum super se manum Domini & super domum suam expertus est Pharao, cognita diuinæ vindictæ causa, reddidit Abramo Saram, ac simul ipsum è regno suo dimisit, illis verbis: *Ecce coniux tua, accipe eam, & vade. Præcepitque Pharao super Abram viris; & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia quæ habebat*, Genes. cap. 12. in fine. & continuò in capitis subsequentis initio subiungitur: *Ascendit ergo Abram de Aegypto, ipse, & vxor eius, & omnia quæ habebat*, &c. puto tamen Pharaonem permisisse Abramo, vt ibi prius emeret frumenta & cibaria, quæ secum deferre posset in terram Chanaan, vbi erat fames. Ex prædictis videtur apertè satis indicari, Abramum modico dumtaxat tempore moram in Ægypto traxisse. Hoc si verum est, vt credimus, oportet minùs vera esse quæ quidam alij scripta reliquerunt, nimirum Artapanus ille antiquus, qui refertur apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euangelica c. vlt. & ait, Abram per viginti annos remansisse in Ægypto; & Alexander Historicus, ibidem ab eodem Eusebio relatus, qui ex Eupolemo scribit, Abram vixisse in Heliopoli cum Ægyptiorum Sacerdotibus, qui, inquit, ab ipso Astrologiam didicerunt. Et Iosephus libro 1. Antiq. cap. 9. qui & ipse asserit, Abram, post recuperatam vxorem, de licentia Pharaonis disputasse cum Ægyptiorum Sapientibus, magnumque inde sibi nomen & existimationem apud illos acquisiuisse, & insuper eos Astrologiam aliasque disciplinas docuisse. Quæ profectò non videntur conuenire cum sacra Scriptura asserente ipsum Abram post redditam sibi vxorem, continuò à Pharaone de Ægypto fuisse dimissum, vt paulò suprà probauimus.

REVERTITUR ABRAM DE AEGYPTO IN TERRAM CHANAAN. ABRAM ET LOT CUR AB INVICEM DIVISI. 2. Reuersus itaque Abram de Ægypto, per iter quo venerat à Meridie in Bethel, peruenit ad locum altaris, quod prius fecerat inter Bethel & Hai, & inuocauit ibi nomen Domini, Genes. cap. 13. vers. 3. Erat autem cum eo & Lot; cumque essent ambo diuites in argento, auro, ouibus, armentis, tabernaculis, ac familiis admodum copiosis, ita vt vltrà non possent commodè in terra illa, quæ tunc erat Chananæorum & Pherezæorum, habitare simul: ad sedandas rixas inter vtriusque pastores iam exortas, & ne seruulorum contentiones concordiam dominorum soluerent; prudens Abram proposuit nepoti discessionem ab inuicem, data ei optione, vt quam ipse mallet regionem, ad inhabitandum deligeret, illis vsus verbis, humilitate ac modestia plenis: *Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos; fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Igitur cum Lot delegisset sibi regionem circa Iordanem, quæ tunc vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, diuisi sunt ab inuicem. Lot habitauit in Sodomis, inter viros pessimos: Abram verò in terra Chanaan, vbi post prædictam separationem apparuit ei tertiò Dominus, rursumque repromisit ei, & semini suo, dare vniuersam terram illam, quam circumquaque conspicere poterat; & item multiplicare semen suum sicut puluerem terræ, monuitque vt terram toties iam sibi repromissam perambularet: qui confestim, moto inde tabernaculo suo, venit & habitauit in conualle Mambre,

TERTIA DOMINI APPARITIO FACTA ABRAMO. ABRAM HABITAT IN CONVALLE MAMBRE IVXTA HEBRON.

iuxta

iuxta Hebron, ædificauitque ibi altare Domino, Genesis cap. 13. per totum.

3. Ista conuallis, erat planities quædam inter montes posita, distans ab antiqua Hebron, vt ait Brocardus, per dimidiam leucam, & pluribus credirur fuisse frondosis quercubus siue ilicibus consita: nam propterea, inquiunt, per Synecdochen significatur voce illa Hebraica *Elon*, quæ Latine interpretatur *quercus*, siue *ilex*. vnde videtur, æstiuo præsertim tempore, fuisse ad habitandum satis commoda. Possidebatur autem tunc temporis à Mambre, fratre Escol & Aner Amorrhæorum; de quorum consensu cœpit Abram ibi inhabitare, pendens eis annuam, vt arbitror, pensionem, tum pro eius habitatione, tum etiam pro gregum atque armentorum pastionibus. Et hæc fortè fuit conuentio illa, siue fœdus, quod cum prædictis ipse Abram iniisse dicitur Genesis cap. 14. vers. 13. Porrò Hebron, siue Chebron, (vt dicitur in libro de Locis Hebraicis, sub vocabulo Arboch seu Arbee) olim fuit Philisthinorum metropolis, & à gigantibus incolebatur. Distabat verò ab Ierusalem passuum millibus circiter viginti duobus, ad Meridianam plagam; & olim dicebatur Cariath Arbe, id est, ciuitas Arbe, Iosue cap. 14. in fine. Fuit autem Arbe gigas de stirpe Enac, vt ibidem colligi potest; cuius posteri fuerunt, Achiman, Sisai, & Tholmai, qui Numer. cap. 13. versic. 23. ab Israëlitarum exploratoribus inuenti sunt in Hebron, & appellantur filij Enac, quoniam de stirpe eius etiam ipsi, fortassis per lineam Arbe, prodierant. Posterioribus verò temporibus desiit dicta vrbs appellari Cariath Arbe: nimirum postea quam data fuit Caleb filio Iephone, vt legimus Iosue cap. 14. vers. 13. & Iudic. cap. 1. vers. 20. nam posteà ex nomine Hebron filij ipsius Caleb, cuius fit mentio 1. Paralipom. cap. 2. versic. 42. dicta est Hebron, vt ait B. Hieronymus loco de Locis Hebraicis paulò antè citato. Quod si verum est, oportet quòd vbicumque in libro Genesis, Numer. & Iosue, videlicet ante ortum dicti Hebron filij Caleb, dicta vrbs nominata est Hebron, per anticipationis seu postpositionis figuram, in Sacris libris alias non rarò vsurpatam, id factum esse intelligatur. De huius vrbis antiquitate, loco Numerorum proximè citatò habemus expressum, quòd *septem annis ante Tanim Aegypti vrbem condita est.* Sed quoniam, quandónam dicta Ægypti ciuitas condita sit, adhuc incompertum nobis est, consequenter etiam scire non possumus, quo anno mundi ipsa Hebron ædificata fuerit. Nam quod scriptum reliquit Iosephus libro 5. de Bello cap. 7. nempe, ab Hebro condita ad ipsius Iosephi tempora, numerari annos bis mille & trecentos, sustineri non potest; quemadmodum etiam aduertit Pererius: quamuis ratio eius ex Eusebij Chronico perita, non admodum firma esse credatur; quoniam Eusebius videtur ibi ex parte secutus mendosam LXX. Interpretum chronologiam, vel aliam ipse temporum rationem iniisse ab ea, quæ ex Sacris libris Vulgatæ editionis colligitur, valde diuersam. Siquidem ipse ponit Abramum natum esse anno mundi 3185. cùm tamen ex præfatis codicibus, tum Hebraicis tum Latinis, non plusquam 2039. ab orbe condito ad Abrami ortum numerari possint, quemadmodum experiri licet in nostris tabulis. Quare dictum Iosephi longè efficacius confutari potest per chronologiam, quæ ex Vulgata Bibliorum editione desumitur. Nam si Iosephus, vt creditur, libros suos de Bello scribebat Olympiade circiter ducentesima decimatertia currente, & initium Olympiadis ducentesimæ decimæquartæ, iuxta præfatum computum magis probatum, concurrit cum anno mundi 4130. profectò, si de hoc numero detrahas annos bis mille trecentos, quos inquit Iosephus ab Hebron condita ad sua tempora esse decursos, iuxta sequetur, ipsam Hebron fuisse ædificatam anno mundi 1830. & consequenter, centum circiter annis ante diuisionem linguarum, quam anno mundi 1931. contigisse, fusiùs ibidem à numero 1. vsque ad 4. probauimus. Quòd autem tunc Hebron condi non potuerit, manifestum est; quia ex Sacro eloquio apertè constat, à Diluuio ad diuisionem linguarum, genus humanum de Armeniæ Babyloniæque finibus Occidentem versus non exisse. Sed hæc dicta sint obiter: redeamus ad historiam.

DE CONVALLE MAMBRE

DE HEBRON SIVE CHEBRON.

CARIATH ARBE IN PENTATEVCHO, PER ANTICIPATIONEM DICITVR HEBRON.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2117. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 5.

1 POST annos duos, nimirum anno decimotertio, ex quo Sodomitæ ac finitimæ nationes seruire cœperant Chodorlahomor Regi Ælamitarum, rupto fœdere recesserunt ab eo, Genes. cap. 14. vers. 4.

PENTAPOLIS A REGE AELAMITARVM DESCISCIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2118. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 6.

CHODORLAHOMOR INFERT BELLVM PENTAPOLITANIS.

1 ANNO vitæ Abrami circiter octogesimo, (vt Pererio placet) qui erat regni Niniæ, seu Zameis, Assyriorum Regis III. annus vigesimus octauus, vt patet in tabulis, illatum fuit Sodomitis & ceteris Pentapolis gentibus postremum bellum, quod describitur Genes. cap. 14. à Chodorlahomor & aliis tribus Regibus, qui ei in auxilium venerant, anno decimoquarto post primum bellum, quod idem Chodorlahomor eisdem Pentapolitanis intulerat, quando eos sibi subegerat, vt sub anno mundi 2105. num. 1. dictum est. Quare credimus decipi Abulensem, qui bellum istud contigisse credit biennio antè; nimirum, paulò postquam Lot ab Abramo discesserat. Quod non videtur verisimile; alioqui ea facilitate qua illuc venerat Lot, auditis belli rumoribus, priusquam domicilium resque suas ibi firmaret, inde recedere potuisset. Belli huius causa sine dubio fuit ea, quæ breuiter tangitur Genes. cap. 14. vers. 4. nempe quia Sodomitæ cum finitimis ciuitatibus, anno decimo tertio ex quo subiugati fuerant, à Chodorlahomor recesserunt, vt sub anno præcedenti dictum est: & ideò ille, cum aliis tribus Regibus in auxilium accersitis, venit contra eos hoc anno, vt illam iniuriam vindicaret.

DE QVATTVOR REGIBVS QVI PENTAPOLIM DEPOPVLARVNT, ET PRIMO DE CHODORLAHOMOR. DE AMRAPHEL REGE SENNAAR.

¶ 2. Qui autem fuerint quattuor hi Reges, qui cum suis exercitibus vnanimiter venerunt aduersus Pentapolitanos, non facile est determinare, præsertim de duobus. Nam de Chodorlahomor, certum est, quòd erat rex Ælamitarum, id est populorum qui ab Ælam filio Sem nomen originemque duxerant, à quibus posteà Persas prodiisse, communis opinio est, vt sub anno mundi 1931. num. 49. diximus. De Amraphel item, quia appellatur Rex Sennaar, & scimus olim in campo Sennaar exstructam fuisse Babylonem, probabile admodum est, ipsum aliquo modo tunc regnasse in Babylone, & cum rege Ælamitarum, non valdè inde remoto, eiusmodi expeditionem suscepisse: non tamen probare possumus Hebræorum opinionem existimantium, hunc Amraphel eumdem fuisse cum Nemrod, quem licet certum sit regnasse in Babylone, constat tamen ex supradictis, multò ante hæc tempora esse defunctum. De aliis verò duobus Regibus, difficilius scire possumus qui fuerint, aut vbi regnarint: quandoquidem, tametsi Thadal dicatur Rex Gentium, id est non vnius linguæ gentis, sed aliquor populorum, qui diuerso inter se vtebantur idiomate: & idcircò Pererius non irrationabiliter suspicatur, ipsum Thadal, tunc regnasse in ea Galilææ parte, quæ Galilæa gentium dicta est, quod à variis gentibus inculeretur, nimirum Ægyptiis, Arabibus, Phœnicibus, & huiusmodi, teste Strabone lib. 16. Attamen de hoc, ob nimiam rei vetustatem, certi nihil afferre possumus. Eodem quoque modo, quamuis Arioch dicatur in Sacro eloquio Rex Ponti, vt habet editio Vulgata, siue Rex Hellasar, vt in Hebræo est, & LXX. Interpretes in sua versione retinuerunt: nihilominùs quænam ista vrbs Hellasar, & vbi fuerit, incompertum habemus: neque ex vocum similitudine tutò affirmare possumus, istum Arioch Regem Hellasar fuisse illum, vel potiùs (quia tempora non conueniunt) vnum ex antecessoribus illius Arioch Regis Elicorum, qui memoratur Iudith cap. 1. vers. 6. Sed neque (si sequamur textum Vulgatum, qui ponit Arioch Regem Ponti) admittenda videtur interpretatio Abulensis, qui putat hunc Arioch fuisse Regem Hellesponti: quia Hellespontus non regni nomen est, sed freti Gallipolis, vt ait Ptolemæus Geographiæ lib. 5. cap. 2. & habent Græciæ veteris tabulæ: in quo freto Xerxes extructo nauium ponte, numerosissimum de Asia in Europam traduxit exercitum. Sed supposito, quòd ibi aliquando fuerit aliquod Regnum, ex vicino freto sic denominatum, non tamen videtur probabile, quòd Rex Hellesponti tam longo itinere pertexerit ipse cum exercitu suo vsque in Persidem, vt inde cum Rege Ælamitarum proficisceretur contra Sodomitas. Et idem videtur dicendum, si iste Arioch fuisset Rex illius prouinciæ, quæ posteà Pontus dicta est, in Asia minori, secus mare Euxinum; nimis enim abest à regione Ælamitarum. Nec obstant exempla quæ adducit Abulensis, nimirum de populis, qui teste Lucano, ab extremis pænè orbis partibus venerunt in auxilium Pompeij, quando pugnaturus erat cum Cæsare: nam tunc de totius propè Orbis Imperio disceptabatur; hîc verò de quinque dumtaxat ciuitatibus, non etiam valdè insignibus, subiugandis. Quare probabilius videtur, hos Reges, vel potiùs Regulos, Ælamitis Babyloniisque fuisse finitimos, & obscuriores, id est non valdè potentes, (alioqui ad hoc bellum non tantis opus fuisset auxiliis) sed magno Assyriorum

DE THADAL REGE GENTIVM. DE ARIOCH REGE PONTI.

syriorum Regi (qui tunc, vt creditur, vniuersæ penè Asiæ citra Indos regnabat) subditos, vel saltem confœderatos, eique vltrò seruientes: vt videtur posse colligi ex Iosepho, qui 1. Antiq. cap. 10. eamdē referens historiam, ait, Assyrios, penes quos tum Asiæ Imperium extabat, bellum intulisse Sodomitis, ductu & auspiciis prædictorum quatuor, quos non appellat Reges, sed Imperatores, hoc est, exercituum duces, & veluti Monarchiæ Assyriorum Præfectos. Quamuis proculdubiò credendum sit, eosdem Regis titulo fuisse insignitos; siquidem Scriptura sacra eos, quemadmodum etiam & quinque Pentapolis dominos, appellat Reges; quia antiquitus id moris erat, vt ferè quælibet populorum capita, seu singuli vrbium domini, Regis vocabulo significarentur, vt colligi potest Iosue cap. 12. vers. 9. vsque ad finem capitis, vbi nominantur vnus & triginta Reges, quos percusserat Iosue in terra Chanaan, & signanter singuli singularum illius terræ ciuitatum Reges nuncupantur. Quamquam non inconuenit credere, quòd magni illi Assyriorum Reges, sicuti & alij Monarchæ, habuerint sub se alios Reges minores, alioqui etiam satis potentes, quemadmodum ex his, quæ nos sub anno mundi 3572. num. 4. dicemus, euidens fiet.

3. Porrò quattuor prædicti Reges non rectà semper ad Pentapolim petrexerunt, sed eam quodammodò à longè circuientes, ab opposita demum parte aggressi sunt. Nam venientes primò in terram Basan, quæ ex omnibus Chananææ regionibus prima eis occurrerat, & Terra gigantum appellabatur, Deuter. cap. 3. vers. 13. percusserunt Raphaim, id est quosdam gigantes hoc nomine nuncupatos, quòd fortè primam originem ducerent ab illo Rapha gigante, cuius tamquam de antiquo gigantum progenitore fit mentio 1. Paralip. cap. 20. vers. 6. Isti tunc habitabant in vrbe Astarothcarnaim, in qua posteà regnasse dicitur Og rex Basan, Iosue cap. 13. vers. 12. & hæc deinde vrbs cecidit in sortem mediæ tribus Manasse, trans Iordanem, & data fuit ad habitandum leuitis de stirpe Gersonis, vt videre est 1. Paralip. cap. 6. vers. 71. De Basan venientes contra Austrum percusserunt alios gigantes vocabulo Zuzim, siue Zomzommim, qui tunc habitabant in terra illa, quam posteà incoluerunt Ammonitæ, vt dicitur Deuter. cap. 2. vers. 20. Inde vlteriùs progredientes, vastauerunt alios gigantes nomine Emim, in Saue Cariathaim. Porrò Emim habitabant terram, quæ postmodum occupata fuit à Moabitis, vt habemus in cap. Deuter. citato vers. 9. vnde apparet, hîc non debere accipi Saue Cariathaim, vt putat Pererius, pro Cariathiarim, quæ & Cariathbaal, & vrbs Saltuum seu Siluarum dicebatur, in regione Gabaonitarum posita, quam B. Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis facit distare ab Ierusalem vno tantùm milliario, Brocardus verò ferè decem cum dimidio: siquidem hæc cis Iordanem erat in tribu Iuda; illa verò de qua hîc loquimur, trans Iordanem, in terra Moabitarum, vel prope ipsam, & posteà data fuit filiis Ruben, vt patet Iosue cap. 13. vers. 19. His non contenti prædicti Reges, Pentapolim ad dexteram, ac deinde post tergum relinquentes, inuaserunt Chorrhæos, siue Horrhæos, in Idumæa, hoc est in monte Hor habitantes; illos nimirum, de quibus dicitur Deuter. cap. 2. vers. 12. *In Seir priùs habitauerunt Horrhæi; quibus expulsis atque deletis, habitauerunt filij Esau.* Hos verò Horthæos cùm persecuti sunt vsque ad campestria deserti Pharan, reuersi sunt; & nonnihil ad Occidentem flectentes, venerunt in Cades, ad locum qui posteà Misphat, id est fons iudicij dictus est, quòd ibi Moyses, iubente Domino, percutiens bis virga petram, mirabiliter eduxerit populo aquas. Vnde excurrentes, percusserunt habitatores terræ, quæ posteà fuit Amalecitarum. Mox vastarunt quoque regionem Amorrhæorum habitantium in Asasonthamar, quæ interpretatur Vrbs palmarum, & teste B. Hieronymo in Quæstionibus Hebraicis in Genes. postmodum dicta est Engaddi, palmarum & balsami ferax: legimus etiam in lib. de Locis Hebraicis, de Engaddi prouenire opobalsamum, & has esse vineas à Salomone in Cant. cap. 1. vers. 13. celebratas; nec immeritò, quandoquidem planta balsami, vt ait Plinius lib. 12. cap. 25. *viti similior est quàm myrto, & malleolis seri dicitur, nuper vincta, vt vitis; & implet colles, vinearum modo.* Denique deuictis hisce Amorrhæis, præfati Reges ad Pentapolim properantes, pugnauerunt feliciter cum quinque Pentapolitanis Regibus in Valle siluestri, quæ nunc est Mare salis, ac cæsis eorum exercitibus, tulerunt spolia Sodomorum & Gomorrhæorum, & Lot nepotem Abrami; cum omni domo & substantia eius, & profecti sunt vt redirent in regiones suas.

REGIONES A PRÆDICTIS REGIBUS DEPOPULATAE.

LOT CAPTIVUS ABDUCITUR.

4. Hæc cùm nunciata essent Abramo, captum scilicet Lot nepotem suum, & abductum cum omni familia & opibus suis; illicò Dominum obnixè admodum orasse creditur, seseque iureiurando obstrinxisse, si Deo fauente de hostibus victoriam repor-

ABRAM PERFICIT ET PVGNAT CVM PRAEDICTIS REGIBVS, ET VICTOR REDVCIT LOT, ET OMNEM PRAEDAM

taret, nihil de captiuorum spoliis sibi retenturum; sed ipsis de miserabili illa seruitute ereptis, ac in pristinam libertatem vindicatis, cuncta etiam eisdem quæ ipsorum fuerant restituturum. Deinde confestim, selectis trecentis decem & octo de vernaculis suis, ad pugnam aptioribus, & assumptis insuper in auxilium tribus amicis suis, nempe Mambre, Escol, & Aner, fratribus, ac dominis terræ in qua tunc ipse habitabat, quibuscum fœdus inierat, insecutus est; &, vt ait Iosephus, quinta die assecutus est hostes circa fontem Iordanis nomine Dan, qui erat in extrema parte Septemtrionali Chananææ: vbi diuisis sociis, derepente irruit ab omni parte super eos; & imparatos ad repugnandum adortus, facile contriuit atque fugauit, persequens illos *vsque Hoba, quæ est ad læuam Damasci*. Sic enim Genes. cap. 14. vers. 15. habent omnes textus Hebraici, Græci, & Latini, præsertim qui inter emendatiores ac magis probatos computantur, nimirum, Hoba, siue (vt aiunt LXX. Interpretes, Choba) fuisse ad sinistram, vel (vt habet Chaldaica Paraphrasis) ad Aquilonem Damasci. Ex qua vtique Paraphrasi confirmari potest lectio Sacrorum textuum: quandoquidem certissimum est, quòd euntes de terra Chanaan in Damascum habent Aquilonem ad læuam ipsius Damasci, vt patet ex tabularum Geographicarum inspectione. Quare oportet S. Ambrosium, qui lib. 2. De Abraham sub finem capitis 7. legit, *ad dextram*, incidisse in codicem sacrum hac in parte corruptū. Quod hic obiter adnotasse sat sit. Porrò Abraham mox victor cùm rediret, recuperata omni præda, ac secum reducens Lot, & omnia quæ illius erant: occurrit ei

REX SODOMORVM OCCVRRIT ABRAMO GRATVLABVNDVS.

Rex Sodomæ gratulabundus, Genes. cap. 14. vers. 12. non tantùm, vt arbitror, honoris causa, quàm vt ea quæ amiserat, ab ipso Abramo impetraret, vt mox videbimus. Ceterùm, cùm dicitur Rex Sodomorum Abramo occurrisse, manifestum fit, eumdem Regem, in prælio anteà cum quattuor illis Regibus alienigenis initio, nequaquam interiisse; & consequenter, quod cap. Genes. citato vers. 10. dictum fuerat, videlicet, *Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ, terga verterunt, cecideruntq́ ibi*, non ita esse accipiendum præcise de ipsis Regibus, quasi ipsi speciatim occisi fuerint; sed vniuersaliter de eorum exercitibus, quorum magna pars cæsa fuerat, reliqui verò euaserant; nam continuò subiungitur, *Et qui remanserunt, fugerunt ad montem*. in quorum numero Regem quoque Sodomorum extitisse, dubitandum non est. Simile quid legimus 2. Machab. cap. 1. vers. 13. de Antiocho Illustri, nimirum quòd cecidit in templo Naneæ. non quia ibi ipse obierit, sed quia milites eius membratim cæsi sunt, ipse verò turpiter inde fugatus est, vt sub anno mundi 3891. num. 1. & 2. dicturi sumus.

DE MELCHISEDECH ET VRBE SALEM

5. Obuiàm quoque Abramo venit (vt ait Apostolus ad Hebr. cap. 7. vers. 1.) Melchisedech Rex Salem, quæ iuxta Iosephum & B. Hieronymum in Traditionibus Hebraicis in Genes. postmodum dicta est Ierusalem: quamquam idem S. Hieronymus in Epistola 126. quæ est ad Euagrium, magis probare videtur non fuisse Ierusalem, sed Salem vrbem Sichimorum, cuius fit mentio Genes. cap. 33. vers. 18. eamdemque esse cum illa, quæ Ioan. cap. 3. vers. 23. dicitur Salim, vbi (inquit) visuntur ruinæ palatij Melchisedech; & est in itinere, à reditu de Dan ad conuallem Mambre. Sed his non obstantibus, satis probabiliter putat Pererius, Salem in qua regnauit Melchisedech, fuisse Ierusalem. Quidquid de hoc sit, illud certissimum est, Melchisedech

QVOD MELCHISEDECH FVERIT REX ET SACERDOS.

non solùm fuisse Regem, sed etiam Sacerdotem Dei altissimi, vt ibidem ad Hebræos, & cap. Genes. citato, & in Psalm. 109. legimus, & confirmant etiam præcipui Hebræorum Scriptores, Iosephus 1. Antiq. cap. 11. & Philo in lib. De Abrahamo. Vnde patet, quòd tametsi Hebræa vox, pro qua Latinus Interpres reddidit *Sacerdos*, possit etiam significare Principem, aut primarium virum; nihilominus hoc in loco propriè & indubitanter significare voluit Sacerdotem, vt omnes Catholici Doctores & sanctæ Ecclesiæ Patres vno ore vnanimesque firmiter tenuerunt: & id ipsum quoque apertè comprobant, quæ de eodem Melchisedech ipsemet Sacer Genes. textus subiungit; nimirum quòd benedixit Abramo, & ab eo decimas accepit: siquidem aliis benedicere, & ab eis decimas accipere, proprium est Sacerdotis officium, vt etiam ex loco Apostoli proximè adducto colligi potest.

MELCHISEDECH NON PROPRIVM VIRI NOMEN, SED COGNOMEN

6. Verum hic quæri solet de vocabulo Melchisedech, quod Apostolus ibidem ait interpretari Rex iustitiæ; num proprium personæ nomen fuerit, an cognomen, ob insignem eius iustitiam eidem posteà à populis inditum? Mihi profectò magis arridet opinio Caietani, qui putat non fuisse nomen proprium, sed ex quo perspecta & cognita fuit eximia eius iustitiæ virtus, in regenda præsertim vrbe Salem, cognomento Melchisedech fuisse appellatum; quemadmodum Octauianum Cæsarem post auctum Imperium, Romani nuncuparunt Augustum: & B. Ioannes Antiochenus, ab aureo eloquentiæ

quenniæ flumine, Chrysostomus dictus est: & S. Gregorius Neocæsariæ Ponti Episcopus, propter miraculorum eius multitudinem ac magnitudinem, Thaumaturgus, hoc est, admirabilium patrator, est appellatus: & alter S. Gregorius Nazianzenus, ex singulari Diuinarum litterarum scientia, Theologi cognomen accepit: & alij permulti huiuscemodi nomenclaturas adepti sunt.

7. Sed quisnam fuerit iste Melchisedech, & cuius gentis, adhuc sub iudice lis est: quoniam Scriptura sacra, saltem sub hoc nomine, nihil prorsus de eius genealogia tangit; non sine diuino (vt dicemus) mysterio. Et quidem plurimi ex antiquioribus Patribus, præsertim Græcis, putarunt ipsum fuisse Gentilem. Nec desunt etiam, qui à quodam Ægypti Libyæve Regis filio, nomine Side, genus suum duxisse affirment; sed de scorto generatum: ac propterea parentes eius in Sacro eloquio fuisse prætentos. Sed hæc & huiusmodi, modicam videntur præseferre probabilitatem: quemadmodum & illud, quòd semper virgo fuerit. Quis enim (seclusa Dei reuelatione, de qua nihil prorsus constat) hæc scire potuit? aut vnde ea desumere? cùm neque Moyses, neque vllus alius ex antiquissimis Scriptoribus hæc prodiderit; & in Sacris libris non semel facta sit mentio parentum, etiam illorum, qui de illicito concubitu sunt geniti; puta de Moab, & Ammon, de Phares, & Zaran, de Iephte, de Abimelech filio Gedeonis, & aliis. Certè Iosephus libro 7. de Bello Iudaico cap. 18. eum appellat Chananæum Dynastam, quia regnabat in terra Chanaan, in Salem. Sed non est hoc nouum, vt quis potuerit regnare in aliena regione, præsertim si verum esset, ipsum ab Ægyptiis Libyisve duxisse originem. DE MELCHISEDECHI ORIGINE.

8. Contra verò alij Hebræi, vt refert B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, & multi quoque ex recentioribus Latinis Doctoribus aiunt, hunc fuisse Sem filium Noë, & putant omnes olim primogenitos, donec postea Sacerdotio functus est Aaron, fuisse Pontifices seu Sacerdotes, & hoc esse ius primogenituræ, quod emit Iacob ab Esau fratre suo. Nec huic opinioni obstat argumentum quod S. Epiphanius contra Hæresim quinquagesimamquintam elicit ex mendosa LXX. Interpretum chronologia, in qua apparet, Sem plusquam quingentis annis ante ortum Abrami obiisse: quia vera & indubitata temporum ratio, quæ ex Hebraicis ac Latinis Bibliorum codicibus desumitur, proculdubiò ostendit, Sem vltra centesimum Abrami annum fuisse superstitem: hæc autem quæ de Melchisedech dicta sunt, constat ante octogesimum sextum Abrami annum contigisse, vt ex progressu Operis manifestum fiet, & videre est in tabulis. quare si probatam attendamus chronologiam, benè potuit Melchisedech esse Sem. Sed huic sententiæ admodum obsistunt argumenta Pererij, quæ ferè sunt hæc: Apostolus ad Hebræos cap. 7. vers. 3. ait, Melchisedech fuisse *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* non quia reuerà ita fuerit; sed quia Scriptura sacra de ipso nihil horum meminit: atqui certum est, de Sem in Sacro eloquio haberi hæc omnia; ergo non potuit Sem esse Melchisedech. neque hîc recurrere possumus ad effugium Lyrani & Abulensis, qui aiunt, prædicta, quæ legimus in Sacris libris de Sem, non haberi sub nomine Melchisedech: quia, inquit Pererius, probari non potest, hunc virum duobus nominibus fuisse appellatum: & non est credendum, quòd Apostolus in tam leui nominum ratione, pondus mysterij, de quo illic agit, collocare voluerit: præsertim cùm ad Hebræos scriberet, quibus notissimã esse genealogiam Sem proculdubiò sciebat. Item si, vt ibidem vers. 6. testatur Apostolus, generatio Melchisedech non connumeratur inter Hebræorum generationes, ergo non potuit Melchisedech esse Sem, ex cuius linea omnes Hebræos descendisse certum est. Præterea, si Melchisedech fuisset Sem, id Moyses aliquatenus indicare non omisisset, ad magis declarandam suæ gentis nobilitatem atque eminentiam. Denique ait, hanc opinionem non fuisse veteris Synagogæ; Iosephus enim appellat Melchisedech Chananæum. QVOD IDEM FVERIT CVM SEM. ARGVMENTA PERERII OPPOSITVM PROBANTIA.

9. Equidem negare non possumus, quin hæc argumenta admodum vrgeant: verumtamen, num intentum omnino conuincant, affirmare non ausim. Nam responderi posset, etiam posito quòd Melchisedech fuisset Sem, non propterea tolli pondus mysterij præfigurationis Christi in ipso Melchisedech, quod ibidem indicare intendebat Apostolus. Nam certum est, quòd Melchisedech, quisquis ille fuerit, non tamquam particularis persona, sed quatenus talis Rex & Sacerdos, fuit figura Christi: vnde sufficit, vt quando repræsentatur in Sacro eloquio tamquam Melchisedech Rex Salem, id est tamquam Rex iustus atque pacificus, & Sacerdos, offerens tantummodò panem & vinum in suis sacrificiis: sufficit, inquam, vt tunc repræsentetur sine genealogia, & sine ortu & obitu, vt sic magis assimilaretur Filio Dei, hoc est, vt sic figura magis responderet figurato: RESPONSIO.

ratq; nimirum vt præfiguraret, Christum non solùm fore Regem iustum & pacificum, & Sacerdotem, sub speciebus panis & vini se ipsum æterno Patri offerentem; sed etiam esse verum Deum, sine principio & fine, ac sine genealogia, iuxta illud Isaiæ cap. 53. versic. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* Quare etiam si Melchisedech fuisset Sem, nihil ob id detraheret prædicto mysterio, quòd Scriptura sacra, quando egit de priuata huius viri persona, mentionem fecerit genealogiæ, ac principij finisque vitæ eius: sufficit enim, vt quando agit de ipsius officio, nihil horum meminerit, prædicta de causa: nam vis mysterij, quod explicabat Apostolus, non in eo consistit, quòd Melchisedech, quatenus homo, non habuerit principium neque finem: id enim de vllo prorsus homine verè dici nequaquam potest: sed quòd, vt talis homo, talibus prærogatiuis insignitus, sine genealogia, ac initio fineque dierum in Sacro eloquio fuerit repræsentatus. Ad secundum verò, non ait idem Apostolus absolutè, generationem ipsius Melchisedech nullo modo inter Hebræorum generationes posse connumerari; sed diuersam facit generationem Melchisedech à generationibus Leuitarum, seu Sacerdotum de genere Aaronis; cuius Sacerdotium probat fuisse minus Sacerdotio ipsius Melchisedech, eò quòd Aaron & eius posteri tunc essent in lumbis Abrami, quando ei benedixit, & ab eo decimas accepit Melchisedech, & consequenter ipsi quoque benedicti & decimati sint à Melchisedech, tamquam minores à maiore. Porrò hoc pacto certum est, quòd etiam generatio ipsius Sem, (vt verbis vtar Apostoli) non connumeratur in eis. Quòd autem nusquam Moyses indicauerit, Sem fuisse Melchisedech, non est ratio sufficiens ad probandum quòd non fuerit. quia potuit Moyses digna aliqua de causa, licet nobis incognita, id tacuisse: non enim omnia, quæ ad suæ gentis nobilitatem, & ad historiam illustrandam pertinent, explicare curauit, quippe quia (vt aliàs ex B. Augustino diximus) non fuerit Moyses purus historicus, sed propheticus. Denique arguere quòd hæc non fuerit antiquorum Hebræorum opinio, quia Iosephus aliter sensit, non videtur satis tutum; præsertim cùm B. Hieronymus hanc inter Hebræorum traditiones recenseat: ex quo datur intelligi, antiquos Hebræos ita sensisse. non enim opiniones recentiorum inter traditiones referri solent. Scimus etiam Iosephum in multis aliis, non solùm à Rabbinorum sententiis, sed etiam ab ipsomet Sacro textu recedere non dubitasse: quare hac in parte non videtur de ipso esse curandum. Et pauca hæc dicta sint, non vt mordicus sustinere velim, Sem fuisse Melchisedech, id enim obscurum est: sed, vt quæ pro hac sententia (de qua etiam sub anno mundi 2156. num. 1. & 2. agemus) dici possent, ostenderem. & vt oppositam quoque opinionem non omnino claram esse sciremus. Nunc ad historiam redeamus.

MELCHISEDECH PRO ABRAMI VICTORIA OFFERT SACRIFICIUM DEO PANEM ET VINUM.

☞ 10. Sanè Melchisedech, cùm esset Sacerdos, vt primùm Abramo occurrit, (quod maximè decet Sacerdotes) priùs quæ Dei sunt, quærere cœpit, & iustitiam eius. Itaque ante omnia ipsi Deo bonorum omnium largitori, pro debita gratiarum actione, quòd Abram amicum suum non modò cum omnibus suis incolumem, sed etiam cum tam insigni victoria & tam multa præda de prælio redeuntem videret, sacrificium obtulit, non oues & boues; sed more suo, panem & vinum: sic enim ille sanctus vir diuino illustratus lumine, ad præsignandum Corporis & Sanguinis Christi Hostiam, sub speciebus panis & vini mox in sancta Ecclesia iugiter offerendam, Sacerdotij sui sacrificia instituerat, vt ex hoc Genesi loco omnes Ecclesiastici Doctores ac Patres colligendum putarunt, ac propterea de ipso Christo per Psalmistam dictum fuisse, *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum, Tu es sacerdos in æternum*, non iuxta ritum Aaronis, qui victimas Deo mactabat: *sed secundùm ordinem*, id est ritu *Melchisedech*, qui panem & vinum summo Deo in sacrificium offerre consueuerat. Porrò Melchisedech proferens, hoc est, offerens in sacrificio panem & vinum Deo, simul benedixit Abramo, eidem fausta precatus, ac Dei pariter excelsi potentiam commendauit, quæ ipsi Abramo tantam de hostibus victoriam contulisset. Et hæc quoque benedictio, vt ait Caietanus, propria est actio sacerdotalis: siquidem, cùm medius sit Sacerdos inter Deum & populum, ad ipsum pertinet vice Dei aliis benedicere. At verò Abram cùm & ipse admodum pius esset, & Deo de acceptis gratus esse cuperet; decimas omnium, quæ in bello acquisierat, ipsi Deo dicandas segregauit, atque Melchisedech Sacerdoti, prompto libentique animo exoluit. quod licet in Genesi non satis plenè videatur expressum, illud tamen dilucidè explicarunt Apostolus loco ad Hebræos iam sæpius allegato, & Iosephus ac Philo, locis suprà notatis. Post huius sacrificij oblationem, probabile quoque est, quod iidem Auctores Iosephus & Philo asserunt, eumdem Melchisedech splendidum etiam Abramo & sociis conuiuium præbuisse, & partem oblati panis ac vini, loco carnium,

ABRAM DECIMAS MELCHISEDECHO EXOLVIT.

MELCHISEDECH ABRAMO EPVLVM PRAEBET.

quæ

quæ in aliis sacrificiis non in holocaustum oblatis comedi solebant, inter epulas appofuisse. Et hæc quidem à Melchisedech atque Abramo acta sunt, quibus, quæ pij religiosique viri in suis amicorumque rebus prosperis agere debeant, suo nos exemplo docuerunt. Econtrariò autem Rex Sodomæ, vtpote qui (quemadmodum vt plurimùm solent huius sæculi homines) quæ sua sunt quæreret, non quæ Dei aut proximi; in suo hoc occursu, post externam gratulationis significationem, illud inprimis ei curæ fuit, enixè rogare Abramum, vt ei saltem captiuos suos reddere placeret, reliqua verò Sodomorum spolia sibi pro libito retineret. Hanc autem petitionem non suo tantùm, sed etiam aliorum Pentapolis Regum nomine, fecisse creditur. Cui Abram, vt erat magno generosoque animo præditus, non captiuos tantùm, sed & omnia quæ de Sodomis hostes asportauerant, præter vsu consumpta, & amicorum qui ei in auxilium venerant partes, liberaliter splendideque restituit: iuxta iusiurandum (de quo supià num. 4.) quod fecerat illis verbis: *Leuo* (siue, vt habent lectio Hebraica & Chaldaica, Pererio teste, *Leuaui*) *manum meam ad Dominum Deum excelsum*, &c. Genes. cap. 14. versic. 22. Quòd enim eiusmodi manuum eleuatio esset iurandi forma olim vsitata, comprobari potest ex Numer. cap. 14. vers. 30. vbi legimus: *Non intrabitis in terram, super quam leuaui manum meam* (id est, iuraui) *vt habitare vos facerem.* REX SODOMÆ SPOLIA FACILE OBTINET AB ABRAMO. VETVS IVRANDI FORMA.

11. Non multò pòst, cùm quadam nocte (vt ex infrà dicendis patebit) dæmonum malitia atque inuidia Abram (vt creditur) molestis quibusdam cogitationibus & magno quodam metu afflictaretur; nimirum, ne fortè quartuor illi Reges, quos contriuerat atque fugauerat quodammodò sine propria vtilitate, (quandoquidem spolia ab ipsis accepta, mox Pentapolitanis restituerat) ne, inquam, resumptis viribus, ex improuiso redirent, & se domumque suam exterminarent; iamque de transitu ad aliam regionem cogitaret: ecce Dominus, qui seruos suos à dæmoniacis illusionibus ac tentationibus nimium affligi non sinit, apparuit ei eadem nocte. Fuit autem hæc, quarta, & admodum illustris apparitio, quam aliqui in duas partiuntur; nimirum in primam, quę de nocte cœpit; & alteram, quæ sequenti die circiter occidente sole facta est. Sed quia (vt ex narratione apparebit) omnia, quæ in Genes. cap. 15. describuntur, quodammodò continuata videntur; nos ad vnicam Dei apparitionem referenda esse putamus. Porrò in hac diuina apparitione Dominus non modò timorem ex Abrami animo prorsus excussit, dicens: *Noli timere Abram*; sed & insuper ipsum insignioribus aliquot pollicitationibus mirificè lętificauit: nam & à malis, quæ pertimescebat, securum reddidit, dicens: *Ego protector tuus sum.* & ingentia bona spopondit, subdens: *Et merces tua magna nimis.* & prætereà seminis eius multiplicationem prædixit, & terram Chanaan a fluuio Ægypti ad Euphratem posteris suis se daturum repromisit. ac deinde etiam tempus modumque, quo hæc implenda essent, indicauit. & denique ad hæc confirmanda, fœdus icere cum ipso non est grauatus. At verò Abram, qui naturali quodam prolis desiderio flagrabat, (puto autem hoc ei etiam diuinitus fuisse inditum, quòd de eius semine Christus nasciturus esset) nihil de diuina protectione, quam non semel expertus fuerat, dubitans; audita mercedis exhibitione, ait: Domine Deus, quid dabis mihi? numquid ego sine liberis moriar? nónne tu pollicitus es mihi multiplicare semen meum sicut puluerem terræ? an fortassis non naturale, sed adoptiuum erit semen meum, de quo locutus es? & vernaculus meus, nempe filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer erit heres meus? Cui Dominus: *Non erit hic heres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo*, id est, qui ex proprio semine tuo, quod prodibit de visceribus tuis, formabitur, *ipsum habebis heredem.* Deinde, vt securiorem de multiplicatione posteritatis eius redderet Abramum, eduxit eum Dominus foras sub dio, & ait: *Suspice cælum, & numera stellas, si potes*, (ex quo patet, hoc de nocte & sereno cælo contigisse) *sic erit*, inquit, *semen tuum.* ac si diceret: Quemadmodum stellæ cæli (vt conspicis) pænè innumerabiles esse videntur; ita posteri tui tam multi erunt, vt præ multitudine numerari vix posse videbuntur. DE QVARTA DOMINI APPARITIONE ABRAMO.

12. Hisce admirabilibus Dei promissis de tanta seminis propagatione, tametsi habita ratione ad ætatem Abrami iam ingrauescentem, & ad Saræ sterilitatem, vix credi posse viderentur: nihilominus ipse Abram, magis attendens summam promittentis potentiam, sapientiam, ac bonitatem, quàm rerum promissarum magnitudinem ac difficultatem, non modò statim sine vlla hæsitatione credidit; verùm etiam ob id erga Deum mirificè gratum deuotumque animum magis habere studuit; vt non immeritò fides eius tam sincera, tam firma, tanta charitate informata, & debita animi gratitudine aliisque innumeris concomitata virtutibus, eidem reputata sit ad iustitiam, vt di- DE PROMPTA PERFECTAQVE ABRAMI FIDE.

citur Genes. cap. 15. vers. 6. & ad Romanos cap. 4. vers. 3. & ad Galat. cap. 3. vers. 6. & Iacobi cap. 2. vers. 23. vbi de eodem Abramo additur, *Et amicus Dei appellatus est.* Dicitur autem Abrami fides reputata esse illi ad iustitiam, non illam dumtaxat, quæ ab aliis virtutibus cardinalibus distingui solet, sed ad illam vniuersalem, omnibusque numeris absolutam atque perfectam virtutem, quę hominem iustum ac Deo gratum eharumque facit. Et hanc iustitiæ virtutem, quæ in eo præcipuè videtur posita, vt quis quæ Deo placita sunt semper faciat, ab ipsa fide proficisci necesse est, quandoquidem nemo scire potest sensum Domini, nisi quæ ipse reuelare dignatus est, audiat credatque, non qualicumque fide, sed ea quæ per dilectionem operatur; talis namque illa est, quæ tantopere in Abramo commendatur. Neque verò in hoc viro eximiæ huius virtutis laudem minuit, quòd paulò pòst pollicenti sibi Domino dare terram Chanaan in possessionem, respondit: *Vnde scire possum, quòd possessurus sim eam?* nam si crediderat de se prodituram pænè innumerabilem posteritatem, qui senex erat, & adhuc nullos susceperat liberos, & vxorem habebat sterilem; quomodo poterat dubitare de possidenda terra, in qua iam cœperat habitare? vtique & hoc quoque credidit Abram: sed quia ex illa tam numerosa seminis multiplicatione sibi promissa, quæ multò longiora tempora, quàm quæ ætati suæ iam admodum grandæuæ superesse possent, requirere videbatur; probè iam intellexerat, promissionem quoq; illius terrę (saltem quantum attinet ad realem quam vocant eius possessionem) non ad se, sed ad posteros suos posteà multiplicatos pertinere: signum quæsiuit, non sibi, sed posteris; atque ipsorum quodammodò personam induens, dixit: *Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim eam?* Quamquam illud etiam negari non potest, quòd Abram, quia notauerat hanc sibi verbis generalibus, sine vlla modi aut temporis circumstantia, factam fuisse promissionem; scire insuper cupiebat, quomodo & quando foret implenda. Quare quemadmodum (vt beatus ait Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 24.) beatissima Virgo non ideò minùs credidit, quia dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* sed quod faciendum certò crediderat, quomodo fieret exquirebat: ita & Abram; qui prænotatis verbis videtur quodammodò dicere voluisse: Non possum profectò non credere iis quæ à te dicuntur, Domine; quippe qui non ignorem, te esse omnipotentem, & primam veritatem: verumtamen, si (vt mihi videor percepisse) terra hæc quā mihi promittis, non à me, sed à progenie mea verè est possidenda; dicere quandoque ipsa poterit, antequam promissio impleatur: Vnde scire possum, quòd possessura sim eam? Da ergo, si placet, aliquod signum, quo eius fides per tempora corroborari valeat. Sed & illud quoque cuperem, Domine mi, (si bonum est in oculis tuis) scire; quomodo & quando hæc implenda fore decreueris: vt non simplici tantùm tuæ reuelationis ostensione, sed his etiam circumstantiis roborare posteritatis meæ fidem expectationemq; possim. Cui Dominus: Nunc plenè votis tuis satisfaciam. Sume animalia per medium diuidenda; quia volo tecum solemne de prædictis fœdus inire, & pro fœderis confirmatione, inter animalium partes humano more pertransire; & tibi pariter quibusdam signis atque manifestationibus, quæ, & quando hæc ventura sint, indicare.

ABRAM IMMOLAT ANIMALIA PRO FOEDERE CVM DOMINO PERCVTIENDO.

13. Surgens ergo manè Abram, præparauit animalia, quæ dixerat ei Dominus, nimirum vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, & turturem ac columbam, cunctaque, vt arbitror, prius immolauit coram Domino. Et quadrupedia quidem per medium, à summo vsque deorsum, diuisit, atque vtrasque partes contra se inuicem altrinsecus posuit tanto interuallo, vt inter eas pertransiri posset.

VETVS FOEDERA FIRMANDI RITVS.

Iste enim erat olim ritus firmandi fœdera, vt scilicet inter huiuscemodi diuisiones occisi animalis pertransirent; quasi sibi ipsis talem cædem ac dilacerationem imprecantes, si fœdus violassent, vt clarè colligi potest Ierem. cap. 34. vers. 18. & 19. Aues verò non diuisit Abram, quòd fortè sciret, ad aliud significandum fuisse adhibitas. Et quoniam hæc non in tabernaculo, sed in campo facta sunt; non mirum est, si ad huiusmodi carnes deuorandas protinus aduolare cœperunt carniuoræ volucres, odorem carnium procul (vt solent) sentientes. Itaque dum in hisce volucribus abigendis tota die defatigatur Abram, expectans Dominum, ecce inclinante iam sole, profundo quodam sopore correptus, & magno ac tenebroso pariter horrore inuasus, incidit in extasin, in qua de iis, quæ posteris suis euentura erant, cælitus edoctus est, audiens vo-

QVAE DIDICERIT IN EA VISIONE ABRAM.

cem dicentem sibi: *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verùmtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. generatione autem quarta reuertentur huc:*

hnc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus, Genes. cap. 15. vers. 13. Quibus verbis plura intellexit didicitque Abram, nempe, semen suum, hoc est posteros suos (non omnes, sed illos dumtaxat qui de Isaac & Iacob proditurierant, vt ex inferius num. 16. dicendis planum fiet) peregrinos fore quadringentis annis. (hos enim de peregrinatione, non autem de seruitute & afflictione, accipiendos esse, testatur B. Augustinus prope finem quæst. 47. in Exod.) Dicitur autem hæc peregrinatio facienda, in terra non sua: quia partim peracta mox fuit in terra Chanaan, quo tempore à Chananæis illa possidebatur; & partim in Mesopotamia, ac demum in Ægypto. Didicit quoque Abram, quòd prædicti eius posteri ab ipsis Ægyptiis seruituti erant subiiciendi & affligendi in postremis annis (vt infrà sub annō mūdi 2438. num. 4. ostendemus) circiter centum & septem, inter prædictos tamen quadringentos computandis, & in ipsorum fine pariter terminandis. Et quòd sub finem huius temporis, Dominus vindictam de Ægyptiis sumpturus erat; & inde eductūrus populum suum cum magnis opibus, eumdemque desinente quarta generatione reducturus in terram Chanaan: non autem citiùs, quia necdum completæ essent iniquitates Amorrhæorum, propter quas inde posteà illi erant eiiciendi. Et denique, quòd interim ipse Abram moriturus erat in senectute bona. Hæc reuelata sunt Abramo in illa extasi. Cum autem sol occubuisset, apparuit Dominus in caligine tenebrosa, & clibano fumante, ac lampade ignis, pertransiens (subaudi) inter memoratas carnium diuisiones. Atque hoc pacto Dominus, in gratiam serui sui morem hominum illius temporis imitatus, pepigit firmauitque fœdus cum Abram, dicens: *Semini tuo dabo terram hanc*, à variis videlicet nunc Chananæorum populis inhabitatam; cuius termini sunt à fluuio Ægypti vsque ad Euphratem, Genes. cap. 15. per totum.

14. Est autem hic fluuius Ægypti, non alius à Nilo, vt sentit B. Augustinus quæst. 21. in Iosue, & alij; neque ille Nilus, qui plures diuisus in partes, totam irrigat fecundatque Ægyptum; sed, vt ait B. Hieronymus super Amos cap. 6. est riuus eiusdem Nili, ex eremo veniens, qui inter Rinocoluram & Ægyptum mare ingreditur Mediterraneum. Idem colligunt Andreas Masius super Iosue cap. 13. & Franciscus Ribera super Amos cap. 6. & Pererius super Genes. cap. 15. ex Strabone, qui lib. 16. supra magnum Nili ostium Pelusiacum, alium ponit riuum patium apud montem Cassium, a Pelusiaco distantem stadiis trecentis. Quod item comprobant ex relatione quorumdam qui loca illa peragrarunt, asseruntque a Gaza itinere dierum quinque versus Ægyptum, reperiri paruum quoddam Nili brachium, quod ibidem a mari excipitur, & vulgò Carabum appellatur: adduntque ab eo vsque ad Pelusium, quod postmodum Damiata dictum est, tantum itineris intercedere, quantum horis viginti pedes conficere potest. Quæ quidem relatio, sacræ Scripturæ, Strabonisque & S. Hieronymi dictis, admodum consentanea esse dignoscitur: idipsum quoque aliquo modo indicare videtur tam varia, quæ in Sacris libris traditur, eiusdem fluuij appellatio, vel potiùs descriptio. siquidem Genes. cap. 15. in fine, vocatur *Fluuius Aegypti. Fluuius*, quia pars est Nili, qui verè fluuius est. *Aegypti*, quia Ægyptum claudit. At verò 3. Reg. cap. 8. vers. 65. & 4. Reg. cap. 24. vers. 7. dicitur *Riuus Aegypti*, quoniam à Nilo Ægypti flumine deriuatur. Iosue autem cap. 15. vers. 47. & Isai. c. 27. vers. 12. nuncupatur *Torrens Aegypti*, & Amos cap. 6. in fine, *Torrens deserti*; quia non per cultam, vt alia Nili brachia, sed per desertam Ægypti plagam ad mare fertur, ad modum torrentis: etenim Nilo intumescente, iste exuberat, ac magno impetu fluit; illo autem decrescente, iste ob paruitatem, & terræ quam præterfluit nimiam siccitatem, interdum arescit. Quamuis LXX. Interpretes, loco Amos adducto, pro *torrentem deserti*, transtulerint *torrentem Occidentis*, Theodotio autem *torrentem Arabiæ*, & Aquila, *torrentem, qui est in planitie*; quia nimirum per terminos Arabiæ planos fluit, & tandem desinit in Mediterraneo mari, quod est terræ Chanaan Occiduum. Non est autem quòd quis opinetur, proprium huius fluuij siue torrentis nomen fuisse Rinocolura, quoniam loco Isaiæ adducto, pro *torrente Aegypti* LXX. Interpretes verterunt *Rinocolura*: nam hoc vocabulum non fluuij nomen fuit, sed vrbis, quam quidam Rex Æthiopum, Ægypto occupata, condidit, atque à latronibus, quibus supplicij causa nares præcidi iusserat, habitari voluit. Vnde nomen vrbi inditum fuit Rinocolura, quod narium excisionem significat, vt testatur Strabo lib. 16. & Diodorus lib. 2. Quare necessarium est dicere, LXX. Interpretes nomen vrbis, ob vicinitatem, tribuisse fluuio siue torrenti, vt simul etiam indicarent locum vbi ipse in mare influit, nimirum prope prædictam vrbem. Porrò memoratum fluuium siue torrentem olim disterminasse Iudæam ab Ægypto, præter id quod non se-

DE RIVO, SEV FLVVIO TORRENTEVE AEGYPTI.

DE RINOCOLVRA.

mel tradit Scriptura sacra locis prællegatis; etiam ex ethnicis colligi potest Auctoribus, puta Herodoto, Strabone, Ptolemæo, & Plinio, quorum primus, lib. 2. pag. 24. dum ait, quòd mons Cassius Ægyptum Syriamque disterminat, proculdubiò Iudææ fines ad Cassium producit: nulla enim alia Syriæ pars, nisi Iudæa, Ægyptum tangit. Strabo item loco proximè adducto, eosdem Iudææ fines protrahit vsque ad Cassium montem, à quo non procul abest Rinocolura, quam Plinius lib. 5. cap. 13. post Cassium montem commemorat, & inter Palæstinæ terminos posuisse videtur: & Ptolemæus Geographiæ lib. 4. cap. 5. quattuor tantùm leucis dissitam facit à Iudææ finibus Australibus, qui erant vrbs Bersabee, vt patet 3. Reg. cap. 4. vers. 25. & torrens Geraræ, penes quem dicta vrbs erat posita, vt colligi potest ex his, quæ nos sub anno mundi 1931. num. 32. diximus. Et hinc etiam patet, quod ibidem dicebamus, nempe falli eos, qui eumdem faciunt torrentem Geraræ cum prædicto Aegypti fluuio. Sed & nemini mirum videri debet, quòd memorati Auctores inter se de dictis Iudææ terminis non omnino conuenire videantur: quandoquidem valdè modica & leuis inter ipsos differentia est; & quod parum distat, nihil distare videtur: & certum est, eiusmodi terminos nonnihil interdum, imò sæpissimè, variis de causis mutari consueuisse, quemadmodum pæne quotidiana docet experientia. Promisit ergo Dominus semini Abrami omnem terram, quæ inter Euphratem & Aegypti fluuium continebatur, ita vt eam ab Aquilone terminaret Euphrates, Aegypti verò fluuius à Meridie. Quando autem hæc impleta fuerit diuina promissio, inferiùs sub anno mundi 2583. num. 28. dicemus.

PRAEDICTORUM ANIMALIUM SIGNIFICATIONES.

15. Ceterùm, quæ in memorata Abrami extasi eidem à Deo manifestata sunt, putant Doctores in recensitis quoque animalibus fuisse adumbrata. Nam quadrupedia illa naturæ mitioris, quæ quocumque duci facilè solent, & ad nutum hominibus deseruire, sic diuisa, inquiunt significasse Hebræorum peregrinationem, & seruitutem in Aegypto, vbi à propriis parentibus filij separandi erant, vt in flumen mergerentur: in turture verò & columba non diuisis, præsignatos esse illos, qui pòst exituri erant de Aegypto in desertum, vt irent in terram Chanaan. Volucres autem carniuoras, quas Abram ab illis carnium diuisionibus abigere satagebat, præsignasse Aegyptios, qui deuorare, hoc est opprimere tentabant Hæbræos, sed à Deo impediebantur, ne eos omnino perderent, aut ad perpetuam ipsorum seruitutem adigerent. Solis occasum interpretantur vel obitum Iosephi; (ipso enim mortuo, Hebræi cœperunt ab Aegyptiis affligi;) vel finem quadringentorum, quos diximus, annorum, circa quem Hebræorum afflictio fuit molestissima; nunc præsignificata in vehementi illo horrore tenebroso, qui post solis occasum inuasit Abramum: cuius etiam sopor, vt aiunt, præfigurabat Deum quodammodò dormientem, hoc est, sinentem eosdem Hebræos tantopere vexari. Sed hæc & eiusmodi, quæ post rei euentum aliquam videntur cum his quæ postmodum acta sunt habere conuenientiam, profectò antequam fierent, nimirum temporibus Abrami, adeò obscurè talia præmonstrabant, vt ex his tantum videatur difficilè admodum tale quid percipi potuisse; nisi Deus etiam conceptis verbis, quæ ventura essent, clariùs explicasset. Quamquam autem Deus quędam à se priùs obscurè significata soleat nonnumquam amicis saltem suis explicare, quemadmodum hîc cum Abramo factum legimus, & in Euangelio habemus de Christo, qui quæ in parabolis loquebatur ad turbas, posteà seorsum declarabat Apostolis: verumtamen certum quoque est, ipsum Deum nonnulla à se obscuriùs tradita, interdum inexplicata relinquere; siue ad exercenda excitandaque piorum ingenia, vt vel sic ad mysteria diuina acriùs inuestiganda prouocentur; siue ad illudendam retundendamque vanam quorundam superborum audaciam, qui de proprij ingenij perspicuitate nimium præsumentes, temerè sibi persuadent, omnia quodammodò se posse intelligere, & nihilominùs ipsi tandem deprehenduntur esse in numero eorum, de quibus dicitur Matth cap. 13. vers. 13. *Quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt.* Siue etiam, quia noscere quædam Dei arcana & mox futura, aliquando nobis vel omnino non expedit, vel saltem non nisi postquam euenerint. Propterea sapientissimè Dominus & illa tradere multò antè non omittit, & id obscurè admodum præstat, vt vel hinc discamus, ipsum & prænoscere quidem omnia antequam fiant, & tamen nolle ea nobis, nisi quando oportuerit, innotescere. Eiusmodi esse creduntur mysteria illa, quæ in sancta Ecclesia mox implenda prænuntiantur in sacra Apocalypsi. Ea siquidem (vt est communior Doctorum sententia) non nisi cùm impleta fuerint, plenè cognosci poterunt, fuisse priùs ad vnguem in citato libro prænuntiata. Sed hæc obiter.

16. Vt autem hîc aliquid etiam in medium afferamus de illis quadringentis annis, qui

DE QVADRINGENTIS ANNIS ABRAMO PRAENVNTIATIS.

qui in citato Genes. cap. 15. vers. 13. memorantur: dicimus esse illosmet, quorum fit mentio Actorum cap. 7. vers. 6. vbi textus emendatiores Vulgatæ editionis, (vt videre est in Biblis Regiis, & in his item quæ anno salutis 1593. Romæ recognita editaque sunt) habent *annis quadringentis*, & adamussim concordant cum loco Genesis proximè adducto. Quare nullo modo probandi sunt alij Textus, qui in præallegato Actorum loco, pro *quadringentis*, legunt *quadringentis triginta*. nam cum ibi hæc eadem Genesis historia repetatur; vtique oportet, quòd etiam annorum numerus vtrobique consentiat. Dicitur verò semen Abrami peregrinaturum, & affligendum, ac seruituti subiiciendum annis quadringentis, quia tanto tempore duratura erat posterorum Abrami peregrinatio. Nam seruitus & afflictio, licet multò breuior erat futura, nimirum tardiùs inchoanda; quia tamen in fine prædictorum quadringentorum annorum cum ipsa peregrinatione pariter expleri debebat, nempe in ipso exitu Israëlis de Ægypto, propterea in eodem quoq; annorum numero comprehensa est. Quòd si quis quærat, vnde nam, & quomodo ij quadringenti anni debeant computari; dicimus cum B. Augustino quæst. 47. in Exod. & lib. 16. de Ciuit. cap. 24. à natiuitate Isaac esse deducendos; in ipso enim Isaac cœpit semen illud, de quo hæc prædicta sunt. Nec refert, quòd ab ortu ipsius Isaac ad exitum Israëlis de Ægypto, computentur anni quinque & quadringenti; quia (vt sub anno mundi 1659. num. 2. demonstrauimus) Scriptura sacra minutias temporum quandoque præterire consueuit. Vel si præcisam supputationem requiris; subduc eos ab ancillæ & Ismaëlis eiectione de domo Abrami: tunc enim verum tantummodò semen eius remansit in domo sua, excluso eo de quo non erat ista prædictio. Vt propterea non otiosè Genes. cap. 21. vers. 12. vbi dicta eiectio præcipitur, ipsi Abramo dictum sit: *Quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Ac si dixisset: Idcircò volui vt eiicias Ismaëlem, vt per hoc tu ceterique omnes intelligant, præclara omnia, quæ promisi ac prædixi ventura semini tuo, non in Ismaële aut posteritate eius, (quæ tamen in gratiam tui ipsa quoque magnificabitur;) sed in Isaac & in posteris eius esse implenda. Ex his ergo perspicuum fit, posse annos peregrinationis seminis Abrami, etiam ab hoc tempore conuenienter admodum dinumerari, in quo dixit Deus ipsi Abramo: *In Isaac vocabitur tibi semen.* nempe semen illud, quod aliàs, videlicet Genes. cap. 15. vers. 13. prædixi peregrinaturum per annos quadringentos in terra aliena, & posteà rediturum in terram Chanaan cum magna gloria. Sanè memorata Ismaëlis exclusio creditur contigisse anno quinto vitæ ipsius Isaac circiter expleto (quemadmodum nos infrà sub anno mundi 2144. num. 1. probabimus) qui erat annus vitæ Abrami centesimus sextus tunc incipiens, à quo ad exitum Israëlis de Ægypto numerantur præcisè anni quadringenti, vt ex progressu patebit, & in tabulis supputari poterit. Quod verò de generatione quarta superiùs dictum est, LXX. Interpretes Exod. cap. 13. sub finem dicunt, filios Israël de Ægypto egressos esse progenie seu generatione quinta; vt hinc intelligeremus, eosdem Hebræos reuersuros generatione quarta expleta, vel (quod idem est) quinta inchoante. Sumitur autem his locis nomen generationis pro spatio vitæ humanæ, quæ tunc temporis communiter ad centum & ampliùs annos extendi solebat. Quare, vt notat etiam Genebrardus in sua Chronologia, sub anno mundi 2239. quod hîc dicitur, generatione, seu progenie, aut ætate quarta, vel sæculo quarto; idem est cum eo quod suprà dictum est, Post quadringentos annos: in qua quidem significatione etiam Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Antiq. Romanorum videtur sumpsisse vocabulum generationis, dicens, Medorum Imperium propè quattuor generationes, hoc est, ad quadringentos annos stetisse.

VNDE SVPPVTANDI.

QVID NOMINE GENERATIONIS NOTETVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2124.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 12.

☞ 1 POST annos decem ex quo cœperat Abram habitare in terra Chanaan, Genesis cap. 16. vers. 3. videlicet inchoante anno vndecimo, qui erat vitæ Abrami octogesimus sextus, vt videre est in tabulis, Sarai vxor Abrami, cùm hactenus exspectasset per annos propè sex à postrema Dei apparitione, in qua repromiserat Dominus viro suo multiplicare semen suũ sicut stellas cæli; sperans interim se de ipso concepturam: & nihilominùs videret, se etiam in sua solita sterilitate perseuerare, ac propè tandem eò ætatis processisse, vt iam ad naturaliter concipiendum inhabilis credi posset, (erat quippe annorum ferè septuaginta sex:) cogitare cœpit, ne fortè ideò ipsam

Deus

SARAI DAT AGAR ANCILLAM ABRAMO VIRO SVO VXOREM.

Deus infecundam esse sinetet, quòd per aliam sua vellet Abramo implete promissa; nimirum non ex ipsa, sed ex alia vxore, viti sui ptolem multiplicare. Quare, vt ait Iosephus l. Antiq. cap. 11. Dei monitu, vel potius (vt reor) peculiari quodam Dei acta spiritu; suasit viro suo, ducere Agar ancillam suam in vxorem, vt saltem ex ea ipse filios susciperet legitimos ac naturales, & ex eadem, ipsa habere posset adoptiuos. Acquieuit vxoris suæ precibus ac monitis ipse quoque, non sine diuino (vt creditur) instinctu: quandoquidem Deus, qui iam decreuerat in ipso Abramo præfigurare mysterium illud, quod postea declarauit Apostolus ad Galatas cap. 4. versic. 22. dispensauit, vt Abram, viuente prima vxore libera, alteram duceret seruam; vt sic duos posteà habens filios, vnum de ancilla, alterum de libera, præsignaret, quemadmodum inquit Apostolus, duo testamenta, veteris scilicet & nouæ Legis; & duos populos de ipso Abramo prodituros; alterum secundùm carnem, nempe Hebræorum ad litteram seruientium; alterum ex repromissione, videlicet Christianorum in libertate spiritus ambulantium. Quare de memorata polygamia, nemo iure potest Abramum, Saramve quòd eam suaserit, culpare. etenim quæ præter ordinarias religiosæ perfectionis regulas à sanctissimis viris gesta legunrur, nec vsquam in Sacris libris reprehensa; ea profectò Deo tunc inspirante, atque aliqua rationabili de causa dispensante, acta esse censenda sunt.

AGAR CONCEPTO DE ABRAM FETV DESPICIT DOMINAM SVAM.

TYPVS HAERETICORVM

2. Itaque Abram, circa initia (vt arbitror) anni vitæ suæ octogesimi sexti, puta secundo aut tertio circiter mense, duxit Agar vxorem, quæ non multò pòst se concepisse sentiens, in superbiæ rumorem erecta, despicere cœpit dominam suam, à qua tantum bonum acceperat, vt de ignobili seruitutis gradu effecta esset vxor domini sui. Illustre nimirum ingrati animi exemplum: sed & illustrissimus hæreticæ prauitatis typus, quæ aduersus sanctam Ecclesiam Catholicam, cuius beneficio de obscurissimis ignorantiæ tenebris & vmbra mortis ad cognitionem Christi, qui fons vitæ est, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, prouecta cùm sit; insurgete nihilominùs contta ipsam, atque ei procaciter insultare non veretur. Meritò igitur id ægrè ferens Sara, obtinuit à viro suo facultatem castigandi seruam ingratam. At illa, præ proteruia & arrogantia sua, sanctas rationabilesque dominæ suæ cotrepriones ac castigationes ferre non sustinens, seruorum more fugam arripuit, pergens in solitudinem deserti Sur, inter Cades & Barad, iuxta fontem, qui posteà ab eadem Agar, propter Angelicam, seu, vt ipsa putabat, diuinam visionem ibi habitam, appellatus est Puteus viuentis ac videntis, hoc est, Dei, qui solus ex se semper est viuens, & cuncta videt ac prospicit, & particulari quadam miseratione afflictionem ipsius Agar respexetat: siquidem cùm ipsam ibidem inuenisset Angelus Domini, hortatus est eam vt reuerteretur ad dominam suam, & humiliaret se illi; prædixitque si id faceret, multa de multiplicatione prolis suæ ex filio quem gerebat in vtero, & de natura, ingenio, moribus, & qualitate ipsius, & nomen quod ei imponere debebat, indicauit, vt videre est Genes. cap. 16. ferè per totum. Sed vtinam, quemadmodum Agat audita voce Angeli reuersa est, ita etiam hæretici non ampliùs obturent aures suas, sed aliquando audiant quid loquarur in eis Dominus, & humiliter redeant ad dominam suam sanctam Romanam Catholicam Ecclesiam. Intereà recolant, obsecro, quæ ad hoc de quo nunc agimus, appositè scripta reliquit. S. Augustinus Tract. 11. in Ioannem: *Si quando, inquit, vult Deus concitare Potestates aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores Baptismi, non mirentur: quia Deus concitat, vt à Sara verberetur Agar, & supponat ceruicem: quia cùm humiliata discederet à domina sua, occurrit ei Angelus, & dixit: Quid est Agar ancilla Saræ? Cùm conquesta esset de domina sua, quid audiuit ab Angelo? Reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur. Atque vtinam reuertatur! quia proles eius, sicut filij Iacob, cum fratribus hereditatem tenebit. Mirantur autem quia commouentur Potestates Christiana aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Sed si non mouerentur, quomodo de Imperio suo rationem Deo redderent? Hoc enim pertinet ad Reges Christianos, vt temporibus suis pacatam velint Matrem suam Ecclesiam habere, vnde ipsi spiritualiter nati sunt. Legimus Danielis visiones, & gesta prophetica, tres pueros in igne laudantes Deum, nec ab igne læsos. miratus est Rex Nabuchodonosor, nec tantùm miratus, sed cùm non esset Iudæus, & se in statua pro Deo adorari voluisset: tamen maiestatem Dei præsentis in igne, illo miraculo expertus, pœnam capitalem constituit in eos, qui Deum illorum innenum blasphemassent. Sic enim dixit: Quicumque dixerint blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem. Ecce quomodo sæuit Rex alienigena, ne blas-*

CASTIGATA FVGIT IN SOLITVDINEM.

HORTATV ANGELI REDIT AD DOMINAM SVAM.

HAERETICI CVR A CATHOLICIS PRINCIPIBVS AFFLIGENDI. EX S. AVGVSTINO.

ne blasphemetur Deus Israël, qui potuit tres pueros de igne liberare: & nolunt vt faniant Reges Christiani aduersus eos qui Christum exsufflant, à quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis Regibus, nec ab igne fornacis, sed à gehenna incendio liberatur. hucusque S. Augustinus. Nos verò cœptam prosequamur historiam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2125. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 13.

1 SVB finem eiusdem anni, vel potiùs (vt arbitror) anno proximo circiter inchoante, cùm Abram iam expleuisset annum vitæ octogesimum sextum, & ingrederetur octogesimum septimum, Agar peperit ei filium, quem ipse (prout ab Agar intellexerat mandasse Angelum Domini) appellauit Ismaëlem, Genes. cap. 16. vers. 15. Quare oportet primum annum Ismaëlis ferè totum concurrisse cum anno Abrami octogesimo septimo, vt notauimus in tabulis. DE ORTV ISMAELIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2128. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 16.

1 SVB finem anni vitæ Abrami nonagesimi, mortuus est Zameis, qui & Ninias, Rex Assyriorum, cùm regnasset annos triginta octo, vt testatur Eusebius in Chronicis. DE OBITV NINIAE SIV ZAMEIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2129. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 17.

1 ANNO immediatè sequente circiter inchoante, prædicto Zameo successit tenuitque Arius Assyriorum Rex quartus in Niniue, vt est apud Eusebium vbi suprà. Hic Bactrianos & omnes Caspios subegit, vt testatur Genebrardus libro 1. suæ Chronologiæ. S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 3. hunc appellat Aralium, dicitque fuisse Regem Assyriorum quintum, ob rationem à nobis sub anno mundi 1931. num. 30. adductam. ARIVS REGNAT IN ASSYRIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2138. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 26.

1 CVM autem Abram nonaginta nouem esset annorum, hoc est, nonagesimum nonum vitæ annum paulò antè expleuisset, & centesimum ferè tunc esset ingressus, vt infrà num. 4. probabitur: aliam diuinam, prioribusque multò illustriorem habuit visionem, quæ fuit in ordine quinta, in qua multa eademque præclara ei repromissa sunt. Ac primò quidem Deus, vt ipsum meliùs disponeret ad credendum his quæ dicturus erat, præsertim de filio ei iam adeò seni, ex Sara nō solùm hactenus naturaliter sterili, sed etiam propè nonagenariâ, suscipiendo, quod naturaliter videbatur fieri nullo modo posse, præmisit: *Ego Deus omnipotens.* hoc siquidē posito, nulla restare poterat ex parte promittentis difficultas, neque ex parte Abrami dubitatio. Deinde, vt eumdem ad Circumcisionis præceptum, alioqui in se satis durum, promptiùs exequendum animaret, subiunxit: *Ambula coram me, & esto perfectus.* ac si dixisset: Propereà satage placere mihi, & esto paratus & promptus non solùm ad credendum, sed etiam ad perficiendum quæcumque mandauero tibi, si vis mearum capax fieri promissionum, & fœderis mei, quod tecum ferire intendo. Ad hæc verba, humillimus ac deuotissimus Abram, statim adorans Deum, pronus cecidit in faciem suam: ac si factis potiùs quàm verbis diceret: Ecce ego seruus tuus, iube Domine quod vis, & da quod iubes. Cui Dominus: Hæc sunt, quæ facere disposui. Ego (vt aliàs promisi) mirum in modum multiplicabo semen tuum, & eousque magnificabo, vt ex ipso (quod hactenus non aperui) etiam Reges magni sint proditurì. Quare nolo te ampliùs appellari *Abram*, quia nomen istud, quod etiam Pater excelsus seu sublimis interpretari potest, quando excelsiora & sublimiora sensibus humanis exposita opera mea, nempe stellas & cælorum cursus contemplabaris, tibi maximè congruebat, verumtamen deinceps vocaberis *Abraham*, quod Pater multarum, id est, gentium, seu populorum interpretatur, quoniam (vt dixi) multæ gentes ac populi ex te, tamquam à stirpe ac radice, egredientur. DE QVINTA ABRAMI VISIONE. ABRAM A DOMINO APPELLATVR ABRAHAM.

tur. Et prætereà dabo tibi ius directi dominij, posteris verò tuis etiam realem, vt aiunt, possessionem totius terræ Chanaan. Insuper statuam pactum meum tecum, & cum nepotibus tuis, obseruandum fœdere sempiterno, eroque Deus eorum, ita vt ego illis benefacere non cessem; illi verò, neglecto prorsus inanium deorum cultu, me solum verum Deum colere teneantur. Ad quod pactum illud etiam pertinebit, vt tu, & omnis masculus domus ac posteritatis tuæ, circumcidatis carnem præputij vestri; atque hoc præcipuè signo, à cunctis aliis nationibus distinguamini, donec aliud à me statutum fuerit. Paruuli octauo natiuitatis die circumcidi debebunt. Qui autem ex vobis circumcisus non erit, delebitur de populo suo.

ACCIPIT PRÆCEPTVM CIRCVMCISIONIS.

2. Sanè præcepti huius austeritatem vt iucundissimo quoque promisso leniret, illicò Deus subintulit: Scias item nasciturum esse tibi filium ex Sarai vxore tua; quæ idcircò non vltrà vocabitur *Sarai*, hoc est, Domina mea; sed *Sara*, id est, absolutè, & quodammodò vniuersaliter, Domina: nimirum quia etiam ipsa erit domina & mater multarum gentium, & populorum, & Regum, qui de filio suo propagabuntur. Hæc vt audiuit Abraham, iterùm pro debita gratiarum actione & reuerentia cadens in terram, & adorans, tantam intus sensit consolationem, vt extrà quoque risum continere non potuerit. Quin etiam, non præ diffidentia aut incredulitate, (alioqui ipsum redarguisset Dominus, quemadmodum infrà Genes. cap. 18. vers. 14. reprehendit Saram;) sed præ nimio stupore, tamquam quodammodò in se capere non valens tanti beneficij magnitudinem, quæ omnem eius expectationem veluti in immensum superabat: atque etiam nonnihil forte hæsitans, num aliquod aliud mysterium in hac diuina promissione contineretur; cogitare cœpit, & conferre intra se ipsum, dicens: *Putásne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Vtinam Ismaël viuat coram te!* ac si dicere voluisset: Quòd si (vt reor) non figuratè loquitur Deus; vnde hoc mihi, vt præter communem rerum ordinem cursumque naturæ, mirandum in modum soli Deo omnipotenti cognitum, mihi inquam centenario, ex sterili & nonagenaria nascatur filius? magna nimis sunt hæc, Domine. Quis enim sum ego, cui tanta Deus præstare sibi complaceat? nónne satis erat, si me de vita filij mei Ismaëlis securum reddidisset? Sed & hoc obsecto, Domine mi, qui maiora promittere dignatus es, etiam minora seruo tuo ne deneges: quin potiùs ad cumulum munificentiæ erga me tuæ, accedat quoque Ismaëlis conseruatio & prosperitas. Hac tanta Deus Abrahami humilitate, tam grato ac confidenti animo summopere delectatus, quod promiserat, clariùs adhuc explicat, atque iterùm, remota omni figuratæ locutionis suspicione, confirmat, subdens: *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum*, Genes. cap. 17. vers. 19. Quasi diceret: Isaac vocabitur iste filius tuus, quod risum significat, ad præsignandam sempiternam spiritualis seminis tui exultationem & gaudium. Nam fœdus quod pepigi tecum, de cunctis gentibus in semine tuo benedicendis, specialiter ad Isaac pertinebit, siquidem de ipsius progenie veniet desideratus cunctis gentibus. Sed & super Ismaële (prosequitur Dominus) audiui vota ac desideria tua: etenim benedicam, hoc est, benefaciam ei, & non solùm conseruabo, sed etiam augebo & multiplicabo eum valde: nam duodecim filios generabit, qui erunt Duces populorum, atque ita posteritas eius in gentem magnam euadet: veruntamen (vt dixi) pactum meum implebitur in Isaac, quem pariet tibi Sara, anno proximo. & his dictis expleta est visio. Cuius visionis postrema illa verba, quæ habentur Genes. cap. 17. proximè citato vers. 21. videlicet: *Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara.* quemadmodum & illa, quæ suprà vers. 19. dicta sunt: *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum.* & item illa, quæ habentur cap. 21. vers. 12. *In Isaac vocabitur tibi semen*, quid aliud indicant? nisi quòd licet præceptum Circumcisionis transierit ad omnes Abrahæ posteros: attamen Dei promissiones de tradenda eidem Abrahæ & semini eius terra Chanaan; & de eligendo idem semen in populum sibi peculiarem; & de benedicendis in eo omnibus Gentibus, non erant implendę in omnes descendentes ab ipso Abraham; sed solùm in Isaac & in posteritatem suam; non quidem omnem, sed eam dumtaxat, quæ per Iacob filium suum proditura erat, vt planè colligitur ex Psal. 104. vers. 6. vbi posteaquam Dauid, alludens ad dictas promissiones, dixit: *Semen Abraham serui eius.* protinus limitat restringitque dictum semen ad solos filios Iacob, dicens: *Filij Iacob electi eius.* Per hæc vtique significans, diuinam illam electionem non de omnibus Abrahæ posteris esse intelligendam, sed de iis tantùm, qui ab ipso Abraham per lineam rectam Isaac & Iacob procreandi erant. Igitur

PROMITTITVR ABRAHAE DE SARA FILIVS, ET IPSA DEINCEPS SARA VOCARI MANDATVR.

tur quemadmodum adducta Genesis verba (quantum attinet ad memoratas promissiones) excludunt à dicto semine alios Abrahæ filios, nempe Ismaëlem natum de Agar, & eos qui nati sunt de Cetura, eorumque omnium omnem posteritatem; ita citatus Psalmi locus excludit ab eisdem promissionibus alium Isaaci filium, videlicet Esau & omnes posteros eius. quod & euentus probauit: siquidem certum est, solas posteà duodecim tribus Israël, quæ singulæ ex singulis filiis Iacob prodierunt, possedisse terram Chanaan, & in populum Dei electas, coluisse Deum Abraham, Isaac, & Iacob, patrum suorum, iuxta Legem eis per Moysen latam; & ex ipsis denique natum esse Christum, per quem benedictio, & sanctificatio, & redemptio facta est in omnibus Gentibus.

CVR DOMINVS ABRAHAMO SENSIM PROMISSA SVA EXPLICARE VOLVERIT.

3. Sed ecce quomodo sensim, & per interualla, gradatimque voluit Dominus ipsi Abrahamo reuelare atque explicare, quod eidem toties repromiserat, de sui seminis multiplicatione: nam primò id vniuersaliter & indistinctè pronuntiauit, Genes. cap. 13. vers. 16. dicens: *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ.* verùm num hæc promissio, de semine adoptiuo, an de naturali ipsius Abrahæ foret intelligenda, non nisi post tres circiter annos declarauit, quando scilicet Genes. cap. 15. vers. 3. dicenti Abrahamo, *Mihi autem non dedisti semen; & ecce vernaculus meus, heres meus erit;* respondit Dominus: *Non erit hic heres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis heredem.* Et quoniam dubitari item poterat, num semen Abrahæ, quod multiplicare promiserat Deus, de Sara, an de alia vxore esset propagandum; in hac etiam perplexitate reliquit Deus Abrahamum ad alios viginti propè annos: & interim voluit ipsum suaderi ab vxore sua Sara, vt Agar ancillam suam duceret, & de ipsa filium susciperet, in quo putabat esse implendam Dei promissionem de sui seminis multiplicatione. Deinde cùm ipse Abraham iam expleuisset (vt dictum est) annum vitæ nonagesimum nonum, & nihil minùs cogitaret, quàm de suscipienda prole ex Sara vxore sua, quæ iam nonagesimum ætatis annum ingressa erat: ecce de eadem Sara prædicit Dominus Abrahamo: *Benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium,* Genes. cap. 17. vers. 16. & post pauca, videlicet vers. 19. iterùm ait: *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac.* denique paucis interpositis, nimirum vers. 21. tempus quoque partus adiecit, indicans eam proximo anno fore parituram, his verbis: *Pactum meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara, tempore isto, in anno altero.* Quorsum istæ dilationes, animique suspensiones? nisi vt seruum suum Abrahamum Deus in fidei, spei, & longanimitatis virtutibus exerceret, & paulatim ad spiritualem perfectionem perduceret? vt posteà excellentem huius viri sanctitatem, omnimodamque suiipsius resignationem vniuerso mundo notam faceret, & eius tam singulari exemplo nos quoque ad eamdem incitaret. Quamquam fortasse etiam voluit Deus huiuscemodi dilationibus ostendere, se non, secus in gratiæ ac naturæ operibus procedere consueuisse: nam quemadmodum quotidie videmus, mundum istum sensibilem diuina ordinatione non statim solari splendore clarescere, sed præcedente priùs, sensimque aurora clariùs illucescente: & plantas animaliaque non illicò perfecta produci, sed per partes ac per tempora crescere, donec tandem ad perfectum naturæ suæ statum peruenerint: eodem ferè modo solet Deus Ecclesiam suam cælesti lumine paulatim illustrare, eique abscondita sapientiæ suæ mysteria non simul & semel omnia, sed iteratis vicibus singula certis congruentibusque temporibus pandere; &, tamquam prudens magister, nostro captui sese demittere atque accommodare, ac rudiores discipulos sensim erudiens atque exercens, per quosdam, vt ita dixerim, gradus, ad spiritualis scientiæ fastigium vitæque perfectionem deducere. Ita legimus Ioan. cap. 16. vers. 12. fecisse Dominum, quando discipulis suis dicebat: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* & cap. 14. vers. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille suggeret vobis omnia.* nimirum singula temporibus opportunis. Sed nunc, vnde aliquantulùm digressi sumus, redeamus.

ABRAHAM CIRCVMCIDIT PRAEPVTIVM CARNIS SVAE, ET CVNCTORVM MARIVM DOMVS SVAE

4. Post expletam visionem, Dominique discessum, Abraham, vt aliàs semper fuerat Deo obsequentissimus, ita & nunc: quandoquidem præceptum eius de maribus circumcidendis implere non distulit, sed statim in ipsamet die illud plenè executioni mandauit; non in seipso tantùm, sed & in filio Ismaële, & in ceteris omnibus, tam vernaculis quàm emptitiis & alienigenis domus suæ, Genes. cap. 17. vers. 23. vsque ad finem. Impleuerat autem tunc Abraham annum vitæ nonagesimum nonum, vt colligi potest Genes. cap. citato vers. 14. Nam si, quod ibidem aiunt LXX. Interpretes, Ismaëlem fuisse tredecim annorum, editio Vulgata exponit, eumdem expleuisse annum decimumtertium: etiam id quod in eodem loco dicitur, *Abraham nonaginta & nouem erat annorum,* ritè interpretari potest, ac si diceretur, annum nonagesimum nonum ex-

EXPLICANTVR QVAEDAM AD CHRONOLOGIAM PERTINENTIA.

pleuerat. Et hæc interpretatio concordat cum eo, quod sub anno mundi 2124. num. 1. diximus, videlicet Abrahamum post annos decem, id est, anno vndecimo ex quo venerat in terram Chanaan, duxisse Agar Ægyptiam in vxorem;& sub anno mundi 2125. num. 1. diximus, Ismaëlem natum esse anno ætatis Abrahæ octogesimo sexto circiter exacto, ita vt annus primus Ismaëlis concurrerit cum octogesimo septimo Abrahami. Conueniet etiam memorata expositio cum his quæ digesta sunt in nostris tabulis, & cum communi Chronographorum regula, sub anno mundi 131. num. 2. posita, quam hic quoque obseruasse videntur, supputantes annos centum completos ipsius Abrahæ, quando natus est Isaac; & sexaginta pariter exactos ipsius Isaac, quando natus est Iacob; & centum triginta itidem impletos eiusdem Iacob, quādo descendit in Ægyptum. Vnde necessariò videtur inferri, quòd ad illa verba, quæ habentur initio citati capitis de ipso Abraham, videlicet, *Postquam verò nonaginta & nouem annorum esse cœperat*, intelligere debemus, quòd tunc primùm eos expleuerat, vt nos sub hoc eodem mundi anno num. 1. exposuimus. Etenim statim finita visione, quæ ibidem narratur, Abraham seipsum suosque circumcidit, vt iam dictum est. Quare non possum hac in parte assentiri Perério, exponenti prædictam visionem fuisse factam Abrahæ, quando tantummodò ingressus erat annum vitæ nonagesimum nonum. Etenim si (vt ex prædictis infertur) annus decimustertius Ismaëlis concurrit cum nonagesimo nono Abrahæ, vt patet in tabulis: si tempore circumcisionis Ismaël impleuerat annum decimumtertium, quemadmodum apertè Scriptura testatur: ergo etiam ipse Abraham impleuerat annum nonagesimum nonum.

5. Post paucos admodum à proximè memorata visione decursos dies (vt benè colligit Rupertus ex eo, quòd tam in illa, quàm in sequenti diuina apparitione, promittitur partus Saræ hoc eodem proximi anni tempore secuturus) cùm quadam die circa meridiem, quando sol ardentiùs feruere solet, Abraham sederet in ostio tabernaculi sui, quod post discessum à Lot transtulerat in conuallem Mambre, iuxta Hebron, manifestauit se ei sextò Dominus, in figura trium Angelorum humanam speciem per omnia præseferentium. Qua in re communiter sentiunt Doctores, adumbratum quoquomodò fuisse mysterium sanctissimæ Trinitatis. Siquidem creditur Abraham in ipso primo aspectu sensisse intra se excitari affectum quemdam diuinæ præsentiæ, & subito quodam impetu spiritus Deum cognouisse, atque in tribus illis personis quas vidit, vnum adorasse. Quamuis etiam illud verum sit, quòd posteà eos verè homines esse ratus, ac de via fessos, non frigidè tantùm, vt multi solent, sed puro charitatis affectu, supplicitèr impenséque rogauit, & dulci quadam violentia quodammodò coëgit, vt ad se diuerterent, aliquantisper recreari, atque itineris molestiam leuare non recusarent; offerens eis ex corde, quæ viatoribus iucunda esse solent, æstiuo præsertim tempore, pedes iter agentibus; nimirum aliquantulam requiem, pedum lotionem, & cibaria ad refocillandas vires. Quàm pulchrè elucet in hoc sanctissimo viro sinceræ perfectæque hospitalitatis virtus, ex pura nimirum charitate procedens. huiusmodi illa est, quam suadebat Princeps Apostolorum, prioris Epistolæ cap. 4. vers. 9. *Hospitales inuicem sine murmuratione*. & plurimùm commendabat Apostolus ad Hebr. cap. 13. vers. 2. dicens: *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* id est (vt sacri exponunt Doctores) latuit quosdam, quòd Angelos hospitio reciperent: putantes enim se homines suscipere, meruerunt Angelorum hospitio nobilitari. Sed quid dico Angelorum? imò & Dei. Audi quid sanctus dicat Ambrosius lib. 1. De Abraham cap. 5. *Qui scis*, ait, *an Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abraham, dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque Angelos eius hospitio suscipit. quamuis & cùm hospitem suscipis, suscipias Deum, sic enim scriptum in Euangelio legis, dicente Domino Iesu: Hospes eram, & collegistis me: quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Vnius hora hospitio, vidua illa quæ suscepit Eliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt numquam farina de hydria deficeret. Elisæus quoque defuncti pignoris resuscitatione donata, hospitij resoluit pensionem*. hæc sanctus Ambrosius, qui ibidem plura alia de hospitalitatis virtute mirabiliter disserit.

DE SEXTA DOMINI APPARITIONE ABRAHAMO FACTA.

DE ABRAHAMI HOSPITALITATE.

6. Sed ad nostrum hospitalitatis magistrum redeamus, qui, quemadmodum idem Sanctus ait, non solùm hospitij facilitatem docuit, verùm etiam hospitantis sedulitatem. nam vt primùm Angelos sibi annuisse intellexit, alacriter eos suscepit, sub arbore accubare ac requiescere fecit, aquam statim ad lauandos pedes iussit afferri: interim autem festinus instrui conuiuium curat; vxori mandat, vt quantocyus ex simila, quæ præstantior est tritici medulla, faciat subcinericios panes; ipse verò ad armentum cucur-

cucurrit, & selectum inde vitulum optimum tenerrimumque puero tradit, protinus parandum atque coquendum. Quæ vt parata esse vidit, ipsemet, assumpta etiam butyri lactisque copia, posuit ante eos, & stans ministrabat eis.

DE ILICE MAMBRE EX BROCARDO.

7. De arbore hac, sub qua recepit Abraham hospitio Angelos, ita scribit Brocardus: *Ilex Mambre, iuxta viam regiam quæ ducit Hebron, sita, apud quam longo tempore habitasse Patriarcham Abraham historia libri Genesis ostendit, etiam hodie demonstratur, ante ostium tabernaculi Abrahæ. sciendum tamen, antiquam illam ilicem exiccatam fuisse: sed ex eius radice pullulauit altera, de cuius ligno & fructu mecum tuli. folia eius paulò maiora quàm lentisci, sed fructum prorsus habet illa vt quercus. Ab ilice Mambre, per dimidiam leucam ad dexteram, iuxta viam, est vetus illa Hebron in monte sita sublimi & tuto, sed nunc penitus diruta, cuius tamen tales cernuntur ruinæ, vt ex his, quàm illa quondam ampla & magnifica fuerit, facile sit intelligere. Ab Hebron antiqua ad trium arcuum tactum versus Austrum, paulùm tamen ad Orientem declinando, noua extitit Hebron, eo loco fabricata, vbi duplex fuit spelunca, quam emit Abraham in sepulturam vxoris Saræ. Saraceni contra speluncam duplicem, quæ in Ecclesia Cathedrali continebâtur, ædificarunt munitionem. A spelunca duplici ad tactum vnius arcus contra Occidentem, est celebris ager Damascenus, habens terram rubram flexibilem & tractabilem instar ceræ, quam Saraceni deuehunt in Aegyptum, Aethiopiam, & Indiam, vt rem valdè pretiosam carò vendentes.* hæc Brocardus. Sed vnde iste ager, Damascenus fuerit nuncupatus, ignoramus; nisi fortè sic dictus fuerit ab his, qui putant Adamum, quem in agro Damasceno plasmatum perhibent, reuerà in terra Chanaan, non autem in regione Damascena fuisse formatum; de qua re nihil certi afferri posse arbitror.

ANGELI PRÆNVNTIANT ORTVM ISAAC DE SARA.

8. Ceterum memorati tres Angeli, in humana forma ab Abrahamo vt hospites recepti, cùm sub dicta arbore manducassent, vel potiùs manducasse visi essent, eo nimirum modo, quo posteà testificatus est Raphaël Tobiæ cap. 12. vers. 19. inquiens: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, vtor*, de Sara interrogantes, eamdem postero anno filium habituram prænuntiarunt. At illa post tabernaculi ostium id audiens, & quasi ob suam virique sui senectam tale quid sperari non posset, subrisit, occultè quidem, sed tamen id Angelos latere non potuit: quamobrem correpta, quòd Deo nihil esse difficile, nedum impossibile, non considerasset: primò quidem se risisse negat, mox veritatis admonita, & alteram audiens de filio sibi nascituro attestationem, humiliter tacendo, se priùs errasse fassa est. Et hinc colligit S. Augustinus quæst. 36. in Genes. causam, cur risum Saræ Dominus redarguerit, cum & Abraham riserit, nec reprehensus fuerit, nimirum *quia*, inquit, *risus Abrahæ, fuit admirationis & lætitiæ; Saræ autem risus, fuit dubitationis: id verò discerni & diiudicari ab eo potuit, qui solus nouit corda hominum.* Et hæc fuit quarta ipsius Isaac de Sara nascituri diuina prænuntiatio: bis enim in præcedenti visione hoc idem manifestauerat Dominus soli Abrahæ, vt suprà num. 2. dictum est: hîc verò iterùm bis, Abrahamo simul & Sara audientibus, vt iam de hac re nulla posset ampliùs subesse dubitatio.

CVR RISVS SARÆ REPREHENSVS, ABRAHAE VERO NEQVAQVAM.

ABEVNTES ANGELOS COMITATVS ABRAHAM, DE SODOMITICO INTERITV PRÆMONETVR.

9. His peractis, illi tres Angeli humana specie induti, surgentes direxerunt oculos gressusque suos Orientem versus contra Sodomam. Abraham verò, vt nihil, quod ad honorificæ hospitalitatis officia erga ipsos cumulatè implenda, prætermitteret; non contentus eos suppliciter inuitasse, peramanter excepisse, liberaliter tractasse; voluit etiam abeuntes vrbano quodam obsequio prosequi, & donec ab ipsis dimitteretur, comitari. Quamobrem placuit quoque Deo; ad opera beneficentiæ suæ erga ipsum Abrahamum adhuc addere: nam, vt prædicta charitatis suæ munia, vel potiùs pium sui hospitis affectum largiùs recognosceret, præter repromissum ei ex Sara filium (quod vtrique coniugi valdè gratum fuerat) placuit, inquam, Domino etiam seipsum eidem Abrahamo apertiùs manifestare, eumdemque consiliorum suorum, de Pentapolitanis perdendis, communicatione, veluti inter peculiares suos amicos conscribere. Sic Dominus Iesus Luc. cap. 24. v. 31. à duobus Discipulis euntibus in Emmaus, peregrini forma receptus, eis suiipsius notitiam impertiuit, & Apostolos suos Ioan. cap. 15. vers. 15. declarauit amicos, dicens: *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quare secretorum manifestatio, præcipuum amicitiæ indicium est. Porrò arcana sua Deus & quæ futura sunt, pandere solet aliquando quidem magnis viris, & in dignitate constitutis, veluti Pharaoni præmonstrauit septem vbertatis annos, & septem item famis mox futuros, Genes. cap. 41. & Regi Nabuchodonosor, regna quæ post ipsum surre-

SECRETORVM COMMVNICATIO AMICITIAE SIGNVM EST.

QVÆ REVE FVTVRA PRÆMONSTRARE SOLEANT

furrectura erant, Daniel. cap. 2. Aliquando humilibus, & priuatis personis, iuxta illud Matth. cap. 11. vers. 25. & Luc. cap. 10. vers. 21. *Et reuelasti ea paruulis*. Sed illud interest, quòd primis subobscure admodum futura indicantur, vel per somnia; non ipsis immediate, sicuti paruulis; sed plerumque illis per paruulos declarata. Finis autem huiuscemodi reuelationum est, vt per auctoritatem aut sanctitatem eius cui fit reuelatio, efficaciùs alus manifestentur mirabilia Dei opera ad ipsorum salutem, nimirum ad Dei amorem vel timorem in hominum cordibus vehementiùs excitandum. Itaque conuenienter admodum ipsi Abrahamo facta est diuina hæc de Sodomitis delendis prænuntiatio, tum propter personæ dignitatem, siquidem ipse erat futurus pater multarum gentium, & in ipso, id est in semine suo, nimirum in Christo de eius progenie nascituro, benedicendæ erant vniuersæ nationes terræ; tum etiam quia ipse erat apprimè sanctus, & valde humilis, vt indicant illa eius verba, *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis*. Et præterea, quoniam ipse præcepturus erat familiæ suæ & posteris suis, vt custodirent vias Domini, quò terribiles eius vltiones deuitare, & ingentia bona sibi diuinitus repromissa consequi possent, Genes. cap. 18. vers. 17.

INSINVAT DEVS ABRAHAMO MODVM IN DELICTIS PVNIENDIS OBSERVANDVM.

10. Neque verò Deus vltionem dumtaxat, quam de Sodomitis ac finitimis populis sumpturus erat, Abrahæ prædixit: verùm etiam, quia ipse, vt aliàs dictum est, caput multarum gentium futurus erat; ad ipsius posterorumque suorum instructionem, modum quoque in delictis puniendis obseruandum, non verbis tantùm, sed suo etiam exemplo edocere voluit, dicens: *Clamor Sodomorum & Gomorrha multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. descendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam*. perinde ac si dixisset: Tametsi ego qui vbique sum præsens, & nihil me latere potest eorum quæ in vniuerso mundo aguntur, nulla opus habeam inuestigatione; attamen vt Principibus, & Prælatis, ac populorum Iudicibus formam demonstrem, quam obseruare debeant in cognitione causæ, antequam delinquentes ad supplicia condemnent; ecce nunc humano more descendam, veniamque in rem præsentem, & videbo si rumor tantorum criminum, qui ad me peruenit, verus est, an non. Vt hinc intelligas, nemini pœnam esse iniungendam, nisi præmissis debitis inquisitionibus ac probationibus de perpetrato delicto legitimè priùs constiterit. Quibus dictis, abierunt duo Angeli Sodomam; Abraham verò adhuc stabat coram tertio, qui ceteris dignior videbatur, & ipsi Abrahamo vice Dei locutus fuerat, & quem ipse tamquam repræsentantem sibi Deum venerabatur, Dominumque appellabat, & Iudicem vniuersæ terræ; atque ei tanta cum cordis humilitate loquebatur, vt diceret: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis*. Porrò Abraham, qui satis nouerat Sodomitas pessimos esse homines, nec dubitabat, tales ab Angelis qui illuc properabant, inuentum iri: misertus malorum ipsis imminentium, appropinquans Domino cum magno charitatis affectu, cœpit enixiùs rogare pro eis, vt saltem propter paucos iustos, qui ibi essent, aliis parcere dignaretur: verùm id obtinere non valuit. tanta erat vitiorum scelerumque ipsorum acerbitas. Vsqueadeò tamen placuit Domino illa Abrahami deprecatio, vt si decem iusti in Sodomis inuenti essent, ceteris ignoscere pararum se exhibuerit. atque his actis, rediit Angelus ille in cælum, officio nimirum suo functus; Abraham verò reuersus est ad tabernaculum suum, Genes. cap. 18.

ABRAHAM ORAT PRO SODOMITIS, ET CVR NIHIL OBTINEAT.

SODOMORVM INGENTIA SCELERA.

11. Quòd si quis quærat, quænam essent peccata adeò enormia Sodomorum, propter quę etiam rogante pro ipsis Abrahamo, veniam non meruerunt: audiat quid dicat Scriptura Genes. cap. 13. vers. 13. *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis*. legat Genes. cap. 19. vers. 5. quid cum ipsismet Angelis humana specie indutis agere vellent. audiat Apostolum Iudam in Epistola sua Catholica vers. 7. dicentem: *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram*. & (quod impudentius est) peccata sua, vt colligitur Isaiæ cap. 3. vers. 9. nec saltem celare curabant, sed magis prædicare non erubescebant; iuxta illud quod dicitur Prou. cap. 2. vers. 14. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*; vt meritò eis illud Psal. 51. vers. 3. exprobari posset: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Denique audiat prudens Lector, quid de Sodomitis dixerit Ezechiel cap. 16. vers. 49. *Ecce*, inquit, *hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius; & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me*. Idem ferè testatur Iosephus 1. Antiq. cap. 12. *Sodomitæ, ait, diuitiis & abundantia pecuniarum elati, tam in homines contumeliosi erant, quàm erga Deum impij: quippe qui neque beneficiorum eius meminerant,*

nerant, & hospites auersabantur. Sed hæc & huiusmodi fusiùs prosequitur Philo in lib. De Abrahamo, paulò vltra mediũ, ita scribens: *Sodomitarum regio, pars Chananeæ terræ, quam nunc Syri Palæstinã nominant, infinitis iniquitatibus referta, præcipuè propter ventris, libidinum, ceterarumq́; voluptatum studia, iam diuino calculo indicata fuerat. Immodicus autem ciuium luxus è superflua rerum copia habuerat originem: accedente enim ad bonitatem agri, aquarum commoditate omnis generis fructuum quotannis prouentus erat maximus. Est autem ingens malorum initium, (vt quidam non malè coniectans dixit) nimia bonarum rerum copia, quarum satietatem quidam non ferentes, tamquam iumenta lasciuiunt, à ceruice excussis naturæ Legibus, versi ad meracas potationes, cibos opiparos, & nefarias concubitus: nan solùm enim in feminas insaniendo corrumpebant alienos thalamos, sed & cum masculis rem habebant masculi, nil reueriti naturam communem, patrantibus & patientibus, & irritam genituram serentibus, nulla secutura progenie. Nec quidquam proficiebat reprehensio, violentis concupiscentiis coacta cedere; atque ita paulatim assuefacti viri muliebria pati, effeminatum morbum sibi conciliauerũt insanabilem: recepta enim in corpus feminea mollitie, animos etiam reddiderunt ignauissimas, quantum in ipsis erat, totum corrumpentes genus hominum. nam si Græci vnà cum Barbaris, has imitati, conspirassent in tales coitus; deserta fuissent omnes deinceps ciuitates, tamquam exhaustæ pestilentia.* hæc Philo. Non mirum est igitur, si Dominus Abrahami obsecrationes non admisit; sed perditos illos homines, non vulgari aliquo & vsitato, sed nouo atque inaudito, mirandúmque in modum horrendo affecit supplicio, vt paulò pòst suo loco videbimus.

12\. Sanè duo illi Angeli, qui sub humana specie priùs ab Abrahamo, vt suprà numero 10. dictum est, discesserant, cùm vespere illiusmet diei Sodomam peruenissent, eisque iustus Lot obuiàm factus, in domum suam illos diuertere compulisset, atque epulum tamquam peregrinis peramanter præbuisset: ecce pessimorum illorum ciuium concursus, à puero vsque ad senem, conspiratione facta in malum etiam auditu horrendum, ad viri iusti domum confluit, eamque vndequaque vallantes, exclamant pariter omnes, vrgentque educi iuuenes illos, quò in eos libidinem suam exercerent. Vide in quantam animi peruersitatem atque impudentiam deuenerant. Et certè *fuit summa ipsorum* (vt ait S. Ioan. Chrysostomus Hom. 43. in Genes.) *malitiæ conspiratio, vehemens malè agendi studium, inenarrabilis peruersitatis magnitudo, conatus nulla venia dignus. A iuuene vsque ad senem. Non solùm, inquit, iuuentus hæc mala requirebat; sed & prouectæ ætatis viri aderant, & omnis populus simul. Neque erubescebant tam turpe támque impudens flagitium, neque infallibilem oculum cogitabant, neque iustum reuerebantur, neque hospitibus parcebant: sed absque rubore, aperta, vt aiunt, capite, libidinis suæ verba dicentes, accesserunt: & vocata iusta, dixerunt ei: Vbi sunt viri, qui ingressi sunt ad te nocte? Educ eos vt abutamur eis.* sic S. Chrysostomus. His valde commotus Lot, egreditur, clauso post se ostio, & blandis verbis illorum insaniam sedare satagens, vt vidit se nihil proficere, in tantam incidit animi perturbationem, vt non satis expendens quid magis in tali casu expediret, præ nimio zelo seruandi hospites suos ab huiuscemodi iniuria, proprias potiùs obtulerit filias illudendas; quod sanè (vt arbitror) si pacato tunc fuisset animo, nequaquam facturum fuisse putandum est: quandoquidem dignoscere potuisset, se magis teneri filiarum pudicitiam quàm hospites à tali violentia seruare. Verumtamen placuit Deo, qui bonam sancti viri mentem intuebatur, nihil horum permittere: nimirum vt mali illi homines nihil de filiabus curarent; sed obstinatiùs in priori petitione persistentes, tandem ab Angelis cæcitate quadam percussi, ostium quod infringere affectabant, adinuenire non possent; atque hoc pacto spe sua frustrati, abire vnusquisque ad propria cogeretur, & sancti viri domum prorsus indemnem atque incontaminatam relinquere.

ANGELI A LOT HOSPITIO EXCIPIVNTVR.

A SODOMITIS NEFARIE EXPOSTVLANTVR.

SODOMITAE CAECITATE QVADAM PERCVSSI AD PROPRIA REDIRE COGVNTVR.

13\. Post hæc Angeli, qui putabantur homines, admonere cœperunt Lot de interitu ciuitatis; & vt, si quos haberet de suis, aut ad se pertinentes, curaret secum inde educere, ne perirent. Quod cùm Lot, domo egrediens, protinus nuntiasset iis, quibus filias suas iam desponderat; visus est eis ludicra & minimè credibilia narrasse. In crastinum autem summo manè instabant Angeli Lot suósque vt citò surgerent, atque exire festinarent; qui cunctari ac dissimulare videbantur, donec ab ipsismet Angelis manu ducti, vt egrederentur quodammodò compulsi sunt egressis verò de ciuitate præceperunt iidem Angeli ne retrò respicerent, sed ad montana properarent; quoniam totam Pentapolim, quæ in planitie erat posita, perdere volebant: verumtamen obsecrante Lot pro Bala, cuius fit mentio Genes. cap. 14. vers. 2. & 8. eò quòd inter Pentapolitanas ciuitates minima esset, & propterea fortassis etiam minus flagitiosa, peperce-

EDVCITVR LOT DE SODOMIS CVM VXORE ET FILIABVS.

Pepercit Dominus vrbi Balæ, quæ et Segor, in gratiam Lot.

runt vrbi illi, vt in ea Lot cum suis tutò se posset recipere; quæ idcircò posteà dicta est Segor, id est, Parua. Statim autem ac Lot, exorto iam sole, ingressus est Segor cum filiabus suis, vxore adhuc in via existente, vt mox dicemus; ecce Dominus, mirabili quodam & numquam prius audito portento, super reliquas quattuor Pentapolis ciuitates, Sodomam scilicet, & Gomorrham, Adamam, & Seboim (vt clarè exprimitur Deuter. cap. 29. vers. 23.) & super pagos ac municipia earum, cælitus pluit sulphurem & ignem sale admixtum, siue aquam sulphuream salsamque & feruentem, tanto impetu atque copia, & non sine ingenti (vt creditur) terræmotu, qui patefacta terra, absorptisque ciuitatibus, lacum illum ibi dirum atque pestiferum effecit, de quo infra dicemus: vt sic vniuersa illa regio penitus exusta & subuersa extinctaque sit in momento, quemadmodum dicitur Threnorum cap. 4. vers. 6. & quæ prius erat omnium amœnissima ac fertilissima; (siquidem tota irrigabatur aquis saluberrimis ac fecundissimis, sicut Ægyptus, & olim Paradisus terrestris, vt legimus Genes. cap. 13. vers. 10.) statim versa sit in salsuginem, iuxta illud Psal. 106. vers. 34. *Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* id est in Mare salis, vt apertè dicitur Genes. cap. 14. vers. 3. in editione Vulgata, & idem ex aliis versionibus colligi potest, & sentiunt Iosephus 1. Antiq. cap. 10. & beatus Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Gen. & est communis opinio, quam etiam defendit Pererius aduersus Caietanum & Oleastrum, super cap. 14. Genes. num. 12. & 13. Et ex eo etiam confirmari potest, quòd Genes. cap. 10. vers. 19. vbi ponuntur fines terræ Chanaan Orientales, memorantur prædictæ ciuitates, Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim, quæ tunc nondum subuersæ fuerant, & nulla prorsus fit mentio dicti lacus seu maris, tamquam tunc nondum existentis. Nec obstat, quæ fieri posset de priori exitu atque exoneratione Iordanis, obiectio: quia ipse poterat, vel tunc in plures alueolos & canales multifariàm subdiuisus, in varias terrarum irrigationes absumi: vel (quod magis reor) etiam demum aliquo hiatu recipi, & per subterraneos meatus ad Mare rubrum, non valdè inde remotum, deuehi, quemadmodum nunc quoque fieri credibile est, alioqui non posset ille lacus, vndique conclusus, & nusquam exuberans, Iordanis aquas per tot sæcula iugiter confluentes continere.

Quattuor Pentapolis vrbes cælitus absorptas et in mare salis conversas.

De terra Sodomitica, ex Iosepho.

14. De hoc lacu, ac de eius amplitudine, vide quæ scripta reliquit Iosephus lib. 5. de Bello cap. 5. vbi post descriptam naturam lacus, Asphaltitis, in quem magna ex parte redacta est terra illa quondam cælitus combusta, subiungit: *Huic Sodomitica terra vicina est; olim quidem tam fructibus quàm diuitiis ciuitatum fortunata, nunc autem omnis exusta; vt quæ habitatorum impietate fulminibus conflagrasse memoratur. Denique adhuc in ea diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres; qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium verò manibus in fumum dissoluuntur & cinerem.* sic Iosephus. De eodem quoque Mari Brocardus, testis oculatus, primæ partis cap. 7. §. 35. hæc ad verbum refert: *Mare mortuum,* inquit, *semper est fumans & tenebrosum, sicut os inferni, sicut oculis meis vidi, ob tetrum vaporem inde fumantem. Vallis illa, qua in Genes. cap. 14. illustris dicta est, & verè sic erat, à termino huius maris, secus desertum Pharan, vsque supra Iericho per mediam dietam, ferè sterilis & inutilis reddita est, ita vt ne germen quidem producat in sui latitudine, qua alicubi quinque leucarum est, alibi sex: præterquam iuxta Iericho, vbi cannemella, & horti, & viridaria sunt, irrigante fonte Elisei. Tanta verò calamitas ei regioni accidit, in execrationem peccati Sodomorum, quod Deus tot sæculis vlciscitur, vt etiam regio ipsa pœnas luere perpetuò videatur. A dextris insuper & à sinistris, montes steriles sunt & aridi, vel barbara habitationes, per multa & longa terrarum stadia, quatenus scilicet exitialis ille vapor, impellente vento, pertingere potest.* hæc Brocardus. Ex quibus satis patere potest, cur prædictus lacus, qui in Scripturis sanctis more Hebraico dicitur Mare, aliquando dicatur Mare mortuum; nimirum quia propter pestilentem eius naturam nullus in eo piscis, sed nec aliud vllum animal viuere queat; quare aiunt, Iordanis pisces, vt primùm ad ipsum perueniunt, vel illicò retrocedere, vel protinus mori: & cur aliquando appelletur Mare salis, siue salsissimum; nempe propter eminentissimum salsedinis saporem, non quidem sincerum; sed nitrosum, & ob sulphuris mixtionem, abominabilem. item, cur quandoque etiam nuncupetur Mare solitudinis; videlicet non solùm, quia propter tetrum illum perniciosumque vaporem, quem perpetuò exhalat, nauigari non valeat; sed etiam, quia secus ipsum per aliquot stadia, vt dictum est, habitari non possit. Ex dictis quoque colligi potest, quàm rectè dicta regio, vel potiùs terribilis illa prædictarum gentium punitio, ipsi inferno & damnatorum supplicio comparata fuerit, dicente Apostolorum

De lacu seu mari mortuo, vel salsissimo.

Prin-

Principe Epistola 2. cap. 2. verſ. 6. ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redactas, & euerſione damnatas, & in exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, poſitas. Et clariùs Apoſtolo Iuda in ſua Catholica ver. 7. atteſtante, eas factas eſſe exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes. Puto autem, memoratam dictæ regionis infelicitatem ſic vſque ad mundi finem permanſuram, vt in cunctis futuris generationibus innoteſcat fœda illarum ciuitatum iniquitas, & horrenda eius punitio ad æternam ipſarum confuſionem & ignominiam, atque ad aliorum correptionem. Vnde eſt illud Sapien. cap. 10. verſ. 7. *Quibus* (& loquitur ibi de Pentapolitanis) *in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores.* hoc eſt (vt ibidem exponit Ianſenius) imperfecta vel inconſummata pulchritudine & maturitate fructificantes arbores, quemadmodum ex Ioſepho paulò ſuperiùs declaratum eſt. Sed iam tempus eſt, vt ad hiſtoriæ continuationem reuertamur.

VXOR LOT QVANDO ET CVR IN SALIS STATVAM VERSA.

15. Sane certum eſt, prædictæ regionis ſubuerſionem non priùs accidiſſe, quàm Lot ingreſſus eſt Segor, vt patet Geneſ. cap. 19. verſ. 23. & ex verbis Angeli verſ. præcedenti dicentis, *Quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc.* Igitur vxor ipſius Lot, quæ ſimul cum viro & filiabus non ingreſſa erat Segor, ſed retrò remanſerat, lento gradu virum ſecuta, quòd fortè non libenter, ſed ægrè admodum, præ modica fide Angelis adhibita, domum ſuam reliquiſſet; audiens horrendum illum ignis fragorem de cælo cadentem, & retrò reſpiciens; propter eius inobedientiam, vel potiùs ob incredulitatem, ex qua proceſſit inobedientia, vt colligitur illis Sapientiæ verbis cap. 10. v. 7. *Et incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.* illicò verſa eſt in ſtatuam ſalis, ad exemplum illorum, qui de hoc ſæculo nequam à Domino vocati, & magno ipſorum beneficio quodammodò exire compulſi, ad ſæcularia redire præſumunt; de quibus dicebat Dominus Lucæ cap. 9. in fine: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* & cap. 17. verſ. 31. cùm de iiſdem dixiſſet: *Qua die Filius hominis reuelabitur; in illa hora, qui fuerit in tecto,* (hoc eſt, in ſublimium ac diuinarum rerum contemplatione) *non deſcendat:* (id eſt, non ſe dimittat ad ſenſualia proſequenda.) *& qui in agro,* (nimirum per vitam actiuam in ſeminando verbo Dei occupatus) *ſimiliter non redeat retrò.* ſtatim ſubiungit: *Memores eſtote vxoris Lot.* quaſi inſinuare hoc exemplo volueat, à via Dei non modò opere & reipſa, ſed nec aſpectu aut deſiderio eſſe retrocedendum. Appoſitè autem hæc mulier verſa eſt in ſtatuam, non marmoream aut æream, ſed petræ ſalis, vt (quemadmodum ait Rupertus in Geneſ. libro 6. cap. 12.) eius memoria proficeret ad ſapientiam. Cùm enim certum ſit, eos qui ad ſtultitiam ſuam, ſicut canis ad vomitum, redeunt; ſibi ipſis quidem, veluti ſimulacra muta, inutiles atque inſenſatos effici, ſed aliis prodeſſe plurimum, qui eorum exemplo & damno commoniti corriguntur: quis non videt, quodammodò aſſimilari petræ ſalis, quæ in ſe inſenſibilis cùm ſit, & ſibi ipſi inutilis; animalibus tamen ea lingentibus palatum ſapidum reddit, & edendi auiditatem reparat? De hac ſtatua ita ſcribit Brocardus 1. parte cap. 7. §. 34. *Poſt Ieriche, contra Auſtrum, eſt Segor oppidum, in quo ſeruatus eſt Lot, quando ſubuertit Dominus Sodomam. Sita eſt autem Segor ſub monte Engaddi, inter quam & Mare mortuum, eſt ſtatua ſalis, in quam conuerſa eſt vxor Lot. quam ego ſtatuam vt viderem, ingentes ſubij labores itinerum; nec tamen explere deſiderium meum potui: ſiquidem incolæ retulerunt mihi, locum illum eſſe inacceſſibilem, vel certè non ſine mortis periculo adiri poſſe, propter feras immanes, & ſerpentes; præcipuè autem propter Beduinos eius loci habitatores, homines perquam inhumanos, peſſimorumq́; morum.* hucuſque Brocardus.

CVR LOT DE SEGOR IN MONTEM SECESSERIT

16. Ceterùm memorata Sodomæ vicinarumque ciuitatum ſubuerſio & incendium (quod etiam Abraham de longè, nimirum de agro Hebron, intuitus eſt, videns aſcendentem fauillam de terra, quaſi fornacis fumum, vt dicitur Geneſ. cap. 19. verſic. 28.) vſqueadeò terruit etiam ipſum Lot in Segor exiſtentem, vt immemor, vel potiùs parum credulus promiſſioni Angelorum, de ſeruanda in gratiam ſui Segor, veritus ne & ipſa eodem modo interiret, decreuerit inde cum filiabus exire, atque ad montes, quò tutior eſſet, aſcendere. Huius timoris cauſam inueſtigans B. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis in Geneſ. *Quæritur*, inquit, *quare cùm primùm fugæ montis, Segor prætulerit, & eam in habitaculum ſuum voluerit liberari; nunc de Segor rurſum ad montem migret? Reſpondebimus, veram eſſe illam Hebræorum coniecturam de Segor, quòd frequenter terræmotu ſubruta, Bale primùm, & poſteà Saliſſa appellata ſit, timueritq́; Lot, dicens: Si cùm ceteræ adhuc vrbes ſtarent, ipſa ſæpè ſubuerſa eſt; quanto magis nunc, in communi ruina, non poterit liberari? Et hanc occaſionem infidelitatis, etiam in filias coitus dediſſe principium: qui enim ceteras viderat ſubrui ciuitates, & hanc ſtare, ſeq́; Dei auxilio erutum,*

DE VRBE SEGOR, QVAE ET BALE, ET SALLISSA.

vtique de eo, quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit. sic B. Hieronymus. Itaque Lot, assumptis filiabus & ad vitam necessariis, cùm ascendisset ad montem, & sese in speluncam recepisset, suspicantes filiæ, ne (quod fortè à maioribus suis aliquando futurum audierant) totus mundus ignis conflagratione, quemadmodum aliàs diluuio, tunc extinctus esset, ipsis dumtaxat & patre suo, singulari Dei beneficio, exceptis: cogitauerunt quomodo pro mundi reparatione possent ex patre prolem habere; siquidem tale quid ei indicare erubescebant. Quare consilio inter ipsas inito, de patre semel atque iterùm inebriando, vna post alteram cum eo clàm accubantes, ambæ de ipso conceperunt, illo præ nimia somni profunditate non aduertente quid faceret, vt signanter ad ipsius Lot excusationem Scriptura sacra adnotauit Genes. cap. 19. ver. 33. & 35. & hoc fieri potuisse, non est incredibile, vt perperàm putarunt Hebræi, & refert B. Hieronymus vbi suprà; quoniam certum est, quosdam in somnis surgere, percutere, iter facere, quin etiam equitare, & plura alia patrare, quæ mox expergefacti egisse prorsus ignorant. Et ego ipse non semel narrantes audiui de quodam patris mei famulo, qui quadam nocte dormiens de stratu surrexit, & arrepto euaginatoque ense cubiculum egressus, cùm quendam palearum aceruum offendisset, illicò exclamans illum acriter admodum, ac si inimicum occideret, percutiebat: dein quasi hoste interempto, rediens in cubile, somnum continuauit: mane autem facto, à domesticis, qui cuncta audierant, interrogatus, nihil tale, quod sciret, se fecisse affirmabat. Quare si hæc in somnis fieri possunt: multò magis credendum est, potuisse Lot, præsertim arctiùs ebrietate sopitum, cum filiabus, nesciens quid faceret, rem habere. Denique certum est, quòd his non obstantibus, Scriptura sacra Sapien. cap. 10. vers. 6. vocat Lot iustum illis verbis: *Hæc* (nimirum Sapientia, de qua ibidem loquitur) *iustum à pereuntibus impiis liberauit fugientem, descendente igne in Pentapolim.*

CVR FILIAE LOT PATREM FALLERE COGITAVERINT.

EXCVSATVR LOT AB INCESTV TAM QVAM MATERIALITER TANTVM PERPETRATO.

CVR ABRAHAM TRANSFERAT DOMICILIVM SVVM IN GERARAM.

17. Non multò pòst recessit Abraham à conualle Mambre; siue vt longiùs fieret à maligno illo halitu, qui post Sodomæ ac finitimæ regionis sulphureum incendium de Mari mortuo, quandoque à ventis illucusque deferri cœperat: siue ob famem ibidem exortam (illam fortasse, cuius fit mentio Genes. cap. 26. vers. 1.) & magis ad Australem plagam profectus, habitauit tamquam peregrinus inter vastas duas solitudines, scilicet inter desertum Cades & desertum Sur, nimirum in Geraris terra Philisthinorum, in qua eo tempore regnabat Abimelech. Est autem Cades desertum in Arabia, super vrbem Petram, vt dicitur in lib. de Locis Hebraicis, in verbo Sur: Sur autem desertum sese extendit vsque ad Mare rubrum, quod ad Ægypti confinia peruenit; & fortè alio nomine dicitur etiam desertum Etham, vt sub anno mundi 2544. num. 30. dicemus. Porrò in Geraris accidit Abrahamo iterùm, quod aliàs eidem euenerat in Ægypto, nimirum propria vxòre à Rege spoliari. Nam quia ipse Abraham, ex quo de terra natiuitatis suæ exierat, ne in peregrinationibus suis ob insignem Saræ pulchritudinem ab alienigenis interficeretur, propriæ saluti consulens, ita cum ea conuenerat, vt ipsum illa fratrem, ipse verò eam sororem appellaret: Abimelech, nesciens esse coniuges, tulit Saram, vt eam sibi duceret vxorem. Verumtamen Deus, qui Abrahami, & omnium quæ illius erant, protectionem numquam pro sua pietate deseruit; & qui non ignorabat, Abimelechum eam tulisse non peccandi libidine, sed simpliciter, vt aduenæ sororem sibi coniugio copularet: illo in somnis per visionem perterrito, & admonito quòd Abrahæ vxor esset, iussit eam reddi: qui statim accersito Abrahamo, & conquestus quòd sororem dixisset esse, non coniugem, illam cum amplissimis muneribus intactam libentissimè dimisit. Quamobrem, orante Abrahamo, sanauit Dominus ipsum Regem ab infirmitate sua, & vxorem atque ancillas eius à pariendi impotentia, quam, ob sublatam Saram, diuina dispensatione incurrerant, vt latè describitur Genes. cap. 20. per totum.

DE DESERTO CADES ET SVR.

ABIMELECH SARAM ABRAHAMO AVFERT, SED

INTACTAM VIRO SVO REDDIT.

ABRAHAMVM ESSE PROPHETAM.

ADVLTERIVM SEMPER PRO GRAVI PECCATO FVISSE REPVTATVM ET PVNITVM.

¶ 18. Sanè in eodem Geneseos cap. præter prædicta, alia quoque inueniet Lector scitu digna, nempe, Abrahamum ab ipsomet Domino nominatum declaratumq; fuisse Prophetam, hoc est, Dei mysteria cognoscentem ac videntem, & veluti ipsiusmet Dei intus oracula dictantis fidum interpretem, & consequenter virum valdè sapientem ac sanctum, & ipsi Deo valdè charum. Item ex illa Abimelechi querimonia, *Quia induxisti super me, & super regnum meum, peccatum grande;* satis apparet, etiam ante Legem Moysaicam & Euangelicam, & in summa nullo vmquam tempore non fuisse manifestum hominibus recta ratione vtentibus, adulterium, graue esse peccatum, vtpote quod non solùm Deo valdè displiceat, sed etiam proximum grauiter admodum offendat: vt propterea mirum non sit, si vbique gentium, in huius peccati vltionem, grauissimas

uissimas Deus permiserit vel etiam induxerit calamitates, non solùm Regibus, qui illud perpetrare ausi sunt, sed etiam eorum subditis & populis: nam notum est, ob Paridis cum Helena adulterium, Troianum regnum funditus interiisse, & ob illud Tarquinij cum Lucretia, regiam potestatem ac dignitatem apud Romanos cessasse: & scimus Dauidem, alioqui tantopere Deo charum, innumeris pænè afflictum malis ob tale peccatum cum Bethsabee commissum, quæ mala eidem compendio prædicta sunt per Nathan Prophetam, 2. Regum cap. 12. vers. 10. vsque ad 13. Colligitur præterea ex cap. Genes. citato, vetustissimum fuisse vsum numismatum argenteorum, quorum prænotato capite primùm in sacris Scripturis fit mentio. Et denique, quod valde mirum dictu videtur, Saram, tametsi nonagenariam, adeò fuisse pulchram visu & decoram, vt etiam tunc ab Abimelecho Rege concupisci potuerit. cuius rei multiplices sanè à Doctoribus adferri solent causæ: nimirum, quia ipsa naturaliter optimo erat temperamento, & membrorum conformatione admodum proportionata & commensurata: insuper, quia numquam grauida fuerat, numquam pepererat, numquam lactauerat. adde, quòd multis antea annis, videlicet ex quo se sterilem certò esse intellexerat, de consensu viri, à coniugali copula abstinuerat, vt quidam colligunt ex illis Genes. cap. 18. vers. 12. verbis: *Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Quæ omnia ad naturalem corporis pulchritudinem diutiùs tuendam & conseruandam plurimùm conferre, dubium non est; quemadmodum quotidiano constat experimento, oppositas causas, nempe debilem corporis habitudinem, frequentem vsum copulæ, & sæpius perpessas vtero gerentium & partus & lactantium molestias, citiùs eneruare vires, accelerare senium, & ipsius senij rugas ac deformitates. Quamquam illud etiam non est prætereundum, quòd etsi Sara tunc esse cœperat nonagenaria, tamen illa ætas, respectu totius vitæ suæ, quæ fuit annorum centum viginti septem, parum excesserat duas totius vitæ suæ partes: quare, habita proportione ad communem nostri temporis mulierum vitam, quæ ad annos circiter septuaginta extendi solet, videtur Sara in ea tunc dispositione extitisse, quæ hodie reperitur in quadragenaria muliere: constat autem, plures huiusmodi esse admodum formosas & elegantes.

VSVS NVMISMATVM ARGENTEORVM VETVSTISSIMVS.

CVR SARA NONAGENARIA ADEO ESSET PVLCHRA.

☞ 19. Eodem quoque anno vitæ Abrahami centesimo iam inchoato, nimirum mense, vt arbitror, illius anni quarto circiter ineunte, Sara speciali diuinæ bonitatis beneficio, de viro suo Abrahamo concepit, Genes. cap. 21. vers. 1. iuxta promissiones Domini eidem & viro suo factas, vt suprà num. 8. dictum est.

ISAAC CONCIPITVR.

20. Mense circiter (vt reor) eiusdem anni decimo, de duabus prædictis filiabus Lot, ex incestu cum patre, de quo suprà num. 16. egimus, nati sunt duo filij, videlicet de prima; qui dictus est Moab; de altera Ammon: ex quorum progenie deinde post multa tempora prodierunt ab iis denominati Moabitæ & Ammonitæ, populi admodum potentes, qui regiones trans Iordanem occuparunt, expulsis inde aliis populis natura robustissimis: siquidem Moabitæ, Deo fauente, expulerunt Emim, de quibus legimus Deuteronom. cap. 2. vers. 10. *Populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi gigantes, crederentur, & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim.* Ammonitæ verò expulerunt Zomzommim, de quibus ibidem vers. 20. habemus: *Terra gigantum reputata est, & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus, & multus, & procera longitudinis, sicut Enacim, quos deleuit Dominus à facie eorum, & fecit illos habitare pro eis.* sic ibi. Hos Scriptura Genes. cap. 14. vers. 5. vocat Zuzim.

ORTVS FILIARVM LOT, VIDELICET MOAB, ET AMMON.

ORIGO MOABITARVM ET AMMONITARVM, ET EORVM GESTA.

EMIM GIGANTES.

ZOMZOMMIM GIGANTES.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2139. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 27.

1 ANNO proximo circiter inchoante, quando scilicet Abraham iam expleuerat centesimum vitæ suæ annum, & centesimum primum inchoare cœperat; Sara verò nonagesimo impleto, ingressa erat nonagesimum primum: natus est eis puer, eo anni tempore, quo superiori anno eis prædictus erat à Domino, nimirum æstiuo tempore: quem, vt idem Dominus imperauerat, Abraham appellauit Isaac, & octauo die circumcidit, lactabatque eum Sara mater sua, Genes. cap. 21. vers. 1. vsque ad 8. Rectè autem putat B. Chrysostomus Homil. 45. in Genes. idcircò Scripturam sacram mentionem fecisse, non partus Saræ tantùm, sed etiam lactationis, ne propter vtriusque parentis, præcipuè verò ipsius Saræ senectutem, quis suspicari posset, partum illum fuisse suppositicium, non naturalem: etenim, si Sara propriis vberibus lactabat filium;

ORTVS ISAAC.

filium; necesse erat ipsam reuerà peperisse: non enim lac solet aduenire mulieribus, nisi partus præcedat. Nam ipsa natura, vel potiùs Deo naturæ auctore sic dispensante, maternus ille sanguis, quo fetus per vmbilici sui venas nutriebatur in vtero matris, post partum, ad mamillas naturaliter recurrit, ibique lactis formam induit, ita vt per papillas ab infantis ore sugi commodè possit. B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genes. putat Ismaëlem fuisse tredecim annorum quando natus est Isaac: sed fallitur; nam Ismaël impleuerat decimumtertium annum, non quando natus est Isaac, sed quando ipse Ismaël fuit circumcisus, vt expressè habemus Genes. cap. 17. vers. 25. constat autem ex eodem capite, Abrahamum ipsomet die, quo acceperat præceptum circumcisionis, illud in se & in tota domo sua impleuisse; & Deum, quo die dedit Abrahamo præceptum circumcisionis, etiam prædixisse, nasciturum ei filium de Sara, nomine Isaac, per idemmet tempus anni insequentis; vt etiam ex his, quæ nos sub anno mundi 2138. num. 2. 3. & 4. diximus, manifestum est. ergo oportet Ismaëlem impleuisse annum decimumquartum, & ingredi cœpisse decimumquintum, quando natus est Isaac, vt in nostris tabulis apparet.

CYRIAC IN MVLIERI-BVS SVPPONAT PARTVM PRÆCESSISSE.

DE ISMAËLIS ÆTATE QVANDO NATVS EST ISAAC.

ABORBE CONDITO ANNVS 2144.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 32.

1 ANNO quinto vitæ Isaac, & Ismaëlis decimooctauo exactis, nimirum inchoante sexto Isaac, & decimonono Ismaëlis, putat B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genes. ipsum Isaac fuisse ablactatum, & delusum à fratre suo Ismaële; quod & innuit Beda super Actorum cap. 7. Sed reuerà annus sextus vitæ Isaac non cum decimonono, vt ponit B. Hieronymus, sed cum vigesimo Ismaëlis concurrit, vt videre est in tabulis. Igitur hoc anno (quemadmodum etiam sentiunt, Auctor Commentarij in vndecim Pauli Epistolas, qui sub nomine S. Hieronymi circumfertur, super cap. ad Galatas 4. & Matthæus Beroaldus in sui Chronici lib. 3.) Sara ablactauit filium suum Isaac: & Abraham in die ablactationis eius, iuxta laudabilem, vt credibile est, consuetudinem, siue inter suos, siue inter eos, in quorum terra ipse tunc habitabat, vigentem, fecit grande conuiuium, Genes. cap. 21. vers. 8. Accidit autem non multò post quadam die, vt videret Sara Ismaëlem ludentem, hoc est (quemadmodum interpretatur Apostolus ad Galatas cap. 4. vers. 29.) persequentem: siue (vt alij exponunt, & in idem recidit) iurgantem atque altercantem cum filio suo Isaac; fortè autem ipse Ismaël, tamquam natu maior, videbatur sibi primogenita vindicare; fratrem verò, vtpote minorem, quodammodò despicere & malè tractare. Hæc iniquius ferens Sara, & considerans ingenium pueri, & naturà plus iusto audacem, & verita ne, quod credibile erat, crescente ætate ipsius Ismaëlis, pariter quoque cresceret eius audacia aduersus ipsum Isaac, & ne propterea aliquando (matre præsertim Agar impellente, quam sibi infensam iam experta fuerat) eum paterna hereditate spoliare attentaret: vehementi quodam acta spiritu, eueurrit ad virum, & ait ei: *Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Quod primò quidem durè admodum accepit Abraham, paterno quippe affectu statim commota sunt viscera eius pro filio suo Ismaële, quem etiam diligebat valdè: verumtamen à Deo (quæ fuit septima ipsius Dei apparitio, seu sermocinatio cum eo habita) admonitus, vt in hac re Saræ obtemperaret, non acquieuit carni & sanguini, sed datis ipsi Agar, prout Sara voluit, tantummodò ad vitam necessariis, nimirum aliquot panibus, & vtre aquæ pleno, eiecit eam cum filio Ismaële, diuina fretus promissione, cuius nos sub anno mũdi 2138. num. 2. meminimus, de ipso Ismaële non solùm conseruando, sed etiam augendo ac multiplicando. Vtrùm verò admittendum sit quod ait Abulensis, nempe, Abrahamum posteà eis subuenire non omisisse, mittendo per seruos suos opportunis temporibus quæ opus essent; & tandem, sub finem vitæ suæ, etiam ipsi Ismaëli dedisse munera. dicimus, de muneribus quidem nihil esse dubitandum, quemadmodum nos sub anno mundi 2179. num. 2. & 5. probabimus: quod verò attinet ad priorem subuentionem, non videtur verisimile, quoniam constat, puerum pænè siti interiisse, nisi Deus per Angelum mirabiliter ostendisset matri eius puteum, vt paulò pòst dicemus. Quare verius crediderim, Abrahamum simpliciter voci Domini obedire voluisse, sperans illum puero simul & matri prouisurum: quemadmodum, quando posteà (vt suo loco dicetur) voluit, iubente Domino, filium suum Isaac immolare, prorsus commisit diuinæ prouidentiæ atq; omnipotentiæ modum adimplendi promissionem sibi à Deo factam, de sui seminis multiplicatione.

ABRAHAM CONVIVIVM FACIT IN DIE ABLACTATIONIS ISAAC.

SEPTIMA DEI SERMOCINATIO CVM ABRAHAMO.

ABRAHAM EIICIT ISMAELEM FILIVM DE DOMO SVA.

AGAR ET ISMAEL MIRA PVTEI OSTENSIONE REFOCILLATI.

2. Itaque Agar de domo Abrahæ cum filio Ismaële eiecta, errabat per solitudinem Bersabee, & vt consumpsit quam in vtre tulerat aquam, videns puerum siti admodum laborare, posuit eum subter vnam arborem, ipsa verò inde recessit, quantum iactus est arcus, ne puerum siti morientem aspiceret: exaudiuit autem Deus clamorem flentis pueri, ac miserando ploratu, (non secùs ac pulli coruorum) diuinam opem inuocantis; & misertus eorum, matri per Angelum demonstrauit puteum aquæ dulcis, quo possent ambo sitim extinguere: & insuper promissionem ipsi Agar iampridem factam, de eodem Ismaële conseruando, augendo ac multiplicando, iterùm confirmauit. Quare sic à Domino lætificata Agar, atque aquæ potu recreato filio, mansit cum eo in solitudine, qui cùm creuisset, factus est sagittarius, & habitauit in deserto Pharan: accepitque ei mater sua vxorem Ægyptiam, Genes. cap. 21. vers. 14. vsque ad 22. Genuit autem posteà Ismaël duodecim filios, qui deinceps multiplicati sunt valdè, vt sub anno mundi 2261. dicemus.

DE VRBE BERSABEE.

3. At verò Abraham, post eiectos de domo sua Agar & Ismaëlem, piè ab Abimelech Rege Geraræ requisitus, iniit cum eo fœdus ad quemdam puteum, quem foderant serui Abraham, & serui Abimelech ipso inscio occupauerant: qui posteà puteus Bersabee dictus est, quod interpretatur Puteus septem, siue iuramenti; quia nimirum pro eo Abraham dedit ipsi Abimelech, tamquam domino terræ illius, agnas septem; & vterque ibi iurauit alteri non nociturum. Ex quo deinde factum est, vt non modò puteus ille, sed etiam propinqua ciuitas, quæ & ipsa erat Palæstinorum, & non longè aberat à Gerara, postmodum nuncupata sit Bersabee. & hæc posteà temporibus Iosue cecidit in sortem tribus Simeonis, vt patet Iosue cap. 19. vers. 2. Quamuis eiusdem libri cap. 15. vers. 28. videatur recensita inter vrbes tribus Iuda. Quod ideò factum creditur, non quia propriè ad tribum Iuda pertineret; sed quia Simeoni data est sors in medio filiorum Iuda, vt apertè dicitur initio citati capitis 19. & notatur etiam in lib. de Locis Hebraicis, vocabulo Bersabee. Fuit autem hæc ciuitas olim in confinio Australi Terræ sanctæ, vt in tabula Descriptionis eius videri poterit, & distabat ab Hebron viginti milliaribus, vt dicitur loco citato de Locis Hebraicis. Igitur prope Bersabee habitauit Abraham multis annis, & plantauit ibi nemus, hoc est multas arbores fructiferas, in modum nemoris, & inuocauit ibi nomen Dei æterni, nimirum, in eo nemore non solùm ipse diuinis laudibus ac sacrificiis celebrandis, necnon diuinarum rerum meditationi vacare solebat; sed etiam (vt tradunt Hebræi, & scriptum reliquerunt Abulensis super cap. Genes. 21. & Trago Ierosolymitanus, & alij) ibidem peregrinos hospitio frequenter susceptos ad Dei laudes inuitabat, ac optimis illarum arborum fructibus reficiebat; nihil aliud in pretium exigens, nisi vt summum cæli terræque conditorem ac rectorem agnoscere colereque studerent; cuius nempe donum est, quidquid comedissent ac bibissent: sic veram religionem edoctos, & ad melioris vitæ instituta conuersos, dimittebat. Et hæc ferè sunt, quæ traduntur Genes. cap. 21. vers. 22. vsque ad finem capitis. Sed hîc aduertere oportet, quòd S. Augustinus quæst. 56. in Genes. de prædicta nemoris plantatione agens, *Quæri*, inquit, *potest, quomodo ad puteum iuramenti agrum plantauerit Abraham, si in terra illa, quemadmodum Stephanus dicit, non acceperat hereditatem, nec spatium pedis? Sed ea est intelligenda hereditas, quam Deus munere suo fuerat daturus, non empta pretio. Intelligitur autem spatium circa puteum ad illud emptionis pactum pertinere, in quo fuerant agnæ septem datæ, quando Abimelech & Abraham sibi etiam iurauerunt.* sic S. Augustinus. Verumtamen, quia illæ septem agnæ non videntur fuisse pretium satis proportionatum pro illo agro, in quo Abraham plantauit lucum; & eædem agnæ non dicuntur datæ in pretium, sed in testimonium, quòd ipse Abraham foderat puteum illum, vt apertè traditur ibidem cap. 21. vers. 30. propterea fortassis præstat dicere, Abrahamum non possedisse dictum agrum titulo hereditario, neque titulo emptionis, sed tamquam cōductorem & colonum ad aliquot annos, vt disertè & conceptis verbis exprimitur in fine citati capitis, vbi de ipso Abrahamo dicitur: *Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis*. id est, per plures annos, vt ex infrà sub anno mundi 2163. num. 3. & 4. dicendis colligi poterit. Ecce quòd terra illa erat Palæstinorum, non Abrahami, qui nō dominus, sed colonus terræ illius, non perpetuò, sed ad tempus fuisse perhibetur. Fortasse autem merces, siue pretium dictæ conductionis inter ipsos conuentum, fuerunt boues illæ & oues, quas Abraham Genes. cap. citato vers. 27. dedisse dicitur ipsi Abimelech quando percusserunt ambo fœdus: non enim alia huius traditionis causa ibidem excogitari posse videtur. Ceterùm quod attinet ad memoratam Bersabee vrbem, scire oportet, in ipsa posterioribus temporibus con-

QVID AGERET ABRAHAM IN NEMORE A SE PLANTATO.

ABRAHAM FVERIT NE DOMINVS NEMORIS, QVOD PLANTAVERAT.

stituta

IN BERSABEE QVAN DOCOLEREN TVR IDOLA. stituta cultaque aliquando fuisse ab Hebræis idola, vt planè colligitur Amos cap. 5. vers. 4. & 5. vbi legimus Dominum hæc ad Israëlitas dicentem: *Quærite me, & viuetis; & nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Bersabee non transibitis*. Cùm enim Dominus æquipararet ipsam Bersabee alijs duabus vrbibus, in quibus palàm idola colebantur; proculdubiò datur intelligi, quòd etiam in Bersabee vigebat cultus idolorum. Et hoc quoque asserit S. Hieronymus, qui super citata Prophetæ verba, *Et in Bersabee non transibitis*, ait: *Vbi si quando errabat tribus Iuda, idola adorare consueuerat.* Quæ verba vtique accipienda sunt specialiter dici de tempore quo prophetabat ipse Amos, quando scilicet tribus Simeonis, in qua erat Bersabee, iam ex multo tempore, (vt patebit ex his quæ sub anno mundi 3060. num. 3 dicemus) segregata à duabus tribubus, Iudæ videlicet & Beniamin, sese inter reliquas nouem tribus disseminauerat, & vrbs Bersabee ad Iudæos transierat; & quando (vt vbi suprà S. Hieronymus prosequitur) *in tantum simulacrorum cultu furebat Israël, vt nequaquam contentus idolis suis, ad aliena transiret*. Alioquin dici non posset, quòd Israëlitæ eundo in Bersabee idolorum colendorum causâ, irent ad idola aliena: siquidem tribus Simeonis inter decem tribus Israëliticas computabatur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2156. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 44.

SEM MORITVR. QVOD SEM FVERIT MELCHISEDECH. 1 ANNO ætatis suæ sexcentesimo circiter impleto, Sem mortuus est, Genes. cap. 11. vers. 10. & 11. Iste Sem, vt nos sub anno mundi 2118. num. 8. & 9. diximus, & scribit etiam Isidorus in lib. De vita & morte Sanctorum, creditur à multis fuisse, qui posteà dictus est Melchisedech, Rex Salem; quæ olim erat vrbs parua, & proxima monti Moria; postmodum verò dicta est Ierusalem, & adeò aucta ac dilatata fuit, vt plures in se montes contineret, & illum præsertim, qui dictus est Moria, in quo Salomon templum ædificauit. Porrò Melchisedech eumdem fuisse cum Sem filio Noë, communior Hebræorum opinio est, quam ex multis trahunt coniecturis: nimirum, quia ex magis probata temporum ratione clarum est, ipsum Sem peruenisse vsque ad tempora Abrahę. Item, quoniam pro certo habent, Sem, ex eo quòd esset caput non solùm familiæ magnæ, sed & multarum gentium, consequenter etiam fuisse Sacerdotem, iuxta morem antiquum. Ad hæc, quia putant Iudæi regionem (vt nos sub anno mundi 930. num. 4. & sub anno mundi 1909. num. 2. diximus) priùs à Noë assignatam fuisse ipsi Sem & posteris eius; sed mox à Chananæis fuisse pulsos. Et denique, quoniam tenent, Melchisedech non esse nomen viri proprium, sed veluti cognomen inditum dicto Sem ab hominibus, ex consideratione eximiæ cuiusdam iustitiæ, quæ in eo eminentissimè relucebat, præsertim in gubernanda vrbe Salem, quæ posteà à Iebusæis occupata, dicta est Iebusalem, seu, vt communiter dicitur, Ierusalem: propterea namque putant Hebræi, ipsum Sem posteà cognominari cœpisse Melchisedech, quæ vox, vt dicitur ad Hebræos cap. 7. vers. 2. interpretatur Rex iustitiæ. Et hoc admodum esse probabile, nos pluribus alijs huiuscemodi exemplis sub anno mundi 2118. num. 6. comprobauimus.

OBIECTA. Quòd si quis opponat, loco ad Hebræos proximè adducto haberi de ipso Melchisedech, quòd sit *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*: quæ nullo modo in Sem cadere posse videntur, quippe cuius patrem matremque ac genealogiam in Scripturis sacris recenseri certum est: videat, quæ ad hæc & ad huiusmodi alia Pererij argumenta, à nobis sub proximè memorato mundi anno dicta sunt. Sed dicet aliquis: Concedamus Sem vixisse temporibus Abrahæ, ac fuisse Sacerdotem, & item vocabulum Melchisedech non fuisse proprium viri nomen, sed cognomen, vt iam dictum est: non tamen videtur necessariò inferri posse, Sem fuisse illum, quem Scriptura sacra vocat Melchisedech: præsertim cùm non sit verisimile, Sem potiùs inter posteros fratris sui Cham, quàm inter proprios, degere voluisse. Et si verum esset, posteros ipsius Sem à Chananæis de illa regione fuisse eiectos; quomodo potuisset ipse Sem regnare in Ierusalem temporibus Abrahæ, quando totam illam regionem Chananæi possidebant? Denique Scriptura sacra, Genes. cap. 10. vers. 15. vsque ad 20. videtur potiùs insinuare, memoratam regionem ipsis Chananæis primò obuenisse, non autem filiis Sem.

DILVVNTVR 2. At verò, his non obstantibus, dicimus, prædictam Hebræorum opinionem, quòd scilicet idem homo fuerit Sem qui Melchisedech, si non certam, admodum tamen esse probabilem: nam licet non habeat irrefragabile aliquod ex Scriptura sacra testimonium,

monium; nihil tamen ei habet contrarium. Quin etiam fulciri valdè potest antiquissima illa Syrorum traditione, cuius sub anno mundi 930. num. 4. mentionem fecimus, quòd videlicet Noë diuiserit orbem terræ filiis suis, assignaueritque Iudæam ipsi Sem, quod nos sub anno mundi 1909. num. 2. & 3. probauimus sacræ Scripturæ nullatenus aduersari. Nec refert, quòd, vt ex S.Epiphanio ibidem diximus, posteri Sem inde pulsi fuerint: quia rationabile admodum est credere, Chananæos hanc humanitatem, pro reuerentia quæ tanto viro debebatur, ipsi Sem præstitisse, vt eum cum vrbe sua intactum relinquerent, quoad ipse viueret. Et item probabile est valdè, ipsum Sem (Deo ita ei inspirante) libenter ibi permanere voluisse, tametsi à suis quodammodò segregatus: tum vt possessionem illius terræ, quæ sibi à patre suo tradita fuerat, retineret; tum etiam quia sperabat, Dei beneficio eam posteris suis aliquando fore restituendam. Et fortè propterea non mirum est, si ipse Melchisedech, vt describitur Genes. cap. 14. vers. 18. tanta cum lætitia occurrit Abrahamo redeunti à cæde Chodorlahomor, & Regum qui cum eo erant, benedixitque ei, tamquam filio charissimo; quoniam erat de cognatione sua: & contrà, ipse Abraham de cunctis in ea victoria acquisitis decimas ei libentissimè exoluit, tamquam patri ac Sacerdoti gentis suæ supremo: proptereà enim, quamuis alij tunc essent Sacerdotes veri ac summi Dei, ipse per excellentiam dicebatur Sacerdos Dei altissimi.

3. Itaque Sem vixit cum … annis: SEM QVAMDIV, ET QVIBVS CVM VIXERIT.

Noë	450. secundùm Latinos, vel 448. secundùm Hebræos.
Arphaxad	trecentis triginta octo.
Cainan	trecentis sexaginta.
Sale	quadringentis triginta tribus.
Heber	quadringentis tribus.
Phaleg	ducentis triginta nouem.
Reu	ducentis triginta nouem.
Sarug	ducentis triginta.
Nachor	centum quadraginta octo.
Thare	ducentis quinque.
Abraham	centum decem & octo.
Sara	centum octo.
Ismaël	triginta duobus.
Isaac	decem & octo.

4. Eodem anno, qui erat vitæ suæ quadringentesimus trigesimus tertius, Sale mortuus est in fine anni, Genes. cap. 11. vers. 16. iuxta Vulgatam editionem, quam sequimur, relicto in hac parte textu LXX. Interpretum, qui corruptè habet, ipsum Sale vixisse annis quadringentis sexaginta. OBITVS SALE.

Vixit ergo Sale cum … annis: QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

Noë	ducentis octoginta tribus.
Sem	quadringentis triginta tribus.
Arphaxad	ducentis septuaginta tribus.
Cainan	trecentis triginta.
Heber	quadringentis tribus.
Phaleg	ducentis triginta nouem.
Reu	ducentis triginta nouem.
Sarug	ducentis triginta.
Nachor	ducentis quadraginta octo.
Thare	ducentis quinque.
Abraham	centum decem & octo.
Sara	centum octo.
Ismaël	triginta duobus.
Isaac	decem & octo.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2158. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 46.

1 ANNO ætatis Abrahæ centesimo vigesimo definente, oportet ex hac vita decessisse Arium Regem Assyriorum; hoc enim tempore implentur anni triginta, quibus ipsum regnasse tradit Eusebius in Chronicis, vt nostris videri potest in tabulis. ARIVS ASSYRIORVM REX MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2159. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 47.

REGNAT ANALIVS IN ASSYRIA.

ANNO proximo post Arij obitum, regnauit Analius, qui & Aratius, Rex Assyriorum quintus; vt ex eodem Eusebij loco manifestum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2163. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 51.

1 ANNO vitæ Abrahami centesimo vigesimo quinto, ad finem, vt arbitror, appropinquante; quando scilicet Isaac nondum annum ætatis vigesimum quintum plenè impleuerat, (vt tradit Iosephus 1. Antiq. cap. 14. cuius sententiam, potius quàm aliorum aliter sentientium, hic sequimur, propter ea quæ infrà num. 4. dicemus) apparuit Deus octauò, seu locutus est Abrahæ, & tentauit eum, hoc est, periculum fecit de ipso, num se plusquam proprium filium, quo nihil in hoc mundo antiquius habebat, & consequenter plusquam omnia diligeret. Non quia nesciret quantæ virtutis esset Abraham: etenim, vt dicitur Prouerb. cap. 16. vers. 2. *spirituum ponderator est Dominus.* quin potius, quia id optimè nouerat, hanc ei occasionem præbuit, vt ad aliorum ædificationem, huius sanctissimi viri quanta esset erga Deum dilectio & deuotio, cunctis innotesceret. Et item, quoniam, quemadmodum aiebat Angelus Raphaël ad Tobiam, Tob. cap. 12. vers. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* id est, te virum per omnia probatum declararet. Et in eodem libro cap. 2. vers. 12. Scriptura sacra de eodem sancto Tobia dicit: *Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* ita quodammodò oportuit, Abrahamum à Deo tentari, in re præsertim tam ardua & difficili, vt egregium illud & numquam satis commendatum perfectissimæ eius obedientiæ documentum ceteris imitandum proponi posset, & ab eodem discere liceret, filiorum dilectionem non quidem diuina Lege prohiberi; quin etiam graui mandato præcipi; semper tamen intra virtutis terminos: alioqui verissimum quoque illud esse quod Matthæi cap. 10. vers. 37. proclamabat Dominus: *Qui amat patrem aut matrem, filium aut filiam super me, non est me dignus.* Et quidem satis notum erat omnibus, Abrahamum summopere filium suum Isaac diligere: neque id sanè immeritò; quandoquidem ipsum anteà multùm diuque exoptatum, tandem, singulari Dei gratia, & non sine miraculo, in senectute præter spem genuerat, & pænè vnicum habebat, (iam enim iubente Deo Ismaëlem domo eiecerat:) & ipse quoque Isaac suis virtutibus, ac præsertim mira erga Deum & parentes pietate, indies maiori se dilectione reddebat dignum. Vt igitur probaret Dominus, ac manifestum faceret, an tanta filij sui dilectio aliquid (quod in aliis multis parentibus euenire solet) præposterum haberet, & nonnihil debitum excederet ordinem; an verò diuinæ dilectioni ac obedientiæ omnino subordinata esset: præcepit ei quadam nocte vt tolleret filium suum, quem vnicè diligebat, Isaac, atque illum sibi in holocaustum offerret, immolaretque in monte Moria, (vt ex Iosepho & aliis infrà num. 6. ostendemus,) qui mons postmodum, & eius vicinia, ob diuinam apparitionem ibidem habitam, Terra visionis dicta est.

LOQVITVR DEVS OCTAVO AD ABRAHAM, ET CVR EVM TENTAVERIT.

PROMPTA ABRAHAE OBEDIENTIA.

2. His auditis, Abraham, tametsi in sensu (vt credibile est) non modicè contristatus, spiritu tamen præualens, Dei obedientiam cunctis rebus præferre statuit. Itaque de repromissionibus sibi ab eodem Deo in Isaac factis nihil causatus, nihil conquestus, nihil sciscitatus, nihil hæsitans; sed potius, quemadmodum dicitur ad Hebræos cap. 11. vers. 19. *Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* confestim eadem nocte consurgens, lignis prius ad holocaustum concremandum concisis, asinoq; cum aliis quæ ad sacrificium, & item ad victum necessaria erant, impositis, abiit cum Isaac & duobus seruis ad locum sibi à Domino indicatum, qui à Bersabee, vbi tunc Abraham morabatur, ad quadraginta duo milliaria distabat: atque hoc iter, ob ingrauescentem eius ætatem, & quia fortè erat satis montosum ac difficile, & quia illud deuotionis ergò pedibus ingredi voluit, non nisi triduo confecit: verumtamen vt primùm tertia die montem sibi à Deo demonstratum de longè prospexit, relictis in campo seruis cum asino, vt eum ibi expectarent; ipse imposita super humeros filij sui Isaac illa lignorum sarcina, ibat cum eo portans ignem & gladium, atque in itinere de victima à filio interrogatus, respondit: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti.* Cùm autem ascenden-

tes

tes ambo ad locum peruenissent, & extructa ara, desuper ligna composuissent; aperuit priùs pater filio diuinam iussionem: cui non minùs piè filius vltrò acquiescens, ac voluntariè se ipsum diuinæ voluntati subiciens atq; offerens, deuotè admodum permisit se à patre colligari, & in ara ad immolandum imponi. Ecce autem, statim ac pater strictum dextra gladium leuat, vt puerum iugulet, Angelus Domini semel atque iterùm inclamans, iubet eum à cæde filij abstinere; Deum namque prompta eius voluntate contentum esse, ac sibi satisfactum. Quare lætus Abraham, viso illic ariete inter vepres cornibus inhærente, illum, tamquam sibi à Domino mirabiliter prouisum, obtulit holocaustum pro filio, atque ex insigni illa visione, appellauit nomen lóci illius, *Dominus videt.* vnde factum est, vt propterea illa regio deinceps Terra visionis nuncupata fuerit, Genes. cap. 22. vers. 1. vsque ad 15. Creditur autem Abraham in hoc sacrificio (vt paulò pòst probabitur) cum magna sui cordis exultatione vidisse diem illum, de quo posteà dicebat Dominus Iudæis Ioan. cap. 8. vers. 56: *Abraham pater vester exultauit vt videret Deum meum: vidit, & gauisus est.* tunc enim diuina reuelatione didicit, ea actione proculdubiò significari, quòd Deus Pater omnipotens omnino decreuerat pro redemptione mundi proprio Filio suo consubstantiali & vnigenito non parcere, sed pro nobis omnibus tradere illum; illum (inquam) cuius alibi meminit citatus Euangelista, dicens: *In principio erat Verbum,* &c. & post pauca: *Et Verbum caro factum* est, &c. & eius humanitatem in ariete præfiguratam, in ara crucis immolare, atque in holocaustum suauissimum Domino offerre, diuinitate nil læsa, quam significabat Isaac. Siquidem hoc nomen, quod interpretatur Risus, æternam illam quoquomodò adumbrabat exultationem iugemque lætitiam, quæ à diuinitate inseparabilis omnino est. Huius quoque mysterij typum præbuit Lex Moysaica in binis illis passeribus, & item in duobus illis hircis, quorum singulorum alter iubebatur immolari, alter verò viuus dimitti, vt legimus Leuit. cap. 14. & 16. Quòd autem in memorato Abrahami sacrificio signata fuerit Christi passio, tradunt omnes ferè Doctores. Proferam hîc aliquot ipsorum sententias, vt ex his reliquas discere liceat. Glossa interlinearis ita habet: *Hucusque vmbra, posteà rerum veritas magna excellentia monstratur. Prophetia siquidem hic ponitur pronuntians cuncta quæ de Christo ventura erant. Nam quod dicit Angelus; Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam;] ideò dixit, quia caro Christi potuit crucifigi, diuinitas non potuit tangi.* Et Origenes, *Aries,* inquit, *cornibus hærens virgulto Sabech, formam nihilominùs Christi gerere videtur. Sed quomodo Christo vterque conueniat, & Isaac qui non est iugulatus, & aries qui iugulatus est, operæpretium est noscere. Christus Verbum Dei est: sed Verbum caro factum est. Vnum igitur in Christo de superioribus est; alterum ex humana natura & virginali vtero susceptum. Patitur ergo Christus, sed in carne, & pertulit mortem caro, cuius hic aries forma est, sicut & Ioannes dicebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Verbum verò in incorruptione permansit, quod est secundùm spiritum Christus, cuius imago est Isaac. Ideò ipse & hostia est; & pontifex secundùm spiritum. Nam qui affert hostiam Patri, secundùm carnem ipse in altari crucis affertur. Quia sicut dictum est de eo, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ita de eo dictum est: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* hæc Origenes. Similia ferè scripta reliquit sanctus Augustinus, qui libro 12. contra Faustum ait: *Quis igitur alius in Isaac lignum sibi portabat ad victimam, nisi qui crucem sibi ad passionem ipse portabat? Quis alius aries immolandus in vepre cornibus adhærebat, nisi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur?* & idem in Serm. 71. de Tempore: *Quòd igitur aries occisus est, & Isaac non est occisus, ideò factum est, quia Isaac figura, & veritas non erat: in ipso designatum est, quod posteà in Christo completum est. Videte Deum cum hominibus magna pietate certantem: Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo, & Deus immortalem Filium pro hominibus tradidit morti. Potest tamen & de beato Isaac, & de illo ariete etiam sic intelligi; vt in beato Isaac significata sit diuinitas, in ariete humanitas Christi. & quia in passione non diuinitas crucifixa creditur, ideò non Isaac, sed aries immolatur. Dei enim Filius vnigenitus offertur, & Virginis vnigenitus immolatur.* & libro 16. de Ciuit: cap. 32. *Ille etiam aries,* ait, *qui cornibus in frutice tenebatur, quo immolato impletum est significatiuo sanguine sacrificium, Iesus Christus significabatur antequam immolaretur spinis Iudaicis coronatus.* Sanctus quoque Gregorius Homil. 6. in Ezechielem dicit: *Quid igitur est quòd Isaac ad immolandum ducitur, & ligna portat, aræ superimponitur, & viuit, nisi quod Redemptor noster ad passionem ductus lignum sibi crucis ipse portauit, & sic in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, vt tamen immortalis maneret ex diuinitate.* Eadem non semel tradit Rupertus lib. 6. in Genesim: nam in fine capitis 33. exponens illa verba, *Sed arietem videns inter*

ABRAHAM IMMOLARE VVLT FILIVM SVVM ISAAC.

ABRAHAM QVANDO VIDERIT DIEM DOMINI.

vepres hærentem cornibus assumpsit, & obtulit holocaustum pro filio. ait: *Sic Deus Pater proprio Filio sua non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui tamen secundùm naturam qua Deus est, mori non potuit, sed ea immortaliter atque impassibiliter permanente, secundùm naturam hominis quam assumpsit, inter vepres, id est, inter scelera Iudæorum, clauis hærens ad cornua crucis, verè passus, verè mortuus, verè sepultus est.* & in calce capitis 31. dicit: *Hæc omnia sustinens Isaac; soli tandem ictui gladij subducitur, & aries, vt dictum est, pro illo immolatur; quia videlicet risus cælorum ille, in quem desiderant Angeli prospicere, secundùm naturam qua Patris risus & Angelorum sanctorum gaudium est, mortem nullatenus admisit, licet secundùm naturam, qua nostri est similis, verè mortuus fuerit.* hæc Rupertus. Denique quòd hæc omnia, quæ in dicto monte facta sunt, fuerint signa Dominicæ passionis, pluribus explicat & declarat Eucherius lib. 2. in Genes. cap. 36. & propterea nos Lectorem ad illum libenter remittimus. Quòd autem hæc quoque omnia tunc Dominus reuelauerit Abrahamo, & quòd propterea tunc ipse Abraham dicatur vidisse diem Domini, apertè tradit sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 8. his verbis: *Non solùm autem hoc prophetauit quod statim accidit, quia Deus prouidit sibi pro Isaac hostiam, & reddidit patri filium: verùm illud magis, quòd non hæc hostia diuinæ esset dispositionis; sed alia esset hostia, quam Deus sibi pararet, vt mundaret orbem terrarum; illa esset omnibus acceptior, per quam multi patres offerrent filios suos, & separari ab hoc sæculo à filiis non timerent,* &c. & quibusdã interpositis exponens illa verba: *Et respiciens Abraham vidit, & ecce aries vnus hærens in virgulta;* subdit: *Qua ratione arietem? quasi præstantem vtique cetero gregi. Qua ratione suspensum? vt aduerteres hostiam illam non esse terrenam. Qua causa cornibus suspensum? nisi quòd carnem suam virtute superiore à terris leuaret, iuxta quod scriptum est; Cuius principatus super humeros eius. Quis vtique significatur, nisi ille de quo scriptum est: Exaltauit cornu populi sui? Cornu nostrum Christus est, qui præstitit omnibus, sicut legimus: Speciosus forma præ filiis hominum.] Solus eleuatus & exaltatus à terris, quemadmodum ipse nos docet cùm loquitur: Ego non sum de hoc mundo, ego de supernis sum.] Hunc vidit Abraham in ista sacrificio, huius passionem aspexit. Et ideò ipse Dominus ait de eo: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Vnde ait Scriptura: Vacauit Abraham nomen loci illius, Dominus videt: vt dicant hodie: Dominus in monte apparuit, hoc est, quòd apparuerit Abrahæ, reuelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit: demonstrans etiam genus passionis, cùm suspensum ostendit arietem. virgultum illud, patibulum crucis, Et in hoc ligno præstantissimus ductor gregis exaltatus, omnia traxit ad se, vt ab omnibus cognosceretur. Vnde & ipse ait: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* hucusque S. Ambrosius. Nos verò ad cœptam redeamus historiam.

PROMISSIONES ABRAHAE A DEO FACTAE, IVREIVRANDO CONFIRMANTVR.

3. Porrò dum cremaretur, vt puto, holocaustum, locutus est iterùm Angelus Domini ad Abraham, testificans ei, Deum præclaras, quas non semel aliàs eidem fecerat, repromissiones non solùm habere ratas; sed nunc quoque easdem ad maiorem firmitatem, iureiurando confirmasse, nimirum de ei ac posteris eius benefaciendo, de augenda ac multiplicanda mirum in modum eius posteritate, de hostibus eidem subiiciendis, ac demum de benedicendis in eius semine cunctis gentibus; eò quòd propter Dei obedientiam etiam proprio filio suo non pepercerit. Dicti iurisiurandi meminit etiam Zacharias in suo Cantico, Lucæ cap. 1. vers. 73. illis verbis: *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* His ergo auditis, vterque, pater scilicet & filius, diuina consolatione super quàm dici possit lætificati, venerunt, expleto sacrificio, ad locum vbi seruos cum asino reliquerant, & cum illis redierunt Bersabee, laudantes ac benedicentes in cordibus suis Dominum, qui eos non solùm seruasset incolumes, ac veluti denuò patri filium, patremq; filio mirabiliter dono dedisset: sed & insuper eis tot ac tam præclara bona iterùm repromittere, ac medio etiam iuramento confirmare non indignum duxisset. Sanè Abraham perseuerauit aliquamdiu habitare in Bersabee, vt colligitur Genes. cap. 22. in fine; verumtamen non constat, quot annis post memoratam eius tentationem ibi manserit, quamuis certum sit, ipsum minùs duodecim annis ibidem exinde mansisse: etenim constat, quòd tempore obitus Saræ coniugis suæ, ipse iam denuò transtulerat habitaculum suum in Hebron, vt sub anno mundi 2175. num. 1. videbimus.

QVOT ANNIS DEINCEPS ABRAHAM MANSERIT IN BERSABEE.

CVIVS AETATIS ESSET ISAAC QVANDO DVCTVS EST IMMOLARI.

4. Dixi, prædicta de immolatione Isaac acta esse anno vigesimoquinto ipsius Isaac nondum plenè expleto: quia tametsi non ignorem, Rabbi Auen Esra, vt refert Abulensis, credidisse, ipsum Isaac tunc fuisse tantummodò decennem aut duodecennem: contrà verò, Auctorem Chronologiæ Hebræorum Seder Ollam inscriptæ, quam Latinam fecit Genebrardus, sensisse, eumdem Isaac fuisse annorum triginta septem,

quan-

quando ductus est ad immolandum: nihilominùs non immeritò, vt reor, Iosephi opinionem ceteris præferendam censui. etenim, præterquam quòd ipse maioris est auctoritatis quàm prænominati, memorata quoque eius opinio longè aliis sanior tutiórque esse videtur; cùm sit quodammodò media inter extremas: & quia quæ in Sacro textu habentur, nimirum quòd Isaac pedes confecerit iter trium dierum, & quòd totam illam lignorum sarcinam, quæ sufficiens esset ad holocausti victimam concremandam, proprüs in montem altum & arduum humeris ferre potuerit, quemadmodum apertè priorem improbant sententiam, (non enim credibile est, puerum duodecim annorum hæc agere potuisse) ita non cogunt nos ponere, ipsum Isaac maiorem vigintiquinque annorum extitisse: quandoquidem in tali ætate benè poterat ea præstare, quæ de ipso Sacra narrat historia. Præterea, si Isaac tunc fuisset annorum triginta septem, oportebat Saram eius matrem, quæ proculdubiò decessit triginta septem annis ab ortu Isaac, iam tunc obiisse. Atqui Sacer textus ibidem asserit, Abrahamum post reditum de Terra visionis habitasse in Bersabee, ac deinde in sequenti capite narrat obitum Saræ: quam certum est obiisse, non in Bersabee, sed in Hebron. Vnde infert Pererius super Genes. cap. 23. num. 3. & 4. Abrahamum post prædictum reditum aliquamdiu habitasse in Bersabee. Quare satis probabiliter videtur posse colligi, ab immolatione Isaac ad mortem Saræ, plures annos, nimirum duodecim, intercessisse; & consequenter, ipsum Isaac anno vitæ suæ vigesimoquinto propè expleto ductum fuisse ad immolandum, vt suprà dictum est. Nec quemquam moueat, quòd tunc vocetur puer; quia sic solet Scriptura sacra, quando loquitur de filiis tum carnalibus tum spiritualibus, etiam grandioris ætatis, interdum eos appellare pueros, vt patet 2. Regum cap. 18. vers. 5. 12. & 32. vbi Absalom quando bellum gerebat aduersus Dauid patrem suum, vocatur puer; & Iesus Apostolos suos, quos Marci cap. 10. vers. 14. & Ioan. cap. 13. vers. 33. (vt ostenderet quanta eos dilectionis teneritudine prosequeretur) vocauerat filiolos; posteà Ioan. c. 21. vers. 5. appellat pueros. Sed & alij in sancta Ecclesia, nimirum Sidrach, Misach, & Abdenago communiter & absolutè vocantur pueri, vt videre est in Antiphona illa, *Tres pueri iussu Regis in fornacem missi sunt*, &c. quæ ex Breuiario Romano singulis diebus Dominicis canitur in Laudibus ad Canticum; quod & ipsum ibidem prænotatur: *Canticum trium puerorum*. Qui tamen (Danielis cap. 3.) octies vocantur viri, & speciatim bis versic. 12. vbi etiam dicuntur constituti à Rege super opera prouinciæ Babylonis. Quod apertè arguit, eos verè tunc non fuisse pueros; & consequenter non rectè quosdam connumerasse prædictos Sidrach, Misach, & Abdenago inter illos modicæ ætatis pueros, qui pro Christi nomine martyrium subire non recusarunt.

5. Verumtamen, quidquid sit de anno ipsius Isaac, quando immolare eum voluit pater; constat id contigisse in ipso septimi mensis initio: proptereà namque, inquiunt, in memoriam liberationis Isaac institutum fuisse Festum illud clangoris & tubarum, quod præcipitur Leuitici cap. 23. vers. 24. & Numer. cap. 29. vers. 1. celebrandum die prima mensis septimi. Quod etiá confirmant S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 10. & sacri prędictorum Scripturę locorum Expositores, dicétes, quòd in ea die Hebræi clangebant tubis, non solù argenteis, vt solebant in singulis neomeniis seu nouilunijs, sed etiam tubis corneis, ad recolendum, quòd tunc Abraham iussus abstinere ab immolatione filij, loco eius immolauit arietem, quem ibidem repererat inter vepres hærentem cornibus. ad quod item putant alludere voluisse Psalmistam, quando dicebat in Psalm. 97. vers. 5. *Psallite Domino*, &c. *in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.* DE FESTO CLANGORIS ET TVBARVM.

6. De loco autem seu monte, in quo iussus est Abraham immolare filium, diximus suprà num. 1. ex Iosepho, fuisse montem Moria, in quo posteà Salomon templum ædificauit, vt dicitur 2. Paralip. cap. 3. vers. 1. Quod etiam de Hebræorum sententia confirmat B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. & super Ierem. cap. 7. v. 14. exponens illa verba, *Faciam domui huic*, &c. *sicut feci Silo*. & hoc idem comprobant Beda in lib. quem inscripsit De templo Salomonis, cap. 5. & alij, dicentes, quòd vbi Genes. cap. 22. vers. 2. legimus in textu Latino: *Vade in terram visionis*; in Hebraico habetur, *in terram Moria*. ecótrariò, S. Augustinus in Serm. 71. de Tempore, qui est primus de immolatione Isaac, B. Hieronymi auctoritate, asserit fuisse montem Caluariæ, vbi posteà crucifixus est Dominus: ita enim ait B. Augustinus: *Hieronymus Presbyter scripsit, ab antiquis & senioribus Iudæis se certissimè cognouisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, vbi posteà Christus crucifixus est*. sic Augustinus: sed prior opinio communior est: quamquam ambæ ferè in idem coincidere posse videntur; quoniam certum est, montem Caluariæ monti Moriæ admodum esse propinquum; & quodammodò, pro duobus IMMOLATIO ISAAC VBI FIERI IVSSA SIT

vinus montis verticibus, accipi posse; & probabile est, totam illam regionem montosam, vbi fabricata, & posteà aucta & dilatata est Ierusalem, olim appellatam esse Terram visionis, seu Moria; certè eam in se comprehendisse plures montes, apertè ostendunt illa verba Genes. cap. 22. vers. 2. *Vade in terram visionis, atque ibi offeres eum* (nempe Isaac) *in holocaustum, super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Quamuis posteà montes in illa terra positi, & item eorumdem montium partes, particularia nomina sortiti fuerint, excepto illo, in quo templum deinde ædificatum fuit; qui antiquum nomen Moria retinuisse videtur; siue, vt creditur, quia ibi signanter Abraham iussus sit immolare filium; siue alia de causa nobis incognita.

RABBINORVM COMMENTVM REFVTATVR.

7. Ceterùm, quod Hebræi tradunt, in eodem monte ab initio orbis conditi Abelem & Cainum sacrificasse, & Noë item statim post Diluuium; inter admirabiles ipsorum adinuentiones, piè quidem quandoque excogitatas, sed sine vlla veritatis probabilitate, computare debemus. Nam de Noë ex Sacro textu Genes. cap. 8. satis clarè colligi potest, ipsum post egressum de Arca ædificasse ibi altare Domino, obtulisseque super ipsum holocausta; ibi, inquam, vbi Arca ipsa resederat, nimirum super montes Armeniæ, vt ibidem vers. 4. dicitur: notum est autem omnibus, quàm longe distent hi montes à monte Moria. De Cain verò & Abele, quis mortalium, obsecro, seclusa Dei reuelatione, de qua nihil prorsus constar, diuinare vmquam potuit locum, vbi primò sacrificia Deo obtulerunt, fuisse montem Moria? cùm præsertim Moyses, à quo solùm, quæ de actis ante Diluuium scimus, probata habemus, nihil omnino de hac re meminerit: & certum sit, aquas Diluuij ita vniuersam terræ faciem subuertisse, commutasse, variamque à priori reliquisse, vt vix prouinciæ ipsæ, nedum particularia montium iuga, dignosci possent: & præterea multò probabilius sit, memoratos Adami filios cum parentibus suis prope Paradisum terrestrem, vnde eiecti fuerant, & consequenter procul admodum à monte Moria, habitasse, sacrificiaque Deo fecisse.

NVNTIATVR ABRAHAE ORTVS 12. FILIORVM FRATRIS SVI NACHOR.

8. Post reditum Abrahami de monte Moria, seu de Terra visionis, in Bersabee, nuntiatus est ei ortus octo filiorum Nachor fratris sui, ex Melcha vxore eius, & quattuor ex Roma concubina, id est secundaria vxore, iuxta communem illius temporis vsum; quorum nomina habentur Genes. cap. 22. vers. 20. vsque ad finem capitis. qui omnes habitabant in Haran Mesopotamiæ vrbe, vt sub anno mundi 2113. num. 4. probatum est. Atque hinc colligi potest, Abrahamum, ex quo iampridem de Haran recesserat, nihil prorsus de Nachor fratre suo nisi nunc audiuisse; & consequenter, non esse verisimile, quemadmodum sub anno mundi 2039. num. 7. diximus, quòd adhuc viueret pater eius Thare, vt nonnulli crediderunt: siquidem si hoc esset, admodum credibile foret, quòd sæpiùs ad ipsum inuisendum vel ipsemet iuisset, vel saltem seruos misisset, ita filiali pietate erga patrem exigente, quam in Abrahamo sanctissimo viro non defuisse, liquidò supponere debemus: præterquam quòd non videtur probabile, ipsum Thare, qui ob amorem quo prosequebatur filium suum Abraham, potiùs elegit patriam deserere quàm filium, & proptereà cum eo de Chaldæa venit in Haran; potuisse postmodum eius absentiam tam longo tempore, nimirum per annos plusquam quinquaginta continuos, sustinere; quin saltem quandoque ad ipsum visendum, aut de statu eius sciscitandum, aliquos delegaret.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2175. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 63.

DE OBITV SARAE.

1 ANNO vitæ suæ centesimo vigesimo septimo propè, vt arbitror, expleto, Sara vxor Abrahæ mortua est in Hebron, Genes. cap. 23. vers. 1. Vnde patet, quòd eo tempore Abraham iam transtulerat tabernaculum suum de Bersabee in Hebron, vt sub anno mundi 2163. num. 3. & 4 dictum est.

QVIBVSCVM AC QVAMDIV VIXERIT.

Vixit ergo Sara cum	Sem	annis	centum octo.
	Cainan		quinque.
	Sale		centum octo.
	Heber		centum viginti septem.
	Reu		octo.
	Sarug		triginta vno.
	Thare		sexaginta quinque.
	Abraham		centum viginti septem.
	Ismaël		quinquaginta vno.
	Isaac		triginta septem.

2. Quid

2. Quid autem actum sit in funere ipsius Saræ, describitur Genes. cap. 23. & 24. vbi legimus, quòd Abraham venit ad Jocum vbi depositum fuerat vxoris cadauer, antequam sepeliretur, vt plangeret eam. Vnde apparet, quàm antiquus & laudabilis, etiam apud sanctos viros, semper fuerit mos plangendi mortuos; vt propterea ipsum, non hoc tantum Abrahæ exemplo, Scriptura sacra comprobatum reliquerit, sed pluribus item aliis, puta Iosephi, qui planxit patrem suum Iacob, Genes. cap. 50. in principio: & filiorum Israël, qui fleuerunt Aaronem, Numer. cap. 20. in fine, & Moysen, Deuter. cap. vlt. vers. 8. & aliorum plurium, quæ in Sacris libris sparsim Lector inueniet, vt ea hic commemorare superfluum videatur, præsertim cùm hoc idem non solùm exemplis, verùm etiam disertis verbis eadem Scriptura plurimùm commendauerit, Ecclesiastici cap. 38. vers. 16. dicens: *Fili, in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm iudicium*, id est (vt exponit Iansenius) cum debitis exequiis, ritúque funebri consueto, *contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.* Ita sanè hic legimus fecisse Abrahamum, qui expleto super corpus dilectissimæ vxoris suæ Saræ planctu, de ipsa quoque honorificè sepelienda protinus agere cœpit cum his, in quorum terra habitauit: quibus, pro ipsorum humanitate & honore quo Abrahamum prosequebantur, prompte electissima quæque eorumdem sepulchra offerentibus, ipse nihilominus (mira licet modestia) non acquiescens vxorem ponere in alieno sepulchro, cùm iam notasset esse in agro cuiusdam Ephronis Hethæi speluncam duplicem, ad sepulchrum ibidem accommodandum appositissimam; qui hactenus in terra Chanaan, tamquam aduena & peregrinus, nihil minus quàm de agris pretio comparandis cogitauerat, nunc primùm de illo coëmendo agere aggressus est, vt vxori, sibi, posterisque suis, propriam pararet ac relinqueret sepulturam. quo tandem quadringentis siclis argenti, quorum singuli quattuor circiter Iulios pendisse dicuntur, coëmpto, & spelunca illa in sepulchri formam decenter aptata, Saræ corpus in ea, ritu illis temporibus visitato, sepeliuit, Genesis cap. 23. per totum. Distabat autem dicta spelunca, vt tradit Brocardus, trium arcuum iactu ab Hebron antiqua; nimirum erat in eomet loco, vbi postmodum fabricata est noua Hebron, priori destructâ: ad dimidiam scilicet leucam ab Ilice Mambre, iuxta quam aliàs Abraham fixerat tabernaculum.

DE ANTIQVO VSV PLANGENDI MORTVOS.

ABRAHAM SEPELIT SARAM IN SEPVLCHRO SIBI AC POSTERIS SVIS COEMPTO.

3. Et quoniam hic primùm inuenimus mentionem fieri contractus emptionis & venditionis, interueniente pecunia; nam anteà permutationes tantùm factas legimus: considerandum videtur, ne fortè non abs re prima emptio in sacris Scripturis memorata fuerit agri in piorum hominum sepulturam. vt hinc disceremus, debere quidem homines in hac vita finis sui meminisse; sed eos præcipuè, qui diuitiis ac pecuniarum copia affluentes, quotidie terrenas comparare possessiones, & domum domo atque agrum agro copulare student: ne se illis in perpetuum frui posse falsò putent: quin potius sæpius recolant, præsertim quando tales contractus magna cum lætitia celebrant, se aliquando, morte interueniente, bona illa vel inuitos relinquere oportere: ac propterea consultius esse illud Apostoli magis attendere, 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 30. dicentis: *Qui emunt, tamquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Sed hæc obiter sint tacta.

PRIMA EMPTIO IN SACRO ELOQVIO MEMORATA, FVIT AGRI IN SEPVLTVRAM DEFVNCTORVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2178. SECVNDÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 66.

1 Svb finem anni vitæ suæ centesimi quadragesimi, Abraham videns se iam esse admodum senem, cogitare cœpit de danda vxore filio suo Isaac, quem heredem omnium bonorum suorum iam instituerat, vt colligitur Genes. cap. 24. vers. 36. Veritus autem, ne fortè morte præuentus id ipse exequi non posset, vocauit seniorem ex seruis suis, virum fidelem atque prudentem; illum scilicet (vt opinor) cui nomen erat Damascus Eliezer, qui erat super omnes gazas eius, & totius domus suæ curam gerebat; cuius fit mentio Genes. cap. 15. vers. 2. & de eodem ibidem subditur: *Et ecce vernaculus meus, heres meus erit.* Hunc itaque ad se accersitum adiurat per Deum cæli & terræ, ne vmquam in animum inducat procurare filio suo Isaac vxorem Chananitidem. Quod ideò fecisse creditur, quoniam benè nouerat, non per alium ex filiis suis, quàm per Isaac, deducendam fore genealogiam Christi, qui (teste Apostolo ad Galatas cap. 3. vers. 16.) erat semen illud, in quo benedicendæ erant omnes gentes: ideò absurdum putabat, dare ipsi Isaac vxorem de progenie Chananæorum, quæ in patre

ABRAHAM PER SERVVM SVVM QVÆRIT VXOREM FILIO SVO ISAAC.

suo Chanaan à Noë maledicta fuerat; sed magis conuenire, Deoque gratius fore, si coniugem duceret de ipsiusmet Abrahæ cognatione, quæ in primo ipsius parente Sem consecuta fuerat benedictionem. Præcepit ergo Abraham prædicto seruo, vt posita manu sub femore domini sui, tria hæc obseruare iuraret; nempe, se non daturum ipsi Isaac vllam de Chananæorum mulieribus in vxorem. Secundò, se profecturum in Haran Mesopotamiæ, ad domum Nachor fratris ipsius Abrahæ, (quam idem seruus benè nouisse poterat, cùm iam esset satis prouectæ ætatis, & inde cum Abrahamo venisset) vt ibi acciperet coniugem ipsi Isaac, duceretque eam in terram Chanaan. Tertiò, si nullo pacto ductum Isaac extra terram Chanaan ad cognatos suos, etiam si inde mulier venire recuset; sed eo casu ipse seruus à iuramenti vinculo remaneat absolutus.

NOVA IVRANDI FORMA.

¶ 2. Notandum verò hîc est, per memoratam iurandi formam anteà inauditam indicari, (vt est communior sententia præcipuorum Ecclesiæ Patrum) Abrahæ intentionem fuisse, vt seruus iuraret per semen ipsius, hoc est per Christum, qui de ipso nasciturus erat, iuxta S. Matthæum Euangelistam dicentem: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Quæ sententia non est accipienda, quasi generatio Christi propaganda esset ab illo semine, quod tunc erat in lumbis siue in femore ipsius Abrahæ: quia clarum est, quòd Christus non debebat nasci ex linea descendentium ab vllo filiorum Abrahæ ex Cetura, qui tunc erant virtualiter in lumbis Abrahæ; sed ex posteritate Isaac, qui iam natus erat ex Abrahamo, & de quo iam dictum fuerat: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Est igitur sensus sanctorum Patrum, quod ille seruus iussus fuit iurare, posita manu sua sub femore domini sui Abrahæ, vt sic quodammodò protestaretur se iurare per illum, in quo (vt fortè aliàs audierat) benedicendæ erant omnes gentes: id est per Christum verum Dei filium, cuius humana generatio originaliter propaganda erat ex semine quod iam egressum erat de illo femore, quando genitus fuerat Isaac. Et quoniam tunc mittebatur seruus ille ad accipiendam vxorem ipsi Isaac, per quem deducenda erat propagatio seminis Abrahæ in posteritate sua vsque ad Christum; appositè Abraham, diuino edoctus Spiritu, ad insinuandum hoc sacramentum, tunc primùm præscripsit seruo suprà expositam iurandi formam, tamquam rei gerendæ admodum accommodatam. Quamquam posteà Iacob aui exemplum secutus, etiam in casu dissimili, nimirum morti appropinquans, præcepit Iosepho filio suo, vt posita manu sub femore patris, iuraret se tumulaturum cadauer eius non in Ægypto sed in terra Chanaan, Genes. cap. 47. vers. 29. Ceterùm femoris appellatione in Scripturis sacris nonnumquam accipi stirpem siue originem alicuius descendentiæ, per seminis propagationem continuatæ; siue pro illo (vt ita dixerim) primo seu originali semine, à quo numerosa aliqua familia deriuata sit; patet Genes. cap. 46. vers. 26. vbi hæc habentur: *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius*, &c. & cap. 49. vers. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius*, &c. De femore (inquit, quæ est phrasis Hebraica) id est de semine, quod ex vasis seminalibus inter viri femora existentibus egredi consueuit. Igitur vt ad historiæ continuationem reuertamur,

QVID SIGNIFICARET MEMORATA IVRANDI FORMA.

3. Memoratus Abrahæ seruus, vt quod domino suo iurauerat, opere impleret, præparatis quæ ad iter agendum, & ad donaria sponsæ eiusque parentibus & cognatis facienda, opus esse videbantur, cum decem camelis, aliisque conseruis se in viam dedit. Cùm autem in Mesopotamiam feliciter peruenisset, nec procul abesset ab vrbe Nachor, quæ alio nomine (quemadmodum sub anno mundi 2113. num. 5. probatum est) Haran siue Charan dicebatur, iamque aduesperasceret, substitit opportunè eo tempore, quo mulieres de oppido veniebant ad hauriendam aquam: & cùm intra se deprecari cœpisset Deum, vt externo aliquo signo sibi indicaret, quænam esset illa puella, quam præparauerat filio domini sui; ecce non sine diuino nutu ei venit in mentem postulare ab vna ex illis potum, certò sibi persuadens, eam diuinitus esse prælectam, quam promptiorem ad sibi camelisque suis aquam præbendam inuenisset. Accidit autem, Deo ita disponente, vt ipse primò occurreret Rebeccæ filiæ Bathuelis filij Nachor fratris Abrahæ, quæ de puteo cum hydria sua plena redibat ad suos: cui cùm bibere postulasset, illa protinus singulari quadam charitatis significatione, non ei solùm, sed & camelis aquas ministrauit. Quamobrem præsagitione diuina intelligens vir, quòd hæc ipsa esset propter quam missus fuerat, confestim protulit deditque Rebeccæ munera, inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem. Et vt certior ab ipsa factus est, eam esse de cognatione domini sui, gratias agebat Deo, quòd se recto itinere perduxisset quò tendebat. Interim verò puella festino gradu

domum

domum rediens, nuntiauit parentibus suis de aduentu viri; qui ab ipsis peramanter inuitatus, & hospitio exceptus, ante omnia exponere eis voluit causam itineris sui; & vt vidit eos petitis annuentes, firmato sponsalium contractu, datisque muneribus, lætè omnes pariter conuiuari cœperunt. Altera autem die, impetrata à sponsæ parentibus redeundi licentia, non sine aliqua difficultate, quòd penes se filiam ad decem saltem dies retinere maluissent, Rebeccam camelo impositam perduxit ad Isaac; qui posteà (vt sub anno proximo num. 1. dicemus) duxit eam vxorem, vniceque dilexit, Genes. 5 cap. 24. per totum. Vbi notandum est ex eo quòd suprà diximus, inaures pendisse siclos duos, armillas verò siclos decem; apertè colligi posse, quòd *secel* Hebraicè, seu Latinè *siclus*, licet communiter apud Hebræos significaret etiam nummum quemdam argenteum valoris quattuor circiter Iuliorum (vt ex infrà sub anno mundi 4084. num. 7. dicendis constabit:) attamen magis propriè significabat quoddam auri argentive pondus, tantum pendens quantum dictus nummus, nimirum obolos Hebraicos viginti, siue drachmas Atticas quattuor, hoc est semunciam; vt tradunt Didacus Couarruuias in lib. Veterum collatio numismatum inscripto, cap. 2. & Sanctes Pagninus in suo Linguæ sanctæ Thesauro, vbi addit, quòd *secel* sonat libratorem, seu librationem, siue pondus (erat enim, inquit, modus & regula omnium ponderum.) & confirman potest; quia radix huius vocabuli *secel* dicitur esse verbum *sacal*, quod (eodem Pagnino auctore) significat librare vel ponderare. Vtrùm autem dictæ singulæ inaures, an ambæ simul libratæ penderent duos siclos, in Sacro quidem textu non exprimitur: verumtamen mihi probabilius videtur, ambas simul fuisse dicti ponderis; alioquin singulæ fuissent nimis graues, & ad gestandum auribus incommodæ. Si ergo binæ inaures simul pendebant siclos duos, & totidem armillæ siclos decem; vtique oportet, quòd dictæ inaures habuerint auri drachmas octo, id est vnciam vnam; & armillæ auri drachmas quadraginta, hoc est, vncias quinque; & consequenter, quòd totum illud inaurium & armillarum munus, opere computato, fuerit valoris circiter aureorum sexaginta. Quòd si quis contenderet, loco Geneseos citato, per siclum non esse accipiendum pondus sanctuarij, sed vulgare & profanum, quod (vt aiunt) erat illo medietate minor, & æquipollebat didrachmam: vtique hoc supposito, necessarium quoque esset diminuere ad ratum tum auri pondus, tum valorem dictarum inaurium & armillarum, & dicere, munera illa ad triginta dumtaxat aureos valuisse. Nisi forte quis diceret, sicli pondere in hoc sensu accepto, nihil obstare quò minùs credi possit singulas inaures pendisse duos siclos vulgares; & singulas armillas, decem; & hoc pacto, totius muneris valorem ad priorem sexaginta aureorum summam (vt credibilius est) pertingere potuisse.

SICLVS QVID MAGIS PROPRIE SIGNIFICAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2179. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 67.

1 ANNO quadragesimo vitæ suæ expleto, & quadragesimo primo incipiente, Isaac duxit Rebeccam vxorem, vt expressè habemus Genes. cap. 25. vers. 2. & nos sub anno præcedenti num. 1. & 3. diximus. ISAAC DVCIT REBECCAM VXOREM.

2. Per eadem tempora Abraham, non sine particulari quodam Dei instinctu, vt sentiunt Doctores, & par est de tanto viro supponere, aliam duxit vxorem nomine Ceturam, Genes. cap. 25. vers. 1. Hanc Hebræi eamdem fuisse putant cum Agar, quam credunt fuisse binuminem: sed multò meliùs S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. c. 34. & multi alij Doctores Catholici, præsertim verò Caietanus & Abulensis, asserunt fuisse diuersam, his moti rationibus: nam loco proximè citato hæc expressè habentur: ***Abraham verò aliam duxit vxorem nomine Ceturam.*** Si aliam, ergo diuersam ab Agar, quam priùs duxerat ad instantiam Saræ, vt dictum fuerat Genes. cap. 16. vers. 3. Deinde in eodem Genes. cap. 25. vers. 12. etiam fit mentio Agar Ægyptiæ, ergo contrà distinguitur Agar mater Ismaëlis à Cetura matre aliorum Abrahæ filiorum, quos ibidem priùs nominauerat. Præctereà, eodem cap. vers. 5. & 6. habemus, quòd Abraham dedit filio suo Isaac cuncta quæ possederat; filiis autem concubinarum largitus est munera. ergo non vnam tantùm habuit concubinam, sed plures, nempe Agar & Ceturam, ex quarum prima genuit Ismaëlem; ex altera verò illos sex filios, qui ibi recensentur in littera. Denique cùm tunc esset Abraham valdè senex, scilicet centum quadraginta circiter annorum, quando dicitur duxisse Ceturam, ratio & experientia suadent, ipsum non potuisse tot liberos naturaliter gignere, nisi ex muliere admodum adolescente. atqui tunc temporis

ABRAHAM DVCIT ALIAM VXOREM NOMINE CETVRAM, QVAS CREDITVR FVISSE DIVERSA AB AGAR.

ris Agar non poterat esse minor septuaginta circiter annorum: nam oportet ipsam saltem sexdecim, vel etiam viginti annorum extitisse, quando peperit Ismaëlem, anno scilicet octogesimo sexto vitæ Abrahami, vt expressè habemus Gen. cap. 16. v. 16. Vnde si ad annos sexdecim aut viginti vitæ Agar, superaddas alios quinquaginta quattuor, ab anno octogesimo sexto ætatis Abrahæ ad annum eiusdem centesimũ quadragesimum decursos; proculdubiò habebis summam annorum septuaginta, vel ampliùs vitæ ipsius Agar, quando Abraham duxit Ceturam; ergo non potuit Agar eadem esse cũ Cetura.

DE FILIIS ABRAHAE EX CETVRA

3. Porrò ex Cetura, vt dictum est, Abraham sex genuit filios, nimirum Zamran, & Iecsan, & Madan, & Madian, & Iesboc, & Sue. ex quibus deinde, (ipso, vt arbitror, adhuc viuente) habuit Abraham nepotes septem, scilicet filios Iecsan duos, Dadan, & Saba; & filios Madian quinque, videlicet Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: & pronepotes tres filios Dadan, nempe Assurim, Latusim, & Loomim, vt videre est Genes. cap. 25. vers. 2. vsque ad 5. Hos, & Ismaëlem cum familia sua, filios scilicet Agar & Ceturæ concubinarum suarum, Abraham, priusquam moreretur, muneribus donatos separauit à filio suo Isaac, quem vniuersaleiu bonorum suorum reliquit heredem: illos autem extra terram Chanaan, ad proximas Orientales regiones inhabitandas, amandauit: quod ideò fecisse creditur, ne illi aliquando liuore accensi aduersus Isaac, ipsum de hereditate deturbare vmquam possent: & item, quoniam optimè nouerat, terram Chanaan soli posteritati ipsius Isaac à Deo fuisse promissam, eamdemque adeò, fore multiplicandam, vt vix terra illa ei sufficere posset: & præterea, quia cùm prophetico spiritu præuideret, solos eiusdem Isaac posteros in veri Dei cultu perseuераturos, non expediebat ipsos cum idololatris commisceri.

CVR EOS ABRAHAM SEPARAVERIT AB ISAAC.

DE POPVLIS EX FILIIS ABRAHAE ET CETVRAE PROCREATIS.

4. Sanè memorati Abrahæ posteri ex Cetura, succedentibus temporibus, admodum multiplicati sunt, ita vt ex ipsis plurimæ vrbes & populi multi originem duxisse, ac sese longè latèque in illis Arabiæ regionibus dilatasse credantur: de quibus singulis nihil certi seorsim adferre possumus, præterquam de quattuor, qui tantùmmodò in Sacro eloquio memorantur, nimirum Madian, & Epha, & Dadan, & Saba; quos in variis Arabiæ prouinciis habitasse non dubitamus: nam Sabæorum plures populos, tum qui de Saba filio Chus, & de altero Saba filio Regma, & de tertio Saba filio Iectan, quorum Genes. cap. 10. vers. 7. & 27. mentio facta est; tum qui de quarto Saba filio Iecsan filij Abrahami prodierunt, Arabiæ incolas fuisse communior opinio est: quamquam Reginam Saba, quæ venit audire sapientiam Salomonis, de posteris Sabæ nepotis Abrahæ fuisse putat Origenes Homil. 11. in Genes. Dadanæos verò siue Dedanæos, memoratos inuenimus Ierem. cap. 25. vers. 23. & cap. 49. vers. 8. & apud Ezechielem cap. 25. vers. 13. & cap. 27. vers. 15. & 20. & cap. 38. vers. 13. Et quidem qui de Dadan nepote Abrahami orti sunt, (nam alios ex Dadan filio Regmæ proximè memorati ortos esse, certum est) creduntur in Idumæa, vel prope ipsam, inhabitasse, vt ex Ieremiæ locis proximè adductis, & Ezech. cap. 25. vers. 13: clarè videtur colligi posse. Scimus autem, Idumæam in Arabiæ confinibus Chananææ proximis extitisse. Similiter & Madianitas, qui sæpissimè nominantur in Sacris libris, tamquam Hebræis olim valdè infensi; Arabiæ partem, terræ Chananæorum propinquam, incoluisse perspicuum est. Et idem de Ephæis, qui de Epha filio Madian descenderunt, sentiendum videtur: quandoquidem Isaiæ cap. 60. vers. 6. Madianitis tamquam propinqui iunguntur illis verbis: *Dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient*, &c. Quamquam etiam constet, plures Madianitarum mixtim inter Ismaëlitas inhabitasse, ac proinde aliquando pro vna eademque gente vtrosque vsurpari, vt apertè colligere possumus ex collatione eorum quæ dicuntur Genes. cap. 37. vers. 28. vbi legimus, Iosephum fuisse venditum Ismaëlitis; cum his quæ infrà vers. 36. dicuntur, videlicet, Madianitas vendidisse illum Putiphari eunucho Pharaonis: & cap. 39. vers. 1. vbi idem Putiphar dicitur emisse Iosephum de manu Ismaëlitarũ. Ecce quomodo hæ duæ gentes inuicem confunduntur, & vicissim vna pro altera sumitur. Idem quoque videtur posse colligi Iudic. cap. 6. vers. 3. vbi Madianitę cum Amalecitis contra Hebræos venisse dicuntur. & mox iidem cap. 8. vers. 24. Ismaëlitæ appellari videntur. Sed hic silentio prætereundum non est, quòd quidam putant, ab hisce posteris Abrahami (quos posterioribus deinde temporibus de Arabia in Asiam transisse, Indiæque regiones penetrasse, atque in vastissimis illis regionibus disseminatos esse, facilè credi potest) prodiisse Brachmanos; rati eos sic, nonnihil corrupto vocabulo, tamquam Abrahamos nuncupari. Ad cuius rei confirmationem facere videtur, quòd isti reliquis Indis videantur esse religiosiores, vt colligi potest ex his, quæ de hac gente tradit Io. Petrus Maffeius libro 1. Historiarum Indicarum longè

DE SABAEIS

DEDANAEIS

MADIANITIS,

EPHAEIS.

CVR MADIANITARVM ET ISMAELITARVM NOMINA ALIQVANDO ALTERVM PRO ALTERO VSVRPENTVR.

DE BRACHMANORVM ORIGINE.

lòngè post medium: tametsi reuerà ipsorum vana atque omnino falsa sit religio, quemadmodum ex ibidem relatis manifestum est. Et quoniam, vt ibidem quoque dicitur, ipsi Perabrammam nescio quem deorum antiquissimum colunt; profectò, si per hunc, vt ipsa nominis similitudo indicat, primum ipsorum vetustissimumq; parentem Abrahamum intelligerent, res planè clara esset: verumtamen quia de hoc nihil constat, res incerta manet, & nos nihil certi habemus quod pro hac opinione (quæ tamen probabilis & quodammodò plausibilis esse videtur) in mediumq adferre possimus.

5. Quod verò attinet ad munera, quæ Abraham, vt suprà num. 2. dictum est, traditur dedisse filiis Agar & Ceturæ; si quis percontetur, quænam fuerint, respondet beatus Epiphanius in Compendiaria doctrina, quæ habetur in calce sui Panarij, his verbis: *Filiis Cetura dona erant, pecunia præsentes, aurum, argentum, ac vestitus: & in mysteria conclusit Abraham in peris, thus, & myrrham, & aurum Regum Sodomorum & Gomorrha; quando*, vt dicitur Genes. cap. 14. *Chodorlahomor, & Bersa, & reliqui captiuitatem à Sodomis, & Gomorrhæis, ac reliquis acceperunt, & equas deprædati sunt, & hominum multitudinem captiuam abduxerunt, & ab vnoquoque opulentiam pecuniarum, & aliarum rerum multitudinem diripuerunt, quam reduxit Abraham tunc à cæde Regum, & neque auertere ea, quæ iam Deo destinata erant, ausus fuit, sed dedit ipsam cũ aliis donis, filiis suis ex Cetura.* hæc S. Epiphanius. qui non videtur aliter posse defendi ab errore, saltem in eo quod spectat ad diuitias Regis Sodomorum, nisi supponendo, ipsum non ex propria, sed ex Hebræorum sententia esse locutum. (subdit enim: *veluti in Hebræarum traditionibus reperimus*) alioqui manifestus error est, dicere, dona quæ dedit Abraham filiis Ceturæ, fuisse coaceruata ex diuitiis Regis Sodomorum: quia clarè patet Genes. cap. 14. ver. 22. ipsum Abraham, quando reuersus est à cæde Chodorlahomor & Regum qui cum illo venerant, nihil penitus penes se retinere voluisse de spoliis recuperatis, quæ fuerant Regis Sodomorum: nam cùm ipse Rex Sodomorum obuiàm victori Abrahamo venisset, dixisseтque ei: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* respondit Abraham: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terra, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt; ne dicas: Ego ditaui Abraham*, &c. Et idem videtur fecisse de spoliis aliorum Regum Pentapolis, quorum nomine fortassis Rex Sodomæ, tamquam dignior, loquebatur: nam eadem prorsus ratio militabat. Oportet igitur dicere, dona quæ dedit Abraham filiis concubinarum, fuisse vel ex propriis pecuniis & mobilibus, quæ ad hoc paulatim reponendo coaceruauerat: vel ex pecuniis & spoliis, quæ propria fuerant dicti Chodorlahomor & sociorum eius, quos in prælio superauerat, non autem Regum Pentapolitanorum.

DE MVNERIBVS ABRAHAE, FILIIS CETVRAE DATIS.

6. Ceterùm hîc si quis quærat, cur Deus voluerit Abrahamum nunc demum aliam ducere vxorem, in tam prouecta eius præsertim ætate, & alios filios procreare: dicere possumus, id factum fuisse, vt vberiùs & copiosiùs diuina impleretur promissio eidem facta Genes. cap. 17. vers. 2. illis verbis: *Multiplicabo te vehementer nimis.* & post pauca: *Erisq; pater multarum gentium, nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham; quia patrem multarum gentium constitui te; faciamq; te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, Regesq; ex te egredientur.* Verumtamen S. Augustinus alias postremi huius coniugij causas adducit lib. 16. de Ciuit. cap. 34. ita scribens: *Quid sibi vult, quòd Abraham post mortem Saræ Ceturam ducit vxorem? Vbi absit, vt incontinentiam suspicemur, præsertim in illa iam ætate, & in illa fidei sanctitate. An adhuc procreandi filij quærebantur, cùm iam Deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Isaac super stellas cæli, & arenam terræ, fide probatissima teneretur? Sed profectò, sicut Agar & Ismaël, docente Apostolo, significauerunt carnales veteris Testamenti: cur non etiam Cetura & filij eius significent carnales, qui se ad Testamentum nouum existimant pertinere? Ambæ quippe & vxores Abrahæ, & concubinæ sunt appellatæ. Sara verò numquam dicta est concubina, sed vxor tantùm. Habent ergo nonnulla munera filij concubinarum; sed non perueniunt ad regnum promissum, nec hæretici, nec Iudæi carnales; quia præter Isaac nullus est heres: & non qui filij carnis, hi filij Dei: sed filij promissionis deputantur in semine, de quo dictum est: In Isaac vocabitur tibi semen. Neque enim video, cur etiam Cetura post vxoris mortem ducta, nisi propter hoc mysterium dicta sit concubina. Quid verò, si & hoc in isto facto præuisum est contra hæreticos futuros secundarum aduersarios nuptiarum: vt in ipso patre multarum gentium, post obitum coniugis iterùm coniugari demonstraretur non esse peccatum.* sic B. Augustinus.

CVR ABRAHAM SENEX ALIAM DVXERIT VXOREM.

7. Cuius profectò mystica opinio, Apostoli præsertim auctoritate firmata, mihi valdè admodum arridet. Etenim prophetica hæc præfiguratio, in vxoribus & filiis Abrahæ facta, perbellè videtur congruere cum his, quæ in vniuersali postmodum Ecclesia acci-

QVID PRAEFIGVRATVM SIT IN VXORIBVS ABRAHAE.

accidiſſe videmus: nam quemadmodum Sara primaria Abrahæ vxor, licet antiquior, tardiùs tamen concepit quàm Agar: ita ſpiritualis vita, tametſi in ſe ipſa prior ſit, ſerius tamen in hunc mundum inuecta & fructificaſſe videtur, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 15. v. 46. *Non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale. Primus homo de terra, terrenus; ſecundus homo de cælo, cæleſtis.* Item ſicuti ſemen Abrahæ ex Sara, tardiùs ac difficiliùs creuiſſe videtur, quàm ex Agar & Cetura, ſiquidem Sara vnum tantùm filium genuit Iſaac, qui duos dumtaxat habuit liberos; Iſmaël autem Agar filius duodecim, & Cetura ſex, poſt modicum tempus genuerunt: ita populus carnalis multò citiùs ac faciliùs cernitur multiplicatus & auctus, quàm ſpiritualis. Præterea diſtinguuntur quidem filij Agar à filiis Ceturæ, de patre valdè ſene natis, prout etiam carnales homines veteris ac noui Teſtamenti, quòd illi, nimirum Iudæi, tempore præceſſerint; iſti autem, nempe hæretici, fide ac veri Dei notitia iam admodum ſeneſcente, potiſſimùm exorti ſunt: nihilominus in eo ſimul conueniunt; quòd quemadmodum tam filij Agar quàm Ceturæ de paterna domo tandem eiecti ſunt, & quibuſdam tantummodò acceptis donariis hereditate priuati: ita hæretici, non ſecùs ac Iudæi, de ſancta Dei Eccleſia pulſi, nonnullis temporalibus à Deo donati muneribus, ad gratiam quam vocant gratis datam pertinentibus, gratiæ gratum facientis expertes, non computantur inter heredes æternorum bonorum, hoc eſt, in ſortem adoptionis filiorum Dei. Denique, vt notat etiam Pererius ſuper Geneſ. cap. 25. num. 8. quemadmodum Hebraicus ille populus ex Sara progenitus nullas olim gentes expertus eſt ſibi infenſiores, quàm illas, quæ carnali quadam cognatione eidem erant propinquæ, quales fuere Moabitarum atque Ammonitarum populi, qui de Lot Abrahami nepote deſcenderant; & Idumæi ac Amalecitæ, qui de Eſau fratre Iacob originem duxerant; & deniq; etiam ipſi Iſmaëlitæ & Madianitæ, qui de ipſomet Abrahamo ex Agar & Cetura orti fuerant: ita & nunc populus Chriſtianus & Catholicus nullum maius detrimentum tolerat, aut grauiorem patitur perſecutionem, quàm ab his nationibus, quæ ſpirituali quadam coniunctione nobiſcum teneri videntur; cuiuſmodi ſunt Iudæi, qui eaſdem pænè ac nos ſacras profitentur Scripturas; & hæretici, qui eiuſdem Chriſti, quem nos colimus, & ipſi cultores dici volunt; tametſi reuerà verum eius cultum infinitis erroribus & peruerſitatibus iugiter commaculare ac contaminare non ceſſent. Ecce tres naturales Abrahami propagines, quæ de tribus mulieribus inter ſe conditione temporeque diuerſis prodierunt, quàm belle præfigurabant tria præcipua hominum genera, quæ diſpari admodum ſtudio diuinum cultum ſub vtroque Teſtamento amplecti ac profiteri debebant, nempe Iudæos, Catholicos, & hæreticos.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2198.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 86.

ISAAC ORAT DOMINVM PRO REBECCA STERILI, ET TANDEM EXAVDITVR.

☞ I ANNO, vt opinor, circiter decimonono, ex quo Iſaac duxerat Rebeccam vxorem, cùm iam diu antè ipſe Iſaac, nimirum ex quo cognouerat vxorem ſuam, quam vnicè diligebat, eſſe ſterilem, deprecatus eſſet Dominum vt eam fecundaret, atque iam multo tempore in hac precatione perſeueraſſet: tandem hoc anno, menſe circiter (vt arbitror) tertio deſinente, vel quarto inchoante, exauditus fuit à Domino; qui conceſſit Rebeccæ non modò vt conciperet, ſed etiam vt gemellos in vtero haberet. quæ vt primùm ſe concepiſſe aduertit, debitas Deo gratiarum actiones cum viro ſuo creditur alacriter exoluiſſe: verùm procedente tempore, non ſine graui ſuo dolore & moleſtia, ſentiens in vtero paruulos præter ordinarium naturæ curſum inter ſe collidentes; perrexit, ſiue, vt quidam putant, ad montem Moria, ſiue ad aliquem alium locum tunc deuotione celebrem, & vel ipſamet orando, vel per alium, puta Sacerdotem aut Prophetam, conſuluit Dominum, obnixè rogando, vt quidnam hoc eſſet, ei indicaret, qui ſiue per Sacerdotem aut Prophetam, vt dictum eſt, aut per ſomnia, aut per Angelum, (non enim ſcire poſſumus, quomodo id actum fuerit) reſpondit: Duas gentes ex vtero eius egreſſuras, inter ſe aduerſantes, & quòd tandem maior ſeruitura erat minori, Geneſ. cap. 25. ver. 21. vſque ad 24. apertè indicans ac præſignans quod futurum erat, & factum poſteà eſt: nimirum de duobus paruulis, quos tunc Rebecca geſtabat in vtero, poſt multa tempora ortum iri duos populos; nempe de primo, qui vocatus eſt Eſau & Edom, Idumæos; de altero verò, cui nomen fuit Iacob & Iſraël, Iſraëlitas; & quod tandem Idumæi ab Iſraëlitis erant ſubiugandi, quod temporibus Dauidis accidiſſe deſcribitur 2. Reg. cap. 8. verſ. 14. & 1. Paralipom. cap. 18. v. 12.

QVID PORTENDERIT, COLLISIO PARVVLORVM IN VTERO REBECCAE.

Et

Et licet posteà, regnante in Iuda Ioram filio Iosaphat, ipsi Idumæi rebellauerint, seque à Iudæorum subiectione subtraxerint, vt legimus 2. Paralipom. cap. 21. ver. 8. & sequentibus; tamen non multò pòst, ab eodem Rege Ioram grauiter percussi sunt, vt ibidem subiicitur; & post aliquot annos, ab Amasia Rege Iuda adhuc magis humiliati fuerunt, vt dicitur 2. Paralipom. cap. 25. vers. 11. & 12. ac demum, multis elapsis temporibus, dominante in Iudæa Hircano Simonis filio, & Iudæorum summo Pontifice, ab eo penitus subiugati sunt, vt videre est apud Iosephum 13. Antiq. cap. 17. Nec deinceps, donec mansit regnum Iudæorum, vspiam legimus, Idumæos se ab illorum imperio subtrahere vmquam potuisse.

2. Sub finem eiusdem anni, qui erat vitæ Abrahami centesimus sexagesimus, vt patet in tabulis, decessit ex humanis Analius Assyriorum Rex, qui regnauit annos quadraginta, vt scriptum reliquit Eusebius in Chronicis.

OBITVS ANALII ASSYRIORVM REGIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2199. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 87.

1 ANNO proximo circiter inchoante, regnauit super Assyrios Baleus, huius nominis primus, siue Balaneus, qui & Xerses, fuitq; Rex ipsorum sextus, nimirum à Nino, vt videre est apud eundem Eusebium ibidem. Nam à Belo fuit septimus, vt tradit S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 3. Dictus verò est Xerses, id est, victor, siue bellator, & triumphator, quia duplo plures gentes sub suo iure habuit, quàm Analius, regnauitque vsque ad Indos, vt ex Beroso refert Genebrardus libro primo suæ Chronologiæ. Alter autem Baleus fuit octauus Assyriorum Rex, de quo infrà suo loco dicemus.

REGNAT IN ASSYRIA BALEVS HVIVS NOMINIS PRIMVS, QVI IMPERIVM AVXIT.

2. Eodem pænè tempore Isaac erat sexagenarius, Genes. cap. 25. vers. 26. id est sexagesimum vitæ annum expleuerat, & sexagesimum primum iam ingredi cœperat (vt digestum in tabulis) quando nati sunt ei paruuli, Esau scilicet & Iacob. Qui primus egressus est, (quoniam rufus erat & hispidus, id est, præter nascentium consuetudinem, valdè pilosus, adultorum more,) nominatus est Esau; quam vocem, Hebraicæ linguæ Professores, facturam, seu factum, interpretantur: pilorum namque eius copia & asperitas, quodammodò perfecti iam viri magis quàm infantuli speciem referre videbatur. Idem quoque infans, ob easdem eius qualitates, duo alia nomina sortitus est; nempe, Edom, quod Latinè sonat rufum; & Seir, hoc est, hispidum. Vnde mons, quem ille posteà vir effectus incoluit, ab ipso, mons Seir denominari cœpit, & tota illa regio, quam ipse & posteri eius deinceps populis repleuerunt, Terra Edom, seu Idumæa dicta est. Vnus ergo atque idem vir, tribus appellatus est nominibus, nimirum, Esau, Edom, & Seir, vt ait beatus Hieronymus super cap. 1. Abdiæ. Alter autem eius frater, eò quòd germani de matris vtero primùm egredientis plantam manu teneret, dictus est Iacob, hoc est, supplantator, Genes. cap. 25. vers. 25. tametsi à Deo posteà Israël nuncupari meruerit, vt proprio dicemus loco.

DE ORTV ESAV ET IACOB FILIIS ISAAC.

ESAV CVR TRINOMINIS.

IACOB CVR SIC DICTVS.

3. Per hæc circiter tempora, regnum Argiuorum in Græcia initium habuisse, scriptum reliquit Eusebius in Chronicis. idem confirmat S. Augustinus lib. 18. de Ciuitate cap. 3. dicens, quòd Regnum Argiuorum simul cum Abrahæ nepotibus ortum est. Et primus ipsorum Rex, nomine Inachus, regnasse dicitur annis quinquaginta. Ceteros eius successores, ex Castore Chronographo antiquo, ordinatim recenset idem Eusebius vbi suprà, singulos singulis regni annos assignans; aitque regnum hoc vsque ad Stelenum Crothopi filium perdurasse annis trecentis octoginta quattuor. Sed dic meliùs (vt ex ipsorum computatione constare poterit) trecentis octoginta duobus, vsque ad Pelopem, qui regnum Argiuorum ad Mycenenses transtulit, annis quingentis quadraginta quattuor. Erant autem Mycenæ & Argos duæ inclytæ Peloponnesi, quę nunc Morea dicitur, vrbes, non valdè procul ab inuicem dissitæ. Ceterùm hoc Inacho, & successore eius Phoronæo, primis Argiuorum Regibus, nihil in Græcorum Historiis & Annalibus & fabulis antiquius reperiri, probat latissimè Pererius in Exod. cap. 2. Disput. 3. plurimis antiquissimorum Scriptorum testimoniis.

DE INITIO ET DVRATIONE REGNI ARGIVORVM.

INACHO ET PHORONÆO NIHIL IN GRÆCORVM HISTORIIS ANTIQVIVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2213. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 101.

1 ANNO vitæ suæ centesimo septuagesimo quinto propè expleto, vt colligitur Genesis cap. 25. versic. 7. & sequentibus, Abraham plenus dierum, quos sanè non

DE ABRAHAMI OBITV.

non otiosè neque incassum, sed plurimis sanctissimisque operibus atque exemplis refertos traduxerat: in ætate non præpropera, sed matura & prouecta: in senectute, non sibi suisque molesta ac morosa, sed pacata, quieta, ac venerabili: non vlla doloris morbive violentia, sed per naturalem resolutionem, sensim ac leniter, ne dicam quodammodò iucunde deficiens, mortuus est, & sepultus à filiis suis Isaac & Ismaël in spelunca duplici, in qua ipse prius vxorem suam Saram tumulauerat. Dicitur autem Abraham Genes. cap. citato vers. 8. congregatus ad populum suum, siue (quod in idem recidit) iuisse ad patres suos; quemadmodum multò anteà eidem prædixerat Dominus Genes. cap. 15. vers. 15. dicens: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Quæ verba non de ipsius Abrahami corpore, quod in sepulchro à se condito collocarum, in quo nondum quisquam de patribus suis, neque de populo suo, præter Saram, positus fuerat, possunt intelligi: sed de eius anima, quæ ad cœtum iustorum sui similium congregata fuit, videlicet cum animabus Adæ, Abelis, Seth, Enos, Noë, & aliorum, qui ante ipsum in Dei gratia decesserant, atque in sanctorum Patrum Limbo, Redemptorem mundi expectabant, qui tandem apertis cælorum ianuis, quas hominum peccata obstruxerant, eos inde eductos ad cælestia regna perduceret. Propterea (vt ait Paulus Burgensis, in postrema Additione sua super Genes. cap. 49.) Scriptura sacra, quando agit de morte iustorum ante passionem Christi, vtitur hisce verbis: Appositus est ad patres suos. vel, Congregatus est ad populum suum. vel, Dormiuit cum patribus suis. aut quid huiusmodi. Quando verò loquitur de iustis post Christum passum mortuis, dicit eos obdormisse in Domino, vt patet de S. Stephano Actor. cap. 7. in fine. vel dormisse in Christo, vt 1. Cor. cap. 15. vers. 18. & hoc, quia ante Christum mortui, quantumcumque sancti, non poterant obdormire in Domino, hoc est, requiescere in beata eius fruitione; sed congregabantur & requiescebant cum populo, seu cum patribus suis, mundi redemptionem expectantibus, vt dictum est.

Et sepultura.

Verba Genes. explicantur.

§. 2. Porrò quod attinet ad hasce locutiones, videlicet, Ire ad patres suos; vel, Congregari, seu Apponi, aut Colligi, Iungive, ad populum suum, vel populis suis; vel, Dormire cum patribus suis, & si quæ sunt aliæ huiusmodi; duo sunt aduertenda. Primum est, eas in Testamento veteri sæpissimè dici non solùm de iustis, vt patet de Abraham, Genes. cap. 25. vers. 8. de Isaac, cap. 35. vers. 29. de Iacob, cap. 49. in fine, & de aliis; sed etiam de Ismaële, cap. 25. vers. 17. quamuis dubium sit, vtrùm inter damnatos potiùs computari debeat, an inter salutem consecutos, vt sub anno mundi 2261. num. 2. ostendemus; & prætereà de Achab, 3. Reg. vlt. vers. 40. & de Achaz, 2. Paralipom. cap. 28. in fine; de quorum damnatione nulla extat dubitatio. & denique de aliis ferè omnibus Regibus quantumuis impiis, qui in Regum Paralipomenònve libris memorantur, vt eos legenti constare poterit. Alterum est, memoratas clausulas siue elocutiones reuerà quidem, vt testantur Hebrææ linguæ Professores, esse quasdam Hebraicas phrases; quales sunt apud Latinos, Decessit, Vita functus est, Animam Deo reddidit, & huiusmodi, significantes, eos de quibus dicuntur esse mortuos: attamen illud quoque fateri debemus, Hebraicæ linguæ proprietatem ita diuino consilio fuisse institutam, vt interdum eademmet verba non solùm res & verbalem sensum vulgaribus hominibus eleganter admodum significarent, verumetiam Sapientibus abdita quædam rerum mysteria quoquomodò indicarent; vt optimè Pererius super Genes. cap. 19. num. 42. & cap. 25. num. 76. adnotauit. Quare ex memoratis Scripturæ clausulis non ineptè elicit Theodoretus quæst. 109. in Genes. spem dari resurrectionis ad aliam vitam. & Caietanus super Genes. cap. 25. ex eisdem colligit, non semel in veteri Testamento mentionem fieri immortalitatis animorum. & Pererius vbi suprà addit, indicari quoque modum existendi animarum post hanc vitam; nimirum eas non ab inuicem seiunctas & quasi solitarias manere, sed in modum cuiusdam populi, socialem inter sui similes vitam agere: bonas quidem in loco salutis, malas verò in loco damnationis, prout cuiusque in hoc mundo acta meruerunt. Possumus etiam prædictis adiicere, immortalitatem quidem animæ clarius ostendi illis verbis, Congregatus est, siue Appositus ad populum suum, & similibus in Pentateucho sæpius vsitatis: resurrectionem verò corporum euidentiùs exprimi illo dicendi modo, quo in libris Regum & Paralipomenon Scriptura passim vti consueuit; nimirum: Dormiuit cum patribus suis: ac si per hoc inferre velit, mortuos illos aliquando resurrecturos, non secus ac solent dormientes de somno expergisci. Sed si de resurrectione mortuorum veteris Testamenti testimonia exquiramus, nullum videtur illustrius, quàm illud sancti Iob cap. 19. vers. 23. vbi tam assertiuè loquitur, dicens: *Quis mihi tribuat vt scribantur sermones*

De quibusdam sacræ scripturæ locutionibus.

Hebraicæ linguæ proprietas.

De animorum immortalitate, et corporum resurrectione, ex veteri testamento.

mones mei? quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. sic ille. Libet hîc ad maiorem sempiternæ huius testificationis intelligentiam, singula eius verba aliquantù accuratiùs ponderare. *Quis mihi tribuat*, &c, *quis mihi det*, inquit, ac si dicere voluisset: Vtinam qui solus potest omnia Deus eam mihi facultatem daret, vt ad æternam huius veritatis memoriam vbique perpetuò conseruandam, & in cordibus omnium hominum arctiùs imprimendam, possem eam scribere, & transmittere ad omnes gentes: scribere, inquam, non calamo & atramento in charta, quæ breui facileque consumi solet; sed stylo ferreo in tabulis plumbeis æreisve, aut etiam non vtcumque lapideis, sed ex durissima silice, qualis Celtica est, confectis; vel (vt alij hunc locum exponunt) celte, lapicidarum instrumento, in eadem silice sculpere, vt vel sic nulla vmquam temporum iniuria eam labefactare posset. Hæc est autem veritas, quam omnibus notissimam facere exopto: *Scio quòd Redemptor meus viuit.* Scio, ait, hoc est, non humana tantùm credulitate, sed plena omnino fide, Deo reuelante, teneo, palàm fidenterque confiteor, quòd Redemptor meus viuit, & viuet in æternum: & quòd sicuti ipse, qui est caput nostrum, semel resurrexit à mortuis numquam denuò moriturus; ita & ego tamquam membrum eius, licet indignum, *in nouissimo die de terra*, hoc est, de terrena ac corruptibili substantia ad vitam immortalem *surrecturus sum*, & rursum hac qua nunc sum pelle contectus, *& in carne mea videbo Deum meum*, nempe Christum, verum Deum & hominem; *quem ego ipse*, & non pro me alius, cui videnti & narranti me oporteat credere; sed ego ipse aperte & clarè propriis oculis, nimirum corporeis eius humanitatem, & mentalibus ipsius diuinitatem me visurum firmiter confido. Et ne putetis quòd vmquam à tali spe sim casurus, scitote quia *reposita est hæc spes mea in sinu meo.* id est, hęc mea certa atq; indubitata spes, iam in intimis penetralibus cordis mei tam altè arcteque defixa est, vt neque vlla impiorum potentia, neque hæreticorum fallacia, neque dæmonum fraudulenta suggestio aut tentatio eam à me separare valeat. Quid, quæso, de resurrectione mortuorum vel certiùs asserere, vel efficaciùs proferre potuisset ipsemet S. Paulus, qui vsque ad tertium cælum mirabiliter euectus vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui, aut alius noui Testamenti, ac primitiuæ Ecclesiæ Sanctus, plenè de tali mysterio & veritate ab ipsomet Redemptore nostro edoctus? Verùm nunc ad Abraham redeamus.

EXPONITVR LOCVS IOB DE CARNIS RESVRRECTIONE.

3. Eximij huius viri egregium habemus elogium Ecclesiastici cap. 44. vers. 20. in hæc verba: *Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria: qui conseruauit legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo. in carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis. Ideò iureiurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum, & vt stellas exaltare semen eius, & hereditare illos à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.* sic Ecclesiasticus, ac si dixisset: Abraham à Deo admodum magnificatus fuit, in eo præsertim, quòd appellatus & factus est pater multarum gentium, Israëlitarum, Ismaëlitarum, Madianitarum, & aliarum plurium, & insuper tot talesque alias repromissiones diuinitus accepit, vt magnam sane ac singularem inter alios iustos videatur à Deo gloriam consecutus: neque id quidem immeritò; quandoquidem ipse semper diligentissimum ac promptissimum se præbuit; tum vniuersè, in diuina ac naturali Lege obseruanda; tum præcipue, in retinendo fœdere, quod cum eo Deus pepigerat, Genes. cap. 15. vers. 18. tum denique in aliis, sibi ab eodem Deo signanter iniunctis, protinus executioni mandandis; quale fuit illud, egrediendi de patria & cognatione sua: sed potissimùm illa duo, quæ grauiora videbantur, circumcisionis nimirum suscipiendæ, & proprium vnicęque dilectum filium immolandi: quæ propterea specialiùs memorantur illis verbis: *In carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis.* Quamobrem non simplici dumtaxat promissione, vt prius, sed insuper iureiurando firmata, denuò pollicitus est ei Deus, nasciturum de semine suo Christum, (quæ fuit maxima eius & gentis suæ gloria) in quo benedicendæ erant omnes gentes: & præterea, mirum in modum augendam atque exaltandam posteritatem suam carnalem, sed multò magis spiritualem; siquidem illa possessura erat totam terram Chanaan, à Mari mortuo ad Mediterraneum, & à fluuio Ægypti vsque ad introitum Emath, vel etiam quandoque vsq; ad Euphraten, eiusdem terræ terminos: hæc verò dominatura erat vniuersis terrarum regionibus, iuxta illud Psalmi 71. *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine* (ni-

DE ABRAHAMI LAVDIBVS EX LIBRO ECCLESIASTICI

ECCLESIASTICI VERBA EXPLICANTVR.

mirum Iordane in circuitu) *vsque ad terminos orbis terrarum.* Neque verò sacri dumtaxat, sed Ethnici quoque Auctores, summis Abrahamum laudibus celebrarunt; vt colligi potest ex antiquorum testimoniis, quæ profert Iosephus 1. Antiq. cap. 8. nimirum Hecatæi, Nicolai Damasceni, & Berosi, cuius propria hæc sunt verba, ab eodem Iosepho relata: *Post Diluuium autem, decima ætate, apud Chaldæos erat quidam iustitiæ cultor, vir magnus, & sideralis scientiæ peritus*, &c. Ex quo loco etiam hîc obiter argumentari licet, non esse verum Berosum, qui ab Annio editus est; quippe qui nullam prorsus Abrahami mentionem faciat: cùm econtrariò ex prædictis constet, verum Berosum à Iosepho citatum, etsi breuiter, honorificè tamen de ipso fuisse locutum: & licet proprium eius nomen non expresserit, egregiè nihilominus eumdem descripsisse.

ABRAHAM AB ETHNICIS QVOQVE LAVDATVS.

BEROSVS ANNIANVS REIICITVR.

DE TEMPORE OBITVS ABRAHAE.

☞ 4. Ceterùm Abraham non trigintatribus annis ante Sem obiit, nec eidem Abrahæ superstes fuit Heber annis sexagintatribus, quemadmodum tradit Pererius super Genes. cap. 25. num. 44. sed annis quinquaginta septem post obitum dicti Sem, mortuus est Abraham; & quattuor dumtaxat annis post Abrahami obitum, è vita excessit Heber, vt ex supradictis, & præsertim sub anno mundi 2039. num. 1. vsque ad 12. à nobis contra ipsius Pererij opinionem de anno ortus Abrahæ fusiùs disputatis, colligi potest, & etiam apparet in tabulis.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT.

Vixit ergo Abraham cum	Sem	annis	centum decem & octo.
	Cainan		quindecim.
	Sale		centum decem & octo.
	Heber		centum septuaginta quinque.
	Reu		decem & octo.
	Sarug		quadraginta & vno.
	Thare		septuagina quinque.
	Sara		centum viginti septem.
	Ismaël		octoginta nouem.
	Isaac		septuaginta quinque.
	Iacob		quindecim.
	Esau		quindecim.

ISAAC QVAMDIV MANSERIT APVD PVTEVM VIDENTIS.

5. Post Abrahami obitum, Isaac habitauit iuxta puteum nomine Viuentis & videntis, qui erat in deserto Sur inter Cades & Barad, quemadmodum sub anno mundi 2124. num. 2. dictum est. & ibidem benedixit ei Dominus, Genes. cap. 25. vers. 11. nimirum benedictionibus, vt opinor, temporalibus, puta magnis opum incrementis. Quamdiu verò manserit Isaac in dicto loco, non facile est definire. Nam si verum esset, quod non temerè suspicatur sanctus Augustinus quæst. 75. in Genesim, scilicet, profectionem Isaac ad Abimelech non proprio loco, sed aliquanto inferiùs, nimirum post primogenita ab Esau vendita, per figuram, quam vocant recapitulationis, esse narratam: videretur satis probabiliter credi posse, ipsum Isaac non longo admodum tempore prope dictum puteum mansisse; sed post vnum aut alterum annum, exorta fame, inde recessisse. Verumenimuerò, quia ratio dubitandi, quam loco prællegato adfert S. Augustinus, supponit, eumdem fuisse istum Abimelech ad quem iuit Isaac, cum eo qui ante annos propè octoginta Saram Abrahæ vxorem abstulerat: & item, eumdem esse militiæ principem, qui vtrobique Phicol appellatur. Hoc autem supponere necessarium non est; cùm potiùs ob tantam temporum distantiam probabilius videatur esse diuersos, beato Hieronymo præsertim libro 9. Commentariorum in Ezechielem attestante, vocabulum Abimelech, olim fuisse nomen commune Regum Palestinæ, sicuti Pharao Regum Ægypti: & fieri possit, vt Phicol quoque nomen esset officij, non personæ: siquidem Phicol, Os omnium interpretatur; quasi ipse, tamquam militiæ princeps, ex ore omnium militum ac subditorum eius, loqui soleret Regi, eorumdem petitiones eidem, & eius responsa illis ore suo referens. Quare cùm in Sacra historia numquam recedendum sit à continuata Sacrorum textuum serie, sine euidenti necessitate, & ratione admodum vrgente, vel potiùs cogente, qualis hîc non apparet; multò probabilius videtur credere, profectionem ipsius Isaac ad Abimelech, in cap. Genes. 26. non per recapitulationem, sed quia ille erat proprius illius historiæ locus, fuisse descriptam. Quod si, vt credimus, ita est; oportet ipsum Isaac decennio circiter apud memoratum puteum moram traxisse: nam, vt diximus, cœperat ibi habitare paulò post obitum patris sui Abrahæ; quando, vt videre est in tabulis, filij sui Esau & Iacob erant iam annos quindecim nati: inde verò, orta fame, discessit, postea quam Esau iam primogenita sua pro lentis ferculo vendiderat, quando

scili-

fcilicer ipſe Eſau & frarer eius Iacob ad vigeſimum quintum ætatis annum peruenerant, vt ſub anno mundi 2223. num. 1. dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2217. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 105.

1 ANNO ætatis ſuæ quadringenteſimo ſexageſimo quarto propè exacto, Heber mortuus eſt, Geneſ. cap. 11. verſ. 17. iuxta Vulgatam Bibliorum editionem, quam ſequendam cenſemus. nam textus LXX. Interpretum corruptè habet, ipſum vixiſſe tantummodò quadringentis quattuor annis. Igitur ex memorato obitus ſui anno patet, ipſum Heber defunctum eſſe poſt omnes ſecundæ ætatis mundi Patriarchas, in Sacris litteris recenſitos. DE OBITV HEBER, ET ANNIS VITÆ EIVS.

2 Quòd autem ab eodem Heber tum ipſe Abraham, tum etiam poſteri eius, modo inferius explicando, cognominati fuerint Hebræi, ſententia eſt Ioſephi 1. Antiq. cap. 7. Euſebij circa ſui Chronici initia, vbi ſcilicet agit de nationibus Sem; B. Hieronymi in Traditionibus Hebraicis in Geneſ. cap. 10. Bedæ in Quæſtionibus in Geneſ. vbi loquitur de Gentium diuiſionibus, S. Iſidori Originum lib. 9. non ſemel, præſertim verò vbi diſſerit de Gentium vocabulis, vocabulo Heber; & aliorum. Beatus etiam Auguſtinus, quamuis lib. 1. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 14. exiſtimauerit, Hebræos ab Abraham fuiſſe denominatos, quaſi Abrahæos: idem tamen libro 2. Retractationum cap. 15. & lib. 16. de Ciuit. cap. 3. & lib. 18. cap. 39. priorem renuit opinionem, quam poſteà ſecuti ſunt plures ac præcipui ex recentioribus ſacræ Scripturæ Expoſitoribus, nempe Lyranus, Abulenſis, Caietanus, Eugubinus, & Pererius, ſuper Geneſ. cap. 14. his potiſſimùm moti rationibus, quòd ex Hebraicæ vocis ſignificatione ac ſcriptione, Hebræus ab Heber potiùs, quàm ab Abram, aut ab Habar, deriuari videatur: item quòd certum ſit, Geneſ. cap. 14. verſ. 13. ipſummet Abram denominari Hebræum; neminem verò à ſeipſo, ſed ab alio, propriam accipere denominationem: & prætereà, quòd ſicuti omnium conſenſu conſtat, linguam Hebræam ab Heber, ita credibile eſt, Hebræos ab eodem à quo linguam etiam nomen ſortitos. Denique hoc idem videtur confirmari poſſe ex 2. ad Corinth. cap. 11. verſ. 22. vbi Apoſtolus ait: *Hebræi ſunt, & ego: Iſraëlitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego*. Illa enim diſtinctio Hebræorum à filiis Abrahæ & Iſraëlis, vtrique denotat fuiſſe alios Hebræos præter illos qui de Abraham & de Iſraële prodierunt. Er quidem ſi Hebræi ab Abramo, non autem ab Heber originem denominationemque duxiſſent: certè ſuperflua videretur illa præmiſſio: *Hebræi ſunt, & ego*. ſiquidem dicendo: *Semen Abrahæ ſunt, & ego*. neceſſariò inferebatur eos etiam eſſe Hebræos. Nec obſtat, plures alios eiuſdem Heber poſteros nullatenus Hebræos fuiſſe appellatos; quemadmodum conſtat, neque omnes ex Abraham & Iſaac progenitos, puta Iſmaëlitas, Madianitas, Naburhæos, Idumæos, Amalecitas, & ſi qui ſunt huiuſmodi alij, inter Hebræos computari: quoniam certiſſimum eſt, ſolos Heber poſteros, qui per rectam ab eo deſcendentium lineam vſque ad Abraham, Iſaac, & Iacob, deductam, ac deinceps in varios filiorum Iacob ramos & tribus diſtributam, exorti ſunt, non loquelam ſolùm litteraſque Hebraicas ac veri Dei cultum retinuiſſe, ſed etiã diuino conſilio Hebræos eſſe cognominatos. AB HEBER DENOMINATOS ESSE HEBRÆOS.

3. Vixit igitur Heber cum — annis — QVIBVSCVM ET QVAMDIV VIXERIT HEBER.

3. Vixit igitur Heber cum	Noë	annis	ducentis quinquaginta tribus.
	Sem		quadringentis tribus.
	Arphaxad		ducentis quadraginta tribus.
	Cainan		trecentis.
	Sale		quadringentis tribus.
	Phaleg		ducentis triginta nouem.
	Reu		ducentis triginta nouem.
	Sarug		ducentis triginta.
	Nachor		centum quadraginta octo.
	Thare		ducentis quinque.
	Abraham		centum ſeptuaginta quinque.
	Sara		centum viginti ſeptem.
	Iſmaël		nonaginta tribus.
	Iſaac		ſeptuaginta nouem.
	Iacob		decem & nouem.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2223. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS III.

1 ANNO vitæ Iacob circiter vigesimo quinto, quando scilicet ipse & frater eius Esau eodem partu editi, iam adulti erant, hoc est ad iustam staturæ suæ altitudinem creuerant; (quod enim nunc in fine tertij septennij vt plurimùm contingere solet, id tunc ob longiorem tardioremque ipsorum ætatem, circa vigesimum quintum vitæ annum euenire consueuisse admodum probabile est) credimus acta esse ea, quæ breuiter describuntur Genes. cap. 25. vers. 27. vsque ad finem capitis: nimirum de valdè inter se diuerso vitæ genere, quod prædicti duo fratres iam inietant, quorum alter, videlicet Esau, pænè totam in campo vitam agebat, agriculturæ atque venationi assiduè addictus: contrà Iacob longiores in tabernaculis moras trahebat, domi quidem corpus domesticis peragendis officiis exercens; de cetero animum bonis disciplinis excolere satagens, scholas quasdam, seu nonnulla tabernacula frequentabat, vbi tunc temporis de vero Dei cultu, de pietate ac ceteris virtutibus iuniores à senioribus edoceri consueuerant. Porrò Esau à patre admodum diligebatur, tum quòd primogenitus esset, tum quòd de eius venationibus Isaac vesci libenter soleret. Alterum verò, nempe Iacob, mater ampliùs diligebat; quòd fortè tamquam naturæ mitioris, & virtute præstantior, ipsi faciliùs obtemperaret; sed præcipuè, quòd diuino iam ipsa oraculo didicisset, maiorem minori seruiturum.

ESAV ET IACOB DIVERSVM VITAE GENVS INEVNT.

CVR ESAV A PATRE, IACOB AVTEM A MATRE MAGIS DILIGERETVR

2. Accidit autem, vt quadam die Esau rediens de agro lassus & esuriens, cùm vidisset fratrem tunc fortè sibi quoddam ex lente, vt creditur, Ægyptiaca edulium parasse; incensus maxima atque inordinata eiusdem cibi cupiditate, relictis aliis, de hoc solo ferculo ita se anxium auidumque ostenderet, vt sibi mori quodammodò videretur, nisi eo se protinus reficeret: quod aduertens Iacob, opportunam scilicet nactus occasionem repetendi à fratre ius primogenituræ, quam sibi diuinitus destinatam, à matre intellexerat: prudenter negat fratri escam, nisi priùs sibi prædictum ius cedat: ille pulmentum tantopere concupitum primogenituræ præferens, iureiurando sine mora adhibito, eam pro ferculo vendidit fratri, & vt gulæ appetitum expleuit, statim abiit, paruipendens quòd primogenita vendidisset, Genes. cap. 25. vers. 29. vsque ad finem capitis.

ESAV PRIMOGENITA VENDIT FRATRI.

3. Sanè hoc ius primogeniti, (vt partim ex B. Hieronymo Epist. 126. quæ est ad Euagrium; & in Traditionibus Hebraicis in Genes. cap. 27. & ex S. Thoma in caput Epistolæ ad Hebr. 12. & Lipomano super Genes. cap. 25. & aliis probatis Auctoribus colligi potest) tria in se præcipua includebat: nimirum, successionem in patris primatu atque honore; ita vt ceteri fratres, mortuo patre, ipsi primogenito assurgere ac ministrare tamquam patri ac domino tenerentur: item, facultatem accipiendi sibi duplicem bonorum paternæ hereditatis portionem: & denique prærogatiuam Sacerdotij, propter quam in solemnitatibus & conuiuiis publicis solebat primogenitus, sacerdotale veste indutus, ceteris benedicere, ac Deo hostias offerre. Atque hoc tertium de Sacerdotio primogenituræ adiuncto, concedunt omnes in vsu fuisse, saltem à Diluuio ad Moysaicam Legem, idque ex loco B. Hieronymi priùs allegato manifestè colligunt: nam alioqui ante Diluuium constat, Abelis exemplo, etiam non primogenitos sacrificia (quod Sacerdotis munus est) offerre consueuisse. Itaque si sic est, patet, prædictum Esau, in eo quòd primogenita vendidit, Simoniacum extitisse: ac proinde non immeritò ab Apostolo, textu ad Hebræos proximè citato, profanum (quod sacro contraponitur) appellari: Iacob autem emendo, nequaquam deliquisse; quia non propriè alienum emit, sed potiùs quod sibi iure debebatur, nec aliter poterat recuperare, tali occasione, tamquam sibi à Domino oblata, redemit.

IVS PRIMOGENITVRAE QVAENAM IN SE COMPREHENDERET.

ESAV SIMONIACVS.

4. Non multò pòst, vt arbitror, orta fame coactus est Isaac exire de deserto Sur, vbi prope puteum, nomine Viuentis & videntis, vt sub anno mundi 2213. num. 5. diximus, habitabat. Cùm igitur ad Ægyptum cum vniuersa domo sua pergeret, sicuti aliàs simili de causa fecerat pater suus Abraham, venit in Geraram, vbi tunc regnabat Abimelech; quo in loco apparuit ei primò Dominus, iussitque ne in Ægyptum descenderet, sed moraretur in terra Palæstinorum, pollicitus se cum eo mansurum, atque in ipso ac semine suo adimpleturum promissiones anteà factas ac iuratas patri suo Abrahæ; nimirum de multiplicanda exaltandaque eius posteritate, de tradendis eidem vniuersis regionibus terræ Chanaan, ac demum de benedicendis in semine suo cunctis

PRIMA DOMINI APPARITIO AD ISAAC.

cunctis gentibus; & hoc in gratiam ac remunerationem perfectæ obedientiæ Abrahami patris sui. Porrò hanc Dei pollicitationem ipsi Isaac factam, etiam iuramento eidem fuisse confirmatam, colligi potest ex Psal. 104. vers. 9. vbi sic legimus: *Quod disposuit ad Abraham, & iuramenti sui ad Isaac.* & quoniam ibidem sequitur, *Statuit illud Iacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum, dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ*; colligi etiam potest, eamdem promissionem iureiurando firmatam, successiue factam fuisse singulis illis tribus Patriarchis, Abraham, Isaac, & Iacob, iuxta illud quod expressum habemus Exod. cap. 33. vers. 1. illis verbis: *In terram quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens:* (subaudi, singulis) *Semini tuo dabo eam.*

5. Itaque Dei monitis obtemperás Isaac, mansit aliquamdiu in Geraris, quo tempore hæc ei accidisse memorantur. Primò, veritus ne ob vxoris suæ pulchritudinem à Palæstinis interficeretur, sciscitantibus respondebat, eam esse sororem suam: verumtamen, cùm post dies plurimos quadam die Rex per fenestram prospiciens, vidisset ipsum cum Rebecca iocantem, cognouit quòd illa esset vxor eius. Vt autem audiuit Isaac sese de hac re excusantem; publico statim edicto Rex præcepit vniuerso populo suo, pœna mortis transgressoribus proposita, nequis aduenæ vxorem tangere auderet: atque hoc pacto bonori vitæque securitati ipsius Isaac, fauente Deo, consultum fuit. Sed neque hunc tantùm obedientiæ suæ fructum retulit Isaac; verumetiam aliud non minùs mirabile: nam cùm in terra illa, eodem sterilitatis tempore fames sæuisset; Palæstinorum frugibus præ ariditate deficientibus, ipse diuina benignitate centuplam messem inuenit: quo fit, vt in summa illa annonæ caritate non solùm se suosque abundè alere potuerit, sed & insuper frumenta indigenis diuendens, ditatus sit valdè. Quæ res Palæstinorum inuidiam aduersum se excitauit, in tantum, vt quos serui patris sui Abrahæ ibi olim foderant puteos, ipsi liuore tabescentes obstruxerint. & ipsemet Rex diceret ei: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè.* Quamobrem vltrò inde discedens Isaac, venit ad torrentem Geraræ, foditque alios in torrente puteos, pro quibus iterùm & tertiò iurgium fuit inter pastores Geraræ & ipsius Isaac, qui tandem procul ab ipsis fodit alium puteum, de quo nulla deinceps rixa fuit. Nihilominùs ad declinandam incolarum Geraræ inuidiam odiaque clandestina, ascendit Isaac in Bersabee, quæ non inde admodum distabat. Placuit autem hoc Domino, qui in ipsamet prima nocte apparuit ei secundò, fortassis vt ob iurgia quæ à Palæstinis perpessus fuerat, mœrentem consolaretur; ac denuò promissiones eidem ac patri suo anteà factas confirmauit. Quibus lætificatus Isaac, ædificauit ibi altare, & inuocauit nomen Domini.

ISAAC DIO IVBENTE VENIT MANSITQVE IN GERARIS.

REBECCA REGIS EDICTO AB INIVRIA PRÆSERVATVR.

ISAAC EX AGRO SATO CENTVPLVM COLLIGIT.

A PALÆSTINIS INFESTATVR.

PALÆSTINORVM INVIDIAM DECLINANS VENIT IN BERSABEE, VBI SECVNDAM HABVIT DIVINAM VISIONEM.

6. Accessit quoque ipsi Isaac alia animi lenitio seu recreatio: siquidem non multò pòst quàm de Gerantarum ditione recesserat, Abimelech pœnitudine ductus molestiarum, quibus ipse & serui sui virum iustum ac domum eius immeritò affecerant, veritus, accusante conscientia, Dei vindictam, venit ipse cum aliquot primariis regni sui ad Isaac in Bersabee, vt cum eo fœdus percuteret: ille verò primùm demiratus, quòd ad se Palæstini, quem expulerant, nunc venire non erubescerent; mox cognita aduentus ipsorum causa, præteritarum prorsus immemor iniuriarum, eos amicè admodum liberaliterque excepit; & peracto conuiuio, iurauerunt sibi mutuò, ne se deinceps inuicem ampliùs læderent. Et pro hac, vt arbitror, mansuetudine hostibus suis exhibita, meruit Isaac diuina dispensatione eodemmet die lætum nuntium à seruis suis accipere; nimirum, inuentam esse aquam satis copiosam in puteo quem foderant. Quamobrem ipse, in memoriam huiuscemodi beneficiorum, imposuit puteo nomen Abundantiam, seu Saturitatem; vrbi verò, Bersabee. Sabee enim, teste B. Hieronymo in Traditionibus in Genes. cap. 21. etiam iuramentum interpretatur. Vtrùm autem hæc vrbis denominatio nunc primùm ab Isaac facta fuerit, an priùs ab Abraham, quando ibidem & ipse, vt legimus Genes. cap. 21. vers. 31. iurauit; & modò ab Isaac, ob aliud iuramentum ibidem à se præstitum, renouata fuerit; incompertum habemus. Ceterùm quam hîc retulimus historiam, latiùs inuenies descriptam Genes. cap. 26.

FŒDVS PERCVTIT CVM PALÆSTINIS.

INVENIT AQVAM, ET IMPONIT PVTEO ET VRBI NOMINA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2228. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 116.

1 ANNO vitæ Isaac nonagesimo circiter desinente, mortuus est Baleus, qui & Xerses, Rex Assyriorum, expletis ferè regni sui annis triginta, vt videre est apud Eusebium in Chronicis.

BALEI REGIS ASSYRIORVM OBITVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2229. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 117.

REGNAT IN ASSYRIA ARMAMERTES.

1 ANNO insequente circiter incipiente, regnauit apud Assyrios Armamertes, qui & Armatrites, siue Armamitres, Rex ipsorum septimus, vt ibidem notat Eusebius, videlicet à Nino: nam à Belo fuit octauus, iuxta sanctum Augustinum libro 18. de Ciuit. cap. 3.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2238. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 126.

ESAU DVCIT VXORES.

1 ESAV quadragenarius, quemadmodum anteà propter escam primogenita vendiderat, ita nunc carnales concupiscentias securus, & benedictionem seminis Abrahæ paruipendens, vt norat Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 12. duxit vxores alienigenas, scilicet Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci, Genes. cap. 26. vers. 34. id est, quæ ipsa quoque erat Hethæa, vt clariùs explicat ibidem editio LXX. Interpretum, & item euidenter colligi potest ex cap. sequenti vers. 46. editionis Vulgatæ, vbi ambæ appellantur filiæ Heth. Hæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ, Genes. cap. 26. vers. 35. nimirum quòd non solùm essent idololatræ, sed insuper pertinacis, contumacis, superbi ac fastidiosi ingenij. Aduertendum verò est, quòd dicta Basemath, alio nomine vocabatur Ada, vt colligitur Genes. cap. 36. vers. 2. ex quo etiam loco patet, ipsum Esau, præter prædictas, alias quoque duas posteà duxisse vxores, nempe Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon Heuæi; & aliam Basemath filiam Ismaël sororem Nabaioth, quæ alio nomine dicebatur Mahelerh, vt patet Gen. c. 28. vers. 9. Quare tres erant de filiabus Chanaan, duæ videlicet Hethææ, & tertia Heuæa; quarta verò filia Ismaëlis, vt dictum est. Ex his suscepit Esau plures filios, quorum nomina habemus Genes. cap. 36. vbi latè describitur tota ferè ipsius Esau genealogia seu posteritas, recensenturque Duces & populi, qui de ipso posteà propagati sunt, de quibus aliquid sub anno mundi 2319. num. 3. dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2249. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 137.

QVANDO REGNARE COEPERIT PHORONAEVS II. ARGIVORVM REX.

1 ANNO Armamertis septimi Assyriorum Regis vigesimo primo, qui concurrit cum anno vitæ Iacobi quinquagesimo primo, vt patet in tabulis, regnauit in Græcia Phoronæus secundus Argiuorum Rex, qui primus leges ac iudicia conscripsisse dicitur, quemadmodum tradit Eusebius in Chronicis. De hoc Rege, & de Niobe, quam quidam eius cõiugem, quidam verò filiam faciunt, & item de Deucalione & Pyrrha, tamquam de vetustissimis Græciæ hominibus, mentionem olim faciebat sapientissimus ille Solon, cùm de antiquissimis Athenarum rebus verba faceret coram senioribus ac sanioribus Ægyptiorum Sacerdotibus, vt eos ad sua narranda prouocaret, quemadmodum Plato refert in Timæo, non procul ab initio. Quod hic proptereà adnotare voluimus, vt omnes intelligant, quàm parum Græci quondam, etiam quique ipsorum sapientissimi, veræ antiquitatis fuerint studiosi; vtpote qui nihil ferme Phoronæo, & Niobe, ac Deucalione antiquius commemorandum haberent: & quàm aptè lepidèque (vt ibidem narratur) eidem Soloni antiquior ille Ægypti Sacerdos illuserit, dicens: *O Solo Solo, Græci pueri semper estis, nec quisquam è Græcia senex.* Et quàm rectè item, eodem Solone cur ita ille diceret percontante, subiunxerit: *Quia iuuenis semper vobis est animus, & in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia.* Quibus verbis duplici Ægyptius vir Græcos suggillatione notare voluisse videtur: Altera, quòd tamquam iuuenes, nullam rerum antiquissimarum notitiam callerent: (hoc enim & idem Solon, loco Platonis prænotato, ingenuè fatebatur, expertumque se esse dicebat, neque seipsum, neque alium Græcorum quemquam, vllam antiquitatis cognitionem habere.) Altera, quòd etiam illa, quantacumque esset, priscarum rerum cognitio, quam se habere credebant, magna nihilominùs ex parte dubia esset & incerta: nam & hoc quoque in confesso est apud omnes grauiores Historiarum ac Chronologiæ Professores, quòd pænè omnia, quæ Olympiades in Græcia præcesserunt, incomperta sunt, & quæ ex his pauca litteris prodita habentur, aut fabulosa censentur, aut quo tempore sint gesta, sciri vix potest.

ANTIQVITATIS COGNITIO APVD GRAECOS MODICA.

ANTE OLYMPIADES NIHIL CERTI APVD GRAECOS.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2258. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 146.

DE OGYGIS DILVVIO.

1 ANNO vitæ Iacob circiter sexagesimo (vt paulò pòst probabitur) in Græcia, hoc est in ea Achaiæ regione, quæ quòd magna sui parte littoralis esset, olim Acte,& deinde Attica vocata fuit,quasi Actica,factum est famosum illud Ogygis diluuium,quod tum Ethnici, tum Ecclesiastici Catholicique Scriptores admodum celebrarunt. Huius meminit S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 8. & Iulius Africanus, multique alij peruetusti Auctores apud Eusebium libro 10. de Præparatione Euangelica cap. vlt. memorari,& Iustinus Martyr in Sermone exhortatorio ad Gentes,& Orosius lib. 1. & Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, & alij quamplurimi. Dicitur autem diluuium Ogygis, ad differentiam aliorum, Noëtici scilicet & Deucalionis; & quia Ogyge tum in Achaia regnante contigit. Siquidem eo tempore vniuersa illa regio eiusdem diluuij aquis vsqueadeò demersa ac subuersa fuisse traditur, vt ducentorum posteà annorum spatio inculta prorsus atque inhabitata remanserit. Puto autem istam eluuionem non ex validis tantùm diurnisque imbribus, sed magis ex extraordinaria quadam & mirabili maris intumescentia ac inundatione, vi ventorum accidisse: siquidem regio illa, vt dictum est, ferè tota erat littoralis, hoc est, in ora maris Ægæi posita: & si aquis dulcibus tantùm, non etiam valdè salsuginosis obruta fuisset; non videretur posteà tam diu sterilis & infecunda permanere potuisse. Sanè hoc diluuium euenisse annis mille & viginti ante primam Olympiadem, scribit Eusebius vbi suprà, ex Iulio Africano attestante id asseruisse antiquissimos Scriptores, Halanicum & Philocorum, omnesque alios, qui Atheniensium Annales conscripserunt; & in eamdem sententiam conuenisse Castorem & Thallum, qui Syriacam historiam diligenter tractarunt, & Diodorum Siculum, aliosque permultos. Ab eadem sententia parum quoque discessisse videtur Orosius lib. 1. cap. 7. dicens, hoc diluuium accidisse annis mille & quadraginta ante Vrbem conditam, hoc est, mille sexdecim ante primam Olympiadem: siquidem ab initio Olympiadum ad iacta Vrbis fundamenta intersunt anni quattuor & viginti. Verùm quia, vt sub anno mundi 3278. num. 3. ostendemus, non eadem est Auctorum sententia de anno Regum Iuda quo cœperint Olympiades; mirum non est, si neque inter ipsos conuenit, quonam vitæ Iacob anno, Ogygis diluuium euenerit. Nos qui, ob rationes loco proximè notato adducendas, credimus, primum primæ Olympiadis annum cum anno regni Ioathan primo concurrisse; consequenter memoratum diluuium sub hoc sexagesimo vitæ Iacob anno ponere debemus, qui primum dicti Ioathan regni annum mille ac viginti annis antecessit, vt facilè supputari potest in tabulis. Ex iisdem quoque tabulis colligi poterit, Ogygis diluuium ducentis octoginta quinque circiter annis ante exitum Israëlis de Ægypto, & sexcentis duobus post Noëticum diluuium accidisse. Vnde fit consequens, toto, quòd aiunt, cælo, aberrasse Io. Annium, & qui eum sequuntur, existimantes Noë ab Ethnicis nuncupatum fuisse Ogygem; atque idem prorsus esse Noëticum Ogygisque diluuium: deinde, nullatenus esse recipiendam illorum opinionem, qui Ogygis diluuium prope exitum Israëlis de Aegypto putant esse factum; nisi fortè, quod magis vereor, Ogygis diluuium confuderint cum diluuio Deucalionis, quod quidem tempore Moysi in Thessalia Græciæ prouincia euenisse, nos sub anno mundi 2530. ostendemus.

DE DICTI OGYGIS DILVVII TEMPORE.

REFVTATVR IO. ANNIVS.

DE PORTENTO QVOD IN STELLA VENERIS ACCIDISSE PERHIBETVR.

2. Aliud quoque portentum regnante prædicto Ogyge accidisse, refert ex Marco Varrone S. Augustinus libro de Ciuit. 21. cap. 8. ita scribens: *Est in M. Varronis libris, quorum inscriptio est*, De gente populi Romani; *quod eisdem verbis, quibus ibi legitur, & hic ponam: In cælo, inquit, mirabile extitit portentum. nam stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperon appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit tantum portentum extitisse, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum; quod factum ita neque anteà neque posteà sit. Hoc factum Ogyge Rege dicebant Adrastus Cyzicenus & Dion Neapolites, Mathematici nobiles.* hæc ille. Super quo portento sic ibidem non multò pòst disserit idem S. Augustinus: *Quid, inquit, ita dispositum est ab Auctore naturæ cæli & terræ, quemadmodum cursus ordinatissimus siderum? Quid tam ratis legibus fixisque firmatum? Et tamen, quando ille voluit, qui summo regit imperio ac potestate quod condidit; stella præ ceteris magnitudine ac splendore notissima, colorem, magnitudinem, figuram, & (quod est mirabilius) sui cursus ordinem legemque mutauit. Turbauit profectò tunc, si vlli iam fuerunt, canones Astrologorum, quos velit inerrabili computatione de* pre-

præteritis ac futuris astrorum motibus conscriptos habent: quos canones sequendo, ausi sunt dicere, hoc quod de Lucifero contigit, nec antea nec postea contigisse. Nos autem in Diuinis libris legimus, etiam solem ipsum & lunam stetisse, cùm hoc à Domino Deo petiuisset vir sanctus Iesus Naue, donec cœptum prælium victoria terminaret: & retrorsum rediisse, vt Regi Ezechiæ quindecim anni ad viuendum additi, hoc etiam prodigio promissioni Dei significarentur adiuncto. Sed ista quoque miracula, quæ meritis scimus concessa Sanctorum, quando credunt isti facta, magicis artibus tribuunt. Vnde illud est quod dixit Virgilius:

Sistere aquam fluuiis, & vertere sidera retrò.

Nam & fluuium stetisse superiùs, inferiusq; fluxisse, cùm populus Dei, ductore suprà memorato Iesu Naue, viam carperet: & Elia Propheta transeunte, ac posteà discipulo eius Elisæo, id esse factum, in Sacris litteris legimus: & retrò versum fuisse maximum sidus regnante Ezechia, modò commemorauimus. Quod verò de Lucifero Varro scripsit, non est illic dictum, alicui homini petenti id fuisse concessum. hucusque B. Augustinus. Verumtamen, an memoratum Veneris portentum ante prædictum diluuium euenerit, & aliquo modo ipsius causa esse potuerit, an verò subsecutum sit; hactenus explorare non potui. Sed iam tempus est, vt ad Sacram redeamus historiam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2261. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 149.

DE OBITV ET ANNIS VITAE ISMAELIS.

1 ANNO vitæ Iacob sexagesimo tertio, vt videre est in tabulis, mortuus est Ismaël Abrahæ filius, cùm vixisset annos centum triginta septem, Gen. cap. 25. vers. 17. Dicitur autem ibidem, Ismaël obiisse coram cunctis fratribus suis, hoc est, præsentibus cunctis filiis suis, vt exponit B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim; vbi fratres interdum pro filiis vsurpari, probat exemplo Iacob, qui Genes. cap. 31. vers. 37. proprios filios appellasse videtur fratres. Porrò filij Ismaëlis fuerunt duodecim; quorum nomina sunt, Nabaioth, Cedar, Adbeel, Mabsam, Masma, Duma, Massa, Hadar, Thema, Iethur, Naphis, & Cedma. Hi posteà fuerunt principes tribuum suarum, & dilatati sunt per castella & oppida eorum, habitaueruntq; ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum introëuntibus Assyrios, vt dicitur Gen. c. 25. vers. 12. vsque ad 19. id est, incoluerunt totam penè illam terræ plagam, quæ extenditur ab Heuila vsque ad desertum Sut, inter Ægyptum & Assyrios positam, siue per quam pertransiri solet ab euntibus ab Ægypto in Assyriam. Vnde omnis illa regio, præsertim ab Euphrate vsque ad Mare rubrum, vt ait B. Hieronymus vbi suprà, quæ pars Arabiæ est, ex nomine Nabaioth primogeniti Ismaëlis, Nabathæa vocatur; multæque ibidem vrbes & eiusdem regionis partes, ex nominibus aliorum fratrum ipsius Nabaioth postmodum nuncupatæ sunt, vt Cedar quæ est in deserto, & Duma alia regio, & Theman ad Austrum, & Cedma ad Orientalem plagam. Patet igitur, quàm fidelis & verax fuerit diuina illa promissio ad Agar Genes. cap. 16. versic. 10. & ad Abraham cap. 17. vers. 20. & cap. 21. vers. 13. facta, de multiplicatione seminis seu posteritatis Ismaël; de qua etiam fuerunt negotiatores illi, qui temporibus filiorum Iacob deferebant in camelis aromata, & resinam, & stacten, de Galaad in Ægyptum, vt habetur Genesis cap. 37. versic. 25. & 28. & cap. 39. vers. 1. quibus in locis etiam dicitur, quòd Ismaëlitæ emerunt Ioseph à fratribus suis, & vendiderunt eum Putipharo Pharaonis eunucho.

DE EIVS FILIIS.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV CVM SINGVLIS VIXERIT.

Vixit ergo Ismaël cum	Sem	annis	triginta duobus.
	Sale		triginta duobus.
	Heber		nonaginta tribus.
	Abraham		octoginta nouem.
	Sata		quinquaginta vno.
	Isaac		centum viginti tribus.
	Iacob		sexaginta tribus.

BONVS AN MALVS FVERIT.

¶ 2. Vtrùm autem Ismaël inter electos, an inter reprobos sit connumerandus, adhuc sub Iudice lis est; quoniam plura in sacris Scripturis pro vtraque parte reperiuntur. Nam quòd Genes. cap. 16. versic. 12. priùs ab Angelo sit nominatus antequam natus, quemadmodum S. Ioanni Baptistæ, & nonnullis aliis sanctis viris contigit: & item quòd quando Genes. cap. 17. vers. 18. Abraham dixit Deo: *Vtinam Ismaël viuat coram te.* eidem responderit Dominus: *Super Ismaël quoque exaudiui te. Ecce, benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valdè,* &c. & quòd de eodem legimus Genes. cap. 21. v. 17. *Exau-*

Exaudiuit autem Deus vocem pueri. videntur quidem esse diuinæ electionis indicia: contrà verò, quæ de ipsomet à Deo Genes. cap. 16. versic. 12. prædicta sunt illis verbis: *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* & item, quòd ea quæ dicuntur Genes. cap. 21. vers. 9. de ludo Ismaëlis cum Isaac, S. Paulus ad Galatas cap. 4. vers. 29. interpretatus sit persecutionem; & ibidem Apostolus manifestè dicat, Ismaëlem natum esse secundùm carnem, Isaac verò secundùm spiritum. & denique dictum illud Saræ, à Deo locis proximè citatis approbatum: *Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* signa videntur esse reprobationis. Quare cùm nihil omnino certum de hac re videatur posse statui, libenter ad alia transeamus. illud tantummodò hîc addentes, quod de Ismaële adnotauit Caietanus super cap. Genes. 16. Ne prætereas (inquit) quòd nulli homini ante Ismaëlem Deus nomen dedit: ipse siquidem primus inter homines sortitus est nomen à Deo. & cum hac tam noua, ac non parua gratia, nihil scitur, bonus ne an malus fuerit Ismaël: vt ex diuina gratia gratis data nullus glorietur, nullus laudetur, nullus speretur bonus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2266. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 154.

1 ANNO vitæ Iacob sexagesimo octauo desinente, regni simul ac vitæ finem sortitus est Armamertes Rex Assyriorum, triginta & octo annis in regno traductis, vt est apud Eusebium in Chronicis. OBITVS ARMAMERTIS REGIS ASSYRIORVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2267. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 155.

1 ANNO proximo circiter ineunte, regnauit super Assyrios Belochus Rex Assyriorum octauus, vt ibidem tradit Eusebius. S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 3. vocat eum Belotum, dicitque fuisse nonum, ob rationem à nobis sub anno mundi 1951. num. 30. adductam. Hic quoque dicitur Belochus Priscus, ad differentiam alterius Belochi, siue Belothi, qui fuit Rex Assyriorum decimusoctauus, de quo suo loco dicetur. Iste autem appellatus est Belochus, siue Belachus, id est belli amator, vt scribit Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi etiam addit, ab hoc Rege idololatriam esse auctam. REGNAT IN ASSYRIA BELOCHVS PRISCVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2276. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 164.

1 IACOB erat annorum septuaginta septem, hoc est, tunc eos compleuerat, & iam annum septuagesimum octauum inchoare incipiebat, quando fratri suo Esau callidè, vel potius prudenter, benedictionem surripuit. Quod sic demonstratur. Quando Iacob intrauit in Ægyptum, erat annos centum triginta natus, vt ipsemet fassus est coram Pharaone, Genes. cap. 47. vers. 9. & tum adhuc quinque anni residui, erant famis, vt patet Genes. cap. 45. vers. 6. Iam ergo præterierant duo anni sterilitatis, & septem fertilitatis, & triginta vitæ Ioseph, (tot enim erat natus, quando stetit in conspectu Pharaonis, & exposuit ei somnium eius, prædicens septem vbertatis annos, & totidem sterilitatis continuò subsecuturos, vt constat Genes. cap. 41. vers. 46.) præcesserant item alij anni quattuordecim, quibus Iacob seruierat socero suo Laban pro vxoribus, quando natus est ei Ioseph, vt colligi potest Genes. cap. 30. vers. 25. vbi habetur, quòd nato Ioseph voluit Iacob reuerti in patriam suam; sed nihilominùs acquieuit eidem socero suo, seruire aliis sex annis pro gregibus, vt clariùs exprimitur cap. 31. vers. 41. qui anni sex in annis triginta Ioseph computantur. Itaque si de prædicta summa annorum centum triginta vitæ Iacob subtraxeris memoratos duos annos famis, 2
& septem abundantiæ, & triginta ætatis Ioseph, & quattuordecim seruitutis: procul- 7
dubiò restabunt anni septuaginta septem vitæ ipsius Iacob, quos impleuerat, quan- 30
do præuento fratre suo Esau obtinuit à patre benedictionem. omnes enim isti anni 14
simul subducti faciunt prædictam summam annorum centum triginta, vt habes in 77
margine expressum. 130

IACOB QVOTA VITAE SVAE ANNO SVRRIPVERIT FRATRI BENEDICTIONEM.

2. Porrò obtentæ huius benedictionis historia accuratè describitur Genes. cap. 27. vers.

HISTORIA PATERNAE BENEDICTIONIS A IACOBO FRATRI SVBLATAE.

vers. 1. vsque ad 41. & in summa, talis fuit: Cùm Isaac esset annorum centum triginta septem, vt patet in tabulis, & iam præ senectute cœpissent caligari oculi eius, putans se ad vitæ finem appropinquasse, tametsi posteà superuixerit annos quadraginta tres, cogitauit de benedicendo, vt moris erat, primogenito suo Esau, antequam moreretur. Itaque, vt illum ad huiusce modi actum per aliquod opus paternæ dilectionis ac obedientiæ præpararet, quadam die eo accersito, iubet vt venatum de more exeat, atque de venatione paret ei cibos. se enim post comestionem velle illi suam impertiri benedictionem. Non tardat Esau exire, vt iussionem patris impleret. At verò mater eius, quæ alterum filium magis diligebat, his auditis ac nuntiatis fratri, suadet iubetque sibi duos hœdos afferri optimos, Ego enim, inquit, faciam escas patri tuo gratas, quibus illatis valeas paternam tibique debitam, fratri præripere benedictionem. Ad hæc Iacob primò quidem hæsitare cœpit, veritus ne pater, agnita fraude, maledictionem ei pro benedictione inferret; sed tandem illa instante, maternis acquieuit consiliis. Interim ergo dum Esau venatur in agro, sedula mater paratis eduliis, & induto Iacob vestibus Esau, pelliculisque hœdorum tepenti adhuc humore perfusis colli manuumque nuda contectis, farinula (vt arbitror) intus leuiter aspersis, vel aliquo alio tenaci glutino concinnè cum adeò coniungit, vt hispidosum fratrem optimè repræsentarent; eumdemque cum epulo mittit ad senem in strato iacentem & cæcutientem: à quo interrogatus Iacob respondit se esse Esau, attulisseque ei pulmentum à se requisitum, hortatusque est, vt surgat, & comedat, & sibi, prout promiserat, benedicat. Et hæc omnia sine mendacio Iacobum patri respondisse credit S. Augustinus lib. Contra mendacium cap. 10. dicens: *Iacob, quod matre fecit auctore, vt patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium*. idque ibidem fusiùs comprobare contendit. Sed si hoc verum esset, vtique possemus eodem quoque modo excusare peccata quæ fecit Dauid, quando occidit Vriam, & adulterium commisit cum Bethsabee, dicendo, dicta eius gesta non fuisse peccata, sed mysteria, & spiritualiter esse intelligenda, prout ea exponit S. Gregorius lib. 3. Moralium cap. 16. cùm tamen certum sit, illa ad litteram accepta, proculdubiò fuisse peccata. Et eodem modo videtur sentiendum esse de his, quæ dixit egitque Iacob cum patre suo. Quare si velimus probare, Iacob non fuisse mentitum, potiùs videretur non esse confugiendum ad sensus spirituales, sed standum in litterali, qui in historica illa narratione disertis verbis exprimitur; ac dicere, Iacobum prudenter non ad verba, sed ad sensum respondisse, se esse Esau, & fecisse quæ sibi pater imperauerat. Nam cùm sciret, quòd quæ pater dixerat ipsi Esau, vtique tamquam primogenito dixerat, potuit Iacob, cui Iure diuino & humano (vt paulò pòst patebit) primogenita illa debebantur, eadem sibi applicare ac si sibi dicta fuissent. & quemadmodum Dominus Matth. cap. 11. vers. 14. de Ioanne Baptista verè dicebat: *Ipse est Elias*. id est, vt S. Gregorius exponit, non in persona, sed in spiritu & virtute; ita videtur Iacob sine mendacio dicere potuisse, se esse Esau, non in persona, sed in iure consequendi paternam benedictionem. Verùm ex alia parte si Iacob omnino veraciter loqui voluisset, debuisset sine vlla tergiuersatione simpliciter ad mentem patris interrogantis respondere, præsertim cùm tunc ageretur de præiudicio tertij, hoc est, ipsius Esau: & præterea, si totam huius historiæ seriem attentiùs consideremus, videtur omnino negari non posse, quin Iacob modis omnibus fallere voluerit patrem, non solùm factis, quando pelliculis hœdinis ita sibi manus collique nuda contegi permisit, vt pilosam fratris cutem imitaretur; & quando vestes Esau benè olentes induit, vt earum fragrantiam sentiens pater, crederet ipsum esse qui non erat; sed etiam verbis, quando non satis habuit dicere, se esse primogenitum; (id enim sustineri potuisset) sed dixit: *Ego sum primogenitus tuus Esau*. & adiecit: *Feci sicut præcepisti mihi: Surge, sede, & comede de venatione mea*. Quæ omnia certum est non per parabolam aut tropum, nec metaphoricè, sed omnino historicè in Genesi narrata esse; & proptereà non videtur Iacob vsquequaque saltem à mendaciunculis posse vindicari, cùm constet, eius dicta & facta ad decipiendum cæcutientem senem studiosè fuisse composita, quemadmodum posteà ipse quoque Isaac plenè aduertit, quando dixit filio suo Esau: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*. Quod & illicò confirmauit Esau, subiungens: *Iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea antè tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam*, Genes. cap. 27. vers. 35. Dixi, Iacobum saltem ab aliquot mendaciunculis non posse excusari; quia, omnibus consideratis, illa non perniciosa, sed officiosa, & satis leuia atque excusatione digna fuisse proculdubiò iudicabit, qui accu-

accuratè perpendere voluerit, quòd non aliter videbatur consulere posse sibi, iurique suo, quod habebat in illa primogenitura, quam sibi frater vltrò vendiderat, & quam sciebat sibi deberi etiam vi præordinationis diuinæ Genes. cap. 25. vers. 23. declaratæ illis verbis: *Et maior seruiet minori*. & denique quòd ipse non iniustè patrem fraudauit, fratremque supplantauit; sed vt propriam redimeret vexationem, caueretque iniuriam & damnum, quod sibi ab ipsis parari intellexerat. Nec obstat dicere, Iacobum fuisse virum bonum & iustum, & consequenter ab omni mendacio alienum; quia non necesse est excusare iustos ab omni culpa veniali, dicente Scriptura Prouerb. cap. 24. vers. 16. *Septies enim cadet iustus*. Sed hæc Lectorum prudentiæ diiudicanda relinquamus, & ad prosequendam historiam properemus. Sanè Isaac, cùm non posset cernere quisnam esset qui loquebatur ei, & ex voce suspicaretur (quod erat) illum esse Iacob, manibus eum attrectare, tactuque explorare pertentans, fallitur, hœdinis scilicet delusus pellibus; & putans illum esse Esau, acceptas de manu Iacob comedit escas, & tandem eidem, tamquam primogenito, amplissimas precatur impertiturque benedictiones, lætumque à se dimittit. Sic, veluti in his duobus fratribus præfiguratum, (inquit B. Gregorius Homilia 6. in Ezechielem) *dum Iudaicus populus bona opera foris quærit, Gentilem populum mater gratia instruit, vt omnipotenti Patri cibum boni operis offerret, benedictionemq́ maioris fratris acciperet.*

3. Ceterùm egresso Iacob ingreditur Esau, ferens patri cibos de venatione sua paratos, rogatque senem vt surgat, & comedat: qui hæc audiens, non sine ingenti stupore tunc demum Iacobi prudentiam agnouit; & quod factum fuerat, diuino adscribens mysterio, rescindere vmquam noluit; sed statim ratum habuit, & confirmauit dicens: *Benedixi ei, & erit benedictus*. Quare, quemadmodum etiam testatur Apostolus ad Hebræos cap. 12. vers. 17. non valuit Esau primariam illam primogenitis dari solitam benedictionem à patre impetrare, quantumuis eam enixè admodum ac profusis lacrymis flagitaret. Ponam hîc Apostoli verba, & litteralem ipsorum, quoniam obscuriora sunt, sensum: *Scitote*, inquit, (& loquitur de Esau, vt ibidem præmissa manifestant) *quoniam & posteà cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*. reprobatum dicit Esau, nimirum in primæ illius benedictionis postulatione, quæ à patre reiecta fuit; non enim potuit Esau suis fletibus & eiulatu flectere patrem, & facere, vt ipsum pœniteret dedisse benedictionem illam Iacobo; sed tantùm illud effecit, vt pius senex, paterna erga ipsum miseratione commotus, ipsi quoque, non quam affectabat primogenitorum benedictionem, sed quamdam aliam multò minorem, ceterisque filiis communem, impertiret, dicens: *In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper, erit benedictio tua*, Genes. cap. 27. vers. 39. Nam quæ ibidem sequuntur, *Viues in gladio, & fratri tuo seruies; tempúsque veniet, cùm excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis*. magis pertinere videntur ad prædictionem eorum, quæ posteris suis ventura erant: siquidem Idumæos fuisse admodum bellicosos, ex Iosepho constat lib. 4. de Bello cap. 6. & 7. & certum est 2. Reg. cap. 8. vers. 14. eos à Dauide subactos, seruisse Iudæis multo tempore, nimirum vsque ad tempora Ioram filij Iosaphat Regis Iuda: quandoquidem in diebus eius recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi Regem, vt legimus 4. Reg. cap. 8. vers. 20.

ESAV NON POTEST FLECTERE PATREM VT REVOCET BENEDICTIONEM IACOBO DATAM.

4. Exinde Esau amarum valdè odium concepit exercuitque aduersus fratrem suum Iacob, ita vt non solùm in corde suo statuerit, cùm mortuus esset pater eius, illum occidere, verùm etiam id, ex abundantia cordis, quibusdam celare non valuerit. Quod vt audiuit Rebecca mater, suasit ipsi Iacob, vt ad declinandum furorem fratris, pergeret ad Laban auunculum suum in Mesopotamiam, & apud eum aliquo tempore moraretur, donec sedata fratris iracundia, ipsa eum inde ad se reuocaret. Et ne frater à fratre turpiter aufugere videretur, eadem Rebecca cum viro suo conquesta de vxoribus Esau Chananæis, tamquam sibi & domui suæ admodum molestis, prudenter, vt solebat, induxit senem vt præciperet filio suo Iacob, ne vmquam acciperet vxorem in terra Chanaan; sed magis properaret ad domum patrui sui Bathuelis, quæ erat in Mesopotamia Syriæ, & ibidem sibi deligeret coniugem de filiabus Laban. Igitur Iacob post paucos, vt arbitror, dies, ex quo fratri præripuerat benedictionem; accepto hoc patris mandato, & ab eodem cum noua itidem benedictione dimissus; (in qua, vt benè notauit S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 38. perspicuè declaratum est, promissiones Abrahæ factas, & Isaac confirmatas, in semine ipsius Iacob fore implendas:) clàm, solus, pedes, cum baculo & modico commeatu Mesopotamiam versus ire cœpit, Genes. cap. 27. vers. 41. vsque ad vers. 6. capitis sequentis. & hoc non fine mysterio fa-

ESAV ODIT IACOBVM FRATREM.

IACOB DE PARENTVM MANDATO PERGIT IN MESOPOTAMIAM.

ctum creditur; nimirum ad præsignandam miram Filij Dei peregrinationem, qui cum tanta humilitate, paupertate, crucem ferens, venturus erat in hunc mundum, vt sanctam sibi Ecclesiam desponsaret.

CVR ESAV ACCEPERIT VXOREM DE POSTERITATE ISMAELIS.

5. Non multò pòst, vt cognouit Esau, quòd pater eius, post benedictionem fratri suo Iacob impertitam, misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt duceret ibi vxorem de cognatione sua, & ille patri obediens statim profectus esset, vt imperata faceret; & præterea experimento didicisset Esau, quòd pater suus non libenter aspiceret coniuges suas Hethæas, tamquam ab ipsis sæpe offensus: putans (vt arbitror) gratum facere patri, vel forte etiam ratus, se posterosque suos non aliter auitarum benedictionum participes effici posse, nisi ipse coniugem acciperet de cognatione Abrahami, atque ex ea filios procrearet; statuit & ipse pergere, & non multò pòst perrexit ad domum Ismaëlis iam defuncti, & de filiabus eius aliam duxit vxorem, nomine Mahelerh, Genes. capite 28. vers. 7. vsque ad 10. & hæc eadem alio quoque nomine vocabatur Basemath, vt sub anno mundi 2238. probatum est. Verumenimuerò, si Esau credidit, posteros ex filia Ismaëlis consequi posse benedictiones semini Abrahæ repromissas, stultè admodum videtur egisse: quandoquidem aduertere debuerat, quòd Deus, qui pollicitus fuerat benedicere semini Abrahæ, eidem quoque Abrahamo declarauerat Genes. cap. 21. vers. 12. *Quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Quibus verbis, vt probè docet S. Augustinus vbi supra, proculdubiò ab illis promissionibus secluserat Ismaëlem & filios Ceturæ, ac omnes posteros eorum. Sed non mirum est quòd errauerit in consilio suo Esau; quoniam erat vir malus: siquidem in fraterno odio, & consequenter in statu peccati mortalis, sciens volensque perseuerabat. Scimus autem verissimum esse, quòd Deus (vt aiebat S. Iob cap. 5. vers. 13.) *consilium prauorum dissipat.*

IACOB VIDIT IN SOMNIS MIRABILEM SCALAM AD CAELUM PERTINGENTEM, ET DOMINUM MULTA EI PROMITTENTEM.

6. Intereà Iacob, itinere suo de Bersabee gradiens in Syriam, cùm transiret per terram Chanaan, contigit quadam die, vt post solis occasum deuenerit ad quemdam locum prope ciuitatem, quæ olim Luza vocabatur. Cùm itaque ibidem illa nocte quiescere decreuisset, & capiti suo lapidem pro ceruicali supposuisset, obdormireque cœpisset; vidit in somnis mirabilem illam scalæ sublimis visionem, à terra ad cælum vsque pertingentis, & Angelos per eam ascendentes ac descendentes, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi, se esse Deum Abrahæ & Isaac patrum suorum, qui in confirmationem benedictionum, quas eidem Iacob nouissimè precatus fuerat pater eius Isaac, repromisit se daturum ei & semini suo terram Chanaan, in qua tunc dormiebat; atque in ea longè lateque dilataturum posteritatem suam; & denique in semine suo benedicendas fore omnes tribus terræ: quod est ac si dicere voluisset, Messiam de stirpe sua esse nasciturum. Insuper pollicitus est, se fore illi custodem in omni loco, & reducturum illum incolumem ad terram sibi repromissam. Et hæc fuit prima Domini apparitio facta ipsi Iacob: qui expergefactus, visionem illam secum recolens ac contemplans, cælitus de sublimi illius scalæ mysterio edoctus fuit, nimirum illam (vt super Genesim, cap. 28. latè disserit Pererius) diuinam præmonstrasse prouidentiam, tum vniuersalem, qua Deus Angelorum ministerio terrena simul ac cælestia moderatur; tum particularem, quam de ipso Iacob se habiturum pollicitus fuerat. Quare non mirum est, si Iacob, habita ibi tanta diuinæ prouidentiæ notitia, & perfectiùs cognita Dei apparitione sibi eo in loco facta, dixit: *Verè Dominus est in loco isto* (per singularem scilicet virtutis suæ declarationem, nam alioqui Deus vbique est) *& ego nesciebam.* & consequenter, ob diuinæ illius visionis magnitudinem, cœpit locum illum in magna veneratione habere; & præ maxima, quam in se sentiebat erga locum illum reuerentia, sancto timore perculsus, exclamauit, dicens: *Quàm terribilis est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Terribilem appellauit locum illum, propter apparitionem Dei, qui in Sacro eloquio sæpissimè terribilis nuncupatur, & reuerà talis est, tam malis quàm bonis; illis quidem, propter infinitam castigandi potentiam; his verò, ob tremendæ maiestatis suæ immensitatem. Domum Dei dixit; id est, locum ad Dei cultum laudesque celebrandas meritò dedicandum. Et portam cæli; quia ibi scalam viderat, per quam ad cælum conscendi posse videbatur.

PRIMA DOMINI APPARITIO FACTA IACOBO.

EXPLICANTUR VERBA GENESIS.

IACOB ERIGIT LAPIDEM IN TITULUM.

7. Cùm igitur ibi tunc Iacob morari non posset, (oportebat enim ipsum iter suum peragere, vt iussionem parentum impleret) operæpretium duxit, aliquod saltem pro tunc sanctitatis dicti loci signum memorialeve ibidem relinquere. Surgens ergo & circumspiciens, cùm aduertisset nullum ibi lapidem reperiri longiorem, & ad id quod intendebat aptiorem eo, quem capiti suo substrauerat, illum erexit ac firmauit, vt esset sibi ac posteris suis in titulum, ac magnæ illius visionis monimentum: & insuper oleo supe-

ſuperiori eius planitie delibuta, illum, in modum cuiuſdam altaris, Deo conſecrauit; vuuens, ſi Dominus ei neceſſaria in peregrinatione ſua præbuiſſet, & cum ſalute reuerſus eſſet, habiturum ſe lapidem illum & locum pro domo Deo ſacrata, in qua & ipſum Deum coleret, & decimas omnium, quæ haberet, eidem ad diuinum cultum ibi perſoluendum offerret. Sanè hæc lapidis vnctio figurabat ſpiritualem Chriſti vnctionem, de quo dicitur 1. ad Corinth. cap. 10. verſ. 4. *Petra autem erat Chriſtus.* & de eodem Chriſto ad Hebræos cap. 1. verſ. 9. ex Pſal. 44. verſ. 8. legimus: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.* In cuius myſterij ſignum, etiam nunc altaria ex lapide fieri, & quando conſecrantur, oleo vngi ſolent. Denique Iacob ad æternam rei memoriam, non ſaxum locumq; illum tantummodò, ſed vrbem quoque proximam, quæ tum Luza vocabatur, mutato nomine appellauit Bethel: quod Domus Dei interpretatur. Ex his apparet, quòd tametſi Deus, cùm vbique ſit, vbique etiam in ſpiritu & veritate coli poſſit & debeat: diuino tamen conſilio factum eſſe, vſque ab antiquiſſimis temporibus, & deinceps in cunctis ferè ſæculis, vt loca quædam peculiaria diuinis quibuſdam apparitionibus, aut miraculis, aut memorabilibus Sanctorum actionibus, ſeu reliquiis, aliòve modo, ita diuinitus illuſtrata fuerint; vt ſingularem quamdam deuotionem ac reuerentiam in hominum animis excitarent, eoſque ad vota ibidem exoluenda, eccleſias ædificandas, & cultum Deo ſingulariter exhibendum quodammodò attrahere, vel potiùs rapere viderentur. Huiuſmodi noſtris quoque temporibus multa videmus exempla; quæ quia omnibus nota atque perſpicua ſunt, hic commemorare ſuperfluum eſſet.

QVID SIGNIFICARET ILLA LAPIDIS VNCTIO

DEVM CERTIS LOCIS SPECIALIVS COLERE, ANTIQVISSIMA RES EST.

8. Ceterùm Iacob, expletis in Bethel quæ paulò antè narrauimus, iter ſuum proſecutus, tandem fauente Deo peruenit ad terram Orientalem, ad quemdam puteum, non longè ab Haran vrbe Nachor & poſterorum eius, vt ſub anno mundi 2113. nu. 4. probatum eſt. Vbi vt primùm à quibuſdam paſtoribus ſciſcitatus eſt de Laban filio Nachor, intellexit illum benè valere, & quæ cum ſuo grege ad eumdem puteum aduentabat, eſſe Rachelem filiam eius. quam cùm protinus appropinquantem vidiſſet Iacob, & iam ſciret eſſe conſobrinam ſuam, amoto de ore putei lapide, & adaquato illius grege, eam, vt inter propinquos fieri ſolebat, caſtè admodum deoſculatus eſt, & præ cognationis teneritudine fleuit, dicens: Ne mireris ſoror; ego enim ſum filius Rebeccę ſororis Laban patris tui. Quod cùm illa audiſſet, feſtinauit nuntiare patri: qui ſtatim obuiàm venit Iacobo, & cum gaudio perduxit eum in domum ſuam; cùmque aduentus eius cauſas intellexiſſet, nimirum vt declinaret odium fratris ſui Eſau, propter benedictionem patris à ſe priùs obtentam; & item, vt de parentum mandato, vxorem duceret de cognatione ſua: poſt menſem ibi in hoſpitio tranſactum, Iacob Rachelis amore accenſus, paciſcitur cum Laban, vt det eam ſibi in coniugem, pollicitus, loco ſponſalium quæ ibidem vxoribus à maritis dari conſueuerant, ſeruire ipſi Laban ſeptem annis; acquieuit Laban, deditque ex tunc Rachelem Iacobo in vxorem, ea tamen conditione, vt non niſi poſt exactos ſeptem ſeruitutis annos, ad eam ingredi poſſet: quod & factum eſt, cum magna vtriuſque partis ſatisfactione; præſertim verò ipſius Iacob, qui quòd tantopere Rachelem diligeret, prædictum ſeruitutis incommodum, exiguum exiſtimabat; tametſi fortè ſatis longum ei videretur, præ deſiderio quod habebat perueniendi ad concupitas nuptias. Hæc vide Geneſ. cap. 29. verſic. 1. vſque ad 21.

IACOB, VT PERVENIT IN MESOPOTAMIAM, MATRIMONIVM SEV SPONSALIA CONTRAXIT CVM RACHELE.

9. Intra primum (vt arbitror) ſeptennium, quod Iacob traduxit in Meſopotamia, oportet ipſum Eſau receſſiſſe de terra Chanaan, & de domo patris ſui, ac tranſtuliſſe ſe ſuoſque in regionem, quæ poſtmodum Idumæa dicta eſt; habitaſſeque in monte, qui deinde ex altero eius nomine mons Seir appellatus eſt, vt ſub anno mundi 2199. num. 2. diximus. Hoc autem ex collatione aliquot locorum ſacræ Geneſis ſic colligitur. Nam ex fine capitis 26. & toto ferè cap. 27. conſtat, quòd antequam Iacob proficiſceretur in Meſopotamiam, Eſau habitabat ſimul cum fratre ſuo Iacob & cum parentibus ſuis in terra Chanaan, & pariter cum eiſdem manebant vxores Eſau Hethææ, quarũ mores Rebecca ægrè ferens, lamentabatur cum viro ſuo Iſaac, dicens: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth.* Et cùm audiſſet quòd Eſau cogitabat occidere fratrem ſuum Iacob, ob paternam benedictionem ſibi ſublatam, procurauit (vt dictum eſt) mittere ipſum in Meſopotamiam, donec ceſſaret indignatio ipſius Eſau, qui etiam videtur, aliquot ſaltem diebus, permanſiſſe in paterna domo poſt diſceſſum Iacobi. Siquidem (vt habemus Geneſ. cap. 28. verſ. 6. & nos ſuprà num. 5. diximus) conſiderans Eſau quæ fecerat pater ſuus, mittens fratrem ſuum Iacob in Syriam, vt inde ſibi duce-

ESAV TRANSFERT DOMICILIVM SVVM IN IDVMÆAM.

duceret vxorem, & promptam ipsius Iacobi obedientiam, & quòd idem pater auersari videretur coniuges suas Chananæas, veritus, ne si Iacob duceret in domum vxorem parentibus gratam, adhuc magis à patre suo diligeretur, cogitauit & ipse aliam de propria cognatione coniugem ducere; & propterea profectus est in desertum Sur ad posteros Ismaëlis filij Abrahæ, & accepit Basemath sororem Nabaioth primogeniti Ismaëlis, quam oportet vt secum duxerit in terram Chanaan, in domum patris sui: siquidem ex cap. 36. vers. 3. vsque ad 6. habemus, quòd prædicta Basemath genuit ipsi Esau Rahuël, in terra Chanaan. At verò quando Iacob posteà rediit de Mesopotamia, scimus quòd iam tunc Esau habitabat in Seir, vt patet ex cap. 32. v. 3. vbi dicitur, quòd ipse Iacob in itinere misit ante se nuntios ad Esau fratrem suum in terram Seir, in regionem Edom. & cap. sequenti vers. 14. Iacob dixit, se velle ire ad Esau dominum suum in Seir. & vers. 16. subditur, quòd Esau reuersus est die illo, per iter quo venerat in Seir. Igitur necessariò fateri debemus, quòd antequam rediret Iacob de Mesopotamia, iam Esau recesserat de terra Chanaan, & habitare cœperat in Seir. Et hæc transmigratio ipsius Esau valdè diuersa est ab ea quæ describitur Genes. cap. 36. ver. 6. nam illa contigit post obitum Isaac patris sui, & post reditum Iacobi de Mesopotamia, vt sub anno mundi 2319. num. 1. probabimus: hæc autem, viuente adhuc sene Isaac, & existente filio eius Iacob apud Laban auunculum suum in Syria, vt iam satis probatum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2283. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 171.

1 ANNO octauo inchoante, ex quo venerat in Mesopotamiam Iacob, post seruitium videlicet septem annorum, petiit dari sibi Rachelem coniugem suam. Non abnuit Laban, quin protinus instructo conuiuio, amicisque de more inuitatis, cum lætitia nuptias celebrauit. Quamquam enim huiusmodi nuptiarum celebritas de matrimonij ratione non sit, multoque minùs tunc videretur necessaria, cùm illud septennio ante iam fuisset contractum ratumque, licet nondum adhuc consummatum: attamen ideò facta fuit, quia ab antiquissimis vsque temporibus videtur tunc potissimùm consueuisse fieri, quando nuptæ viris tradebantur, quemadmodum nunc quoque obseruari videmus, tamquam rem naturali quodam instinctu introductam ad congaudendum, & satis quoque appositam ad magis confirmandum publicandumque plurimorum conuentu ac præsentia matrimonij contractum, & consequenter ad filios legitimos ab illegitimis posteà discernendos. Vespere autem facto, quando, vt moris erat antiquitus, sponsa siue nupta, pudoris ac verecundiæ gratia, velo operta, & quasi nube obumbrata, (vnde verbum nubere & nuptiarum vocabulum inuecta sunt) ad sponsi domum seu thalamum ducebatur: iniquus Laban Liam fraudulenter pro Rachele supposuit Iacobo. qui manè facto, vt cognouit se præter intentionem cum Lia concubuisse; meritò cœpit de socero suo conqueri, quòd cùm pro Rachele seruisset, contra inter eos conuenta Liam dedisset. Ille verò callidè se excusans, respondit, non esse cõsuetudinis in ea regione, vt minores antè tradantur ad nuptias. & quoniam sciebat, benè potuisse Iacob replicare ei, cur tale quid septennio antè non opposuisset: illicò sermonem suum continuando subiunxit: *Imple, ait, hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis aliis.*

CONVIVIA NVPTIALIA VETVSTISSIMA, ET CVR INTRODVCTA.

VERBVM NVBERE VNDE DEDVCTVM.

LABAN SVPPONIT IACOBO PRO RACHELE LIAM.

NVPTIALIVM CONVIVIORVM DVRATIO.

2. Ex qua responsione, duo videntur posse inferri. Alterum est, tunc quoque nuptialia conuiuia septem diebus continuari consueuisse, quemadmodum etiam Iudicum temporibus in vsu fuisse colligi potest Iudicum cap. 14. vers. 12. ex illis verbis: *Intra septem dies conuiuij.* certum namque est, ibidem agi de nuptiali Samsonis conuiuio. Alterum est, fraudulentum Laban idcircò imposuisse Iacobo, vt Liam, quæ fortè propter oculorum lippitudinem non facilè maritum reperisset, optimè nuberet; & insuper, vt eumdem Iacobum cogeret sibi aliis septem annis inseruire. Quod licet ipse Iacob iure recusare potuisset: tamen quia bonus erat, & ne Lia à se iam per ignorantiam deflorata, deinceps sine viro, tamquam probrosa & infamis remaneret, maluit soceri conditionibus licet iniquis acquiescere; & tunc quidem Liam mutuo consensu pro legitima coniuge acceptauit; transacta verò nuptiarum eius hebdomada, ad dilectam quoque coniugem suam Rachelem ingressus est, eiusque amorem priori prætulit. Dederat verò de more Laban filiabus suis ancillas, Liæ vnam nomine Zelpham, Racheli alteram vocabulo Balam. Videns autem Deus quòd Iacob despiceret Liam, fecundauit eam, sorore eius sterili permanente, Genes. cap. 29. vers. 20. vsque ad 32.

LABANI CALLIDITAS ET IACOBI BONITAS.

3. Ex

3. Ex dictis patet, quòd Iacob non libidinis ergô, sed iussione actus paterna, & naturali posteritatis desiderio, coniugalem amplexus est vitam: nam etsi Rachelem adamauit, ab eius tamen consuetudine, in eadem cum ipsa domo habitans, integro septennio continenter admodum abstinuit. nec fuit ei animus plures ducere vxores: siquidem vnam tantùm Rachelem honestè concupiuit, & ab eius patre legitimè petiit, & accepit: sed posteà, vt dictum est, à socero suo deceptus, Liam sibi inscio suppositam accipere compulsus est: deinde ad preces Rachelis, etiam ancillam eius Balam: ac denique, Lia quoque deprecante, Zelpham, vt suis locis dicetur. Et hæc omnia sine delicto: quandoquidem polygamia seu vxorum pluralitas tunc temporis neque vlla Lege prohibita, neque à communi hominum consuetudine aliena erat: præterquam quòd etiam par est credere, non sine particulari dispensatione diuina hæc à Iacobo viro sanctissimo acta fuisse. IACOBI CONTINENTIA, ET RECTA INTENTIO.

4. Verumtamen, antequam de ortu filiorum Iacobi agere incipiamus, aduertere oportet, quòd licet Scriptura sacra videatur suo ordine singulorum natiuitates recensere, non tamen explicite distinguit assignátve annos, quibus singuli nati fuerint. Vnde ad id dignoscendum, duo hic prænotanda videntur. Alterum est, cunctos dicti Iacobi liberos, Beniamin dumtaxat excepto, videlicet vndecim filios & vnam filiam, natos esse in secundo annorum septennio, quo Iacob mansit in Mesopotamia: nam toto primo sine vxoribus seruiuit, vt suprà dictum est. In fine autem secundi septennij, post prædictos natus est Ioseph; quo nato, Iacob petiit à socero suo Laban licentiam redeundi in terram Chanaan, eò quòd iam præteriissent anni quattuordecim, quibus eidem seruierat pro vxoribus, vt infrà sub anno mundi 2290. num. 1. dicetur; & notat etiam Abulensis super Genes. cap. 30. quæst. 8. circa medium. Alterum est, quòd in dicto secundo septennio Lia septies peperit; sex enim genuit filios, & vnam filiam, quorum nulli fuerunt gemelli, sed singuli singulis partubus procreati: & nihilominùs mansit aliquo tempore infecunda; nimirum inter natiuitates Iudæ & Issachar, vt patet Genes. cap. 30. vers. 9. Quare cùm admodum probabile sit, ipsam vno saltem anno parere desiisse; alioqui non facilè potuisset dignoscere se esse infecundam; oportet quòd sex annorum interuallo, septies parturierit, videlicet quater in primo triennio, & ter in postremo; vel potiùs quater in primis quadraginta mensibus, & ter in postremis triginta, ita vt medio quattuordecim mensium spatio infecunda permanserit. His suppositis, facile erit non annos dumtaxat, sed & menses natiuitatis singulorum filiorum Iacob dignoscere. Itaque ex dictis necessariò sequitur, quòd DE ORTV FILIORVM IACOB.

5. Mense nono desinente, vel decimo circiter inchoante, eiusdem anni octaui, qui fuit primus secundi septennij mansionis Iacob in Mesopotamia, Lia peperit eidem Iacob primogenitum suum, dicens: *Vidit Dominus humilitatem meam*: propterea appellauit eum Ruben, quod Visio, seu Visionis filius, interpretari dicitur: Genes. cap. 29. vers. 32. Quare primus vitæ annus ipsius Ruben magis concurrit cum anno secundo eiusdem secundi septennij, vt etiam ex dicendis manifestius fiet in tabulis. Et sub finem dicti mensis decimi, eadem Lia concepit secundò. DE ORTV RVBEN.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2284. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 172.

1 ANNO insequente, qui erat secundus secundi septennij, & octogesimus sextus vitæ Iacob, mense septimo desinente, vel octauo incipiente, oportet quòd Lia pepererit secundum filium, quem appellauit Simeon, quod est Exauditio, *quoniam*, inquit, *audiuit me Dominus haberi contemptui*, Genes. cap. 29. vers. 33. vnde primus annus Simeonis, licet magna ex parte concurrat cum octogesimo sexto, magis tamen concurrit cum octogesimo septimo vitæ Iacob, vt adnotabimus in tabulis. Sub finem autem eiusdem mensis octaui, Lia tertiò concepit. SIMEONIS NATIVITAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2285. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 173.

1 ANNO eiusdam secundi septennij tertio, qui erat vitæ Iacob octogesimus septimus, mense sexto circiter inchoante, necesse est Liam peperisse tertium filium suum; post cuius partum, Lia læta dixit: *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios; & idcircò appellauit nomen eius, Leui*, quod interpre- ORTVS LEVI.

tatum sonat, Copulatio, Genes. cap. 29. vers. 34. Igitur primus annus ipsius Leui, pro maiori parte concurrit cum eodem anno vitæ Iacob octogesimo septimo, vt positum est in tabulis. Et sub finem eiusdem mensis sexti oportet eamdem Liam quartò concepisse.

RACHEL DAT ANCILLAM SVAM VIRO SVO IN CONIVGEM. 2. Mense eiusdem anni, vt arbitror, octauo circiter inchoante, Rachel videns Liam iam tres peperisse liberos, & quartum habere in vtero, se autem esse infecundam; inuidens sorori suæ tanta iam prole lætanti, nec vltrà ferens se omnino esse sine liberis; dedit viro suo Balam ancillam suam in coniugem, vt ex illa saltem habere posset filios; quæ protinus concepit, Genes. cap. 30. in principio. Nec refert, hoc ibidem post Iudæ ortum narrari, quia id per recapitulationis figuram factum creditur, alioqui non posset verum esse quod Scriptura ibidem memorat; nimirum inter ortum Iudæ & Issachar, natos esse successiuè, primò duos filios Balæ, & deinde etiam duos filios Zelphæ.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2286. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 174.

ORTVS IVDAE. 1 ANNO dicti septennij quarto, mense tertio circiter desinente, Lia peperit Iacobo quartum filium, quem ad magis commendandam diuinam erga se bonitatem, nominare voluit Iudam, quod Confessio seu Laus interpretatur, Genes. cap. 29. in fine. Quare primus annus Iudæ ferè totus concurrit cum octogesimo octauo patris sui Iacob, vt patet in tabulis.

ORTVS DAN. 2. Mense quinto circiter incipiente, Bala Rachelis ancilla peperit primum filium suum, quem Rachel admodum læta, tamquam sibi natum, appellauit Dan, quod interpretatur Iudicium, quasi Deus tunc tandem adiudicasset impleri petitionem suam, dans ei filium tantopere concupitum, multisque precibus expetitum. Vnde annus primus Dan pænè totus coincidit cum primo Iudæ. Sub finem verò eiusdem mensis, credimus eamdem Balam de Iacobo iterùm concepisse, Genes. cap. 30. vers. 6.

LIA DAT ANCILLAM SVAM VIRO SVO IN CONIVGEM. 3. Mense autem septimo, vt arbitror, propè expleto, Lia videns Rachelem de Bala ancilla sua optatissimum filium suscepisse, & eamdem Balam alterum iam in vtero habere, se verò concipere desiisse; iam enim præterierant propè menses quattuor à partu Iudæ, & nondum se in vtero gestare sentiebat, cùm anteà post duos circiter menses à partu se grauidam sentire solita esset: dedit & ipsa marito suo ancillam suam Zelpham in vxorem, vt ex illa prolem suam adhuc ampliùs multiplicaret: neque frustrata est voto suo; siquidem Zelpha paulò pòst de Iacobo concepit, Genes. cap. citato vers. 9. Ex his patet, vxores Iacobi, vt bene adnotauit S. Augustinus lib. 22. cap. 48. contra Faustum, non libidinis ergò, sed solo prolis desiderio, viri sui concubitum appetiuisse: alioqui, quando se infecundas viderunt, non proprias vltrò ancillas ad viri sui coniugium adsciuissent: sed vbi se nequaquam parere viderent, famulas suas dederunt viro suo, vt illas facerent matres carne, & ipsæ fierent voluntate.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2287. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 175.

ORTVS NEPHTHALI. 1 ANNO memorati septennij quinto, mense tertio circiter inchoante, Bala secundum edidit filium. quo nato, Rachel valdè lætata est; & quæ primò propter eius pulchritudinem à viro suo magis diligebatur, ac deinde propter infecunditatem, à sorore admodum fecunda præueniri ac superari metuebat, proptereaque enixè dominum rogabat, vt saltem de ancilla ei liberos daret: nunc voti compos facta, se cum sorore comparatam, atque inualuisse, hoc est, primatum suum, quem amittere verebatur, retinuisse se videns, vocauit puerum nomine Nephthali, qua voce, Quod dictum est, Hebraicè breuiter exprimi aiunt, tametsi Latinè nullo æquiualenti vocabulo significari posse videatur: Genes. cap. 30. vers. 8. Concurrit ergo annus primus Nephthali ferè totus cum octogesimo nono vitæ patris sui Iacob, vt notatur in tabulis.

ORTVS GAD. 2. Mense verò eiusdem anni quinto circiter incipiente, Zelpha quoque peperit Iacobo primum filium suum; quem Lia illius hera, ad felicitatem suam in prolis multiplicatione augendam, sibi natum reputans, appellauit Gad, quæ vox Hebraica, Latinè Feliciter reddi solet. Vnde primus annus vitæ Gad pænè totus coincidit cum primo

mo Nephthali. Non multò pòst, nimirum proximo mense circiter ineunte, rursum Zelpha de Iacobo concepit. Ibidem vers. 10.

3. Sub finem eiusdem mensis sexti, Lia post quattuordecim infecunditatis suæ menses ab ortu Iudæ decursos, conducto sibi marito suo pro mandragoris Racheli concessis, denuò concipere cœpit, Genes. cap. 30. vers. 14. vsque ad 18. Ex quo loco manifestè infertur, Iacobum, cùm plures haberet vxores, non indifferenter cum singulis versari consueuisse, sed ordinem inter illas statuisse, ita vt non solùm potiori loco haberet eas, quæ conditione liberæ erant, quàm quæ seruæ; sed & inter liberas, eam quam primò petierat, vltroque acceperat, & pro qua septem annis seruierat, nimirum Rachelem, Liæ præferret, quam dece ptus accipere coactus fuerat; id enim plenè indicant illa Liæ verba vers. 15. *Parúmne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi?* &c. & præterea singulis certas quasdam vices ac noctes secum dormiendi præstituisse. Quare quod respondit Liæ Rachel dicens: *Dormiat* (videlicet Iacob) *tecum hac nocte, pro mandragoris filij tui*; potest vtrumque significare, & quòd ipsa esset primaria ac maioris auctoritatis apud virum suum, & quòd illam ipsa noctem in ordine haberet manendi cum viro.

LIA FECVNDITATEM PALNEAMISSAM RECVPERAT.

OB SVBORDINATIONE VXORVM IACOBI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2288. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 176.

1 ANNO sexto, mense tertio circiter inchoante, Zelpha ex Iacobo Liæ peperit alterum filium, quem eadem Lia nominauit Aser; tali nomine insinuans, eam proptereà à mulieribus beatam fore prædicandam: ibid. vers. 13. Quare annus primus Aser concurrit pæne totus cum eodem anno sexto dicti septennij, hoc est, cum anno vitæ Iacob nonagesimo, vt videre est in tabulis.

ORTVS ASER.

2. Mense eiusdem anni quarto circiter incipiente, Lia peperit quintum filium, quem quasi pro mercede à Deo accipiens, eò quòd prolis desiderio dedisset ancillam suam viro suo; appellauit puerum Issachar, quod Mercedem significare tradunt. Vnde primus annus Issachar, & primus Aser, pæne simul toti coincidunt. Sub finem verò eiusdem mensis, eadem Lia protinus, vt ante partum Iudæ consueuerat, denuò concepit, Genes. cap. 30. vers. 19.

ORTVS ISSACHAR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2289. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 177.

1 ANNO septimo, mense primo propè expleto, Lia peperit viro suo sextum filium. Quamobrem, tamquam magna à Deo dote donata, reputans, ex quo tot filios viro suo genuisset, numquam fore, vt ipsum ampliùs tæderet cohabitare secum, vocauit nomen huius filij sui Zabulon, quòd Cohabitatio interpretatur. Itaque dubium non est, quin annus primus Zabulon coincidat pæne totus cum anno patris sui nonagesimo primo, vt in tabulis annotatum videbitur. Porrò Lia non multò pòst memoratum partum, puta sub finem mensis proximi, adhuc semel concepisse traditur, Genes. cap. 30. vers. 21.

ORTVS ZABVLON.

2. Mense autem tertio desinente, recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam; & ablato fecunditatis impedimento, quodcumque illud fuerit, ipsa quoque tandem de viro suo concepit, Genes. cap. 30. vers. 22.

RACHEL DESIIT ESSE STERILIS.

3. Appropinquante verò vndecimi mensis fine, Lia peperit filiam nomine Dinam. Ibidem vers. 23. post quam nullum ampliùs, neque masculum neque feminam concepisse legitur.

ORTVS DINAE.

4. In fine prædicti anni septimi, Rachel peperit primogenitum suum, & lætata est valdè, quòd abstulisset Dominus opprobrium suum, videlicet sterilitatem, quæ tunc temporis pro magno dedecore habebatur; & postulans speransque à Deo impetrare alium filium, imposuit huic nomen Ioseph, quod Accrescens vel Additio interpretari dicitur: Genes. cap. 30. vers. 24. Itaque annus primus Ioseph, quemadmodum & Dinæ, concurrit ferè totus cum sequenti, vt in tabulis apparebit.

ORTVS IOSEPH.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2290. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 178.

1 ANNO proximo ineunte, exactis scilicet quattuordecim pactæ seruitutis annis, Iacob cùm se tali obligatione liberum videret, & tot filiorum patrem, cogitaretque

IACOB COGITAT REDIRE IN TERRAM CHANAAN.

retque paterno teneri debito eis non solùm in præsens consulere, sed etiam in futurum prospicere, quemadmodum posteà monuit Apostolus 2. ad Corinth. cap. 12. vers. 14. dicens: *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* voluit redire in terram Chanaan, & non ampliùs alienam, sed rem suam gerere; petitque à Laban socero suo cum pace dimitti, vt cum vxoribus ac liberis suis reuerti posset in patriam. Ille verò, qui quæ sua erant magis quàm quæ nepotum, quærebat; ac benè nouerat quàm ei vtile foret ministerium generi, maluit eidem mercedem constituere vt secum remaneret; qui tandem ea lege consensit, (nullo tamen statuto termino) si pecora varij coloris ex grege vnicolore nascitura pro mercede haberet. acquieuit socer. & ne qua fraus interuenire posset, traditis Laban gregibus suis prorsus nigris & omnino albis Iacobo pascendis, varios ipse penes filios suos retinuit; posito inter vtrumque gregem trium dierum itineris interuallo. Veniebatque Laban statis temporibus ad Iacob, assumebatque sibi agnos & hœdos nigros & albos; varios autem ipsi Iacob pro sua mercede relinquebat.

CONSENTIT SERVIRE SOCERO PRO GREGIBVS.

2. Qui tum recolens, quanta à Laban detrimenta accepisset, & considerans se (cùm esset peregrinus & pauper) ab indigena potentiore, quod sibi iure debebatur, exigere non posse, præsertim vxorum dotes, & mercedem seruitutis posterioris septem annorum, quam circumuentus, & quodammodò inuitus, subire coactus fuerat: cogitauit (iustè quidem, & vt creditur, ac colligi potest Genes. cap. 31. vers. 12. etiam ab Angelo in somnis, quæ fuit secunda Domini apparitio ei facta, admonitus) tali arte & industria indemnitati suæ consulere, & propria damna resarcire. Virgas ergo diuersarum arborum, ex parte tantùm diuersimodè decorticatas, in canalibus posuit, quæ varium in aqua colorem reddentes, intuentium obtutus imaginationemque diutiùs rei nouitate fixam detinere possent. Quando igitur post calorem diei, greges ad potandum auidè admodum properabant, & ibidem, vt solebant, auidiùs feminæ à maribus ascendebantur; fiebat, vt in ipso coitus feruore aquam pariter inspicientes, tales fetus conciperent, quales vmbras arietum hircorumque desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur: siquidem varius virgarum color, pariter cum arietum siue hircorum imaginibus in aquarum superficie repræsentatus, formas figurabat marium vellere vario maculisque asperso amictorum.

IACOB SECVNDAM HABVIT DOMINI APPARITIONEM.

AD QVID DECORTICATAS IN CANALIBVS VIRGAS POSVERIT.

¶ 3. Videtur autem esse hoc naturale, vt cum aliqua vehementi imaginatione concipientes, fetus posteà pariant rei imaginatæ aliquatenus similes: huius namque effectus plurima non solùm exempla atque experimenta, tum in brutis tum etiam in hominibus subsecuta; sed etiam quasdam Doctores afferunt rationes. Nam si (inquiunt) vt ait Aristoteles 3. de Anima text. 48. & sequentibus, imaginatio apta nata est esse principium motus localis, quanto magis poterit esse alterationis? & si imaginationi, cùm fuerit fortis, naturaliter obedit corpus, etiam quantum ad casum de trabe in alto posita, vt ait B. Thom. par. 3. quæst. 13. art. 3. ad 3. quia certissimum est quod vulgò dicitur, Imaginatio quandoque facit casum: quis dubitet, magis posse obedire quantum ad aliquam eius alterationem? & si imaginari, quemadmodum aliæ etiam sensationes, (vt ex eodem Aristotele 1. de Anima text. 12. & sequentibus, & text. 64. & sequentibus, & de Sensu & sensibilibus cap. 1. & de Somno & vigilia cap. 1. colligi potest) non animæ tantùm sunt, neque corporis, sed coniuncti, sicuti amare, irasci, timere, aliæque eiusmodi; quid mirum est, si quemadmodum vehemens amor, ira, metus, lætitia, & similia possunt humana corpora non modò plurimùm alterare, sed etiam interdum interficere: quid (inquam) mirum est, si fortis imaginatio in actu copulæ valeat fetum in sui conceptione adeò tenerum atque alterabilem, notabili quadam qualitate afficere? præsertim cùm tanta sit inter imaginariam & generatiuam potentiam consensio, vt ad alterius motionem, alteram continuò excitari ac commoueri manifestum sit; facilè enim quibus genitalia turgent, libidinosa phantasmata patiuntur; & econuersò. Sed hæc Philosophis accuratius discutienda relinquamus.

DE MIRABILI IMAGINATIONIS EFFECTV.

☞ 4. Porrò Iacob non semper prædictas ponebat in canalibus virgas, sed verno dumtaxat tempore, quando copiosiores & meliores procreari solent fetus, tum ne solertia deprehenderetur, si semper varia nata essent pecora; tum quia satis sibi videbatur, si sibi meliora vberioraque obtingerent. Verumenimuerò, quanta fuit iusta Iacobi industria, tantum Labani iniquitas abundauit: nam, vt habemus Genes. cap. 31. vers. 8. & tradit etiam B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genesim, Laban per singulos fetus, qui ordinariè bis in anno contingebant, conditiones Iacobo mutabat. quando videbat copiosiùs nasci pecus varium, dicebat; Deinceps varia mea erunt: cùm vnicolora,

IACOBI PRVDENTIA.

LABANI INIQVITAS.

colora, (tunc namque Iacob virgas non ponebat in canalibus) mutata sententia, dicebat, se velle in sequenti vice, quæ vnius essent coloris. & sic semper, ita vt decies, in toto illo sex annorum interuallo, id facere non erubuerit. Quare meritò posteà de ipso conquerebatur Iacob cum vxoribus suis, Genes. cap. 31. vers. 7. dicens: *Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus.* Verumtamen, his non obstantibus, semper præualuit, magisque manifestata est prouidentia Dei erga ipsum Iacob, vt ipsemet ibidem prosequitur, dicens: *Et tamen non dimisit eum Deus, vt noceret mihi. Si quando dixit: Varia erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oues* (intellige in primo anni partu) *varios fetus. quando verò econtrariò ait: Alba quæque accipies pro mercede; omnes greges alba pepererunt. Tulitq; Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.* Quam in re impletum est, quod prædixerat Iacob ipsi Laban Genes. cap. 30. versic. 33. *Respondebitq; mihi cras* (hoc est, in futurum) *iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te.* Tunc siquidem Deus iniquè agentem delusit, & iustè sese gerentem cumulatè admodum remunerauit. Et hæc sunt, quæ intra præfatum sex annorum tempus contigisse Iacobo memorantur.

DIVINA PROVIDENTIA FAVET IACOBO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2295.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 183.

1 SVB finem anni sexti à natiuitate Ioseph, cùm audisset Iacob quòd filij Laban de ipso murmurarent, quasi ipse tulisset sibi opes patris eorum, animaduertissetque, etiam ipsum Laban non parum à se videri auersum; & præterea apparuisset sibi tertiò Dominus, dicens: Reuertere in terram tuam. re clàm cum vxoribus suis communicata, de illarum consensu, deliberauit redire in patriam, Genes. c. 31. versic. 1. & sequentibus.

TERTIA DOMINI APPARITIO FACTA IACOBO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2296.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 184.

1 ANNO proximo inchoante, Iacob cùm mansisset in Mesopotamiâ viginti annis, seruiens socero suo Laban, quattuordecim scilicet pro vxoribus, & sex pro gregibus, vt aperte exprimitur Genesis cap. 31. versic. 38. & 41. quadam die audiens socerum suum cum filiis iuisse ad gregem suum, à se trium dierum itinere distantem, ad tondendas oues; arrepta tam oppotuna occasione, coniugibus ac liberis super camelos impositis, inde cum omni substantia sua discessit, vt iret in terram Chanaan, inscio Laban.

IACOB INSCIO SOCERO REVERTITVR CVM OMNI SVBSTANTIA IN TERRAM CHANAAN.

2. Eodem quoque tempore Rachel, nesciente Iacobo, secum abstulit idola patris sui. Quod ideò fecisse creditur, vt quidam putant, quia fortè essent aurea, atque argentea, & magni valoris; vt vel sic suam & sororis dotes, contra omne ius à patre retentas, aliaque mariti damna, quæ immeritò ab eodem fuerat perpessus, resarciret, compensaretque: Siue, vt alij arbitrantur satis leuiter, credens se hoc pacto posse patrem suum ab ipsorum cultu reuocare: Siue, vt aliis magis placet, eò quòd ipsa, quemadmodum reliqua domus eius paterna, soleret adhuc ex parte tantùm verum Deum colere, ex parte verò etiam idola gentium venerari, licet clam marito suo, cui sciebat id maximè displicere: Vel etiam, quia timeret, ne pater eius clandestina suorum profectione cognita, statim ad deos suos de via fugæ sciscitandos accurreret, vt fugientes citiùs persequi posset: & item, vt si pater abeuntes (quod maximè ipsa verebatur) comprehendisset; haberet secum quos deprecari posset, vt furorem patris compescerent. Et quidem videtur rationabilius suspicandum, Rachelem ad hoc idola tulisse, vt aliquē eis honorem haberet; alioqui ad quid ea inscio viro surripere studuisset? Neq; obstat, quòd eadem posteà subter cameli stramenta abscondere indignum non duxerit; quoniam clarum est, ipsam id non libenter egisse, sed subito atque ingenti admodum timore perculsam, ne scilicet deprehensa furti rea, illicò interficeretur; audierat enim iam prolatam à proprio viro sententiam: *Apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Sed, vtcumque res fuerit, quod Scriptura sacra subticuit, nos diuinare nequaquam præsumimus.

RACHEL CVR IDOLA PATRIS CLAM ABSTVLERIT.

3. Sanè Laban die tertia, quando videlicet Iacob iam Euphrate transmisso pergebat contra montem, qui posteà dictus est Galaad, de ipsius Iacobi fuga admonitus, statim assumptis fratribus, hoc est, filiis & cognatis suis, cum indignatione magna persecutus est

LABAN IRASCITVR ET ASSEQVITVR IACOBVM ABEVNTEM. est eum; & die septima, quæ, vt arbitror, à die fugæ erat decima, comprehendit eum in dicto monte; ibi enim Iacob iam extenderat tabernaculum, vt cum fessa familia gregibusque suis aliquantulum conquiesceret. Die autem præcedenti arguerat Deus ipsum Laban in somnis, præceperatque non modò ne ipsi Iacob quidquam mali faceret, sed nè quid durius ei loqueretur. Quamobrem, mitigato furore, vt primùm de longè conspicatus est eum, fixit ipse quoque in eodem monte tabernaculum suum: deinde veniens ad Iacob, cœpit multò quietiùs, quàm proposuerat, cum ipso agere, & conqueri, quòd clàm, &, vt dicitur, insalutato hospite atque inurbanè aufugisset, & insuper abstulisset idola sua. Purgauit se Iacob de fuga, veritus nimirum (inquit) ne violenter auferres filias tuas. De furto autem absolutè negauit, ignorans quòd Rachel ea sustulisset, permisitque ipsum eadem vbicumque inuenisset accipere. Sed dum is cuncta diligentiùs scrutando, illa vbique exquirit, pulchrè, callideque à Rachele deluditur.

FRVSTRA QVÆRIT IDOLA CALLIDE A RACHELE DELVSVS. Etenim stramentis, subter quæ idola absconderat, insidens, & sibi tunc femineum accidisse fluxum simulans, bellè à se elongauit patrem, rogans vt se excusatam haberet, si tum ei assurgere non posset. Vt autem vidit Iacob, quòd Laban simulacra sua non inuenisset; acriùs eum increpare cœpit, quòd sine causa scrutatus esset omnem supellectilem eius frustrà. qua increpatione confusus Laban, illicò cedens, facilè percussit cum

PERCVTIT CVM IACOBO FOEDVS. Iacob fœdus super quodam lapidum tumulo, quem ibidem simul vterque construxerunt, iurantes nihil mali sibi inuicem illaturos; & immolatis Deo pro gratiarum actione victimis, pariterque epulantes, manserunt ibi toto illo die, imposueruntque loco nomen, vterque iuxta proprietatem linguæ suæ, quòd Latinè dici potest, Tumulus

ETYMOLOGIA NOMINIS GALAAD testis; Hebraicè autem dicitur Galaad: ex quo factum est, vt deinceps apud Hebræos non modò tumulus ille, sed totus quoque mons ac finitima regio, speciatim verò etiam vrbs, quæ ibidem posteà ædificata fuit, eodem nomine Galaad nuncupata fuerint. Denique Laban de nocte consurgens, osculatusque filios ac filias suas, id est matres cum paruulis, ac benedicens illis, reuersus est ad terram suam.

¶ 4. Quoniam autem nunc primùm montis Galaad fecimus mentionem, operæpre-

MONS GALAAD DESCRIBITVR. tium videtur, ipsum hic aliquatenus describere; erit enim id admodum vtile ad plura intelligenda, quæ deinceps in progressu Operis dicenda erunt. Quamquam igitur, pressiùs loquendo, mons Galaad propriè sit ille, in quo memoratum fœdus inter Iacob & Laban ictum fuit; largiùs tamen atque vniuersaliùs ipsum accipiendo, certum est, nomine montis Galaad vniuersaliter comprehendi continuam quamdam plurium montium extensionem trans Iordanem positam, quæ à torrentis Arnon rupibus, per milliaria circiter quinquaginta, Orientem inter & Septemtrionem versus, protenditur, vsque ad initium Orientale montis Libani; vt plane colligitur Ierem. cap. 22. vers. 6. illis verbis: *Galaad tu mihi caput Libani.* & pro maiori parte secus ipsum Iordanem excurrit, non longè admodum ab eius alueo radices suas protendens. Quamuis autem tota hæc montium longitudo, mons Galaad olim diceretur; aliis tamen peculiaribus quoque nominibus, pro locorum diuersitate, nuncupabatur. Nam à dicto torrente Arnon vsque ad vrbem Cedar, (quæ pars ceteris altior atque fertilior esse dicitur totius montis) propterea primarium Galaad nomen retinuit: à Cedar verò ad fontem Phiala ap-

MONS SEIR. pellatum, dicebatur Seir; quòd fortè toto illo tractu hispidus asperiorque esse videretur: à dicto autem fonte vsque ad Libanum, præsertim vbi ex parte Trachonitidem

MONS HERMON. circuit regionem, vocabatur Hermon. Porrò mons Galaad, omnium illius plagæ montium feracior fuisse dicitur, tum graminis ad alenda omnis generis pecora, tum aromatum, tum etiam arborum, præcipuè picearum, resinamque exudantium, vt clarè colligi potest Ierem. cap. 8. vers. vltimo, & cap. 46. vers. 11. in hoc monte, Moysi temporibus, erant duo illa Amorrhæorum regna, Og scilicet & Basan, quibus deletis, diuisæ sunt ciuitates eorum tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasses. Et hæc pro nunc de dicto monte satis.

✿ 5. Redeamus ad nostrum Iacob, qui post Labani discessum, ipse quoque de Galaad, itinere quo cœperat, progrediens ad terram Chanaan, in eius, vt creditur, ingres-

IACOB QVARTAM HABVIT CAELESTEM VISIONEM. su, obuiàm habuit Angelos; illos nimirum, vt quidam sentiunt, qui erant illius regionis præsides & custodes: qui de illius aduentu læti, tamquam gratulabundi occurrentes, quodammodò sese ostendebant paratos ad ipsum amanter excipiendum, & ad eius custodiam ac defensionem. *Quos cùm vidisset* Iacob, *ait: Castra Dei sunt hæc. & appellauit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra,* Genes. cap. 32. vers. 1. Vnde apparet, Iacobum non paucos, sed maximam vidisse ibi multitudinem Angelorum. & Deum diuinam hanc huic sancto viro visionem (quæ fuit in ordine quarta) ostendisse, vt eum

secu-

securum redderet, se cælesti protectione & Angelorum ministerio ab omni hostium malitia liberatum fuisse, ac deinceps liberatum iri, tamquam diuinis perpetuò castris munitum atque vallatum. Nec refert, ipsum Iacob, etiam post hanc visionem, non semel imminentia pericula valdè pertimuisse; & præsertim paulò pòst in eodem loco, quando scilicet audiuit, fratrem suum Esau sibi cum quadringentis viris obuiàm properare: quoniam, tametsi ex humana infirmitate (vt omnes ferè homines solent) repentinis ac violentis timoribus aliquando correptus fuerit, quod Deus interdum permittit, vt ad ipsum in huiusmodi confugere magis assuescamus: attamen sanctus vir, illicò post orationem resumpto spiritu, & actuali cælestium promissorum rememoratione ac consideratione confirmatus, discusso viriliter timore, vigorem animi constantiamque retinuit. Quamuis non immeritò quoque & sine culpa timere potuerit, ignorans altissima Dei iudicia atque consilia: quandoquidem licet de diuina protectione securus esset, nesciebat tamen modum quo ipsum protegere decreuisset, num aliquo cum suorum damno, nec ne: propterea diuisit omnia quæ habebat in duas turmas, dicens: Si percusserit Esau vnam turmam, saluabitur altera. Denique, si diligenter ponderauens cuncta quæ egit dixitque Iacob in eo periculo constitutus, procul dubiò inuenies, ipsum non tantummodò timuisse, sed etiam fidem spemque maximam diuinis habuisse promissis, & humanam quidem infirmitatem, sed ingenti cum pietatis fide coniunctam, ostendisse.

IN PERICVLIS TIMOREM CVM SPE CONIVNGENDVM.

6. Videtur insuper memoratus Angelorum occursus, vt optimè aduertit Rupertus lib. 8. Commentariorum in Genes. cap. 2. fuisse quasi quoddam *insigne victoris & emeriti viri, cui pro gloria triumphi, pompa cælestis obuiàm procedens, festiua exceptione lætum obsequium præbuerit.* Et post pauca, *Rectè*, inquit, *talem habuit occursum, qui sub obedientia patris sui peregrè militauerat, in fide certauerat, in spe victoriam perfecerat, in charitate dilatata eius anima profundissimas de beneficiis diuinis gratias agebat, dicens: Minor sum cunctis miserationibus tuis.* & cap. 3. idem Auctor addit: *Igitur Iacob, postquam præceptum patris peregit, reuertenti obuiàm fuerunt Angeli Dei, vt sciamus, quia post obedientiæ laborem, cuique viro fideli superest supernis reuelationibus glorificari, & cælestium spirituum crebra visitatione iam in hac vita remunerari. Sic ipse Christus, post tentationes deuictas, exceptus est victor ab Angelis: Reliquit enim eum tentator, & ecce accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Sic pro modulo suo quique electorum, quanto superiores hominibus fiunt, tanto proximiores Deo effecti, ministerio fruuntur Angelorum; qui omnes, vt Apostolus ait, administratorij spiritus sunt, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Locus autem ipse vbi horum visitatio declaratur, Ecclesia secretum est; qui & rectè dicitur Mahanaim, id est, Castra. nam & ipsa Ecclesia terribilis est, vt castrorum acies ordinata.* hucusque Rupertus.

CVR IACOBO REDEVNTI OBVIAM VENERINT ANGELI.

7. De eodem loco, quem appellauerat Mahanaim, id est, Castra, misit Iacob ante se legatos ad Esau fratrem suum in terram Seir regionis Idumææ, qui nuntiarent ei de reditu suo, & de diuitiis, quas in Mesopotamia Deo benè iuuante acquisierat, nihilque se magis exoptare, quàm ab ipso, vt par est, fraternè diligi, & ipsum sibi fore propitium. Cùm autem reuersi essent nuntij, ab iisque audisset Iacob, quòd Esau properaret in occursum eius cum quadringentis viris; valdè perterritus, diuisit seruos, & pecora sua, & omnia quæ habebat, in duas turmas, intra se dicens: Si vnam percusserit Esau, saluabitur altera. Statimque in oratione positus, cœpit recordari pristinæ paupertatis suæ, & recolere beneficia quæ à Deo maxima acceperat, atque humili corde se indignum fateri, cui tanta Deus præstitisset; gratiasque de acceptis agens, rogare Dominum, vt se eriperet de manu Esau; memor promissionum, quæ pro sua benignitate ei fecerat in Bethel. Manè autem facto, vt fratris animum sibi redderet placatum, segregauit de cunctis gregibus suis amplissima fratri munera, magnam nempe pecorum armentorumque multitudinem, quam in singulas cuiusque generis turmas distinxit, & per quædam inter se interualla distantes, iussit ire obuiàm fratri; mandans vniuscuiusque turmæ ductoribus, vt cùm primùm successiuè vna post aliam venirent ad Esau, sigillatim interrogati responderent, se esse Iacobi fratris sui seruos; gregesque illos esse munera, quæ ipsi mittebat idem Iacob, qui & ipse ad eum inuisendum ac salutandum propè sequebatur. *Quo exemplo* (inquit S. Augustinus quæst. 102. in Genes.) *admonendi fuimus, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur.*

IACOB MITTIT AD ESAV FRATREM NVNTIOS IN SEIR.

TIMENS FRATREM AD SE VENIENTEM, EIDEM MVNERA PRÆMITTIT.

8. Iacob ergo, præmissis ordinatim, vt dictum est, muneribus, mansit nocte illa in Mahanaim, hoc est, in Castris: qua transacta, ipse quoque cum vxoribus suis, gregibus,

DE TORRENTE IABOC.

bus, & omni domo sua inde profectus, transiuit vadum torrentis Iaboc, qui à montibus Galaad defluens, intet Philadelphiam & Gerasam, in quartu milliario eius, vt dicitur in libro de Locis Hebraicis, in Iordanem à latere eius Orientali influit sub mare Galilææ, prope eum locum, vbi in eiusdem Iordanis parte Occidentali exonetatur alius torrens nomine Cison. Igitur Iacob, transuadatis omnibus quæ ad se pertinebant, petuenit desinente illo die ad quemdam non procul à dicto torrente locum, quem deinde (vt paulò pòst dicemus) appellauit Phanuël. Vbi cùm nocte illa morari decreuisset, ipse diuino quodam instinctu à suis segregatus, vt fortè orationi ac diuinæ contemplationi aliquamdiu solus vacaret; admirabilem illam habuit cum Angelo humana specie ei apparente luctam, quæ describitur Genes. cap. 32. vers. 24. & fuit quinta Dei apparitio eidem facta, in qua totam illam noctem consumpsit. Cùm autem speciali Dei auxilio, ab Angelo superari non potuisset; ne superbiret, quòd sibi Deum (cuius vicem gerebat Angelus) superasse videretur: ille solo tactu in neruo femoris eius torporem induxit, ita vt mox claudicare cogeretur. In cuius rei signum, posteà Hebræi, religione perpetua, ab esu talis netui, cuiuscumque animalis esset, abstinere voluetunt, vt in fine citati capitis habemus, & testatur Iosephus 1. Antiq. c. 19. addens, huiuscemodi abstinentiam tunc primùm ab ipso Iacob obseruari cœptam, ac deinceps transisse ad posteros.

IACOB QVINTAM HABET APPARITIONEM, ET LVCTATVR CVM ANGELO.

OBTINET AB ANGELO BENEDICTIONEM.

9. Itaque sentiens Iacob diuinam eius, qui secum luctabatur, virtutem, arctiùs eum tenere contendit, & postulanti vt se dimitteret, respondit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* quod non segniter aut verborenus, sed ex intimo cordis affectu, & ingenti illius benedictionis desiderio, cum fletu & magna instantia rogando, ipsum fecisse colligunt Doctores super Osee cap. 12. vers. 4. vbi de eodem Iacob legimus: *Et inualuit ad Angelum,* (id est, ad luctandum cum Angelo,) *& confortatus est, fleuit, & rogauit eum.* Denique, non modò quam postulabat obtinuit benedictioné, sed etiam, quod nihil minus cogitabat, sui nominis mutationé promeruit. Illicò enim audiuit Angelum vice Dei sibi dicentem:: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuũ, sed Israël.* ac si diceret: Conuenientius modò erit, vt deinceps non voceris Iacob, id est, Supplantatot; sed Israël, quod Fortis cum Deo significat: *quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Quamuis possit etiam Israël interpretari, Videns Deum, vt infrà num. 13. ostendemus. Ex his ergo intellexit Iacob, ad quid ei Deus talem luctam permisisset: nimirum, vt ipsum roboraret, atque doceret ne tantopere formidaret à fratre sibi obuiàm veniente; sed nec ab vllo alio hoste: quin potiùs confideret, se contra quosuis aduersum se insurgentes Deo propitio posse præualere; atque ab ipsis nihil mali esse passurum. Neque huic confidentiæ obstare debuit, quòd, licet victor, in neruo tamen offensus fuerit; quia illa claudicatio, vt sentit probatque Abulensis, ad modicum perdurauit, & tantisper ei relicta fuit in rei gestæ argumentum; ne fortè alioqui putaret, luctam illam non corporalem ac veram, sed imaginariam extitisse.

NON IACOB SED ISRAEL DEINCEPS VOCARI IVBETVR.

CVR ANGELVS IACOBO NOMEN SVVM INDICARE NOLVERIT.

10. Quòd autem Angelus sciscitanti Iacobo nomen suum non indicarit, sed potiùs eum redarguerit, tamquam suæ naturæ metas excedentem; factum fortè fuit, ad ipsum in debita humilitate conseruandum; ne ex memorata victoria, & tali reuelatione, subtiliotem quamdam, eoque periculosiorem animi extollentiam contraheret. Sic solet Deus interdum miscere aliqua dulcibus acria, vt seruos suos erudiat; & quos eximiis fauoribus ad amorem suum eleuat, in sancto quoque timore contineat. Sic Apostolos sibi chariores, quos gloriosæ suæ transfigurationis ostensione lætificauit, simul quoque paterna voce perterruit Matth. cap. 17. vers. 2. vsque ad 7. Sic Petro, cùm ei Ecclesiam suam commendasset, martyriumque prædixisset, interroganti de Ioanne: *Hic autem quid?* eius seruorem retundens, quòd non sit ili huiusmodi vlteriùs inquirendum, respondit: *Quid ad te?* Ioan. cap. 21. vers. 21.

QVID SIGNIFICARIT PRAEDICTA IACOBI CLAVDICATIO ET LVCTA.

11. Verumenimuerò, quod diximus de apparitione & lucta Angeli cum Iacobo; non ideò tantùm à Deu præstitum putamus, vt tali signo certiurem illum redderet, quòd proculdubiò à timore fratris omniumque inimicorum esset liberandus: sed insupet, vt quid semini suo (quod femoris vocabulo solet interdum in sacris Scripturis indicari, iuxta illud: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius*) posterioribus temporibus ventutum esset, quodammodò præostenderet, atque aliquatenus adumbraret: nimitum, quòd sicuti tunc Patriarchæ Iacob alter pes sanus erat, alter claudus: ita aliquando futurum erat, vt posterorum eius vna pars in fide ac timore Dei persisteret; altera à semitis eius, veluti luxata, claudicatet; de qua dicitur in Psal. 17.

vers.

vers.46. *Et claudicauerunt à semitis suis.* Et nihilominùs vtraque pars, videlicet tam electi ac sancti, quàm reprobi & infideles, Iacobi fortitudinē retinerent; ac propterea Israëlitæ, hoc est, Cum Deo fortes, meritò appellandi essent: quoniam omnes, licet diuersimodè contra Deum quodammodò præualere debebant. Nam, vt ab electis incipiamus, quis nesciat sanctum Moysen videri quoquomodò præualuisse Deo? quando Exodi cap. 32. vers. 9. dicenti sibi, *Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos,* &c. non dimisit, sed valenter colluctando respondit: *Cur Domine irascitur furor tuus?* & quæ sequuntur. & tandem miserationes, quas flagitabat, impetrauit. Subditur enim eiusdem capitis vers. 14. *Placatusq; est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Eodem quoque modo certum est præualuisse Prophetas, sanctosque veteris Testamenti omnes, qui tametsi viderent illius populi iniquitates & peccata eousque excreuisse, vt iam mererentur, ne Deus impleret illi promissas patribus suis in Christo benedictiones; numquam tamen assiduis precibus atque orationibus apud Deum contendere cessárunt, donec tandem promissum de illa gente nasciturum mundi Redemptorem, & copiosam quam expectabant humani generis redemptionem, quæ erat cunctarum benedictionum maxima, obtinuerunt. Horum vota vocesque erant: *Mitte Domine, quem missurus es. Vtinam dirumperes cælos, & descenderes! Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ.* & sexcenta huiusmodi alia, quorum nonnulla quotannis appositè in Officio Aduentus sancta recolit canitque Ecclesia.

ISRAELITÆ BONI QVOMODO CVM DEO LVCTASSE AC PRÆVALVISSE VIDEANTVR.

12. Sed veniamus ad reprobos. nónne ipsi quoque contra Deum quoquomodò præualuisse videntur? quando cum impio eorum pontifice Caipha, & omni satanica synagoga eius, Christum crucifigi curarunt? Audi quid hac de re disserit S. Augustinus in Sermone 80. De tempore: *Iacob,* (inquit) *in illa colluctatione cum Angelo, Iudæorum populum figurabat: Angelus autem qui cum ipso luctabatur, typum Domini Saluatoris præferebat. Luctatur Iacob cum Angelo, quia populus Iudæorum luctaturus erat cum Christo. Vincebat Iacob Angelum, quia Iudæorum populus Christum vsque ad mortem persecuturus erat. Et quia non totus populus Iudæorum infidelis extitit Christo, sed non parua multitudo in eius nomine legitur credidisse; ideò Angelus tetigit femur Iacob, & claudicare cœpit. Pes enim ille in quo claudicabat, Iudæos qui in Christum non crediderunt figurabat: ille verò qui sanus remansit, illorum typum gessit qui Christum Dominum receperunt. Denique diligenter attendite, quia Iacob in illa colluctatione & vincebat, & benedictionem petebat. Cùm enim dixisset Angelus: Dimitte me. respondit Iacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. In eo quòd vincebat Iacob, Iudæos persecuturos Christum significabat, in eo quòd benedictionem petebat, illum populum figurabat, qui in Christum Dominum crediturus erat. Denique, quid ei dixit Angelus? Si contra Dominum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Hoc tunc impletum est, quando populus Iudæorum Christum Dominum crucifixit.* hæc & alia huiusmodi loco citato S. Augustinus. Ecce quomodo non Iacob tantùm, sed etiam posteritas eius, fortis cum Deo fuit. Verùm de hoc satis; non enim nostri instituti est talia fusiùs prosequi, sed tantummodò in transcursu breuiter attingere, vt ad historiam quam in manibus habemus, citiùs properemus.

MALI QVOMODO IDEM PRÆSTITISSE VIDERI POSSINT.

13. Itaque Iacob tot tantisque beneficiis admodum gratus, ad æternam memoriam diuinæ illius visionis, & luctæ cum Angelo habitæ, & benedictionis cum excellenti nominis mutatione ab eodem acceptæ, appellauit nomen loci illius Phanuël, quod interpretatur, Videns Deum, seu Facies Dei. quia, inquit, *vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea,* Genes. cap. 32. vers. 30. Hoc autem dixit, non quia reuerà Deum, hoc est diuinam essentiam, vidisset: *Deum* enim *nemo vidit vmquam,* Ioan. cap. 1. vers. 18. & scimus Exodi cap. 33. vers. 20. & 23. Moysi dixisse Dominum: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Sed quoniam vicem Dei gerebat Angelus ille, quem in humana specie secum viderat colluctantem, & à quo cælesti benedictione & singulari illa nominis impositione admodum recreatus ac confortatus fuerat, atque à nimio fratris timore liberatus: propterea dixit, se vidisse Deum facie ad faciem, hoc est, illum habuisse præsentem; & hac forsitan de causa Philo Iudæus in libro cui titulus est De Abrahamo, pag. 310. & alibi non semel ait, quòd Israël interpretatur Videns Deum; quod etiam asserit S. Ambrosius lib. 2. De Iacob & vita beata, cap. 1. & in Epistolam ad Coloss. cap. 1. & alij Patres, quos citat Pererius in Genes. cap. 32. num. 50. Ceterùm, in eodem postea loco ædificata fuit eiusdem nominis ciuitas, cuius turrim deinde destruxit, & habitatores eius occidit Gedeon, eò quòd sibi exercituiq; suo, Madianitarum principes Zebee & Salmana persequenti, panes alimenta-

DE PHANVEL. IACOB QVOMODO DEVM VIDISSE DICATVR.

DE VRBE PHANVEL.

mentaque præbere recusassent: quemadmodum describitur Iudicum cap. 8. versic. 8. & 17. eamdem verò vrbem post multa tempora restaurauit auxitque Ieroboam primus Rex Israëlis, vt habemus 3. Reg. cap. 12. vers. 25. Quamuis non desint, qui (sine solido, vt arbitror, fundamento) faciunt Phanuel à dicto Ieroboam ædificatam, omnino ab ista diuersam, & non trans, sed cis Iordanem, ac prope Sichem extitisse. Porrò Phanuel à Iacob sic denominatam, nonnulli putant illam esse vrbem, quam Strabo lib. 16. appellat Faciem Dei. Sed necesse videtur fateri, vel istos falli, vel falli Strabonem in eo, quòd ponit eam prope Tripolim: quandoquidem ex Terræ sanctæ descriptionibus constat, Phanuel, de qua hîc agimus, à Tripoli non parum fuisse remotam.

QVO ORDINE IACOB OBVIAM IVERIT FRATRI.

14. His in Phanuel peractis, Iacob summo manè inde cum suis discedens, iter suum prosequebatur. Cùm autem post solis ortum, a longè vidisset fratrem suum Esau cum quadringentis viris ad se venientem, disposuit vxores ac filios suos, vt hoc ordine obuiarent, salutarentque fratrem. Primò, duas præmisit ancillas cum filiis suis; deinde post illas, Liam cum suis pariter liberis; postremo nobilioríque loco, Rachelem cum filio suo Ioseph. Ipse verò omnes aliquantulum præcedens, primus ibat obuiàm fratri, quem honoris causa, & vt sic magis conciliaret sibi animum illius, septies pronus in terram veneratus est, donec ei appropinquaret, quemadmodum tunc fieri solebat erga magnos viros ac dominos. Ille verò tanta fratris humilitate præuentus, statim accurrit, & primus in oscula ruens, fraternè ac peramanter, non sine lacrymis, arctè amplexatur fratrem; mox accedentes vxores & filij Iacob, eo quo dictum est ordine, omnes sigillatim venerantur ipsum Esau; qui sese suosque itineris socios fratri offerens, tandem vix à Iacobo susceptis muneribus reuertitur vnde venerat in Seir: Iacob autem venit in locum, quem ipse appellauit Socoth, id est Tabernacula; quoniam ibi ædificata sibi casa, fixisque multis familiæ suæ, quæ admodum copiosa erat, tentoriis, aliquamdiu mansit, Genes. cap. 33. vers. 1. vsque ad 18. Quanto autem tempore manserit Iacob in Socoth, Scriptura sacra non exprimit. Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum, cap. 2. affirmat, ibi Iacob moratum esse octodecim menses: sed ex his, quæ nos infrà sub anno mundi 2304. num. 1. dicemus, videtur satis probabiliter posse inferri, ipsum Iacob octo circiter annos traduxisse in Socoth: quod etiam comprobat domus ab eo ibidem ædificata, id enim hactenus ipsum alibi fecisse non legimus, quia nimirum alibi diutiùs manere non cogitauerat. Putamus tamen ipsum sæpiùs ad inuisendos parentes properasse: non enim videtur verisimile, debitum hoc pietatis officium ab eo tam diu dilatum esse, donec cum vniuersa familia sua ad illos peruenire posset; præsertim cùm certum sit, ex causis in sacra Scriptura prætermissis, ipsum non nisi post multos annos, ex quo iam venerat in terram Chanaan, id facere potuisse; vt ex dicendis sub anno mundi 2305. num. 4. apparebit.

ESAV REDIT IN SEIR, IACOB VERO VENIT IN SOCOTH.

QVAMDIV IACOB HABITAVERIT IN SOCOTH.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2298. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 186.

1 ANNO tertio circiter ineunte à reditu Iacob de Mesopotamia, (vt infrà sub anno mundi 2306. num. 6. probabitur) Iudas cùm iam ingressus esset annum vitæ decimumtertium, quemadmodum dignosci potest ex tabulis, de Socoth, vbi cum patre ac fratribus suis habitabat, diuertit ad domum cuiusdam viri nomine Hiram, qui posteà fuit eius opilio, & erat Odollamites, id est de vrbe Odollam, quæ postea cecidit in sortem tribus ipsius Iudæ, vidensque ibi filiam cuiusdam hominis Chananæi, cui nomen erat Sue, accepit illam sibi in vxorem; quæ sub finem mensis decimi illiusmet anni peperit ei filium suum primogenitum, quem vocauit Her, Genesis cap. 38. vers. 1. Quare primus annus Her concurrit penè totus cum anno insequente, qui erat ætatis Iudæ decimusquartus, vt digestum est in tabulis. Nec mirum alicui videatur, quòd Iudas in tam tenera ætate genuerit filium: quia certum est, aliquos in minori ætate genuisse, vt nos sub anno mundi 3285. num. 1. ostendemus. Necesse autem videtur ponere, Iudam anno prædicto generare cœpisse: alioqui non posset verum esse quod dicitur Genes. cap. 46. vers. 12. nimirum Iudam duos iam habuisse nepotes ex Phares quarto filio suo, quando cum patre & fratribus ingressus est Ægyptum, vt sub anno mundi 2306. num. 5. & 6. fusius comprobabimus. Sed quis miretur, Iudam potuisse anno vitæ suæ decimotertio filios gignere? cùm necesse sit, etiam fratres suos satis tempestiuè vxores duxisse, filiosque procreasse? alioqui non tot singuli liberos in ingressu Ægypti habere potuissent; præsertim verò Beniamin, qui natus anno vitæ patris

IVDAS GENVIT HER.

tris

tris centesimo septimo, anno eiusdem centesimo trigesimo iam decem habuisse filios dicitur, Gen. cap. citato vers. 21. & Aser, qui tunc, tametsi minor esset ipso Iuda duobus annis, non filios tantùm, sed etiam nepotes duos ex quarto filio nomine Beria habuit: ibidem vers. 17. Oportet igitur fateri, filios Iacob singulari quodam Dei munere præter ordinarium naturæ cursum citò admodum fuisse ad generandum idoneos; quemadmodum etiam in reliquis, ab adolescentia sua magno animo fortesque corpore supra ætatem extitisse; vt in illo Sichimorum excidio, de quo paulò inferiùs agemus, primò Simeon & Leui, posteà ceteri quoque declarauerunt; quamuis ipsorum maior tunc annum vitæ vigesimum primum non excederet; reliqui verò successiuè multò minores essent. FILII IACOB CERTAMCITO FILIOS GENUERINT

AB ORBE CONDITO ANNVS 2299. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 187.

1 ANNO proximo, mense circiter octauo, vxor Iudæ genuit viro suo alterum filium, quem nominauit Onan, Genesis cap. 38. versic. 4. Quo fit, vt annus primus Onan pro maiori parte coincidat cum decimoquinto vitæ patris sui Iudæ, vt patet in tabulis. IVDAS GENVIT ONAN

AB ORBE CONDITO ANNVS 2300. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 188.

1 ANNO tertio, ex quo Iudas vxorem duxerat, mense circiter sexto, illa tertium ei genuit filium, cui nomen inditum fuit, Sela. quo nato, ampliùs parere desiit, Genes. cap. 38. versic. 5. Itaque primus annus Selæ parum aliquid magis videtur cum anno patris sui decimoquinto concurrisse. Progenies autem huius Selæ filij Iudæ breuiter tangitur 1. Paralipom. cap. 4. vers. 21. vsque ad 24. vbi inter alia, de vno ex posteris eius, tacito nomine, dicitur, quòd ipse stare fecit solem. Quamuis enim ibi non desint, qui in textu Hebraico id non haberi contendant; putentque verbum illud Hebraicum *Iokim*, pro quo Latinus Interpres reddidit, *Qui stare fecit Solem*, ibidem non in tali significatione accipi debere; sed prout erat nomen proprium viri de posteris Selæ. Qui vir licet sic appellaretur, non tamen ideò sequitur, ipsum id quod eius nomen significabat præstitisse: sicuti non est necesse, quòd is cui nomen est Felix, vel Faustus, aut Fortunatus, re ipsa felix, faustus, fortunatusve fuerit. Atque hoc pacto dictum textum Hebraicum exponentes, putant ipsum de nullo ex posteris Selæ asserere, quòd stare fecerit solem. Nihilominùs editio Vulgata Latina, quæ meritò in sancta Ecclesia magnæ est auctoritatis, manifestè ponit vnum de prosapia Selæ innominatum, quem ex hoc tantùm facto significat, dicens: *Et qui stare fecit solem.* quòd forte is tunc magis ex hoc tam memorabili prodigio, quàm ex proprio nomine communiter esset cognitus. vnde Sacri eloquij Expositores super citato 1. Paralip. cap. 4. v. 22. quærunt, Quis nam ille fuerit, & ferè omnes putant fuisse Elimelech maritum Noëmi; cui & duobus filiis eius nituntur adaptare ea quæ in eodem Sacro textu habentur, dicentes, quòd qui ibidem nominantur Securus & Incendens, iidem sunt cum duobus filiis ipsius Elimelech, qui Ruth cap. 1. vers. 2. dicuntur Mahalon & Chelion; & quòd ipse Elimelech videns tantas hominum sui temporis præuaricationes, orauit Dominum, vt solem à suo cursu aliquantulùm sisteret, quò Legis præuaricatores tali prodigio territi, à tantis malis retraherentur. Et quoniam non propterea homines resipuerunt, misit Dominus famem illam, cuius fit mentio in principio libri Ruth; propter quam & ipse Elimelech cum vxore sua & filiis coactus est peregrinari in terram Moab, vt ibidem describitur. Hebræi autem dicunt, quòd Elimelech non fecit stare solem orando, sed ob eius auaritiam, quia cùm esset valdè diues, voluit tempore famis abire in Moabitidem, ne fratribus suis Iudæis admodum tunc indigentibus succurrere cogeretur: & hac de causa ibidem non propria tantùm, sed & filiorum morte, diuitiarumque amissione punitus fuit. sic illi. Verumenimuerò fieri quidem potest, quòd quis ob crimen auaritiæ talibus à Deo pœnis plexus sit: at verò quòd etiam propterea sol steterit, non tam facilè credi posse videtur. Sed vtut res fuerit, illud certum est, memoratam opinionem, quòd scilicet dictus Elimelech stare fecerit solem, originem habuisse ab illa Hebræorum traditione, quam refert S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis 1. Paralipom. cap. 4. in hæc verba: *Tradunt enim Hebræi hunc fuisse Elimelech*

SELA TERTIVS IVDAE FILIVS NASCITVR.

VNVS EX POSTERIS SELAE STARE FECIT SOLEM.

QVIS NAM FVERIT.

lech virum Noëmi, patrem Mahalon, & Chelion, in cuius tempore sol steterit propter prævaricatores Legis, vt tanto miraculo viso conuerterentur ad Dominum Deum suum. Quod quia facere contempserunt, idcircò fames inualuit, vt ille qui in tribu sua prior videbatur, famis inopia, cum vxore & filiis non solùm patria pelleretur, sed etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur. hucusque S. Hieronymus. qui quoniam purus dictæ traditionis relator esse videtur, eamque nec probare nec improbare; propterea dictæ traditioni non facilè fidendum esse credimus, præsertim ob rationes satis firmas, quas contra eam adducit Abulensis super 1. Paralipom. cap. 4. quæst. 19. vbi ostendit, quòd verba illius Sacri textus nequaquam conuenire possunt ipsi Elimelech nec filiis eius, tum ob alia quæ ibidem adducit argumenta; tum verò maximè, quia ipse Elimelech non erat de prosapia Selæ, sed Phares, vt patet Ruth cap. vlt. vers. 18. vbi legimus: *Hæ sunt generationes Phares.* & subinde nominatim recensentur posteri eius vsque ad Dauid; & inter eos vers. 22. ponuntur Booz, & Obed filius eius, quem genuit ex Ruth Moabitide, quæ priùs fuerat vxor Mahalon filij Elimelech. Arqui si Elimelech & Mahalon fuissent de stirpe Selæ, vt supponit memorata Hebræorum traditio, certè Obed (quem genuit Boos vt suscitaret nomen Mahalon defuncti in hereditate sua, ne vocabulum eius de familia sua deleretur, quemadmodum exprimitur Ruth cap. citato vers. 10.) non debuisset poni in generationibus Phares, sed inter posteros Selæ, qui recensentur 1. Paralipom. cap. 4. vers. 21. vsque ad 24. Cùm ergo videamus ipsum Obed nullatenus haberi in prosapia Selæ, & expressè connumerari inter posteros Phares: vtique fateri oportet, ipsum Elimelech & filios eius (quorum semen, vt dictum est, suscitauit Booz) fuisse de progenie Phares, non autem Selæ; & consequenter de ipso Elimelech nullo modo dici posse, quòd fecerit stare solem. Itaque ex dictis concludere possumus, verè olim extitisse vnum de posteris Selæ, qui stare fecit solem, vt apertè tradit editio Vulgata Latina: verùm quomodo, quáve occasione id euenerit, & quis huius rei auctor fuerit, in Sacris libris ex proprio nomine non indicari. Quod & ex textu quoque Hebraico non intelligi potest: nam licet ipse videatur hunc nominasse Iokim: hoc tamen probabilius potest credi non fuisse proprium eius nomen, sed cognomen ei deinceps ex tam memorabili facto inditum; siquidem nullum alium in Sacro eloquio inuenimus sic fuisse nuncupatum. Ita ergo iste (quisquis ipse fuerit) cognominatus est Iokim, quemadmodum posteà S. Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus, ob miraculorum multitudinem atq; præstantiam, dictus est Thaumaturgus; & Attila Hunnorum Rex, ob multa mala quę populis intulit, appellatus fuit Flagellum Dei: & alij multi propter eorum gesta, siue bona siue mala, proprias sortiti sunt nomenclationes. Et quidem textus Hebraicus videretur dicere debuisse, non *Iokim*, quod significat, *stare fecit*: sed *Iokyom*, quod interpretari potest, *stare fecit diem*, seu (quod idem est) *solem*. Sed Scriptura sacra maluit per Synecdochen dicere *Iokim*, vt se conformaret (sicut aliàs solet) modo loquendi magis vsitato, qui interdum abbreuiare vocabula consueuit; & quia ad illud, *Qui stare fecit*, omnes per Antonomasiam facilè subintelligebant *solem*, quòd res cunctis tunc esset notissima; quemadmodum apud nos, statim ac audimus pronuntiari Apostolum, subintelligimus Paulum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2301. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 189.

BELOCHVS REX ASSYRIORVM MORITVR.

1 ANNO insequente, qui erat vitæ Iacob centesimus tertius, cessit è vita Belochus Rex Assyriorum, cùm regnasset annos triginta quinque, vt notat Eusebius in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2302. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 190.

BALEVS II. REGNAT IN ASSYRIA, ET INDOS IN DEDITIONEM RECIPIT.

1 ANNO proximo circiter inchoante, regnauit super Assyrios Baleus, huius nominis secundus, qui fuit Rex ipsorum nonus, vt loco citato idem scribit Eusebius, qui à Nino hos reges recenset; decimus verò iuxta S. Augustinum, qui eosdem à Belo dinumerat lib. de Ciuit. 18. vt aliàs dictum est. Hunc Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ appellat Baleum iuniorem, qui regnum quoque (inquit) intra Indiam propagauit: quare Indi sua Babyloniis obtulerunt, seque in eorum potestatem commiserunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2303. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 191.

1 ANNO postero, qui erat octauus à reditu suo de Mesopotamia, sub finem, vt arbitror, anni, quemadmodum paulò pòst probabitur; Iacob, transmisso Iordane, transtulit se suosque in Salem vrbem Sichimorum, in terram Chanaan. Quamuis enim etiam Socoth & Mahanaim, quæ erant trans Iordanem, dici possent, essentque verè in terra Chanaan, quam ibi aliàs habitauerant Amorrhæi posteri ipsius Chanaan; pressiùs tamen loquendo illa præcipuè dicebatur terra Chanaan, quæ erat cis Iordanem. Sanè Iacob non habitauit in vrbe Salem, sed prope illam, Gen. cap. 33. vers. 18. fixis tabernaculis suis in parte agri proximi, quem emit centum agnorum pretio à filiis Hemor, illius regionis domino; & ibidem erecto altari, inuocauit super illud fortissimum Deum Israël, Genes. cap. 33. vers. 18. Quænam autem fuerit ista vrbs Salem, si quis percontetur, dicimus, nullo modo esse Ierusalem: nam licet ipsa quoque aliquando, præsertim verò tempore Melchisedech, Salem dicta credatur; illa tamen nihil pertinebat ad regionem Sichimorum, tamquam ab ea satis remota; aiunt enim, à Sichem ad Ierusalem ad triginta passuum millia extitisse: hæc verò Salem, de qua hic agimus, ad illius distinctionem, dicitur vrbs Sichimorum. Quare oportet vel fuisse proximam vrbi Sichem, & pariter domino ipsius subiectam, vel eamdemmet cum ipsa, vt multi arbitrantur, & colligi potest Genes. 35. vers. 4. vbi de Iacob dicitur, quòd antequam inde transferret se suosque in Bethel, infodit omnia idola domus suæ subter terebinthum, quæ est prope vrbem Sichem. Quod si verum est, oportet eamdem vrbem fuisse binominem, quemadmodum Bethel, quæ aliter dicebatur Luza; & Segor, quæ & Bala dicta est, & aliæ huiuscemodi multæ.

IACOB TRANSMISSO IORDANE HABITAT IN SALEM.

DE VRBE SALEM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2304. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 192.

1 ANNO, vt arbitror, primo aduentus Iacob in Salem, siue (vt ait Iosephus 1. Antiq. c. 19.) in Sicima, quæ & Sichem, occasione (quemadmodum idem Auctor ibidem tradit) cuiusdam celebritatis, quæ apud Sichimitas fiebat, ad quam viri feminæque totius fermè regionis conuenire solebant; Dina meræ curiositatis ergô, videndi scilicet desiderio mulieres illius terræ, habitumque atque ornatum ipsarum, egressa clàm, vt arbitror, de materno tabernaculo, vt primùm venit ad vrbem, visa, concupita, rapta, ac violata fuit à Sichem primogenito Hemor, & principe dictæ ciuitatis. Oportet autem Dinam tunc fuisse quatuordecim vel quindecim circiter annorum; erat enim nubilis, ac propterea Sichem postulauit dari sibi eam in coniugem. Videtur etiam hæc Dinæ violatio accidisse non multò postquam Iacob venerat in Salem, vt planè indicare videntur illa verba: *Egressa est Dina, vt videret mulieres regionis illius.* nimirum ipsa tamquam aduena, & recens eòdem cùm aduenisset, illas adhuc videre non potuerat. Ex his ergo satis clarè potest inferri, quòd suprà sub anno mundi 2296. num. 14. dictum est, Iacobum mansisse in Socoth ad annos octo; quandoquidem Dina, cùm esset ferè omnino coætanea ipsi Ioseph, iam sex ætatis annos expleuerat, antequam egressa esset de Mesopotamia, quibus si addantur anni octo mansionis in Socoth, itineris pariter tempore computato, fient anni quatuordecim. Igitur iam ingressa erat annũ vitæ decimumquintum, quando violata fuit; quod suprà dictis valdè fit consonũ.

DINAE VIOLATIO.

2. Cum itaque nuntiata essent filiis Iacob, quæ fecerat Sichem sorori eorum, venissentque primò Hemor, deinde etiam ipse Sichem filius eius, postulantes vt sibi daretur Dina in coniugem, exhibentes dotis argumentum & munera, & quidquid patri fratribusque placeret: illi, tametsi amaro valdè essent animo propter stuprum sorori illatum, nihilominùs pro tunc iniuriam dissimulantes, dolosè responderunt dicentes, non licere sibi cum hominibus incircumcisis miscere connubia; ideoque non posse huiuscemodi petitioni acquiescere, nisi fortè placeret Sichemitis omnibus ritum circumcisionis suscipere; sic namque, & non aliter, inter se posse fœderari, & vniri cum ipsis, tamquam si vnus atque idem esset populus. His auditis, Hemor & Sichem persuaserunt populo suo, vt pro fœdere, non sine magna ipsius vtilitate cum Israëlitis pangendo, ipsorum Religionem suscipere non negligerent. Quibus acquiescentibus, cunctisq; eodem tempore circumcisis, tertia die, quando vulnerum dolor solet esse grauissimus, arreptis Simeon & Leui gladiis, eiuitatemque ingressi, omnes viros à maximo vsque ad minimum interfecerunt, & occisis pariter Hemor & Sichem, reduxerunt secum sororem suam Dinam. Quo facto, ceteri quoque filij Iacob super occisos irruentes, depopulati

FILII IACOB DELENT SICHEMITAS IN VLTIONEM STVPRATAE SORORIS.

pulati sunt vrbem, cuncta in domibus & in agris deuastantes, ac mulieres cum paruulis captiuas abducentes. Quæ omnia valde displicuerunt patri ipsorum Iacob; qui tametsi de hac re increpasset filios suos, præsertim facinoris auctores Simeonem & Leui; non tamen valuit eos ad facti pœnitentiam inducere.

SEXTA DOMINI APPARITIO FACTA IACOBO.

IACOB VOLENS IRE IN BETHEL, MVNDAT DOMVM SVAM AB IDOLIS.

3. Dum ergo Iacob de Sichimorum excidio valdè esset anxius, quippe qui præuideret fore, vt aliquando Chananæi & Pherezæi, illius regionis habitatores, derepentè contra eum insurgerent, & domum suam, vtique viribus humanis longè imparem, in vltionem Sichimorum delerent: ad orationem, vt solebat in cunctis tribulationibus suis, confugiens, meruit sextam habere Domini apparitionem; in qua audiuit Deum dicentem sibi: *Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facq́, altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum,* Genes. cap. 35. vers. 1 ac si diceret: Recurdare voti quod vouisti Deo, & nunc vade vt adimpleas illud. Parans itaque Iacob, obediens voci Domini, transferre se suaque omnia in Bethel; operæpretium duxit, priùs mundare domū suam, & sanctificare illam, vt oblationes, quas facturus erat Deo in Bethel, mundæ, gratæ, & acceptæ essent coram illo. Igitur conuocata omni familia sua, aperuit ei consilium suum de ascensu in Bethel; & graui oratione admonuit vt præpararet se Deo, atque ante omnia proiiceret à se cuncta idola, quæ vel diuina reuelatione sibi in eadem apparitione facta, vel aliter nouerat apud suos remansisse; siue ea essent, quæ multis iam anteà annis secum clàm tulerat Rachel de domo patris sui, vt sentiunt Iosephus & multi alij eum sequentes; siue, quod multò credibilius est, quæ in Sichimorum depopulatione abstulerant filij ac serui sui. Quare omnes dicto obedientes, statim attulerunt ipsi Iacobo cuncta huiusmodi quæ apud eos reperta sunt; nimirum, non idola solùm, sed & omnia ornamenta eorum. Ille verò siue fusis & conflatis omnibus; siue præ angustiis temporis, ad ipsorum execrationem, tantummodò confractis, & quatenus fieri potuit comminutis; in foueam alte defossam proiecit, & ad æternam obliuionem terra operuit, prope terebinthum, non longè ab vrbe Sichem existentem. Cumque proficiscerentur in Bethel, *terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Venit ergo Iacob cum suis in Bethel, quæ priùs Luza vocabatur, videlicet in locum, vbi apparuerat ei prima vice Dominus; & ædificatu altari, immolatisque hostiis, denuò, in confirmationem eius quod anteà fecerat, *appellauit nomen loci illius, Domus Dei*, Genes. cap. citato vers. 2. vsque ad 8. & credendum est, ipsum ibi vota, quæ in Mesopotamiam pergens emiserat, exoluisse.

OBITVS DEBBORAE NVTRICIS REBECCAE.

CVR DEBBORA VENERIT AD IACOBVM.


4. Eodem tempore contigit ibidem mori Debboram Rebeccæ nutricem, & sepulta est ad radices montis Bethel, sub quadam quercu, quæ postea ob planctum ibi factum, appellata est Quercus fletus, Genes. cap. 35. vers. 8. Et quoniam hic necesse videtur supponere, Debboram tunc fuisse cum Iacob; quæri solet, quando, & qua de causa, & vnde ad ipsum venerit. Ad hoc dicunt nonnulli, quòd Rebecca miserat Debboram in Mesopotamiam ad Iacob, vt reduceret ipsum ad se, quemadmodum promiserat ipsi Iacob Genes. cap. 27. vers. 45. dicens: *Posteà mittam, & adducam te inde huc.* Sed quia non videtur credibile, Rebeccam voluisse mittere in regionem tam longinquam, nutricem suam iam penè decrepitam: nam si Debbora lactauerat Rebeccam, oportet eam saltem fuisse quadraginta circiter annorum, quando ipsa Rebecca nupsit Isaaco, & consequenter Debboram fuisse pæne coætaneam cum ipso Isaac, qui per hæc tempora erat centum sexaginta sex annorum, vt patet in tabulis. Multò igitur credibilius est, ipsam Debboram semper mansisse in domo Isaac cum Rebecca domina sua, vsquequò intellexit rediisse Iacob de Mesopotamia in terram Chanaan; tunc siquidem verita, ne præ nimia senectute priùs mortem oppeteret, quàm posset videre duas neptes dominæ suæ, vxores Iacob, & osculari filios earum: præsertim cùm cerneret admodum differri earum aduentum in domum Isaac domini sui: non sustinuit ampliùs illas expectare; sed voluit de Bersabee, siue de Hebron, proficisci ad videndum eas vsque in Bethel; factumque est, vt tandem voti compos effecta, non multò pòst ibidem mortua sepultaque sit ab ipso Iacob, quemadmodum dictum est.

SEPTIMA DOMINI APPARITIO FACTA IACOBO.

5. Porrò in Bethel habuit Iacob septimam Domini apparitionem admodum celebrem; quandoquidem præter diuinam benedictionem ei denuò impertitam, & confirmationem mutati nominis Iacob in Israel, præclaras quoque repromissiones ipsi patribusque suis aliàs factas de sui seminis multiplicatione, & de tradenda ei terra Chanaan, iterùm ei replicauit Deus, dicens: *Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes & populi nationum ex te erunt, Reges de lumbis tuis egredientur. terrámque, quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te.* His auditis, Iacob, præter illam grati animi pietatem quam erga Deum gerebat maximam, vt eius aliquam saltem exterius

teriùs quoque significationem ostenderet, erexit ibi titulum lapideum, libans super eum libamina, & effundens oleum; vocauitque iam tertiò nomen loci illius, Bethel, hoc est, Domus Dei, Genes. cap. 35. vers. 9. vsque ad 16. Est autem hîc aduertendum, quòd memorata Domini benedictio ad Iacob illis verbis: *Cresce, & multiplicare*, &c. propriè non est referenda ad personam ipsius Iacob, quippe qui cùm iam excessisset annum vitæ centesimum (vt dignosci potest in tabulis) videbatur iam per ætatem minùs aptus ad gignendos multos liberos; & ex sacra Genesi constat, quòd re ipsa deinceps, præter Beniamin, nullum alium genuit: sed referri debet ad eius domum, in qua erant multi filij, qui diuinæ illius benedictionis virtute continuò postmodum valdè multiplicantes, vehementer crescere fecerunt familiam ipsius Iacob; ita vt Gentes & nationes, ac demum etiam Reges de ipsa prodierint.

¶ 6. Sanè, de loco huius apparitionis dubitant nonnulli, vtrùm sit illa eadem Bethel, quam suprà diximus consueuisse priùs vocari Luzam, vbi primò apparuerat Dominus ipsi Iacob proficiscenti in Mesopotamiam, an altera ab ea diuersa, quæ propter septimã hâc diuinam Iacobo factam apparitionem, eodem nomine fuerit appellata. Et quidem Abulensis super cap. 35. Genes. q. 5. sentit, hanc Bethel fuisse Ierusalem, siue montem Moria, in quo posteà domus Dei, id est templum à Salomone constructum fuit. Mouetur autem duabus potissimùm coniecturis. Nam vbicumque (inquit) Scriptura sacra meminit prioris Bethel, solet addere, Quæ priùs Luza vocabatur, vt videre est Genes. cap. 28. vers. 19. & cap. 35. vers. 6. & Iudicum cap. 1. vers. 22. hîc autem nulla Luzæ fit mentio. Deinde, quia in Sacro textu sequitur, quòd Iacob veniens de Bethel in Ephrata, sepeliuit Rachelem in via: Atqui Rachelis sepulchrum est inter Ierusalem & Ephrata, quæ alio nomine dicitur Bethleem Iudæ, distatque ab Ierusalem duabus leucis, id est, vt quidam exponunt, quattuor millibus passuum; vel meliùs, vt alij dicunt, sex. Cùm igitur prope Bethleem, venientibus de Ierusalem à Septemtrione ad Austrum reperiatur sepulchrum Rachelis: videtur (ait Abulensis) debere intelligi, quòd Iacob veniret potiùs de Ierusalem, quæ Septemtrionalis est respectu Bethleem; quàm de Luza, quæ ad Orientalem Chananææ plagam aliquantulùm vergit, & distat à Bethleem ad vigintiduo millia passuum. Pro hac quoque sententia videtur facere, quòd nisi concesserimus, etiam Ierusalem appellari Bethel; cogemur fateri, ipsum Iacob bis, vel potiùs ter, Luzam appellasse Bethel; nimirum primò, quando pergebat in Mesopotamiam, Genes. cap. 28. vers. 19. & item post reditum, cap. 35. vers. 7. ac tertiò demum in hac septima apparitione, vt habemus vers. 15. eiusdem capitis; quod videtur inane & superfluum. His tamen non obstantibus, dicimus memoratam Domini apparitionem non in Ierusalem euenisse, sed in Luza: quia, tametsi non esset mirum, si duæ vrbes vno eodemque nomine Bethel appellatæ fuerint, quemadmodum constat duplicem fuisse Bethleem, alteram in tribu Iuda, alteram in Zabulon, vt patet Iosue cap. 19. vers. 15. & testatur etiam S. Hieronymus in Matthæi cap. 2. & geminam extitisse Maspha, & alias vnius nominis vrbes: attamen, cùm Scriptura sacra non doceat fuisse duas vrbes inter se diuersas, Bethel appellatas, neque vspiam reperiatur, Ierusalem nomine Bethel significari; non videntur (vt Scholasticorum more loquar) multiplicanda esse entia aut vocabula sine necessitate: præsertim cùm Brocardus in Repertorio, & item par. 1. cap. 7. §. 37. multis argumentis, & etiam auctoritate S. Hieronymi probet oppositum: & nihil nos cogat ponere, ipsum Iacob venisse in Bethleem de Ierusalem magis quàm de Luza, vt ex apposita figura quoquomodò indicari potest. non enim in Sacro textu exprimitur,



mitut, quòd venerit in Bethleem omnino à Septemtrionali, an etiam aliquo modo ab Orientali plaga, neque breui aut longo itinere: quamquam si venisset de Ierusalem, non videbatur dicendum: *Venit ad terram quæ ducit Ephrata*, quæ circumlocutio aliquanto longiorem viam indicare videtur; sed expeditiùs dixisset: Venit in Bethleem.

7. Præterea, ex ipsa sacræ narrationis serie satis apparet, prædictam apparitionem factam esse in Luza, non autem in Ierusalem, neque alibi: nam in memorato Genes. cap. 35. vers. 6. aperte dicitur, Iacob venisse Luzam cognomento Bethel; ibique ædificasse altare, vbi apparuerat ei Dominus, quando fugiebat à facie fratris sui Esau. mox interposita narratione obitus Debboræ, quæ ibidem sepulta fuit, statim, nulla facta mentione quòd inde Iacob discesserit, subiungitur dictæ apparitionis descriptio, tamquam ibidem factæ, his verbis: *Apparuit autem iterùm Deus Iacob*, &c. Illud enim *iterùm* videtur innuere, hanc apparitionem in eodem loco, hoc est in Luza, contigisse; & fuisse secundam, respectu primę quam Iacob in Luza habuerat: quamquam in ordine ceterarum, quæ posteà hanc præcesserant, hæc, vt dictum est, fuerit septima. Et deinde expleta huius apparitionis descriptione, ilicò vers. 16. sequitur: *Egressus autem inde* Iacob, *venit in terram quæ ducit Ephrata*. Quid aliud hæc significant? nisi quòd Iacob egressus est de illa Bethel, quæ prius dicebatur Luza, & transiuit ad terram, in qua erat via ducens ad Ephrata; siue terra hæc esset Ierusalem; siue alia ei proxima, nimirum illa, in qua mortua & sepulta est Rachel; ibi namque erat via ducens ad Ephrata. Ecce quomodo ex Sacro textu nulla oritur necessitas sentiendi, quòd Iacob narratam visionem habuerit in Ierusalem, & quòd ipsam appellauerit Bethel; sed potiùs, quòd hæc facta sint in Luza. Nec obstant Abulensis coniecturæ in contrarium adductæ: quia nequaquam probari potest, quòd Scriptura sacra, vbicumque meminit illius Bethel, quæ prius dicebatur Luza, soleat exprimere eam anteà appellatam esse Luzam. Imò apertè constat de opposito pluribus in locis, præsertim verò 3. Reg. cap. 12. & 13. vbi sæpiùs absolutè & simpliciter nominatur ista Bethel, sine vlla expressione, quòd prius dicta fuerit Luza. Neque item inconuenit ponere, quòd Iacob non semel, sed pluries Luzam appellauerit Bethel; quemadmodum certum est, Dominum non semel Iacob appellasse Israël, & item non semel promisisse Abrahę, Isaac, & Iacob, multiplicare semen ipsorum, & dare eis terram Chanaan. Tales namque replicationes maiorem arguunt rerum gestarum seu promissarum confirmationem.

IOSEPH ACCVSAT FRATRES SVOS PATRI DE CRIMINE PESSIMO.

8. Per hæc circiter tempora, videlicet dum moram traheret Iacob in Bethel, vel paulò antè, oportet & Rachelem secundò concepisse, & Iosephum accusasse patri fratres suos, præsertim filios Balæ & Zelphe, crimine pessimo, Genes. cap. 37. vers. 2. ex quo factum est, vt ipsum odio prosequi cœperint, nec deinceps possent ei quidquam pacificè loqui. Quod autem ad hæc tempora pertineat ista accusatio, sub anno mundi 2305. num. 2. ostendemus. Verumtamen, quàm necessaria fuit ista Iosephi delatio, sine qua fratrum saluti consulere non posse videbatur; & quàm iusta, nimirum ex intima vitiorum detestatione, & fraterna charitate, sanctoque fratrum emendationis zelo proueniens; & quam iuste facta, hoc est, optima non solùm intentione, verumetiam debito modo, debitisque circumstantiis plenè (vt par est credere) obseruatis: tanto iniustius extitit odium, quo propterea illi eum posteà sunt prosecuti, vt verè sanctus iste iuuenis illud Prophetæ vsurpare potuisset: *Quia odio habuerunt me gratis*. & item: *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*. & : *Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis*. Sed hæc aliàs. Non me latet, codices LXX. Interpretum Romæ sub Sixto V. impressos, hîc non dicere, Iosephum detulisse fratres, sed ipsum ab illis delarum esse patri. Verùm quia certum est, quòd illi codices in hoc aduersantur omnibus Hebraicis, Latinis, & Chaldaicis editionibus, quin etiam aliis eorumdem LXX. Interpretum impressionibus, vt videre est tum in Bibliis Regiis, tum in aliis: propterea potiùs hîc standum puto cum Vulgata editione pariter Romæ excusa, cum qua concordant reliquæ, vt dictum est. Nisi fortè (quod non videtur improbabile) vtrumque successiuè acciderit; nimirum quòd Ioseph primus iustè quidem detulerit fratres, illi verò posteà, id iniquè ferentes, vt Iosephi accusationem infirmarent, eumdem de aliquo crimine, falsò apud patrem accusauerint.

QVODNAM FVERIT PRÆDICTVM CRIMEN.

9. Et quoniam quam accusationem isti aduersus insontem composuerint, ignoramus: nunc magis inquirendum videtur, quodnam fuerit crimen illud pessimum, de quo Ioseph accusauit fratres suos apud patrem suum. Ad quod breuiter respondere possumus, Speciem eius certò nos scire nullo modo posse; quoniam nusquam in Sacris libris

libris reperitur expressa, & tantum modò insinuatur, illos laborasse infamia cuiusdam criminis pessimi: quod autem illud fuerit, huius loci Expositores indagare contendunt. sed minimè inter se conseniunt. Aliqui enim dicunt fuisse incestum, quod commisit Ruben ingrediendo ad concubinam patris sui; & per Synecdochen, dici fratres suos, accipiendo totum pro patre, id est pluralem pro singulari. Sed hoc non est probabile: quia illa accusatio videtur omnes, aut ferè omnes fratres suos comprehendisse; idcircò namque eum primò oderant, ac deinde occidere volebant, & demum Ismaëlitis vendiderunt. præterea, quomodo potuit hoc tempore accusare Ruben de incesto, quod (vt putamus) adhuc non commiserat? sed si solum Ruben accusasset, ipse magis debuisset de Iosepho vltionem sumere: atqui Gen. cap. 37. vers. 21. legimus, quòd quando ceteri fratres Iosephum occidere volebant, ipse Ruben nitebatur eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo; & non fuit præsens, nec particeps venditionis eius, vt colligitur ibidem vers. 29. illis verbis: *Reuersusq; Ruben ad cisternam, non inuenit puerum; & scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, & ego quò ibo?* Alij dicunt fuisse crimen discordiarum ac dissensionum inter se: sed hoc profectò non videtur ita inter ipsos excessisse communem consuetudinem, vt mereretur nomen criminis pessimi; alioqui idem posset dici pænè de cunctis fratribus, iuxta tritum illud communi sermone Prouerbium: *Rara est concordia fratrum.* Quidam putant fuisse crimen bestialitatis; quod proprium (inquiunt) est vitium pastorum; quippe qui cum bestiis ferè semper conuersantes, ad id procliuiores videntur. Verùm quidquid pro hac opinione afferat Abulensis, refugit animus tantam fœditatem de talibus viris suspicari; præsertim cùm tametsi à multis peccatis excusari non possint, beatus tamen Ambrosius in lib. de S. Ioseph circa initium, illos sanctos appellare non dubitauerit. Alij existimarunt fuisse Sichimorum peremptionem, & totius vrbis vastationem. Sed licet vltio illa fuerit nimis atrox & iniusta, saltem respectu multorum insontium qui ibidem occisi sunt, & mulierum ac paruulorum, qui captiui ducti fuerunt, vt propterea crimen pessimum iure dici potuerit: attamen quia fuit adeò publicum, vt omnibus innotuerit; non videtur eguisse Iosephi accusatione: neque ipsi, quod palàm patrare non erubuerant, ægrè tulissent delatum fuisse patri. Alij præterea arbitrantur fuisse crimen Sodomiticum, quod passim crimen pessimum appellari solet. Sed neque hoc formaliter ab ipsis esse commissum, ob memoratas causas mihi persuadere possum: nisi fortè tale quid, ira perciti, per ludibrium simulassent, illudentes occisis, in vltionem violatæ sororis, quod memini à quodam elicitum esse ex illis verbis, quæ habentur Genes. cap. 34. vers. 27. *Irruerunt super occisos ceteri filij Iacob.* Verùm quia de hoc nihil certi habemus, neque adhuc vllum reperi ex sanctis Patribus aliisve probatis Auctoribus, qui prædicta Geneseos verba sic exposuerit; idcircò, neque tale facinus de talibus viris affirmare auderem; sed potius suspicari, eos in illo impetu ac depopulatione ciuitatis, zelo vindictæ, aliquas fortasse virgines deflorasse, quod valde horrendum Iosepho visum sit; ac propterea eos detulerit patri, qui eos increparet. Quidquid sit, probabilius puto fuisse vitium aliquod carnale, ab ipsis vel in ipsa Sichimorum subuersione, vel non multò pòst, perpetratum; & patri à Iosepho delatum, quem constat castimoniæ studiosissimum, talia mirum in modum execratum esse, nec ferre vllo modo potuisse.

☞ 10. Post aliquot dies, paucósve à prædicta accusatione menses, arbitror Iosephum vidisse, retulisseque patri ac fratribus suis in Bethel commorantibus, somnia illa de manipulis fratrum, qui videbantur adorare manipulum suum: & de quasi sole, & luna, ac vndecim stellis, quæ videbantur adorare ipsummet Iosephum. Nam quòd hæc somnia, quæ narrantur Genes. cap. 37. vers. 5. vsque ad 10. post memoratam contigerint accusationem; indicant primò ipsa sacræ narrationis series, quæ immediatè eadem somnia post prædictam accusationem recenset: deinde illa verba, quæ ibidem vers. 5. habentur: *Accidit quoque, vt visum somnium referret fratribus suis; quæ causa, maioris odij seminarium fuit.* Nam quid est dicere, *Quæ causa, maioris odij seminarium fuit*; nisi asserere, odium illud ex priori accusatione conceptum, posteà ex somniorum narratione incrementum accepisse? ergo somniorum narratio subsecuta est ipsam accusationem. Quòd autem ante Rachelis obitum facta sit ista somniorum manifestatio, apertè declarant illa Iacobi verba, quæ habentur vers. 10. citati capitis, videlicet: *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui, adorabimus te super terram,* vt infrà sub anno mundi 2306. num. 2. probabimus: ergo oportet hæc Iosephi somnia, inter fratrum accusationem & Rachelis mortem fuisse narrata. Sanè, quamuis duo

IOSEPH NARRAT SOMNIA PATRI ET FRATRIBVS SVIS

duo fuerint Iosephi somnia, ad maiorem euentus confirmationem: Alterum rerum terrenarum, id est manipulorum agri: Alterum cælestium, puta solis, lunæ ac stellarum: vna tamen erat rei, quæ portendebatur, significatio; nempe, ipsius Iosephi felicitas & exaltatio, quæ eidem posteà euenit, mediante Rege terrestri, nimirum Pharaone, inprimis vero à cælesti omnium auctore ac moderatore Deo. Quando autem & quomodo impleta fuerint hæc somnia, sub anno mundi 2327. num. 4. dicemus.

QVID INDICARENT PRAEDICTA SOMNIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2305. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 193.

ORTVS BENIAMIN, ET OBITVS RACHEL MATRIS EIVS.

1 ANNO, vt arbitror, proximo circiter inchoante, qui erat à reditu suo de Mesopotamia decimus, Iacob egressus de Bethel, cùm venisset verno tempore ad terram quæ ducit Ephrata, id est, Bethleem, contigit Rachelem ibi parere alterum filium suum, quem morti proxima vocauit Benoni, hoc est, Filius doloris mei: pater verò ipsius vertit nomen eius Beniamin, quod interpretatur, Filius dextræ, Genes. cap. 35. vers. 16. Cùm autem præ nimio partus dolore mortua esset Rachel, sepeliuit eam vir eius in eodem loco, nimirum non longè à Bethleem: atque in signum singularis dilectionis, qua eam semper prosecutus fuerat, erexit super eius sepulchro titulum, hoc est, (vt Brocardus lustrator Terræ sanctę diligentissimus testatur part. 1. cap. 7. §. 56.) pyramidem pulchram valdè, in typum monumenti ipsius Rachelis; in cuius basi duodecim disposuit lapides grandes, iuxta numerum filiorum ipsius Iacob. Quamquam ego non facile crediderim, tale opus fuisse nimis artificiosum & grande, si reuera factum fuit ab ipsu Iacob: non enim in tam paruo tempore, quo ibidem ipse moram traxisse creditur, magnum aliquod aut valdè politum extruere ædificium potuisse videtur. Si verò Brocardi temporibus, illud magnificum & excelsum visebatur: fortè ab aliquo posteà de Iacobi posteris admodum diuite ac potente instauratum, & augustius extructum fuit. Diximus Rachelem obiisse, & Beniamin natum esse, inchoante anno, à reditu Iacob de Mesopotamia, circiter decimo; quia tametsi non omnino constet, num id contigerit eodem met anno, quo violata fuerat Dina; an potiùs anno postero: tamen, quia probabilius videtur, ipsum Iacob non toties eodem anno mutasse domicilium, sed totum annum à prędicto reditu nonum transegisse partim in Sichem, & partim in Bethel; idcircò posuimus ortum Beniamin, & mortem matris suæ Rachelis, circa prædicti anni decimi exordia; eo etiam adducti argumento, quòd in Sacro textu signanter exprimitur, tunc fuisse vernum tempus: & probabile est, ipsum Iacob priori anno, tali circiter tempore, venisse cum omni domo sua de Mesopotamia in terram Chanaan. Siquidem ea anni pars videtur pro itinere faciendo, ac præcipuè ad mulieres cum paruulis suis, numerosósque pecorum greges longiùs perducendos valdè accommodata; quòd præter aëris temperiem, terra tunc virescente, etiam faciliùs vbique pascua inueniri possint. Oportet ergo Rachelem decessisse circa anni vitæ suæ quadragesimi quinti initia, si verum est quod tradit Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum, cap. 2. videlicet, eam fuisse annorum vigintiduorum, quando tradita viro fuit. Quod certè admodum probabile videtur; quia septennio antè iam erat nubilis, & à Iacob in vxorem petita. Quamuis pręfatus Auctor perperàm ibi scriptum reliquerit, eamdem Rachelem obiisse anno ætatis suæ trigesimo sexto: cùm ex Sacro deduci possit eloquio, (quemadmodum ex supradictis apparet, & computari potest in tabulis) à tempore quo Iacob ingressus est ad Rachelem vsque ad hunc annum, fluxisse annos viginti duos, & aliquid amplius: quibus si addantur alij vigintiduo virginitatis suæ anni; proculdubiò necessariò consequitur, eam non esse mortuam anno trigesimo sexto; sed attigisse, vt dictum est, quadragesimum quintum vitæ suæ annum.

DE SEPVLCHRO RACHELIS.

QVO AETATIS SVAE ANNO RACHEL OBIERIT.

LEVI QVANDO GENVIT CAATH.

2. Eodem anno, qui erat vitæ Leui vigesimus primus, vt videre est in tabulis, oportet ipsum Leui genuisse Caath. quod sic colligimus: Caath vixit annos centum triginta tres, vt patet Exodi cap. 6. ver. 18. non solùm in editione Vulgata, sed etiam LXX. Interpretum, & in Paraphrasi Chaldaica, quemadmodum videre est in Biblus Regiis. Vnde nescio quomodo Eugubinus in sua Pentateuchi Recognitione super citato Exodi capite ausus sit dicere, ipsum Caath secundùm LXX. Interpretes vixisse annos dumtaxat centum triginta; præsertim cùm etiam textus eorumdem Interpretum Romæ anno salutis 1588. quam emendatissimè editus, habeat, dictum Caath vixisse annos centum triginta tres. Quare necesse est, sacrum Eugubini codicem impressorum vitio fuisse corruptum. Certum quoque est, ipsum Caath fuisse vnū ex descendentibus cum

Iacob in Ægyptum; vt patet Genes. cap. 46. vers. 11. & consequenter, necessarium est ipsum obiisse antequam inciperent Hebræi ab Ægyptiis affligi: siquidem quando cœpit afflictio, iam mortui erant omnes illi, qui cum Iacob in Ægyptum descenderant, vt aperte colligitur Exodi cap. 1. vers. 6. Cùm igitur nusquam legamus Caath decessisse ante obitum patris sui Leui; quin potiùs credibilius sit, ipsum patri multis superuixisse annis; necessariò sequitur, ipsum esse mortuum paulò ante initia regni Amenophis, septimi regis decimæoctauæ Ægyptiorum Dynastiæ; quem infrà sub anno mundi 2438. num. 1. probabimus, fuisse Regem illum nouum, cuius fit mentio capite Exodi citato vers. 8. qui ab initio regni sui cœpit affligere Hebræos. Cùm ergo constet secundùm Eusebium in Chronicis, prædictum Amenophim in Ægypto regnare cœpisse anno ante exitum Israëlis de Ægypto centesimo sexto, qui erat centesimus decimus incipiens, ex quo Iacob in Ægyptum intrauerat, vt patet in tabulis. Si Caath, vt probabiliter credimus, obiit anno præcedenti, qui erat centesimus nonus ab introitu Israël in Ægyptum; vtique infertur, ipsum hoc anno vitæ patris sui vigesimo primo esse natum: ab hoc enim anno, ad annum centesimum nonum introitus Israëlis in Ægyptum inclusiuè, inueniuntur anni centum triginta tres, quibus ipsum Caath vixisse probatum est, vt facilè supputari potest in tabulis. Et hinc apparet decipi Pererium, qui super capite Exodi 6. num. 26. ait, Caath obiisse duobus tantùm annis ante ortum Moysi. Quod nullatenus sustineri posse videtur: quia tunc iam ex multo tempore cœpta erat Hebræorum vexatio in terra Ægypti, quemadmodum nos sub anno mundi proximè citato, num. 1. & 2. demonstrabimus: & ipsemet Pererius super Exodi cap. 1. num. 28. exponens illa verba, quæ habentur in eodem cap. vers. 6. videlicet: *Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omniq́ cognatione illa*, &c. inde infert, Hebræorum seruitutem cœpisse non modò post mortem Ioseph & fratrum eius; verumetiam post mortem vniuersæ cognationis eius, illius, inquam, cognationis, quæ vnà cum Iacob in Ægyptum introierat; id est, mortuis etiam filiis fratrũ Iosephi, qui cum patribus suis ingressi fuerant Ægyptum, inter quos, vt diximus, certum est, extitisse etiam ipsum Caath. Eodem argumento ex sacræ Scripturæ verbis desumpto, cogimur etiam refellere dictum S. Epiphanij prope finem sui Ancoratus, asserentis, quòd Leui, cùm esset annorum triginta quatuor, genuit Caath. Nam hoc posito, (quemadmodum facile erit supputare in tabulis) necessariò oportebit ponere obitum ipsius Caath, post tredecim circiter annos ab incœpta Hebræorum afflictione, quod Sacro textui proximè allegato manifestè repugnat. Fallitur item apertissimè Alexander Polyhistor, qui (vt videre est apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. vlt.) ait, Caath, quando mortuus est Leui pater eius, fuisse quadraginta annorum. Quod satis euidenter hoc refellitur argumento: quoniam sequeretur, ipsum Caath natum esse anno circiter quinquagesimo tertio, ex quo Iacob in Ægyptum cum tota familia sua ingressus fuerat: siquidem Leui anno eiusdem introitus nonagesimo tertio mortuus est, vt patet in tabulis: & consequenter oporteret ipsum Caath non fuisse connumeratum inter descendentes cum Iacob in Ægyptum, contra expressum Scripturæ textum Gen. cap. 46. superiùs adductum.

3. Eodem anno, de Rachelis sepulchro quod erat prope Bethleem, ad dextram viæ quæ ducebat in Hebron, profectus Iacob cum vniuersa familia sua, fixit tabernaculum trans locum quemdam, qui dicebatur Turris gregis, siue Turris Ader seu Gader, quæ, vt habetur in libro de Locis Hebraicis, & tradit Brocardus part. 1. cap. 7. §. 56. parum aberat ab ipsa Bethleem contra Orientem ciuitatis. Et iste, aiunt, fuit locus ille, in quo posteà, nato in Bethleem Saluatore, pastores audierunt vocem Angeli dicentis: *Euangelizo vobis gaudium magnum*, &c. & voces Angelorum dicentium: *Gloria in altissimis Deo*, & quæ sequuntur. *Quod quidem non nisi diuina sapientia ac dispositione actum est, vt scilicet eo loco natus Dei Filius annuntiaretur pastoribus, in quo sanctus ille pastor Iacob commoratus fuerat, à quo descenderat stella ex Iacob, quæ suum & nostrum peperit reparatorem.* sic Brocardus vbi suprà. Atque in hoc campo, pascuis vberrimis grandibusque oleis referto, aiunt Helenam Constantini matrẽ, in memoriam prædictæ apparitionis Angelicæ, ædificasse templum sub nomine sanctorum Angelorum. Ex his fit manifestum, hallucinari Hebræos, qui, vt refert B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, arbitrati sunt, nomine Turris gregis accipiendam esse Ierusalem, propter montem Moria, vbi posteà fabricatum est templum: nam licet verum sit, templum illud nonnumquam vocabulo Turris gregis fuisse significatum, vt patet Michææ cap. 4. vers. 8. quòd fortè propter eius altitudinem, à longè turris haberet similitudinem; & quòd illic, religionis ergò, cœtus & congregationes hominum, instar gregum, conue-

IACOB HABITAT TRANS TVRRIM GREGIS.

TVRRIS GREGIS VBI.

conuenire solerent;& denique quòd illuc quodammodò veluti greges ouium boumq; ducerent ad immolandum: attamen certum est, Turrem gregis, ad quam nunc perrexit Iacob, non fuisse montem Moria, qui erat in Ierusalem; sed locum, quem diximus prope Bethleem extitisse. Sic enim sanctus Hieronymus loco citato sensisse videtur, relicta Rabbinorum opinione. Cui sancto Doctori, tum propter eius eminentem Sacrarum historiarum cognitionem, tum quia aliquamdiu ipse in Bethleem habitauit, totamque lustrauit Palæstinam, & locorum in quibus acta sunt ea quæ in Sacro eloquio tradun-tur, diligentissimus indagator fuit, magis credendum videtur quàm Rabbinis, qui tamquam diuini Spiritus expertes, & velamen super corda habentes, sæpissimè in exponendis sacris Scripturis errare solent. Huc accedit, quòd neque Sacer textus opinioni sancti Doctoris vllatenus reluctatur. Nam quod dicitur Genes. cap. 35. vers. 21. *Egressus inde*, &c. non videtur exponendum (vt putat Villalpandus in sui Apparatus vrbis & templi part. 1. lib. 3. cap. 7.) ac si dictum esset, de illa regione: sed benè potest, & vt reor, meliùs dici: *Egressus inde*. hoc est, de loco priùs memorato, in quo Iacob erexerat titulum Racheli. Sic enim ex modo loquendi videtur magis posse colligi. quandoquidem non dicit: Egressus inde, perrexit in aliam regionem. Sed: *Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis*. tacitè insinuans, eam inde non valdè procul extitisse, & ipsum Iacob tantummodò transtulisse tabernaculum de vno in alium eiusdem Bethleemiticæ regionis locum. & similiter quod ibidem in Sacro textu sequitur, *Cumq; habitaret in illa regione*, non videtur magis accipiendum de alia, quàm de illamet Bethleemitica superiùs indicata. Neque Iacob censendus est fuisse adeò imperfectus, vt non nisi per transitum in aliam regionem remotam ab ea in qua tumulauerat Rachelem, continere se posset à lacrymis. Transtulit igitur tabernaculum suum trans Turrem gregis non procul, vt aiunt, à Bethleem positam, quòd locus ille commodior sibi gregibusque suis videretur. Quo in loco fœdum quoddam accidit flagitium Ruben primogeniti Iacob, qui paternum cubile commaculare non erubuit, ingrediens ad Balam concubinam vxoremque patris sui Iacob. Cui quantum facinus hoc displicuerit, non ob iniuriam solùm sibi illatam, sed magis ob diuinam offensam, satis indicat maledictio illa Genes. cap. 49. versic. 4. *Non crescas*, &c. quam maledictionem, morti proximus, prophetico spiritu ipsi Ruben & posteris eius prædixit futuram, in memoriam criminis vltionem. Porrò Iacob creditur deinceps numquam ampliùs ingressus esse ad Balam: quod etiam colligunt Hebræi ex proximè citato textu, vbi post illa verba, *Polluisti stratum meum*, addunt: *stratum meum excisum fuit*. ac si diceretur: Ex eo tempore stratum illud à me separaui. Et hoc valdè rationabile est credere; quandoquidem scimus ita quoque fecisse sanctum virum Dauidem, post fœdatas à filio suo Absalom decem concubinas suas, quemadmodum legimus 2. Regum cap. 16. vers. 22. & cap. 20. vers. 3.

RVBEN PATERNVM MACVLAT THORVM.

IACOB HABITAT CVM PATRE SVO IN HEBRON

4. Sub finem, vt arbitror, huius anni, Iacob tandem cum vniuersa domo & substantia sua peruenit ad patrem suum Isaac in Hebron, vt apertè dicitur Gen. cap. 35. vers. 27. & etiam insinuatur cap. 37. vers. 1. vbi habetur, quòd Iacob habitauit in terra Chanaan, in qua peregrinatus est pater eius. & idem colligi potest ibidem vers. 14. vbi legimus, quòd Iacob misit Ioseph filium suum de valle Hebron, ad fratres suos in Sichem. Quando autem Isaac de Bersabee, vbi habitabat eo tempore quo Iacob abierat in Mesopotamiam, sese transtulerit in Hebron, in sacris Scripturis non habemus. Et quoniam hic nulla fit mentio Rebeccæ matris Iacob, putant quidam illam obiisse, antequam Iacob ad domum paternam cum omnibus ad se pertinentibus rediret: & Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum, cap. 2. ponit obitum Rebeccæ in tempore obitus Debboræ nutricis suæ incidisse. Sed neque de hoc certi quidquam affirmare possumus: quemadmodum neque cur Iacob, postea quam rediit in terram Chanaan, tanto tempore, integro nimirum decennio, distulerit sese suaque omnia in paternam domum reducere: nisi fortè id fecerit, non quidem pietatis defectu, cùm intra dictum decennium credatur sæpiùs ad inuisendos parentes accessisse; sed quia, cùm essent ambo valdè diuites in pecoribus & armentis, non poterat terra illa tot tantosque greges alere. Vnde non inconuenit coniectari, propterea ipsum Isaac venisse de Bersabee in Hebron; distulisse autem istam transmigrationem vsque prope hunc annum, multis aliis de causis à Moyse præteritis: sed fortè etiam quoniam, tametsi ob valdè ingrauescentem ætatem (erat enim annorum citciter centum sexaginta septem, vt patet in tabulis) non libenter, nec sine magno incommodo iter illud susciperet, solitamque habitationem tunc temporis commutaret; nihilominùs videns quòd in Hebron, vbi vberiota

CVR TAM DIV DISTVLERIT HABITARE CVM PATRE.

riora erant pascua, simul morari potuissent; maluisse tandem se suaque eódem transferre, vt quod reliquum habebat ætatis, cum dilecto filio suo Iacob conuiuere posset, in quo sciebat implendas esse diuinas sibi patrique suo factas repromissiones. Mansit igitur Iacob cum patre suo Isaac donec vixit, hoc est, annis tredecim; tot enim eum ab hoc tempore superuixisse dignosci potest ex tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2306. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 194.

1 IOSEPH cùm expleuisset annos sexdecim, nimirum sex in Mesopotamia, & decem in terra Chanaan, vt ex prædictis colligi potest, & apparet in tabulis; hoc est, cùm iam decimumseptimum vitæ annum ingressus esset, (sic namque conciliantur textus Hebraici, Græci, & Chaldaici, qui, vt videre est in Bibliorum Regiorum codicibus Genes. cap. 37. in principio aiunt, Iosephum fuisse annorum decem & septem, cum editione Latina Vulgata, quæ ibidem habet: *Cùm sexdecim esset annorum*, &c.) hoc inquam anno, si superficiem Sacri textus proximè citati attendamus, videntur omnia hæc acta esse, videlicet, Iosephum pauisse gregem cum fratribus suis; accusasse eos apud patrem crimine pessimo; ab eodemque fuisse dilectum super omnes filios suos; ideoque tunica talari ac polymita, hoc est, coloribus apprimè variata, indutum; itemque retulisse patri fratribusque somnia à se visa; atque hisce de causis aduersum se fratrum inuidiam odiumque vsqueadeò exarsisse, vt quadam die, cùm Ioseph missus esset à patre in Sichimam ad visendos fratres, qui ibidem pascebant greges in prædio, quod emeras Iacob à filiis Hemor, vt sub anno mundi 2303. num. 1. dictum est, hi statim illo viso cogitauerint ipsum occidere, ac sese mutuò ad fratricidium hortati sint; mox comprehensum, tunicaque spoliatum, in cisternam aridam proiecerint; ac demum Ismaelitis negotiatoribus in Ægyptum pergentibus, viginti argenteorum pretio distraxerint; tinctamque in sanguine hœdi tunicam eius, ad patrem deferri curauerint, qui statim illa agnita, ratusque filium suum à fera aliqua deuoratum, luxit eum longo tempore, ita vt ceteri fratres eum consolari numquam potuerint. Interim verò Ioseph ductus in Ægyptum, Putiphari eunucho Pharaonis venditus fuit, quemadmodum latè describitur Genes. cap. 37. per totum.

QVID CONTIGERIT IOSEPHO ANNVM VITAE 17. IAM INGRESSO.

IOSEPH A FRATRIBVS VENDITVS IN AEGYPTVM DEPORTATVR.

2. Verumenimuerò, vt arbitror, necesse est quædam ex dictis per recapitulationis figuram, in Sacris libris frequenter vsitatam, hoc loco esse narrata: nam cùm primaria Moysi intentio esset, hîc historiam venditionis Iosephi & translationis eius in Ægyptum describere; primò voluit tempus, in quo illa contigit, annotare illis verbis, in citati capitis ferè initio positis: *Ioseph cùm sexdecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis*, &c. Deinde aliquantò altius rem repetens, causas inuidiæ, odij, ac venditionis, quæ præcesserant, præmittere; hæ fuerunt, accusatio fratrum, singularis dilectio quam ei præ ceteris filiis ostendebat pater, & demum ipsa somniorum relatio. Hæc autem proculdubiò oportet aliquo tempore præcessisse: nam de paterna dilectione, quòd hoc tempore non cœperit, quando Ioseph iam decimumsextum vitæ annum expleuerat, sed prius; indicant illa citati capitis verba vers. 3. *Israël autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum.* quibus significatur, vt eliciunt Caietanus & Oleaster, non fuisse tunc alium minorem ipso Ioseph, quando cœpit eum pater diligere super alios filios suos, & consequenter, nondum tunc natum esse Beniamin, nec mortuam Rachelem, quam constat in partu Beniamin obiisse, vt nos sub anno mundi 2305. num. 1. diximus. De somniis autem, quòd non acciderint quando Ioseph iam decimumsextum ætatis annum expleuerat, apertè colligi potest ex responso, quod eidem referenti alterum somnium, dedit pater, dicens: *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui, adorabimus te super terram?* Ergo tum temporis adhuc erat in humanis Rachel Iosephi mater; alioqui Scriptura sacra non eodem prorsus modo locuta esset de matre, sicut de patre & fratribus qui viuebant; sed vbi nominat matrem, addidisset, Quæ mortua est, aut quid simile. Atqui certum est, quòd quando venditus fuit Ioseph, mater eius iam erat defuncta, nimirum sepulta fuerat prope Bethleem, priusquam Iacob cum suis peruenisset ad patrem suum in Hebron. Igitur perspicuum est, visionem narrationemque somniorum non ad hæc tempora, sed ad ea quæ præcesserant pertinere. Et idem multò magis dicimus de fratrum accusatione: nam illa proculdubiò narrationem somniorum præcessit, vt nos sub anno mundi 2304. num. 10. comprobauimus. Et si vera esset opinio à nobis sub dicto

QVAE HOC ANNO, ET QVAE PRIVS ACTA SINT.

mundi anno num. 9. relata, quòd scilicet crimen illud pessimum, de quo accusauit Ioseph fratres suos, fuerit oppressio aliqua virginum, aut quid simile, in ipso impetu populationis Sichimorum perpetratum; necessariò consequetetur, tum ipsam accusationem, tum etiam somniorum manifestationem, eo tempore, quòd inter Dinæ violationem & obitum Rachelis medium fuit, contigisse. Et quoniam aliter sentire nō possumus, ideò prædictam accusationem & somnia suprà suis locis retulimus: historiam verò venditionis Iosephi & translationis eius in Ægyptum, quæ in citato Genes. capite describitur, sub hoc anno, in quo reuerà creditur euenisse, ponendam duximus.

QVOTIES ET A QVIBVS IOSEPH FVE RIT VENDI-TVS. 3. Porrò, quod attinet ad venditionem Iosephi, sciendum est, Hebræorum Rabbinos existimasse, ipsum ter fuisse venditum; nempe Primò à nouem fratribus; (Ruben enim non erat cum illis, & Beniamin adhuc erat infantulus;) & hanc primam venditionem aiunt factam esse Ismaëlitis, & describi Genes. cap. 37. vers. 28. Secundò, ab Ismaëlitis, à quibus venditum fuisse Madianitis colligunt, ex eo quòd in calce prælegati capitis legimus, Madianitas vendidisse illum Putiphari eunucho Pharaonis; ergo (inquiunt) oportet eosdem Madianitas ipsum prius emisse ab Ismaëlitis. Tertiò demum, quando ab ipsis Madianitis venditus est in Aegypto, vt dictum est. Verumenimuerò hallucinantur Hebræi, & si qui sunt alij ita sentientes: quia si diligentius Sacrum textum expendamus, deprehendemus pro Ismaëlitis ac Madianitis vnam eamdemque gentem accipi; non quia reuerà non essent inter se diuersi, siquidem illi ab Ismaële filio Agar, isti verò à Madian filio Ceturæ prodierant; sed quia genere, habitatione, negotiatione, admodum inter se erant coniuncti: genere, quandoquidem omnes ab vno Abraham fuerant progeniti: habitatione, quoniam easdem penè Arabiæ regiones mixtim incolebant: negotiatione, quam pariter & communi societate exercuisse creduntur. Propterea hoc loco eos Scriptura sacra modò Ismaëlitarum, modò Madianitarum vocabulo nominat: nam loco paulò ante adducto ait, quòd prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, Iosephi fratres extrahentes eum de cisterna, vendiderunt Ismaëlitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Aegyptum. Et licet in calce capitis dicatur, Madianitas vendidisse eum in Aegypto Putiphari eunucho Pharaonis; tamen cap. 39. versic. 1. apertè dicitur, quòd idem Putiphar emerat Iosephum de manu Ismaëlitarum. Vnde liquet, eosdem negotiatores aliquando vocari Ismaëlitas, aliquando verò Madianitas, ob causas proximè allegatas. Et consequenter fit manifestum, ipsum Iosephum bis tantummodò fuisse venditum: primò quidem viginti argenteis, vt habent Textus emendatiores: secundò autem fortasse triginta, vt in quibusdam Codicibus reperitur; tametsi corruptè de priori venditione id asserant.

HISTORIA CAP. 38. GENESIS. 4. *Eodem tempore*, (inquit sacra Genesis in exordio capitis 38.) scilicet quando Iacob cœperat lugere Ioseph filium suum, quem putabat à bestia deuoratum, videtur contigisse historia illa, quæ in toto illo capite describitur; videlicet, de Iuda, qui accepit vxorem filiam viri Chananæi nomine Sue, ex qua successiuè genuit tres filios, Her, Onan, & Sela. Cùm autem creuisset Her, dedit ei coniugem vocabulo Thamar. Her verò, quòd esset nequam in conspectu Domini, ab eodem occiso, iussit Iudas Onan ingredi ad Thamar, vt suscitaret semen defuncto fratri: at Onan id ægrè ferens, fundebat semen suum in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur; propter quod scelus & ipse à Domino morte punitus cùm fuisset, præcepit Iudas nurui suæ Thamar, vt vidualem in domo patris sui vitam ageret, donec Sela adhuc aliquantulùm cresceret; poterat enim tunc esse annorum circiter duodecim, & verebatur pater ne si tam citò nuberet filius, & ipse, quemadmodum fratres eius, celeriùs periret. Thamar autem post exactos plures viduitatis suæ dies, videns se non esse traditam Selæ, ne sine prole remaneret, quadam die mutato habitu delusit socerum suum Iudam; qui ratus coire cum scorto, incestum nesciens commisit cum nuru sua; quam post tres menses, cùm ventre intumescente fornicationis accusatam comburi iussisset; agnitis postea muneribus absoluit; & ipsa ei peperit Phares & Zaram.

AD QVOD TEMPVS SIT REFEREN-DA. 5. Verumtamen hic aduertere oportet, quòd illa verba, *Eodem tempore*, &c. quæ in principio citati capitis habentur, non possunt referri ad totam hanc quam retulimus historiam: siquidem certum est, illam non minus sexdecim circiter annorum spatio expleri potuisse: tot enim in tabulis numerantur à Iudæ coniugio ad ortum Phares & Zaram. Neque sunt referenda ad illud tempus, in quo Iudas duxit vxorem; quoniam quando Ioseph decimumsextum expleuerat annum, Iudas viginti annos & aliquid amplius habebat ætatis, vt patet in tabulis. Si autem Iudas non nisi anno vitæ suæ vi-

gesimoprimo duxisset vxorem, de qua genuit Her, Onan, & Sela; profectò debuisse triginta quattuor saltem esse annorum, quando dedit filio suo Her Thamar in coniugem; & circiter triginta septem, quando iam creuerat Sela: & quoniam non dedit ei Thamar, vt promiserat; illa callidè fefellit Iudam, genuitque ex eo Phares & Zaram. Quomodo ergo potuisset Phares, natus anno trigesimoseptimo patris sui Iudæ, habere duos filios, Esron scilicet & Amul, quando descendit Iacob in Ægyptum; (de hoc enim constat Genes. cap. 46. vers. 12.) si tunc Iudas attigerat tantummodò quadragesimumquartum vitæ annum, vt videre est in tabulis? Non etiam prædicta verba, *Eodem tempore*, &c. possunt referri ad ortum Phares, ita vt Iudas ex nuru sua genuerit Phares anno Iosephi decimosexto expleto, vel (quod idem est) decimoseptimo ineunte, qui erat ipsius Iudæ vigesimusprimus: nam adolescens vigesimumprimum annum agens, naturaliter nurum habere nequit. Igitur necesse est dicere, memoratam historiam, quæ Genes. cap. 38. describitur, contigisse ex parte quidem ante venditionem Iosephi, ex parte verò post, ideoque referri ad illud tempus, quod fuit quodammodò medium inter initium & finem eiusdem historiæ.

6. Quòd si quis præcisè desideret scire, quibus temporibus singula gesta sint, distribuat ea rationabiliter intra spatium quadragintatrium annorum ab ortu Iudæ, necessarium est: totidem enim natus erat Iudas, quando cum patre & vniuersa familia eius ingressus est Ægyptum. Porrò hæc rerum gestarum distributio non videtur aliter melius fieri posse, quàm si dixerimus, ipsum Iudam, postquam ingressus fuerat annum vitæ decimumtertium, duxisse vxorem, genuisseque sub finem mensis decimi eiusdem anni, filium suum primogenitum Her: & anno insequente, mense circiter octauo, alterum nomine Onan; tertio autem anno, qui erat vitæ Iudæ decimusquintus, mense circiter sexto, natum ei esse tertium nuncupatum Sela; post quem vxor Iudæ parere desiit. Quæ omnia iam nos sub anno mundi 2298. & duobus sequentibus distinctè notauimus. Anno autem Iudæ vigesimoseptimo, quando scilicet Her primogenitus eius ingredi cœperat decimumquartum vitæ annum, oportet Iudam dedisse Thamar vxorem ipsi Her, quo non multò pòst mortuo, mox dedisse eamdem Thamar secundo filio suo Onan: & eo item paulò pòst defuncto, mansisse Thamar viduam multis diebus, hoc est vsque ad annum Iudę vigesimumoctauum propè desinentem, & tunc cùm videret se non esse datam Selæ, deluso Iuda, concepisse ex eo Phares & Zaram, quos posteà anno proximo, mense circiter septimo, peperisse credimus. Posteà verò Phares, cùm proximè ingrederetur annum vitæ decimumtertium, ducta vxore, successiuè, spatio scilicet decem & nouem mensium, genuisse duos filios, Eston & Amul, ita vt posterior natus sit paulò antequam descenderet Israël in Ægyptum. Hæc est memoratorum actuum, quæ necessariò facienda videtur, partitio; qua supposita, quidam grauis nodus alioqui pænè inextricabilis, cuius paulò pòst mentionem faciemus, commodè deuitatur, & cuncta consona ac plana redduntur; & sacra Chronologia hîc à Moyse non parum obscurè tradita, satis facilè dilucidatur. PER QVOS ANNOS SIT DISTRIBVENDA.

7. Quod si cui videatur durum, ponere Iudam & filios eius, tam citò genuisse, meminerit primò, id non esse præter naturam, vt sub anno mundi 2298. num. 1. docuimus. Deinde, multò satius esse hoc supponere, quàm contra Sacros textus Genes. cap. 46. vers. 12. 26. & 27. ponere, Esron & Amul natos esse multò pòst ingressum patris sui in Ægyptum, vt sentit Pererius, & ex B. Augustino conatur ostendere; quamuis tandem obiectiones à se excitatas non modò non exhauriat, sed post multa super cap. Genes. 46. num. 18. siue 19. fateatur, non omnia sibi comperta esse, quæ Moyses in animo habebat, quando hæc scripserat. & mox num. 29. ad prædictas obiectiones dicat non omnia resecari vsque ad viuum necesse esse: quin potiùs se huiusce modi difficultates, tamquam Labyrinthos, aliis obeundos seu pertranseundos libenter relinquere. Sed à nobis de hac re aliquid sub anno mundi 2319. num. 13. pleniùs verò sub anno mundi 2329. num. 5. & sequentibus agendum erit. CVR MODO EXPOSITO SIT DISTRIBVENDA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2311. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 199.

1 POST quinque circiter (vt num. 3. probabitur) annos, ex quo Iosephum emerat Putiphar, præposuit eum omnibus seruis suis, fecitque administratorem vniuersæ domus suæ: quam ille tanta postmodum prudentia gubernauit, vt Deo inprimis Iosephi industriam adiuuante, actionesque dirigente, aucta deinceps adeò sit PVTIPHAR COMMITTIT IOSEPHO DOMVM SVAM.

& multiplicata domini sui facultas, tam domi, quàm foris, vt (quemadmodum legimus Genes. cap. 39. vers. 1. vsque ad 7.) meritò ibidem de eodem Putiphare dicatur, quòd nec quidquam aliud nouerat, nisi panem quo vescebatur. quæ est phrasis Hebraica, idem significans ac si diceretur, quòd Putiphar, videns quàm benè atque vtiliter rem suam Iosephus gereret, plenè eius integritate ac prudentia confisus, relicta ei prorsus omni rerum suarum cura, nihil omnino scire volebat de his quæ ab illo in ipsa domus administratione agebantur, tamquam si nihil ad se pertinerent, & ipse tantummodò edere & bibere, ac frui bonis suis, sibi proposuisset.

PVTIPHAR NON ERAT VERE SED AEQVIVOCE EVNVCHVS.

¶ 2. Verùm de isto Putiphare nemo miretur duo dici, quæ prorsus inter se videntur contraria; nimirum quòd esset eunuchus, id est spado; & quòd vxorem, quin etiam (vt nonnullis placet) filiam haberet: quandoquidem reverà non erat eunuchus, sed æquiuocè dicebatur talis, ratione officij sibi à Rege traditi, quod ordinariè eunuchis dari solebat; erat enim princeps, vel præfectus, aut magister, siue dux militum, custodiæ (vt puto) personæ Regis adscriptorum; quæ dignitas seu cura, eunuchis tamquam fidelioribus demandari solebat, tametsi interdum, quemadmodum in hoc casu, etiam non eunuchis tribui contingeret, qui propterea (vt dictum est) eunuchi æquiuocè dicebantur. Quin etiam inualuit consuetudo, vt quia eunuchi semper in ministerio Regum Principumve habebantur; nonnumquam eunuchi vocabulum, pro ministro vsurpari consueuerit, vt hoc loco factum credimus.

CVR, ET QVANDO PVTIPHAR IOSEPHVM DOMVS SVAE MAGISTRVM CONSTITVERIT.

3. Quod autem diximus, Putipharem istum nisi post quinquennium tantam Iosepho dedisse auctoritatem, inde satis probabiliter conijcere possumus, quòd non videtur verisimile, virum prudentem voluisse præponere toti familiæ suæ, quæ satis ampla & copiosa erat, adolescentulum sexdecim annorum, præsertim alienigenam, & seruum emptitium; nisi posteaquam per plures annos eius fidelitatem, prudentiam, diligentiam, solertiamque sedulò explorasset probassetque, atque vt interim ille ad maiorem ætatem perueniret, tantoque ministerio aptiorem, expectasset. Quemadmodum quoque par est credere, eumdem Putipharem non nisi post alios plures annos, ex quo omnia sua Iosepho crediderat, potuisse dignoscere, quòd propter ipsum Iosephum benedixisset Dominus domui suæ, multiplicatæque valde essent opes eius. Hæc igitur per gradus acta esse censenda sunt, vt primò Ioseph per quinquennium circiter in varijs successiuè ministerijs optimè seruierit cum alijs mancipijs domini sui, mox magister domus fuerit effectus, reddens quotannis rationes administrationis suæ; ac demum anno suæ captiuitatis decimo, cùm dominus eius experimento didicisset, auctas admodum industria Iosephi esse opes suas; ac propterea, vt dixi, de integritate ac virtute eius certior esset factus, non curarit amplius scire, quid ille in administratione rerum suarum ageret; sed plenam ei in omnibus fidem habens, permiserit illi quæcumque vellet facere, ac non multò pòst, sanctum iuuenem, inuidia diaboli, à domina sua inhonestè fuisse appetitum, & iniustè accusatum, ac denique in carcerem trusum; vt pleniùs deinceps suis locis dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2312. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 200.

HER DVCIT THAMAR VXOREM, ET CVR CITO A DEO MORTE PERCVSSVS.

☞ 1 ANNO ætatis Iudæ vigesimoseptimo, vt sub anno mundi 2306. num. 6. docuimus, quando scilicet Her primogenitus eius iam ceperat attingere annum vitæ decimumquartum, oportet ipsum Iudam dedisse ei Thamar in vxorem, quam aiunt fuisse ab ipso Her perditè adamatam, & ardenter concupitam; quod est satis credibile, alioqui non tam citò videretur Iudas voluisse coniugem dare filio suo. At verò Her, cùm esset valdè nequam, vtpote qui Dei timore à se penitus excluso, & de industria, prorsus neglecta ac proiecta prolis intentione, sola explendæ libidinis concupiscentia coniugium illud inieras, sicut equus & mulus quibus non est intellectus: vel etiam, quia (vt nonnulli putant) eodem fermè quo posteà frater eius Onan, in actu coniugali, vt paulò pòst dicemus, delinquebat errore; propterea à Domino non naturali, sed repentina, vt creditur, morte occisus interiit; nimirum Deo permittente à dæmone strangulatus, quemadmodum contigisse septem Saræ maritis legimus Tobiæ cap. 6. vers. 14. & 17.

2. Mortuo Her, Iudas post luctum primogeniti, dedit eamdem Thamar Onan filio secundo, qui tum annum agebat decimumtertium, vt patet in tabulis; & sua satis firma corporis constitutione supplere videbatur ætatem, vt ipse semen defuncto fratri susci-

suscitaret: ita enim vsque ab eo tempore, licet nondum lata esset Lex, apud Hebræos fieri consueuerat. Hoc ægrè ferens Onan, non quia inuitus ingrederetur ad Thamar, quam dicunt mulierem fuisse pulcherrimam; sed quia sibi, non fratri, filios gignere voluisset; ingrediens ad illam, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Quamobrem, tametsi non vt frater eius, nihil omnino de prole gignenda curaret, attamen, quia ne prolem fratri gigneret, rem detestabilem faciebat; ideò eodem fortè, quo frater eius modo, diuina vltione percussus, obiit. Hac de re contristatus Iudas, iussit Thamar redire in domum patris sui, & ibi manere viduam, donec Sela tertius Iudæ filius, qui tum duodecim erat annorum, cresceret, & posset eam ducere; verebatur enim ne si tam citò ad eam ingrederetur, ipse quoque interiret, Genes. cap. citato vers. 8. vsque ad 12. ONAN NON OMNINO LIBENTER DVCIT THAMAR VXOREM, ET CVR ELTO PERIERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2313. · TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 201.

1 ANNO proximo (qui erat Iudæ vigesimusoctauus) ad finem vergente, contigit mori vxorem ipsius Iudæ, & (vt arbitror) non multò antè, Selam aut duxisse vxorem, aut de alia quàm Thamar ducenda, agere cœpisse. Id vt audiuit Thamar, valdè aduersus Iudam indignata, quòd ei, vt promiserat, Selam maritum minimè dedisset; cogitabat quomodo posset ei imponere, & diu desideratam prolem habere. Igitur quadam die audiens, ipsum Iudam post vxoris suæ luctum velle ascendere ad tonsores ouium suarum in Thamnas, ipsa statim immutato habitu, & capite vultuque pænè toto cooperto, clàm exiens de domo patris sui, sedit more meretricum sola in biuio, quod ducebat in Thamnas. Hanc ergo inde pertransiens Iudas conspicatus, & suspicatus esse scortum, cœpit cum ea agere de re secum habenda; quæ tandem acceptis anulo, armilla, & baculo Iudæ, pro arrhabone promissi hœdi, consensit, & ad vnum coitum concepit fetus gemellos; & vt abiit Iudas ad gregem suum, illa nihil curans de expectando hœdo, sed his contenta quæ pro arrhabone acceperat, statim surgens rediit ad suos; & viduitatis vestibus resumptis, nihil ampliùs de marito sollicita, mansit in domo patris sui, Genes. cap. 38. vers. 12. vsque ad 24. THAMAR CALLIDE CONCEPIT DE IVDA SOCERO SVO.

2. Ex quibus apparet, corruptos esse codices Bibliorum Regiorum, & nonnullos alios Latinos, qui loco citato vers. 12. habent: *Euolutis multis annis*, nimirum ab obitu Onan, mortuam esse vxorem Iudæ. & esse corrigendos, vt pro *multis annis*, dicant, *multis diebus*, quemadmodum habent Latini textus emendatiores, præsertim editionis Vulgatæ, & item LXX. Interpretum, Romæ anno salutis 1588. & 1593. impressi, & Paraphrasis Chaldaica. Si quis enim totam hanc rerum gestarum seriem ritè perpendat, inueniet fieri non posse, vt inter obitum Onan & ortum Phares interfuerit nisi paulò plus vno anno. Igitur

AB ORBE CONDITO ANNVS 2314. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 202.

1 ANNO insequente, qui erat Iudæ vigesimusnonus, mense circiter secundo inchoante, qui erat à conceptu suo quartus, Thamar ventre intumescente, deprehensa quòd esset grauida; delata fuit Iudæ tamquam fornicationis rea: qui subita grauique indignatione commotus, cùm statim eam igni comburendam esse adiudicasset; illa protulit anulum, armillam, & baculum, quæ ab eodem pro arrhabone acceperat, misitque ad socerum, dicens se ex illo, cuius illa erant, concepisse; qui confestim agnitis muneribus, & intelligens se quodammodò iustè ab ea delusum, quoniam non dedisset ei Selam maritum, vt promiserat; eamdem seipso iustiorem, hoc est minus ream, pronuntiauit, & absoluit. non tamen ampliùs eam cognoscere voluit, quòd duorum filiorum suorum vxor successiuè fuisset, Genes. cap. 38. versic. 24. vsque ad 27. THAMAR MORTI ADIVDICATVR ET ABSOLVITVR.

2. Eodem anno, mense, vt reor, circiter septimo, Thamar peperit Iudæ binos eodem partu paruulos, qui videbantur quodammodò inter se de primogenitura contendere: siquidem alter, cùm totus egredi non posset, manum priùs foras protulit; cui obstetrix filum rubrum annexuit pro signo, dicens: *Iste egredietur prior.* Verùm dum iste manum intus retrahit, alter rupta seu diuisa qua tegebatur membrana, primus egressus est: & propterea Phares, quod diuisionem significat, est appellatus: alter verò qui ORTVS PHARES ET ZARE.

rò qui posteà exiit, Zara, id est, Oriens, quia primò manum proferens apparere cœperat, & prius oriri voluisse visus fuerat, Genes. vbi suprà vers. 24. vsque ad finem capitis. Igitur primus annus vitæ Phares & Zaræ magis concurrit cum anno ætatis Iudæ trigesimo, vt positum est in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2316. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 204.

1 Anno circiter vitæ Ioseph vigesimoseptimo, qui erat Iudæ trigesimus primus, vt perspici potest in tabulis, post exactos scilicet in domo Putiphare decem seruitutis annos, quemadmodum paulò pòst ostendemus; valde probabiliter credimus cum Abulense super Genes. cap. 39. accidisse ea, quæ in eodem capite narrantur de ipso Ioseph, videlicet quòd Putiphar dominus eius, probata iam per multos annos eius fide ac prudentia, videnśque quòd ex quo ille res suas administrare cœperat, eas admodum Deo benè fauente auxerat; sinebat ipsum, quæcumque vellet in domo sua agere. & quòd existente Iosepho in tanta gratia & bona existimatione apud dominum suum, cœpit domina sua, nimirum Putiphare vxor, insano Iosephum prosequi amore, ac frequenter sollicitare, vt secum cubaret: qui recusans, aiebat, se tantam Deo offensam, dominoque suo de se optimè merito iniuriam facere nullo modo posse; sed nihilominùs impudica mulier, quamuis sæpiùs repulsam passa, non cessabat molesta esse sancto iuueni; quem cùm quadam die in cubiculo solum offendisset, & libidinis impatiens, pallio apprehensum, ad se attrahere non erubuisset, relicto in manibus eius pallio, confestim Ioseph aufugit: at illa se neglectam acriter indignata, & amore in furorem conuerso, statim exclamare, familiam conuocare, de Iosepho grauiter conqueri, ac denique illum viro suo accusare non distulit, quòd secum coire attentasset; & in argumentum facinoris, retentum pallium marito ostendebat: qui vxori nimium credulus, illicò Iosephum detrudi iubet in carcerem, vbi deinceps mansit vsquequò à Pharaone eductus fuit, vt interpretaretur somnia eius.

IOSEPH A DOMINA SVA AD MALVM SOLLICITATVR.

CVR IN CARCEREM DETRVSVS.

2. Hæc, licet Scriptura sacra non exprimat quonam anno sint gesta, ex ipsa tamen videtur colligi posse, hoc circiter anno contigisse: nam & ipsa Sacræ narrationis series satis indicat, Iosephum non multò ante duos illos, pincernam scilicet & pistorem Pharaonis eunuchos, fuisse in carcerem detrusum: & certum est, eumdem Iosephum duobus dumtaxat annis postquam illorum somnia in carcere explicauerat, inde fuisse eductum, & Pharaoni oblatum: vnde videtur ad summum tribus circiter annis in carcere mansisse. Itaque si sexdecim Ioseph iam expleuerat annos quando venditus fuit, & in Aegyptum perductus; & idem triginta erat annorum quando stetit coram Pharaone; ergo ad minus fluxerant anni tredecim, ex quo à Putiphare fuerat emptus; è quibus si detrahas tres carceris, proculdubiò restabunt decem seruitutis. Quod item confirmari potest ex his, quæ à nobis sub anno mundi 2311. num. 5. dicta sunt: inde enim quoque satis probabiliter colligi posse videtur, eumdem Iosephum potuisse vigesimumseptimum vitæ annum attingere, quando cœpit honestati eius domina sua insidiari. Nec obstat, quòd initio citati capitis 39. sacræ Genes. post illa verba: *Igitur Ioseph ductus est in Aegyptum*, &c. paucis interpositis, nimirum versiculo eiusdem capitis septimo subiungitur: *Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos in Ioseph*, & quæ sequuntur. Quo videtur insinuari, id contigisse non post multos annos, sed tantummodò post multos dies, ex quo venerat Ioseph in Aegyptum. Et hoc etiam videtur posse confirmari auctoritate beati Chrysostomi, qui in calce Homiliæ octauæ, quæ est De vinculorum & carceris laudibus, in Epistolam ad Ephesios, scribit, Iosephum tredecim annis fuisse in vinculis. Et præterea quia non videtur credibile, impudicam illam feminam plus vno circiter anno aut continere se à concupiscentia Iosephi elegantis admodum adolescentis potuisse, aut ipsius constantiam diutiùs sustinere. Non, inquam, hæc obstant: quoniam illa verba, *Post multos itaque dies*, &c. non sunt referenda ad aduentum Iosephi in Aegyptum, cuius mentio fit in ipso capitis principio: sed ad ea quæ proximè anteà narrata erant, scilicet ad tempus, in quo Deus propter ipsum Iosephum benedixerat domui Putiphare, & bona eius valdè multiplicauerat: & est ac si dictum esset: Post multos itaque dies, nimirum ex quo iam Putiphar sinebat Iosephum quæcumq; vellet agere de bonis suis, domina eius iniecit oculos in eum, &c. hoc insuper videtur multò credibilius: siquidem solent mulieres minùs appetere adolescentiores, quàm iuuenes pænè in ætate perfecta constitutos. Credimus autem beatum

QVOT ANNIS MANSERIT IN CARCERE.

QVOT ANNIS SERVIERIT.

tum Chrysostomum loco eius citato, voluisse simul comprehendere tempus seruitutis & carceris ipsius Iosephi: nam inter decimum sextum eius annum, quem iam expleuerat quando in Aegyptum venit; & trigesimum, quem agebat quando stetit coram Pharaone; medij sunt anni tredecim. Et procul dubiò etiam ipsa seruitus quoddam vinculum est, & quodammodò potest carceribus æquiparari: nam etsi Putiphar Iosephum iam non vt seruum, sed veluti fidissimum opum suarum administratorem haberet: attamen Iusephus, qui erat valdè prudens, quamuis seruitutem suam domino suo tunc gratam esse intelligeret, nihilominùs vtcumque reuerà seruum, & Barban cuiusdam seruum se esse sciebat. quod homini præsertim ingenuo, qui animi nobilitate vigeat, ac se natum esse liberum recolat, non potest non valdè esse onerosum. Certe timur ille perpetuus, admódumque rationabilis, atque ineuitabilis, ne aliquando inuidorum malignorumque calumniis domini gratiam amittat, irámve eius, licet immentò, incurrat, quemadmodum ipsi quoque Iosepho contigisse iam diximus; vinculis ipsis atque carceribus quodammodò molestior esse solet, quando & ipsammet mortem eiusmodi timoribus tolerabiliorem esse Poëta ille existimauit, cùm cecinit:

Morsq; minus pœna, quàm mora mortis habet.

Cum itaque multò credibilius sit, vxorem Putiphare iniecisse oculos in Iosephum non in prioribus illis annis, quando adhuc erat adulescentulus, & cum aliis seruis domini sui munia domus etiam viliora obire solebat; sed potiùs in postremis, postquam scilicet proximè ad virilem peruenerat ætatem, & veluti liber, domum vniuersam ad nutum gubernabat: vtique concedimus, eam, ex quo ceperat amore eius flagrare, non diutiùs eiusdem animi constantiam ferre valuisse; sed ad summum, post vnum aut alterum mensem, cùm iam se voti compotem fieri posse desperaret, amorem sui magnitudinem (vt facilè in huiusmodi casibus solent mulieres) in tantumdem odij indignationisque vertisse.

3. Ceterùm Iosephus, quamdiu mansit in carcere, tametsi (vt solent iusti, quibus tribulationum calicem Deus temperare solet, nec sinere eos supra vires tentari) Dei benignitatem abundè expertus sit; quandoquidem, vt legimus Genes. cap. 39. vers. 21. vsque ad finem capitis, Dominus fuit cum ipso Ioseph, & misertus illius, dedit ei gratiam in conspectu principis carceris; qui credidit ei omnes vinctos, & omnem carceris curam: verumtamen omnini dubium est, ipsum Iosephum, propter eximiam suam in castitate fideque domino suo seruanda constantiam, inuidia diaboli, & Deo permittente, multa mala fuisse perpessum in corpore pariter atque in anima: id enim breuiter testatus est Regius Propheta in Psalmo 104. dicens: *Humiliauerunt in compedibus pedes eius*, quod ad indicandas corporis afflictiones pertinet: nam & de animæ angustiis sequitur; *ferrum pertransiit animam eius.* quorum verborum idem ferè sensus est, ac illorum quæ habentur Lucæ cap. 2. vers. 35. vbi de Deipara Virgine dicitur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quemadmodum namque perspicuum est, Dei genitricem non materiali, sed spirituali doloris gladio in dilectissimi filij sui passione fuisse transuerberatam; ita quoque constat, Iosephi animam, hoc est vitam, non ferro, sed vehementissimis cordis angustiis fuisse perculsam, quando falsò accusatus, vix (vt credibile est) euasit gladium domini sui; & item quando innocens in compedibus positus est; & quando his solutus, diu tamen in carcere detentus fuit.

IOSEPH IN CARCERE MVLTA PASSVS.

EXPONITVR LOCVS PSALMI.

4. Sed nemo mirari debet, quòd interdum viros iustos & insontes tanta pati sinat in hac vita Deus; neque ob id oportet de diuina prouidentia ac iustitia (vt facilè solent in eiusmodi euentibus impij, vel etiam in fide pusilli) tantisper hæsitare: quandoquidem mala, quæ iusti hîc patiuntur iniustè, maius illis conferunt meritum: *Id enim* (vt docet Apostolus 2. ad Cor. cap. 4. vers. 17.) *quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Denique hæc est illa sanctorum beatitudo, cuius meminit Dominus Matth. cap. 5. vers. 10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* &, *Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me* (id est propter mandatorum meorum obseruantiam:) *gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Verùm non semper misericors Dominus tribulationes iustorum in hoc mundo sinit esse perpetuas, neque omnes semper retributiones reseruat in cælis: quandoquidem nonnumquam etiam in præsenti vita, post modici temporis afflictiones, plurimas eis vel iouito dæmone tribuit prosperitates, vt palàm est de sancto Iob, Tobia, & multis aliis, inter quos non in postremis ponendum est ipsius de quo nunc agimus Iosephi exemplum; cui

CVR SINAT DEVS IVSTOS IN HAC VITA MVLTA PATI.

IVSTI ETIAM IN HAC VITA PRO MALIS TOLERATIS INTERDVM BONA RECIPIVNT.

Dominus, post paucorum annorum humiliationes, reliquum eius vitæ tempus, nimirum à trigesimo vsque ad centesimumdecimum vitæ suæ annum, id est, donec posteà vixit, in magna deinceps exaltatione, felicitate, & gloria apud Ægyptios suosque esse voluit; vt infrà suis locis dicetur. Quin etiam in ipsomet seruitutis ac carceris tempore, vt eidem labores afflictionesque temperaret, dedit ei gratiam in conspectu domini sui, & deinde etiam præfecti carceris, vt superius dictum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2317. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 205.

JOSEPH IN CARCERE EVNVCHORVM SOMNIA INTERPRETATVR.

1 ANNO Iosephi vigesimo octauo circiter desinente, nimirum biennio antequam de carcere educeretur, (vt apertè colligitur Genes. cap. 41. in principio, vbi post ea quæ hic subiungemus, dicitur: *Post duos annos vidit Pharao somnium*, &c.) contigit duos eiusdem Pharaonis eunuchos, quorum alter pincernis, alter pistoribus Regis præerat; & non multò antè, vt reor, propter nescio quod delictum ab eis commissum ambo in carcerem, vbi Iosephus erat, iubente Rege trusi fuerant, quadam nocte somnia quædam somniasse, quæ eos meditabundos tristioresque reddiderant: quod aduertens Iosephus, & causam mœroris sciscitatus, intellexit quæ in somnis vterque viderat; & pincernam quidem bono animo esse iussit, vtpote cuius visio significaret, eum triduo pòst à Rege ad pristinum munus restitutum iri: alterum verò, hoc est pistorem, admonuit vt se præpararet ad crucis supplicium tertia die sustinendum; id enim portendere somnium quod viderat. & omne quod eis prædixit Ioseph, ad vnguem euentus comprobauit, vt latè describitur in toto Genes. cap. 40.

ESAV DE SEIR TRANSFERT SE CVM SVIS IN TERRAM CHANAAN.

2. Per hæc tempora, appropinquantibus nimirum postremis diebus vitæ Isaac, oportet pro certo supponere, quòd Esau filius eius cum tota familia & substantia sua de Seir redierit in terram Chanaan, tum vt ipse quoque curam gereret patris sui iam decrepiti, tum vt posset tempore mortis præstò esse ad sepeliendum corpus eius, & ad paternam hereditatem cum fratre suo Iacob diuidendam; sciebat enim eum iisdem de causis, iam multò antè ad patrem suum ventitasse, ac demum cum eo habitare voluisse. Vnde necessarium videtur supponere, quòd etiam ipse Esau aliquot saltem mensibus habitauerit in terra Chanaan cum patre ac fratre suo, vel non longè ab ipsis: nam certum est, quòd post mortem senis, cùm non possent ampliùs Iacob & Esau habitare simul, siue propè, præ multitudine gregum suorum, qui quotidie augebantur, ita vt iam terra illa eos alere non valeret, separati sunt ab inuicem; & Esau quidem rediit in Idumæam, Iacob autem remansit in terra Chanaan, vt nos infrà sub anno mundi 2319. numero 1. dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2318. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 206.

ISAAC MORITVR, ET A FILIIS SVIS SEPELITVR.

1 ANNO postero circiter desinente, cessit è vita plenus dierum ac meritorum Isaac, in Mambre ciuitate Arbee, quæ est Hebron, exactis centum octoginta vitæ suæ annis; & sepelierunt eum Esau & Iacob filij eius, Genes. 35. in fine. nimirum in spelunca duplici, cum patre suo Abraham, & matre sua Sara, & vxore sua Rebecca, vt patet Genes. cap. 49. vers. 31. Huius sancti viri honorificè meminit Scriptura Ecclesiastici cap. 44. vers. 24. vbi paucis admodum verbis multa eademque præclara in laudem eius comprehendit, asserens ipsum propter Abraham patrem suum iisdemmet benedictionibus ac repromissionibus, quibus & pater eius, fuisse à Deo decoratum.

QVIBVS CVM VIXERIT, ET QVAMDIV, CVM SINGVLIS.

Vixit autem Isaac cum	Sem	annis	decem & octo.
	Sale		decem & octo.
	Heber		septuaginta nouem.
	Abraham		septuaginta quinque.
	Sara		triginta septem.
	Ismaël		centum viginta tribus.
	Iacob		centum viginti.
	Ruben		triginta quinque.
	Simeon		triginta quattuor.
	Leui		triginta quattuor.
	Iuda		triginta tribus.
	Dan		triginta tribus.

Neph-

Nepbthali	triginta duobus.
Gad	triginta duobus.
Afer	triginta vno.
Iſſachar	triginta vno.
Zabulon	triginta.
Ioſeph	viginti nouem.
Her	quattuordecim.
Onan	tredecim.
Sela	decem & nouem.
Beniamin	quattuordecim.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2319. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 207.

1 ANNO inſequente, non multò poſt obitum Iſaac, videns Eſau, quòd tam ipſe quàm frater eius Iacob, præſertim poſt paternam inter ipſos diuiſam hereditatem, erant valdè diuites, babebantque pecora & armenta pænè innumera; & terra illa, in qua pater eorum peregrinari ſolebat, iam non valebat alere tantam gregum multitudinem; decreuit redire in montem Seir Idumææ, vbi iam diu habitauerat. itaque tulit vxores ſuas, & liberos, & pecora, cunctamque ſubſtantiam ſuam, & ſponte receſſit à fratre ſuo Iacob, reuerſuſque eſt iterum in Seir, vbi deinceps tam ipſe quàm posteri eius valde admodum dilatati ſunt, Geneſ. cap. 36. verſ. 6. vſque ad 9. Quòd autem iſta diſceſſio Eſau de terra Chanaan in Seir, non ſit illa quam ſuprà ſub anno mundi 2276. num. 6. diximus contigiſſe, quando Iacob morabatur in Meſopotamia Syriæ, & adhuc in humanis erat Iſaac; ſed altera, quæ facta eſt nunc, poſt obitum ipſius Iſaac; optimè probat Abulenſis ſuper citato Geneſ. cap. quæſt. 1. & ſatis indicant verba illa Sacri textus: *Receßit à fratre ſuo Iacob*. Nam quando Iacob erat in Meſopotamia, non potuit dici, quòd Eſau receſſerit à fratre ſuo Iacob; ſed potiùs, quòd Iacob receſſerat à fratre ſuo Eſau, qui tum cum parentibus remanſerat in terra Chanaan. Prætereà præcipua huius diſceſſus cauſa aſſignatur in Sacro codice, fuiſſe, quia præ multitudine diuitiarum, ac præcipuè gregum, non poterant in eadem regione ambo habitare. Porrò certum eſt, quòd numquam dum viueret Iſaac, fuerunt filij eius adeò diuites, & in gregibus ouium atque armentorum copioſi, quemadmodum poſt mortem eius; quando ad opes & greges, quos ſinguli labore atque induſtria ſibi comparauerant, acceſſit etiam paterna hereditas, quæ & ipſa erat valde opulenta, vt pater Geneſ. cap. 26. verſ. 13. ESAV REVERTITVR CVM TOTA SVBSTANTIA SVA IN MONTEM SEIR.

2. Dixi, Eſau ſponte receſſiſſe à fratre ſuo Iacob, vt indicarem, futilem eſſe & erroneam quorumdam Hebræorum opinionem, qui putarunt, ipſum Eſau non voluntariè, ſed coactè diſceſſiſſe; nimirum ſic imperante Iacob, quem tum credunt multò potentiorem, ac veluti dominum ipſius Eſau euaſiſſe: atque in argumentum ſuæ poſitionis adducunt, quòd iam ex tunc impleta fuerit paterna illa benedictio, quam Iacob ſurripuerat ipſi Eſau, in qua apertè pronuntiatus fuerat Iacob dominus fratrum ſuorum, Geneſ. cap. 27. verſ. 29. & ſpecialiter ipſius Eſau, ibid. verſ. 37. Sed hoc patet eſſe falſum, quoniam Eſau reuerà erat multò potentior ipſo Iacob: nam & cum quadringentis viris occurrerat ei venienti de Meſopotamia, & Iacob eum valdè pertimeſcebat; & plures propinquos habebat Eſau in terra Chanaan ex parte vxorum eius, nempe Hethæos & Heuæos, & inſuper Iſmaëlitas, qui non admodum inde diſtabant, facileque, ſi opus fuiſſet, potuiſſent commouere gentes illas bellicoſiſſimas, vt pugnarent pro Eſau aduerſus fratrem ſuum Iacob. Contrà verò ipſe Iacob, præter filios adhuc iuniores, nullos habebat ibi proximos; cognati namque vxorum eius longe aberant à terra Chanaan, habitantes in Meſopotamia. Cognati autem filiorum eius, licet eſſent in terra Chanaan, non tamen leguntur fuiſſe valdè potentes. Sed & clarum eſt, benedictionem illam paternam, quam ſurripuit Iacob fratri, non propriè pertinuiſſe ad ipſos fratres, ſaltem quod ſpectat ad dominium vnius ſuper alterum; ſiquidem ambo ſeparati ſunt ab inuicem, nec vmquam alter alteri dominatus eſſe reperitur: ſed reſpiciebat poſteros ipſorum, vt nos ſub anno mundi 1666. num. 5. oſtendimus; & tunc impleta eſt, quando temporibus Dauidis ſubiugata eſt Idumęa ab ipſo Dauide, 2. Reg. cap. 8. verſic. 14. & 1. Paralip. cap. 18. verſ. 13. & diu poſteà ſeruiuit Iſraëli ſub Regibus Iudæorum. Nam alioqui quod attinet ad proprias perſonas dictorum fratrum, ſcilicet Iacob & Eſau, potiùs videtur quòd Eſau aliquando dominatus ſit ipſi Iacob; REFELLITVR OPINIO HEBRAEORVM QVOD IACOB ESSET POTENTIOR IPSO ESAV.

Iacob; legimus namque Genes.cap.32. & 33. quòd Iacob sæpiùs Esau appellabat dominum suum, & pronus septies adorauit, & profitebatur se esse seruum illius, licet præ timore id faceret. Has autem vel eiusmodi humiliationes nusquam reperimus ab Esau factas esse erga ipsum Iacob.

DE POSTERIS ESAV. 3. Hîc dicendum esset de genealogia Esau, quæ breuiter describitur Genes. cap. 36. per totum: sed quia de pluribus eorum, qui ibidem ab Esau propagati dicuntur agere, nihil ad rem nostram pertinere videtur; propterea ceteris omissis, posteaquam aliquid in communi de hac gente præmiserimus, pauca quoque quædam de aliquibus tantummodò attingemus: puta de Amalec, à quo Amalecitæ, quorum frequens in sacris Scripturis fit mentio; de Ana, qui dicitur fuisse primus balneorum inuentor; & denique de Iobab; vtrùm scilicet ipse sit Iob, nec ne. Sciendum ergo est primò, quòd Esau, ex quo recessit de paterna domo, non habitauit ipse nec progenies eius in terra

DE MONTIBVS SEIR BROCARDI OPINIO. Chanaan, sed, vt suprà num. 1. dictum est, in montibus Seir, quos Brocardus in Repertorio descriptionis Terræ sanctæ, verbo Seir mons, ait fuisse quattuor: Parte verò prima eiusdem Descriptionis cap.5. §. 8. facit quinque: enumeratque primò illum, cuius fit mentio Genes.cap. 14. vers. 6. vbi agitur de Chodorlahomor, qui cum aliis tribus Regibus in auxilium assumptis, percussit Zuzim & Emim, & Chorrhæos in montibus Seir, vsque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine. Et hunc ait non distingui à deserto Maris rubri: putatque istum montem eo tempore non fuisse denominatum Seir ab ipso Esau, qui tunc nondum erat natus; sed ibi per anticipationem sic appellari. Alterum dicit esse coniunctum solitudini Pharan, iuxta Cadesbarne, qui habet à latere desertum Sinai, & Mare mortuum; & addit hunc esse eum quem circuierunt multo tempore filij Israël venientes de Ægypto; & de hoc dici Deuter.cap. 2. vers. 1. *Et circuiuimus montem Seir longo tempore*. Et post pauca: *Sufficit vobis circuire montem istum*. Tertio loco numerat, facitque diuersum à prædictis, illum qui memoratur Genes.cap.36. vers. 6. vbi legimus, quòd Esau tulit vxores suas & filios, omnemque substantiam suam, & abiit in alteram regionem; habitauitque Esau in monte Seir: putatque de hoc eodem monte accipienda esse illa verba, quæ habentur capite Deuter. citato vers.4. *Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos*, &c. Quartum montem Seir ait extitisse in terra Philisthiim, in in finibus Azoti & Ascalonis; quem dicit posteà fuisse datum tribui Iudæ, quando facta fuit distributio Terræ promissionis. Vnde de eiusdem tribus sorte ita legimus Iosue cap. 15. vers. 45. vsque ad 49. *Accaron cum vicis & villulis suis. Azotus cum vicis & villulis suis. Gaza cum vicis & villulis suis, vsque ad Torrentem Ægypti, & mare magnum terminus eius, & in monte Seir, qui & Samir*. Ita legit Brocardus in Repertorio, verbo Seir mons. Verùm in nostris Sacris codicibus tum editionis Vulgaræ, tum LXX. Interpretum Romæ impressis, tum etiam in Bibliis Regiis, & in Paraphrasi Chaldaica, eo loci *Samir* tantùm, & nusquam *Seir* reperimus scriptum. Probabile tamen est, quòd ille mons Samir idem esset cum eo, qui in eodem cap. ipsius Iosue num. 10. appellatus fuerat Seir, vt videtur sensisse Brocardus. Quintus denique mons Seir, ab eodem Auctore traditur fuisse iuxta mare Galilææ & montem Galaad, in quo Esau habitabat eo tempore, quo Iacob ex Mesopotamia Syriæ regressus est: & specialiùs eumdem describens montem, addit, quòd terminatur in sorte tribus Gad in monte Galaad, contra locum, vbi non longè à montibus Gelboë, iuxta ciuitatem Bethsan, Iordanis fluuius mare Galilææ egreditur. Sic Brocardus.

AVCTORIS OPINIO. 4. Sed nobis videtur dicendum, omnes prædictos montes Seir in Sacris paginis recensitos, ad tres tantùm posse reduci, verè inter se diuersos, & ab inuicem valdè separatos ac distantes. Quamuis fortè quilibet horum trium, non vnicum dumtaxat iugum, sed continuatam quamdam seu contiguam montium colliumque ac vallium seriem complecteretur. Primus erat inter Mare mortuum & Mare rubrum, qui diuersimodè per illas solitudines distendebatur; & quandoque singulariter Mons Seir dicitur; quandoque verò montium Seir & terræ Edom nomine significatur, quæ etiam ad oram Maris rubri pertingebat, vt aperte colligitur 2. Paralipom. cap.8. vers. 17. Et hic mons ille est, qui Numer.cap. 24. vers. 18. memoratur, & sæpiùs Deuteronom. cap. 1. & 2. & cap. 33. vers. 2. & Iudic. cap.4. vers. 5. & non semel in libris Paralipomenon, aliisque Sacris posteà conscriptis, quorum loca in Bibliorum Concordantia facilè reperies. Eiusdem quoque montis fit mentio Genes.cap. 14. num. præcedenti citato. Sed vtrùm iste mons ex tunc iam nuncuparetur Seir, antequam natus esset Esau; an verò, vt putat Brocardus, per anticipationem ibi sic nominatus sit, eò quòd posteà à filiis Esau

Esau tali cognomine fuerit appellatus; ex infrà num. 6. dicendis conijci poterit. Hunc montem, qui loco Geneseos proximè adducto memoratur, Brocatdus distinguit ab eo, de quo fit mentio locis Numer. Deuteronom. & Iudic. citatis. Verumenimuerò, licet iste mons longe lateque per deserta illa loca excurrat, & plures colles iugáq; contineat: videtur tamen pro continuato vno monte, sicuti in Italia Apenninus, posse reputari; tamquam penitus separato & admodum distante ab aliis duobus, de quibus subsequentet agemus. Alter mons Seir ille est, qui, vt diximus, pars erat montis Galaad; & de hoc agitur Genes. cap. 32. vers. 3. & cap. 33. vers. 14. & cap. 36. vers. 8. & Iosue cap. 11. versic. 17. & cap. 12. vers. 7. & in hoc monte credimus habitasse Esau, non solùm eo tempore quo rediit frater eius Iacob de Mesopotamia; sed etiam quando prima vice egressus est de domo patris sui, cum tota familia sua: nusquam enim reperitur quòd deinceps, vsque ad prædictum fratris sui reditum, ipse locum habitationis suæ mutauerit. Quin etiam, quando mortuo patre dicitur rediisse in Seir, putamus ipsum exinde, vsquequò vixit, & posteritatem eius multo tempore in eodem monte habitasse, vt ex infrà dicendis clarius apparebit.

5. Quòd autem in hoc secundo monte Seir habitaret Esau, quando Iacob redibat de Mesopotamia, pro certo habemus; non solùm quia id asserit Brocardus, sed etiam, quia iste mons proximus erat viæ, per quam transibat Iacob rediens de Mesopotamia in terram Chanaan; econuersò autem, ille Seir, qui inter memorata duo maria distenditur, valde remotus erat ab eadem via; ita vt, si tunc habitasset Esau ad Meridiem vltra Mare mortuum, frustrà & insipienter videretur Iacob, cùm esset in Mahanaim, pertimuisse lædi à fratre, tanto terrarum spatio à se distante; & ineptè videretur ob id misisse ad eum legatos: & ipse Esau, quomodo tam citò tam longum iter, emensis scilicet magnis Moabitarum Amorrhæorumque regionibus, cum quadringentis viris, conficere potuisset, vt fratri ad Socoth proficiscenti prope Phanuel occurreret? Quin potiùs vterque, Iacob videlicet & Esau, multò rationabiliùs & opportuniùs differre debuissent, ille nuntios mittere, iste occurrere fratri; donec propius Iacob ad regionem fratris accederet, & vsquequò ad Hebron perueniret: inde enim ad Idumæam illam Australem longè breuior erat via. At, cùm ex Sacra historia habeamus, quòd ipse Iacob, vt primùm peruenit in Mahanaim, veritus ne frater eius Esau, ob pristina odia, se suaque ex improuiso tunc hostiliter inuaderet; præmisit legationem, & paulò pòst etiam munera, vt illum sibi placatum redderet: & quòd Esau statim cum quadringentis viris venit ad fratrem: vtique admittere debemus, quòd ipse Esau non procul inde habitaret; & consequenter, quòd ille mons Seir, de quo ibidem Genes. ca. 32. & 33. fit mentio, erat, vt diximus, pars montis Galaad; non alter mons inter duo maria, Mortuum scilicet & Rubrum, positus.

6. Idem alio argumento confirmari potest. Nam si verum est, vt infrà num. 11. probabimus, Iob fuisse pronepotem ipsius Esau: si probauerimus eumdem Iob habitasse prope montem Galaad, non autem prope Mare rubrum; certè idem videtur sentiendum de proauo eius Esau: non enim probari potest, ipsum Iob aliquando exisse de terra patrum suorum, aliòve habitationem suam transtulisse. Sanè Iob incoluisse terram Hus, manifestè habemus in initio libri eius. cõstat autem terram Hus fuisse inter montem Galaad & Iordanem, non procul à mare Tiberiadis: ibi namque eam collocant omnes Terræ sanctæ Descriptores. Et credibile est, eamdem regionem primò sic fuisse denominatam, non ab illo Hus Horrhæo, cuius fit mentio Genes. cap. 36. vers. 28. vt quidam putauerunt; neque, vt alij, ab Hus filio primogenito Nachor fratris Abrahæ; sed ab Hus filio Aran filij Sem, vt asserit B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. cap. 10. deinde verò aliis nominibus fuisse nuncupatam: nam ex quo eam incoluerunt Esau & posteri eius, saltem ea pars quæ ab ipsis possessa fuit, Seir & Edom dici cœpit. Quando autem cum aliis finitimis regionibus deuenit in potestatem Amorrhæorum, Regnum Basan dicebatur. quo à Moyse capto, & Manassenlibus distributo, Dimidiæ tribus Manasse trans Iordanem sors dicta est: posterioribus verò temporibus, Trachonitis, & Gerasenorum regio pro parte appellata fuit. Præterea ipse Iob, qui & Iobab, dicitur fuisse de vrbe Bosra, Genes. cap. 36. vers. 33. & tres Reges (sic enim appellantur Tobiæ cap. 2. vers. 15.) amici eius, qui recensentur Iob cap. 2. vers. 11. nempe Eliphaz appellatur Themanites, hoc est de vrbe Theman: & Baldad Suhites, id est, de Suecha siue Sueta: & Sophar Naamathites, videlicet de Naamath. Porrò istæ ciuitates à Brocardo teste oculato, par. 1. cap. 5. §. 7. & ab aliis Terræ sanctæ Descriptoribus, ponuntur in terra Hus, hoc est, in regione montis Galaad proximè memorata, & prope di-

pe dictam Suecham affirmant reperiri pyramidem sepulchri ipsius Iob. Sed & Amos Propheta cap. 1. vers. 11. & 12. manifeste ponit Theman & Bosram in terra Edom, quæ erat pars terræ Hus, vt nos num. sequenti ex Ieremia probabimus. Denique oportet Iob habitasse non valdè procul à Chaldæis & Sabæis: siquidem isti excursione facta dicuntur inuasisse atque abstulisse armenta eius, Iob cap. 1. vers. 15. & 17. Quis verò nesciat, Chaldæos & Sabæos longè viciniores fuisse monti Galaad, quàm regioni inter Mare mortuum & Rubrum positæ? Igitur ex his omnibus elicitur, rationabile admodum videri, quòd Esau habitauerit in hoc secundo monte Seir, qui erat prope montem Galaad, vt dictum est. Tertius mons Seir erat in terra Chanaan, seu in terra Philisthinorum, de quo habetur mentio Iosue cap. 15. vers. 10. & aliter dici creditur mons Samir, vt suprà num. 3. dictum est.

DE DVPLICI IDVMÆA, AQVILONARI ET AVSTRALI. 7. Ex dictis valdè probabiliter conijcere ac colligere possumus, ipsum Esau & posteros eius multis quidem annis mansisse in memorata parte montis Galaad, & Occidentali eius planitie, eamque regionem appellasse terram Edom, siue Idumæam, & montem Seir, & de hac terra Edom accipi debere illud Ieremiæ Threnorum cap. 4. vers. 21. *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Sed inde posteà, priusquam regnaret Iob, cœpisse posteros Esau transmittere colonias ad Australem regionem inter prædicta duo maria sitam; & eamdem quoque nuncupasse Idumæam, ac in ea existentes cognominasse montes Seir, ex nomine patris sui Esau, qui etiam dictus est Seir. Nisi forte prius sic iam denominati fuerant ab illo Seir Horrhæo, qui memoratur Genesis cap. 36. vers. 20. de quo tamen dubium esse potest, num ipse fuerit Horrhæus genere, an de prosapia Esau; dictusque sit Horrhæus, à deuictis Horrhæis; sicuti Scipio Africanus, ab Africa perdomita. Et quidem probabilius videtur, quòd dictus Seir fuerit de posteris Esau, (de ipsis enim in capite citato specialiter agitur) & quòd iidem posteri Esau, quando pulsis Horrhæis, vt paulò pòst probabitur, possederunt terram eorum, eam nominibus prioris suæ regionis nuncupauerint; quemadmodum Hispani, qui ad Americam, seu Nouum orbem transmigrarunt, Hispaniæ nomen, & nomina item singularum Hispaniæ prouinciarum illis regionibus indiderunt, vt videre est apud Scriptores rerum ab ipsis ibidem gestarum, & in Chronographorum tabulis. Ab hac quoque Australi Idumæa iidem posteri Esau facilè potuerunt alias deinde colonias deducere in terram Chanaan, seu Philisthinorum, & ibi itidem monti, qui dicebatur Samir, imponere nomen Seir. Quamuis si id factum est, oporteat eosdem non multo admodum tempore ibi mansisse: quandoquidem certum est, illum montem ab Israëlitis posteà occupatum cecidisse in sortem tribus Iudæ, vt patet Iosue cap. 15. suprà citato. Quin etiam oportet posteros Esau paulatim quidem, aut sponte reliquisse priscam eorum regionem montis Galaad; aut, vt probabilius videtur, ab Amorrhæis inde fuisse pulsos, ac sese tandem omnes in Australem (quam sic ad differentiam prioris appellamus) Idumæam recepisse: siquidem certum est, quòd temporibus Moysi, Israëlitæ venientes de Ægypto, circuierunt longo tempore montem seu montes Seir, in eadem Idumæa Mari rubro proxima, existentes; & quòd iisdem temporibus in terra Edom Galaaditide ac vicinis regionibus habitabant Amorrhæi, quos idem Moyses deleuit, deditque terras eorum tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse. Puto autem memoratam posteritatis Esau transmigrationem de Aquilonari in Australem Idumæam, non nisi post mortem Iob fuisse absolutam & expletam; nimirum circa initia regni illius Husan, qui continuò successerat ipsi Iob: nam Genes. cap. 36. vers. 35. legimus, quòd Rex Adad, qui immediate post Husan regnasse dicitur, percussit Madian in regione Moab; ex quo inferri potest, quòd iste Adad iam regnaret in Idumæa Australi, cui confines erant Madianitæ & Moabitæ.

8. De hac Australi Idumæa accipi debent illa verba, quæ Deuteronom. cap. 2. v. 4. dicebat Moyses filiis Israël: *Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. Videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos: neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium; quia in possessionem Esau dedi montem Seir.* Quare arbitror falli Brocardum, qui putat præcitata Moysi verba debere intelligi de illa Idumæa Aquilonari, in qua priùs habitauerat Esau: non aduertens, quòd, vt ipsemet aliàs dixerat, Esau priùs habitauerat prope montem Galaad, qui occurrit quidem venientibus in terram Chanaan de Mesopotamia, non autem de Ægypto; Moyses autem cum filiis Israël, quando prædicta verba dixit, veniebat de Ægypto, & tunc nondum peruenerat ad terram Moabitarum, vltra quam, contra Aquilonem pergentibus occurrebat mons Galaad. Vnde certum est, quòd mons Galaad

Galaad valdè distabat à via, per quam transierunt filij Israel venientes de Ægypto in terram Chanaan; & consequenter, quòd quando dicuntur circuisse montem Seir multo tempore; non per Idumæam Aquilonarem transibant, sed per Australem, in qua olim habitauerant Horrhæi, à quibus nomen acceperat mons ille Hor, in quo mortuus est Aaron: sed deinde pulsi fuerant à filiis Esau, vt expresè traditur Deuteronom. cap. 2. vers. 12. & 22. & propterea dicebat Moyses filiis Israël, ne pugnare auderent contra fratres suos filios Esau, per quorum terram pertransibant; quia eam Dominus ab Horrhæis ablatam eisdem posteris Esau possidendam tradiderat. Et hæc est illa Idumæa, quæ posterioribus deinde temporibus fuit admodum celebris, habuitque habitatores valdè bellicosos & fortes, & longo tempore proprios Duces ac Reges. Et licet hæc temporibus Dauidis ab ipso subacta fuerit; nihilominùs posteà, regnante in Iuda Ioram filio Iosaphat, subtraxerunt se Idumæi ab imperio Iudæorum, & sibi denuò proprios Reges successiuè constituerunt: tametsi post multa tempora, tota tandem illa natio non solùm à Iudæis iterùm deuicta ac subiugata fuit, sed etiam ab Hircano Iudæorum principe ad Iudaismum suscipiendum compulsa, vt scribit Iosephus 13. Antiq. cap. 17. Et hæc in vniuersum, ad quamdam huius gentis præcognitionem, in præsenti dicta sufficiant: aliàs namque non semel de ea mentionem facere oportebit.

9. Porrò inter partiales Idumææ regiones, quæ multæ erant, non infima fuit illa, quæ ab Amalecitis incolebatur, qui ab Amalec filio Eliphaz primogeniti Esau, ex Tamna concubina ipsius Eliphaz genito, propagati ac denominati sunt; habitaueruntque ad Meridianam Australis Idumææ (de qua nunc loquimur) plagam, Numer. cap. 13. vers. 30. Isti præ ceteris Idumæis infensi admodum fuerunt filiis Israël; vt propterea oportuerit ipsum Iosue aduersus eos, Moyse mandante, pugnare, Exodi cap. 17. & quoniam sine causa ausi fuerant hostiliter aggredi fratres suos Israëlitas, quando longo itinere fessi, fameque ac labore consumpti, pergebant per desertum Sin ad Terram promissionis: vsqueadeò displicuit in conspectu Domini tanta illorum inhumanitas, vt non solùm eos tunc à Iusue superari permiserit; sed insuper eodem tempore prædixerit Moysi, se propterea deleturum memoriam Amalec sub cælo, iussitque hoc scribi in libro, ac tradi auribus Iosue, (ibidem vers. 14.) vt post obitum ipsius Moysi id notum faceret filiis Israël; quemadmodum nos latiùs sub anno mundi 2544. num. 35. dicturi sumus. Quare non mirum est, si idem Moyses Deuteronom. cap. 25. in fine, adeò graui præcepto obligauit filios Israël, vt cùm Dominus subiecisset eis nationes in terra Chanaan existentes, delerent Amalecitas. Quod posteà iterùm, iubente Domino, executioni mandauit Saul 1. Reg. cap. 15. qui etiam, quoniam id non eo rigore egit, quo per Samuelem Prophetam ei Dominus imperauerat, reprobatus à Deo est ne regnaret super Israël, vt videre est ibidem vers. 23. & 28. DE AMALECITIS.

10. De Ana filio Sebeon filij Seir Horrhæi, qui creditur fuisse vnus de posteris Esau, vt suprà num. 7. tetigimus, particularis mentio habetur Genes. cap. 36. vbi traditur, quòd ipse primus adinuenit aquas calidas in solitudine, dum pasceret asinos Sebeon patris sui, vt dicitur ibidem vers. 24. hoc est, (quemadmodum locus ille communiter exponitur) adinuenit aquas naturaliter calidas ex terra manantes, ad thermas balneósve medicinæ gratia corporibus humanis adhibendas. Quamquam ex eodem Genes. loco (vt referunt B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genes. & S. Isidorus lib. 12. Etymologiarum cap. 1. & alij) plurimi Hebræorum, & nonnulli etiam ex Latinis Scriptoribus eliciant, eumdem Anan fuisse auctorem generationis mulorum, & primum qui de industria induxerit equas cum asinis copulari; ea quidem ductì coniectura, quòd, vt memorat Sacer textus, ipse pasceret asinos patris sui; sed inprimis illa moti ratione, quia dicti Auctores pro *Iamin* Hebraicè, quod maria vel aquas Latinè significat, legunt *Iemin*, quam vocem mulos significare contendunt. At Hieronymus Oleaster, Hebraicæ linguæ peritissimus, super citato Genes. capitulo ad litteram asserit, probatque etiam vocabulum *Iemin* significare maria siue aquas, vt ipse putat, salsas; & nusquam in sacra Scriptura reperiri, quòd *Iemin* mulos significet: nec propter paucos Hebræos, qui (vt sæpe testatus sum, inquit) coniecturis potiùs, quàm linguæ peritia aguntur, nomen à suæ radicis significatione alienandum puto. sic Oleaster. Quod si verum est, consequitur, siue interpretemur cū prædicto Auctore aquas salsas, siue cum Vulgata editione aquas calidas; prædictum Anan in Sacro textu celebrari, non quia ipse fuerit primus auctor mulorum; non enim probabile est, mundum tanto tempore sine mulis, quæ non est infima perfectorum animalium species, extitisse; sed quòd primus casualiter adinuenerit in quadam solitudine aquas medicinales, siue salsas, siue aluminosas, ferreásve, aut al- DE ANA BALNEORUM AUCTORE.

terius qualitatis; quæ tales euadunt transeuntes per subterraneas venas salis, aluminis, ferri, &c. Siue (quod magis reor) calidas, atque ex seipsis ebullientes, quod mirabilius ei visum sit; quæ ex locis sulphureis scaturire solent, & frequenter à Medicis ad frigidas quasdam corporum ægritudines curandas adhiberi.

11. Veniamus ad Iobab filium Zaræ, qui in eodem cap. Genes. 36. verf. 33. commemoratur, & secundo loco recensetur inter priscos illos Reges, qui regnauerunt in terra Edom, antequam haberent Regem filij Israël. De isto Iobab dubitari solet, num ipse sit idem qui & Iob, de cuius sanctitate plura habemus in libro eiusdem nominis facto. Nam licet Hebræi, quos sequitur B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. & nonnulli posteriores, puta Rupertus, Lyranus, Oleaster, & alij, super cap. Genes. citato, & Cardinalis Bellarminus in Controuersiis lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. fortassis eiusdem sancti Doctoris auctoritate moti, id negent, existimantes S. Iob non de stirpe Esau, sed de prosapia Nachor fratris Abrahæ fuisse genetatum, ea ducti coniectura, quòd Genes. cap. 22. verf. 20. Nachor dicatur genuisse Hus; & in initio libri Iob habeamus, ipsum Iob habitasse in terra Hus: contraria tamen est communis sanctorum Patrum præcipuorumque Doctorum opinio; nimirum S. Ambrosij super Epistola ad Romanos, S. Athanasij in Synopsi, vbi agit de libro Iob, quem facit librorum veteris Testamenti 17. beati Augustini lib. 18. de Ciuit. cap. 47. beati Chrysostomi Homil. 2. de patientia Iob, S. Gregorij, in principio Commentariorum suorum in Iob, & illorum item qui à B. Hieronymo in Epistola 126. quæ est ad Euagrium citantur, nempe Hippolyti, Irenæi, Eusebij Emisseni, Apollinaris, & Eustachij, & aliorum; qui tenent istum Iobab pronepotem Esau, & quintum ab Abraham, (siquidem de Abraham primus prodiit Isaac, 2. Esau, 3. Rahuel, 4. Zara, 5. Iobab) eumdem esse, qui communiter dicitur Iob. Idem apertè asserunt LXX. Interpretes in calce libri Iob. Nec obstat quòd illa ipsorum additio, quæ incipit: *Hic interpretatione redditur ex libro Syriaco*, &c. vsque ad finem libri, in Hebræis codicibus, & in pluribus etiam Latinis, eorumdem LXX. Interpretum non habeatur, & proptereà à nonnullis inter apocrypha reputari censeatur; quia oppositum indicant memorati Patres, locis adductis illam citantes ac recipientes; & præterea etiam editio eorumdem LXX. Interpretum Latinè anno salutis 1588. Romæ recognita & edita, quæ eamdem additionem habet, & probare videtur; non quidem vt ex Hebræo translatam, sed tamquam ab ipsis LXX. Interpretibus, vel ex antiquissima traditione, vel ex probato aliquo Auctore Syriaco desumptam, & diuino instinctu Sacro textui adiectam. Nec quemquam mouere debet, quòd numerus annorum vitæ Iob ibidem appositus, discrepet ab eo qui in Vulgata habetur editione: id enim mirum non est, cùm inter has duas editiones tot tantæque aliæ reperiantur annorum varietates, non solùm in 5. & 11. Genes. capitibus, verumetiam in aliis sacræ Scripturæ libris, vt sub anno mundi 131. num. 7. notauimus.

AN IOBAB IDEM SIT CVM IOB.

12. Horum itaque de prosapia Iob ab Esau deducta nos sententiam libenter amplectimur, tamquam altera multò probabiliorem, & tantorum Patrum iudicio comprobatam, & pluribus quoq; rationibus ab Abulense super cap. Genes. 22. fulcitam: videmus namque magnam inter istum Iobab & Iob, non solùm nominis, sed etiam aliarum conditionum conuenientiam: siquidem vterque in Sacro eloquio Rex fuisse dicitur: nimirum de Iobab id expressum est Genes. cap. 36. versic. 35. de Iob verò, ipsemet de se ipso id satis euidenter asseruisse videtur cap. 29. versic. 7. vbi ait: *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi. videbant me iuuenes, & abscondebantur; & senes assurgentes stabant. principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.* Et clariùs in fine eiusdem capitis: *Si voluissem*, inquit, *ire ad eos, sedebam primus; cumq; sederem quasi Rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Quæ verba exponens B. Hieronymus, supponit Iob fuisse Regem, dicens, se in regni potentia miseris ac mœrentibus consolatorem præbuisse. Quòd si quis arguat, Iob non se absolute Regem pronuntiasse, sed quasi Regem: meminerit vocem hanc *quasi* in sacris Scripturis non tam similitudinem interdum significare, quàm veritatem; vt Ioan. cap. 1. v. 14. *gloriam quasi vnigeniti*, &c. Sanè ad comprobandum, Iob fuisse Regem, facit etiam, quòd tres amici eius, qui venerunt vt eum inuiserent, & consolari, & quodammodò eum reuereri videbantur, non solùm à LXX. Interpretibus in calce libri Iob, sed etiam in editione Vulgata Tobiæ cap. 2. verf. 15. appellantur Reges. Itaque si Iob erat Rex, vt credimus, & vir magnus inter Orientales, quemadmodum dicitur Iob cap. 1. v. 3. certè multò conuenientius videtur credere, ipsum fuisse de stirpe Esau, quam constat habuis-

QVOD IDEM FVERIT IOBAB, ET IOB

habuiſſe plures Duces ac Reges, quàm de cognatione Nachor, cuius poſteri non adeò potentes ac diuites extitiſſe videntur, & ex illis nullum Regem fuiſſe reperimus. Huc accedit alia conuenientia inter Iobab & Iob, quandoquidem Iobab dicitur fuiſſe de Boſra, quæ (vt ſuprà num. 6. probatum eſt) proculdubiò erat in terra Edom Aquilonari, in qua primò habitaſſe diximus poſteros Eſau; & Iob pariter eiuſdem fuiſſe regionis, apertè indicant, Hus terra natiuitatis eius, & ſepulchrum ipſius, & ciuitates amicorum ſuorum, quibuſcum verſari ſolebat, videlicet Theman, Suheta, & Naamath; quæ omnes in eadem quoque terra Edom extitiſſe, iam ſuprà eodem numero probauimus. Vt omittam nominum ſimilitudinem inter poſteros Eſau & amicos Iob, quæ prædictis aliquam etiam videtur poſſe afferre comprobationem; nam nomen Eliphaz primi amici Iob, per omnia conuenit cum nomine primogeniti Eſau: Baldad ferè idem videtur eſſe cum Badad, qui Geneſ. cap. 36. verſ. 35. dicitur fuiſſe pater Adad, Regis Edom: Sophar quoque parum differre videtur ab illo Sobal; qui pariter eodem cap. verſ. 20. & 23. memoratur. Denique ratio illorum, qui putant Iob fuiſſe de progenie Nachor, quia primogenitus Nachor fuit Hus, à quo patriam Iob denominatam credunt, nullam habet firmitatem: nam ipſomet B. Hieronymo, primario huius opinionis patrono, atteſtante in Traditionibus Hebraicis in Geneſ. cap. 10. terra Hus ab Hus filio Aran filij Sem denominationem ſumpſit; & cùm ſuprà num. 6. probatum ſit, certum eſſe quòd terra Hus, à quocumque nomen acceperit, erat in terra Edom; hinc potiùs deduci poteſt, Iob fuiſſe Idumæum genere, & conſequenter de ſtirpe Eſau. Sed iam ad noſtram Annalium continuationem redeamus.

13. Eodem anno circiter inchoante, qui erat vitæ Beniamin decimusquintus, vt patet in tabulis, oportet ipſum duxiſſe vxorem, & ſub finem eiuſdem anni filium genuiſſe; alioqui, quando vigeſimumquintum annum agens ingreſſus eſt Ægyptum, non potuiſſet iam decem filios habuiſſe; illos nimirum, qui nominatim recenſentur Geneſ. cap. 46. verſ. 21. vt habet Vulgata editio, cui etiam conſentit Chaldaica Paraphraſis: non enim ſequimur in hac parte editionem LXX. Interpretum, quæ ex decem ibi enumeratis, ponit quoſdam fuiſſe filios, quoſdam verò nepotes, & vnum pronepotem ipſius Beniamin: tum quia illa lectio non eadem eſt in omnibus eorumdem LXX. Interpretum codicibus; aliqui enim, vt videre eſt in Biblijs Regijs, ibidem ponunt tantummodò filios ac nepotes dicti Beniamin, nullum autem pronepotem: tum quia fieri non poteſt, vt Beniamin anno vitæ ſuæ vigeſimoquinto habuerit pronepotem, immò neque nepotes; vnde oportet quoſdam ex his natos eſſe poſt ingreſſum ipſius Beniamin in Ægyptum, & conſequenter nos ſequi opinionem illorum qui putant, plures illorum qui in cap. Geneſ. citato dicuntur deſcendiſſe cum Iacob in Ægyptum, reuerà non fuiſſe eo tempore natos, ſed aliquot poſt annos; connumerati verò inter ingredientes cum Iacob in Ægyptum, non quia per ſe, ſed tamquam in patribus ſuis ipſi quoque cum illis cenſeantur ingreſſi: aut quia ille ingreſſus in Ægyptum ibi vſurpetur (vt aiunt) pro toto illo tempore, quo vixit Iacob in Ægypto; vel etiam (vt ſic comprehendant nepotes ac pronepotes ipſius Ioſeph ibidem à LXX. Interpretibus recenſitos, quorum aliqui, videlicet pronepotes, non niſi poſt obitum Iacob naſci potuerunt) pro toto tempore, quo ab introitu patris ac fratrum ſuorum in Ægyptum ſuperuixit Ioſeph, qui fuerat illis auctor & procurator illius ingreſſus. Sed nobis hæc opinio non placet, quemadmodum ſub anno mundi 2306. num. 7. tetigimus; nec ſuſtineri poſſe putamus, vt ſub anno mundi 2329. à num. 3. vſque ad 10. fuſiùs oſtendemus.

BENIAMIN QVANDO COEPERIT FILIOS GIGNERE.

14. Sub finem eiuſdem anni, videlicet non poſt duos annos ex quo Ioſeph coniectus fuerit in carcerem, vt perperàm ſcribit Ioſephus lib. 2. Antiq. cap. 3. ſed ex quo pincernarum præfectus à Pharaone in officium reſtitutus, nihil Ioſephum adiuuerat; vt ex collatione eorum quæ in Geneſ. cap. 40. cum his quæ in capite 41. dicuntur, perſpicuè colligi poteſt; contigit Pharaonem quædam ſomnia ſomniaſſe, quorum pauore perterritus, manè mira quadam anxietate tenebatur ſciendi, quidnam illa portenderent ſignificarent ve: quod cùm à cunctis Ægypti ſapientibus hac de cauſa accerſitis intelligere non potuiſſet, mœſtuſque proptereà admodum eſſet, ecce princeps pincernarum, qui vt dicitur in cap. Geneſ. 40. in fine, poſt liberationem de carcere ſibi à Ioſeph prænuntiatam, ſuccedentibus deinde proſperis, oblitus erat interpretis ſomnij ſui, neque toto illo biennij tempore quidquam de illo cogitauerat, nedum aliquid in Regis curia locutus fuerat: nunc, vt vidit Regem de ſomniorum ſuorum interpretatione adeò ſolicitum, ingenuè coram ipſo faſſus ingrati animi ſui culpam, retulit eidem Regi de Ioſeph Hebræo, iamdudum in carceribus exiſtente, quòd ſcientiam interpre-

PHARAO IN SOMNIS VIDET QVAEDAM FVTVRORVM PRAESAGIA.

tandi somnia admodum calleret, vt ipsemet experimento didicerat, quando vna eademque die & sibi salutem, & magistro pistorum interitum, ex somniis ab vtroque narratis prædixerat, eo prorsus modo & tempore, quo posteà subsecuta fuit. Hæc audiens Rex, statim imperauit Iosephum, qui tum erat annorum triginta, de carcere educi, tonsaque coma, & munda elegantique indutum veste, coram se præsentari; qui statim & sine vlla hæsitatione eidem Regi somnia mirificè exposuit: prædicens septem miræ fertilitatis annos, & totidem famis protinus sibi inuicem subsecuturos; deditque consilium coacetuandi frumenta in toto primo septennio, pro alendis in altero populis, cum magno Regis fuetiore. Quamobrem vsqueadeò honoratus atque exaltatus fuit à Pharaone Ioseph, vt statim eum omni domui suæ, & toti terræ Ægypti præfecerit, ac veluti pro Rege constituerit, prætet alias easdemque admodum insignes honoris significationes eidem præstitas; nimirum Regium annulum signatorium, vestem augustam, torquem auream, curtum secundum à regio, præcedente præcone, & indicante per vrbem noui magistratus electionem; & denique nomen nouum eidem inditum, quod vocabulo Ægyptiaco Saluatorem mundi significabat, Genes. cap. 41. vers. 1. vsque ad 46.

IOSEPH DE CARCERE EDVCTVS PHARAONIS SOMNIA INTERPRETATVR.

15. Non multò pòst addidit quoque Pharao benefacere Iosepho: quandoquidem dedit ei vxorem admodum nobilem ac diuitem, filiam scilicet Putiphare sacerdotis Heliopoleos, nomine Aseneth, quæ posteà peperit ei duos filios antequam veniret fames, Genes. cap. 41. vers. 50. Vnde fit manifestum, hos filios Ioseph intra memoratum quidem fertilitatis septennium esse natos; quonam verò anno præcisè nati sint, ignorari; quamuis probabile videatur, primum esse ortum primo circiter prædictæ fertilitatis anno, alterum autem secundo. Sanè Ioseph primogenitum suum appellauit Manassen, quod Hebraice Obliuionem significat; vt hoc nomine indicaret, quòd Deus se tanta prosperitate ac felicitate cumulauerat, vt meritò iam videretur oblitus omnium laborum, quos anteà multis modis perpessus fuerat. Alterum, vt prosperitatem suam Deo, quemadmodum par erat, acceptam referre videretur, nominauit Ephraim; quæ vox Crescens seu Fructificans interpretari dicitur, illud subiungẽs: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, Genes. cap. 41. vers. 52. hoc est, in Ægypto, in qua fuerat pauper, seruus, & carceri mancipatus: hisce verbis perspicuè declarans, se omnia felicitatis suæ incrementa non propriæ virtuti, sed diuinæ tribuere bonitati.

IOSEPH DVCIT VXOREM, ET FILIOS PROCREAT MANASSEN ET EPHRAIM.

16. Ceterùm si quis hic percontetur de præfato Putiphare, cuius filia nupta est Iosepho, num idem sit cum eo qui anteà Iosephum ab Ismaëlitis emerat, & cui ille tot annis seruierat, & demum ab eo in carcerem inclusus fuerat; an verò alter eiusdem nominis, sed alterius conditionis: dicimus, Vtrumque probabiliter posse teneri, quandoquidem vtrimque sunt Auctores satis probati, & res est quæ ex Sacris libris omnino definiri ac conuinci posse non videtur. Sanctus Augustinus quæst. 136. in Genes. videtur magis in eam partem propendere, vt putet fuisse diuersos, adducitque nonnullas pro hac sententia coniecturas. Beatus verò Chrysostomus idem apertiùs confirmat Homil. 63. in Genes. dicẽs, propterea Scripturam sacram addidisse, hunc fuisse sacerdotem Heliopoleos, ad differentiam prioris, quem dixerat esse Magistrum militum. Idem videntur sensisse Philo in libro De Ioseph, & Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 3. nam de horum identitate nihil prorsus innuentes, tamquam de diuersis hominibus locuti videntur. & certè, ni fallor, hoc videtur credibilius, & Sacro textui magis consentaneum; præsertim cùm vtriusque nomen in Hebræo, non eodem prorsus modo scribi dicatur. Nihilominùs Hebræi mordicus contrarium sentiunt; quos sequuntur B. Hieronymus & nonnulli posteriores, adhærentes cuidam illorum traditioni, quam refert idem sanctus Doctor in Traditionibus Hebraicis in Genes. cap. 37. his verbis: *Tradunt Hebræi, emptum ab hoc Ioseph ob nimiam pulchritudinem in turpe ministerium; & à Domino virilibus eius arefactis, posteà electum esse iuxta morem ἱεροφαντῶν, in pontificatum Heliopoleos; & huius filiam esse Aseneth, quam posteà Ioseph vxorem acceperit.* Hæc S. Hieronymus. qui ibidem pluribus interpositis, nimirum in cap. Genes. 41. ait: *Notandum autem, quod domini quondam & emptoris sui filiam vxorem acceperit, qui ad id locorum pontifex Helsopoleos erat: neque enim fas, absque eunuchis, idoli illius esse antistites, vt vera illa Hebræorum, super eo quod antè iam diximus, suspicio comprobetur.* Porrò si quæ locis citatis retulit B. Hieronymus firma essent, omnem viderentur tollere difficultatem. Veruntamen verò, vt ingenuè fatear, mihi memorata traditio, quæ rectiùs à præfato sancto Doctore suspicio appellata est, redolere videtur aliquod Rabbinorum commentum: constat enim, eos in huiusmodi adinuentionibus excogitandis, atque ad sensum ipsorum accom-

NVM SOCER IOSEPHI IDEM FVERIT CVM EO QVI IPSVM EMERAT.

commodandis, fuisse admirabiles. Nam quod dicitur de ritu non instituendi sacerdotes Heliopoleos, nisi essent eunuchi seu spadones, gratis dici videtur. & si verum esset, quod perhiberi ait B. Augustinus vbi suprà, nimirum Ægyptios sacerdotes numquam scruisse nisi in templo deorum suorum, nec aliud quodpiam officium exercuisse; quomodo potuit Iusephi emptor fieri sacerdos; qui, vt ex supradictis patet, tot annis militum carcerisque Regij præfecturam exercuerat? Denique vix credibile est, eum qui tamdiu cum vxore vixerat, atque ex ea filiam susceperat, aut non erubuisse se eunuchum posteà factum confiteri; aut tale quid, aliis idoli illius sacerdotibus, vt se in ipsorum numerum reciperent, persuadere. Itaque, vt dixi, mihi valdè suspecta est præfata tradirio. Verumtamen in hac re quisque proprio satisfaciat iudicio.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2320. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 208.

1 POSTERO autem anno, vt comprobaret Deus quæ per Iosephum Pharaoni prænuntiauerat, cœpit magna illa fertilitas, quæ deinceps iugiter integro septennio perdurauit; non quidem naturali aliqua astrorum influentia aut constellatione producta, (sic enim ab Astrologis quoque aliquo modo præuideri prædicive potuisset) sed ex singulari quodam Dei beneficio, singulis hisce annis, opportuno tempore Nilo ad iustam quamdam mensuram inundante, vniuersamque terram illam irrigante. Etenim certum est (vt scribit Plinius lib. 5. cap. 9.) ex cummensurato quodam eiusdem Nili incremento, puta ad sexdecim aut decem & octo cubitos, maximam in Ægypto frugum vbertatem prouenire: ex minori verò aut maiori aquatum eius exuberantia, sterilitatem sequi. Nam quia ibi ferè numquam pluere solet, terraque magno solis ardore admodum exsiccatur; quò minùs crescit amnis, in omnes fere Ægypti partes velun de industria dispertitus, eò minor terræ pars irrigatur ac fecundatur, reliqua aquarum penuria arescente. Si autem contingat plus iusto, & supra modum fluuium inundare, itidem sequitur magna sterilitas, tum quia fruges sub aquis diutiùs permanentes suffocantur; tum quia ob diuturniorem aquæ moram terra madens, denuò seri nequit. VNDE ABVNDANTIA FRVGVM ET PENVRIA IN AEGYPTO

2. Itaque Iuseph, vt primùm vidit abundare terram frugibus, egressus cum potestate sibi à Rege tradita, circuiuit omnes Ægypti regiones, instituitque locis opportunis horrea regia, iussitque in singulis vrbibus magnam vim frugum comportari & condi; nimirum quintam partem earum quæ colligebantur, non quidem maturatam & purgatam, sed in suis spicis existentem, atque in multis magnisque manipulorum aceruis redactam; vt vel sic, tamquam in suis naturalibus thecis, diutiùs conseruari possent; & simul non solùm frumenta huminibus, sed etiam iumentis paleæ reseruarentur, Genesis cap. 41. vers. 46. vsque ad 50. IOSEPH TEMPORE VBERTATIS RECONDIT FRVMENTA PRO MOX FVTVRA STERILITATE.

3. Abulensis super citato Genes. capite quæst. 11. & alij ipsum secuti, putant ideò quintam tantummodò frugum partem regio edictu fuisse per Iosephum repositam, quòd ea potuerit sufficere, non quidem absolutè, sed cum his paucis segetibus, quæ sterilitatis tempore nascerentur, saltem iuxta Nili alueos, vbi quotannis semper aliqua solet fieri inundatio & irrigatio, & consequentet aliqua messis; quod etiam quoquomodò indicatum fuerat in memorato Pharaonis somnio: siquidem illæ septem boues macie confectæ, quæ sterilitatis annos significabant, pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus, & priorum pulchritudinem deuorasse visæ sunt; ad denotandum, quòd homines tempore famis alendi etant partim ex humi nascentibus iuxta fluuij ripas, partim ex frugibus annorum abundantiæ reseruatis. Verùm quia præfata messis admodum exigua erat futura, habito respectu ad indigentiam tanti populi; propterea quasi pro nihilo reputata fuit ab eodem Iosepho, quando Genes. cap. 45. vers. 6. dixit fratribus suis: *Adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti.* Huc accedit, quòd vbi caritas annonæ est, non ad saturitatem vesci homines solent, sed pro sola necessitate; vnde etiam minus consumitur. Iustum quoque meo iudicio videbatur, quintam dumtaxat partem regio nomine pro bono publico esse reponendam; ne præter fas adimeretur facultas his, qui sibi domuique suæ vellent bonam fructuum suorum partem reseruare; quod & à pluribus faciendum, pro certo supponi poterat; & re ipsa factum fuisse credendum est: alioqui non potuisset Pharao tempore famis, etiam exteris nationibus frumenta diuendere, quippe quæ populo suo vix satis esse potuissent. Præterquam quòd etiam probabile est, Iosephum præter quintam partem regio edicto CVR QVINTA FRVGVM PARS QVOTANNIS FVERIT REPOSITA.

à fingulis iufto pretio acceptam, à volentibus quoque plura alia frumenta Regis nomine comparaffe; atque hoc pacto poftea potuiffe non Ægyptiis tantùm, fed & aliis populis ea multò cariùs diftrahere, Regemque ampliùs ditare.

IOSEPHI PRVDENTIA IN FRVGIBVS REPONENDIS.

4. De modo item reponendi dictas fruges, placet quod citatus Auctor ibidem adnotauit; nimirum, frumenta primi anni vbertatis feparatim fuiffe repofita, pro primo fterilitatis anno, & fecundi anni pro fecundo, & fic de fingulis, quia non videbantur ea poffe ad annos quatuordecim fine carie aut putredine præferuari; ad feptennium verò non item. & hoc admodum rationabile eft credere. Quamuis etiam fieri poteft, vt Iofeph prudenter fingulis vbertatis annis, vel faltem poftremis annis, omnem, aut maiorem frugum partem anteà afferuatam, renouari curauerit, vt fit in Principum munitionibus; ne fi fortè eas ab hoftibus obfideri diutiùs contingeret, militibus annona prius parata marcefceret.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2327. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 215.

FAME ADVENIENTE IOSEPH VENDIT FRVMENTA AEGYPTIIS TVM ALIIS NATIONIBVS.

☞ 1 TRANSACTIS feptem vbertatis annis, ftatim fubfequi cœperunt alij feptem inopiæ, quos prædixerat Iofeph. Cumque elapfo meffis tempore, fames pænè vbique præualere cœpiffet, neque vfpiam frumenta venalia reperirentur nifi in Ægypto; illuc cœperunt confluere homines de cunctis prouinciis circumiacentibus, vt emerent fibi efcas. Sed & ipfi quoque Ægyptij, nimirum pauperiores, recurrentes ad Regem, inftanter poftulabant fibi de pane prouideri; quos Rex remittebat ad Iofephum; qui aperiens horrea, quæ in fingulis ciuitatibus conftituerat, vendebat tum Ægyptiis, tum exteris nationibus, quantum præfenti ipforum neceffitati fufficere videbatur; conftituto fingulis pretio, quod tali tempore & loco iuftum videri poffet, Genef. cap. 41. verf. 50. vfque ad finem capitis.

PHARES DVCIT VXOREM.

2. Eodem anno, qui erat vitæ Phares decimustertius, vt apparet in tabulis, oportet ipfum duxiffe vxorem, quæ ei anno fequente inchoante peperit primogenitum fuum nomine Hefron, & poftea fub finem eiufdem anni, alterum, quem vocauit Hamul: fiquidem ipfe Phares vix annum ætatis fuæ decimumquintum attigerat, quando cum Ifraële defcendit in Ægyptum, vt in iifdem tabulis computari poteft; & tamen tunc iam genuerat duos filius, Hefron fcilicet & Hamul; quemadmodum legimus Genefis cap. 46. verf. 12. & nos fub anno mundi 2306. num. 7. prænotauimus, fufiufque fub anno mundi 2329. num. 9. comprobabimus.

IOSEPH AGNOSCIT FRATRES NON AGNITVS AB EIS.

3. Eodem quoque anno ad finem, vt arbitror, vergente, cùm iam etiam in terra Chanaan admodum creuiffet inopia rei frumentariæ, mifit Iacob decem filios fuos in Ægyptum, retento penes fe Beniamin omnium iuniore, vt victui neceffaria compararent; audierat enim quòd ibi tantummodò frumenta venderentur. Quos, vt vidit Iofeph, ftatim agnouit; ipfe verò non eft agnitus ab eis: quod mirum non eft; nam cùm maxima faciei afpectufque mutatio ordinariè in tertio potiffimùm ætatis feptennio, propter nafcentem barbam ftaturæque incrementum fieri foleat; Iofeph, qui fexdecim erat annorum quando venditus fuerat, nunc verò vir erat triginta & octo annorum, valdè diuerfum à priori præfeferebat afpectum; præfertim cùm effet priùs paftor ouium, nunc princeps Ægypti, quod de fratre fuo illi numquam cogitare potuiffent: priùs Hebraico vtens habitu & fermone, nunc Ægyptio, & per interpretem loquens eis. Ecoouersò autem, fratres eius tantùm aliquantò feniores effecti, de cetero, eiufdem vt anteà erant habitus, conditionis, & linguæ; & fimul omnes, ita vt ex vnius faltem recognitione, ceteros quoque nouiffe facile fuerit.

CVR DVRIVS LOCVTVS SIT AD EOS.

4. Vt primùm igitur agnouit fratres fuos Iofeph, & non vidit inter eos Beniamin; duriùs locutus eft ad eos, prudenter fufpicari fimulans, ne fortè effent exploratores; vt hoc pacto non mirarentur, fi eos diligentiùs de cunctis ad fe pertinentibus interrogaret; & fic ab inaduertentibus, ipfe de vita ac fofpitate patris ac fratris fui vterini poffet edoceri, eofdemq; fratres compellere, vt eumdem Beniamin, quem admodum videre cupiebat, ad fe perducerent. Quòd ergo fratres vocauit exploratores, non animo inferendi eis iniuriam, aut ab illis olim acceptam vlcifcendi, fecit; fed vt aliqua tribulatione fatigatos, ad cognitionem pœnitudinemque criminis aliàs contra fe patremque fuum admiffi perduceret; quod vtique non multò pòft euenit, vt numero fequenti dicemus. nihil eft enim quod errantes magis refipifcere faciat, quàm tribulatio, iuxta illud Ifaiæ cap. 28 verf. 19. *Vexatio intellectum dabit.* Et fimul etiam, vt poftea cùm Iofeph, quemadmo-

admodum disposuerat, se fratribus manifestasset, eisque benefecisset, cumulatiùs lætarentur: solent namque oblectare magis prospera post aduersa, & iucunda post mœsta. Diuina item dispensatione factum credimus, quòd Ioseph cum fratribus tamquam cum alienis egerit; vt illi non semel coram eo incuruati, & veluti dominum proni venerantes ac deprecantes, experimento dignoscerent, verissima fuisse somnia quondam à fratre visa ac relata, perperamque ab ipsis & insipienter irrisa. Certum quoque est, Iosephum diuinitus intellexisse, speciali se Dei consilio venditum, atque in Aegyptum perductum, ibique à Pharaone exaltatum, (quæ fuit insignis figura Christi à Iudæis occisi, & à Deo sublimati) vt posset tempore famis patrem suum totamque eius cognationem alere, vt apertè ex ipsiusmet Iosephi verbis colligitur Genes. cap. 45. vers. 5. & propterea, & item ne fratrum crimen proderet, non curasse toto vigintitrium annorum interuallo, quo in Ægypto manserat, quidquam patri de statu suo, neque per litteras, neque per nuntios, significare: non quidem ante eius exaltationem, ne præordinationi diuinæ obicem poneret; sciebat enim quòd pater omnino eum redimere voluisset: non etiam post, nimirum expectabat tempus magis opportunum consolandi patrem ac fratres; præuidebatque futurum, vt adueniente fame, ad se pro alimentis comparandis venire cogerentur; & quòd tunc fratres, visa eximia eius erga ipsos beneficentia, eo præsertim tempore ac loco, quo vindictam de ipsis sumere potuisset, ad eum diligendum magis possent incendi.

5. Itaque Ioseph, (interrogatis per interpretem fratribus, vt se magis illis celaret;) audiens illos alium reliquisse domi fratrem iuniorem, arripuit inde occasionem imperandi eis, vt ad tollendam exploratorum suspicionem, mitterent ex ipsis vnum, qui fratrem illum minimum accerseret, atque ad se perduceret, & sic probaret num vera essent quæ narrauerant, & ad sui defensionem adduxerant, alioqui habiturum se eos tamquam exploratores, & in eos animaduersurum; interim iussit eos in carcere detineri: verumtamen die tertia eductos sic alloquitur: Volo vobiscum remissiùs agere, Deum enim timeo; quare concedo vt redeatis ad regionem vestram, ac frumenta quæ emistis vobiscum asportetis, hac tamen lege, vt vnus tantùm ex vobis pro obside ligatus maneat, donec adducatis mihi fratrem vestrum minimum, quem dicitis, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini. Qui, licet inuiti, dicto acquiescentes, cœperunt inter se ad inuicem loqui, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus; idcircò venit super nos ista tribulatio.* Et Ruben omnium natu maior exprobrabat eis, subdens: *Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audistis me? en sanguis eius exquiritur.* quæ audiens ac probè intelligens Ioseph, (illis nihil tale suspicantibus) & iam lacrymas continere non valens, aliquantulùm se ab eis auertens fleuit, præ commiseratione nimirum, & pariter præ gaudio, quòd fratres ad recognitionem perpetrati facinoris deuenisse videret; hoc est enim quod tali castigatione prætendebat. Compresso igitur fletu, vt quæ dixerat executioni mandaretur, iussit, ipsis inspectantibus, ligari Simeonem: siue quia ipse, vt putant Hebræi, fuerit auctor nefariæ illius in fratrem conspirationis; siue, vt alij, quoniam cùm esset secundus genitus, & consequenter post primum maioris auctoritatis apud fratres; non adiuuit, vt debebat, primogenitum, quando nitebatur liberare fratrem. vtcumque sit, ipso in vinculis detento, Ioseph dimisit alios cum tritico quod emerant, clàm pretio in singulorum saccis per ministros reposito, datisque pro viatico cibariis. Illi verò in Chananæam redeuntes, turbati atq; attoniti quòd pecuniam in saccis comperissent, narrabant patri quæ eis in Ægypto accidissent, & præsertim de Simeone in custodia detento, donec illuc reducerent Beniamin; quod valdè displicuit patri, nec adduci potuit vt licentiam eis daret abducendi Beniamin; tametsi Ruben id instanter postularet, pollicitus illum ei omnino redditurum, Genes. cap. 42. per totum.

QVOMODO EOSDEM SALVBRITER AFFLIXERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2328.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 216.

1 ANNO proximo, qui erat vitæ Phares decimusquartus, necesse est (vt sub anno præcedenti num. 2. dictum est) ipsi natum esse anno inchoante filium quem nuncupauit Hesron, & mense circiter vndecimo eiusdem anni alterum, quem vocauit Hamul; quandoquidē nusquā legimus quòd Hesron & Hamul fuerint gemelli, neq; quòd Phares duas habuerit vxores, ex quibus ambo eodē tempore nasci potuerint.

PHARES GENVIT HESRON ET HAMVL.

 2. Eo-

REDEVNT FRATRES AD IOSEPH. ET CVM EIS BENIAMIN.

2. Eodem anno ferè, vt arbitror, desinente, Iacob necessitate compulsus (iam enim ferè consumpti erant cibi de Ægypto allati, & fames ingrauescebat) remisit filios suos, & cum illis ad Iudæ instantiam etiam Beniamin in Ægyptum, vt emerent escas domui suæ necessarias; misitque per eos munera viro, qui Simeonem tenebat in vinculis, & pecuniam duplicem; eam scilicet quam in saccis repererant, & aliam pro escis comparandis. Cùm ergo peruenissent ad Ægyptiorum Metropolim, (tunc, vt aiunt, Memphis appellatam) forteque offendissent Iosephum domo prodeuntem, illeque eos vidisset, & cum illis Beniamin; imperauit dispensatori suo, vt viros illos introduceret, instrueretque conuiuium; velle, addens, ea die prandere cum ipsis: statimque ad negotia sua, siue ad regiam, de more, cum suo comitatu perrexit. Illi autem à dispensatore introducti, admirantes ac nescientes cur id fieret, cœperunt, vt solent alicuius criminis conscij, rem in malam partem interpretari, ac vereri se ideò detineri, vt in seruitutem redigerentur, propter pecuniam in saccis ablatam; ac proinde dispensatorem adeuntes, se de hac re purgare cœperunt, liberè confitentes, illam quidem in saccis inuenisse, sed nescire quisnam eam ibi reposuisset; ac propterea eamdem reportasse. Quibus dispensator blandè respondit, ne de pecunia solliciti essent; quin etiam eduxit ad eos Simeonem fratrem, iussitque afferri aquam, vt lauarent pedes, & pabulum dedit iumentis eorum. Vt primùm verò domum rediit Ioseph, illi parata eidem munera, reuerenter adorantes obtulerunt; & ab eo de eorum patre interrogati, pariter incuruati, prospera renuntiarunt. & tunc creditur impletum somnium, quod olim viderat Ioseph de sole, & luna, & stellis vndecim ipsum quodammodò adorantibus. quod vtique præsignabat (quemadmodum ipse Iacob exposuerat) idem aliquando ei à patre ac matre & fratribus præstitum iri. Nam licet re ipsa fratres tantùm ipsum adorauerint; adeò tamen Ioseph supra proprium domus suæ statum euectus iam erat, & dignitate auctus, vt si tunc ibi cum fratribus pariter adfuissent pater ac mater eius, ipsumque pro filio, sicuti fratres pro fratre non agnouissent; idem pariter quod fratres, ipsi quoque sine vlla cunctatione fecissent. sicuti etiam sentit Pererius super Genesis cap. 37. num. 51. Conuersus deinde Ioseph ad Beniamin, cœpit cum eo dulciùs agere; verumtamen erumpentibus præ fraterni amoris teneritudine lacrymis, coactus est raptim, sub alio quodam prætextu, in proximum cubiculum diuertere, ne ante tempus se proderet. Non multò pòst autem egressus, ac se continens, iussit eos sedere ad mensam, ipsis seorsum à se, & ab Aegyptiis, iuxta morem gentis, paratam. Vbi obiter licet intueri, quàm vetus fuerit vsus sedendi ad mensam; non solùm apud Aegyptios, vt ex hoc loco fit manifestum, sed etiam apud Hebræos, vt colligi potest Genes. c. 37. vers. 25. & clariùs 1. Reg. cap. 20. vers. 25. quemadmodum nos sub anno mundi 2974. num. 3. explicabimus. Vtrùm verò etiam antiquior fuerit vsus recumbendi, nostri non est instituti disquirere. Porrò fratres inter se taciti mirabantur, quòd eos per ordinem natiuitatis sedere fecisset, & nihilominùs iuniori maiora fercula obtigissent, Genesis cap. 43. per totum.

ADORANT CVM MVNERIBVS IOSEPHVM.

CONVIVIO EXCIPIVNTVR.

PLACIDE CVM TRITICO DIMITTVNTVR.

3. Post epulum, cùm ad satietatem cuncti comedissent bibissentque, dimisit eos Ioseph, præcipiens dispensatori suo, vt impleret eorum saccos tritico, quantum possent capere; & clàm reconderet in singulis pretium quod dederant, & insuper in ore sacci iunioris, scyphum suum argenteum: quod cùm factum esset, illique abeuntes iam de vrbe exissent, ecce idem dispensator, iubente domino suo Ioseph, insecutus & assecutus est eos; cœpitque conqueri de scypho furtim ac non sine magna ingrati animi nota ablato. Qui contristati, & suæ innocentiæ conscij, confidenter protestabantur, nihil se scire de scypho; & sibi placere, vt penes quem repertus esset, moreretur, & alij in seruitutem redigerentur; & continuò singuli deponentes de iumentis saccos, aperiebant: ille verò scrutatus per ordinem singulos, tandem inuenit scyphum in sacco Beniamin. quo viso, omnes scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, redierunt ad Iosephum, & omnes ante ipsum corruerunt: quo de scyphi ablatione eos causante, Iudas humiliter pro cunctis respondens, nec valens se suosque excusare, offerebat se ceterosque ei in seruos, at ille, Non, (inquit) sed qui scyphum sustulit, ille erit seruus meus. Cui Iudas, impetrata dicendi venia, altiusque rem repetens, indicauit quàm tenero animo frater eius iunior ab ipsorum patre iam admodum sene diligeretur, & quàm ægrè ipsum in Aegyptum venire permisisset, & quòd ipse eum in suam fidem, eidem patri omnino restituendum, susceperat, ac propterea enixiùs ipsum rogabat, vt se pro seruo mallet assumere, & sinere Beniamin ad patrem redire, ne illum tristitiæ iaculo consoderet perimeretque: alioqui non posse se sine illo ad patrem reuerti, illumque

REDEVNT AD IOSEPHVM SCYPHVM INVENTVM IN SACCO BENIAMIN.

IVDAS ROGAT PRO BENIAMIN.

illumque præ nimia afflictione morientem videre, Genes. cap. 44. per totum.

IOSEPH FRATRIBVS SE MANIFESTAT.

4. Hæc audiens Ioseph, & iam amplius se cohibere non valens, iussit ceteros qui astabant exire; mox eleuata cum fletu voce, quæ ab Aegyptiis quoque qui exierant audita, statimque in domo Pharaonis diuulgata est, sese fratribus manifestauit, dicens: *Ego sum Ioseph.* quo audito, obstupescentes & perterriti, non poterant quidquam respondere ei. At ille eos clementer ad se aduocans, hortabatur ne pertimescerent, quòd eum vendidissent: diuina siquidem dispensatione id factum esse, ne ipsi fame adhuc quinquennio duratura perirent, sed ab ipso cum tota eorum familia quantocyùs in Aegyptum transferenda alerentur. Quibus dictis, continuò cœpit amplexari, & cum lacrymis osculari fratrem suum vterinum Beniamin, ac deinde ceteros sigillatim; qui tunc demum ausi sunt loqui ei. Interim verò vt audiuit Pharao, venisse fratres Ioseph, gauisus est valdè, & eo accersito, præcepit imperari fratribus suis vt redirent in terram Chanaan, & reducerent patrem, omnemq; cognationem eorum, & cuncta ad se pertinentia in Aegyptum, & ad hoc daret eis plaustra, & quæ opus essent pro ipsorum subuectione. Itaque Ioseph, cùm ampla dedisset munera cunctis fratribus, & multò maiora ipsi Beniamin, aliaq; insuper patri suo deferenda, dimisit eos cum commeatu & plaustris, ad vehendum patrem, & coniuges, & paruulos, & cuncta quæ haberent; monuitque eos ne irascerentur in via, hoc est, vt cauerent ne contentiosius in itinere, de maiori vel minori culpa in fratris venditione à singulis commissa differentes, vlla inter eos ira aut dissensio orirertur, Genes. cap. 45. vers. 1. vsque ad 25.

REMITTIT EOS CVM MVNERIBVS ET PLAVSTRIS AD VEHENDVM PATREM CVM TOTA FAMILIA SVA IN AEGYPTVM.

HISTORIA IOSEPHI EX S. GREGORIO.

¶ 5. Sed libet hìc totam hanc Iosephi historiam B. Gregorij verbis, non inutiliter neque iniucunde, vt arbitror, perstringere, ex Homil. eius 21. in Ezechiel. vbi cùm de virtute discretionis piè prudenterque disseruisset, *Ecce* (subinfert) *dum loquor, Ioseph animum pulsat, vt ad ostendenda quæ dico, ipse testis veniat. Certè somnium, quod de profectu suo viderat, fratribus narrans, per hoc quod innocenter retulit, malitiæ contra se stimulos excitauit. Ab eisdem fratribus, Ismaëlitis est venditus, in Aegyptum ductus, mira omnipotentis Domini dispensatione eidem Aegypto prælatus est. Cumq; in terra Chanaan fames exurgeret, fratres ad Aegyptum venerunt, Ioseph prælatum Aegypto repererunt, eumq; submissis ad terram ceruicibus adorauerunt. Et quia mutari Dei consilium non valet, quem ideò vendiderant ne adorarent, adorauerunt quia vendiderunt. Tunc ipse vir Dei, spiritu discretionis plenus, cognouit fratres non cognitus. Sed memor culpæ, & remissor iniuriæ, mala fratrum nec reddere studuit, nec sine purgatione laxare, nam suspectæ voce protinus dixit: Exploratores estis vos, vt videatis infirmiora terræ venistis, iam nunc experimentum vestri capiam. per salutem Pharaonis non egrediemini hinc. O iaculum in corde! peregrini venerant, famis periculum fugiebant, frumenta quæ quærebant non acceperant, & feriri se insuper iactatione criminis videbant. Inter hæc ducuntur ad carcerem; & post triduum adhuc in eadem asperitate terrentur. Iam reditur ad cor, iam culpæ memoria pulsat animum, atque inter se inuicem loquuntur: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius cùm deprecaretur nos, & non audiuimus: idcircò venit super nos ista tribulatio. In his autem cor Ioseph amore vincitur, secessum petit, soluit flendo quod pietati debuit. Seuerus ad fratres reuertitur, vt cruciatas eorum animas à culpa liberaret. Post hæc vnus religatur in vinculis, dimittuntur ceteri cum frumentis, vt vnus frater veniat, quem minimum habere se dixerant. Venit postmodum frater. Vincebat mentem pietas, cùm frater innocens videretur; sed permanebat in ostensione asperitas, vt fratres noxij purgarentur. Frumenta dantur, scyphus in sacco iunioris fratris absconditur, furti post eos quæstio mouetur. mittitur vt reducantur addicti in seruitutem, decernitur apud quem scyphus fuisset inuentus; in sacco vltimi fratris inuenitur. tunc Beniamin reducitur, afflicti omnes fratres sequuntur. O tormento misericordiæ! cruciat, & amat. Reuersi igitur, in terra cum lacrymis prostrati, veniam postulant: memores enim quid de illo patri promiserant, mœrore intolerabili tabescebant. Tunc se vlterà cohibere non valens, pietas clausa prorupit ad medium, & excussit charitatis lacrymas de vultu seueritatis. Detersa est ira, quæ apparebat, & non erat; ostensa est misericordia, quæ erat, & non apparebat. Sic vir sanctus facinus fratrum & dimisit, & vindicauit. Sic in rigore clementiam tenuit, vt delinquentibus fratribus nec sine vltione pius existeret, nec sine pietate districtus. Ecce hoc est magisterium disciplinæ, vt culpis & discretè nouerit parcere, & eas piè resecare. Qui autem discretionis spiritum non habent, aut sic dimittunt peccata, vt non corrigant; aut sic quasi corrigendo feriunt, vt non dimittant.* hucusque S. Gregorius. Sed nos, vnde digressi sumus, calamum conuertamus.

☞ 6. Reuersi cum gaudio fratres Iosephi in terram Chanaan, nuntiauerunt patri omnia: qui audiens quòd Ioseph filius eius viueret, & dominaretur in tota terra Ægypti, quasi

IACOB AVDIENS QVOD IOSEPH VIVERET, DELIBERAT IRE AD EVM.

quasi de graui somno euigilans, non minùs credebat his quæ dicebantur, ac si eadem in somnis audisse videretur: verumtamen, vt vidit plaustra & dona quæ miserat ei Ioseph, veluti reuiuiscens, & nihil vltrà in hac vita desiderans, dixit: *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit, vadam, & videbo illum antequam moriar*, Genes. cap. 45. vers. 25. vsque ad finem capitis. Profectus ergo de Hebron cum omnibus ad se pertinentibus, venit in Bersabee, quæ erat in termino Australi terræ Chanaan versus Ægyptum, vt ibi se suaque Deo commendaret iuxta Puteum iuramenti (habebat enim locum illum in magna veneratione, quòd ibi olim auus eius Abraham nomen Dei inuocasset, Genes. cap. 21. in fine, & item pater eius Isaac secundam habuisset Dei apparitionem, altareque ibidem erexisset:) quare operæpretium duxit, ipse quoque in eodem loco mactare hostias, Deumque super illa sua suorumque profectione consulere. Itaque exaudiuit ibi eum Deus, vocauitque ipsum in somnis, (quæ fuit octaua eademque postrema Dei apparitio eidem facta) & plurimas de animo eius excussit suspiciones & molestias, quæ eum pertimescere faciebant, puta, ne fortè ipse in tam longo itinere obiret, priusquam videre posset filium suum Ioseph; ne familia sua mali aliquid pateretur; ne posteri eius posteà redire ad terram eis promissam detrectarent, ne ex longiori cum Ægyptiis consuetudine, quid contra veram religionem vitæque puritatem contraherent; & denique, ne nimis durà aliquando ab Ægyptiis seruitute premerentur. Hæc & huiusmodi, vt ab animo suo propulsaret, solatus est eum Deus illis verbis: *Noli timere: descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem; Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos*, Genes. cap. 46. vers. 1. vsque ad 5.

HABVIT OCTAVAM DEI APPARITIONEM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2329.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 217.

IACOB DESCENDIT CVM TOTA FAMILIA SVA IN AEGYPTVM.

1 ANNO proximo circiter ineunte, qui erat annus egestatis tertius, biennio scilicet postquam cœpit fames, Genes. cap. 45. vers. 6. & 11. Iacob ingrediens annum vitæ suæ centesimum trigesimumprimum, (erat enim tunc annos natus centum triginta, Genes. cap. 47. vers. 9.) descendit in Ægyptum cum tota familia ac posteritate sua, cuius filij filiæque ac nepotes per capita recensentur Genes. cap. 46. vers. 8. vsque ad 28. & Exod. cap. 1. vers. 1. & ingressus Ægyptum, misit Iudam ante se ad Ioseph, vt occurreret ei in Gessen; quò cùm peruenisset in curru suo Ioseph, irruit super collum patris, flens præ ingenti lætitia; ipsumque & suos peramanter excepit. posteà de aduentu suorum Pharaoni renuntiauit; & introductis curam eo primò aliquot ex fratribus, posteà etiam patre, facilè ab eo impetrauit terram Gessen in possessionem filiis Israel; iussitque eos habitare in optimo dictæ terræ loco, in quo posteà ab ipsismet Israelitis ædificata est vrbs Ramesses; & ibi aluit eos, vt latè describitur Genes. cap. 46. vers. 28. vsque ad finem, & cap. 47. vers. 1. vsque ad 13.

DE NVMERO POSTERORVM IACOB QVANDO VENIT IN AEGYPTVM.

2. De numero autem progenitorum à Iacob, qui cum eo descenderunt in Aegyptum, siue qui iam nati erant quando ipse descendit in Aegyptum, dubitari potest propter varios Scripturæ textus, sed præcipuè propter diuersitatem, quæ reperitur inter Vulgatam & LXX. Interpretum editionem: nam in Vulgata Genes. cap. 46. vers. 26. dicuntur fuisse sexaginta sex; & ibidem vers. 27. concluditur fuisse septuaginta, & hoc postremum, replicatum habemus Exod. cap. 1. vers. 4. & Deuter. cap. 10. in fine. In editione autem LXX. Interpretum cap. Genes. citato, semel dicitur fuisse sexaginta sex, semel verò septuaginta quinque, & Exodi pariter cap. 1. ponuntur septuagintaquinque. Sanctus quoque Lucas Actorum cap. 7. vers. 14. idem scribit, secutus nimirum LXX. Interpretes locis citatis; quamuis iidem Deuter. cap. 10. ponant tantummodò animas septuaginta, quod etiam adnotauit S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes. cap. 46. vbi de hac re disputat. Videtur autem nobis, pro dictæ difficultatis dilucidatione, sub quibusdam distinctionibus esse respondendum.

3. Nam si loquamur de illis dumtaxat posteris Iacob, qui cum ipso discesserunt de terra Chanaan, vt venirent in Aegyptum; proculdubiò erant sexaginta septem animæ, computato scilicet etiam ipso Iacob; eo verò excluso, constat fuisse tantummodò sexaginta sex. Et hoc est quod habemus Genes. cap. 46. v. 26. nimirù eos qui egressi sunt de femine Iacob, & tunc de terra Chanaan exierunt, secutiq; sunt Iacob euntem in Aegyptum, fuisse animas sexaginta sex, inter quas erant duæ feminæ, videlicet Dina filia Iacob, & Sara filia Aser, vt patet in eodem capite vers. 15. & 17. Ioseph autem & duo

filij

filij eius, Ephraim & Manasses, tunc erant in Aegypto. Si autem absolutè velimus scire numerum animarum omnium, quæ tunc iam egressæ erant de femore, hoc est, de semine Iacob, quando ipse ingressus est Aegyptum; verè dicere debemus, fuisse sexaginta nouem: ipso verò etiam Iacob posteris suis adiuncto, septuaginta; vt ex his quæ capite Genes. proximè citato dicuntur, euidenter colligi ac deduci potest: nam vers. 15. dicitur Iacob genuisse ex Lia animas trigintatres; quo in numero comprehenditur etiam Dina, vt clarè ibidem indicatur illis verbis, *& filiarum*: (vsurpatur enim ibi, teste 33
B. Augustino quæst. 151. in Genes. numerus pluralis pro singulari,) & vers. 18. habemus 16
quòd Iacob ex Zelpha iam genuerat animas sexdecim: & vers. 22. ex Rachele animas 14
quattuordecim: & vers. 25. ex Bala animas septem, quæ faciunt summam animarum 7
septuaginta. Sed quoniam tam in textu Vulgato, quàm in LXX. Interpretum, licet ex 70
Lia dicantur genitæ animæ triginta tres: in ipsa tamen singulorum nominum dinumeratione vtrobique inueniuntur tantummodò animæ triginta duæ, seclusis nimirum Her & Onan iam defunctis; (ibi enim tunc viuentes dumtaxat recensentur;) & consequenter, omnes animæ quæ tum mediatè vel immediatè iam egressæ erant de semine Iacob, inueniuntur tantummodò sexaginta nouem. Ad complendum tamen numerum trigintatrium animarum ex Lia, & septuaginta animarum totius domus Iacob, locis suprà citatis expressum; Scriptura sacra, vt dictum est, cum posteris suis ipsum quoque iungit connumeratque omnium parentem Iacob. Quod & asseueranter tradit B. Hieronymus loco superiùs allegato, & satis euidenter colligit Caietanus ex illis verbis Sacri textus, quæ habentur in capite proximè citato vers. 8. *Hæc sunt nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt in Aegyptum, ipse cum liberis suis*. Ecce quòd ipsum quoque cum liberis suis Scriptura sacra connumerat. Propterea etiam infrà vers. 27. sic ait: *Omnes animæ domus Iacob*, (intellige, ex Iacob egressæ; certum namque est, vxores Iacob & filiorum eius ibidem non computari) *quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta*. pondera illud, *domus Iacob*, quod perspicuò insinuat, in eo numero comprehendi non alios solùm de domo, sed ipsum quoque caput domus seu familiæ. Porrò memorata verba, *quæ ingressæ sunt in Aegyptum*, videntur posse sumi, ac si diceretur, quæ tunc erant cum Iacob, quando ingrediebatur vel iam ingressus erat in Ægyptum, ad includendum Ioseph & duos filios eius, qui tunc erant in Ægypto, quos admodum probabile est, secum duxisse in curru suo Ioseph, vt magis lætificaret patrem, quando obuiàm venit ei in terra Gessen. Et hoc pacto consequens fit, reuerà in illo ingressu seu comitatu aliquando simul repertos esse septuaginta animas de domo Iacob.

4. Sed dicet aliquis, Cur ergo LXX. Interpretes, & cum eis S. Lucas, dixerunt fuisse septuaginta quinque? addentes septuagenario numero in Vulgatis codicibus expresso alios quinque, nepotes scilicet & pronepotes Iosephi, quos certissimum est genitos esse in Ægypto post dictum ingressum; & quosdam ipsorum, puta pronepotes, non nisi post obitum Iacob nasci potuisse, vt optimè probat S. Augustinus quæst. 152. in Genes. Hæc certè maxima est difficultas, cui non facile est respondere. Propterea idem Sanctus loco citato, & quæst. 173. in Genes. & lib. 16. de Ciuit. cap. 40. hac de re disputans, varias videtur excogitasse responsiones, vt Lector ex his deligere posset, quam aptiorem diiudicaret. Videtur igitur ex dictis B. Augustini locis tripliciter quæsito responderi posse; & prima quidem responsio ferè talis est: Inter ingressos cum Iacob in Aegyptum connumerari à LXX. Interpretibus prædictos Iosephi nepotes & pronepotes; non quia per se, hoc est, in propriis personis; sed tamquam in patribus suis ipsi quoque censeantur ingressi; eo scilicet modo, (vt exponit Pererius) quo ad Hebræos cap. 7. vers. 9. dicitur Leui in Abraham à Melchisedech decimatus: & quemadmodum Genes. cap. 11. vers. 12. Arphaxad dicitur genuisse Sale, non immediatè, sed mediante filio suo Caïnan. & sicuti cap. Genes. 46. vers. 15. nepotes Liæ dicuntur geniti in Mesopotamia videlicet in patribus suis. Quod autem dictum est de nepotibus & pronepotibus Iosephi, putat S. Augustinus etiam dici debere de nepotibus & pronepote ipsius Beniamin; quos LXX. Interpretes memorant, & inter ingressos cum Iacob in Aegyptum recensent. Addit Pererius super capit. Genes. 38. & 46. idem esse dicendum de nepotibus Iudæ, Hesron, & Hamul; quos etiam contendit natos esse in Aegypto.

GRAVIS DIFFICVLTAS.

PRIMA B. AVGVSTINI RESPONSIO.

5. Verùm contra hanc primam responsionem insurgit grauis obiectio, quæ est, Cur inter ingredientes in Aegyptum connumerati sint tantummodò aliqui nepotes Iudæ, & Iosephi, & Beniamin, tunc necdum nati; & non alij eorumdem posteri, & ij qui posteà ex aliis filiis Iacob in Aegypto sunt geniti? Ad quam nulla videtur posse ratio assignari,

GRAVIS OBIECTIO.

gnari,quæ omnino tollat difficultatē. Nam si dixerimus,in dicto numero poni tantummodò commemoratos posteros Iudæ,Iosephi,& Beniamin, propter aliquam ipsorum prærogatiuam; puta, quia Ioseph fuerat omnibus talis ingressus auctor: & de Beniamin, idem esse factum in gratiam Iosephi, cuius ille erat vterinus frater, admodumque dilectus: & de Iuda, quia de eius progenie nasciturus erat Messias. Hæc,tametsi aliquam videantur præseferre primo aspectu probabilitatem; si tamen penitiùs expendantur, nihil ad rem pertinere videntur: nam quid,obsecro, tribus illis fratribus aut ad dignitatem,aut ad vtilitatem conferre poterat, quòd aliqui ipsorum posteri posteà nati in illo ingredientium numero ponerentur, tamquam & ipsi quodammodò in patribus suis ingressi? cùm id commune esset, non solùm aliis nepotibus & pronepotibus ceterorum filiorum Iacob; sed etiam toti illi pænè infinitæ hominū multitudini,quam post ducentos & ampliùs annos eduxit Moyses de Aegypto? siquidem de illa idem prorsus dici poterat,quòd scilicet in patribus suis ingressa esset in Aegyptum. Prætereà, cur in dicto ingredientium numero poni debuit Hamul Iudæ nepos, qui nihil ad Christi genealogiam pertinuisse dignoscitur? Item, cur nulla facta mentio est nepotum ac pronepotum Leui, qui eo potissimùm nomine præcipua quadam prærogatiua celebrandus videbatur, quòd Leuiticæ tribus caput esset futurus; ex qua sola Sacerdotes constitui ac consecrari poterant, & cuius curæ tota diuini cultus administratio à Deo demandanda erat? Deinde,si concesserimus, aliquos posteà natos in dicto numero ingredientium cum Iacob in Aegyptum nihilominùs esse positos; non videtur vllo modo posse colligi, quot nam fuerint illi qui verè ingressi sunt: nam quod de prædictis dictum est, quòd nimirum intelligantur ingressi non in se, sed in patribus suis; id vtique dici etiam poterit de multis aliis in eodem catalogo contentis, puta de filiis Ruben, Simeon, & Leui, & aliorum filiorum Iacob; quos ex nullo alio Scripturæ loco probare possumus fuisse natos ante ingressum Israëlis in Aegyptum, nisi ex memorato Genes. cap. 46. vbi inter eos qui dicuntur ingressi in Aegyptum recensentur. Ex quo item contingeret non modicum infirmari sacram chronologiam,quæ vt infrà num. 12. dicemus,ex hac potissimùm suppositione, quòd Caath filius Leui ante ingressum Israëlis in Aegyptum, iam natus esset; & ipse, non autem in patre suo, ingressus sit Ægyptum; deducit ac colligit tempus mansionis filiorum Israël in Ægypto. Sed ad quid toties Historia sacra replicasset, Israëlem cum septuaginta animabus intrasse in Aegyptum, si id re ipsa verum non esset, sed tantummodò interpretatiuè, vt dictum est, quoad aliquos deberet intelligi? Denique si loca Scripturæ, vbi hoc expressè traditur, ad litteram vera esse non possent, plura alia & grauia sequerentur inconuenientia; siquidem tali exemplo, alia quoque eiusdem Scripturæ loca multò aliter quàm verba sonant, non sine errore, exponi possent; & multa, quantumuis vera & clara, in dubium reuocari.

RESPONSIO AD OBIECTA 6. Neque obstant similitudines superiùs adductæ, de Leui, qui dicitur soluisse decimas in Abrahamo; & Arphaxad genuisse Sale in filio suo Cainan; & de nepotibus Liæ, qui dicuntur nati, tamquam in patribus, in Mesopotamia: quia ex his & similibus nullum sequitur inconueniens; quisque enim probè intelligit, illud de Leui ibidem non propriè, sed per quemdam tropum figuràmve narrari: & historiam generationis Arphaxad ibi compendiosiùs traditam, in aliis Scripturæ locis suppleri ac distinctiùs haberi, vt nos aliàs ostendimus. Quod verò attinet ad nepotes Liæ, certum est quòd verba illa, quæ Genes. cap.46. post recensitos filios ac nepotes ipsius Liæ,vers. 15. subiunguntur, videlicet: *Hi filij Liæ, quos genuit in Mesopotamia*, &c. ad litteram respectiuè sic sunt exponenda, vt illud, *Hi filij Liæ*, referatur ad omnes prænominatos: illud autem, *quos genuit in Mesopotamia*, referatur ad filios tantùm,quos reuerà genuerat in Mesopotamia; non autem ad nepotes: nam Ruben primogenitus Liæ, vix ingressus fuerat decimumtertium ætatis annum, vt patet in tabulis, quando cum parentibus & fratribus suis egressus est de Mesopotamia: quare nec ipse,& adhuc minus fratres eius, videntur gignere potuisse matri suæ nepotes in Mesopotamia. Et ita quoque exponitur illud Genes. cap. 35. ver. 26. vbi duodecim filiis Iacob nominatim priùs recensitis, continuò subditur: *Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ.* Nimirum illud, *Hi sunt filij Iacob*, referri debet ad omnes: illud verò, *qui nati sunt ei in Mesopotamia*, ad omnes, vno dumtaxat excepto Beniamin, quem constat natum esse in terra Chanaan, iuxta Bethleem Iudæ, vbi non multò pòst sepulta est mater eius: vel quia Textus emendatiores cap. Genes. 46. superiùs citato non habent: *Hi sunt filij Liæ*, sed, *Hi sunt filij Liæ quos genuit in Mesopotamia.* dicere possumus, ibi figuratè de omnibus

dici,

dici, fuisse genitos in Mesopotamia; quia primarij ipsorum, & qui immediatè ex ipsa Lia prodierant, nati erant in Mesopotamia: solet namque interdum Scriptura sacra, quod conuenit pluribus aut potioribus, id per Synecdochen vniuersaliter tribuere omnibus. cuius rei plura eiusdem Scripturæ exempla profert S. Augustinus quæst. 117. in Genes. hunc eumdem locum exponens. At in casu nostro, in quo Scriptura sacra profitetur sigillatim recensere nomina filiorum Israël, qui cum eo ingressi sunt in Aegyptum, implicare videtur, opinari, quòd voluerit per modum historiæ inter eos intexere aliquos tunc nondum natos.

ALTERA S. AVGVSTINI AD DIFFICVLTATEM RESPONSIO.

7. Altera ad quæsitum responsio ab eodem Sancto proposita, talis est: In cap. Genes. 46. iam sæpius citato vsurpari ingressum in Ægyptum, non præcisè pro illo die, aut primis illis diebus, quibus Iacob intrauit in Ægyptum; sed pro toto illo tempore quod exinde superuixit Iacob: vel etiam pro omni tempore, quo ab introitu patris ac fratrum suorum superstes fuit Ioseph, qui dictum introitum à Pharaone impetrauerat; vt sic in numero ingredientium in Aegyptum, iuxta textum LXX. Interpretum, includi possint nepotes ac pronepotes Iosephi; quorum saltem aliquos ex postremis certum est, non nisi multò post mortem Iacobi nasci potuisse. Sed hæc responsio easdem pænè patitur difficultates, quas priori obiecimus: siquidem reddenda esset ratio, cur non omnes, qui toto reliquo vitæ Iacob & Iosephi tempore in Aegypto de semine Iacob nati sunt, in dicto numero fuerint recensiti. Præterquam quòd, (vt liberè dicam quod sentio, donec aliud melius indicetur,) sumere ingressum Israëlis in Aegyptum pro tam longo annorum curriculo, nimirum pro annis septuaginta & vno, (tot enim superuixit Ioseph ab ingressu patris sui in Aegyptum, vt in tabulis facilè supputari potest;) videtur intelligentia nimis protracta, & extorta, & impropria, atque à Sacri textus simplicitate admodum aliena. Nam esto, voluerit Moyses prædictum ingressum tam largè sumere; cur ex tam multis hominum millibus, qui interim in Aegypto de posteritate Iacobi prodierunt, tam paucos, & per multa temporum interualla natos, ponere voluit in catalogo ingredientium cum Iacob in Aegyptum? aut cur propter tam paucos in eodem numero inserendos, tantum protrahere prædicti ingressus tempora? Certè videtur res haudquaquam historiæ, præsertim sacræ, consentanea, & proptereà non nisi ex magna quadam & ineuitabili necessitate (quæ tamen hîc non apparet) admittenda.

OBIECTIO.

TERTIA S. AVGVSTINI RESPONSIO ACCIPITVR.

8. Quare nobis magis arridet tertia eiusdem sancti Augustini responsio, quæ putat, LXX. Interpretes addidisse quinque illos Iosephi nepotes pronepotesque, non quòd ipsos reuerà cum aliis in dicto ingressu interuenisse crederent, aut à legentibus credi vellent; quandoquidem satis manifestum erat, illos longè pòst fuisse genitos: sed vt certi mysterij causa numerum illum septuaginta quinque animarum commendarent: constat namque (vt idem Sanctus ait) *numeros in Scripturis esse sacratissimos, & mysteriorum plenissimos; vt ex quibusdam* (inquit) *quos inde nosse potuimus, dignissimè credimus.* Quòd ergo LXX. Interpretes Sacro textui Hebraicè conscripto prædictos quinque adiecerint, *magnam* (vt verbis eiusdem Sancti vtar) *continet sine dubitatione rationem: sed quoniam quænam illa sit, ignoramus; non debemus reprehendere, sed magis admirari, quod præ ingenij imbecillitate assequi non possumus.* sic ille. Quamquam fortè non abs re videretur nos posse coniicere, quòd quemadmodum sanctus Euangelista Matthæus in genealogia Christi aliquantulùm ab historia discedens, inter Ioram & Oziam, tres Reges consultò præteriit; vt (quemadmodum ibidem beatus exponit Hieronymus) tres tessaradecades in diuerso temporum statu poneret, & quia Ioram generi se miscuerat impiissimæ Iezabelis, reticere voluit memoriam posteritatis eius, vsque ad quartam generationem, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur: ita econtrariò, quòd LXX. Interpretes simili aliqua de causa, dignóve respectu, ab historico ad mysticum sensum aliquantulùm, vt iam declaratum est, declinantes, maluerint non sine diuino instinctu addere memoratos quinque nondum natos, his qui cum Iacob ingressi dicuntur Aegyptum: & hoc sine vllo mendacio; nam sicuti certum est, sanctum Matthæum non esse mentitum, quando non in sensu historico, sed figurato seu tropico, dixit, Ioram genuisse Oziam; quia illum in postero suo Amasia verè genuit: sic etiam LXX. Interpretes verè dixerunt, quinque illos Iosephi nepotes ac pronepotes ingressos esse cum Iacob in Aegyptum; non quidem ipsi, quia necdum tunc nati erant; sed in lumbis proaui sui Ioseph.

PROPOSITAE DIFFICVLTATIS RESOLVTIO.

9. Vt igitur totam hanc disputationem concludamus; dicimus, quòd ex prædictis inferre possumus, & pro certo supponere debemus, ipsum Iacob, quando ingressus est Ægy-

Ægyptum, in suo comitatu verè ac re ipsa habuisse sexaginta nouem animas de progenie sua egressas; quibus ipse annumeratus, explebat summam animarum septuaginta. hoc enim aperte testatur Historia sacra locis Vulgatæ editionis suprà citatis; & hoc idem fatentur ipsi quoque LXX. Interpretes Deuteronom. cap. 10. in fine. Quibus tamen LXX. Interpretibus, non sine diuino, vt arbitror, consilio, placuit etiam Genesis cap. 46. & Exod. cap. 1. addere alios quinque superiùs memoratos, non in sensu historico, quasi reuerà isti quoque cum aliis in Aegyptum introëuntibus extiterint; (certum enim erat, eos multò pòst fuisse natos:) sed sicuti iam dictum est, vt occulti cuiusdam mysterij gratia, mysticum numerum septuaginta quinque animarum celebrarent. & hoc cæleste consilium etiam ipse S. Lucas Actorum cap. 7. vers. 14. præfatos LXX. Interpretes secutus, comprobauit. Porrò in priori illo septuagenario numero, quem historicè traditum diximus, & ad litteram, prout sonat, intelligendum putamus, credimus in propriis personis extitisse omnes posteros Israëlis, quorum nomina sigillatim recensentur Genes. cap. 46. vers. 8. vsque ad 28. & præsertim (quidquid contradixerit Pererius) Hesron & Hamul Iudæ nepotes, quos sub anno mundi 2306. num. 6. & sequentibus, iam tunc in terra Chanaan natos fuisse ostendimus, & item sub anno mundi 2327. num. 2. & sub anno 2328. num. 1. adnotauimus, & pariter cum aliis credimus reipsa in Ægyptum descendisse decem filios Beniamin in dicto Genes. capite editionis Vulgatæ recensitos: non enim in hac parte sequi possumus textum LXX. Interpretum, qui quos Vulgata editio tamquam filios enumerat, partim filios, partim nepotes, & vnum pronepotem extitisse asserit. Recedimus verò in hoc, necessitate compulsi, ab ipsis LXX. Interpretibus, tum ob causas à nobis sub anno mundi 2319. numer. 13. adductas; tum quia alioqui oporteret recedere à simplici & plana intelligentia illorum verborum Genes. cap. 46. vers. 27. *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta.* & illorum Exod. cap. 1. ver. 4. *Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta.* & illorum item Deuteronom. cap. 10. in fine: *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum.* & consequenter necesse esset, contra expressa prædictorum Textuum verba fateri, eos qui reuerà descenderunt cum Iacob in Aegyptum, non fuisse septuaginta, sed tantummodò sexaginta quattuor; demptis scilicet quinque nepotibus Beniamin, & vno pronepote, tamquam tunc nondum natis. Quod quàm sit ab Historia sacra alienum, nemo est qui non videat: tum etiam ne & nos incidamus in aliquot inextricabiles labyrinthos, ex quibus contrariæ opinionis sectatores sese expedire non valent: tum denique, quia ad euitanda dubia, præsertim insolubilia, præstat ceteris relictis sequi Textum maioris auctoritatis; qui sine vllâ controuersia est textus Vulgatus Latinus, cui consentiunt etiam Hebraicus & Chaldaica Paraphrasis, vt videre est in Bibliis Regis.

DE TEMPORE QVO MANSERVNT FILII ISRAEL IN AEGYPTO, VARIAE OPINIONES.

10. Quantum verò temporis habitauerint filij Israël in Ægypto, non eadem fuit omnium sententia. Possunt autem colligi de hac re septem fere opiniones. Prima ponit, Hebræos mansisse in Ægypto annis minùs ducentis: quod sine vlla probatione, tamquam certum, supponit S. Chrysostomus in Hom. 37. super Genes. prope medium. & Oecumenius, qui super cap. 3. ad Galat. *Anni*, inquit, *in Aegypto transacti, sunt centum quadragintaquattuor.* Secunda putat, eosdem moratos ibi esse per annos ducentos decem. ita concludit Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 3. & idem sentiunt Lyranus & Caietanus super Genes. cap. 15. & Exod. cap. 12. & Iacobus Naclantus in libro Arcanorum Christi, vbi agit de Tertia mundi ætate: & Arias Montanus in libro de Sæculis. Tertia opinio pro certo habet, Hebræos moram in Ægypto traxisse annis nec plus nec minùs quàm ducentis quindecim. hoc aperte tradidit primò Iosephus 2. Antiq. in princip. 6. capitis, deinde Eusebius in Chronicis, vbi agit de obitu Patriarchæ Ioseph; quos posteà secuti sunt alij plures celeberrimique Doctores, vt infrà magis patebit. Quarta tenet, totum tempus mansionis Hebræorum in Ægypto fuisse quadringentorum annorum. & hoc ex multis sacræ Scripturæ locis videtur posse colligi: nimirum Genes. cap. 15. vers. 13. vbi aperte Dominus prædixit Abrahamo semen suum fore peregrinum in terra aliena (hoc est, vt ipsi exponunt, in terra Ægypti) annis quadringentis. & post pauca subiunxit: *Generatione autem quarta reuertentur huc.* id est, vt ipsi putant, centenario quarto expleto. Idem videtur desumi posse Actor. cap. 7. vers. 6. vbi hæc habentur: *Locutus est autem ei Deus* (id est Abrahæ) *quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt annis quadringentis.* (sic enim legendum ibi est, non autem *annis quadringentis triginta*; quemadmodum sub anno mundi 2178. num. 15. adnotauimus.) Idem videtur posse confirmari ex Acto-

rum cap. 13. vers. 17. vbi dicitur, quòd *Deus plebis Israël elegit patres nostros, & plebem exaltauit, cùm essent incolæ in terra Aegypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea.* & post pauca subiungitur: *Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos quinquaginta annos.* porrò ex his, quadringentos putant in Ægypto fuisse consumptos, & quadraginta in deserto, & ferè decem in expognandis Chananæorum vrbibus, eorumque terra Israëlitis diuidenda. Sed maxime omnium pro hac opinione facere videtur locus Iudith cap. 5. vers. 9. ibi enim in Latina Vulgataque editione hæc de Hebræis ad verbum dicuntur: *Cumq; operuisset omnem terram fames, descenderunt in Aegyptum, illicq; per quadringentos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari eorum non posset exercitus.* Quinta opinio est eorum, qui prorsus ad litteram accipiunt verba illa Exodi cap. 12. vers. 40. quæ in editione Vulgata sic habent: *Habitatio autem filiorum Israël qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Huius sententiæ acerrimi propugnatores fuerunt, Augustinus Eugubinus, qui in dicto Exodi loco nimis audacter expungere ausus est verba illa, *Et in terra Chanaan, ipsi & patres eorum,* quæ in LXX. Interpretum codicibus habentur: & Genebrardus, qui in sua Chronologia mordicus defendere nititur, Hebræos in Ægypto mansisse annis quadringentis triginta: tum propter locum Exodi citatum, & ab Eugubino correctum; tum quia existimat, secluso miraculo, eosdem Hebræos minori temporum interuallo non potuisse, ex tam paucis qui ingressi fuerant Ægyptum, tantopere propagari ac multiplicari; vt sexcenta pænè millia bellatorum, exceptis feminis, pueris, ac senibus, inde exire potuerint, quemadmodum testatur Scriptura Exodi cap. 12. vers. 37. Sexta opinio potest attribui his, qui crediderunt, afflictionem Hebræorum in Ægypto cœpisse statim post mortem Iosephi: nam si Deus prædixerat Hebræos seruituros in terra aliena quadringentis annis, vt quarta tenet opinio pluribus Scripturæ locis confirmata; profectò, qui istam seruitutem putant post Iosephi obitum incepisse, cùm certum sit, eumdem Iosephum vixisse in terra Aegypti annos septuaginta & vnum, ex quo eòdem venerant pater & fratres eius; coguntur credere, ipsos Hebræos habitasse in Ægypto ampliùs quàm quadringentis septuaginta annis. Septima eademque postrema opinio, erit eorum qui ad sextam opinionem addunt alios triginta annos, ea probantes Sacri textus exemplaria, quæ in citato Actorum cap. 7. vers. 6. habent, semen Abrahæ seruiturum ac malè tractandum annis quadringentis triginta: his enim si addantur prædicti anni septuaginta & vnus habitationis Israëlitarum in Aegypto, antequam affligi cœpissent, efficiet summã annorum plusquam quingentorum incolatus Israëlitici populi in Aegypto. Sed postremam hanc opinionem manifestè redarguunt, quæ nos de legitima illius Textus lectione sub anno mundi 2118. num. 15. diximus. Quin etiam ex his, quę sub anno mundi 2438. num. 1. & sequentibus dicemus, necessarium erit tuere fundamentum sextæ pariter ac septimæ opinionis; quod erat, Hebræorum afflictionem in Aegypto, statim mortuo Iosepho cœpisse: ibi namque ostendemus eiusdem afflictionis initium multis pòst annis accidisse.

11. Verumenimuerò, vt quænam ex hisce omnibus opinionibus vera sit, ac ceteris reiectis recipienda, magis innotescat: Primò disputabimus vnico contextu aduersus posteriores quattuor opiniones, probabimusque Hebræos non potuisse in Aegypto manere annis quadringentis; hoc enim est quod magis veritatem oppugnare videtur. Deinde demonstrabimus, eos ibidem annis tantummodò ducentis quindecim permansisse, quemadmodum tertia tenet opinio: vnde etiam magis patebit duarum priorum aliarumque falsitas. Tertiò demum, si quæ restabunt in contrarium argumenta, dissoluemus. Sanè rationes quibus probari potest, Israëlitas non potuisse morari in Aegypto quadringentis annis vel ampliùs, sunt istæ. Prima colligitur ex Numer. cap. 26. vers. 59. vbi legimus, quòd Iochabed mater Moysi nata est in Aegypto, fuitque filia Leui, & consequenter amita Amræ mariti sui, vt etiam quidam Sacri codices expresè habent Exodi cap. 6. vers. 20. & videtur item sensisse Auctor Quæstionum Hebraicarum in 1. Paralipom. qui sub nomine B. Hieronymi inter opera eius circumfertur. Itaque si mater Moysi nata est in Ægypto, fuitque pater eius Leui, quem constat nonaginta duobus annis tantùm vixisse in Aegypto: siquidem erat quadraginta quinque annorum, quando cum patre suo descendit in Aegyptum, vt patet in tabulis, & mortuus est exactis vitæ annis centum triginta septem, vt expresè habemus Exodi cap. 6. vers. 16. iunge prædictos nonaginta duos Leui annos in Aegypto traductos, cum octoginta, quos natus erat Moyses, paulò ante exitum populi de Aegypto, quando scilicet agere cœpit cum Pharaone de ipsis Israëlitis inde educendis, vt traditur Exodi cap. 7. vers. 7. & subduces

QVOD ISRAELITAE NON MANSERINT IN AEGYPTO ANNIS QVADRINGENTIS.

PRIMA RATIO.

92
80
172

duces annos centum septuaginta duos: restabant ergo adhuc anni ad minus ducenti viginti octo, ad complēdam summam quadringentorum annorum incolatus Hebræorum in Ægypto. Quare etiam, supposito quòd ipsa Iochabed nata esset anno vltimo vitæ patris sui Leui; oporteret eam fuisse ducentorum vigintiocto annorum, quando genuit Moysen. Si autem (vt multò credibilius est) ipsa ante centesimum patris annum nata erat; consequeretur, eamdem post annum vitæ suæ ducentesimum sexagesimum quintum genuisse filium suum Moysen: quæ quàm absurda sint, quis non videt? Non igitur potuerunt filij Israël habitare in Ægypto annis quadringentis. Quòd si quis dixerit, veriorem esse opinionem eorum, qui renēt ipsam Iochabed non verè fuisse filiam Leui, sed sic dici, eò quòd esset neptis eius, filia scilicet fratris Caath filij Leui; quam opinionem nos quoque sub anno mundi 2464. num. 2. comprobabimus: Respondemus, præadductum argumentum (hoc posito) infirmari quidem aliquo modo; sed non propterea omnino infringi. quin etiam tantum adhuc roboris retinere, (si benè expendatur) quantum habet argumentum quod continuò subiungemus: quandoquidem satis probabiliter credi potest, non longe admodum plus vixisse Iochabed, quàm vir eius Amram vixerit; neque patrem ipsius Iochabed, qui fuit frater Caath, quàm ipse Caath.

ALTERA RATIO. 12. Altera ratio desumitur ex loco superiùs adducto, nimirum Exodi cap. 6. ver. 16. vsque ad 21. vbi inter Leui & Moysen Scriptura sacra duas tantum numerat generationes; videlicet ipsius Caath, qui vixit annis centum triginta tribus, & Amram, cuius vitæ anni dicuntur fuisse centum triginta septem, vt ibidem notatum inuenies. Cùm igitur Caath connumeratus sit cum descendentibus in Aegyptum, Genes. cap. 46. vers. 11. & Muyses filius Amram filij Caath, esset (vt paulò antè probatum est) octogenarius, quando exiuit cum Israëlitis de Aegypto: computa omnes annos vitæ Caath, & vitæ Amram, & octoginta Moysis; & nec sic quidem poteris conficere summam quadringentorum annorum; resultabunt enim tantùmodò trecenti quinquaginta: à quibus necessariò detrahendi sunt anni, quos vixerat Caath antequam descenderet in Aegyptum, & postquam genuit Amram, & quos vixit Amram postquam genuit Moysen; ne iidem anni bis supputentur. Genebrardus vbi supra tripliciter hoc argumentum diluere nititur: Primò, dicens, hoc esse commentum Rabbinorum. Secundò, exponendo textum Exodi cap. 6. vers. 20. vbi dicitur, *Fueruntq. anni vitæ Amram centum triginta septem*; ita, vt possit debeatque subaudiri, quando genuit Moysen: vel, post mortem patris sui Caath: quia (inquit) Amram ab ipsismet Rabbinis in numero septem viuacissimorum ponitur. Tertiò, existimans, quòd fortè Scriptura sacra more suo aliquos inter Leui & Moysen obscuriores transilierit, quemadmodum S. Matthæus cap. 1. vers. 8. inter Ioram & Oziam tres Iudæorum Reges prætermit: & vers. 11. dicit, Iosiam genuisse Iechoniam: qui tamen Iechonias (inquit Genebrardus) non filius Iosiæ fuit, sed nepos. Sed Genebrardo respondere debemus: Primò, memoratum argumentum nullo modo dici posse commentum Rabbinorum: nam licet eo vtantur aliquor Hebræi Scriptores, & præcipuè Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 3. attamen eodem quoque vsi sunt, B. Augustinus quæst. 47. in Exodum, & Beda in libro de Sex ætatibus mundi, & alij plures admodumque probati Auctores: & insuper ex ipsamet sacra Scriptura satis euidenter elicitur. Secundò, expositionem illam, quòd Amram vixerit centum triginta septem annis, id est, post mortem patris sui Caath, vel quando Amram genuit Moysen; primò non esse sufficientem, quia nec sic reperiri possent quadringenti anni incolatus Hebræorum in Aegypto, quos ipse supponit; vt paulò ante docuimus: deinde, nullatenus eius expositionem esse admittendam, tamquam valde aduersantem consuetudini sacrarum Scripturarum; quæ quando talibus vtuntur verbis, simpliciter & absolutè loquentes, solent tali modo dicendi omnes vitæ annos eius de quo agunt comprehendere: alioqui incertus ac dubius omnino relictus esset numerus annorum vitæ plurimorum virorum, non sine magna chronologiæ sacræ iactura, quæ propterea anceps & ambigua semper foret. Neque curandum est, quid Rabbini de diuturnitate vitæ Amram dixerint; cùm certò habeamus in Sacro eloquio, ipsum tantummodò centum triginta septem annis vixisse. Tertiò, demus Scripturam alicubi medias quasdam prætermisse generationes: certè quas vno in loco prætermit, alibi vel obiter recensere non omittit: nam quas loco allegato S. Matthæus prætermisit, non prætermisit Auctor lib. 4. Regum, nec Auctor lib. 2. Paralipomenon. At vbi Scriptura sacra semper eodem modo loquitur, non est suspicandum quòd aliquid omiserit: alioqui in omnibus genealogiis, quas Scriptura recolit, dubitari posset aliquas omissas fuisse generationes;

133
137
80
350

nes; atque hoc pacto omnia redderentur incerta. Cùm igitur in casu nostro certum sit, inter Leui & Moysen, tum loco Exodi citato, tum 1. Paralipom. cap. 6. in principio, poni tantummodò Caath & Amram, neque vllo alio in loco recenseri intermedios; proculdubiò vanum atque irrationabile videtur dicere, quòd fortasse aliqui fuerint prætermissi, præsertim cùm id nullatenus probari possit. Denique quòd ille Iechonias, quem S. Matthæus genitum fuisse dicit à Iosia, non fuerit ipsius Iosiæ filius, sed nepos, falsum est, vt quiuis facilè intelliget ex his, quæ nos sub anno mundi 3401. numero primo dicemus.

13. Tertia ratio, qua probatur filios Israël non potuisse moram trahere in Aegypto annis quadringentis, vel ampliùs, desumitur ex germana intelligentia illiusmet Sacri textus, ex quo Genebrardus suam huic oppositam probat sententiam; nimirum Exod. cap. 12. vers. 40. vbi hæc habentur: ***Habitatio autem filiorum Israël qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum.*** qui locus optime à LXX. Interpretibus declaratus fuit, vt videre est in ipsorum codicibus Romæ anno salutis 1588. diligenter recognitis ac editis, ipsi enim ad illa verba *in Aegypto*, addiderunt *& in terra Chanaan*; & insuper (vt ibidem notatur in Scholiis) ad illa verba *& in terra Chanaan*, in aliis ipsorum LXX. Interpretum codicibus addita reperiuntur hæc *ipsi & patres eorum*: ita vt tota dicti Textus continuatio sic legenda sit: *Habitatio autem filiorum Israël, qua manserunt in Aegypto & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, fuit quadringentorum triginta annorum.* Vnde fit manifestum, in dicta quadringentorum triginta annorum habitatione comprehendi omne tempus, quo non modò Israëlitæ, sed & patres eorum, Abraham, Isaac, & Iacob, respectiuè, vt aiunt, habitauerunt, non in Aegypto solùm, verùm etiam in terra Chanaan. Perperàm ergo, ne dicam temerè, Eugubinus, de illo Sacro textu tollere ausus est illa verba, *& in terra Chanaan*, &c. tum quia in omnibus & maximè probatis codicibus reperiuntur, & ab antiquissimis Auctoribus ita citari certum est: tum etiam, quia, etsi in Hebræo nunc non habeantur, credendum sit vel olim extitisse, vel ab ipsis LXX. Interpretibus ad illius sententiæ declarationem diuino instinctu fuisse apposita, tamquam necessariò ibidem subaudienda, & per Synecdochen prætermissa. Hanc expositionem, tamquam legitimam ac ceteris Scripturæ sacræ locis valdè consentaneam, recipiunt sequunturque Iosephus 2. Antiq. cap. 6. Eusebius in Chronicis, sub anno Abrami septuagesimo quinto; S. Augustinus quæst. 47. in Exod. & lib. 16. de Ciuit. cap. 16. & 24. Beda in lib. de Sex ætatibus mundi; Lytanus in c. 12. Exod. Abulensis supra cap. 15. Genes. circa medium, & fusiùs quæst. 54. in Exod: c. 12. Iacobus Naclantus in lib. Arcanorum Christi, prope initia Tertiæ mundi ætatis; Ioan. Driedo lib. 3. de Dogmatibus Ecclesiasticis tract. 3. cap. 5. concl. 4. & nouissimè Pererius super Genes. cap. 15. & in Exod. cap. 12. & in summa ferè omnes antiqui ac noui Scriptores: vt propterea Lytanus vbi suprà asserat, hanc esse Catholicorum sententiam; & Driedo testetur, omnes Chronographos eamdem secutos, computasse prædictos quadringentos triginta annos non ab ingressu Iacob in Aegyptum, sed ab introitu Abrahami in terram Chanaan vsque ad exitum Israëlis de Aegypto: quod nobis quoque admodum rationabile videtur, tum propter duas priores rationes à nobis paulò antè adductas, aliasque paulò pòst adducendas; tum etiam propter doctrinam auctoritatemque grauissimorum Doctorum quos citauimus; & hanc supputationem nos infrà num. 16. explicabimus. Quamuis non incongruè etiam, vt arbitror, saluari possit citatus Exod. textus Latinæ Vulgatæque editionis, si, vt ait Naclantus, intelligamus, in ipso non propriè notari tempus, sed terminum finemque moræ illius populi in Aegypto; dicamusque, verba Sacri textus in hoc sensu esse accipienda, ac si dictum esset: *Habitatio autem filiorum Israël, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* non quia toto illo tempore ibi manserint, sed quia ibi terminata fuit, in fine scilicet quadringentorum triginta annorum, ab aduentu scilicet Abrahæ in terram Chanaan, vt expositum est, dinumerandorum. pro cuius expositionis confirmatione adducere possumus S. Augustinum qui lib. 16. de Ciuit. cap. 24. consimili modo exponit illud Genes. 11. in fine, quod iuxta suum textum LXX. Interpretum, sic habebat: *Et fuerunt dies Thare in Charan, quinque & ducenti anni: non quia* (inquit sanctus Doctor) *ibi omnes acti sint, sed quia ibi completi sunt.* Vel etiam exponi potest memoratus Exodi textus Latinus eo modo, quo, vt refert Driedo suprà allegatus, eum exponunt Hebræi vsque in hodiernum diem; accipientes nomine filiorum Israël, etiam patres eorum; & pro eorum habitatione in Aegypto, non illam tantummodò postremam & continuatam, quæ cœpit quando Iacob eodem cum familia sua descendit, (quamuis ab

TERTIA RATIO.

ab illa, tamquam & temporis diuturnitate & aliis de causis celeberrima, fuerit hæc facta denominatio:) sed vniuersè, habitationem Hebræorum in Aegypto, etiam interpolatis vicibus replicatam, quatenus scilicet primam quoque illam comprehendit, quę contigit Abrahami temporibus, quando ipse non multò post acceptas à Deo promissiones, ingressumque eius in terram Chanaan, vrgente fame descendit cum tota domo sua in Aegyptum, vt legimus Genes. cap. 12. vers. 10. & nos sub anno mundi 2114. n. 7. diximus: ab hac enim ad exitum Israëlis de Aegypto, computantur anni quadringenti & triginta, vt patet ex tabulis. Eamdem expositionem tangit etiam Abulensis, vbi suprà, dicens, propterea totum hoc tempus vocari habitationis in Aegypto, quia incepit ac expletum fuit in Aegypto: *Cùm enim, inquit, medium interdum denominetur ab extremis; extrema autem huius temporis & maior pars eius traducta sint in Aegypto; non fuit inconueniens, etiam totum tempus inter hæc extrema decursum, nomine habitationis seu mansionis Aegyptiaca fuisse comprehensum atque indicatum.*

QVARTA RATIO. 14. Quarta ratio probans fieri non posse, vt Hebræi reverà manserint in Aegypto totis quadringentis annis, aut amplius, sumi potest ex omnibus ferè illis locis, quos quartæ opinionis Auctores pro se adducere diximus num. 10. Et primò ex Genes. cap. 15. vers. 13. vbi dixit Dominus ad Abraham: *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Quæ verba, per figuram quam vocant Hyperbaton, sic fuisse disposita, testatur S. Augustinus quæst. 47. in Exod. nam reuerà illud *quadringentis annis* (inquit) referendum est non ad seruitutem, quam constat tanto tempore non durasse, sed ad peregrinationem: ita vt ordo verborum sit: *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua quadringentis annis, & subiicient eos seruituti*, &c. Sanè isti quadringenti anni inueniuntur vel ab ortu Isaac, vt sentiunt S. Augustinus vbi suprà, & S. Thomas super cap. 3. ad Galat. & Abulensis super Genes. cap. citato, & Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 3. siue (quod parum inde distat) ab Ismaëlis eiectione ad exitum Israëlis de Aegypto, vt paulò pòst num. 16. ostendemus. Itaque si peregrinatio seminis Abrahæ, hoc est, ipsius Isaac, & Iacob, & posterorum eius, quadringentorum fuit annorum; quis non videt, non potuisse filios Israël morari in Ægypto annis quadringentis? oportet enim de isto numero detrahere omne tempus (quod multorum fuit annorum) peregrinationis ipsius Isaac in terra Chanaan & Palæstinorum; & ipsius Iacob, primò in terra Chanaan, deinde in Mesopotamia, & mox iterùm in terra Chanaan, priusquam descenderet in Ægyptum. Neque audiendi sunt, qui putant terram Chanaan fuisse veram ipsorum patriam, & propterea eos in ea non fuisse peregrinos; quia oppositum de se ac de patribus suis testatur ipsemet Iacob Genes. cap. 47. vers. 9. Ceterum, quod ex cap. Genes. 15. vers. 13. deduximus, idem prorsus deduci potest ex cap. Actorum 7. vers. 6. ibi enim nihil ampliùs dicitur, quàm quod ex eodem Genes. loco desumptum est. quare cùm ille Actorum locus eodem modo sit intelligendus, eodem quoque modo ad nostram confirmandam argumentationem valet. Denique idem colligere licet ex Actorum cap. 13. vers. 19. vbi legimus, quòd Deus *destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit* filiis Israël *terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos.* Nam si isti quadringenti quinquaginta anni ab eodem tempore, quo diximus incepisse quadringentos annos peregrinationis posterorum Abrahæ, nimirum ab ortu Isaac, vel ab eius ablactatione, subduci debent, quemadmodum asserit Beda in illius loci expositione, quem sequuntur Lyranus & Hugo Cardinalis ibidem, & alij: certè ab eodem Isaac vsque ad exitum de Aegypto computantur anni quadringenti; & à dicto exitu ad introitum in terram Chanaan, quadraginta in deserto traducti, & ab eodem introitu ad diuisionem terræ, ferè decem; qui faciunt summam prædictorum quasi quadringentorum quinquaginta annorum. Non ergo potuerunt Israëlitæ morari in Ægypto annis quadringentis.

QVINTA RATIO. 15. Quinta ac postrema ratio, quæ cogit nos credere quòd non potuerunt filij Israël manere in Ægypto quadringentis annis vel ampliùs, est illa quæ desumitur ex verbis Apostoli ad Galatas cap. 3. vers. 16. vbi dicitur: *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, &c. & non multò pòst subiungitur: *Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritū facit ad euacuandam promissionem.* Ex quo loco euidenter deducitur, quòd si à promissione facta Abrahamo ad Legem datam, siue ad exitum Israëlis de Aegypto (non enim modò curandum est de quinquaginta illis diebus ab exitu ad Legem decursis) fluxerunt anni quadringenti triginta, admitti nullo modo potest, Israëlitas mansisse in Aegypto annis quadringentis: quandoquidem

quidem certiſſimum eſt, à promiſſione facta Abrahæ ad deſcenſum Iacob in Aegyptum, interfuiſſe annos plures ſupra ducentos, quemadmodum non multò pòſt nu. 16. probabitur. Genebrardus huic rationi vt reſpondeat, dicit, locum S. Pauli adductum non eſſe intelligendum, quòd Lex data ſit poſt quadringentos triginta annos à promiſſionibus Abrahæ factis, ita vt illud *poſt* indicet, à promiſſionibus ad Legem interfluxiſſe quadringentos triginta annos, ſed quòd poſt illos quadringentos triginta annos, quorum fit mentio Exodi cap. 12. verſ. 40. data fuerit Lex, (ad illum enim locum, inquit, alludere voluit Apoſtolus:) ac ſi dicere voluiſſet, Illa Lex, quæ, vt colligitur Exodi capite 12. dicitur data poſt quadringentos triginta annos ab ingreſſu Iſraëlis in Aegyptum, non euacuat promiſſionem priùs Abrahamo cælitus factam. Subtilis expoſitio. at certè ad exponentis ſenſum plus iuſto extorta, valdeque ab Auctoris mente aliena: nam neque Apoſtolus ibi citat locum Exodi, neque eſt cur ad illum remittere deberet Lectorem: ſiquidem in eo Exodi loco nulla fit mentio neque memoratæ promiſſionis, neque Legis, ſed ſolùm egreſſus populi de Aegypto, de quo nihil pertinebat ad Apoſtoli propoſitum, quod erat agere de promiſſione facta Abrahæ, & de Lege data per Moyſen; & oſtendere, quòd Lex Moyſaica tanto tempore poſt dictam promiſſionem lata, non potuit caſſam reddere ipſam promiſſionem, iureiurando Abrahæ ac poſteris eius à Deo confirmatam. Manifeſtum ergo eſt, Apoſtolum ibi nihil curaſſe de tempore, quo manſerant filij Iſraël in Ægypto, quod ad rem ſuam nihil faciebat; ſed voluiſſe pro pleniore ſui argumenti explicatione, veluti obiter etiam tempus, quod à promiſſione ad Legem fluxerat, exprimere; aſſerens fuiſſe quadringentorum triginta annorum. Quare certiſſimum fit, illud *poſt quadringentos*, &c. non ad aliud poſſe aut debere referri, quàm ad ipſam promiſſionė, de qua ibi erat ſermo. Vide S. Thomam in expoſitione loci citati Epiſtolæ ad Galatas, & ibidem Gloſſam interlinearem & ordinariam, & Lyranum, & Carthuſianum, & quotquot hactenus Epiſtolam illam expoſuere, tum veteres tum recentiores; & inuenies omnes fermè huius eſſe ſententiæ, quòd ſcilicet illi quadringenti triginta anni ibidem commemorati, numerandi ſunt non ab ingreſſu Iſraëlis in Ægyptum, ſed à prima promiſſione facta Abrahamo, ſeptuageſimum quintum vitæ annum iam ingreſſo. Neque ab his diſſentit S. Hieronymus: nam etſi ibidem dicat, multos laboraſſe vt inuenirent, & ſe neſcire an inuenerint, quomodo conciliandus ſit locus iſte Apoſtoli cum loco Geneſ. cap. 15. vbi prædicitur ſemen Abrahæ fore peregrinum, & ſeruiturum quadringentis annis; non tamen abnuit, quin illi quadringenti triginta anni, quorum meminit Apoſtolus, computandi ſint à promiſſionibus ad Legem, vt in littera ipſa exprimitur. Idem quoque ſentiunt non tantùm memoratæ Epiſtolæ Expoſitores, ſed & omnes quos ſuprà num. 13. citauimus Auctores, ſecuti Ioſephum, qui id non ſemel teſtatum reliquit: nam 8. Antiq. cap. 2. aſſerens templum Salomonis cœpiſſe ædificari anno quingenteſimo nonageſimo ſecundo ab exitu Iſraëlis de Aegypto, & poſt annos mille & viginti ab Abrahami tranſmigratione de Meſopotamia in Chananæam; ſine vlla dubitatione infert, à dicta Abrahami tranſmigratione, ſiue quod idem eſt, à promiſſionibus ad exitum Iſraëlis de Aegypto, interceſſiſſe annos quadringentos viginti octo, qui numerus duobus tantùm annis minor eſt eo, quem ponit Apoſtolus, & item eo quem ipſemet Ioſephus 2. Antiq. cap. 6. apertiùs explicat, dicens, Hebræos reliquiſſe Aegyptum anno quadringenteſimo trigeſimo poſtquam Abrahamus in Chananæam venit. Vnde ne ipſe Ioſephus ab Apoſtolo, vel etiam à ſe ipſo diſſenſiſſe videatur; dicere poſſumus, ipſum in priori loco vſum fuiſſe computatione, quam vocant, terminorum excluſiua; in poſteriori verò, incluſiua.

16. Igitur hac ſuppoſita veritate, quòd ſcilicet à promiſſionibus ad Legem interceſſerint anni quadringenti triginta; & quòd anni peregrinationis ſeminis Abrahæ fuerint quadringenti, ab ortu Iſaac, vel potiùs ab eius ablactatione, ad exitum Iſraëlis de Aegypto dinumerandi: dicimus, neceſſariò ſequi aliam veritatem, quæ eſt, Iſraëlitas in Aegypto manſiſſe nec plus nec minùs annis ducentis quindecim. Etenim ſi Abrahæ primò factæ ſunt pollicitationes, cùm annum ageret ſeptuageſimumquintum, quemadmodum ſub anno mundi 2113. num. 1. dictum eſt; vtique ab illo anno ad eum in quo Iacob introiuit Aegyptum, inueniuntur anni ducenti quindecim, vt tradit etiam Rabanus in Gloſſa ordinaria ſuper Actor. cap. 7. relatus. Nam certum eſt, à dicto anno Abrahami ſeptuageſimo quinto ad ortum filij ſui Iſaac, qui natus eſt anno centeſimo patris, Geneſ. cap. 21. verſ. 5. numerari annos vigintiquinque; & à nato Iſaac ad natiuitatem Iacob, annos ſexaginta: ſiquidem, vt dicitur Geneſ. cap. 25. verſ. 26. *ſexagenarius erat Iſaac quando nati ſunt ei paruuli*, Iacob ſcilicet & Eſau, vno partu editi: Iacob autem

PROBATVR ISRAELITAS MANSISSE IN AEGYPTO ANNIS TANTVM 215

25 tem erat centum triginta annorum quando descendit in Aegyptum, & introductus
60 est coram Pharaone, Genes.cap.47. vers. 9. Porrò hi omnes pariter subducti, faciunt
130 summam annorum ducentorum quindecim, quos à memotata promissione ad ingres-
215 sum populi in Ægyptum fluxisse, ambigendum non est; remanet ergo totidem videli-
cet alij ducenti quindecim anni, mansionis eiusdem populi in Aegypto; quos sic subdu-
cere possumus cum S.Thoma lect.6.super cap.3.Epist. ad Galatas: Ioseph quando ste-
rit coram Pharaone, erat annorum triginta, Gen. cap.41. v.46. à quo tempore transie-
runt septem anni fertilitatis, & duo sterilitatis, antequam descenderet Iacob cum
familia sua in Aegyptum, Genes. cap.45. vers. 6. vixit autem Ioseph annis centum de-
cem, Genes.cap.50. vers.22. de quibus si subtrahantur anni triginta nouem ante prædi-
ctum Iacobi ingressum decursi, remanebunt anni septuaginta & vnus à dicto ingressu
Iacobi ad obitum Iosephi. Post quem manserunt filij Israël in Aegyptu annis centum
& quadraginta quattuor, vt ex Rabano super Actorum cap.7. tradit idem S. Thomas
71 loco eius suprà citato. Iunge annos septuaginta & vnum cum annis centum quadra-
144 ginta quattuot, & resultabunt anni ducenti quindecim. Vel alio modo eosdem annos
215 ita poteris subducere: Caath genuit Amram inchoante anno quinquagesimooctauo,
ex quo cum patribus suis descenderat in Aegyptum, vt sub anno mundi 2386. num.2.
probabimus: elapsi ergo iam erant anni 57. mansionis Israëlitarum in Aegypto. & Am-
ram anno vitæ suæ septuagesimonono incipiente, vt sub anno mundi 2464. num.1.
palàm fiet, genuit Moysen; qui octogesimum ætatis annum expleuerat, quando eduxit
57 Israëlitas de Aegypto, quemadmodum sub anno mundi 2544. num.4. patebit. Com-
78 puta quos diximus annos Caath quinquaginta septem, & Amram septuaginta octo, &
80 Moysi octoginta, & inuenies præcisè summam annorum ducentorum quindecim, ab
215 ingressu ad egressum Israëlis de Aegypto. Idem prorsus infertur ex alia propositione
superiùs probata, quæ erat, annos peregrinationis seminis Abrahæ fuisse quadringen-
tos, ab ortu Isaac, vel potiùs ab eius ablactatione, ad exitum Israëlis de Aegypto com-
putandos. Si enim Isaac, vt diximus, erat sexagenarius quando natus est Iacob; ergo
tunc fluxerant anni quinquagintaquinque ab eius ablactatione, seu quod ferè in idem
recidit, ab eiectione Ismaëlis de paterna domo, quæ pariter facta fuit anno quinto vi-
tæ ipsius Isaac exacto, vt sub anno mundi 2144. num.1. dictum est. His quinquaginta-
55 quinque annis iunge centum triginta, quos natus erat Iacob quando introiuit in Aegy-
130 ptum, & efficies annos centum octoginta quinque: igitur remanebant tantummodò
185 anni ducenti quindecim incolatus Ismaëlitarum in Aegypto, ad explendam summam
215 quadringentorum annorum prædictæ peregrinationis. Apertissimè ergo falluntur, qui
400 putant annos moræ Israëlitatum in Aegypto fuisse minùs ducentis, & item, qui con-
tendunt fuisse solùm ducentos decem; falso quodam decepti supposito, quòd scilicet
ab ortu Isaac ad exitum Israëlis de Aegypto fluxerint anni dumtaxat quadringenti;
cùm tamen reverà fluxisse inueniantur quadringenti quinque: nam si à promissione
facta Abrahamo annum agenti septuagesimum quintum, ad Legem, paulò post exitum
de Aegypto latam, defluxerunt anni quadringenti triginta, vt ex Apostolo, & alijs sacræ
Scripturæ Doctorumque locis comprobauimus: profectò, detractis ex hoc numero an-
nis vigintiquinque, à promissione ad ortum Isaac decursis, temanent ab ortu Isaac ad
exitum de Aegypto, anni quadringenti quinque, non autem quadringenti tantùm.
Nec obstat, quòd Genes. cap.15. vers.13. semen Abrahæ, quod in Isaac posteà cœpit,
prædicitur peregrinaturum quadringentis annis: quia vel ibi Moyses prædictos qua-
dringentos quinque annos maluit summa solida appellare quadringentos (vt sentit
S.Augustinus quæst.47. in Exud.) iuxta consuetudinem sacræ Scripturæ, quæ solet tem-
pora interdum ita recensere, vt quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit,
deficitve, non computetur; quod nos sub anno mundi 1659. num.2. aliquot exemplis
comprobauimus. Vel si anni peregrinationis seminis Abrahæ fuerunt præcisè quadrin-
genti; proculdubiò numerandi sunt non ab ortu Isaac, sed ab eiecto Ismaële, quemad-
modum nos sub anno mundi 2118. num.16. latiùs explicauimus.

17. Restant adhuc, vt arbitror, duo tantùm obiecta diluenda; nimirum illud, quod
ex loco Iudith superiùs allegato deductum est; & aliud, quod ex Genebrardi ratione
RESPONSIO num.10. adducta resultat. Ad Primum dicimus, verum esse quod Iudith cap.5. vers.9.
AD PRIMVM Achior dux Ammonitarum ab Holoferne de populo Iudaico intertogatus, inter alia
OBIECTVM. etiam dixit, Iudæos olim descendisse in Ægyptum, illicque per annos quadringentos
ita multiplicatos esse, vt dinumerari eorum non posset exercitus. Quæ verba prima
fronte admodum nostræ sententiæ aduersari videntur: verùm si benè intelligantur,
eam

eam non modò non conuellunt, sed potiùs maximè confirmant. Sciendum itaq; priùs est, illa verba *per annos quadringentos*, in LXX. Interpretum editione non haberi: vnde non immeritò posset quis suspicari, ea olim in textu quoque Hebraico non extitisse, sed postmodum ab aliquo fuisse adiecta; alioqui ab ipsis LXX. Interpretibus non fuissent prætérita. Hoc si verum esset, facilè cessaret obiectio. Sed quia id omninò exploratum non habemus, supposito eadem verba in Vulgata editione legitimè haberi; dicimus, quòd ibi Achior timore, vt puto, Holofernis, coram quo stabat, nonnihil perturbatus, concisè admodum & indistinctè, ac veluti per quosdam saltus (quemadmodum legenti perspicuum esse potest) repetit Hebraici populi originem, dicens, quòd egressus de terra Chaldæorum habitauit primò in Mesopotamia, id est in Charan. & prætermisso ingressu eius in terram Chanaan, subiungit, eumdem facta fame descendisse in Ægyptum; non explicans quænam illa fuerit fames, an ea quæ contigit viuente Abrahamo, an verò quæ temporibus Iacob. Demum dicit, quòd illic per annos quadringentos multiplicatus est; non declarans, à quonam tempore dinumerandi sint isti quadringenti anni. Vnde ad pleniorem huius historiæ intelligentiam, necessariò oportet multa alia subintelligere, ab ipso Achior breuitatis ergò prætérita: videlicet, quòd de Charan posteà venit pater eiusdem populi Abraham in terram Chanaan; vbi prædixit ei Deus, quòd semen eius per Isaac & Iacob ac posteros suos propagandum peregrinari debebat quadringentis annis in terra non sua, id est, partim in ipsa terra Chanaan, partim in Mesopotamia, & denique etiam in Ægypto; quò posteà, premente in Chanaan fame, descendit Iacob cum vniuersa familia sua, anno ætatis suæ centesimo trigesimo; & tandem completis quadringentis prænuntiatæ peregrinationis annis, quam diximus ab anno vitæ Isaac sexto ineunte esse inchoandam, inuentus est populus ille vsqueadeò multiplicatus, vt ferè dinumerari non posset. Iste est legitimus illius loci sensus. ac si dictum esset, populum hunc valdè multiplicatum esse in Ægypto, quemadmodum clarè apparuit in fine annorum quadringentorum memoratæ peregrinationis, quando egressus est de Ægypto: constat enim illud *illic*, ad multiplicationem, & ad finem memorati temporis, in quo vix numerari Israëlitæ poterant, non autem ad totos quadringentos annos, esse referendum: & illud *per* idem importare, ac si dictum fuisset *intra*: solent enim huiuscemodi præpositiones, in Scripturis sanctis varias interdum sortiri significationes, vt latè probat Io. Driedo lib. 3. de Dogmatibus Ecclesiasticis, tract. 2. cap. 1. Cùm igitur iste locus non possit aliter intelligi, quin pluribus aliis Scripturæ locis omnino aduersari videatur, quemadmodum superiùs ostensum est; & in proximè memorato sensu acceptus, ceteris per omnia consentaneus fiat; restat tantummodò ostendere, quomodo nostræ sententiæ contrarius non sit, sed potiùs illam magis corroboret: quod sic facilè demonstratur. Nam si illi quadringenti anni, qui ibidem memorantur, non alij sunt, quàm quos sæpè iam diximus præcisè in sacris Scripturis ab eiecto Ismaele ad exitum Israelis de Ægypto computari, vt etiam manifestè in tabulis apparet: proculdubiò necesse est inferere, Israëlitas non quadringentis, sed tantùm ducentis quindecim annis in Ægypto permansisse; siquidem iam suprà num. 16. ostensum est, à præfata Ismaelis eiectione vsque ad ingressum Israelis in Ægyptum, centum octoginta quinque annos defluxisse; quibus si addantur anni ducenti quindecim, fiunt quadringenti illi in libro Iudith memorati.

18. Denique, ad id quod ait Genebrardus, non potuisse septuaginta illos homines qui ingressi sunt in Ægyptum, absque miraculo tantopere multiplicari, ducentorum dumtaxat & quindecim annorum interuallo, vt sexcenta tria millia quingenta quinquaginta bellatorum (quemadmodum traditur Exodi cap. 12. vers. 38. & clariùs Numer. cap. 1. vers. 46.) recenseri potuerint; excepta tribu Leuitica, & penè innumerabili mulierum, senum, & puerorum, & Aegyptiorum (vt sub anno mundi 2544. nu. 20. dicemus) multitudine; quæ simul computata, (vt nonnulli satis probabiliter coniectantur) ad bis, vel etiam ter decies centena millia hominum accessisse videtur. Quamquam dicta Aegyptiorum multitudo ab hac Hebræorum multiplicatione, de qua nunc agimus, proculdubiò excipienda sit. Ad hoc, inquam, antequam respondeamus, libet etiam addere in fauorem Genebrardi, eius rationem fortiorem quoque reddi, si attendamus id quod innuitur Exodi cap. 1. vers. 7. videlicet, istam Israelitarum multiplicationem accidisse mortuo Ioseph, & vniuersis fratribus eius, omnique cognatione illa, nimirum quæ cum Iacob descenderat in Aegyptum: nos autem infrà sub anno mundi 2437. & 2438. ostendemus, hoc accidisse anno circiter centesimo decimo incipiente ab introitu Israelitarum in Aegyptum; à quo tempore ad exitum, constat ad centum AD DICTVM GENEBRARDI.

sex

sex annos dumtaxat intercessisse. Er præterea, videtur dicta multiplicatio non parum fuisse impedita atque imminuta paulò post Aaronis natiuitatem; tunc enim creditur exisse Pharaonis edictum, de masculis Hebræorum statim ac nascebantur in flumen proiiciendis, vt sub anno mundi 2463. num. 1. dicemus. Vnde, si de prædicta summa annorum centum sex, detraxerimus annos ad minus octoginta, ab ortu Moysi (certum namque est quòd iam tunc vulgatum fuerat, obseruarique cœperat memoratum edictum) ad exitum Israelis de Ægypto decursos; cogemur dicere dictam populi multiplicationem, magna saltem ex parte, intra viginti sex annos esse factam, quod videtur omnino incredibile.

19. His tamen non obstantibus, dicimus primò, non esse absurdum opinari, Israelitas singulari quodam Dei fauore vsqueadeò fuisse multiplicatos; tunc præsertim, quando, vt dicitur Exodi cap. 1. vers. 12. magis ab Aegyptiis opprimebantur: nam constat, inter diuinas mirabilesque repromissiones Abrahæ factas, etiam hanc seminis sui multiplicationem contineri. Quòd autem tempore maioris afflictionis magis aucti sint, etiam ad præsignandam spiritualem sanctæ Ecclesiæ mox futuram propagationem factum putamus; quam scimus posteà, tyrannicarum præcipuè persecutionum temporibus, vtpote tunc vberiori Martyrum sanguine irrigatam ac secundatam, mirabiliter excreuisse. Credimus item eamdem Israelitarum multiplicationem, tametsi speciali quadam Dei prouidentia, vt dictum est, tunc præsertim maior fuerit, quando eorum oppressio magis ingrauescebat; tamen grandem quoque extitisse in toto illius Aegyptiaci incolatus tempore. Insuper censemus necessarium esse fateri, obseruantiam impij illius decreti breui admodum tempore viguisse; (quod etiam sub anno mundi 2468. num. 2. confirmabimus;) certum namque est, post Moysen natos esse in Ægypto Iosue & Caleb, aliosque plurimos, quos nequaquam in flumen mersos fuisse dubitare nemo potest: & pariter non ignoramus, in secundo anno exitus populi de Aegypto, Moysen iubente Deo numerasse omnes ad bellum aptos, à viginti annis & supra, Numeror. cap. 1. vers. 46. quæ annorum limitatio vtique arguit, tunc extitisse multos qui tum erant viginti annorum, & qui illud tempus parum multùmve excesserant; & item plurimos, qui nondum vigesimum illum ætatis annum attigerant. Quod etiam confirmatur; quia, quemadmodum legimus Exodi cap. 12. vers. 38. de maximo illo peditum numero, qui exisse dicitur de Aegypto, excipiuntur paruuli: ergo tunc multi extabant paruuli omnis ætatis, infantes, bimuli, trimuli, septennes, item & adolescentes inter se ætate inæquales, qui necdum ad vigesimum annum peruenerant. Quæ omnia satis euidenter indicant, inhumanam illam Pharaonis legem vel modico post tempore fuisse abrogatam, vel speciali aliqua Dei prouidentia nullo pacto executioni diutiùs mandari potuisse; sicuti de ipsius Pharaonis mandato obstetricibus facto euenisse legimus Exodi cap. 1. vers. 17. Denique asserimus, eosdem Israelitas ducentorum quindecim annorum interuallo, etiam naturaliter, multò ampliùs augeri potuisse. Nam vt omittam, mulieres in Aegypto, teste Aristotele lib. 7. de Historia animalium cap. 4. esse admodum fecundas, & sæpè geminos parere, quin etiam interdum tres, & quattuor, ac nonnumquam quinque fetus vno partu edere consueuisse: dicimus quod, ex quo Scriptura sacra Exodi cap. 1. vers. 7. asserit, quòd *filij Israël* in Ægypto *creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt; ac roborati nimis, impleuerunt terram.* & vers. 12. additur, quòd *quantò magis* Aegyptij *opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur & crescebant;* qui modus loquendi vtique arguit, Deum illos naturaliter quidem, sed præter ordinarium cursum fecundos reddidisse. Propterea, tametsi rationabiliter supponi posset, eos quotannis genuisse, & interdum frequentiùs, nempe intra quadriennium, quinquies; vt nostris quoque temporibus aliquando accidisse certissimum est: nihilominùs, vt res fiat credibilior, quia constat aliquos de progenie Iacob per eadem tempora etiam ante quintumdecimum ætatis annum filios genuisse, vt patet ex his quæ de Iuda & aliis sub anno mundi 2298. num. 1. diximus: si ponamus, virum vnum cum sua coniuge singulis tricenis annis potuisse gignere quattuordecim liberos, partim mares & partim feminas; & sic deinceps singula coniugatorum paria: proculdubiò, in septimo tricenario, hoc est in fine anni ducentesimi decimi, poterunt genita esse plusquam sexies & decies centena millia, & quadraginta septem millia hominum, vt in subiecto apparet laterculo. Etenim si

MVLIERES AEGYPTIAE QVAM SINT FECVNDAE.

demus

demus par vnum coniugatorum genuisse paria			7.		30.
	7		49.		60.
	49	septies	343.		90.
	343	ducta	2401.	anno	120.
Paria	2401	faciunt	16807.		150.
	16807	paria	117649.		180.
	117649		823543.		210.
Adde postremis numeris totidem sic			823543.		
& efficies summam hominum			1647086. in 7. tricenario exortam.		

20. Sed dicet aliquis, Non omnes singulis tricenis annis nati, potuerunt apti esse ad generandum singulis annis in proximè sequentibus triginta annis: neque credibile est, quòd semper nascerentur tot mares quot feminæ, vt semper possent resultare tot paria coniugatorum, quòt in dicto laterculo sunt posita: neque item supponi debet, omnes fuisse superstites; cùm potiùs multò credibilius sit, plurimos obiisse priusquam possent ducere vxores. Respondemus, admittendo hæc omnia: sed econtrariò dicimus, quòd etiam si de dicto numero integram detrahamus medietatem, postrema nihilominùs summa longè excedet summam eorum qui exisse dicuntur de Ægypto. Deinde considerandum esse, quòd nos computauimus tantummodò procreatos in postremis triginta annis secundi centenarij: quo tempore tamen probabilissimum est, adhuc fuisse superstites ferè omnes, qui in toto illo secundo centenario nati fuerant: quandoquidem tunc solebant homines in illis regionibus communiter attingere, immò & excedere centesimum ætatis annum, vt patet de Iacob, Leui, Ioseph, Caath, Amram, Aaron, & Moyse, quorum singulos, sacra attestante Scriptura, plus centum annis vixisse compertum est. Sed neque solùm fit credibile, omnes ferè in secundo centenario natos, etiam tempore exitus de Aegypto fuisse superstites; verumetiam eosdem, plures item alios intra id tempus genuisse filios, præter eos quos intra vnum dumtaxat tricenarium natos in dicta tabella recensuimus. Itaque si hos quoque, & reliquas secundi centenarij summas postremæ eiusdem laterculi summæ addideris: profectò ipsa mirum in modum augebitur. Præthereà supposuimus, quòd singulæ feminæ vnum vel vnam tantùm singulis partubus ederent; cùm tamen quandoque plures peperisse, probabilissimum sit: & quòd singuli viri singulis contenti essent vxoribus; atqui tunc temporis quosdam consueuisse plures ducere vxores, adeò notum est, vt probatione non indigeat. Si igitur ex vno viro & vna muliere, ducentorum decem annorum interuallo, possibile est tot centena millia hominum prodiisse; quot credibile erit potuisse propagari ex quatuordecim viris vxoratis, qui (vt patet Gen. cap. 46.) cum Iacob descenderunt in Ægyptum? nempe duodecim filiis Iacob, & duobus nepotibus eius, scilicet Phares filio Iuda, & Beria filio Aser; præter plures alios, quos non multò pòst vxores duxisse credendum est? Sed & his omnibus addere oportet omnes illos, qui in vltimo annorum quinquennio nati sunt: diximus enim filios Israël moratos esse in Aegypto annis ducentis quindecim. Hæc qui diligenter expenderit, & his quæ pro Genebrardo diximus, contraponere studuerit; proculdubiò inueniet, quantum ille hallucinatus fuerit, existimans fieri non posse, quòd filij Israël in tantum multiplicari potuerint, vt post ducentos quindecim annos exire possent de Aegypto sexcenta millia hominum, præter mulieres, & paruulos, & senes: cùm absque vlla dubitatione tenendum sit, iuxta ordinariam, in illa præsertim regione, propagationis consuetudinem, multò plures naturaliter exire potuisse, quemadmodum iam satis superque probatum esse confidimus.

21. Igitur (quidquid alij dixerint sentiántve) stat veritas propositæ sententiæ, quam tenuit etiam Rabanus in Glossa ordinaria super Actorum cap. 7. & alij multi grauissimique Auctores suprà numer. 13. citati, quòd scilicet Israëlitæ non plus nec minùs ducentis quindecim annis manserint in Aegypto. Ad quam veritatem ampliùs item confirmandam illud quoque facit, quòd ea posita, omnia sacræ Scripturæ loca, quæ hactenus adduximus, & in hoc proposito adduci solent, plana, & inter se omnino consona ac consentanea facile est inuenire, quemadmodum ex prædictis colligi potest: contrà verò, quauis alia positione proposita, multos atque inextricabiles suboriri nodos necesse est.

22. Eodem circiter anno quo Iacob ingressus est Aegyptum, putant Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 3. & Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, & Pererius

DE ORTV IOB, ET EIVS GENEALOGIA. rius super cap. Genes. 36. natum esse Iob; nimirum ex Zara filio Rahuelis filij Esau, vt nos sub anno mundi 2319. num. 11. & 12. fusius probauimus. Sanè ratio, cur hoc anno credatur natus Iob, est, quia (inquit Pererius) ad id tempus pertinere videtur tertia generatio Esau; quod verum esse credimus de tertia ipsius generatione ex Rahuele, quem ipse Esau genuit ex filia Ismaëlis, Genes. cap. 36. versic. 4. hanc enim duxit in coniugem post profectionem fratris sui Iacob in Mesopotamiam, vt habemus Genes. cap. 28. vers. 9. nam alioqui tertiam generationem Esau ex vxoribus Chananæis, quas quadragenarius duxerat, vt dicitur in calce capitis 26. Genes. certum est multò ante hæc tempora contigisse. Descendit ergo Iob per maternum genus ex Abrahamo, per lineam Ismaëlis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2330.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 218.

IOSEPH DITAT PHARAONEM. 1 ANNO quarto famis, Ioseph omnem Aegypti finitimarumq; regionum, præsertim terræ Chanaan, pecuniam quæ eis remanserat omnino exhausit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis, Genes. cap. 47. vers. 14.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2331.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 219.

DEFICIENTE PECVNIA ACCIPIT PECORA, ET ARMENTA PRO FRVGIBVS. 1 ANNO quinto eiusdem famis, venit cuncta Aegyptus ad Ioseph pro alimentis sine pecunia accipiendis; quoniam iam totam præteritis annis eidem asportauerant. At ille iussit adduci ad se pecora & armenta: deditque eis alimenta in annum illum, pro equis, asinis, bobus, ouibusque ipsorum; quæ cuncta ad ipsum perduxerunt, Genes. cap. citato vers. 15. vsque ad 18.

AB ORBE CONDITO. ANNVS 2332.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 220.

EMIT AEGYPTIOS, ET EORVM TERRAS PRO ALIMENTIS. 1 ANNO sexto, simul deficiente pecunia & pecoribus, venerunt ad Ioseph, seipsos terrasque suas pro alimentis venumdare offerentes, ne fame perirent. Emit igitur eos Ioseph in seruitutem regiam, & omnem terram ipsorum, subiecitque eam Pharaoni, ab vltimis Aegypti terminis vsque ad extremos fines eius, præter terram Sacerdotum, quæ tradita fuerat eis à Rege; quibus etiam statutæ cibaria ex horreis publicis præbebantur: quamobrem non sunt compulsi diuendere possessiones suas, Genes. cap. 47. vers. 18. vsque ad 23.

PHARAONIS PIETAS. 2. Vnde colligere liceat, quàm antiqua, quantaque fuerit etiam apud barbaras nationes Sacerdotum cura, quibus Reges non modò terras possessionesque liberalissimè largiebantur, & à publicis oneribus exemptas immunesque seruabant; verumetiam tempore famis, illos pio quodam studio ex horreis publicis ali curabant. Ex quo patet, quàm naturalis sit, atque hominum cordibus à Deo semper insitus quidam religionis amor, vt semper honorificum ac regium fuerit, erga Ecclesiasticas personas liberalitatem exercere. Quod etiam Iezabelis Reginæ exemplo confirmari potest; de cuius mensa, vt legimus 3. Reg. cap. 18. vers. 19. quadringenti lucorum prophetæ comedebant. Legimus item 1. Esdr. cap. 7. vers. 24. quòd Rex Persarum immunes fecerat omnes templi Ierosolymitani ministros à tributis, vectigalibus, aliisque eiusmodi oneribus: & 2. Machab. cap. 3. vers. 2. quòd idem templum etiam Reges & Principes gentium maximis muneribus illustrabant, & Seleucus Asiæ Rex de redditibus suis præstabat omnes sumptus, ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Itaque si non modò erga vmbratile illud antiquæ Legis templum & eius ministros, pij quidam Reges & Principes, adhuc in Gentilitatis ignorantia positi, tantam exhibebant munificentiam; sed etiam, quod maius est, qui inter ipsos impij erant valdè, ac veræ religionis expertes; nihilominùs erga falsorum deorum sacrificos adeò benefici & liberales extiterunt: quid deceret facere pios atque Catholicos Principes in sancta Ecclesia constitutos erga summi Dei ac eius veri cultus ministros? præsertim verò illos, qui fructuosius Religioni inseruiunt. Vt propterea dixerit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 5. vers. 17. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in verbo & doctrina: dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. &, Dignus est operarius mercede sua.* Ac si dicere

dicere voluerit Apostolus: Si omnes qui benè agunt, honorem merentur; & qui operantur, mercedem: quanto magis qui religioni, quæ omnium humanarum virtutum prima ac præcipua est, operam dant, aliosque ad eam incendere atque inflammare satagunt? Iustè igitur Alexander Papa Tertius in sua Decretali, quæ habetur in Concilio Lateranensi cap. 19. conqueritur de his, *qui tot* (inquit) *Ecclesiis frequenter onera imponunt, & ita grauibus eas crebrisq; exactionibus premunt, vt deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui diuinæ Legis notitiam non habebat. Ille quidem, omnibus aliis seruituti subiectis, Sacerdotes suos & eorum possessiones in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministrauit; isti verò vniuersa ferè onera sua imponunt Ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, vt illud eis, quod Ieremias deplorat, competere videatur: Princeps prouinciarum facta est sub tributo.* sic ille. Sed hæc obiter hîc occasione pij huius facti Pharaonis sint commemorata.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2333. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 221.

1 ANNO memoratæ famis septimo ac postremo; Iosepb qui iam emerat Regi (vt dictum est) omnem terram Aegypti, & ipsos quoque Aegyptios, ac propterea etiam tenebatur eos alere, sciens famem post eumdem annum cessaturam, populis qui ad se venerant, vt ab eo gratis escas acciperent (nihil enim eis ampliùs remanserat) dixit: Scitis quòd & vos & terram vestram Pharao possidet iure emptionis ac venditionis vltrò à vobismetipsis eidem factæ. Vt ergo Regis liberalitatem & amorem erga vos manifestiùs agnoscatis, eique deinceps libentius inseruire valeatis, ecce dò vobis, præter huius anni cibaria, etiam semina. Serite igitur alacriter agros, vt fruges habere possitis; iam enim terra, Deo propitio, dabit fructus suos; ex quibus quintam dumtaxat partem Regi dabitis, quattuor reliquas permitto vobis in sementem, & cibum familiis & liberis vestris. Qui cum gratiarum actione conditionem libentissimè acceptarunt; & exinde transiuit veluti in legem, vt in vniuersa Aegypto Regibus quinta prouentuum pars exoluatur, excepta Sacerdotum terra, quæ libera & immunis omnino remansit, Genes. cap. 47. ver. 23. vsque ad 27.

IOSEPH QVINTAM PARTEM PROVENTVVM AEGVPTI LEGE PERPETVA APPLICAT PHARAONI

AB ORBE CONDITO ANNVS 2345. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 233.

1 ANNO vitæ suæ centesimo quadragesimo septimo propemodum desinente, Iacob appropinquare videns diem mortis suæ, adiurat Ioseph filium suum, ne sepeliat ipsum in Aegypto; sed in terra Chanaan, in sepulchro patrum suorum, Genes. cap. 47. vers. 29. quod iterùm posteà morti magis appropinquans replicauit, præcepitque filiis suis cap. 49. vers. 29. Adiurauit autem Iosephum, non quasi de eius obedientia dubitans, aut de simplici promissione dilectissimi filij diffidens; sed vt ille sic faciliùs à Pharaone licentiam id perficiendi impetraret, possetque dicere, prout posteà familiaribus Regis ipsum dixisse legimus cap. 50. vers. 4. *Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis, eò quòd pater meus adiurauerit me,* &c.

IACOB ADIVRAT IOSEPHVM, VT CADAVER SVVM SEPELIAT IN TERRA CHANAAN CVM PATRIBVS SVIS.

2. Quæret fortasse aliquis, cur Iacob tantopere curauerit transportari cadauer suum in terram Chanaan? Equidem arbitror id non eo spiritu fecisse, quo nonnulli solent, qui vsqueadeò terrenam patriam diligunt, vt etiam post mortem non nisi in ea requiescere se posse putent: nam sanctus vir ab huiusce modi terrenis affectibus admodum erat alienus, vt ex bis quæ coram Pharaone dixerat, coniicere licet; non enim se patresque suos in terra Chanaan tamquam in patria consedisse, sed alienigenarum more peregrinatum esse protestatus est, Genes. cap. 49. vers. 9. Quamquam non inconueniens videatur opinari, ipsum pio quodam sensu affectasse, non animam solùm iustis patrum suorum animabus, sed cadauer quoque suum ipsorum cadaueribus sociari; peroptasseque in ea potissimùm regione sepeliri, in qua spiritu prophetico nouerat posteros suos longo admodum tempore habitaturos, & veri Dei cultum diu permansurum, ac tandem Messiam nasciturum, moriturum, & à mortuis resurrecturum; cum quo sperabat se pariter à morte excitandum, atque ad cælestia regna transferendum. Potissimam verò causam, quæ ipsum Iacob de hac sui corporis translatione adeò solicitum reddebat, arbitror fuisse, vt tali desiderio doceret filios suos, ne animum omnino Aegyptiorum terræ accommodarent, sed recordarentur se non perpetuò ibi mansuros; quin potius

QVIBVS DE CAVSIS ID FECERIT.

potiùs aliquando in terram Chanaan sibi patribusque suis à Deo repromissam eos reuerti oportere; quemadmodum deinde apertiùs Ioseph quoque, paulò antequam moreretur, dixit fratribus suis: *Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob: asportate ossa mea vobiscum,* &c. Gen. cap. vlt. in fine. Cupiebat itaque Iacob, vt filij sui plurimi facerent terram Chanaan, eis singulari quadam Dei munificentia repromissam, ac dono datam; & propterea ostendit intensum coram ipsis desiderium, vt posteaquam non poterat viuus, saltem mortuus ad ipsam deportaretur: vt vel sic eos ad præstolandum, magnaque cum auiditate expectandum tempus suæ reuersionis à Deo præstitutum, uirentiùs inflammaret.

ADOPTAT SIBI FILIOS IOSEPH MANASSEM ET EPHRAIMUM.

3. Non multò pòst, audiens Ioseph indies magis ac magis aggrauari patrem suum, venit ad eum cum filiis suis Manasse & Ephraim, quos senex aduptauit sibi in filios; & cùm ad se adductos peramanter osculatus amplexatusque esset, cummutatis brachiis, nimirum posita dextera super caput Ephraim, & altera super caput Manasse, benedixit eis, minorem maiori præferens, Genes. cap. 48. vers. 1. vsque ad 21. Creditur autem S. Patriarcha tali brachiorum commutatione voluisse sanctissimum crucis Christi mysterium præfigurare, per quod deinde Gentilitas populo Iudaico, qui reuerà in diuinis maior erat, prælata est: vel etiam pariter indicare, quæ tunc ipse de duobus illis fratribus, seu potiùs de ipsorum posteris, spiritu prophetico futura præuidebat; nimirum, progeniem Ephraimi mox longè digniorem ac potentiorem posteritate ipsius Manasses euasuram; vtpore quæ non solùm Manassensibus omnibus, sed etiam decem simul integris tribubus Israël dominari debebat. Quod vtique posteà impletum est, quando mortuo Salomone diuisum est regnum eius in duo regna, Iudæ scilicet & Israël. Tunc enim super Israël constitutus fuit primus Rex Ieroboam, & post ipsum Nadab filius, de tribu Ephraim (vt sub anno mundi 3058. num. 1. probatum est) penes quam tribum deinceps summam illius regni permansisse, probat Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agere incipit de Regibus Israël; & ex his quæ nos sub annis mundi 3117. nu. 1. & 3211. num. 1. dicemus, comprobari poterit. His peractis, ac successiuè prænuntiata posteris suis diuina protectione, ac ipsorum reductione ad terram patrum suorum;

DAT PRÆDIUM IOSEPHO ANTE PARTEM.

Iacob testamento reliquit ante partem dilectissimo filio suo Iosepho agrum illum quem emerat à filiis Hemor Heuæi patris Sichem, vt dicitur Genes. cap. 33. in fine. de quo etiam agro legimus in Euangelio Ioan. cap. 4. vers. 5. *Iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.*

QUO MODO TULERIT DICTUM PRÆDIUM DE MANU AMORRHÆI IN GLADIO ET ARCU.

¶ 4. Porrò prædium istud, ait Iacob in calce capitis proximè citati, se tulisse de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo. quod ad litteram, quando contigerit, Scriptura sacra non memorat. Et licet Andreas Masius in postremo capite libri Iosue num. 32. putet hoc accidisse post emptionem dicti agri: inquit enim, quòd cùm eumdem agrum vi Sichimitis abstulissent Amorrhæi, Iacob pulsis armata manu Amorrhæis, illum recuperauit: tamen de hac re nihil certi affirmare possumus. quin etiam non videtur verisimile, quòd sanctus ille senex, qui semper fuerat vir pacificus, & in pascendis ouibus occupatus, demum morti proximus, quodammodò visus sit voluisse gloriari de bellica fortitudine sua; cùm præsertim numquam quid tale de ipso proditum sit in sacra Scriptura. Quare tutiùs (vt reor) credi potest, ipsum Iacob nunc metaphoricè locutum fuisse coram filio suo Ioseph, quem sciebat optimè noscere, de quibus armis ipse loqueretur; nimirum spiritualibus, qualia erant in agendis, iustitia & æquitas; & in tribulationibus ac periculis, oratio, & promptus ad diuinam opem implorandam recursus: non enim aliis ipsum armis vti consueuisse reperimus; quin potiùs oratione in primis præualuisse aduersus Esau fratrem suum, & Laban socerum suum, aliosque sibi aduersantes. nec dubitare debemus, quin eisdem quoque armis dimicauerit, quando ob vastatam à filiis suis vrbem Sichem, verebatur ne finitimi populi, inter quos fortè Amorrhæi validiores erant, contra se insurgerent, & non solùm dicto agro priuarent, verùm etiam totam domum suam delerent: tunc enim orante Iacob, scimus Deum terruisse omnes per circuitum ciuitates; nec solùm permisisse quemquam persequi recedentes, quemadmodum dicitur Genes. cap. 35. vers. 5. sed nec tunc Iacobum dicti agri possessione priuari, vt colligere possumus Genes. cap. 37. vers. 12. vbi, & in sequenti quoque versu expressè habemus, quòd filij Iacob, tametsi tunc habitarent in valle Hebron, vt ibidem vers. 14. colligitur, tamen perrexerant ad pascendos greges in Sichimis; nimirum in dicto agro suo prope Sichem existente, quem adhuc pacificè possidebant. Hoc idem quod de armis Iacob diximus, apertiùs declarat Chaldaica Paraphrasis, quæ in calce capitis 48. Genes. vt videre est in Bibliis Regiis, loco illorum verborum, *Quam tuli*

tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo, habet, *Quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea, & deprecatione mea.*

5. Postremo Iacob, conuocatis ad se cunctis filiis suis, prophetico plenus spiritu, prænuntiauit sigillatim quæ singulis, vel potius ipsorum semini, posterioribus temporibus essent ventura. Et incipiens a Ruben, cui tamquam primogenito, nisi se indignum reddidisset, Iure tunc temporis ordinario, debebantur de paterna hereditate cuncta duplicia, quemadmodum postea præscripsit Lex Deuter. cap. 21. vers. 17. & item Sacerdotium, iuxta ea quæ sub anno mundi 2118. num. 8. dicta sunt: & consequenter ius quoddam dominij supra ceteros fratres, de quo Genes. cap. 27. vers. 29. dicebat Isaac filio suo Iacob tamquam primogenito: *Esto dominus fratrum tuorum.* & vers. 37. *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui*. Ad has primogenitorum prærogatiuas alludens bonus senex, ac veluti miserabilem filij sui conditionem deplorans, eidemque Dei actus spiritu infausta prænuntians, ait: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas; quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius*. Ac si dixisset: Tibi tamquam primogenito, memoratæ debebantur prærogatiuæ: verumtamen, quia vitio tuo te ipsis indignum reddidisti, quando paternum torum contaminare non es veritus, propterea iusto Dei iudicio posteritas tua non crescet, neque super alias multiplicabitur; sed quasi aqua de vase defluens minuetur, & inter minores humilioresque tribus computabitur. Et hoc est quod mox etiam Moyses confirmauit Deuter. cap. 33. vers. 6. quando benedicens tribui Ruben, dixit: *Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero*. Omnia hæc exitus comprobauit: nam primogenita Ruben data sunt Iosepho & filiis eius, vt aperte tradit Scriptura 1. Paralip. cap. 5. v. 1. dicens: *Ipse quippe* (subaudi Ruben) *fuit primogenitus; sed cùm violasset torum patris sui, data sunt primogenita eius filiis Ioseph filij Israël, & non est ille reputatus in primogenitum*. & ibidem vers. 2. repetit: *Primogenita autem reputata sunt Ioseph*. Quæ verba non de omnibus primogenituræ prærogatiuis videntur debere intelligi, sed de illa tantùm, quæ ad maiorem paternæ hereditatis portionem consequendam pertinebat: quandoquidem certum est, Iacobum dedisse filio suo Ioseph partem vnam extra fratres suos, Genes. cap. 48. in fine. & credi potest, ipsum insuper etiam ideò adoptare voluisse duos filios Iosephi, videlicet Ephraim & Manassen, sibi in filios, Genes. cap. citato vers. 5. vt quando ceteri ipsius Iacob filij, singuli singulas in terra promissionis sortes acciperent, Iosepho tamquam primogenito duæ obuenirent. Et quod attinet ad alia primogenitorum priuilegia, nempe Sacerdotium, & imperium siue dominium in reliquos: scimus dignitatem Sacerdotalem mox datam fuisse Aaroni Leuitæ, atque in eius progenie toto veteris Legis tempore permansisse: Principatum autem filiis Iudæ diuinitus obtigisse. Hanc enim tribum constituit Dominus ducem reliquarum, Iudic. cap. 1. vers. 2. & cap. 20. vers. 18. & constat, eam à temporibus Dauidis ad captiuitatem Babylonicam tenuisse regiam potestatem. Meritò igitur tribus Ruben, quæ alioquin primaria ac ceteris dignior esse debuisset, posteà ob causam proximè adductam, inter humiliores (vt dicebamus) reputari cœpit, & à pluribus aliis in numero personarum superata est, vt colligi potest Numer. cap. 2. & 26. vbi singularum tribuum numerus describitur.

Iacob moribundus benedicit filiis suis.

De Ruben et primogenitate eius.

6. De Simeone quoque & Leui parum fausta prænuntiauit moribundus pater: nimirum, quòd posteri eorum diuidendi ac dispergendi essent in Israël, propter facinus ab ipsis commissum in cæde Hemor & filij eius, & in subuersione vrbis Sichem; quod quidem facinus, quamuis, si consideretur zelus vlciscendi violationem sororis suæ Dinæ, non videatur culpandum; præsertim cùm illud sancta Iudith cap. 9. vers. 2. admodum commendauerit: attamen si attendatur modus quo perpetratum fuit, videlicet cum dolo, & excessiua quadam crudelitate, meritò ab ipso Iacob execratione & punitione dignum prænuntiatur. Qualiter autem hæc impleta fuerit prophetia, de Leui quidem nulla est obscuritas: siquidem certum est, tribum Leui nullam peculiarem accepisse sortem in diuisione terræ; sed Leuitas diuisos esse in ceteras tribus, inter quas, quasdam sibi vrbes tantummodò ad habitandum assignatas, & suburbia ad pascendos greges acceperunt. De tribu verò Simeonis, quam constat propriam accepisse partem fere in medio tribus Iudæ, non est ita clarum, quomodo dispersa fuerit in Israël; nisi quòd Hebræi asserunt, Simeonitas posterioribus temporibus totos se litterarum studiis implicasse, & maximam ipsorum partem pædagogiam exercuisse, quosdam verò ipsorum, Scribas & Legis Doctores euasisse; ac propterea, vt alios docerent, at-

De Simeone et Leui.

que hoc pacto victum sibi procurarent, semetipsos per vrbes & Synagogas totius Israëlitici populi diuidere consueuisse. Sed, vtcumque se habeat ista Rabbinorum opinio, mihi profectò multò probabilius videtur, hanc Simeonitarum dispersionem contigisse post mortem Salomonis, quando regnum Hebræorum diuisum est in duo regna, vt latiùs sub anno mundi 3060. num. 3. explicabimus. Ad Iudam deinde conuersus Iacob, egregiam & maximè ipsi fauorabilem protulit prophetiam, dicens, eius tribum valdè à ceteris fore commendandam ac venerandam, propter eius aduersus hostes Israëlitici populi fortitudinem; & propter principatum, quem in toto eodem populo consecutura erat: compatauitque eam leoni, qui cùm omnium fortissimus sit animalium, mox vt prædam cepit, iuxta eam cubat sine vllo timore quòd quisquam possit eam eripere de manu eius; per hoc significare volens, quòd Iudas, post captos profligatosque hostes, in quieta quadam pace ac securitate victurus erat, quemadmodum posteà re ipsa accidit Dauidis ac Salomonis temporibus. Insuper prædixit, regnum Iudæ non omnino interiturum, nisi post Messiæ aduentum: de qua re nos sub anno mundi 4051. num. 39. vsque ad 42. disputabimus.

DE IVDA.

DE ZABVLON.

7. Prosequitur Iacob prænuntians id quod posteà venturum erat tribui Zabulon, nimirum dandam eidem esse terram in littore maris, subaudi Galilææ, & pertingentem (quemadmodum infrà sub anno mundi 2591. num. 5. declarabitur) ferè vsque ad Sidonem, vbi negotiatorum Mediterranei maris naues appellere solent, & consequenter, ipsam, propter commercia maritima variasque negotiationes, futuram valdè opulentam ac diuitem. De Issachar quoque prædixit, obuenturam ei in sortem terram totius Chananææ optimam, atque supra modum fertilem; vt propterea tribus illa ita se vltrò agriculturæ operibus adiicienda esset, vt ab his diuelli posse non videretur; & mallet tributa pendere maiora, quàm de terra sua, siue ad bella gerenda, siue ad alia Principum seruitia, exire. Mox Iacob deueniens ad Dan, prædixit futurum de tribu eius, qui iudicaret seu vindicaret populum suum; quod ad laudem dictæ tribus, licet satis obscurè, pertinere videbatur. Fuit autem Samson, quem colubro & cerastæ comparauit: quia quemadmodum isti serpentes astu & morsu perterrefaciunt perimuntq; homines; ita Samson astutia ac fortitudine sua hostes populi Israël, videlicet Philisthæos, admodum turbauit, plurimosque illorum interfecit: & sicuti cerastes clàm mordens equi vngulas, cadere facit ascensorem eius; ita Samson, Philisthæis nihil minùs cogitantibus, binas domus columnas concutiens, ipsos seque pariter sub ædificij ruina oppressit. Et quoniã hæc fuit insignis figura Saluatoris, qui morte sua, diaboli potentias strauit: ex ipsius recordatione ac desiderio, hic obiter Iacob exclamauit, dicens: *Salutare tuum expectabo Domine.* Vbi obseruandum est, quòd sancti sacræ Scripturæ Auctores, vel in ea nominatim memorati, cùm in huiuscemodi Messiæ typos incidunt, de ipso quoque aliquid subiungere solent; siue eius aduentum præstolando aut expectendo, siue aliqua de eodem prænuntiando. Sic Moyses Exodi cap. 4. vers. 13. quando eum Dominus mittere volebat ad liberandos Israëlitas à seruitute Ægyptiaca, quod erat signum liberationis humani generis de seruitute peccati; statim Messiæ desiderio accensus: *Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es.* & Isaiæ cap. 7. posteaquam Propheta præmonuit Regem Achaz, ne formidaret à consiliis duorum Regum, Syriæ scilicet & Israël, quæ contra ipsum inierant; quòd fortè tunc Prophetæ in mentem venerit Christus, qui dissipaturus erat consilia Principum huius mundi; confestim hinc arrepta occasione quædam ibi obiter tangit de eiusdem Christi ortu, illis verbis: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, &c. Angelus item Gabriel Danielem pro liberatione populi Iudaici de captiuitate Babylonica coram Deo interpellantem (quòd ea esset figura liberationis hominum de captiuitate diabolica per Christum faciendæ) multa edocuit, de his quæ ipsius Christi temporibus pro eadem mundi redemptione patranda erant, Daniel. cap. 9.

DE ISSACHAR.

DE DAN.

DE GAD.

8. Post prædictiones, quæ ad tribum Dan pertinebant, explicatas, Iacob protinus ad Gad sermonem conuertens, prophetizat quòd ipse, hoc est tribus eius, aliquando ad prælium accincta, sine vllo mulierum aut paruulorum impedimento præire debebat populum Israël, & pariter accincta inde redire: quod tunc impletum est, quando in introitu terræ Chanaan, tribus Gad & Ruben, & dimidia tribus Manasse, iuxta promissionem factam Moysi, qui tali conditione eis terram Amorrhæorum trans Iordanem assignauerat, ipsi prompto animo præcesserunt reliquas tribus in cunctis bellis contra Chananæos duce Iosue gestis; & demum illis feliciter confectis, redierunt ad propria. Porrò hæc, quæ poterant etiam dici de tribu Ruben & dimidia tribu Manasse, de solo Gad

Gad dicta sunt, quia Iacob aliud habuit notabilius quod prædiceret de Ruben, nimirum ipsum primogenita sua amissurum, & non præ ceteris multiplicatum iri, sed potiùs paruum & humilem inter alias tribus futurum; talis quippe prædictio ei, ob flagitium quod commiserat, magis conueniebat. De Manasse verò nullum verbum facturus erat Iacob, sicuti neque de fratre eius Ephraim; quoniam eos comprehendere intendebat in prophetia de ipsorum patre Ioseph mox proferenda. Transiens Iacob ad Aser, prædicit ipsum habiturum terram adeò feracem omnium rerum perfectissimarum ad cibos pertinentium, vt vel eius posteri bis fruentes, quodammodò regalibus frui deliciis videri possent: vel inde allatos fructus supra modum exquisitos, ipsi Reges & Principes conquirerent, quibus voluptuosè vescerentur. Vel fortè voluit Iacob alludere ad regionem Aseritarum, quam aiunt tantam olei copiam ferre, vt ibi cuncta quodammodò pinguia dici posse viderentur; & ex illo oleo, tamquam omnium optimo, vnguentarij pretiosa conficere solerent vnguenta, ad delicias Regibus præbendas. Prædixit quoque Iacob Nephthalim assimilandum esse ceruo emisso, signare volens miram eius velocitatem in parando se & eundo ad bellum. Et subdit, eum daturum eloquia pulchritudinis: quod aiunt vsu venisse, quando Barac, qui erat de tribu Nephthali, iubente Debbora, tunc populi Iudice, repentè coactis decem millibus Nephthalitis & Zabulonitis, irruit aduersus Sisaram principem exercitus Iabin Regis Chanaan, vt describitur Iudicum cap. 4. Quo profligato & extincto, cecinerunt decorum illud Canticum, quod ibidem subiungitur. Quamquam aliqui putent, tribum Nephthali ceruo emisso fuisse comparatam, propter terram eidem obuenturam, quæ celeres atque admodum præcoces fructus productura erat, quorum primitiæ admodum tempestiuæ in domum Domini delatæ, inducebant Sacerdotes præ admiratione ad canendas decorè Domino laudes.

DE ASER.

DE NEPHTHALI.

9. Vt autem ventum est ad Ioseph, quem pater plus ceteris filiis diligebat; non statim, vt de aliis fecerat, quæ ventura ei essent, prophetauit; sed breue quoddam præmittens laudum eius encomium, sumpto videlicet ex nomine eius argumento, dicere cœpit: ***Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperauerunt eum & iurgati sunt, inuideruntq; illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israël.*** ac si dicere voluisset, meritò quidem ipsum appellatum esse Ioseph, quod Augmentum significare nouimus, quandoquidem non modò hactenus longe supra ceteros fratres excreuisset; sed adhuc quasi in continua quadam accessione res suæ esse viderentur: non tantùm quia ipse decorus esset in oculis omnium, ita vt quandoque ad murorum fenestras accurrerent mulieres, vt transeuntem viderent: (nam hoc quod ei beneuolentiam apud omnes cõciliare debuerat, econtrariò apud fratres inuidia tabescentes, & mox item apud dominam suam impudicè lasciuientem, odium pepererat. Idcircò enim fratres eum iaculis, hoc est, durioribus verbis & factis exasperauerunt; & domina sua falsò accusatum viro, in carcerem trudi curauerat.) sed præcipua incrementi eius causa erat, quia *sedit in forti arcus eius*, id est, quia ipse Ioseph in angustiis & in omni vita sua, non propria fidebat virtute; sed diuina protectione, cui nihil obsistere valet, tota fiducia quiescebat: & propterea non humanis fauoribus, sed per manum Dei omnipotentis, qui pariter erat fortitudo patris sui Iacob, exaltatus est, solutis enim tandem vinculis, & de carcere eductus, factus est pastor & lapis Israël: pastor inquam plurimarum nationum, quia seruando frumenta, pauit populos multos toto tempore famis. Insuper verò lapis fuit valdè firmus Israëli, super quem firmiter nitebatur tota domus patris sui Israël, ex quo in Aegyptum intrauerat. His itaque præmissis, prosequitur Iacob, prospera cuncta prædicens deprecansque dilectissimo filio suo Ioseph illis verbis: ***Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi,*** &c. hoc est, tribuet abundantiam omnium fructuum, ex bona cæli temperie ac terræ fecunditate prouenientium. Insuper conseruabit multiplicabitque filios ac posteros tuos; ita vt ex singulis fratribus tuis singulæ dumtaxat tribus; ex te verò solo, duæ eædemque amplissimæ tribus sint propagandæ. Nec his contentus, optat terrenas hasce benedictiones præualere atque superabundare benedictionibus, quas ipse à patribus suis acceperat, donec veniant benedictiones illæ cælestes, ab eo impertiendæ, qui solus potest in hominum cordibus inserere desideria collium æternorum, hoc est, æternæ beatitudinis. Omnia hæc geminatis verbis, ad maiorem efficaciam, sanctus ille senex precatur cumulatè impleri in capite Ioseph, quem Nazaræum, hoc est, separatum appellar inter fratres suos, non modò quia ferè semper ab illis quodammodò separa-

DE IOSEPH.

separatus vixerat; nam in domo paterna inuidentes ei fratres sese retrahebant ab eius communione, nec poterant ei quidquam pacificè loqui; posteà verò quàm eum vendiderunt, adhuc magis seiunctus remansit: sed præcipuè, quia ipse multis aliis nominibus erat à fratribus segregatus, nimirum dignitate, potentia, diuitiis, paterna beneuolentia, & huiusmodi. Postremò Iacob, præuidens bellicam posterorum Beniamin ferocitatem, assimilauit eum lupo rapaci ac famelico, qui tunc maximè audax & violentus est. Sic nimirum fuere Beniamitæ, qui, vt describitur Iudic. cap. 20. non modò ausi sunt pauci, videlicet viginti quinque millia, contra fas bellare aduersus vniuersum Israelem, habentem quadringenta millia virorum; sed etiam eum duplici prælio superare valuetunt, cæsis ad quadraginta millia de ipsis. Possumus etiam dicere, memoratam Iacobi de filio suo Beniamin prophetiam, longè posterioribus quoque temporibus signanter fuisse impletam in S. Paulo Apostolo, qui fuit de tribu Beniamin, vt ipsemet testatur ad Philippens. cap. 3. vers. 5. Ita sensit S. Augustinus Sermone 14. de Sanctis: vbi exponens illa eiusdem prophetiæ verba: *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet escas.* (sic enim ipse cum L X X. Interpretibus legit) siue (quemadmodum habet editio Vulgata, *& vespere diuidet spolia*) dicit, illud *manè* & *vespere* idem esse ac si diceretur *priùs* & *posteà*. & cōtinuò prosequitur pluribus ostendere, quomodo eadem prophetia competere possit ipsi sancto Paulo. Et certè in eo quòd ipse ante suam conuersionem adeò terribilis & sæuus erat in primitiuæ Ecclesiæ Christianis acriter insectandis, & vbique ad necem inquirendis, videtur rectè comparari potuisse atroci ac voraci cuidam lupo rapienti ac comedenti prædam. In eo autem quòd post suam conuersionem adeò mansuetus fuit, & promptus tradere atque impendere seipsum pro salute animarum, potiùs oui comparandus videtur, quæ proprias carnes in escam, & vellus ad indumenta homini sine vlla repugnantia suppeditare solet. Scimus autem S. Paulum posteà à Domino missum, sicut & ceteros Apostolos, tamquam ouem in medio luporum; & quòd ipse nullum finem faciebat diuidendi populis escas Euangelicæ prædicationis, impertiens singulis, nimirum sapientibus & insipientibus, pro ipsorum captu, doctrinam spiritualem, aliis quidem tamquam in Christo paruulis lac potum dans, aliis verò tamquam perfectis solidum cibum; & denique omnibus omnia factus, vt omnes saluos faceret, 1. ad Corinth. cap. 9. vers. 22. vel etiam diuidebat spolia de hostibus parta, quando ad spiritualem aliorum ædificationem, proponebat seipsum exemplum bonorum operum, & manifestabat victorias, quas ipse de diabolo, de mundo, & de propria carne reportare solitus erat; vt omnes ad se imitandum prouocaret. Sed hæc aliàs. redeamus ad institutum.

DE OBITV IACOB.

10. Expletis hisce prædictionibus, Iacob cùm benedixisset singulis filiis suis benedictionibus propriis, præcepissetque vt sepelirent corpus suum in terra Chanaan cum patribus suis, in spelunca duplici, quam olim emerat Abraham in possessionem sepulchri, sibi & posteris suis: & prætereà dedisset vnicuique ipsorum monita mandataque salutis, collectis super lectum pedibus suis, placidè ac naturali quadam resolutione, sine vllo violento motu, reddidit spiritum, Genes. cap. 49. in fine, cùm vixisset annos centum quadraginta septem, computatis illis decem & septem, quibus vixerat in Ægypto, vt notatur Genes. cap. 47. vers. 28. Porrò sanctus iste Patriarcha quantum Deo semper gratus fuerit, indicant infinita propemodum sacræ Scripturæ loca, in quibus appellat Deus Iacob seruum suum. verùm ille inprimis Malachiæ cap. 1. vers. 2. vbi introducitur Deus dicens, se dilexisse Iacob, Esau autem odio habuisse. Quem locum citat magisque explicat Apostolus ad Romanos cap. 9. vers. 12. Item Exodi cap. 3. versic. 15. ipsemet Deus protestatur se esse velleque appellari Deum Abraham, Isaac, & Iacob; & hoc ei nomen esse in æternum, & memoriale in generationem & generationem. Eximia verò beneficia huic sancto viro diuinitus collata commemorantur Sapientiæ cap. 10. vers. 10. illis verbis: *Hæc* (videlicet Sapientia) *profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. In fraude circumuenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum. Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est Sapientia.* & Ecclesiastici cap. 44. vers. 25. *Benedictionem*, inquit, *omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum confirmauit super caput Iacob. Agnouit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hereditatem, & diuisit illi partem in tribubus duodecim. Et conseruauit illi homines misericordiæ, inuenientes gratiam in oculis omnis carnis.*

QVAM ACCEPTVS DEO FVERIT.

Vixit

11. Vixit itaque Iacob cũ

Heber	annis	decem & nouem.
Abraham		quindecim.
Ismaël		sexaginta tribus.
Isaac		centum viginti.
Ruben		sexaginta duobus.
Simeon		sexaginta vno.
Leui		sexaginta vno.
Iuda		sexaginta.
Dan		sexaginta.
Nephthali		quinquaginta nouem.
Gad		quinquaginta nouem.
Aser		quinquaginta octo.
Issachar		quinquaginta octo.
Zabulon		quinquaginta septem.
Ioseph		quinquaginta sex.
Beniamin		quadraginta vno.

QVIBVSCVM, ET QVAMDIV CVM SINGVLIS VIXERIT.

12. Mortuo Iacob, Ioseph filius eius cum lacrymis (post planctum super eo factum) deosculato patre, iussit corpus eius aromatibus condiri, & ipse cum fratribus & filiis suis, atque item magno cum Aegyptiorum comitatu, de licentia Pharaonis asportauit eum in terram Chanaan, & sepeliuit in conualle Mambre in spelunca duplici cum patribus suis, Abraham, Isaac, Sara, & Rebecca, & vxore sua Lia: reuersusque est in Ægyptum cum fratribus suis; à quibus humiliter exoratus, ne memor esset iniuriæ olim ab ipsis acceptæ, ipse eos blandè & mira cum charitate consolatus est, Genesis cap. vlt. vers. 1. vsque ad 22. Ceterùm, progenies ipsius Iacob ac filiorum eius, describitur Genes. cap. 46. vers. 8. Exodi cap. 1. vers. 1. & cap. 6. vers. 14. & Numer. cap. 26. vers. 5. & 1. Paralip. cap. 2. vers. 1. & cap. 4. vers. 1. vsque ad initium capitis decimi. IACOB PLANGITVR, ET SEPELITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2353. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 241.

1 ANNO vitæ Ioseph sexagesimo quarto circiter desinente, defunctus est Baleus iunior, Rex Assyriorum, cùm regnasset annis quinquaginta duobus, vt testatum reliquit Eusebius in Chronicis. MORS BALEI IVNIORIS ASSYRIORVM REGIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2354. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 242.

1 ANNO proximo circiter ineunte, regnauit Altadas Rex Assyriorum decimus, teste eodem Eusebio ibidem. REGNAT ALTADAS IN ASSYRIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2368. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 256.

1 ANNO à descensu Iacob in Ægyptum circiter quadragesimo natum esse Caleb filium Hesron, ita colligit Abulensis super 1. Paralipom. cap. 2. quæst. 9. Nam cùm in eodem capitulo à versiculo 18. ad 22. habeamus, quòd Caleb filius Hesron, de Azuba prima eius coniuge, præter Ierioth primogenitum, tres alios habuit liberos; & quòd ea mortua duxit aliam nomine Ephratam, & quòd post hæc Hesron pater eius accepit filiam Machir, cùm ipse iam sexaginta esset annorum: certè si de prædictis sexaginta annis primùm subtraxeris quindecim saltem annos, quos habuisse censendus est Caleb quando primam duxit vxorem; deinde alios quinque, intra quos genuit de Azuba prædictos quattuor filios, & de Ephrata vnum; vtique restabunt de memorata sexaginta annorum summa anni dumtaxat quadraginta, qui fluxerant ab introitu Hesron in Aegyptum vsque ad ortum ipsius Caleb; erat enim vnius anni infantulus Hesron, quando cum vniuersa Iacobi domo deportatus fuit in Aegyptum, vt colligi potest ex his, quæ nos sub annis mundi 2328. num. 1. & 2329. num. 9. diximus. Quoniam verò, quamdiu vixerit iste Caleb, nescimus; ideò eius annos in tabulis digerere non potuimus. ORTVS CALEB FILII HESRON.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2384. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 272.

HESRON GENVIT ARAM.

1 ANNO vitæ ſuæ circiter quinquageſimo ſeptimo, probabiliter credimus, quòd Heſron filius Phares genuerit Aram, cuius meminit S. Matthęus cap. 1. verſ. 3. in genealogia Saluatoris. Hunc Aram, Auctor libri 1. Paralipomenon cap. 2. verſ. 9. & 10. vocat Ram. Quanrum verò temporis poſt genitum Aram, ſiue Ram, ipſe ſuperuixerit Heſron, ſcire non poſſumus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2385. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS. 273.

MORITVR ALTADAS REX ASSYRIORVM.

1 ANNO vitæ Ioſeph nonageſimo ſexto propè, vt arbitror, expleto, oportet obiiſſe Altadam tegem Aſſyriorum, exacto nimirum regni ſui anno trigeſimo ſecundo, vt videre eſt apud Euſebium in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2386. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 274.

MAMITVS REGNAT IN ASSYRIA.

1 ANNO inſequente regnauit in Aſſyria Mamithus, fuitque Rex Aſſyriorum vndecimus, vt patet loco Euſebij proximè adducto. Idem Mamithus ſiue Mamucus, Syris & Aegyptiis cœpit eſſe formidini, vt tradit Genebrardus lib. 1. ſuæ Chronologiæ. S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 7. vocat hunc Hermaſcum, facitque eum duodecimum Aſſyriorum, ob cauſam aliàs à nobis adductam.

CAATH QVANDO GENVERIT AMRAM.

2. Eodem anno circiter inchoante, Caath in Aegypto genuit Amram, qui poſteà fuit pater Moyſi; vt colligere poſſumus ex Alexandro Polyhiſtore Auctore antiquiſſimo, qui Apud Euſebium lib. 9. de Præpatatione Euangelica cap. vlt. ait, eumdem Amram ortum eſſe anno ante obitum Ioſephi quartodecimo; quod ſi verum eſt, vt credimus, oportet dicti Amræ natiuitatem incidiſſe circa initia anni ab ingreſſu Iacob in Ægyptum quinquageſimi octaui: ſiquidem nos infrà ſub anno mundi 2400. num. 1. probabimus, Ioſephum obiiſſe anno à prædicto ingreſſu ſeptuageſimo ſecundo ineunte. Et hoc nobis magis placet, quàm quod multò pòſt ſcriptum reliquit S. Epiphanius, prope finem ſui Ancorati; nimirum, Amram natum eſſe anno Caath patris ſui ſexageſimo quinto. Hoc ſi ita eſſet, nullo modo ortus Amram in hunc annum competere poſſet; etiamſi concederemus, ipſum Caath natum eſſe anno trigeſimo quarto patris ſui Leui, vt ibidem aſſerit S. Epiphanius. quod tamen nos ſub anno mundi 2305. num. 2. probauimus non poſſe ſubſiſtere. Nec mirum eſt, ſanctum hunc Doctorem ibidem in hiſce annis falli: quandoquidem in eodem loco alia quædam tradit ad chronologiam pertinentia, quæ (ſi tamen eius codices corrupti non ſunt) videntur ſacræ Scripturæ omnino aduerſantia. Etenim quadringentos triginta annos manſionis ac peregrinationis Hebræorum in Ægypto & in terra Chanaan computat ab eo tempore, quo prædixit Deus Abrahæ, ſemen ſuum ſeruiturum ac fore peregrinum annis quadringentis: cui teſragatur Apoſtolus ad Galatas cap. 3. verſ. 17. vbi manifeſtè computat prædictos quadringentos triginta annos à promiſſionibus Abrahæ factis: & certum eſt, haſce promiſſiones non minùs quinque annis præceſſiſſe dictam prædictionem, vt ex collatione eorum quæ ſub anno mundo 2113. num. 2. diximus, cum his quæ ſub anno mundi 2118. num. 13. tradidimus, apparet. Item, eoſdem quadringentos triginta annos terminat in ingreſſu Iſraëlitarum in terram Chanaan, cùm Apoſtolus loco citato apertè terminauerit eos ad Legem datam; & Exod. cap. 12. verſ. 41. terminentur in egreſſu populi de Ægypto, quod fetè idem eſt: ſiquidem Lex data fuit menſe tertio ab eodem egreſſu. Præterea ponit etiam idem Sanctus quinquaginta aonos ab exitu de Aegypto ad introitum in tertam Chanaan; cùm tamen ex poſtremo Deuter. cap. verſ. 7. & ex aliis multis ſacræ Scripturæ locis, quæ nos ſub anno mundi 2583. num. 34. adducemus, conſtet fuiſſe tantùm quadraginta. Denique dicit, Moyſen fuiſſe triginta annorum quando traduxit Iſraëlitas per Mare rubrum; & nihilominùs Scriptura Exodi cap. 7. verſ. 7. & alibi non ſemel, dicit, eum tunc fuiſſe annorum octoginta. Quæ omnia hîc obiter referre viſum eſt, non ſtudio contradicendi; ſed ne cui mirum videatur, quòd ab his quæ ſanctus iſte Doctor loco citato tradidit, tam facilè diſceſſe-

ceſſerimus. Ex dictis item conſequitur, eumdem Amram ex hac vita deceſſiſſe anno à memorato introitu in Aegyptum centeſimo nonageſimo quarto circiter deſinente, vt in tabulis apparebit. Vixit enim annos centum triginta ſeptem, quemadmodum habemus Exod.cap.6. verſ.20. in textu Vulgato,& in Paraphraſi Chaldaica, & in aliquibus LXX. Interpretum codicibus. Vnde non videtur in hac parte ſtandum cum textu LXX. Interpretum anno ſalutis 1588. Romæ impreſſo, qui habet, Amram vixiſſe tantummodò centum triginta duobus annis, quod ceteris omnibus alijs textibus aduerſatur. Oportet inſuper eumdem Amram fuiſſe ſeptuaginta nouem annorum quando genuit Moyſen, quem conſtat natum eſſe annis octoginta ante egreſſum populi de Aegypto; videlicet anno ab introitu Iſraëlis in Aegyptum centeſimo trigeſimo quinto, quod etiam in tabulis manifeſtiùs dignoſci poterit: & ex conſequenti apparebit, hallucinati Euſebium in Chronicis, & S. Epiphanium prope finem ſui Ancorati, & Pererium in cap.2.Exodi: quorum duo priores putant, Amram genuiſſe Moyſen anno vitæ ſuæ ſeptuageſimo; tertius verò, ſeptuageſimo ſeptimo.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2387. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 275.

1 ANNO vitæ ſuæ ſexageſimo Heſron Iudæ nepos duxit filiam Machir patris Galaad, poſt annos 25. (vt ex ſub anno mundi 2412. dicendis apparebit) & genuit ex ea filium nomine Segub, quemadmodum traditur 1. Paralip.cap.2. verſ. 21. Erat autem Machir filius Manaſſe filij Ioſeph, vt patet Geneſ. cap. vltimo verſ.22. Neque inconueniens, quòd qui erat de tribu Iuda, duxerit vxorem de tribu Manaſſe, quia tunc temporis nulla adhuc facta fuerat talium coniugiorum prohibitio. Illa namque lex, quæ cauet ne quiſquam nubat extra propriam tribum, non niſi multò pòſt, nimirum Moyſi temporibus lata fuit, vt videre eſt Numer.cap.vltimo verſ.7.& 8. Porrò iſte Segub & poſteri eius, licet naturaliter de Heſron Iudæ nepote prodierint, nihilominùs computati poſteà ſunt in tribu Manaſſe, vt euidenter colligitur ex cap. Paralipom. citato, vbi cùm Scriptura dixiſſet, quòd Heſron genuit Segub, & Segub genuit Iair, qui poſſedit viginti tres ciuitates in terra Galaad, & viculos ſexaginta citatum; protinus ſubiungit: *Omnes iſti, filij Machir patris Galaad.* id eſt, prædicti, Segub & Iair, & ſi qui alij ex ipſis prodierant, dicebantur filij Machir. Quod & adhuc magis confirmari poteſt ex Deuter. cap.3. verſ. 13. & ſequentibus, vbi dicitur quòd Moyſes reliquam partem montis Galaad, & omnem regionem Baſan, aliàs regni Og, tradidit mediæ tribui Manaſſe, nempe omnem regionem Argob: & quòd Iair filius (hoc eſt pronepos ex parte matris) dicti Manaſſe, poſſedit omnem regionem Argob vſque ad terminos Geſſuri & Machati; & regionem illam, quæ priùs vocabatur Baſan, voluit deinceps ex nomine ſuo nuncupari Hauoth Iair, id eſt, villas Iair. Ex quibus omnibus liquidò apparet, poſteros dicti Heſron nepotis Iudæ ex filia Machir procreatos, deinceps fuiſſe recenſitos in tribu Manaſſe: quod non alia de cauſa fieri potuiſſe videtur, niſi quia à dicto Machir filio Manaſſe, & dicto Segub auo materno adoptati fuerant in filios, vt nos etiam ſub anno mundi 2827. num.1. dicemus.

HESRON GENVIT SEGVB. CVR SEGVB ET POSTERI EIVS DICANTVR DE TRIBV MANASSE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2399. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 287.

1 ANNO ab introitu Iſraëlitarum in Ægyptum ſeptuageſimo primo inchoante, qui pariter erat ſeptuageſimus primus vitæ Iob, (vt ex his quæ ſub anno mundi 2329. num. 22. diximus, inferri poteſt, & apparet in tabulis) oportet cœptam eſſe hiſtoriam ipſius Iob, quæ in libro ex eius nomine inſcripto habetur. Et hoc colligunt B. Athanaſius in Synopſi librorum veteris Teſtamenti, cap. 17. & Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap.3. & alij probati Scriptores, ex cap. vlt. ipſius Iob: nam ibi verſ. 10. legimus, Dominum addidiſſe omnia quæ fuerant Iob (ſubaudi ante perpeſſas calamitates) duplicia; quemadmodum ibidem verſ. 12. probatur de ouibus, camelis, bobus, &c. Et idem debemus exiſtimare, ſecundùm præcitatos Auctores, factum eſſe de annis vitæ eius; nimirum ipſos quoque fuiſſe ei à Deo conduplicatos. In fine verò eiuſdem libri apertè traditur, Iob vixiſſe poſt flagella annos centum quadraginta; ergo ante illa vixerat ſeptuaginta, qui poſterioribus iuncti, faciunt ſummam annorum ducentorum decem; his verò ſi addantur ſeptem calamitatis, erunt omnes anni

HISTORIA IOB QVANDO COEPERIT.

140
70
210
7
217

anni vitæ Iob, ducenti decem & septem. Quòd si quis opponat, de filiis ac filiabus Iob nullam fuisse factam duplicationem, vt patet consetenti quæ de ipsorum numero traduntur cap. 1. vers. 2. cum his quæ postea legimus cap. vlt. v. 13. ergo nec de annis. Responderi potest, quòd ex quo tantummodò inuenitur exceptio facta de liberis; supponere debemus, reliqua omnia eidem fuisse in duplum aucta, & consequenter etiam vitæ annos; alioqui frustrà videretur dictum cap. vlt. vers. 10. *Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia.*

CONTENTA IN LIBRO IOB.

2. Igitur Iob anno, vt diximus, vitæ suæ septuagesimo primo incipiente, Dei permissu, ad ostensionem virtutis eius, cœpit à dæmone acriter affligi ac damnificari, primò in gregibus & armentis, mox in filiis, ac demum in propria persona; quemadmodum in citata eius historia describitur. Post quas plagas venerunt ad eum tres Reges amici eius, vt ipsum consolarentur. Verumtamen quia inter luquendum, contentiosiùs quàm par erat, cum eo egerunt, addentes afflictionem afflicto; id eis ad peccatum à Deo imputatum fuit; à quo tandem (ipsomet Domino illos arguente & monente) non nisi ad preces Iob expiati sunt. Continet verò liber Iob, præter historiam primis duobus capitibus comprehensam, dialogos ferè viginti vnum; videlicet ipsius Iob decem, Eliphaz tres, Baldad tres, Sophar duos, Eliu vnum, Domini duos; vt in eodem libro quiuis dinumerare poterit; & hos versibus spondaicis à Moyse, vt communis est opinio, conscriptos. Quòd si quis hoc loco percontetur, quamdiu Iob in pœnis ac tribulationibus, quas liber eius commemorat, permanserit; dicimus id non vsquequaque exploratum haberi, aliis opinantibus vno dumtaxat anno; aliis, septem: & quoniam postrema hæc opinio videtur à pluribus acceptata, idcircò eamdem & nos sequemur, donec aliud certius occurrat.

CVR AVCTOR SEQVATVR NVMEROS ANNORVM EDITIONIS VVLGATAE NON AVTEM LXX. INTERPRETVM.

3. Aduertendum verò est, me in annis vitæ Iob tecensendis ac supputandis secutum esse textus Hebraicos & Latinos Vulgatos, quos in hoc præsertim magis arbitror esse probandos; quoniam præterquam quòd editio LXX. Interpretum aliàs in numeris annorum corrupta censetur, vt sub anno mundi 131. num. 5. 6. & 7. probatum est; non etiam videtur sibi constare in eo quod ait, Iob post plagas superuixisse annos centum septuaginta; & omnes annos vitæ eius fuisse ducentos quadraginta: nam si cuncta addita sunt ipsi Iob duplicia, vt ipsi quoque LXX. Interpretes ibidem referunt; ergo & anni; ergo si post plagas vixerat annos centum septuaginta, vtique (secluso etiam toto tempore afflictionis, quod, quàm longum fuerit, certo scire non possumus) oportet ipsum ante plagas vixisse annos octoginta quinque, quæ est medietas prædictorum centum septuaginta annorum; & consequenter quòd omnes vitæ eius anni fuerint ad minus ducenti quinquaginta quinque, non autem ducenti quadraginta. Standum igitur est in numeris annorum, qui in Vulgata editione notati inueniuntur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2400. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 288.

DE OBITV IOSEPH.

1 ANNO vitę suæ centesimo decimo exacto, id est centesimo vndecimo inchoante, qui erat septuagesimus secundus ab introitu Israël in Aegyptum, vt patet in tabulis; Ioseph, cùm iam vidisset filios Ephraim filij sui, vsque ad tertiam generationem, & filios Machir filij Manasse primogeniti sui; ac prædixisset fratribus suis diuinam visitationem, hoc est maximas tribulationes, quas Israëlitæ ab Aegyptiis passuri erant; & quòd tandem inde eos Deus in terram Chanaan patribus suis repromissam educturus erat; adiurassetque ipsos, vt secum asportarent ossa eius; mortuus est, & conditus aromatibus, in loculo repositus fuit, vsque ad tempus exitus populi de Ægypto, Genes. cap. vlt. vers. 22. vsque in finem. Vbi quoniam exprimitur, quòd Ioseph expletis centum decem vitæ suæ annis allocutus est fratres suos; videtur inde posse colligi, tunc adhuc fratres suos fuisse superstites; & consequenter verum esse, quod expressè tradit Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 3. nimirum eumdem Iosephum decessisse ante omnes fratres suos; de quorum tamen obitu Scriptura sacra non meminit, præterquam de Leui; cuius vitæ annos definit, vt paulò pòst adnotabimus. De Ioseph honorificè admodum loquitur sacra Scriptura, præsertim Sapientiæ cap. 10. vers. 13. dicens: *Hæc* (diuina nimirum Sapientia) *venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, descenditq́ue cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos qui eum deprimebant, & mendaces ostendit qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Hactenus

DE EIVSDEM LAVDIBVS EX LIBRO SAPIENTIAE.

nus ex libro Sapientiæ: cuius illa verba, *donec afferret illi sceptrum regni*, non sunt accipienda tamquam significantia quòd Ioseph verè fuerit Rex; quemadmodum nec illa quæ de eodem Ioseph legimus 1. Machab. cap. 2. vers. 53. *Et factus est dominus Aegypti*, tamquam si verè esset dominus Ægypti: sed quòd, ac si fuisset Rex & dominus ipse dominabatur in omni terra Aegypti, vt expresse dicitur Genes. cap. 45. vers. 26. siquidem Pharao cap. 41. vers. 40. dederat ei post se omnem potentiam, dicens: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni solio te præcedam. Dixitq; rursus Pharao ad Ioseph. Ecce constitui te super vniuersam terram Aegypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitq; eum stola byssino, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante precone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti. Dixit quoque Rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti.* Erat igitur Ioseph secundus à Rege, & veluti Rex & dominus in Ægypto: & hoc est quod dicitur in Psal. 104. vers. 21. *Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.*

Igitur vixit Ioseph cum { Isaac / Iacob / Beniamin } annis { viginti nouem. / quinquaginta sex. / nonaginta quinque. } QVIBVSCVM, ET QVANDIV CVM SINGVLIS VIXERIT.

cum singulis autem ceteris fratribus suis, necesse est eumdem Iosephum vixisse centum decem annis, quia post illos natus est, & vt dictum est, ante illos obiisse creditur.

2. Post mortem Ioseph oportet Israëlitas cœpisse mirum in modum, ac multò quàm anteà copiosius propagari & multiplicari, præsertim vsque ad obitum Leui, qui creditur vltimus fratrum suorum ex humanis excessisse; spatio scilicet vnius & viginti annorum, quod inter vtriusque fratris obitum intercessit, vt videre est in tabulis: intra quod tempus, nihil oneris aut mali ab Ægyptiis Israëlitæ perpessi sunt. Etenim non nisi post mortem non solùm Iosephi, sed & omnium fratrum eius, & item vniuersæ cognationis illius quæ cum Iacob descenderat in Ægyptum, cœperunt à nouo Aegyptiorum Rege affligi, quòd iam tunc nimiùm aucti viderentur, vt colligitur Exodi cap. 1. vers. 6. & nos sub anno mundi 2437. num. 1. dicemus. ISRAELITAE QVANDO COEPERINT MAGIS MVLTIPLICARI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2406. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 294.

1 ANNO vitæ suæ septuagesimo octauo incipiente sanctus Iob, post exactos inuidia diaboli septem annos (quemadmodum sub anno mundi 2399. num 1. & 2. dictum est) in summa rerum inopia, filiorum orbitate, corporis infirmitate, animi afflictione, meruit gratiam coram Domino; qui in præmium perfectissimæ eius patientiæ, non modò restituit eum ad pristinam sanitatem, rerumq; abundantiam ac felicitatem; verumetiam bona omnia, quibus ante calamitatem fruebatur, in duplum eidem posteà tribuit, vt dicitur Iob cap. vlt. vers. 10. & ibidem post pauca exemplis ostenditur, quemadmodum sub anno mundi proximè citato adnotauimus. IOB POST CALAMITATES VALDE PROSPERATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2412. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 300.

1 ANNO ætatis suæ octogesimo quinto propè expleto, Hesron filius Phares filij Iuda creditur genuisse Segub ex filia Machir filij Manasse; vt ex his quæ infrà sub anno mundi 2583. num. 27. dicemus, apparebit. HESRON GENVIT SEGVB.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2415. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 303.

1 ANNO à descensu Iacob in Ægyptum octogesimo septimo propè expleto, mortuus est Mamithus rex Assyriorum, exactis regni sui annis triginta, vt tradit Eusebius in Chronicis. OBITVS MAMITHI ASSYRIORVM REGIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2416. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 304.

1 ANNO immediatè sequenti, regnauit in Assyria Mancalæus Rex Assyriorum duodecimus, vt ibidem tradit Eusebius. REGNAT MANCALEVS IN ASSYRIA.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2421. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 309.

OBITVS LEVI.

1 ANNO vitæ suæ centesimo trigesimo septimo propè impleto, Leui mortuus est in Ægypto; vt colligitur Exodi cap.6.v. 16.nimirum post omnes fratres suos, vt asserit Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 3. Huius Patriarchæ posteritas describitur eodem Exodi loco, & 1. Paralipom. cap. 6.

2. Per hæc circiter tempora, puto filios Israel speciali quadam Dei prouidentia, præter ordinarium naturæ cursum in Ægypto crescere cœpisse, & deinceps per annos circiter decem & octo continuos, nimirum vsque ad Amenophim Ægypti Regem, quasi germinantes multiplicatos ac roboratos nimis impleuisse terram, vt dicitur Exodi c.1. vers. 7. Quæ fuit causa vt posteà prædictus Rex suspectam habens eorum multiplicationem & potentiam, cœperit opprimere eos, vt infrà sub anno mundi 2438. numer. 1. & 2. dicemus.

QVIBVSCVM ET QVAMDIV CVM SINGVLIS VIXERIT.

Vixit ergo Leui cum				
	Isaac	annis		triginta quattuor.
	Iacob			sexaginta vno.
	Ioseph			centum decem.
	Ruben		saltem	centum quindecim.
	Simeon			centum quindecim.
	Iuda			centum quattuordecim.
	Dan			centum quattuordecim.
	Nephthali			centum tredecim.
	Gad			centum tredecim.
	Aser			centum duodecim.
	Issachar			centum duodecim.
	Zabulon			centum vndecim.
	Beniamin			nonaginta quinque.

3. Dixi, saltem: quia tametsi superiùs sub anno mundi 2400. num. 1. dictum sit, reliquos filios Iacob vixisse post Ioseph; attamen nec ex Scriptura sacra, neque aliter scire possumus, quotnam annis singuli superuixerint ipsi Ioseph; excepto Leui, cuius numerum totius vitæ annorum, paulò antè ex libro Exodi adnotauimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2437. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 325.

CAATH QVANDO MORTVVS.

1 ANNO ab introitu Israëlis in Ægyptum circiter centesimo nono, necesse est decessisse Caath filium Leui, vt ex his quæ sub anno mundi 2305. num. 11. diximus, manifestè consequitur. Puto autem ipsum Caath obiisse post omnes illos, qui cum Iacob descenderant in Ægyptum; aut si post ipsum aliqui superstites fuerunt, eosdem eodem anno non multò pòst esse defunctos; & prouerbium illud, quod refert Auctor Chronologiæ Hebræorum cap. 3. in hæc verba: *Vno fratrum mortuo, dolent cuncti fratres: Vno sociorum fatis functo, dolet vniuersa societas.* de Caath potiùs quàm de Leui arbitror esse accipiendum; quia post dictū Caath obitum, qui fuit posterior obitu Leui, Israëlitæ ab Ægyptiis affligi cœperunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2438. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 326.

REGNAT IN AEGYPTO AMENOPHIS, QVI COEPIT GRAVITER AFFLIGERE HEBRAEOS.

1 ANNO ab introitu Israëlitarum in Ægyptum centesimo decimo inchoante, vt patet in tabulis, qui erat centesimus sextus ante ipsorum exitum, vt computari potest in Eusebij Chronicis, regnauit in Aegypto annis vno & triginta Amenophis, septimus Dynastiæ Ægyptiorum decimæoctauæ Rex, qui & Amenoptes, quem quidam Memnonem putant lapidem loquentem, quippe cuius statua, vsque ad aduentum Christi, sole oriente vocem dare dicebatur; vt ibidem scribit idem Eusebius. Hunc, secutus Auctorem Historiæ Scholasticæ, & Abulensem, & Pererium in Exodi cap. 1. puto fuisse Regem illum, qui in eodem Exodi cap.vers.8. tacito nomine memoratur his verbis: *Surrexit intereà Rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph; & ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est. Venite, sapienter*

ter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur; & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisq́, nobis egrediatur de terra. Afflixit ergo iste Rex Hebraicum populum in Ægypto commorantem, successiuè tribus afflictionibus maximis, adiiciens primę post aliquot annos alteram grauiorem, ac posteà tertiam omnium grauissimam; quę omnes breuiter tanguntur Exodi cap. 1. vers. 11. vsque ad finem capitis.

2. Vt igitur de prima Hebræorum afflictione qua ab Aegyptiis oppressi sunt, quæ creditur hoc anno cœpisse, hic aliquid dicamus; (nam de aliis infrà suis locis dicetur:) sciendum est, prædictum Regem, quem Scriptura sacra appellat nouum, siue ob nouitatem ingenij, quippe qui cùm alij fuissent Hebræis beneuoli, ipse eis admodum esset infensus; siue quia, vt ait Iosephus 2. Antiq. cap. 5. ipse ex alia à prioribus Regibus familia esset. Quidquid sit, constat hunc Regem initio regni sui suspectam valde habuisse tantam Hebræorum in suo regno propagationem; & non quidem nescisse, quanta essent Iosephi Hebræi merita, qui populum tempore famis pauerat, & regiam cameram frumenti venditione ditauerat, ac demum quinta parte cunctorum Ægypti fructuum perpetuò soluenda regibus addita, eorum opes mirum in modum auxerat: sed hæc ignorare simulans, callideque Hebræorum fecunditatem retundere atque impedire volens, sumpta occasione muniendi confinia regni, de consilio populi sui decreuit ædificare, mœnibusque circumdare vrbes quasdam in terra Gessen; quæ vrbes fortasse, quia ibidem in tabernaculis more pastorum habitabant Hebræi, propterea Vrbes tabernaculorum dictæ sunt. Itaque imperauit Hebræis vt lateres conficerent, Ægyptios operibus præficiens, illisq́; mandans vt eos sine vlla miseratione ad labores compellerent vrgerentque: qui tum vt Regis iussa implerent, tum etiam quia & ipsi Hebræorum felicitati inuidentes, eosdem oderant; tyrannicè admodum eos tractabant & affligebant, illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omniq́; famulatu, quo in terræ operibus premebantur; vt apertè legimus Exodi cap. citato vers. 13. Quæ afflictio, præter alias quæ deinceps eis superadditæ sunt, perdurauit vsque ad ipsorum exitum de Ægypto, centum scilicet & sex annorum interuallo: quo tempore duas extruxerunt Pharaoni vrbes; alteram nomine Ramesses, quod priùs regionis nomen fuerat; alteram Phithom dictam. LXX. Interpretes addunt tertiam, Hebraicè On, Græcè Heliopolis, Latinè Ciuitas Solis nuncupatam; quæ in Vulgata editione non commemoratur, quòd non esset in terra Gessen, vbi habitabant Hebræi; vel etiam, quia hæc ciuitas non tunc de nouo extructa videtur, sed tantummodò aliquatenus resarcita, instaurata, & ampliata: siquidem ante introitum Israëlis in Ægyptum iam extabat, vt patet in Genes. cap. 41. vers. 45. DE PRIMA HEBRÆORVM AFFLICTIONE.

3. Ex dictis duo inferri possunt. Primum, admodum hallucinari Caietanum super Exod. cap. 1. & Iacobum Naclantum in lib. Arcanorum Christi, vbi agit de Tertia mundi ætate; putantes Regem illum, qui primus cœpit affligere Israëlitas in Ægypto, fuisse non Ægyptium, sed Assyrium; illo moti argumento, quod Isaiæ cap. 52. vers. 4. legimus: *In Aegyptum descendit populus meus in principio, vt colonus esset ibi; & Assur absque vllo causa calumniatus est eum.* quem locum ipsi intelligunt, ac si velit significare, ipsosmet Israëlitas qui habitabant in Aegypto, fuisse ibidem ab Assyrio Rege oppressos: quod falsum est; nam nullibi legimus, quòd ante Moysen vmquam Assyrij dominati sint Aegyptiis, qui vsque ad tempora Cambysis proprios Reges habuisse dicuntur: nec aliter asserit Isaias: siquidem, vt omnes ferè illius loci docent Expositores, duas breuiter ibi commemorat præcipuas Israëlitici populi afflictiones; nempe primam, quam ab Ægyptiis sustinuit; & alteram, quam posteà passus est à Salmanasar Rege Assyriorum, qui captiuas duxit decem tribus Israël; vel etiam à Nabuchodonosor, qui vastata Ierosolyma, temploque eius euerso, reliquas duas in captiuitatem transtulit: & ab Isaia Assur dicitur, quòd non solùm Chaldæis, sed etiam Assyriis dominaretur, vt affirmat Hector Pintus ibidem. Nisi fortè loco citato Propheta vsurpauerit Assur, pro Syro, & alludere quoquomodò voluerit ad id, quod dicitur Deuteronom. cap. 26. v. 5. illis verbis: *Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Aegyptum.* & post pauca: *Afflixeruntq́, nos Aegyptij*, &c. Ibi enim memorantur duæ Hebræorum afflictiones; altera ipsius Iacob, quam pertulit à Laban Syro in Mesopotamia, quæ describitur Gen. cap. 29. & 31. altera posterorum eius ab Ægyptiis, vt dictum est, eis illatam. Verumenimuerò, quòd non iste, sed qui paulò antè explicatus est, fuerit verus Isaiæ sensus, clariùs colligitur ex LXX. Interpretum editione, quæ sic habet: *In Aegyptum descendit populus meus priùs, vt peregrinaretur ibi, & in Assyrios violenter adducti sunt.* ISAIAE LOCVS EXPLICATVR.

4. Alterum quod ex suprà narratis deduci potest, est cuiusdam difficultatis solutio,

QVOT ANNIS AEGYPTIACA IVDAEORVM AFFLICTIO PERDVRAVERIT.

quæ multorum ingenia torsit; nempe, quotnam annis Hebræorum afflictio ac seruitus in Aegypto perdurauerit. Nam si hæc cœpta est, inchoante circiter prædicti Amenophis regno: cùm certum sit eam deinceps (saltem quoad opera luti & laterum conficiendorum) perseuerasse vsque ad exitum ipsorum de Agypto: proculdubiò sequitur, totum dictæ seruitutis tempus (quidquid alij dixerint) in summa, fuisse annorum ferè centum sex, vt computari potest in tabulis. Nam quòd aliqui dicūt, dictam seruitutem cœpisse sub ortum Mariæ sororis Moysi, quæ propterea, vt tradunt Hebręi, dicitur à parentibus suis appellata Maria, hoc est, Amaritudo; intelligendum puto non de tempore quo cœpit dicta seruitus, sed de eo quando prima Hebræorum oppressio, ob duritiam eorum qui præerant operibus, valdè admodum ingrauescebat, & insuper iam secunda accesserat, nimirum biennio circiter antè promulgata, quæ eosdem Hebræos indies magis ac magis premebat, atque ad continuam quamdam animorum amaritudinem perducebat. tunc enim nata est soror Moysi, & ad dictum mœrorem exprimendum, creditur appellata Maria, vt sub anno mundi 2457. num. 1. dicemus. Neminem ergo fallat Iosephus, qui 2. Antiq. cap. 5. circa initia ait, afflictiones laboresque Hebræorum in Aegypto per annos quadringentos perdurasse: quia si non ille locus ab aliquo corruptus fuit, vtique oportet Iosephum valdè hallucinati, & in eodem libro contraria atque inter se omnino pugnantia tradidisse: siquidem in principio cap. sequentis asserit, eosdem Hebræos in Ægypto mansisse annis dumtaxat ducentis quindecim. Quod quia ex his quæ nos sub anno mundi 2329. num. 10. vsque ad 21. fusiùs disputauimus, apparet esse verissimum; certè necessariò consequitur, id quod idem Auctor suprà cap. 5. de Hebraica quadringentorum annorum afflictione in Aegypto tolerata scripserat, esse falsissimum; nisi fortè illud *in Aegypto* ibi expungendum sit, & subintelligere debeamus, Hebræos easdem afflictiones & labores partim quidem in Aegypto, partim verò in terra Chanaan, ab ipsis fuisse perpessos. Denique si ex Scriptura sacra Exodi cap. 1. vers. 6. & sequentibus manifestè colligitur, Hebræos non priùs ab Agyptiis affligi cœpisse, quàm post mortem Iosephi & omnium fratrum eius; & constat, Leui vnum de fratribus Iosephi mortuum esse anno mundi 2421. vt ibidem num. 1. probatum est, qui annus est centesimus vigesimus quartus ante exitum Israëlis de Aegypto, vt in tabulis putari, atque ex sub anno mundi 2329. fusiùs disputatis comprobari licet; quî fieri potest, vt dicta Hebræorum Aegyptiaca afflictio per annos quadringentos perdurare potuerit?

AB ORBE CONDITO ANNVS 2445.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 333.

MORITVR MANCALAEVI ASSYRIORVM REX.

I ANNO ab eodem introitu centesimo decimoseptimo, ad finem appropinquante, cessit è vita Mancalæus Assyriorum Rex, cùm regnasset annos triginta, vt affirmat Eusebius in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2446.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 334.

REGNAT IPHEREVS IN ASSYRIA.

I ANNO proximo ineunte regnauit in Assyria Iphereus Rex Assyriorum decimustertius, vt ibidem scriptum reliquit Eusebius. Hunc Iphereum S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 8. vocat Saphrum, cur autem eum faciat non decimumtertium Assyriorum Regem, vt Eusebius, sed decimumquartum, nos sub anno mundi 2464. num. 1. indicabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2451.	TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 339.

ARAM GENVIT AMINADAB.

I ANNO vitæ suæ sexagesimo octauo, credimus quòd Aram filius Hesron, qui ponitur in genealogia Saluatoris Matthæi cap. 1. versic. 4. genuerit Aminadab, ibidem pariter recensitum. Quando autem mortuus sit Aram post genitum Aminadab, ignoramus.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2455. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 343.

1 ANNO, vt arbitror, regni sui decimo octauo circiter desinente, Amenophis Aegypti Rex certior factus, (quod breuiori tempore non videtur ita euidenter comprobari potuisse) Hebræos tametsi grauissimis oppressos laboribus, non modò non minus esse fecundos, sed quemadmodum dicitur Exodi cap. 1. vers. 12. quòd *quantò magis Aegyptij opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant:* vocatis ad se obstetricibus in terra Gessen commorantibus, præcepit eis, vt quando obstetricarent Hebræas, masculos interficerent, feminas verò tantùm reseruarent. Videtur autem Rex duas tantùm ad se vocasse obstetrices, alteram nomine Sephoram, alteram vocabulo Phua, vt legimus capite Exodi citato versic. 15. quòd fortè hæ magis essent famosæ, solerentque frequentiùs ab Hebræis mulieribus ad id muneris accersiri; vel etiam, vt per ipsas, tamquam in eo genere primarias, ceteræ pariter de voluntate ac imperio Regis clàm educerentur; non enim expedire videbatur, omnes conuocare, ac publicè illis tale facinus imperare, ne propterea seditio aliqua oriretur in populo. DE SECVNDA HEBRAEORVM AFFLICTIONE IN AEGYPTO.

§ 2. Num verò hæ Hebrææ essent, an Aegyptiæ, controuersum est. Nam S. Augustinus lib. Contra mendacium cap. 15. 16. & 17. sine vlla rei discussione, simpliciter, vt arbitror, secutus quorumdam Hebræorum opinionem, videtur supponere, ipsas fuisse Hebræas. Contrà verò Iosephus 2. Antiq. cap. 5. expressè asserit eas fuisse Ægyptias, & hunc sequuntur Abulensis & Pererius super Exod. cap. 1. Quod, ni fallor, videtur probabilius; quoniam licet loco Exodi proximè adducto dicatur: *Dixit autem Rex Aegypti obstetricibus Hebræorum,* tamen paulò pòst non dixit absolutè, *Quando obstetricabitis,* quemadmodum dixisset, si illæ fuissent Hebrææ: (poterat namque supponere, eas non nisi in sua gente tale officium exercere consueuisse, præsertim cùm Ægyptij odio prosequerentur Hebræos:) sed dixit Rex obstetricibus, *Quando obstetricabitis Hebræas.* quo dicendi modo insinuatur, eas dici obstetrices Hebræorum, non quòd ipsæ essent Hebrææ, sed quòd ob peritiam illius artis, vocari passim solerent etiam ad Hebræas parturientes. Idem videtur posse confirmari ex facilitate, qua Rex postea credidit eisdem obstetricibus sese excusantibus, ac dicentibus: *Non sunt Hebrææ sicut Aegyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt:* Exod. cap. 1. vers. 19. nam si ipsæ fuissent Hebrææ, potuisset eas Rex mendacij redarguere, ac dicere: Ad quid ergo opus fuit vos in gente vestra publicum obstetricandi munus profiteri? Ex quo igitur tam facilè ipsarum excusationem admisit, indicatur eas fuisse Aegyptias; præsertim cùm non videretur credibile, Hebræas tali mandato in damnum propriæ gentis obtemperaturas; vt ipse quoque tangit Iosephus loco citato. Ceterùm, prædictæ obstetrices sanctum Dei timorem humano imperij Regis timori præferentes, Hebræorum infantes perdere noluerunt: & quia ipsæ Hebræorum domos filiis ipsorum parcentes ædificatunt; propterea ipsis quoque obstetricibus iustus Deus domos ædificauit, tribuendo eis prosperam filiorum multiplicationem, Exodi cap. 1. vers. 17. vsque ad 22. Ex his patet, reiiciendam esse illam Hebræorum positionem, seu (vt arbitrur) Rabbinorum adinuentionem, quam refert reiicitque Abulensis super 1. Paralipom. cap. 2. quæst. 8. de duabus illis Hebræorum obstetricibus, quæ memorantur Exod. cap. 1. vers. 15. nempe quòd altera earum esset Maria soror Moysi, altera verò mater eius Iochabed; & quòd, quia ipsæ timentes Dominum non paruerant impio Pharaonis mandato de paruulis Hebræorum masculis interficiendis, ædificauerit eis Dominus duas domos, nempe Regiam, & Sacerdotalem; ac propterea de Iochabed prodierit domus Sacerdotalis, quia nati sunt ei Moyses & Aaron: & de Maria, domus Regia; quia eam duxit Caleb princeps tribus Iudæ, in qua postmodum diu mansit regia potestas. Huius namque positionis falsitas vel inde apparet, quòd illas obstetrices non Hebræas, sed Aegyptias fuisse probauimus; & constat, quòd altera ipsarum in Sacro eloquio nuncupatur Sephora, altera verò Phua; & nusquam legimus, nec probari potest, quòd Iochabed & Maria vmquam talibus quoque nominibus fuerint appellatæ: & nos infrà sub anno mundi 2544. num. 35. ex ipsa temporum ratione liquidò ostendemus, prædictam Mariam neque Calebu filio Hesron, neque Calebo filio Iephone nubere potuisse. Et quòd hæc Maria non potuerit esse obstetrix secundæ Hebræo-

NVM OBSTETRICES HEBRAEAE FVERINT, AN AEGYPTIAE

HEBRAEORVM SENTENTIA DE DVABVS OBSTETRICIBVS REFVTATVR.

hebræorum afflictionis temporibus, patet; quia ipsam non nisi biennio post primum eiusdem secundæ afflictionis annum esse natam, & fuisse septennem tertia iam vigente eorumdem Hebræorum oppressione, ex consequenter dicendis apparebit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2457. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 345.

DE ORTV MARIAE SORORIS MOYSI.

I ANNO insequente circiter ineunte, qui erat septimus ante natiuitatem Moysi, vt videri potest in tabulis; credimus natam esse Mariam sororem eius: quod apertè testatur Auctor Chronologiæ Hebræorum cap. 3. asserens, eamdem Mariam octoginta septem annis mansisse in Aegypto, hoc est, septem dumtaxat annis ante ortum Moysi esse natam. Nec obstat, quòd Abulensis q. 4. super Exodi c. 2. vbi traditur, quòd inuento Moyse in fiscella vagiente à filia Pharaonis, opportunè ei soror pueri, *Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum?* ex prudenti illa propositione colligat, eamdem sororem Moysi tunc fuisse quindecim circiter annorum: quod & replicat super Numer. cap. 12. quæst. 8. Non, inquam, obstat; quia credibilius videtur, ipsam ita à parentibus fuisse edoctam, & consequenter nihil repugnare, quòd vere fuerit septennis. Non etiam difficultatem facit, quòd ibidem non exprimatur, illam pueri sororem fuisse Mariam: quia Numer. cap. 26. vers. 59. vbi recensentur filij Amram patris Moysi, tres tantummodò nominantur, videlicet Aaron, Moyses, & Maria. vnde apparet fuisse Mariam, quæ locuta est filiæ Pharaonis, vt dictum est. Porrò, quia quo tempore nata est Maria, Hebræi in maxima erant afflictione positi, non solùm ob continuos excessiuosque laterum conficiendorum labores, & duritiem eorum qui præerant operibus; sed etiam ob recens à Rege obstetricibus iniunctum præceptum, de masculis Hebræorum perdendis: proptereà aiunt Amram appellasse filiam suam Mariam, ab animi amarore, quem tunc præsertim tota gens sua sentiebat.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2461. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 349.

AMRAM GENVIT AARONEM

I ANNO ab introitu Israëlis in Ægyptum centesimo trigesimo tertio, qui erat annus ante exitum octogesimus tertius, vt supputari potest in tabulis, Amram filius Caath filij Leui genuit Aaron, vt euidenter colligi potest ex locis infrà citandis, nimirum Exod. cap. 6. vers. 20. vbi apertè dicitur, Amram, quem paulò antè dixerat de Caath filio Leui fuisse generatum, genuisse Aaron; & cap. 7. vers. 7. dicitur, ipsum Aaron octoginta trium fuisse annorum, quando cum fratre suo Moyse locutus est ad Pharaonem; quod paulò ante exitum populi de Aegypto contigisse certum est ex Numer. cap. 33. vers. 38. & 39. vbi habemus, Aaron centum viginti trium annorum extitisse, quando anno quadragesimo egressionis Israëlitarũ de Aegypto mortuus est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2463. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 351.

TERTIA HEBRÆORVM AFFLICTIO IN AEGYPTO.

I ANNO proximo, vt infrà probabitur, prædictus Ægypti Rex Amenophis, anno regni sui, vt monstratur in tabulis, vigesimo sexto, experimento probans quòd populus Hebraicus nihil minùs indies augeretur; ratus (quod erat) obstetrices præceptis suis non paruisse, ad se accersitas acriùs redarguit: at illæ se excusantes, dixerunt, quòd Hebrææ mulieres obstetricandi habebant scientiam, & semetipsas in partu adiuuabant, antequam ipsæ ad illas ventitarent. Quamobrem, volens omnino Rex prohibere Israëlitarum propagationem, valdè impium tulit edictum; vt scilicet exinde omnes ipsorum masculi, statim ac nati essent, in flumen proijcerentur: Exod. cap. 1. vers. 18. vsque ad finem, proposita (vt addit Iosephus 2. Antiq. cap. 5.) pœna, si quis clàm seruare fetus auderet, vt cum tota familia tolleretur. Quam legem, vt ibidem Iosephus asserit, tulit Rex occasione cuiusdam vatis Ægyptij, qui Sacrarum litterarum peritiam profitebatur, prædicebatque, breuî quemdam de Hebræis nasciturum,

turum, qui res Aegyptiorum grauiter affligeret, Hebræorum verò ad nodum augeret, si modò ad adultam perueniret ætatem; Moysen intelligere volens. Hæc dixi hoc circiter anno accidisse; quia necesse est memoratum edictum inter Aaronis Moysisque ortum exiisse: nam de seruando Aarone infantulo à submersione, nullam legimus extitisse difficultatem, nulla adhuc tali proclamata lege; de Moyse verò quanta fuerit, paulò pòst dicetur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2464. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 352.

1 ANNO tertio ab ortu Aaron exacto, nempe quarto inchoante, qui erat decimusnonus regni Iipherei regis Assyriorum decimitertij, vt est apud Eusebium in Chronicis, & infrà videre est in nostris tabulis, Amram genuit Moysen: quod & manifestè colligitur ex pluribus Scripturæ locis; nimirum Exodi cap. 2. vers. 1. & cap. 6. vers. 20. sed præcipuè cap. 7. vers. 7. vbi expressè dicitur, quòd quando Aaron erat octoginta trium annorum, Moyses octoginta annos habebat ætatis; & idem colligi potest Numer. cap. 33. vers. 38. & 39. Nemo autem putet ab Eusebio dissentire B. Augustinum, qui lib. 18. de Ciuit. cap. 8. ait eumdem Moysen natum esse, cùm regnaret Assyriis XIIII. Saphrus: quia idem sunt Saphrus & Iphereus, & idem fuit XIII. secundùm Eusebium, & XIIII. iuxta B. Augustinum, quia ille numerat Reges Assyriorum à Nino, quem facit primum, vt videre est in Chronicis; iste autem eosdem recenset à Belo; hunc enim libro citato sub finem capitis secundi ait fuisse primum, Ninum verò secundum regem Assyriorum. Porrò iste annus natiuitatis Moysi, est quadringentesimus vigesimus quintus ab ortu Abrahæ, vt supputari potest in tabulis. Vnde arbitror corruptum esse textum Cyrilli Alexandrini lib. 1. Contra Iulianum, non longe à principio, vbi ait, Moysen natum esse anno post diuinum Abraham quadringentesimo-quinto & trigesimo, & pro *trigesimo*, debere legi *vigesimo*. Itaque nato Moyse, mater eius paruulum valdè elegantem noluit, iuxta Regis edictum, proiicere in flumen; vt dicitur in Epistola ad Hebræos cap. 11. vers. 23. sed aluit eum clàm tribus mensibus. Quod etiam fecisse creditur non tam ob infantis elegantiam, quàm quòd vir eius Amram, (vt scribit Iosephus 2. Antiq. c. 5.) Dei mónitu in somnis intellexerat, filium, quem tunc vxor sua gerebat in vtero, non periturum; sed vniuersæ gentis Hebrææ seruatorem liberatoremque futurum. Cùm autem iam ampliùs puerum parentes celare non possent, veriti ne à regiis obseruatoribus deprehensi ac delati, quòd contra Regis edictum fecissent, ipsi cum puero & tota familia sua morte punirentur; diuino consilio, posuerunt infantulum in fiscella, ex iuncis papyrique ramusculis, quorum ingens prope Nilum copia est, optimè intexta, ac pice bitumineque diligenter delibuta, ita vt super aquas tutò natare posset: & obseruato loco in ripa fluminis, vbi filia Regis (nomine Tharmuthis, vt ait Iosephus) descendere solebat, vt lauaretur: ibi fiscellam inter carices posuerunt, ne fluxu fluminis rapi ac deorsum ferri posset; stante interim procul sorore pueri Maria, vt præstolaretur euentum rei. Itaque cùm de more filia Regis descendisset, fiscellamque vidisset, statim per vnam de ancillis suis iussit sibi eam afferri, & apertam, intuens in ea vagientem puerum, cognouit esse vnum de Hebræorum infantibus. Obseruans autem soror pueri Reginam miseratam infantis, & elegantiam eius admirantem, ait: *Vis vt vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum?* qua annuente, Maria illicò accurrens, matrem adduxit: cui filia Pharaonis, repromissa mercede, præcepit, vt sibi nutriret infantem, adultumque sibi traderet: Exodi cap. 2. vers. 1. vsque ad 10. & summatim Actorum cap. 7. vers. 20. & sequenti. Creditur autem Moyses priùs à parentibus de more fuisse circumcisus, & hoc signo comprobasse Tharmuthim, quod priùs suspicata fuerat, nempe vnum esse de filiis Hebræorum. Certè Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatum pro certo habet, hunc infantulum priùs à parentibus fuisse circumcisum, & vocatum Ioachim, posteà verò à filia Pharaonis inuentum, & appellatum Moysen, ob causam à nobis sub anno mundi 2467. allegandam.

DE ORTV MOYSI.

2. Porrò mater Moysi, Aaronis, & Mariæ, vocabatur Iochabed, vt patet Exodi cap. 6. vers. 20. & Numer. cap. 26. vers. 59. Vtrùm autem ista Iochabed fuerit filia Leui, & consequenter amita Amræ mariti sui; an verò fuerit filia fratris Caath, & per con-

IOCHABED MATER MOYSI FVERITNE AMITA AN CONSOBRINA MARITI SVI. sequens patruelis seu consobrina eiusdem viri sui; varia est Doctorum sententia, propter variam vocis Hebraicæ *Dod* significationem; quæ à quibusdam interpretatur Amita, à quibusdam verò Patruelis: & vtrumque significare posse perhibetur. Priorem sententiam tuentur Abulensis super Exod. cap. 2. quæst. 2. & Eugubinus, & Oleaster, & Caietanus ibidem, ita cum Sancte Pagnino legentes textum Exodi: *Accepit autem Amram vxorem Iochabed amitam suam*, &c. Paulus Burgensis loco *amitam*, legit *auiam*; sed, vt arbitror, error est codicis, non Auctoris; quia idem met infrà concludit, Iochabed fuisse amitam viri sui; vnde videtur perperàm carpi ab Oleastro, & à Fonseca Lusitano, in suis Annotationibus super Commentaria Caietani in Exodum. Porrò Iochabed fuisse amitam mariti sui Amram, tenuit etiam Io. Driedo, de Ecclesiasticis Scripturis & dogmatibus lib. 3. tract. 3. cap. 5. concl. 4. & idem confirmat auctoritate B. Hieronymi in Quæstionibus Hebraicis in 1. Paralip. vbi ita habet: *Traditur autem, Moysen post acceptam Legem patri iniunxisse, vt matrem suam dimitteret, eò quòd illius amita esset; fuit enim filia Leui, post cuius dissidium, Amram duxisse aliam, ex qua suscepit duos filios hos, Eldad & Medad.* hæc ibi B. Hieronymus. Ex alia parte, Lyranus, & Thoringus in suis Replicis contra Burgensem, & alij, nituntur defendere, prædictam Iochabed non amitam, sed patruelem, hoc est, consobrinam fuisse viri sui Amram. & pro his facit editio Vulgata, quæ Exodi cap. 6. vers. 20. sic habet: *Accepit autem Amram vxorem Iochabed patruelem suam quæ peperit ei Aaron & Moysen.* & item editio LXX. Interpretum, quæ ibidem ita legit: *Et accepit Amram ipsam Iochabed filiam fratris patris sui sibi in vxorem, & genuit ei Aaron & Moysen, & Mariam sororem eorum.* huic etiam opinioni ex parte fauet Paraphrasis Chaldaica: nam licet non omnino consentiat cum LXX. Interpretibus, (dicit enim Iochabed fuisse filiam sororis, non fratris ipsius Amram) tamen tenet eamdem fuisse consobrinam, non amitam viri sui. Ego autem Lyrani Thoringique sententiam veriorem puto; nimirum quòd ipsa Iochabed fuerit patruelis mariti sui, id est filia fratris Amram: ita enim expressè habent Sacri textus emendatiores, videlicet editionis Vulgatæ, Romæ anno salutis 1593. excusæ; & LXX. Interpretum ibidem anno salutis 1588. editæ: quas editiones maioris in sancta Ecclesia auctoritatis esse, quam quasuis alias, pro certo habemus.

RESPONDETVR OBIECTIS. 3. Nec obstant quæ pro priori sententia adduximus: nam ad illud B. Hieronymi dicimus, traditionem illam nullo modo esse recipiendam: siquidem quòd ibi dicitur, Eldad, & Medad fuisse fratres Moysi, non tamen vterinos, sed post Legem latam ex alia matre genitos; infrà sub anno mundi 2545. num. 54. probabimus esse falsum. Quare oportet, vel librum illum Quæstionum Hebraicarum in libros Paralip. non esse B. Hieronymi; aut ibi B. Hieronymum non propriam, sed aliorum retulisse sententiam: siquidem constat B. Hieronymum aliter sensisse; nam in editione Vulgata veteris Testamenti, quam (exceptis aliquot libris, inter quos Pentateucus non numeratur) esse B. Hieronymi docet Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 9. loco Exod. citato, pro *amitam* legimus *patruelem*. Qua de re Abulensis vbi suprà (licet præmissa excusatione reuerentiæ gratia) perperàm, vt puto, reprehendit B. Hieronymum, quòd potiùs verterit *patruelem* quàm *amitam*; pensare namque debebat Abulensis, non esse verisimile, Doctorem tantæ eruditionis, & in Hebraicis ac Latinis litteris tantopere versatum, adeò turpiter errasse, vt pro dictione significante *amitam*, verterit *patruelem*: sed non aduertit Abulensis, vtpote Hebraici idiomatis non admodum gnarus, vocem illam *Dod* vtrumque, vt diximus, significare posse, & sanctum Doctorem de duabus significationibus illam delegisse, quam Textui sacro ibidem à LXX. Interpretibus clariùs exposito, magis conformem iudicauit. Ad textum Numer. superiùs citatum dicimus, quòd ibi Iochabed appellatur filia Leui, non quia reuerà esset filia eius, sed quia erat neptis ipsius, iuxta consuetudinem sacræ Scripturæ, quæ more Hebraico, ferè omnes rectâ linea maiores, vocare solet patres; minores verò, filios, vt notant B. Hieronymus super Danielis cap. 5. & Beda in lib. de Sex ætatibus mundi, & alij plures. Sic Nabuchodonosor, qui, vt ait B. Hieronymus vbi suprà, erat proauus Balthasaris, dicitur pater eius, Daniel. cap. 5. vers. 11. sic Elisabeth dicitur de filiabus Aaron, Lucæ cap. 1. vers. 5. quia erat de stirpe eius; & Christus appellatur filius Dauid & Abrahæ, Matth. 1. quia secundum carnem rectâ linea ab his prodierat: plura alia huiusce modi in Sacris libris exempla inuenies. Quòd autem ita exponendus sit memoratus Numer. locus, quodammodò etiam in sua versione insinuarunt LXX. Interpretes, qui sic habent: *Et Caath genuit Amram; nomen autem vxoris eius Iochabed filia Leui, quæ genuit istos ipsi*

Leui

Leui in Aegypto; & genuit ipsi Amram Aaron, Moysen, & Mariam sororem eorum. Ecce quòd quemadmodum hic dicitur Aaronem, Moysen, & Mariam, non solùm genitos patri suo Amram, sed etiam proauo ipsorum Leui; ita quoque innuitur ibidem dici Iochabed filiam Leui, eò quòd etiam genita fuisset ipsi auo suo Leui.

4. De tempore autem ortus atque ætate ipsius Iochabed, tametsi multi multa, veluti diuinantes, scripserunt; attamen nihil certi affirmare possumus, nisi quòd nata est in Ægypto, vt apertè traditur Numer. cap. 26. vers. 59. Ex quo patet, hallucinari Hebræos, existimantes ipsam de Leui esse natam in via, per quam Iacob cum familia sua descendebat in Ægyptum; & filio suo Moysi superuixisse. Quæ duo sic redargui possunt. Nam sequeretur, eam ad ducentos sexaginta propè annos vixisse: constat enim, Moysen mortuum esse anno ab exitu populi de Aegypto quadragesimo desinente, qui fuit ducentesimus quinquagesimus quintus ab ingressu eiusdem populi in Aegyptum, vt patet in tabulis: nemo autem eo tempore tam diu vixisse in Sacro eloquio reperitur. Sed quòd ipsa Iochabed nō sit nata ante dictum ingressum, patet; quia oporteret eam fuisse centum triginta quinque annorum quando genuit Moysen: ipse enim octoginta erat annorum quando eduxit populum de Ægypto; quibus prædicti centum triginta quinque iuncti, faciunt summam annorum ducentorum quindecim mansionis populi in Aegypto. Quis autem credat, mulierem centum triginta quinque annos natam, quando vix homines ad eam ætatem peruenire solebant, concipere & parere potuisse? Quòd si quis ad miraculum, propter Moysi sanctitatem, referendum putet; idem quoque de ortu Aaronis & Mariæ faciendum erit, quorum hæc septennio, ille verò triennio tantùm, ipso Moyse seniores fuerunt. Denique si (vt dicitur Exodi cap. 1. v. 6. & sequentibus) Hebræorum afflictio cœpta est post defunctum Ioseph, & omnes fratres eius, & totam cognationem illam, videlicet quæ cum illis descenderat in Aegyptum; vtique necessariò consequeretur, mortuam quoque tunc fuisse ipsam Iochabed. Quomodo ergo potuisset gignere Moysen multò pòst iam cœptam Hebræorum afflictionem? Dicamus igitur eam proculdubiò natam esse in Aegypto, & fortè etiam (vt probabilius videtur) fuisse viro suo iuniorem. QVANDO IOCHABED NATA SIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2465. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 353.

1 ANNO centesimo trigesimo septimo à descensu Iacob in Ægyptum pænè expleto, qui erat vitæ Moysi annus secundus, decessit Iphereus Rex Assyriorum, cùm regnasset annis viginti, vt videre est apud Eusebium in Chronicis. IPHEREI ASSYRIORVM REGIS OBITVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2466. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 354.

1 ANNO immediatè sequenti, regnum in Assyria obtinuit Mamylas, fuitque Assyriorum Rex decimusquartus, vt ibidem docet Eusebius. REGNAT IN ASSYRIA MAMYLAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2467. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 355.

1 ANNO proximo circiter inchoante, quando scilicet Moyses iam triennium impleuerat, vt ait Iosephus 2. Antiq. cap. 5. mater eius Iochabed detulit eum iam ablactatum filiæ Pharaonis, prout promiserat, quæ illum adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses, eò quòd de aqua seruasset eum, Exodi cap. 2. v. 9. *aquam* enim *Aegyptij vocant mo; yses verò, seruatos*, vt testatur Iosephus vbi suprà, & idem ferè asserit Philo lib. 1. de Vita Moysi, & confirmat Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Posteà verò vocabulum hoc *Moyses*, transiuit de lingua Aegyptiaca in Hebræam, vt testatur Aben Esras Hebræorum Rabbinus: vnde non mirum est, si alij Scriptores suprà citatis posteriores, contendunt esse vocem Hebraicam. Porrò Iosephus ibidem subdit, quòd Thermuthis Pharaonis filia, cùm alioqui germanis liberis MOYSES TRIMVLVS REDDITVR FILIÆ PHARAONIS.

careret, ipsúmque Moysen aliquando patri ostentaret, dicens: *Hunc ego puerum educaui, non minus indole quàm pulchritudine diuina excellentem, quem Nilus ipse in sinum meum tradidisse videri potest, quem decreui adoptare mihi in filium, tibi verò in principatu ac imperio successorem; & cùm dicto patri infantem in manus imposuit, illeq́, acceptum ad pectus appressit, filiæ gratificaturus, comiter diadema suum eius capiti imposuit; Moyses verò è capite suo pueriliter detractum prolabi in humum passus, pedibus etiam calcauit; id quod ominosum est visum, & regno nihil boni portendere: moxq́, ille sacrorum peritus*, cuius sub anno mundi 2463. num. 1. meminimus, *qui natiuitatem eius Aegypto cladem allaturam prædixerat, occidere puerum volebat, terribiliter vociferans: Rex, puer iste, per cuius necem nobis securitatem Deus pollicetur, vaticinium iam confirmauit, insultando tuo regno, & diadema calcando. hoc interempto, tam Aegyptiis metum, quàm Hebræis spem & fiduciam adime. Thermuthis verò eum præripuit, Rege quoque ad cædem tardiore, cui Deus talem animum indiderat, Moysis saluti prospiciens.* hæc ex Iosepho. Quæ mihi admodum suspecta sunt, ne ab Hebræis inuenta aut conficta videantur: nam non est verisimile, quòd ille Rex qui genus Hebræorum tantopere oderat, ac modis omnibus exterminare nitebatur, puero pepercisset, præsertim ab illo vate tam acriter contra illum incitatus; neque tam facile ad miracula recurrendum esse videtur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2468. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 356.

AMENOPHIS AEGYPTI REX MORITVR.

1 ANNO ab introitu Israelis in Ægyptum centesimo quadragesimo circiter desinente, oportet è vita excessisse Amenophim Aegyptiorum Regem, qui primus Hebræos in Aegypto commorantes valde admodum afflixerat: hoc etenim tempore, vt putari potest in tabulis, impletur numerus vnius & triginta annorum, quibus ipsum regnasse, sub anno mundi 2438. num. 1. dictum est.

CESSAT EDICTVM DE PARVVLIS HEBRAEORVM IN FLVMEN OBRVENDIS.

2. Eodem quoque tempore, nimirum in obitu dicti Regis, abrogatam simul credimus, saltem quoad vsum, impiissimam illam legem à prædicto Rege latam, De maribus Hebræorum illicò natis, in flumen præcipitandis. Nusquam enim legimus aut talem legem deinceps etiam fuisse obseruatam, aut vllum ex posterioribus Regibus, (tametsi grauiter Hebræos posteà quoque duris laterum operibus afflixerint) eosdem ad tantum facinus perpetrandum denuò vmquam impulisse; & ratio suadet, edictum adeò inhumanum, non diu amplius perdurare potuisse, vt etiam sub anno mundi 2329. num. 19. probatum est.

MOYSES IN AEGYPTIORVM SCIENTIIS ERVDITVR.

3. Intereà crescente Moyse, Thermuthis filia Pharaonis, quæ ipsum adoptauerat in filium, eumdem quoque, vt decebat filium regium, omnibus liberalibus disciplinis erudiri curauit, vt tradunt Philo in lib. de Vita Moysi, & alij, & testatur etiam diuina Scriptura Actorum cap. 7. vers. 22. illis verbis: *Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.*

AB ORBE CONDITO ANNVS 2470. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 358.

DE ORTV QVORVMDAM PROCERVM IN GRAECIA.

1 ANNO vitæ Moysi septimo aiunt natum esse Prometheum, & Epimethum, & Atlantem Promethei fratrem; prætereà & Argum cuncta cernentem, vt scribit Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Contra Iulianum, non longè à principio.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2484. — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 372.

DE ORTV IOSVE FILII NVN.

60
40
10
———
110

1. ANNO ab introitu Israëlis in Ægyptum centesimo quinquagesimosexto circiter ineunte, videlicet sexaginta annis ante exitum eiusdem populi de Ægypto, necesse est natum esse Iosue filium Nun: siquidem ipse posteà ministrauit Moysi quadraginta annis in deserto: ac deinde præfuit Israëli decem annis in Terra promissionis, vt sub anno mundi 2591. num. 14. probabitur. computa omnes istos annos,

nos, & inuenies ab hoc tempore ad obitum eius, summam annorum centum decem, quibus ipsum vixisse nos infrà sub anno mundi citato num. 12. vsq; ad 18. fusiùs ostendemus; & item sub anno mundi 2593. num. 1. comprobabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2493. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 381.

1 ANNO vitæ suæ, vt arbitror, trigesimo incipiente, Moyses iussu Regis Aegypti dicitur suscepisse ac gessisse bellum aduersus Æthiopes Ægyptum deuastantes, tandemque profligatos compulisse in vrbem Saba, quæ postmodum à Cambyse, ex nomine sororis suæ, nuncupata est Meroë, in insula Nili posita; & insuper illam aliquamdiu priùs obsessam, cepisse per deditionem à filia Regis Æthiopum, nomine Tharbis, ei factam ea conditione, vt eam vxorem duceret, quemadmodum (licet aliquantulùm diuersè) referunt Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 5. & ex Artapano Eusebius lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. vlt. vbi etiam addit, hoc bellum decennio fuisse confectum. Aliud quoque hîc subiungit Auctor Historiæ Scholasticæ, videlicet quòd Moyses, parta de Æthiopibus victoria, cùm redire vellet reluctante filia Regis quam duxerat vxorem, ipsum tamquam Astronomicæ scientiæ peritissimum, in duabus gemmis singulas insculpsisse imagines, quarum altera memoriam afferret, altera obliuionem; easdemque paribus anulis inseruisse; & anulum obliuionis, vxori dedisse, alterum verò sibi reseruasse; atque hoc pacto, cùm vxor amoris obliuionem accepisset, ipsum in Ægyptum rediisse. Sed si Theodoretus quæst. 22. in lib. Num. quæ narrat Iosephus de bello à Moyse contra Aethiopes gesto, inter fabulas computat; multò rationabiliùs, quæ ex Historia Scholastica retulimus, tamquam fabulosa reiici poterunt.

BELLASSE CREDITVR MOYSES CVM AETHIOPIBVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2495. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 383.

1 ANNO à descensu Iacob in Aegyptum centesimo sexagesimo septimo desinente; qui in tabulis concurrit cum trigesimo secundo vitæ Moysi, mortuus est Mamylas Rex Assyriorum, exactis in Regno annis triginta, vt scriptum est in Eusebij Chronicis.

MORITVR MAMYLAS REX ASSYRIORVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2496. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 384.

1 ANNO proximo ineunte, regnauit in Assyria Sparetus Rex Assyriorum decimusquintus, vt ibidem tradit Eusebius. Hunc Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ Sphaeretum appellat, cumque Syros & Phœnices subegisse affirmat.

REGNAT IN ASSYRIA SPARETVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2498. | TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 386.

1 ANNO vitæ Moysi circiter trigesimo quinto, in Attica inchoasse regnum Atheniensium, regnasseque Cecropem primum ipsorum Regem, traditur in Eusebij Chronicis: & idem affirmat Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Contra Iulianum, non longè à principio. Hoc si verum est, oportet eumdem Cecropem non sub anno vitæ Moysi sexagesimo secundo (vt in dictis Eusebij Chronicis legimus) Athenas condidisse, sed instaurasse. quo fit vt ad veritatem propiùs accessisse videatur S. Augustinus, qui lib. 18. de Ciuit. in calce cap. 8. protulit, dictam ciuitatem sub Cecrope vel conditam fuisse, vel instauratam. Quamquam fieri potest, vt idem Cecrops camdem initio regni sui condiderit, & post plures annos instaurauerit, vel ampliarit. Cur autem & quomodo illa vrbs, quæ priùs Cecropia dicta est, posteà sic denominata fuerit,

DE INITIO REGNI ATHENIENSIVM, ET EIVS DVRATIONE.

tit, idem Sanctus ibidem in toto cap. 9. fusiùs ex Varrone declarat. Porrò memoratus Cecrops, vt ferunt, dictus est Diphyes, hoc est duplicis naturæ, siue ob notabilem corporis longitudinem, siue quòd cùm esset Aegyptius, vtramque linguam calleret, Græcam scilicet & Aegyptiam. Ab hoc Cecrope ad annum vigesimæ quartæ Olympiadis primum, numerantur Reges decem & septem, & principes viginti, qui cum vita principatum finiebant, intra quod tempus octingentorũ & septuaginta trium annorum multa apud Græcos mirabilia narrantur. Exinde verò Athenis annui principes constitui cœperunt, & post paucos, puta sex aut septem annos, regnum Atheniensium omnino defecit, vt videre est apud Eusebium in Chronicis. *Quamuis autem* (vt ait B. Augustinus libro 18. de Ciuit. cap. 2.) *Athenienses in Græcia plurimùm claruisse fateatur etiam Sallustius Romanus Historicus; plus tamen fama, quàm re ipsa. Nam loquens de ipsis: Atheniensium, inquit, res gestæ, sicuti ego existimo, satis amplæ magnificæq; fuerunt: verùm aliquantò minores tamen, quàm fama feruntur. Sed quia prouenere ibi Scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita earum qui fecere, virtus tanta habetur, quantum eam verbis potuere extollere præclara ingenia.* sic ille.

DE GRAECORVM ANTIQVITATE. 2. Ceterùm, post memoratum Cecropem euenisse cuncta memorabilia ac mirabilia, quæ Græci de claris ipsorum hominibus, heroibus, ac diis, vel fabulosis Poëtarum adinuentionibus, vel Historiis tradita celebrarunt; probat latè Pererius super Exodi cap. 2. disput. 3. num. 15. & ante ipsum Cyrillus Alexandrinus lib. Contra Iulianum citato. Verumtamen B. Augustinus lib. proximè adducto cap. 8. videtur oppositum docere aliquot exemplis quorumdam mortuorum, qui ante Cecropem, iuxta cęcam & vanam ac superstitiosam Gręcorum consuetudinem, in numerum deorum relati sunt; & præsertim Mineruæ, quæ *temporibus Ogygi, ad lacum qui Tritanis dicitur, virginali fertur apparuisse ætate, vnde & Tritania nuncupata est, multorum sanè operum inuentrix; & tantò procliuiùs dea credita, quantò minùs origo eius innotuit.* Et in fine eiusdem capitis addit, quòd *regnante Cecrope, iam Minerua tamquam dea colebatur.* Et ex his, quæ citatus Auctor ibidem in capite sequenti ex Varrone refert, idem quoque de Apolline Delphico & de Neptuno sentiendum videtur. Quare tum ob hactenus dicta, tum etiam ob rationes quas sub anno mundi 2092. num. 1. adduximus, non videtur omnino firma prædicta Pererij aliorumque opinio, quoniam omnibus circumspectis, non videtur certò signari posse tempus, quo primùm dij Græcorum in terris viuere colive cœperint.

ANNVS 2503. AB ORBE CONDITO — TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 391.

MOYSES RELICTA PHARAONIS AVLA TRANSIIT AD HEBRAEOS. 1 ANNO ætatis suæ quadragesimo propè, vt arbitror, expleto, Moyses (quemadmodum traditur Actorum cap. 7. vers. 23.) qui iamdudum à parentibus acceperat, & tum ex nominis sibi impositi significatione, tum ex circumcisionis signo in propria carne competto, comprobauerat, se non esse naturalem filium filiæ Pharaonis, sed adoptiuum; verè autem de parentibus Hebræis fuisse genitum: diuino quodam instinctu, relicta Pharaonis aula, profectus est ad fratres suos Hebræos, palamque negauit se esse filium filiæ Pharaonis, *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* sic de ipso loquitur Apostolus ad Hebræos cap. 11. vers. 24. & sequentibus. Cùm autem vidisset Moyses Hebræorum afflictiones, & virum Aegyptium percutientem quemdam de Hebræis, ac circumspiciens aduertisset adesse neminem, qui eum accusare posset; confestim percussum Ægyptium abscondit sabulo. Quod diuino actum spiritu Moysen fecisse, tamquam potestatis sibi à Deo traditæ conscium, pro Hebræorum defensione ac liberatione ab iniuriis Aegyptiorum, satis apertè colligunt Doctores ex Actorum cap. 7. vers. 25. vbi legimus: *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis; at illi non intellexerunt.* Est enim ac si dixisset: Existimabat Moyses, ex illa Ægyptij occisione Hebræos facilè adduci potuisse in cognitionem diuinæ dispositionis, vtque ipsi Moysi iam notificatæ; nimirum quòd Deus destinasset per manum eiusdem Moysi eos à tyrannide Aegyptiaca liberare. Verùm ipsi tale mysterium non intel-

intellexerunt: nam altera die, cùm niteretur Moyses pacem componere inter duos Hebræos inuicem rixantes, redarguissetque eum qui alteri faciebat iniuriam: ille audacter ei respondit, dicens: *Quis te constituit principem & iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Aegyptium?* Quamobrem perterritus Moyses, quòd præter opinionem cognouisset iam esse vulgatum homicidium ab ipso factum, & quòd proptereà Pharao quæreret eum ad necem, ipse protinus relinquens Ægyptum, clàm aufugit in terram Madian, Exod. cap. 2. vers. 11. & sequentibus. Non igitur ob Aegyptiorum inuidiam qua in Moysen exarserant, quando de Aethiopibus victoriam reportarat, quærebat Pharao interficere ipsum Moysen, vt putant Iosephus 2. Antiq. cap. 5. & ex Artapano Eusebius lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. vlt. sed quia audierat, ipsum occidisse Aegyptium, sicuti ex sacra Scriptura dictum est. Porrò Moyses, cùm peruenisset in terram Madianitarum, ad quemdam puteum obiter defendit quasdam puellas ab iniuria pastorum; quamobrem hospitio deinde susceptus à Raguele prædictarum puellarum patre, iurauit se mansurum cum eo: accepitque Sephoram filiam eius in coniugem, ex qua multo pòst tempore duos genuit filios, & primum quidem vocauit Gerson, alterum verò Eliezer, Exod. cap. 2. vers. 12. vsque ad 23. FVGIT IN MADIAN.

2. Mansit autem Moyses in terra Madian annis quadraginta, vt patet Actorum cap. 7. vers. 30. vbi vitam exercuit pastoralem. Quæ, quoniam ex vna parte plena est sollicitudinis ac laboris, ex alia verò, tamquam quodammodò solitaria, & à rerum vrbanarum ciuiliumque negotiorum tumultibus aliena, rerum diuinarum contemplationi admodum accommodata esse videtur: proptereà Philo in lib. de Vita Moysi primo, non valdè procul ab initio, ait, quòd *ipse Moyses intereà exercebat se in virtutis studio sub ratione magistra, parans se ad optima vitæ genera, actiuum & contemplatiuum.* Et quantum attinet ad contemplatiuum, subiungit, quòd Philosophiæ dogmata euoluebat, atque etiam expeditè diiudicabat, & in memoriam recondebat, vt pòst in suum vsum posset ea depromere. Sed fortè meliùs dixisset Philo, si ipsum Moysen in factis sanctorum virorum qui ipsum præcesserant meditandis, ac rebus diuinis contemplandis, vacasse scripsisset. Quod verò ad actiuam spectat vitam, inquit Philo, eumdem Moysen omnium suæ ætatis pastorum optimum euasisse, & vtilitatis pecorum prouidentissimum, & domi nullum fugisse laborem, sed vltrò & alacriter vtilitati eorum consuluisse: quocircà adeò gregum copiam auxisse, vt inuidiosus esset apud pastores, nihil simile videntes in suis gregibus; qui præclarè secum agi putabant, si nihil detrimenti acciperent, mirantes illius numerum indies crescere; nec tantùm singulas oues pulchrè pinguescere, verùm fecunditate maiorem in modum multiplicari. Quin etiam putat Philo, quòd pastoralis illa Moysis exercitatio, magna fuerit ei ad principarum præparatio. *Est enim,* inquit, *ars pastoralis, quasi præludium ad regnum, hoc est ad regimen hominum gregis mansuetissimi: quemadmodum bellicosa ingenia praexercent se in venationibus, experientia in feris, quæ posteà in militia & bello perfectura sunt; brutis prabentibus materiam exercitij, tam belli quàm pacis tempore. At verò præfectura mansueti pecoris habet quiddam simile cum regno in subditos: ideoq́; Reges cognominantur pastores populorum, non contumeliæ, sed honoris gratia.* Et subdit citatus Auctor: *Quantum ego intelligo, non iuxta vulgarem opinionem, sed veritatem vestigans; (rideat qui volet:) solus potest esse Rex vsquequaque perfectus, qui benè callet artem pastoritiam, & curando minora animalia, didicit quomodo præesse debeat præstantioribus: impossibile est enim, vt magna priùs quàm parua perficiantur.* Hæc ex Philone. QVAMDIV MANSERIT IN MADIAN, ET QVAE IBIDEM EGERIT.

3. Porrò Moyses in terra Madian (quemadmodum testatur Pererius super Exo. c. 3.) creditur scripsisse librum Genesis & librum Iob, vt fratres suos Hebræos tam longa grauique ac molesta seruitute afflictos consolaretur, confirmaretque insigni præsertim exemplo patientiæ S. Iob, quam deinde eximia consecuta est felicitas; necnon etiam reuocado illis in memoriam certissimas Dei pollicitationes, iamdudum Abrahæ, Isaac, & Iacob, patribus eorum factas; & eorumdem prædictiones, præsertim postremas, quas fecerant Iacob & Ioseph paulò antequam morerentur, de populo Israëlitico ab Ægyptiaca seruitute liberando, ac in terram eidem repromissam introducendo. Sed quidquid sit de tempore scriptionis libri Genesis, profectò non facilè videtur admitti debere, librum Iob fuisse ab ipso Moyse in terra Madian commorante conscriptum: quandoquidem, tametsi potuisset tunc Moyses scribere calamitates quas Iob multò anteà perpessus fuerat, & subsecutas eius felicitates; tamen nullatenus videtur tunc scire aut scribere potuisse, quot annis vixerit Iob, qui tum etiamin humanis erat, vt ex QVANDO SCRIPSERIT LIBROS GENESIS ET IOB.

his

AB ORBE CONDITO ANNVS 2522. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 410.

1 ANNO vitæ suæ centesimo trigesimo septimo impleto, Amram pater Moysi mortuus est: hoc enim anno, vt patet in tabulis, definit prædictus annorum numerus, quibus ipsum vixisse sacra tradit Scriptura Exod. cap. 6. vers. 20. quod etiam ex his, quæ de ipso Amram sub anno mundi 2386. numero 2. diximus, comprobari potest. Vnde sequitur, falsam esse quamdam Hebræorum traditionem, ab Auctore Quæstionum Hebraicarum in libros Paralipomenon relatam, quòd scilicet Amram de Aegypto cum reliquis Hebræis exierit, & in deserto iussus sit dimittere vxorem, eò quòd amita eius esset; & quòd illa dimissa aliam duxerit, ex eaque filios procreauerit: de qua re nos sub anno mundi 2545. num. 54. fusiùs disputabimus. Et item, falsissimum esse Rabbinorum illud figmentum, super cap. Numer. 2. traditum, & à Genebrardo libro 1. suæ Chronologiæ relatum; quòd videlicet Amram pater Moysi vnus ex septem illis viris extiterit, qui feruntur, à mundi exordio vsq. ad finem, humanam vitam metiri. *Adam enim*, inquiunt, *vidit Mathusalem; hunc Sem, qui peruenit vsque ad Iacob, quem Amram ipse conspexit, is verò vsque ad Ahiam Silonitem vixit; à quo visus est Elias, qui vsque ad extremum orbis auum saluus permanebit.* Manifesta fit autem huius commenti falsitas, Primò, quia supponit Amram ad sexcentos annos fuisse superstitem; siquidem natus est inchoante circiter anno quinquagesimo octauo ab introitu Israëlis in Aegyptum, videlicet annis centum quinquaginta octo ante exitum, vt sub anno mundi 2386. num. 2. ostendimus: & ab exitu, ad templi Salomonis fundationem, fluxerunt anni quadringenti octoginta, quemadmodum disertè traditur 3. Regum cap. 6. vers. 1. prophetabat autem Ahias Silonites sub finem vitæ Salomonis, vt patet 3. Regum cap. 11. (ponamus quòd tunc Ahias esset annorum circiter septuaginta) certè ab eo tempore vsque ad annum centesimum quinquagesimum octauum ante exitum Israëlis de Ægypto, numerantur plusquam sexcenti septuaginta anni. Atqui Amram tam longam duxisse vitam, apertè repugnat sacræ Scripturæ, quæ conceptis verbis asserit, ipsum annis tantummodò centum triginta septem vixisse, quemadmodum suprà probatum est. Deinde supponunt Rabbini, Amram vidisse ipsum Iacob; quod tamen probare non possunt. Quin potiùs ex his quæ nos sub anno mundi proximè citato de ortu dicti Amram diximus, apparet ipsum esse natum post annos plusquam quadraginta ab obitu Iacob.

DE OBITV AMRAM PATRIS MOYSI

158
480
37

675

AB ORBE CONDITO ANNVS 2530. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 418.

1 ANNO regni Cecropis Atheniensium Regis trigesimo primo, qui erat vitæ Moysi sexagesimus septimus, vt est apud Eusebium in Chronicis, & Cyrillum Alexandrinum libro 1. Contra Iulianum, non longè à principio, quos in hac parte sequimur; factum est in Thessalia Græciæ prouincia famosum illud, & à Poëtis valdè celebratum, præsertim verò ab Ouidio lib. 1. Metamorphoseos eleganter descriptum diluuium, quod ad differentiam aliorum, Deucalionis nuncupatum, quia ipse Deucalion ibidem tunc regnabat; & submersis omnibus regionem illam incolentibus, præter paucos, qui ad vicinos montes confugerant; ipse solus ex his qui à montibus aliquantò longiùs aberant, cum vxore Pyrrha, vectus in arcula, seu parua rate, & cum summo discrimine inter vndas variè iactatus, tandem post dies nouem totidemque noctes ad Parnassum montem appulisse fertur. Huius diluuij meminit S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 10. qui tamen etiam cap. 8. obiter dixerat, hoc diluuium fuisse minus eo quod temporibus Ogygis acciderat. De hoc eodem diluuio Paulus Orosius lib. 1. cap. 9. aliquantulùm aliter loquitur: nam quod spectat ad tempus, non parum à citatis Auctoribus differt, licet minùs quàm alij. Deinde refert, quòd cùm maiorem populorum Thessaliæ partem eluuies absumpsisset, pauci per refugia montium liberati sunt, maximè in monte Parnasso; in cuius circuitu tunc regno potiebatur Deucalion, qui ad se ratibus confugientes susceptos, per gemina Parnassi iuga fouit aluitque, à quo propterea genus humanum reparatum ferunt. Atque inde Deucalionis diluuium denominatum est.

DILVVIVM DEVCALIONIS QVANDO ACCIDERIT.

DE PHAETONTIS INCENDIO. 2. Eodem anno, iuxta Eusebium & Cyrillum locis citatis, perinde ac si in perniciem mortalium ignis eum aqua coniurasset, aiunt contigisse incendium illud, quod Phaëtontis nuncupatur, eò quòd Phaëton (vt fabulantur) Solis filius exustus sit. De hoc Plato in Timæo, non procul ab initio, inducit quemdam Sacerdotem Ægyptium natu grandem coram Solone Græco ita loquentem: *Nam quod apud vos fertur, Phaëtontem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione seruata, exußisse terrena, ipsumque flammis cælestibus conflagrasse, quamuis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est: fit enim longo temporum interuallo cælestis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessariò sequitur.* sic ille. Incendij quoque huius meminit Orosius lib. 1. in calce capitis 10. hisce verbis: *His etiam temporibus adeò iugis & grauis æstus incanduit, vt Sol per deuia transuectus, vniuersum orbem non calore affecisse, sed igne torruisse dicatur; ipsumq; feruorem & Aethiops plus solito, & insolitum Scytha non tulerit. Ex quo etiam quidam, dum non concedunt Deo ineffabilem potentiam suam, inanes ratiunculas conquirentes, ridiculam Phaëtontis fabulam texuerunt.* hucusque Orosius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2535. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 423.

MORITVR SPARETVS ASSYRIORVM REX. 1 ANNO à descensu Israëlis in Ægyptum ducentesimo septimo propè expleto, qui concurrit cum anno vitæ Moysi septuagesimo secundo, vt apparet in tabulis, mortuus est Sparetus Rex Assyriorum, cùm regnasset annis quadraginta, vt scribit Eusebius in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2536. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 424.

REGNAT IN ASSYRIA ASCADES. 1 ANNO immediatè sequente circiter inchoante, regnauit in Assyria Ascades, fuitque rex Assyriorum à Nino decimussextus, vt patet ex eodem Eusebio vbi suprà. In hoc Ascada Berosus Annianus suam terminat Chaldæorum historiam, quasi post ipsum nullus alius ibidem regnauerit; cùm tamen Eusebius & alij, post prædictum Ascadem vsque ad Sardanapalum viginti alios Reges nominatim recenseant, ac sibi inuicem successisse tradant. Quos neque verus Berosus præteriisse censendus est; quippe qui etiam illos Sardanapalo longè posteriores enumerauerit, qui à Nabuchodonosor Nabolassari filio vsque ad Cyrum in regno Babyloniorum successerunt; quemadmodum tradunt Iosephus lib. 1. Contra Appionem, & B. Hieronymus super Daniel. cap. 5. Ex quibus sanè elicitur, prædictum Berosum Annianum esse falsum ac suppositititium, veroque Beroso contrarium.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2537. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 425.

QVIS GRÆCIAM DENOMINAVERIT HELLEN. 1 ANNO vitæ Moysi septuagesimo quarto, quemdam Hellen, quem feruot fuisse Deucalionis & Pytthæ filium, Græcis anteà vocatis, sui ominis agnominationē posteà dedisse, scriptum reliquit Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Contra Iulianum, non longè à principio. Quod etiam ab Eusebio notatum reperitur in Chronicis. Idem refert ex Thucydide Genebrardus libro 1. suæ Chronologię, vbi addit, id fabulosè dici; quoniã illud nomen Græci olim ab Elisa filio Iauan, vt ipse putat, acceperunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2543. TERTIÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 431.

1 ANNO vitæ Moysi octogesimo propè expleto (quod indefinitè traditur Exodi cap. 2. vers. 23. illis verbis: *Post multum verò temporis*, &c.) mortuo iam non solùm illo Pharaone, qui quærebat Moysen interficere, sed & duobus aliis ipsius successoribus, vt videre est apud Eusebium in Chronicis, ingemiscentes filij Israël sub

ſub operibus, quibus ab Ægyptiis admodum premebantur, clamauerunt ad Dominum; qui recordatus fœderis quod pepigerat cum Abrahami, Iſaac, & Iacob, exaudiuit eos, & decreuit non ampliùs differre tempus grauiſſimæ illius ſeruitutis, ſed educere eos de Ægypto per manum Moyſi & Aaron; quod & protinus fecit, quemadmodum nos in ſequenti ætate mundi explicabimus.

ISRAELITAE OBTINENT A DOMINO LIBERARI A SERVITUTE AEGYPTIACA.

2 Ceterùm, quia hîc deſinit noſtra hæc Tertia mundi ætas, cuius durationis tempus reſultat annorum quadringentorum triginta; reddenda eſt ratio diuerſitatis, noſtræ huius ſupputationis & ſummæ, ab ea quæ reperitur apud alios Scriptores, quæ itidem varia admodum & non vniformis apud omnes eſt. Id autem multiplici de cauſa pendere poteſt: nimirum, quia nonnulli, vt aliàs diximus, hanc mundi ætatem exordiuntur à natiuitate Abrahami, quam ponunt eueniſſe anno ætatis Thare patris ſui ſeptuageſimo: nos verò eamdem anno eiuſdem Thare centeſimo trigeſimo contigiſſe putamus, ob cauſas à nobis ſub anno mundi 2039. num. 1. vſque ad 11. adductas. Et prætereà hanc mundi ætatem non ab ortu Abrahæ, ſed à diuinis promiſſionibus eidem factis anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, patris verò ſui Thare vltimo, inchoandam duximus. Sic enim videtur S. Paulus ad Galatas cap. 3. verſ. 17. non modò Tertiæ mundi ætatis terminos ſtatuiſſe à promiſſionibus ad Legem, verùm etiam numerum annorum, qui interfluxerunt, expreſſiſſe. Item quia non omnes Scriptores omnino conueniunt de anno vitæ Abrahami, quo factæ ſunt ei à Domino memoratæ pollicitationes, vt ſub anno mundi 2108. num. 1. tetigimus. Denique quia controuerſa quoque eſt opinio de tempore manſionis filiorum Iſraël in Ægypto, aliis exiſtimantibus illos ibidem moratos eſſe per annos minùs quàm ducentos, aliis ducentos decem, aliis ducentos quindecim, aliis quadringentos, aliis quadringentos triginta, aliis quadringentos ſeptuaginta & ampliùs, ac demum aliis pluſquam quingentos, vt ſub anno mundi 2329. num. 10. notauimus, vbi numeris ſequentibus de hac re latiſſimè diſputatum eſt.

TABVLÆ

Computationis, & concursus annorum vitæ Patriarcharum tertiæ Mundi ætatis.

	ANNI						
	Ab orbe condito.	Vitæ Sem secundùLatinos, & Iapheth secundū Hebr.	Vitæ Iapheth secūdūLatinos, & Sem secūdùm Hebr.	A Diluuio	Vitæ Sale.	Vitæ Heber.	Vitæ Thare.
Abraham, acceptis à Deo repromissionibus, egreditur de Vr Chaldæorum, & venit in Haran inchoante hoc anno; & Thare moritur in fine anni	2113	557	555	457	390	360	205
Abraham de Haran venit in Chanaan incho. an. & in fine eiusdem anoi descendit in Ægyptum.	2114	558	556	458	391	361	
Reuertitur de Ægypto in terram Chanaan incho. an. Post annos 2.	2115 2	559 2	557 2	459 2	392 2	362 2	
Sodomitæ receduot à seruitute Regis Ælamitarum an.	2117	561	559	461	394	364	
Chodorlahomor infert bellum Sodomitis anno Post annos 6.	2118 6	562 6	560 6	462 6	395 6	365 6	
Abraham ducit Agar vxorem circa initia anni	2124	568	566	468	401	371	
Agar peperit Abrahamo Ismaelem incho. anno Post annos 3.	2125 3	569 3	567 3	469 3	402 3	372 3	
Moritur Zameis Rex Assyriorum sub finem anni	2128	572	570	472	405	375	
Regnat Arius in Assyria incho. anno Post annos 9.	2129 9	573 9	571 9	473 9	406 9	376 9	
Concipitur Isaac quarto circiter mense anni	2138	582	580	482	415	385	
Sara peperit Abrahamo viro suo Isaac, anno Post annos 5.	2139 5	583 5	581 5	483 5	416 5	386 5	
Agar & Ismaël eiciuntur de domo Abrahæ anno Post annos 12.	2144 12	588 12	586 12	488 12	421 12	391 12	
Sem & Sale mortui sunt sub finem anni Post anoos 2.	2156 2	600	598	500 2	433	403 2	
Arius Assyriorum Rex moritur io fine anni	2158			502		405	
Regnat io Assyria Analius incho. circiter anno Post annos 4.	2159 4			503 4		406 4	
Isaac ducitur ad immolandum sub finem anni Post annos 12.	2163 12			507 12		410 12	
Sarai mortoa est sub finem anni Post annos 3.	2175 3			519 3		422 3	
Abraham mittit seruum suum in Mesopo tamiam an.	2178			522		425	
Isaac ducit Rebeccam vaorem anno Post annos 19.	2179 19			523 19		426 19	
Rebecca concipit gemellos mense circiter tertio, & Analius rex Assyriorum moritur in fine anni	2198			542		445	
Iacob nascitur; & Xerses regnat in Assyria anno Post annos 14.	2199 14			543 14		446 14	
Abraham mortuus est sub finem anni Post annos 4.	2213 4			557 4		460 4	

Vitæ

ANNI												
Vitæ Nachor filij Thare.	Monarchiæ Assyriorũ	Vitæ Abraham.	Vitæ Saræ.	Regni Zameis in Assyria.	A repromissionibus.	Vitæ Ismaëlis.	Regni Arij Regis Assyriorũ.	Vitæ Isaac.	Ab eiecto Ismaële.	Regni Analij in Assyria.	Vitæ Iacob	Regni Xerfis in Assyria.
135	98	75	65	23	1							
136	99	76	66	24	2							
137 2	100 2	77 2	67 2	25 2	3 2							
139	102	79	69	27	5							
140 6	103 6	80 6	70 6	28 6	6 6							
146	109	86	76	34	12							
147 3	110 3	87 3	77 3	35 3	13 3	1 3						
150	113	90	80	38	16	4						
151 9	114 9	91 9	81 9		17 9	5 9	1 9					
160	123	100	90		26	14	10					
161 5	124 5	101 5	91 5		27 5	15 5	11 5	1 5				
166 12	129 12	106 22	96 12		32 12	20 12	16 12	6 12	1 12			
178 2	141 2	118 2	1108 2		44 2	32 2	28 2	18 2	13 2			
180	143	120	110		46	34	30	20	15			
181 4	144 4	121 4	111 4		47 4	35 4		21 4	16 4	1 4		
185	148 12	125 12	115 12		51 12	39 12		25 12	20 12	5 12		
Ad hæc vsque tempora peruenisse Nachor certum est; quot verò annis superuixerit, scire non possumus.	160 3	137 3	127		63 3	51 3		37 3	32 3	17 2		
	163	140			66	54		40	35	20		
	164 19	141 19			67 19	55 19		41 19	36 9	21 19		
	183	160			86	64		60	55	40		
	184 14	161 14			87 14	65 14		61 14	56 14		1 14	1 14
	198 4	175			101 4	79 4		75 4	70 4		15 4	15 4

	ANNI						
	Ab orbe condito.	A diluuio	Vitæ Heber.	Monarchiæ Assyriorū.	A repromissionibus.	Vitæ Ismaelis.	Vitæ Isaac.
Heber ex hac vita decessit sub finem anni	2217	564	464	202	105	93	79
Post annos 6.	6	6		6	6	6	6
Esau ereditur vendidisse fratri primogenita anno	2223	567		208	111	99	85
Post annos 5.	5	5		5	5	5	5
Xerses Rex Assyriorum obiit sub finem anni	2228	572		213	116	104	90
Regnat Armamertes in Assyria anno	2229	573		214	117	105	91
Post annos 9.	9	9		9	9	9	9
Esau quadragenarius ducit vxores alienigenas anno	2238	582		223	126	114	100
Post annos 11.	11	11		11	11	11	11
Regnat Phoronæus apud Argiuos anno	2249	593		234	137	125	111
Post annos 9.	9	9		9	9	9	9
Diluuium Ogygis in Græcia anno	2258	602		243	146	134	120
Post annos 3.	3	3		3	3	5	3
Ismael moritur in fine anni	2261	605		246	149	137	123
Post annos 5.	5	5		5	5		5
Moritur Armamertes Rex Assyriorum in fine anni	2266	610		251	154		138
Regnat Belochus Priscus in Assyria incho. anno	2267	611		252	155		159
Post annos 9.	9	9		9	9		9
Iacob surripit paternam benedictionem fratri anno	2276	620		261	164		148
Post annos 7.	7	7		7	7		7
Ducit vxores incho. an. & mense circiter 9. vel 10. nascitur ei Ruben.	2283	627		168	171		155
Simeon de Lia nascitur mense 7. vel 8. huius anni	2284	628		269	172		156
Leui de Lia natus mense circiter 6. huius anni	2285	629		270	173		157
Iudas de Lia mense 3. & Dan de Bala mense 5. nati an.	2286	630		271	174		158
Nephthali de Bala mense 3. & Gad de Zelpha mense 5. nati anno	2287	631		272	175		159
Aser de Zelpha mense 3. & Isachar ex Lia mense 4. oati anno	2288	632		273	176		160
Zabulon mense 1. & Dina mense 11. ex Lia, & Ioseph ex Rachele in fine anni nati. vnde an. proximus	2289	633		274	177		161
Concurrit pænè totus cum 1. Iosephi & Dinæ.	2290	654		275	178		262
Post annos 5.	5	5		5	5		5
Iacob redire ad suos deliberat sub finem anni	2295	639		280	183		167
Clàm cum tota familia reuértitur de Mesopotamia incho. anno	2296	640		281	184		168
Post annos 2.	2	2		2	2		2
Iudas incho. an. ducit vxorem quæ mense 10. peperit ei Her.	2298	642		283	186		170
Iudas genuit mense 8. Onan anno	2299	643		284	187		171
Iudas genuit mense circiter 6. Sela anno	2300	644		285	188		172
Belochus Rex Assyriorum moritur in fine anni	2301	645		286	189		175
Regnat Baleus in Assyria incho. anno	2302	646		287	190		174
Iacob de Socoth venit in Salem sub finem anni	2303	647		288	191		175
Dinæ violatio contigit circa initia anni	2304	648		289	192		176
Beniamin de Iacob, & Caath de Leui incho. an. nati	2305	649		290	193		177
Ioseph venumdatus fuit Ismaelitis anno	2306	650		291	194		178
Post annos 5.	5	5		5	5		5

Ab

ANNI

Abiecto Ismaele.	Vitæ Iacob	Regni Xerxis Regis Assyriorum.	Regni Armamertis Regis Assyriorũ.	Regni Belochi Regis Assyriorum.	Vitæ Rubẽ	Vitæ Simeonis & Leui	Vitæ Iudæ & Dã	Vitæ Nephthali & Gad.	Vitæ Aser & Issachar.	Vitæ Zabulon.	Vitæ Iosephi & Dinę.	Vitæ Her.	Vitæ Onã.	Vitæ Sela.	Regni Balęi Assyriorũ Regis.	Vitæ Beniamin.	Vitæ Caath
74 6	19 6	19 6															
80 5	25 5	25 5															
85	30	30															
86 9	31 9		1 9														
95 11	40 11		10 11														
106 9	51 9		21 9														
115 3	60 3		30 3														
118 5	63 5		33 5														
123	68		38														
124 9	69 9			1 9													
133 7	78 7			10 7													
140	85			17													
141	86			18	1												
142	87			19	2	1											
143	88			20	3	2	1										
144	89			21	4	3	2	1									
145	90			22	5	4	3	2	1								
146	91			23	6	5	4	3	2	1							
147 5	92 5			24 5	7 5	6 5	5 5	4 5	3 5	2 5	1 5						
152	97			29	12	11	10	9	8	7	6						
153 2	98 2			30 2	13 2	12 2	11 2	10 2	9 2	8 2	7 2						
155	100			32	15	14	13	12	11	10	9						
156	101			33	16	15	14	13	12	11	10	1					
157	102			34	17	16	15	14	13	12	11	2	1	1			
158	103			35	18	17	16	15	14	13	12	3	2	2			
159	104				19	18	17	16	15	14	13	4	3	3	1		
160	105				20	19	18	17	16	15	14	5	4	4	2		
161	106				21	20	19	18	17	16	15	6	5	5	3		
162	107				22	21	20	19	18	17	16	7	6	6	4	1	1
163 5	108 5				23 5	22 5	21 5	20 5	19 5	18 5	17 5	8 5	7 5	7 5	5 5	2 5	2 5

ANNI

Vitæ Nephthali & Gad.	Vitæ Aser & Issachar.	Vitæ Zabulon.	Vitæ Ioseph & Dinę.	Vitæ Her.	Vitæ Onā.	Vitæ Sela.	Regni Balei in Assyria.	Vitæ Beniamin.	Vitæ Caath.	Vitæ Phares & Zaram.	Vitæ Hesron.	A decessu Iacob in Ægyptum	Vitæ Iob.	Regni Altadæ in Assyria.	Vitæ Arā siue Ram.	Regni Mamithi in Assyria.	Vitæ Amram.	Regni Mancalei in Assyria.	Regni Amenophis in Ægypto
25	24	23	22	13	12	12	10	7	7										
26	25	24	23	14	13	13	11	8	8										
27	26	25	24			14	12	9	9										
28	27	26	25			15	13	10	10										
29	28	27	26			quot verò annis superuixerit Sela, scire non possumus.	14	21	11	2									
30	29	28	27				15	12	12	2									
31	30	29	28				16	13	13	3									
32	31	30	29				17	14	14	4									
33	31	31	30				18	15	15	5									
34 7	33 7	32 7	31 7				19 7	16 7	26 7	6 7									
41	40	39	38				26	23	23	13									
42	41	40	39				27	24	24	14	1								
43	42	41	40				28	25	25	Quādiu verò superuixerint, ignoramus.	2	2	1						
44	43	42	41				29	26	26		3	2	2						
45	44	43	42				30	27	27		4	3	3						
46	45	44	43				31	18	28		5	4	4						
47 12	46 12	45 12	44 12				32 11	29 12	29 12		6 12	5 12	5 12						
59 8	58 8	57 8	56 8				44 8	41 8	41 8		18 8	17 8	17 8						
67	66	65	64				52	49	49		26	25	25						
68 14	67 14	66 14	65 14					50 14	50 14		27 14	26 14	26 14	2 14					
82 16	81 16	80 16	79 16					64 16	64 16		41 16	40 16	40 16	15 16					
98	97	96	95					80	80		57	56	56	31	1				
99	98	97	96					81	81		58	57	57	32	2				
100	99	98	97					82	82		59	58	58		3	1	1		
101 12	100 12	99 12	98 12					83 12	83 12		60 12	59 12	59 12		4 12	2 12	2 12		
113	112	111	110					95	95 7		72 7	71 7	71 7		16 7	14 7	14 7		
ad obitum Iosephi ceteros eius fratres fuisse soperex sacris Scripturis colligi potest : quot verò annis hi superuixerint, nequaquam ; vno dumtaxat Leui pto, quem constat annum vitæ centesimum trigesiseptimum expleuisse.									102 6		79 6	78 6	78 6		23 6	21 6	21 6		
									108 3		85	84 3	84 3		29 3	27 3	27 3		
									111	Hucusque reperimus vixisse Hesron, quot verò annis amplius vixerit, nescimus.		87	87		32	30	30		
									112 5			88 5	88 5		33 5		31 5	1 5	
									217 16			93 16	93 16		38 16		36 16	6 16	
									133			109	109		54		52	22	
												110 7	210 7		55 7		53 7	23 7	1 7

	ANNI									
	Ab orbe condito.	A Diluuio.	Monarchiæ Assyriorum.	A repromissionibus.	Vitæ Isaac	Ab eiecto Ismaele.	Vitæ Iacob	Vitæ Rubē	Vitæ Simeonis & Leui.	Vitæ Iudę & Dan.
Ioseph præponitur cunctis seruis domini sui anno	2311	655	296	199	173	168	113	28	27	26
Iudas dat Thamat vxorē filio suo Her, quo paulò pòst mortuo, dat eam ipsi Onan, qui etiam obiit sub fi. an.	2312	656	297	200	174	169	114	29	28	27
Iubet Thamar manere viduam donec crescat Sela an.	2313	657	298	201	175	170	115	30	29	28
Iudas gignit Phares & Zaram de Thamar mens. 7. an.	2314	658	299	202	176	171	116	31	30	29
Concurrit iste annus magis cum 1. Phares & Zaram	2315	659	300	203	177	172	117	32	31	30
Ioseph insons mittitur in carcerem incho. circiter ao.	2316	660	301	204	178	173	118	33	32	31
Explicat somnia eunnchorum Pharaonis sub fin. an.	2317	661	302	205	179	174	119	34	33	32
Isaac moritur in fine anni	2318	662	303	206	180	175	120	35	34	33
Ioseph sistitur coram Pharaone sub fin. anni	2319	663	304	207		176	121	36	35	34
Incipit io Ægypto fertilitas à Iosepho prædicta an. Post annos 7.	2320 7	664 7	305 7	208 7		177 7	122 7	37 7	36 7	35 7
Fames ab eodem prænunciata, & Phares ducit vxorem mens. 3. anni	2327	671	312	215		184	129	44	43	42
Phares gignit Hesron incho. & Hamul desinente an.	2328	672	313	216		185	130	45	44	43
Iacob cū suis descēdit in Aegyptum, & Iob nascitur an.	2329	673	314	217		186	131	46	45	44
Ioseph omnē Ægypti pecuniá infert in ęrariū Regis an.	2330	674	315	218		187	132	47	46	45
Accipit cuncta iumenta & pecora pro re frumentaria	2331	675	316	219		188	133	48	47	46
Emit Ægyptios & eorum terras pro cibariis an.	2332	676	317	220		189	134	49	48	47
Dat alimenta gratis, & sementem, vt deinceps soluant Regi quotannis quotam fructuum partem, an. Post annos 12.	2333 12	677 12	318 12	221 12		190 12	135 12	50 12	49 12	48 12
Iacob moritur in fine anni Post annos 8.	2345 8	689 8	330 8	233 8		202 8	147	62 8	61 8	60 8
Baleus rex Assyriorum moritur in fine anni	2353	697	338	241		210		70	69	68
Regnat Altadas in Assyria incho. anno Post annos 14.	2354 14	698 14	339 14	242 14		211 14		71 14	70 14	69 14
Hesron gignit Caleb anno Post annos 16.	2368 16	712 16	353 16	256 16		225 16		85 16	84 16	83 16
Idem Hesron creditur genuisse Aram siue Ram an.	2384	728	369	272		241		101	100	99
Vita cessit Altadas Assyriorum Rex in fine anni	2385	729	370	273		242		102	101	100
Regnat in Assyria Mamithus: & in Ægypto nascitur Amram anno	2389	730	371	274		243		103	102	101
Hesron ducit vxorem filiam Machir anno Post annos 12.	2387 12	731 12	372 12	275 12		244 12		104 12	103 12	102 12
Iocipis Historia libri Iob incho. an. & Ioseph in Ægypto moritur sub finem anni Post annos 7.	2399 7	743 7	384 7	287 7		256 7		116	115 7	114
Iob post flagella, accipit à Domino bona cūcta duplicia. Post anoos 6.	2406 6	750 6	391 6	294 6		263 6			122 6	vsque ftites
Hesron creditur genuisse Segub anno Post annos 3.	2412 3	756 3	397 3	300 3		269 3			128 3	fingu exce- mum
Mamithus Rex Assyriorum moritur sob finem anni	2415	759	400	303		272			131	
Regnat Mancaleus in Assyria incho. anno Post anoos 5.	2416 5	760 ·5	401 5	304 5		273 5			132 5	
Leui moritur io fine anni Post aonos 16.	2421 16	765 16	406 16	309 16		278 16			137	
Caath migrat è vita sub finem anni	2437	781	422	325		294				
Regnat in Ægypto Amenophis, qui affligit Hebræos Post annos 7.	2438 7	782 7	423 7	326 7		295 7				

Vitæ

ANNI

Vitæ Nephthali & Gad.	Vitæ Aser & Issachar.	Vitæ Zabulon.	Vitæ Ioseph & Dinę.	Vitæ Her.	Vitæ Onā.	Vitæ Sela.	Regni Balei in Assyria.	Vitæ Beniamin.	Vitæ Caath.	Vitæ Phares & Zaram.	Vitæ Hesron.	A descēsu Iacob in Ægyptum	Vitæ Iob.	Regni Altadæ in Assyria.	Vitæ Arā siue Ram.	Regni Mamithi in Assyria.	Vitæ Amram.	Regni Mancalei in Assyria.	Regni Amenophis in Ægypto
25	24	23	22	13	12	12	10	7	7										
26	25	24	23	14	13	13	11	8	8										
27	26	25	24			14	12	9	9										
28	27	26	25			15	13	10	10										
29	28	27	26			quot verò annis superuixent Sela, scire non possumus.	14	11	11	1									
30	29	28	27				15	12	12	2									
31	30	29	28				16	13	13	3									
32	31	30	29				17	14	14	4									
33	32	31	30				18	15	15	5									
34 7	33 7	32 7	31 7				19 7	16 7	16 7	6 7									
41	40	39	38				26	23	23	13									
42	41	40	39				27	24	24	14	1								
43	42	41	40				28	25	25	Quādiu verò superuixerint, ignoramus.	2	1	1						
44	43	42	41				29	26	26		3	2	2						
45	44	43	42				30	27	27		4	3	3						
46	45	44	43				31	18	28		5	4	4						
47 12	46 12	45 12	44 12				32 12	29 12	29 12		6 12	5 12	5 12						
59 8	58 8	57 8	56 8				44 8	41 8	41 8		18 8	17 8	17 8						
67	66	65	64				52	49	49		26	25	25						
68 14	67 14	66 14	65 14					50 14	50 14		27 14	26 14	26 14	1 14					
82 16	81 16	80 16	79 16					64 16	64 16		41 16	40 16	40 16	15 16					
98	97	96	95					80	80		57	56	56	31	1				
99	98	97	96					81	81		58	57	57	32	2				
100	99	98	97					82	82		59	58	58		3	1	1		
101 12	100 12	99 12	98 12					83 12	83 12		60 12	59 12	59 12		4 12	2 12	2 12		
113	112	111	110					95	95 7		72 7	71 7	71 7		16 7	14 7	14 7		
ad obitum Iosephi ceteros eius fratres fuisse superex sacris Scripturis colligi potest : quot verò annis li superuixerint , nequaquam ; vno dumtaxat Leui pro, quem constat annum vitæ centesimum trigesiseptimum expleuisse.									102 6		79 6	78 6	78 6		23 6	21 6	21 6		
									108 3		85	84 3	84 3		29 3	27 3	27 3		
									111	Hucusque reperimus vixisse Hesron , quot verò annis amplius vixerit, nescimus.		87	87		32	30	30		
									112 5			88 5	88 5		33 5		31 5	1 5	
									117 16			93 16	93 16		38 16		36 16	6 16	
									133			109	109		54		52	22	
												110 7	110 7		55 7		53 7	23 7	1 7

Ab

	ANNI									
	Ab orbe condito.	A Diluuio.	Monarchiæ Assyriorum.	A repromissionibus.	Vitæ Isaac	Ab eiecto Ismaele.	Vitæ Iacob	Vitæ Rubẽ	Vitæ Simeonis & Leui.	Vitæ, Iudę & Dan.
Ioseph præponitur cunctis seruis domini sui anno	2311	655	296	199	173	168	113	28	27	26
Iudas dat Thamar vxorẽ filio suo Her, quo paulò pòst mortuo, dat eam ipsi Onan, qui etiam obiit sub fi. an.	2312	656	297	200	174	169	114	29	28	27
Iubet Thamar manere viduam donec cresçat Sela an.	2313	657	298	201	175	170	115	30	29	28
Iudas gignit Phares & Zaram de Thamar mens. 7. an.	2314	658	299	202	176	171	116	31	30	29
Concurrit iste annus magis cum 1. Phares & Zaram	2315	659	300	203	177	172	117	32	31	30
Ioseph insons mittitur in carcerem incho. circiter an.	2316	660	301	204	178	173	118	33	32	31
Explicat somnia eunuchorum Pharaonis sub fin. an.	2317	661	302	205	179	174	119	34	33	32
Isaac moritur in fine anni	2318	662	303	206	180	175	120	35	34	33
Ioseph sistitur coram Pharaone sub fin. anni	2319	663	304	207		176	121	36	35	34
Incipit in Ægypto fertilitas à Iosepho prædicta an. Post annos 7.	2320 7	664 7	305 7	208 7		177 7	122 7	37 7	36 7	35 7
Fames ab eodem præonuntiata, & Phares ducit vxorem mens. 3. anni	2327	671	312	215		184	129	44	43	41
Phares gignit Hesron incho. & Hamul desinente an.	2328	672	313	216		185	130	45	44	43
Iacob cũ suis descẽdit in Aegyptum, & Iob nascitur an.	2329	673	314	217		186	131	46	45	44
Ioseph omnẽ Ægypti pecuniã infert in ęrariũ Regis an.	2330	674	315	218		187	132	47	46	45
Accipit cuncta iumenta & pecora pro re frumentaria	2331	675	316	219		188	133	48	47	46
Emit Ægyptios & eorum terras pro cibatus an.	2332	676	317	220		189	134	49	48	47
Dat alimenta gratis, & sementem, vt deinceps soluant Regi quotannis quintam fructuum partem, an. Post annos 12.	2333 12	677 12	318 12	221 12		190 12	135 12	50 12	49 12	48 12
Iacob moritur in fine anni Post annos 8.	2345 8	689 8	330 8	233 8		202 8	147	62 8	61 8	60 8
Baleus rex Assyriorum moritur in fine anni	2353	697	338	241		210		70	69	68
Regnat Altadas in Assyria incho. anno Post annos 14.	2354 14	698 14	339 14	242 14		211 14		71 14	70 14	69 14
Hesron gignit Caleb anno Post annos 16.	2368 16	712 16	353 16	256 16		225 16		85 16	84 16	83 16
Idem Hesron creditur genuisse Aram siue Ram an.	2384	728	369	272		241		101	100	99
Vita cessit Altadas Assyriorum Rex in fine anni	2385	729	370	273		242		102	101	100
Regnat in Assyria Mamithus: & in Ægypto nascitur Amram anno	2389	730	371	274		243		103	102	101
Hesron ducit vxorem filiam Machir anno Post annos 12.	2387 12	731 12	372 12	275 12		244 12		104 12	103 12	102 12
Incipit Historia libri Iob incho. an. & Ioseph in Ægypto moritur sub finem anni Post annos 7.	2399 7	743 7	384 7	287 7		256 7		556	115 7	114
Iob post flagella, accipit à Domino bona cũcta duplicia. Post annos 6.	2406 6	750 6	391 6	294 6		263 6			122 6	vsque istres singu excemum
Hesron creditur genuisse Segub anno Post annos 3.	2412 3	756 3	397 3	300 3		269 3			128 3	
Mamithus Rex Assyriorum moritur sub finem anni	2415	759	400	303		272			131	
Regnat Mancaleus in Assyria incho. anno Post anoos 5.	2416 5	760 5	401 5	304 5		273 5			132 5	
Leui moritur in fine anni Post annos 16.	2421 16	765 16	406 16	309 16		278 16			137	
Caath migrat è vita sub finem anni	2437	781	422	325		294				
Regnat in Ægypto Amenophis, qui affligit Hebræos Post annos 7.	2438 7	782 7	423 7	326 7		295 7				

Vitæ

ANNI

Vitæ Nephthali & Gad.	Vitæ Aser & Issachar.	Vitæ Zabulon.	Vitæ Ioseph & Dinę.	Vitæ Her.	Vitæ Onā.	Vitæ Sela.	Regni Balei in Assyria.	Vitæ Beniamin.	Vitæ Caath.	Vitæ Phares & Zaram.	Vitæ Hesron.	A descēsu Iacob in Ægyptum	Vitæ Iob.	Regni Altadæ in Assyria.	Vitæ Arā siue Ram.	Regni Mamithi in Assyria.	Vitæ Amram.	Regni Mancalei in Assyria.	Regni Amenophis in Ægypto
25	24	23	22	13	12	12	10	7	7										
26	25	24	23	14	13	13	11	8	8										
27	26	25	24			14	12	9	9										
28	27	26	25			15	13	10	10										
29	28	27	26			quot verò annis superuixerit Sela, scire non possumus.	14	11	11	1									
30	29	28	27				15	12	12	2									
31	30	29	28				16	13	13	3									
32	31	30	29				17	14	14	4									
33	32	31	30				18	15	15	5									
34 7	33 7	32 7	31 7				19 7	16 7	16 7	6 7									
41	40	39	38				26	23	23	13									
42	41	40	39				27	24	24	14	1								
43	42	41	40				28	25	25	Quādiu verò superuixerint, ignoramus.	2	1	1						
44	43	42	41				29	26	26		3	2	2						
45	44	43	42				30	27	27		4	3	3						
46	45	44	43				31	28	28		5	4	4						
47 12	46 12	45 12	44 12				32 12	29 12	29 12		6 12	5 12	5 12						
59 8	58 8	57 8	56 8				44 8	41 8	41 8		18 8	17 8	17 8						
67	66	65	64				52	49	49		26	25	25						
68 14	67 14	66 14	65 14					50 14	50 14		27 14	26 14	26 14	1 14					
82 16	81 16	80 16	79 16					64 16	64 16		41 16	40 16	40 16	15 16					
98	97	96	95					80	80		57	56	56	31	1				
99	98	97	96					81	81		58	57	57	32	2				
100	99	98	97					82	82		59	58	58		3	1	1		
101 12	100 12	99 12	98 12					83 12	83 12		60 12	59 12	59 12		4 12	2 12	2 12		
113	112	111	110					95	95 7		72 7	71 7	71 7		16 7	14 7	14 7		
ad obitum Iosephi ceteros eius fratres fuisse super- ex sacris Scripturis colligi potest : quot verò anni li superuixerint, nequaquam ; vno dumtaxat Leui pro, quem constat annum vitæ centesimum trigesi-septimum expleuisse.									102 6		79 6	78 6	78 6		23 6	21 6	21 6		
									108 3		85	84 3	84 3		29 3	27 3	27 3		
									111		Hucusque reperimus vixisse Hesron, quot verò annis ampliùs vixerit, nescimus.	87	87		32	30	30		
									112 5			88 5	88 5		33 5		31 5	1 5	
									117 16			93 16	93 16		38 16		36 16	6 16	
									133			109	109		54		52	22	
												110 7	110 7		55 7		53 7	23 7	1 7

	ANNI									
	Ab orbe condito.	A Diluuio.	Monarchiæ Aſſyriorum.	Are-promiſſionibus.	Vitæ Iſaac	Ab eiecto Iſmaele.	Vitæ Iacob	Vitæ Rubē	Vitæ Simeonis & Leui.	Vitæ Iudę & Dan.
Ioſeph præponitur cunctis ſeruis domini ſui anno	2311	655	296	199	173	168	113	28	27	26
Iudas dat Thamar vxoré filio ſuo Her, quo paulò pòſt mortuo, dat eam ipſi Onan, qui etiam obiit ſub fi. an.	2312	656	297	200	174	169	114	29	28	27
Iubet Thamar manere viduam donec creſcat Sela an.	2313	657	298	201	175	170	115	30	29	28
Iudas gignit Phares & Zaram de Thamar menſ. 7. an.	2314	658	299	202	176	171	116	31	30	29
Concurrit iſte annus magis cum 1. Phares & Zaram	2315	659	300	203	177	172	117	32	31	30
Ioſeph inſons mittitur in carcerem incho. circiter ao.	2316	660	301	204	178	173	118	33	32	31
Explicat ſomnia eunuchorum Pharaonis ſub fin. an.	2317	661	302	205	179	174	119	34	33	32
Iſaac moritur in fine anni	2318	662	303	206	180	175	120	35	34	33
Ioſeph ſiſtitur coram Pharaone ſub fin. anni	2319	663	304	207		176	121	36	35	34
Incipit in Ægypto fertilitas à Ioſepho prædicta an. Poſt annos 7.	2320 7	664 7	305 7	208 7		177 7	122 7	37 7	36 7	35 7
Fames ab eodem prænuntiata, & Phares ducit vxorem menſ. 3. anni	2327	671	312	215		184	129	44	43	42
Phares gignit Heſron incho. & Hamul deſinente an.	2328	672	313	216		185	130	45	44	43
Iacob cũ ſuis deſcẽdit in Aegyptum, & Iob naſcitur an.	2329	673	314	217		186	131	46	45	44
Ioſeph omné Ægypti pecuniá infert in ęrariũ Regis an.	2330	674	315	218		187	132	47	46	45
Accipit cuncta iumenta & pecora pro re frumentaria	2331	675	316	219		188	133	48	47	46
Emit Ægyptios & eorum terras pro cibariis an.	2332	676	317	220		189	134	49	48	47
Dat alimenta gratis, & ſementem, vt deinceps ſoluant Regi quotannis quintam fructuum partem, an. Poſt annos 12.	2333 12	677 12	318 12	221 12		190 12	135 12	50 12	49 12	48 12
Iacob moritur in fine anni Poſt annos 8.	2345 8	689 8	330 8	233 8		202 8	147	62 8	61 8	60 8
Baleus Rex Aſſyriorum moritur in fine anni	2353	697	338	241		210		70	69	68
Regnat Altadas in Aſſyria incho. anno Poſt annos 14.	2354 14	698 14	339 14	242 14		211 14		71 14	70 14	69 14
Heſron gignit Caleb anno Poſt annos 16.	2368 16	712 16	353 16	256 16		225 16		85 16	84 16	83 16
Idem Heſron creditur genuiſſe Aram ſiue Ram an.	2384	728	369	272		241		101	100	99
Vita ceſſit Altadas Aſſyriorum Rex in fine anni	2385	729	370	273		242		102	101	100
Regnat in Aſſyria Mamithus: & in Ægypto naſcitur Amram anno	2389	730	371	274		243		103	102	101
Heſron ducit vxorem filiam Machir anno Poſt annos 12.	2387 12	731 12	372 12	275 12		244 12		104 12	103 12	102 12
Incipit Hiſtoria libri Iob incho. an. & Ioſeph in Ægypto moritur ſub finem anni Poſt annos 7.	2399 7	743 7	384 7	287 7		256 7		116	115 7	114
Iob poſt flagella, accipit à Domino bona cũcta duplicia. Poſt annos 6.	2406 6	750 6	391 6	294 6		263 6			122 6	vſque ſtites
Heſron creditur genuiſſe Segub anno Poſt annos 3.	2412 3	756 3	397 3	300 3		269 3			128 3	ſingu excemum
Mamithus Rex Aſſyriorum moritur ſub finem anni	2415	759	400	303		272			131	
Regnat Mancaleus in Aſſyria incho. anno Poſt annos 5.	2416 5	760 5	401 5	304 5		273 5			132 5	
Leui moritur in fine anni Poſt annos 16.	2421 16	765 16	406 16	309 16		278 16			137	
Caath migrat è vita ſub finem anni	2437	781	422	325		294				
Regnat in Ægypto Amenophis, qui affligit Hebræos Poſt annos 7.	2438 7	782 7	423 7	326 7		295 7				

Vitæ

ANNI

Vitæ Nephthali & Gad.	Vitæ Aser & Issachar.	Vitæ Zabulon.	Vitæ Ioseph & Dinę.	Vitæ Her.	Vitæ Onā.	Vitæ Sela.	Regni Balei in Assyria.	Vitæ Beniamin.	Vitæ Caath.	Vitæ Phares & Zaram.	Vitæ Hesron.	A descēsu Iacob in Ægyptum	Vitæ Iob.	Regni Altadæ in Assyria.	Vitæ Arā siue Ram.	Regni Mamithi in Assyria.	Vitæ Amram.	Regni Mancalei in Assyria.	Regni Amenophis in Ægypto
25	24	23	22	13	12	12	10	7	7										
26	25	24	23	14	13	13	11	8	8										
27	26	25	24			14	12	9	9										
28	27	26	25			15	13	10	10										
29	28	27	26			quot verò annis superuixerint Sela, scire non possumus.	14	11	11	1									
30	29	28	27				15	12	12	2									
31	30	29	28				16	13	13	3									
32	31	30	29				17	14	14	4									
33	32	31	30				18	15	15	5									
34 7	33 7	32 7	31 7				19 7	16 7	16 7	6 7									
41	40	39	38				26	23	23	13									
42	41	40	39				27	24	24	14	1								
43	42	41	40				28	25	25	Quádiu verò superuixerint, ignoramus.	2	1	1						
44	43	42	41				29	26	26		3	2	2						
45	44	43	42				30	27	27		4	3	3						
46	45	44	43				31	28	28		5	4	4						
47 12	46 12	45 12	44 12				32 12	29 12	29 12		6 12	5 12	5 12						
59 8	58 8	57 8	56 8				44 8	41 8	41 8		18 8	17 8	17 8						
67	66	65	64				52	49	49		26	25	25						
68 14	67 14	66 14	65 14					50 14	50 14		27 14	26 14	26 14	1 14					
82 16	81 16	80 16	79 16					64 16	64 16		41 16	40 16	40 16	15 16					
98	97	96	95					80	80		57	56	56	31	1				
99	98	97	96					81	81		58	57	57	32	2				
100	99	98	97					82	82		59	58	58		3	1	1		
101 12	100 12	99 12	98 12					83 12	83 12		60 12	59 12	59 12		4 12	2 12	2 12		
113	112	111	110					95	95 7		72 7	71 7	71 7		16 7	14 7	14 7		
ad obitum Iosephi ceteros eius fratres fuisse superstites ex sacris Scripturis colligi potest: quot verò annis illi superuixerint, nequaquam; vno dumtaxat Leui excepto, quem constat annum vitæ centesimum trigesimumseptimum expleuisse.									102 6		79 6	78 6	78 6		23 6	21 6	21 6		
									108 3		85	84 3	84 3		29 3	27 3	27 3		
									111	Hucusque reperimus vixisse Hesron, quot verò annis ampliùs vixerit, nescimus.		87	87		32	30	30		
									112 5			88 5	88 5		33 5		31 5	1 5	
									117 16			93 16	93 16		38 16		36 16	6 16	
									133			109	109		54		52	22	
												110 7	110 7		55 7		53 7	23 7	1 7

Ab

ANNI	Ab Orbe condito.	A Diluuio	Monarchiæ Assyriorum.	A repromissionibus.	Abiectio Ismaële.	Ab introitu Iacob in Ægyptũ	Vitæ Iob.	Vitæ Amram.
Mancalæus Assyriorum Rex moritur sub finem anni	2445	789	430	333	302	117	117	60
Regnat in Assyria Iphereus inchoante anno Post annos 5.	2446 5	790 5	431 5	334 5	303 5	118 5	118 5	61 5
Aram creditur genuisse Aminadab inchoante anno Post annos 4.	2451 4	795 4	436 4	339 4	308 4	123 4	123 4	66 4
Amenophis præcipit obstetricibus, vt interficiant Hebræos mares, anno Post annos 2.	2455 2	799 2	440 2	343 2	312 2	127 2	127 2	70 2
Nata est Maria soror Moysi anno Post annos 4.	2457 4	801 4	442 4	345 4	314 4	129 4	129 4	72 4
Natus est Aaron inchoante anno Post annos 2.	2461 2	805 2	446 2	349 2	318 2	133 2	133 2	76 2
Amenophis iubet Hebræos mergere paruulos mares in flumen, anno	2463	807	448	351	320	135	135	78
Nascitur Moyses de Amram & Iochabed coniugibus anno	2464	808	449	352	321	136	136	79
Moritur Iphereus Rex Assyriorum in fine anni	2465	809	453	353	322	137	137	80
Regnat Mamylas in Assyria inchoante anno	2466	810	451	354	323	138	138	81
Moyses ablactatus traditur filiæ Pharaonis anno	2467	811	452	355	324	139	139	82
Decessit Amenophis Rex Ægyptiorum desinente anno Post annos 2.	2468 2	812 2	453 2	356 2	325 2	140 2	140 2	83 2
Creduntur nati in Græcia Prometheus, Atlas, & Argus an. Post annos 14.	2470 14	814 14	455 14	358 14	327 14	142 14	142 14	85 14
Iosue nascitur ex patre Nun inchoante anno Post annos 9.	2484 9	828 9	469 9	372 9	341 9	156 9	156 9	99 9
Ferunt Moysen bellasse contra Æthiopes anno Post annos 2.	2493 2	837 2	478 2	381 2	350 2	165 2	165 2	108 2
Defunctus est Mamylas Rex Assyriorum in fine anni	2495	839	480	383	352	167	167	110
Regnat in Assyria Sparetus inchoante anno Post annos 2.	2496 2	840 2	481 2	384 2	353 2	168 2	168 2	111 2
Regnat in Græcia Cecrops I. Atheniensium Rex anno Post annos 5.	2498 5	842 5	483 5	386 5	355 5	170 5	170 5	113 5
Moyses de curia Pharaonis redit ad fratres suos Hebræos in fine anni Post annos 3.	2503 3	847 3	488 3	391 3	360 3	175 3	175 3	118 3
Nascitur Caleb filius Iephone inchoante anno Post annos 8.	2506 8	850 8	491 8	394 8	363 8	178 8	178 8	121 8
Aminadab creditur genuisse Naasson inchoante anno Post annos 8.	2514 8	858 8	499 8	402 8	371 8	186 8	186 8	129 8
Amram pater Moysi moritur in fine anni Post annos 8.	2522 8	866 8	507 8	410 8	379 8	194 8	194 8	137
Factum est diluuium Deucalionis in Græcia anno Post annos 5.	2530 5	874 5	515 5	418 5	387 5	201 5	201 5	
Sparetus Rex Assyriorum mortuus est in fine anni	2535	879	520	423	392	207	207	
Regnat in Assyria Ascades inchoante anno	2536	880	521	424	393	208	208	
Græcia ab Hellen Deucalionis filio Helles denominatur Post annos 6.	2537 6	881 6	522 6	425 6	394 6	209 6	209 6	
Israëlitæ clamant ad Dominum, qui parat educere eos de Ægypto per manum Moysi, anno	2543	887	528	431	400	215	215	

Vitæ

ANNI

Vitæ Arã.	Regni Mancalæi in Assyria.	Regni Amenophis in Ægypto.	Regni Iphorei in Assyria.	Vitæ Aminadab	Vitæ Mariesoris Moysi.	Vitæ Aaron.	Vitæ Moysi.	Regni Mamylæ in Assyria.	Vitæ Iosue	Regni Spareti in Assyria.	Regni Cecropis I. Atheniensium Regis	Vitæ Caleb	Vitæ Naasson.	Regni Ascadæ in Assyria.
62	30	8												
63 5		9 5	1 5											
68		14 4	6 4	1 4										
Quot verò annis Aram superuixerit nescimus.		18 2	10 2	5 2										
		20 4	12 4	7 4	1 4									
		24 2	16 2	11. 2	5 2	1 2								
		26	18	13	7	3								
		27	19	14	8	4	1							
		28	20	15	9	5	2							
		29		16	10	6	3	1						
		30		17	11	7	4	2						
		31		18 2	12 2	8 2	5 2	3 2						
				20 14	14 14	10 14	7 14	5 14						
				34 9	28 9	24 9	21 9	19 9	2 9					
				43 2	37 2	33 2	30 2	28 2	20 2					
				45	39	35	32	30	12					
				46 2	40 2	36 2	33 2		23 2	2 2				
				48 5	42 5	38 5	35 5		15 5	3 5	1 5			
				53 3	47 3	43 3	40 3		20 3	8 3	6 3			
				56 8	50 8	46 8	43 8		23 8	11 8	9 8	1 8		
				64	58 8	54 8	51 8		31. 8	19 8	17 8	9 8	1 8	
				Quamdiu verò superuixerit Aminadab, scire nō possumus.	66 8	62 8	59 8		39 8	27 8	25 8	17 8	9 8	
					74 5	70 5	67 5		47 5	35 5	33 5	25 5	17 5	
					79	75	72		52	40	38	30	22	
					80	76	73		53		39	31	23	1
					81 6	77 6	74 6		54 6		40 6	32 6	24 6	2 6
					87	83	80		60		94	38	30	8

ANNALES SACRI

QVARTAE MVNDI AETATIS

AVCTORE

AVGVSTINO TORNIELLO NOVARIENSI

Congregationis S. PAVLI Clerico Regulari.

RELIQVVM est, vt ad primi huius Tomi absolutionem, quemadmodum ab initio indicauimus, Deo votis annuente, tradamus Annales sacros Quartæ mundi ætatis, quam ab exitu Israëlitarum de Ægypto auspicari, & ad tempus quo Salomon prima Templi fundamenta iacere exorsus est, deducere oportebit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2544. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 1.



1 ANNO vitæ Moysi octogesimo expleto, vt infrà num. 4. ostendemus, hoc est octogesimo primo circiter inchoante, & pariter, vt arbitror, mense Adar incipiente; volens Dominus, quemadmodum dictum est, educere populum suum de Ægypto per manum ipsius Moysi, qui tum pascebat oues soceri sui in terra Madianitarum, apparuit ei in flamma ignis de medio rubi, vt latè describitur Exod. cap. 3. Cùm enim quadam die minasset gregem Moyses ad interiora deserti, in ea parte montis Sinai, quæ etiam dicebatur Horeb; contigit ipsum procul videre quemdam rubum vndique inflammatum atque accensum, qui tamen omnino permanebat illæsus. Mirabilis certè erat hæc visio, sed nihilominùs etiam, ad designanda ea quæ breuî in populo Israëlitico complenda erant, admodum accommodata: quàndoquidem, prout eam exponit ad litteram Philo Iudæorum disertissimus lib. 1. de Vita Moysi, proculdubiò signàbat portendebatque, Hebræos, qui tunc ab Ægyptiis valdè fatigabantur, nequaquam in tantis laboribus ac calamitatibus perituros, sed ex illo tribulationûm incendio breuî mira Dei operatione illæsos atque incolumes euasuros. Etenim rubus, frutex admodum debilis cùm sit, ac se ipsum sustinere non valens, & insuper etiam adeò senticosus, vt pænè solo contactu vulnera possit infligere, præmonstrabat Hebræorum debilitatem, diuina virtute adeò validam breuî futuram, vt multis plagis veluti spinis Aegyptios esset vulneratura. Sed non hæc statim Moyses intellexisse videtur: nam rei nouitate obstupefactus, cùm vellet curiosiùs accedere, & scrutari quidnam hoc esset; illicò audiuit Deum, vel potiùs Angelum Dei vice de medio rubi dicentem sibi, ne appropiaret, quin potiùs calçeamenta exueret, ob

MIRABILIS RVBI VISIO MOYSI DEMONSTRATA.

EIVSDEM VISIONIS SIGNIFICATIO.

LOQVITVR MOYSI DE RVBO DOMINVS.

reuerentiam loci,qui sanctus admodum erat; & continuò subiungentem,se Deum esse Abraham, Isaac, & Iacob : quibus auditis, Moyses præ sancto Dei timore non solùm statim nudauit pedes, sed etiam compressa videndi curiositate, operuit faciem suam, cum magna animi corporisque submissione expectans quid sibi Dominus imperaret. Ille verò aperuit ei consilium suum de filiis Israel ab Aegypto educendis, & de ipsomet hac de causa ad Pharaonem delegando: qui de se humiliter sentiens,ac tanto operi se imparem iudicans, nitebatur huiuscemodi prouinciam declinare. Videns autem, Deum ita de se disposuisse, rogabat eum indicare sibi nomen suum, vt Pharaoni ac filiis Israël sciscitantibus renuntiare posset, à quonam missus esset ad eos. Cui Deus: EGO SVM, inquit, QVI SVM; *sic dices filiis Israël*: QVI EST, *misit me ad vos*. Et iterùm: *Hæc dices filiis Israël: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos.*

EXPONITVR LOCVS GENESEOS. 2. Ex quo responso manifestum est, Deum bina indicasse Moysi nomina, alterum quo viris doctis ac sapientibus, alterum quo & vulgaribus & imperitis satisfacere posset. Quid est autem, QVI EST? nisi (per excellentiam acceptum) Qui super omnes est, & qui verè & absolute atque independenter ex semetipso est, & ita est, vt non possit non esse; & idem incommutabiliter fuit semper, eritque in æternum. hoc namque soli Deo conuenit; quoniam omnes creaturæ pendent in esse à Deo, & nulla ipsarum semper fuit, aut omnino immutabilis est: cunctæ enim res creatæ possunt non esse; quin etiam quando sunt, plus habent de non esse, quàm de esse; quandoquidem singulæ suum tantum particulare habent esse; vt verbi gratia, homo habet solùm esse hominis, & habet non esse cæterarum omnium rerum. At verò Deus, cùm sit fons & origo totius esse, longè excellentiori modo, quàm in ipsismet rebus, habet in se esse cunctarum rerum: quemadmodum, exempli causa, calor longe perfectiori modo reperitur in igne, qui est veluti fons caloris, quàm in qualibet alia re calida per virtutem ignis: in hoc namque sensu verissimum est illud Philosophorum axioma: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Sed hæc non omnes Israëlitæ, imò pauci eorum capere potuissent; propterea, vt dixi, continuò Dominus aliud proximè memoratum nomen subiunxit, quod æquè ab omnibus capi poterat; mandauitque Moysi vt iret ad seniores Israël, ac deinde cum ipsis ad Pharaonem; & non modò indicauit ei verba quæ diceret Regi, sed etiam præmonuit, quòd non nisi post mirabiles plagas Ægyptiis ab ipso Domino infligendas, Pharao dimissurus erat populum. Verumtamen Moyses, qui ægrè admodum hanc prouinciam suscipiebat, primò cœpit dubitare, ne Israëlitæ sibi non crederent; deinde excusare se, quòd non esset eloquens, hoc est, nesciret loqui appositè ad persuadendum, neque quibus orationis modis animi potissimùm mouerentur; denique rogare Dominum, vt potiùs ad hæc peragenda mitteret Messiam, qui perfectiùs omnes Dei volũtates perficere poterat. His omnibus occurrens Dominus, primò dedit Moysi virgam & potestatem patrandi cum ea tes mirabiles, quas videntes filij Israël, eidem credere non recusarent; deinde promisit facturum eum valdè facundum; postremò ad petitionem Messiæ, tamquam non malam, sed intempestiuam, nihil respondit, sed pusillanimitati eius ac tergiuersationibus ex parte iratus, & ex parte cedens, assignat ei Aaronem fratrem suum, tamquam muneris sibi muneris socium vel adiutorem, quo veluti interprete aut oratore, vel etiam Propheta suo (vt dicitur Exodi

MOYSES A DOMINO MITTITVR IN AEGYPTVM. cap.7.vers.1.) vtatur, pollicitus se suggesturum eis quid agere deberent; atque hoc pacto dimisit Moysen; qui venit primò ad socerum suum, deinde iterùm, iubente Domino, & socero annuente, profectus est vt iret in Aegyptum cum Sephora vxore & duobus filiis suis, portans virgam Dei in manu sua.

CVR ANGELVS VOLVERIT EVM INTERFICERE. 3. Accidit autem in itinere, cùm essent in diuersorio, vt occurreret Moysi Angelus Domini, velletque interficere eum. at Sephora videns viri sui periculum, & suspicata (quod erat) id fieri, quia vnus ex filiis suis adhuc erat incircumcisus, illicò arrepta acutissima petra, circumcidit eum. Vbi aduerte, quòd S. Augustinus quæst. 11. in Exodum, & lib. 4. de Baptismo cap. 24. tametsi putet prædictam occisionem ab Angelo intentatam, posse referri tum ad Moysen, tum ad filium eius, attamen videtur magis in hanc propendere expositionem, quòd Angelus voluerit occidere filium Moysi, non ipsum Moysen. & idẽ sensit Tertullianus in lib. Contra Iudæos, dicens, quòd filius Moysi ab Angelo fuisset præfocatus, nisi Sephora mater eius calculo præputium infantis circumcidisset. At verò B. Hieronymus super capite 5. ad Galatas, & alij multi, nihil dubitant quin voluerit Angelus occidere Moysen, non filium eius. Et reuera, si quis accurate perpendat textum Exodi cap.4. vers. 24. quemadmodum facit Cardinalis

Bellar-

Bellarminus in lib. 2. de Sacramentis cap. 17. clarè perſpiciet, hoc loco B. Hieronymi potiùs quàm B. Auguſtini ſententiam eſſe ſequendam, præſertim cùm in puero nulla appareat cauſa, cur occidi deberet: nam ſi quòd adhuc eſſet incircumciſus; illa magis erat culpa parentum, quàm ſua. Itaque ſi vera eſt (vt credimus) B. Hieronymi expoſitio, oportet neceſſariò ſupponere, Moyſen priùs aliquo modo deliquiſſe; alioqui cur inſontem Dominus voluiſſet interficere? Quid igitur? certè mihi admodum probabile videtur, Moyſen itutum ad fratres ſuos, operæpretium duxiſſe, priùs more gentis ſuæ circumcidere filios ſuos; & alterum quidem circumcidiſſe, alterum verò, importunæ vxoris precibus ac querimoniis cedendo, incircumciſum reliquiſſe, ac propterea meruiſſe ab Angelo occidi, niſi Sephora properaſſet circumcidere puerum, vt virum à morte liberaret: tunc enim Angelus dimiſit Moyſen illæſum, & receſſit ab eo. Moyſes autem poſt hæc videns, quòd nec eo caſu valuit ſe mulier à querimonia continere, (audiuit enim eam tunc dicentem ſibi: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*:) ne deinceps aduerſantem in via Dei haberet, & vt hiſce domeſticis ſolutus impedimentis, liberiùs poſſet Domini iuſſiones implere; mutato in melius conſilio, vxorem liberoſque ad domum ſoceri ſui remiſit, quemadmodum neceſſariò infert S. Auguſtinus in Serm. 86. de Tempore, & quæſt. 12. in Exodum, ex collatione huius loci, nimirum Exodi cap. 4. verſ. 24. & ſequentibus, cum his quæ poſteà dicuntur in eodem Exod. cap. 18. verſ. 1. & ſequentibus, de cognato ipſius Moyſi, qui vt audiuit ipſum Moyſen cum ſuo populo deueniſſe ad montem Sinai, reduxit ad eum vxorem ſuam cum filiis. ergo neceſſe eſt, quòd Moyſes in Aegyptum pergens, remiſerit eos in terram Madian, ipſe verò ſine ipſis profectus ſit iter ſuum. Vt autem peruenit ad montem Dei, obuium habuit Aaron fratrem ſuum, ſicut prædixerat ei Dominus; & poſt mutuos amplexus & oſcula, narrauit Moyſes fratri omnia verba Domini. & cum perueniſſent ſimul in Aegyptum, congregatis cunctis ſenioribus filiorum Iſraël, manifeſtauit eis Aaron quæ locutus fuerat Dominus Moyſi; perpetrauitque ſignis, credidit eis populus. Deinde adeuntes Moyſes & Aaron Pharaonem, qui proprio nomine dicebatur Chencres, vt teſtatur Euſebius in Chronicis: nam Pharao apud Ægyptios olim per multa tempora fuit nomen Regiæ dignitatis, ſicuti apud Romanos Cæſar Imperatoriæ maieſtatis; vt ex Manethone Ægyptiorum Scriptore refert idem Euſebius vbi ſuprà, & Ioſephus 8. Antiq. cap. 2. verſus finem. Ab hoc igitur Pharaone petierunt, mandante Domino, vt dimitteret populum, quo renuente, magiſque ac magis eumdem laboribus aggrauante, ideoque exorta eiuſdem populi murmuratione aduerſus Moyſen & Aaron, confugit Moyſes ad orandum Dominum, qui iteratis promiſſionibus confirmatum denuò mittit ad filios Iſraël, vt proteſtaretur eis, ſe proculdubiò liberaturum eos in iudiciis magnis, & in brachio excelſo: veruntamen illis præ anguſtiis ſpiritus non acquieſcentibus, ingreditur iubente Domino Moyſes cum Aarone ſecundò ad Pharaonem, & patratis coram eo ſignis, quòd ſimilia quoque permittente Deo feciſſent magi à Rege vocati, nihil obtinuit. Quæ omnia fuſiùs deſcripta inuenies Exod. cap. 5. vſque ad verſ. 14. capitis 7. Fuerunt verò prædicti magi illi, quos Apoſtolus nominat Iannes & Mambres, ac Moyſi reſtitiſſe teſtatur 2. ad Tim. cap. 3. verſ. 8.

OBVIVM HABVIT AARONEM.

IPSE ET AARON ADEVNT PHARAONEM.

4. Credimus autem cuncta hæc, vt num. 1. annotauimus, contigiſſe inchoante anno vitæ ipſius Moyſi octogeſimo primo. Quod ſatis euidenter colligi poteſt Actorum cap. 7. vbi verſ. 23. habemus, quòd implebatur Moyſi quadraginta annorum tempus, quando decreuit, relicta aula Pharaonis, redire ad fratres ſuos Hebræos, ac viſitare illos; & verſ. 29. ſubditur, quòd fugit in terram Madian, vbi expletis aliis quadraginta annis, vidit prædictam rubi viſionem. Ex quibus locis fit planum, quòd textus Exodi cap. 7. verſ. 7. vbi legimus Moyſen fuiſſe octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti ſunt ad Pharaonem; proculdubiò debet intelligi de annis non tantummodò inchoatis, ſed paucis diebus anteà completis; ac ſi dictum eſſet, quòd iam paulò antè expleuerant Moyſes octogeſimum vitæ annum, & Aaron octogeſimum tertium: alioqui oporteret, ſi ambo (vt credimus) obierunt ſub finem anni quadrageſimi ab exitu de Aegypto, annos totius vitæ Moyſi non fuiſſe centum viginti, ſed centum decem & nouem; & annus Aaronis non centum viginti tres, ſed tantummodò centum viginti duos: aut concedere, eos non anno quadrageſimo ab exitu, ſed quadrageſimo primo deſinente eſſe defunctos. quæ omnia ſacræ Scripturæ aduerſari, ex infrà dicendis manifeſtum fiet. Puto etiam prædicta eſſe acta intra primam medietatem menſis Adar; ſiquidem proximè inſecurus eſt menſis Niſan, in cuius medio exiuit populus de Ægypto, vt ſuo loco dicetur. ſubſequi autem apud Hebræos menſem Niſan

QVANDO HAEC ACTA SINT IN AEGYPTO.

Nisan mensi Adar, infrà num. 12. patebit. Ex dictis quoque sequitur, hallucinari Auctorem Chronologiæ maioris Hæbræorum cap. 3. & Genebrardum in sua Chronologia, & super Psal. 104. putantes, plagas Ægyptiis à Deo inflictas, de quibus paulò pòst dicemus, successiuè vnam post alteram anno vno integro perdurasse. Etenim hoc posito, necesse esset dicere, Moysen non nisi inchoante ætatis suæ anno octogesimo secundo exisse de Aegypto, & Aaron incipiente anno vitæ suæ octogesimo quinto; & si vterque posteà vixit in deserto annis quadraginta; sequeretur, Moysen inchoasse annum vitæ centesimum vigesimum secundum, & Aaron annum centesimum vigesimum quintum, quando mortui sunt: quæ certum est Scripturæ sacræ euidenter repugnare. Quare cogimur fateri, prædictas plagas ita alteram alteri successisse, vt omnes vix integro mense perdurauerint: quod etiam Pererio super Exod. cap. 7. num. 69. placet, licet allatam à nobis rationem non tangat.

QVANDO COEPIT DOMINVS PLAGIS AFFICERE AEGYPTVM.

☞ 5. Itaque circa medietatem prædicti mensis Adar, cùm vidisset Dominus Pharaonem tantum abesse ab intentione dimittendi populum in terram Chanaan, vt nec ei concedere voluerit licentiam pergendi viam trium dierum in deserto, ad sacrificandum Deo; (id enim tantummodò voluit Dominus primò requiri à Pharaone, vt ex tam iustæ petitionis negatione, magis proderetur impij Regis malitia.) videns, inquam, Dominus tantam Pharaonis inclementiam erga populum suum, quem insuper etiam magis grauare non dubitabat; vt duritiem cordis eius frangeret, cœpit immittere plagas in terram Aegypti per ministerium Angelorum, iuxta illud Psal. 77. vers. 49. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos. Malos* dixit, siue dæmones indicare volens, qui verè sunt Angeli in se mali, & proprij diuinarum vltionum ministri. siue potiùs Angelos bonos vocauit malos, non in se, sed ab effectu, eò quòd iubente Deo Aegyptiis mala pœnæ ad nutum Moysi & Aaron infligerent. Fuerunt autem istæ plagæ decem, vt in Sacro textu dinumerari potest. Prima fuit aquæ in sanguinem conuersæ; Secunda, ranarum; Tertia, sciniphum; Quarta, muscarum; Quinta, mortis pecorum; Sexta, vesicarum & vlcerum; Septima, grandinis; Octaua, locustarum; Nona, tenebrarum; Decima, mortis primogenitorum: diuina sic exigente iustitia, vt perfecto plagarum numero completa Aegyptiorum malitia puniretur. Quare, tametsi aliquæ aliæ à prædictis diuersæ, in Psalmo 77. & 104. recenseri videantur, illas tamen ad has reduci posse ac debere credimus, vt suis locis ostendemus. Et quidem ista flagella, licet valdè affligerent Aegyptios, tamquam iniquitatis participes, (oderant enim Aegyptij filios Israël, vt dicitur Exod. cap. 1. vers. 13. & ideò contra fas eos malè tractabant;) attamen, iusto Dei iudicio, multò magis affligebant animum Regis, qui erat primarius auctor iniquæ oppressionis Hebræorum: videbat enim omnes subditorum calamitates, & consequenter eorumdem querelas ac maledictiones in ipsum redundare. Ne autem existimare posset Pharao, hasce plagas non propter eius inobedientiam, sed vel casu, vel alia aliqua de causa euenire, singulas pænè ei, priusquam venirent, prædicebat Moyses, iubente Domino, si non imperata faceret; vt in Sacro textu obseruare licet.

QVAE, ET QVOT FVERINT DICTAE PLAGAE.

DE PRIMA PLAGA, ID EST, DE AQVARVM IN SANGVINEM CONVERSIONE.

6. Sanè prima plaga (quæ proximo die postquam Moyses locutus fuerat Pharaoni, subsecuta est, vt apertè colligitur Exod. cap. 7. vers. 15.) fuit mirabilis illa omnium aquarum, in tota & sola Aegypto super terram existentium, conuersio in sanguinem; ita vt etiam si tunc temporis imbres è cælo in terram cecidissent, quod tamen numquam aut raro ibi contingere solet, statim versi essent in sanguinem, ne ex ipsis Aegyptij bibere possent. & hoc fortè est, quod non obscurè insinuatur in Psalmo 77. vers. 44. illis verbis: *Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent:* nullam enim hìc Moyses imbrium fecit mentionem. Hæc repentina aquarum transmutatio, duo præ ceteris maxima Aegyptiis attulit damna; alterum fuit, omnium piscium interitus, vt habetur in Textu vers. 18. & 21. & repetitur in Psalm. 104. vers. 29. quod valdè molestum fuit populo, qui prius quodammodò gratis, hoc est vili admodum pretio piscibus vesci solebat, propter maximam ipsorum abundantiam, vt colligi potest Numer. cap. 11. vers. 5. sed longè molestius fuit alterum malum, videlicet intolerabilis illa hominum ceterorumque animalium sitis, ob quam cogebantur fodere secus ripas fluminis, & haurire inde aquas subterraneas, quales quales adinuenire poterant; non quidem puras, sed in transitu per arenosam terram aliquatenus desæcatas atque attenuatas; quas nihilominùs oportet cruorem nonnihil redoluisse, fuisseque Aegyptiis valdè noxias: alioqui plaga hæc nihil eis detrimenti, sed laboris tantummodò aliquid in fodiendis puteis attulisset. Hoc autem omnino aduersaretur his quæ ex Io-

sepho

ſepho 2. Antiq. cap. 5. & Philone lib. 1. de vita Moyſi colliguntur; nimirum quòd aquæ illæ mirum in modum bibentes affligebant, ita vt multi hac de cauſa perirent, alij internis doloribus acerrimè torquerentur. Quod quidem non de aquis fluuij omnino ſanguineis, ſed de iis quas ſecus flumen fodientes inueniebant accipiendum videtur: non enim veriſimile eſt, quòd effoſſis aquis aliquanto minùs ingratis ac noxiis, deteriores bibere mallent. Sed illud mirabilius erat, quòd eadem aqua in ſanguinem conuerſa, ab Hebræis ad proprios vſus hauſta, ſtatim dulcis ac potabilis efficiebatur, & continuò priſtinam naturam acquirebat, vt idem Ioſephus teſtatur ibidem. Quo indicio euidenter poterant Aegyptij intelligere, eam calamitatem ad ipſorum, non Hebræorum vltionem pertinere: quin etiam ſolis ipſis Aegyptiis à Deo inflictam, ad vlciſcendas iniurias quas Hebræis intulerant; meritoque eos in fluuij aquis torqueri, quòd Hebræorum infantes in eaſdem impiè demerſiſſent. In cuius facti conſideratione, admodum appoſitè videtur vſurpari poſſe dictum illud Angeli aquarum Apocalypſ. cap. 16. verſ. 5. *Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti; quia ſanguinem Sanctorum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere; digni enim ſunt.* Et hæc fuit prima Aegypti plaga, quæ licet integra dierum hebdomada perdurauerit, non tamen mouit Regem ad aſſentiendum petitioni Moyſi: quoniam viderat magos quoque ſuis incantationibus ſimile quid feciſſe; ſiue in aqua pura, eis derepentè à dæmonibus allata, vt quidam putant; ſiue, vt alij, in aqua maris proximi, quæ non fuerat verſa in ſanguinem; ſiue in ea, quam de ſub terra puriorem haurire potuerunt. Verumtamen, ne ob nimiam Regis obſtinationem vniuerſa periret Aegyptus, placuit Domino, eidem aquas ſanare; & flagella quidem non auferre, ſed mutare, vt proximò dicemus. hæc tradita inuenies Exod. cap. 7. verſ. 15. vſque ad finem capitis.

7. Die circiter eiuſdem menſis Adar vigeſima ſecunda, manè turſum venit Moyſes à Deo miſſus ad Pharaonem, poſtulans vt dimitteret populum: & quia id facere contempſit, ſtatim, iubente Domino per Moyſen, extendit manum Aaron ſuper aquas, & protinus exorta eſt infinita ranarum omnis generis multitudo, quæ totam Ægyptum moleſtiſſimè infeſtauit: ſiquidem ſaltantes vbique penetrabant, & cuncta fœdabant, domos, cubilia, menſas, veſtimenta, & quidquid ad vſus hominum pertinebat: omneſque Aegyptiorum ſenſus perturbabant; viſum, figuræ colorisque deformitate; auditum, aſſidue moleſtiſſimeque coaxando, diu noctuque nullam hominibus quietem concedentes; guſtum, eſculenta omnia ac poculenta conſpurcantes; odoratum, intolerabilem exhalantes fœtorem; quin etiam ipſe huiuſcemodi abominabiliū ranarum contactus, qui frequens & ineuitabilis erat, non ſine magno horrore ferri poterat. Denique tanta fuit & tam moleſta huiuſcemodi plaga, vt vix vno die eam ſuſtinere potuerit Pharao: nam cùm rogaſſet Moyſen pro remotione ranarum, promittens ſe dimiſſurū Hebræos, interrogaſſetque eum Moyſes, quando vellet abigi ranas, illeque Cras reſpondiſſet, in craſtinum id quantocyùs fieri curauit. Igitur orante Moyſe mortuæ ſunt omnes ranæ, ſtatimque eas Aegyptij in immenſos quoſdam aggeres congregarunt. Videns verò Deus infidelitatem Pharaonis, qui ranarum infeſtatione liberatus, quod promiſerat, præſtare neglexit; mandauit Moyſi vt iuberet Aaronem extendere manum, ac percutere virga puluerem terræ, qui ſtatim verſus eſt in ſciniphes, multitudine innumerabiles, vt ex Sacro textu colligitur, qui Exodi cap. 8. v. 17. poſtquā dixit: *Et extendit Aaron manum, virgam tenens; percuſſitq. puluerem terræ, & facti ſunt ſciniphes in hominibus, & in iumentis,* protinus addit: *Omnis puluis terræ verſus eſt in ſciniphes.* Quid autem per ſciniphes Scriptura intelligat, controuerſum eſt apud Auctores. Hebræi namque & quidam ex Latinis putant fuiſſe pediculos. Quibus non poſſum aſſentiri; quoniam pediculi non ex puluere, ſed ex carne præſertim humana naſcuntur. Alij verò dicunt fuiſſe culices, hoc eſt, muſcas illas paruulas, quas hodie Romani vulgò zampanas vocant. Sed mihi magis probabile videtur, quòd fuerit illa pulicum ſpecies quæ ex puluere gignitur, & vnde aliæ etiam nomen acceperunt: iſtiuſmodi enim pulices ſunt hominibus & iumentis aliiſque animalibus omnium ſui generis infeſtiſſimi, ita vt præ nimia moleſtia quam eis inferunt, aliquando etiam leones ad ſe in aquis præfocandos adegiſſe dicantur. Porrò ad ſic ſentiendum hæc me mouent: Primò, quia culices ad muſcarum genus, & conſequenter ad quartam plagam, quæ fuit omnis generis muſcarum, pertinere noſcuntur. Secundò, quia culices non modò non ex puluere, vt pulices, ſed econtrariò in locis paluſtribus & humidioribus, & iuxta aquas, præſertim ſtagnantes, gigni ſolent, quemadmodum experimento videmus, & teſtatur Albertus Magnus lib. 26. de Animalibus, vbi, licet ſub nomine ſciniphum deſcribat ipſas zampanas, facit tamen eas à culicibus diuerſas

DE SECVNDA PLAGA, QVAE FVIT RANARVM.

TERTIA PLAGA, SCINIPHVM.

diuersas ratione aculei, quem in culice ait esse acutissimum, & ad terebrandam penetrandamque duriorem animalium pellem aptiorem. Ex quo videtur colligi posse, ipsum ibi per culices intelligere voluisse muscas quas vocant caninas, vel equinas, quæ proculdubiò habent aculeum multò fortiorem quàm zampanæ. Tertiò, quia Scriptura sacra nullibi innuit, sciniphes habuisse alas, aut volasse, vt faciunt culices; sed quòd facti sunt, inquit, ex puluere, & erant in hominibus & iumentis, nimirum eo modo, quo in ipsis reperiuntur pulices. Quartò, quia de hac sciniphum plaga Philo lib. 1. de Vita Moysis, scribit in hæc verba: *Qui* (subaudi Aaron) *vbi terram virga percussit, tot sciniphes ex ea profusi sunt, vt velut extensa nubes totam obtineret Aegyptum, id animal est molestissimum, quamuis minutum admodum: nam non solam superficiem cutis lædit pruritu noxio, verumetiam interiora per aures naresq; penetrat. inuolat & in oculos, nisi quis caueat; sed quî caueri poterant tot dira examina?* hæc Philo. Quæ quidem non magis videntur competere posse culicibus, quàm pulicibus, qui ex puluere virga percusso & commoto egredientes, & saltibus commistim & confuse inter se colluctantes, primò quidem, veluti quadam nube atra & extensa, totam terræ Aegypti operire superficiem videbantur; mox verò statim sic auide in omnes hominum iumentorumque corporum partes sese infigere cœperunt, quasi diuturnam famem explere cupientes, & licet ordinariè pulices non soleant suis saltibus in oculos inuolare; tunc tamen præ ipsorum multitudine (vt postrema Philonis verba indicant) id etiam fecisse credendum est. Denique, quia neque Scriptura sacra neque Philo in ipsa sciniphum descriptione quidquã innuunt de illo exili quidem, sed proportione corporis magno, & aliquantulum formidoloso culicum sono, siue susurru, quo non mediocriter terrent molestantque homines; quod vtique non videretur omnino præteriri debuisse, si sciniphum vocabulo culices, non autem pulices, qui nullum prorsus edunt sonum, accipi debere voluissent. Ex his ergo omnibus satis constare putamus, nostram hanc opinionem, tamquam probabiliorem, aliis esse præferendam. Quidquid sit, constat hos sciniphes (quæ fuit tertia Aegypti plaga) fuisse tum hominibus tum iumentis molestissimos, ac pænè intolerabiles. Sed & illud mirabile fuit, quòd hoc prodigium magi, qui & ipsi cetera pariter ediderant, suis incantationibus efficere non valentes, compulsi sunt, ad maiorem Pharaonis confusionem, infirmiorumque in fide confirmationem, illis verbis, *Digitus Dei est hic*, fateri diuina tantùm vi id esse factum. Qua in re, mira Dei tum potentia tum prouidentia demonstratur. Potentia; quòd ei ab inimicis quoque suis vel inuitis testimonium perhiberi cernimus. Prouidentia; quia permittendo magos maiora facere, nempe ranas ac serpentes, non autem minora, nimirum sciniphes, animalia pænè omnium minutissima, admodumque imperfecta, & ex putri materia gigni solita, superborum dæmonum, qui mirabilia Dei opera aliquomodò æmulari conantur, imbecillitatem detegit. Nam si ipsi ne minima quidem sine Dei permissu facere valent; proculdubiò, quando maiora faciunt, non nisi Deo permittente ea facere posse conuincuntur. Permittit autem eos diuina prouidentia interdum signa quædam apparentia facere, veris miraculis simillima; sicuti etiam hæreticos falsas doctrinas tradere, licet prima fronte valdè plausibiles, vt iusto Dei iudicio in errorem inducantur reprobi, & iustorum fides magis exerceatur ac probetur, iuxta illud Apostoli 1. Cor. cap. 11. vers. 19. *Oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Sed hoc prosequi argumentum, non est præsentis negotij. Ceterùm Pharao nec magis quidem suis fidem adhibens, sed in obstinatione sua perseuerans, meruit à Domino quarta plaga puniri; proptereà enim Moyses, iubente Deo, comminatus est ei immittere altera die in omnem terram Aegypti, præterquam in terram Gessen, vbi habitabant Hebræi, omne genus muscarum. quod & sequenti die factum est. Neque verò leuis fuit hæc plaga. nam præter intolerabilem quodammodò molestiam, quam solent hominibus inferre communes muscæ; quis nesciat esse quasdam, quas cœnomyias, hoc est caninas vocant, quæ aculeos adeò acriter infigunt, vt non teneriorem hominum tantùm, sed duriorem quoque canum iumentorumque pellem penetrare valeant, & sanguinem cum ingenti patientis dolore sugere? harum veluti per antonomasiam meminit Regius Propheta in Psal. 104. vers. 31. illis verbis: *Dixit, & venit cœnomyia, & cinifes in omnibus finibus eorum.* Sed & alias aiunt reperiri magis noxias, quæ non modo feriunt aculeo, verumetiam venenosa quadam vi perimunt. In summa, non otiosè hæc musca Exodi cap. 8. vers. 24. vocatur grauissima. Quare dubium non est, plagam quoque istam in populo fuisse grauissimam; nec mirum esse, si hæc (quod prima ac tertia non fecerant) coëgerit Pharaonem promittere Hebræis petitam discedendi licentiam, si à muscis liber fieret. quam tamen, his sublatis, non concessit. Proptereà

QVARTA PLAGA, MVSCARVM.

pretereà postridie quinta plaga plexus est, nimirum pestilentia valdè graui in animalibus, equis scilicet, asinis, bobus, camelis, & ouibus, quæ pascebantur in agris totius terræ Aegypti, quorum maior pars periit; reseruatis omnibus quæ erant filiorum Israel. quod etsi posteà Pharaonem non latuit, non tamen dimisit populum: Exod. cap. 8. & 9. vsque ad vers. 13. Quibus peractis, necesse est Moysen & Aaron eadem die, quam credimus fuisse memorati mensis Adar postremam, profectos esse de vrbe Tanim, in qua residere solebat Rex, in terram Gessen, vbi manebant Hebræi: quandoquidem QVINTA, PESTILENTIA IN ANIMALIBVS.

8. Circa initia mensis Nisan, vt colligitur Exodi cap. 12. vers. 2. & 3. qui mensis tunc dicebatur mensis primus verni temporis, Deut. cap. 16. vers. 1. & Exod. cap. 34. vers. 18. & mensis nouorum, Exod. cap. 23. vers. 15. & cap. 34. vers. 18. hoc est, mensis nouarum frugum, vt clariùs explicatur Exod. cap. 13. vers. 4. & Deut. cap. 16. vers. 1. eò quòd circa illum mensem in illis regionibus, vtpote calidioribus, segetes maturescere incipiant. Circa initia, inquam, huius mensis præcepit Dominus per Moysen & Aaron filiis Israël, vt deinceps ab hoc mense annum suum inciperent. Ex quo perspicuè infertur, eos priùs ab alio mense annum suum exordiri consueuisse. Et hinc Arias Montanus in libello de Sæculis, quem in suo Apparatu Bibliorum Regiorum inseruit, & alij nonnulli, desumunt famosam illam anni Hebræorum distinctionem, sacri, & profani; dicentes, primum inchoari solitum fuisse in Vere, alterum in Autumno. & de primo quidem nemo dubitat; de altero autem inquiunt, Hebræos etiam vsque nunc vulgariter incipere annum suum à mense, quem vocant Tysri, qui ex parte nostro respondet Septembri. Quamuis autem posset quis suspicari, Moysen fortasse illo præcepto reuocare voluisse Israëlitas ad propriam maiorum suorum consuetudinem; quoniam ex longa mora in Ægypto, ad Ægyptiorum morem in anno exordiendo declinassent; qui, vt scribit Iosephus 1. Antiq. cap. 4. annum suum à mense Septembri inchoabant. in cuius rei confirmationem Cicero quoque lib. 2. de Natura deorum, & Lactantius lib. 1. Diuinarum Institutionum cap. 6. referunt, Mercurium, qui leges ac litteras Ægyptiis tradidisse fertur, appellatum fuisse lingua Aegyptiaca *Theuth*, eademque voce, in honorem ipsius, nominatum esse ab Aegyptiis primum ipsorum anni mensem, qui nostro respondet Septembri. Vnde non mirum est, si hæc vox *Theuth*, ad significandum primum anni mensem posteà frequenter vsurpata est à Ptolemæo in libris sui Almagesti, & ab aliis huius generis Scriptoribus. Attamen, quia constat item auctoritate Solini cap. 35. eosdem Aegyptios quandoque etiam inchoare consueuisse annum suum ab eo tempore, quo sol signum Leonis ingreditur; & certum est, Hebræos quoque post exitum interdum ab Autumno annum tenouare solitos fuisse, vt euidenter colligitur Exodi cap. 23. vers. 16. & cap. 34. vers. 22. & probari non potest, eos vllo vmquam tempore ante exitum de Aegypto consueuisse à Nisan inchoare annum suum: propterea cum Aria & aliis, hoc Moysaico præcepto introductam puto fuisse memoratam Hebraici anni distinctionem, in sacrum, & vulgarem seu communem; quando scilicet Moyses Dei iussu præcepit Israëlitis, vt in posterum semper ab initio mensis Nisan inchoarent annum suum; ita vt iste mensis Nisan, esset primus in mensibus anni. quod proculdubiò factum fuit, quia in eodem mense volebat eos Dominus educere de seruitute Aegyptiaca; & vt tanti beneficij memoriam perpetuò conseruarent, inter cetera eadem de causa eodemmet mense peragenda, & quotannis repetenda, de quibus infrà num. 14. agemus, etiam nouum hoc anni principium ab ipsis celebrandum instituit. DE ANNI SACRI INITIO.

9. Verumtamen quoniam hic primum institutionis Anni sacri fecimus mentionem; operæpretium quoque erit, aliqua de ipso disserere; nempe, qualis esset, Lunaris an Solaris, A quonam anni communis tempore initium sumeret, Quæ essent nomina mensium eius, Et quis ordo, & si quid est aliud huiusmodi: hæc enim & similia præcognouisse, non erit inutile, ad ea quæ in progressu Operis dicentur faciliùs capienda. Itaque primò supponere debemus, & pro certo habere, quòd Annus sacer erat Solaris, aut Solari coæquatus: alioqui præceptum illud, quod traditur Deutet. cap. 16. vers. 1. de festo Paschatis in mense nouarum frugum, qui erat primus verni temporis, celebrando, non semper potuisset obseruari; siquidem illud Festum paulatim retrocedens, aliquando incidisset in hieme, & in aliis anni temporibus: annus namque Lunaris, cùm vndecim diebus & quadrante, Solari sit minor; necessariò temporis successu huiuscemodi Paschatis mutationes induxisset. Quare, tametsi nemini dubium sit, quin menses Hebraici essent Lunares; quippe qui proculdubiò semper inciperent à Neomenia siue Nouilunio, hoc est, ab eo die quo primùm apparere incipiebat noua Luna; & consequenter constabant singuli viginti nouem diebus naturalibus cum dimidio, (tanto enim temporis NVM LVNARIS ESSET, AN SOLARIS.

poris interuallo Luna communiter cursum suum peragit, ab vna scilicet Solis coniunctione, vel potiùs ab vna eius renouatione ad alteram) & hanc diei medietatem alternatim computabant, ponentes vnum mensem vigintinouem dierum, & alterum triginta. Attamen, quia videbant quòd duodecim Lunationes siue menses Lunares, efficiebant annum continentem dies tantummodò trecentos quinquaginta quattuor, qui propterea Lunaris annus dicitur; vt ipsum cum Solari adæquarent, addebant certis temporibus mensem vnum, qui erat decimustertius, & ab ipsis appellabatur veAdar, quasi alter Adar; à nostris autem Embolismus. Quomodo autem fieret hæc additio, non conuenit inter omnes Scriptores; siquidem Carolus Sigonius lib. 3. de Repub. Hebræorum cap. 1. dicit, quòd secundo & quarto quoque anno addebant anno Lunari prædictum mensem decimumtertium, qui tamen continebat tantummodò viginti-duos dies, & alternatis vicibus vigintitres, habita ratione quadrantis, vt scilicet illos vndecim dies cum quadrante, qui in anno Lunari deficiebant, supplerent, & sic eum anno Solari coæquarent. Sed hoc non videtur posse admitti; quoniam sequeretur, eosdem Hebræos non semper potuisse incboare annum suum à Nouilunio; numquam enim contingere potest, vt Luna cursum suum vigintiduorum aut vigintitrium dierum spatio conficiat. Vnde aliter & multò meliùs dicit Genebrardus in calce libri 2. suæ Chronologiæ, quòd scilicet Hebræi vsque in hodiernum diem tertio quoque anno, & nonnumquam secundo, prout vsus postulat, vnum mensem Lunarem addere solent, vt motus Lunæ cum Solari concordent; illumque tertium aut secundum annum, tredecim mensium seu Lunationum efficiunt, siue Adar postremo mense repetito, cum hac copula veAdar; siue primo mense iterato, cum eadem copula veNisan: ita enim veteres dicere solitos fuisse, afferunt Talmudistæ; vt ibidem citatus Auctor refert. Sed qui exactiùs clariusque scire cupit, quomodo ista adæquatio anni Lunaris cum Solari fieret, scire debet, quòd cùm annus Solaris, vt dictum est, maior Lunari sit vndecim diebus, Hebræi per annos decem & octo continuos vnoquoque tertio anno Lunari integram addebant Lunationem, sicque fiebat tertius quisque annus tredecim mensium Lunarium; & nihilominus aliqui semper reliqui erant dies. Nam in fine primi triennij (quoniam vndecim ter ducti, faciunt triginta tres) relictis triginta pro illa Lunatione addita, restabant dies tres; & in anno sexto supererant dies sex; & in nono, nouem; & in duodecimo, duodecim; & in decimoquinto, quindecim; & in decimo octauo, decem & octo: in decimonono autem anno addebant aliam Lunationem viginti nouem dierum, quæ resultabat ex illis decem & octo diebus, qui in anno decimooctauo remanserant, & illis vndecim qui in eodem anno decimonono pariter exuberabant; & sic etiam annus decimusnonus tredecim menses continebat Lunares; & in eius fine, ac initio vigesimi, desinebant pariter simulque inchoabant anni Solares ac Lunares. Et eadem ratione, in singulis aliis decennouennalibus cyclis, addito septies vno mense Lunari, modo proximè exposito, anni Lunares cum Solaribus æquabantur. Patet ergo, decipi plurimos ex antiquis Scriptoribus, in quorum numero Genebrardus in calce libri 2. suæ Chronologiæ refert Iulium Africanum & Eusebium Cæsariensem, qui quòd Hebræi mensibus Lunaribus vterentur, existimarunt eosdem per annos quoque Lunates tempora sua metiri consueuisse.

A QVO NOVILVNIO INCIPERET ANNVS SACER.

10. Initium verò sumebat Annus sacer in Vere, hoc est circa Æquinoctium vernale: nam cùm Hebræi annum suum per Lunationes distinctum reducere solerent, ratione numero præcedenti exposita, ad mensuram anni Solaris; semper incboabant primum Anni sacri mensem, & consequenter ipsum Annum sacrum, ab eo Nouilunio, cuius decimaquarta dies incidebat in diem verni Æquinoctij, vel propiùs ipsum sequebatur, vt dicitur in Kalendario Gregoriano can. 6. qui est de Festis mobilibus. Ex quo necessariò infertur, quòd initium primi mensis non poterat præcedere vernum Æquinoctium, nisi ad summum per dies tredecim; nec subsequi vltra dies quindecim: nam ille mensis, cuius Neomenia, hoc est prima luna, dictum Æquinoctium plus tredecim diebus præcedebat, puta quattuordecim, vel ampliùs; necessariò oportebat quòd etiam eius decimaquarta dies præcederet ipsum Aequinoctium vno die, vel pluribus: & propterea ille non poterat esse mensis primus Anni sacri, sed vltimus, nempe Adar, non autem Nisan. Ille verò mensis, cuius Nouilunium incidebat post memoratum Aequinoctium plus quindecim diebus; proculdubiò necessarium erat, quòd eius decimaquarta dies distaret à dicto Aequinoctio diebus saltem viginti nouem, vel ampliùs; & consequenter, quòd altera dies decimaquarta mensis præcedentis, incidisset vel in ipsomet Aequinoctij die, vel post. vnde non mensis posterior, sed prior erat primus Anni sacri, iuxta regulam

regulam ex Kalendario Gregoriano proximè petiram. Cùm igitur illa Neomenia, quæ erat principium Anni sacri, semper non multò ante vel post memoratum incideret Aequinoctium; vtique sequebatur, quòd Nisan, qui erat primus Anni sacri mensis, esset etiam primus verni temporis, & semper aliquatenus concurreret cum nostro Martio, vel Aprili; & propterea Exodi cap. 34. vers. 18. & clariùs Deuter. cap. 16. vers. 1. ipse Nisan meritò appellatus fuit, mensis nouarum frugum, & primus verni temporis. Qua circumstantiarum copulatione Scriptura sacra apertissimè indicat, quod nos suprà n. 8. adnotauimus, nempe fruges in illis regionibus verno circiter tempore ad maturitatem accedere consueuisse. Et licet initium mensis Nisan, non esset fixum & stabile, sed (vt ex paulò ante dictis consequitur) aliquando maturiùs, aliquando tardiùs inciperet; & vsque ad dies vigintiocto interdum anticipare, aut postponere posset: non tamen propterea sequebatur, ipsum haud posse dici vereque esse mensem nouarum frugum; quia semper circa eius medietatem aliquæ fruges, vel quæ dicuntur temporaneæ, vt hordeum; vel serotinæ, vt triticum & far, (Exodi cap. 9. vers. 31. & 32.) pænè iam maturæ erant. Quo fit, vt commodè posteà possent Hebræi die 16. eiusdem mensis offerre primitias messis suæ Domino, manipulum spicarum, vt præcipitur Leuit. cap. 23. v. 10. spicarum, inquam, vel hordei, quando Pascha citiùs incideret; vel tritici, quando seriùs. Et hinc colligitur, decipi Sanctem Pagninum, qui pro eo quod in editione Vulgata Exod. cap. 13. vers. 4. legimus, ***Hodie egredimini mense nouarum frugum***; ipse transtulit, ***In mense Iulio.*** & loco Deuteronomij proximè adducto, vbi dicitur, ***Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis***; ipse interpretatur, ***Obserua mensem Iulij.*** Cuius valde erroneam opinionem optimè confutat Franciscus Ribera super Aggæi cap. 2. vbi num. 2. pluribus tum rationibus tum auctoritatibus euidentissimè probat, quòd mensis Nisan non in æstate incipiebat, sed circa Æquinoctium vernale, quemadmodum ex loco Deuteronomij citato ostensum est.

11. Ex dictis quoque sequitur, menses Hebræorum non potuisse semper ex æquo respondere nostris: quoniam sicuti Nisan ferè semper habebat habetque partem nostri Martij & partem nostri Aprilis, vt ex paulò pòst dicendis palàm fiet; ita & qui illum sequuntur, puta Iar, partem nostri Aprilis & partem nostri Maij; & sic de aliis. Cuius rei ratio est, quia, vt diximus, menses Hebræorum cùm essent Lunares, necessariò erant mobiles & instabiles: primus namque, vt num. præcedenti dictum est, interdum ante, interdum verò post vernum exordiebatur Æquinoctium: (vt omittamus quòd ipsa quoque Æquinoctia variare, hoc est spatio vnius & centum triginta annorum, vno die retrocedere perhibentur.) vnde ad mutationem primi, ceteros quoque menses mutari necesse erat. At nostri menses, fixi sunt & stabiles; semper eodem anni tempore incipientes ac desinentes. Deinde menses Hebraici, vt diximus, alternatim habebant, vnus viginti nouem dies, alter verò triginta: nostrorum autem mensium, vnus habet dies viginti octo, alij triginta, alij triginta & vnum: propterea ferè numquam possunt cum illis prorsus coincidere. Nam licet aliquando, ante postremam Kalendarij nostri emendationem, Gregorio XIII. Pontifice Max. præstitam, quando scilicet Æquinoctium vernale cadebat in die decimaquarta nostri Martij; quotiescumque Plenilunium ipsius mensis Nisan in eodem die incidisset, tunc totus Nisan cum nostro concurrebat Martio: quia tamen noster Martius semper habet vnum aut alterum diem supra eos quos habebat Nisan, propterea non poterat posteà totus Iar concurrere cum nostro Aprili: siquidem primus dies mensis Iar necessariò concurrebat cum vltimo aut pænultimo nostri Martij; & sic aliquam habebat nostri Martij partem, & reliquum Aprilis; quod etiam in aliis sequentibus adhuc magis vsuuenire necessarium erat. Similiter post dictam Kalendarij nostri correctionem, in qua vernum Æquinoctium incidit in die vigesima prima Martij; cùm primus Anni sacri mensis apud Hebræos non possit (vt ex num. 10. iam dictis, necessariò deduci potest) citiùs exordiri, quàm die octaua nostri Martij, nec tardiùs quàm die quinta nostri Aprilis; & ideò mensis Nisan etiam nunc vt plurimùm concurrat partim cum nostro Martio, & partim cum Aprili, plus minúsve, prout Nouilunium eius magis aut minùs præcedit vel subsequitur Æquinoctium: licet, inquam, etiam nunc possit quandoque totus Nisan coincidere cum nostro Aprili, nimirum quando Nouilunium ipsius Nisan inciderit in die primo Aprilis, supposito, quòd tunc contingat ipsum Nisan habere triginta dies, quemadmodum habet Aprilis: attamen hoc non poterit sequi in aliis posterioribus mensibus; quoniam etsi Iar cum Maio pariter incipiet, non tamen poterit cum ipso pariter terminare; quia Maius habet dies triginta & vnum, Iar verò solùm viginti nouem, vel ad summum triginta. Quare nec ipse

MENSES HEBRAEORUM NON POSSUNT EX AEQUO RESPONDERE NOSTRIS.

ipse Iar, & multò minùs reliqui Hebræorum menses poterunt penitus cum vllo ex nostris coincidere. Propterea probare non possumus quorumdam Scriptorum, ac præcipuè Chronographorum consuetudinem, qui singulos Hebræorum menses propriis nostrorum mensium nominibus appellare seu interpretari non verentur; puta pro Nisan, Martium transferentes; pro Tysri, qui erat septimus, Septembrem; pro octauo, Octobrem; & sic de aliis. Quæ res errores confusionesve plurimas parere potest: præsertim cùm, ex quo, iuxta memoratam nostri Kalendarij emendationem, Æquinoctium vernum incidit die vigesimaprima Martij, fieri potest, vt aliquando Nisan nihil prorsus concurrat cum nostro Martio, sed vel totus cum Aprili, puta quando Neomenia ipsius Nisan concurrit cum prima die Aprilis, vel pro maiori parte cum Aprili, & pro reliqua cum Maio; quod proculdubiò euenire necessarium est, quandocumque Nouilunium ipsius Nisan inciderit in die secunda, tertia, quarta, vel quinta Aprilis: tunc enim Nisan definet in die secunda, tertia, quarta, vel quinta Maij; & maior adhuc successiuè in sequentibus mensibus continget varietas. Atque in omnibus hisce casibus non poterit etiam illud verum esse, quod communiter dicitur, Nisan partem habere nostri Martij, & partem Aprilis; & Iar partem Aprilis, & partem Maij; & sic de reliquis. Itaque cùm de mensibus Hebraicis loquimur, ipsorum quoque vocabulis vti debemus, si non errare ac tempora confundere paruipendimus.

MENSIVM ANNI SACRI NOMINA ORDINATIM RECENSITA.

12. Sanè ordo nominaque mensium Anni sacri apud Hebræos, hæc erant. Primus dicebatur Nisan; Secundus, Iar, seu Tiar, qui & aliquando dictus est Zio, siue Ziu; Tertius, Siuan, aut Sinan, vel Siban; Quartus, Tamuz; Quintus, Ab; Sextus, Elul; Septimus, Tysri, aliàs Ethauin, vel Ethanim; Octauus, Methasuan, & Bul, & Marsonane, sic quippe eum vocat Iosephus 1. Antiq. cap. 4. Nonus, Chisleu, vel Casleu; Decimus, Tebeth, seu Thobeth; Vndecimus, Sebath, siue Sabath; Duodecimus, Adar, & quandoque Adar anterior, ad differentiam alterius Adar, qui veAdar, hoc est Adar posterior dicebatur, quandocumque (vt num. 9. diximus) addere opus erat anno mensem decimumtertium. Aduertendum verò est, ista mensium nomina posterioribus temporibus apud Hebræos fuisse introducta: nam olim menses numeris tantummodò notari solebant, vt patet Genes. cap. 8. vbi fit mentio mensis primi, secundi, septimi, & decimi. Quæ verò priùs mensium nomina retulimus, Chaldaica potiùs quàm Hebraica extitisse creduntur, & non nisi post captiuitatem Babylonicam vsitata: cuius rei signum est, quòd in Sacris libris post ipsam conscriptis passim reperiuntur, videlicet in libris Esdræ, Esther, Zachariæ, & Machabæorum; in aliis autem non item, præterquam 3. Reg. cap. 6. vers. 1. & 38. & cap. 8. vers. 2. vbi memorantur Zio mensis secundus, & Ethanim mensis septimus, & Bul mensis octauus: quæ tamen nomina in antiquissimis codicibus nequaquam extitisse arbitror; sed post captiuitatem, ab Esdra, in sua Sacrorum librorum recognitione diuino instinctu fuisse adiecta, ad tollendam æquiuocationem, hoc est, vt sic declararet, menses illos, videlicet secundum, septimum, & octauum, non fuisse tales in ordine ad Annum communem, sicuti erant illi, quorum mentio facta fuerat Gen. cap. 8. sed in ordine ad Annum sacrum, cuius menses suo tempore talibus iam nominibus nuncupari cœperant.

13. Est etiam hoc loco valdè notandum, quòd licet Iosephus 1. Antiq. cap. 4. dixerit, Moysen ordinasse, vt mensis Nisan esset exordium anni, in his quæ ad rem diuinam pertinent; quo verò ad nundinationes rerum venalium, & ad reliquam dispensationem anni, nihil de pristino ritu immutasse: nihilominùs Scriptura sacra etiam post eiusdem Anni sacri institutionem, in rebus gestis per tempora notandis, nullam ferè videtur habuisse huiuscemodi distinctionis rationem: nam præter vnum atque alterum locum, nempe Exod. cap. 23. vers. 16. & cap. 34. vers. 22. vbi de nonnullis sollemnitatibus festisque diebus celebrandis agens, non Anni sacri, sed communis mentionem facit; fortè quia tunc Annus sacer, licet paulò antè iam fuisset institutus, noodum tamen adhuc in vsum omnino erat introductus. De cetero, videmus eamdem Scripturam indifferenter etiam ea quæ ad festiuitates cultumque diuinum non pertinent, per Anni sacri menses adnotare consueuisse, vt manifestum fiet exemplis continuò proferendis; in quibus omnibus, tum ex ipsorum mensium nominibus, tum ex eorumdem numeris, clarè perspicitur, citari semper menses Anni sacri, non communis. De primo mense, legimus Esther cap. 3. vers. 7. *Mense primo, cuius vocabulum est Nisan.* vbi & vers. 12. & cap. 11. vers. 2. & lib. 2. Esdræ cap. 2. vers. 1. plura notantur, nihil ad festiuitates spectantia. Similiter de secundo mense, 3. Reg. cap. 6. vers. 1. habemus; *Mense Zio, ipse est mensis secundus*; & quæ sequuntur. De tertio, dicitur Esther

SCRIPTVRA INDIFFERENTER NOTAT RES GESTAS PER MENSES ANNI SACRI.

cap. 8.

cap. 8. verſ. 9. *Erat autem tempus tertij menſis, qui appellatur Siban.* De quarto & quinto nullum reperi Scripturæ locum, in quo nominatim recenſeantur. De ſexto, habetur mentio 2. Eſdræ cap. 6. verſ. 15. & 1. Machab. cap. 14. verſ. 27. De ſeptimo, 3. Regum cap. 8. verſ. 2. ſic traditur: *In menſe Ethanim, ipſe eſt menſis ſeptimus,* &c. De octauo, in eiuſdem lib. cap. 6. verſ. 38. *Menſe Bul, ipſe eſt menſis octauus.* De nono Zachariæ cap. 7. verſic. 1. & 1. Machabæorum cap. 4. verſ. 52. menſis nonus dicitur appellari Caſleu. De menſe decimo, Eſther cap. 2. verſic. 16. *Menſe decimo, qui vocatur Tebeth.* De vndecimo, Zachar. cap. 1. verſ. 7. *In die vigeſima quinta vndecimi menſis Sabath.* & 1. Machab. cap. vlt. verſ. 14. *Menſe vndecimo, ipſe eſt menſis Sabath.* Poſtremò de menſe duodecimo, qui dicitur Adar, cap. libri Eſther 3. non ſemel fit mentio, & ſæpiùs cap. 9. Vide omnia quæ adduximus loca, & inuenies, plurima ex his quæ ſub eiſdem menſibus acta fuiſſe dicuntur, nullatenus ad ſacras ſolemnitates cultúmve diuinum pertinere; & tamen per Anni ſacri menſes eſſe notata. vt hinc diſcamus, Scripturam ſacram poſt Anni ſacri inſtitutionem per eumdem, non autem per Annum communem, ſua metiri tempora maluiſſe. Quod ſemel hîc obiter aduertiſſe ſufficiat. Et hæc de Anno ſacro eiuſque menſibus, quantum huic Operi deſeruire poſſe videatur, dicta ſint; nam etſi eadem clariùs etiam innoteſcere poſſent, ſi hîc Kalendarium vetus Hebræorum ſubiungeremus: parcimus tamen id facere, quia infrà ſub anno mundi 2545. num. 26. illud opportuniùs intexendum erit; & ad illum locum facile fuerit Lectorem quandocumque placuerit protinus tranſcurrere. Nunc ad id vnde digreſſi ſumus redeamus.

14. Eodem tempore, quo Moyſes iubente Deo præcepit filiis Iſraël, vt inchoarent Annum ſacrum ab initio menſis nouarum frugum, in monumentum æternum magnæ illius ipſorum liberationis de ſeruitute Ægyptiaca, quam idem Dominus eodem menſe tranſiens, ac Aegyptios percutiens, mirabiliter operari intendebat: vt eoſdem Hebræos ad tantam gratiam dignè recipiendam aliquatenus præpararet, & vt gratam deinceps tanti beneficij memoriam ſacratiùs recolerent, docuit illos ritum celebrandi primum Paſcha, quod tranſitum illum Domini ſignificabat; ad cuius ſimilitudinem alia poſtmodum ſingulis annis perpetuò celebrarent. Igitur cùm præmonuiſſet Hebræos Moyſes, quòd in eiuſdem menſis primi medietate educturus erat eos Dominus de Aegypto: mandauit, vt decima die illiuſmet menſis, per domos ac familias ſuas, præpararent ſibi tot agnos, ſiue (vt paulò pòſt oſtendemus) hœdos, maſculos, anniculos, nullum prorſus vitium habentes, quot opus eſſe viderentur, pro numero animatum quæ ſufficere poſſent ad eſum agni ſiue hœdi, hoc eſt (quemadmodum ex Ioſepho colligitur 1. de Bello cap. 17.) pro ſingulis circiter comedentium denariis vnum, ſeruarentque eos vſque ad decimamquartam eiuſdem menſis diem; & vt ad veſperam illius diei, nimirum ſole ad occaſum appropinquante, ſiue, vt idem Ioſephus ibidem exponit, ab hora nona vſque ad vndecimam, in vnaquaque domo ſeu familia, aut vicinorum coadunatione, agnum ſuum ſiue hœdum ad hoc delectum ac præparatum, immolarent; intingentesque in eius ſanguine pugillum hyſſopi, ex eo aſpergerent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domus: futurum enim erat, vt ſequenti nocte pertranſiens Angelus Domini occideret vniuerſa Aegyptiorum primogenita, tam iumentorum quàm hominum, illæſaſque tantummodò relinqueret domos, quarum fores prædicto ſanguine aſperſas offenderet. In reliquo autem tempore, quod ſupererat ante ſolis occaſum, videlicet ab hora vndecima ad duodecimam, volebat Dominus vt prædictas agni hœdive carnes igni aſſarent, quas poſteà, ſole ſub horizonte delapſo, quando ſcilicet iam cœpiſſet dies decimaquinta,) ſolebant enim Hebræi inchoare ac metiri ſuos dies naturales ac feſtiuos, ab vno ſolis occaſu ad alterum;) ederent cum azymis panibus & lactucis agreſtibus, ita vt nihil ex eis relinquerent, nec oſſa vllo modo confringerent, ſed quod reſiduum eſſet, igne cremarent; nulluſque alienigena comederet ex eis, niſi priùs fuiſſet circumciſus; Exod. cap. 12. verſ. 43. vſque ad 50. Præcepit item, vt ederent feſtinanter, accincti renes, & calceati pedes, tenentes baculos in manibus, tamquam ad iter agendum peregrinandumque parati: ibid. verſ. 3. vſque ad 15. Sunt qui putant, tunc quoque Hebræis præceptum fuiſſe, vt agnum comederent ſtantes; ſed licet ipſi fortè prima vice, quòd eſſent in procinctu exeundi de Aegypto, ſtantes comederint Paſcha, vt aſſerit B. Chryſoſtomus Hom. 60. ad populum Antiochenum: attamen ex Sacris libris non apparet, quòd tale præceptum habuerint. Quin oppoſitum legimus à Christo, diuinæ Legis obſeruantiſſimo, Lucæ cap. 22. fuiſſe factum: nam poſt illa verba verſ. 13. *Et parauerunt Paſcha*. ſtatim ſubiungitur: *Et cùm facta eſſet hora*

RITVS CELEBRANDI PASCHA.

hora (subaudi, illud manducandi) *discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*, &c. Ad recensitas leges in edendo Phase obseruandas, adiunctæ postea fuere aliæ, puta illa quæ Numer. cap. 9. vers. 10. præcipit, vt qui ob legalem aliquam immunditiam, vel quia tunc essent in itinere, non poterant facere Pascha in primo mense, illud deinde facerent in secundo; de quâ nos sub anno insequente num. 37. agemus, & eamdem legem posteà Ezechiæ Regis temporibus obseruatam fuisse, infra sub anno mundi 3315. num. 4. ex 2. Paralip. cap. 30. ostendemus. Alia item addita est lex Deuter. cap. 16. vers. 5. qua cauetur, ne in quacumque vrbe, sed in loco, quem posteà elegisset Dominus, conuenirent ad comedendum Pascha. Sed hęc postrema lex obligabat tantummodò, quando populus iam esset in Terra promissionis, non autem prius. Sanè quod diximus de optione seu facultate immolandi hœdum loco agni, colligitur ex illis verbis Exod. cap. 12. vers. 5. *Iuxta quem ritum tolletis & hædum*. est enim sensus, ac si dictum esset: Iuxta quem ritum poteritis etiam, si placuerit, pro agno sumere hœdum. Et hunc sensum confirmat sancta Romana Ecclesia, quæ in Officio sanctissimi Sacramenti capit primum Responsorium in hæc verba: *Immolabit hædum multitudo filiorum Israël ad vesperam Pascha, & edent carnes, & azymos panes*, &c.

CVR PRAECEPERIT MOYSES VT HEBRAEI MANERENT IN DOMIBVS SVIS VSQVE MANE.

5. Ceterùm, quia benè nouerat Moyses, non esse diuinæ voluntatis, quòd Hebræi discederent inuitis Ægyptiis, quos propter eà tot successiuè plagis percutiebat, vt ad dandam Hebræis liberam exeundi licentiam prouocaret: ne forte ipsi Hebræi, præpropero libertatis vrgente desiderio, tempus à Deo præstitutum anticiparent, præcepit eis Moyses, vt se in domibus suis continerent vsque manè, Exod. cap. 12. num. 22. probabiliter ratus, non nisi tunc ab Aegyptiis fore dimittendos. Verùm contrà accidit: nam percussis à Deo nocte primogenitis eorum, tantus irruit super eos timor Hebræorum, quorum causa id patiebantur, vt non sustinentes diem expectare, confestim surgentes Aegyptij, Hebræos à se abire compellerent. Quare licet ipsi posteà Hebræi (vt infrà numero 18. dicemus) aliquantò ante lucem egredi cœpisse videantur; non ideò tamen contra Moysi intentionem fecisse censendi sunt. Et quoniam præuidebat Dominus futurum, vt filij Israël, vrgentibus Ægyptiis eorum discessum, præ instantia & angustiis temporis non possent priùs fermentare ac coquere sibi panes pro viatico, sed cogerentur adferre secum farinam iam conspersam, ex qua deinde, quocumque eos deuenire contingeret, subcinericios sibi panes azymos parare valerent, eisque per plures dies (quemadmodum infrà num. 28. dicetur) sustentari: vt huius quoque rei non obliuiscerentur, præcepit eis per Moysen Dominus, vt ad modum sui exitus, afflictionemque in eo latam perpetuis posteà temporibus rememorandam, deinceps singulis annis per septem dies continuos, à die Paschatis inclusiuè auspicandos, vescerentur azymis; quemadmodum expresè traditur Exodi cap. 12. vers. 15. vsque ad 21. & Leuit. cap. 23. vers. 6. & Numer. cap. 28. versic. 16. Cuius institutionis causa superiùs tacta, disertè exprimitur Deuter. cap. 16. versic. 3. illis verbis: *Non comedes in eo* (hoc est in Phase, de quo ibidem loquitur) *panem fermentatum. septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Aegypto; vt memineris diei egressionis tuæ de Aegypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Ex quo loco manifestè colligitur, quòd panis azymus dicebatur panis afflictionis, non solùm quia ob eius grauitatem aptus erat affligere stomachos, præsertim debiliores; sed inprimis quia erat signum rememoratiuum afflictionis in exitu de Aegypto toleratæ. Constat enim, quòd quemadmodum (vt infrà suo loco dicetur) festum Tabernaculorum septem pariter diebus celebrandum institutum posteà fuit, ad recolendam continuandamq; memoriam peregrinationis quadraginta annorum per desertum, & incommoditatis eo tempore susceptæ, in quo numquam in domibus, sed sub tabernaculis seu tentoriis habitauerant: ita nunc festum Azymorum indictum fuit, ad rememorandam tum afflictionem, quam tempore egressionis de Aegypto per dies triginta edendo panes azymos passi fuerant, tum etiam pauorem per idem pariter tempus ipsis incussum, de quo infrà num 21. agemus. Ex dictis item colligitur, non facilè probandam recipiendamque esse opinionem Francisci Suarez, qui in 3. parte S. Thomæ quæst. 50. art. 6. disput. 40. Sect. 2. non procul à principio, dicere non dubitauit, præceptum de azymis præcipuè videri fuisse negatiuum; ita vt sufficeret ad eius implementum, vt abstinerent à pane fermentato. quia, inquit, præcipiebatur vsus azymi panis non simpliciter & absolutè; sed si quis pane vti vellet. Nam si posset aliquis & vellet illis diebus à pane abstinere, & aliis vti cibis, quantum ex vi huius præcepti, non

PRAECIPITVR ESVS AZYMORVM.

pec-

peccaret, dummodò fermentatum non comederet. Sic ille. Cuius sententiæ videtur expressè contrariari Sacer textus, qui cap. Exod. 12. proximè adducto non solùm vetat fermentatum, sed etiam affirmatiuè, simpliciter & absolutè non semel præcipit, vt vescantur azymis: nam vers. 8. ait: *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes.* & vers. 15. *Septem diebus*, inquit, *azyma comedetis.* item vers. 17. *Et obseruabitis azyma.* & vers. 18. *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam.* & vers. 20. *In cunctis habitaculis vestris edetis azyma.* Quid clariùs & sine vlla limitatione simpliciùs, ac magis absolutè præcipi poterat? & quis non videt, quòd quemadmodum in festo Tabernaculorum, si non habitassent filij Israël septem diebus in tabernaculis, non satisfecissent præcepto celebrandi dictum festum in memoriam quadraginta annorum, quibus olim sub tentoriis habitauerant, peregrinantes per desertum: sic si in festo ac diebus Azymorum reuerà non comedissent azyma, non impleuissent diuinum præceptum de esu azymorum in rememorationem prædicti pauoris & afflictionis passæ quando egressi sunt de Aegypto? Sed hæc obiter sint adnotata.

16. His per Moysen & Aaron in terra Gessen ordinatis, oportet eos confestim inde ad vrbem regiam rediisse, nimirum secundo vel tertio eiusdem mensis die, & quarto rursum, iubente Domino, adiisse Pharaonem, & coram eo sparsisse in cælum cinerem de camino allatum, quo facto, statim orta sunt in hominibus & iumentis vlcera vesicarum turgentium in omni terra Aegypti, & præsertim in ipsismet magis, qui propterea coram Pharaone permanere non poterant. quæ fuit sexta Aegyptiorum plaga. SEXTA AEGYPTI PLAGA, VESICARVM ET VLCERVM.
Post quam increpauit die quinto (vt arbitror) per Moysen Dominus acriter Pharaonem hisce vel similibus verbis: Hæc dicit Dominus: Quia noluisti dimittere populum meum, possem hac vice mittere omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum, & percutere simul omnes pestilentia, vt cognoscant ceteri hominum omnipotentiam meam: verumtamen id non statim faciam, sed priùs mittam successiuè alias plagas meas, vt manifesta magis fiat patientia mea, & obstinatio tua, & vt discant homines, quàm lento gradu diuina procedit ira, vt peccatores ad pœnitentiam expectet, sed demum super impœnitentes diuturnitatem vindictæ grauitate compenset. Adhuc retines populum meum? En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, &c. Igitur sequenti die, qui erat dicti mensis primi sextus, extendente Moyse virgam in cælum, dedit Dominus tonitrua, & grandinem, & fulgura discurrentia; tantoque impetu & copia grando & ignis mixta pariter ferebantur, vt numquam tale quid ab ipsa Ægyptiorum origine visum fuerit. Percussit ergo ista tempestas omnia quæ in agris reperta sunt, præterquam in terra Gessen. & hæc fuit septima Aegypti plaga, cuius etiam meminit Regius Propheta in Psalmo 77. vers. 47. dicens: *Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina; & tradidit grandini iumenta eorum, & possessiones eorum igni.* & in Psalm. 104. vers. 32. *Posuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum. & percussit vineas eorum, & ficulneas eorum; & contriuit lignum finium eorum.* Vbi aduertendum est, per illud *& moros eorum in pruina*, & illud item, *& possessiones eorum igni*, nihil diuersum ab hac plaga indicari; siquidem iam dictum est, in ea ignem simul cum grandine cecidisse: & vox Hebræa, quam Latinus Interpres transtulit *in pruina*, speciem quoque grandinis significare potest, vt aiunt Hebraicæ linguæ professores. Sanè Pharao tam ingenti tempestate perterritus, vocauit Moysen & Aaron, promittens dimittere populum, si obtinuissent à Domino pristinam aëris tranquillitatem; quod tamen suo more posteà facere recusauit. Quamobrem insequente (vt arbitror) die, qui erat dicti mensis septimus, iterùm venerunt missi à Domino Moyses & Aaron ad Pharaonem, denuntiantes ei, quòd si non dimitteret populum, expectaret die proximo à Domino octauam plagam, nempe infinitam locustarum multitudinem: & his dictis, redeuntes egressi sunt à Pharaone; qui rogatus à seruis suis tantum malum pertimescentibus, reuocauit eos, dicens vt irent; verumtamen statim subiungens, interrogauit, quinam essent ituri; & vt audiuit, quòd omnes cum paruulis & armentis proficisci volebant, indignatus negauit quod eis concessisse visus fuerat. Eiecti ergo de conspectu Regis, cùm ad iussum Domini extendisset virgam suam Moyses, confestim ventus vrens exortus est, flansque tota die illa & nocte, attulit manè plagam in ordine octauam, videlicet immensas quasdam locustarum veluti nubes, quæ vbique per Aegyptum sparsæ, operuerunt omnia, vastantes quidquid residuum fuerat post grandinem, nihilque virens relictum est in terra Ægypti. Et hoc est quod significatur in Psalmo 77. vers. 46. illis verbis: *Et dedit ærugini fructus eorum,* SEPTIMA PLAGA, GRANDINIS. OCTAVA PLAGA, VIDELICET LOCVSTARVM.

& labores eorum locustæ. nam nomen Hebraicum, quod ibi Latinus Interpres vertit *ærugini*, in Psal. 104. vers. 34. transtulit *bruchus*, qui est species locustæ, dicens: *Dixit, & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus.* Quamquam credibilius videatur, hanc octauam Aegypti plagam eò fuisse mirabiliorem, quòd quæ singula rarò fruges deuastare solent, illa tunc simul omnia euenerint; illa, inquam, quæ Ioël cap. 1. vers. 4. memorat, dicens: *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Nam quia iuxta varias versiones, vt diximus, vbi in Sacris libris agitur de hac Aegypti plaga, fit mentio locustæ, & bruchi, & æruginis; sicuti hìc ærugo, siue aurugo, idem videtur significare quod apud Ioëlem rubigo, quã nos vredinem dicimus, quòd fruges ita adurat & corrumpat, vt contrectaræ quasi in cinerem redigantur; de qua dicebat Amos cap. 4. vers. 9. *Percussi vos in vento vrente, & in aurugine.* Ita vocabulis locustæ & bruchi, quæ sunt animalia plantis noxia, videtur etiam comprehendi posse eruca, quæ est genus vermium plantas erodentium; & de qua ibidem Amos prosequitur, dicens: *Olïueta vestra & ficeta vestra comedit eruca.* Sed vtcumq; res fuerit, certum est, hanc plagam fuisse grauissimam: siquidem Rex, vt tanto occurreret malo, accersitis protinus Moyse & Aarone, deprecatus est eos vt rogarent Dominum pro locustarum propulsatione. Postero igitur die, qui fuit eiusdem mensis nonus, orante Moyse, venit ventus ab Occidente vehementissimus, qui arreptas locustas proiecit in Mare rubrum, nec vnam quidem in Aegypto reliquit, Exod. cap. 9. & 10. vsque ad vers. 20.

CVR SINVS ARABICVS VOCETVR MARE RVBRVM.

17. Sed quia nunc primum ex Sacro textu in Maris rubri mentionem incidimus, haud ingratum Lectori fore existimauimus, hic germanam adferre causam, cur hoc Mare, rubrum fuerit appellatum; cum nihilominùs constet, eius aquas eiusdem prorsus naturæ & coloris esse, cuius sunt aquæ maris Oceani; immò easdem omnino esse, quæ ab Indico Oceano in Arabicum hunc sinum influunt. Neque enim admittenda videntur, quæ ex antiquorum opinionibus refert Strabo lib. 16. nempe, Mari rubro esse nomen à colore propter reflexionem radiorum apparente; vel à sole cùm supra verticem est; vel à montibus ex adustione rubentibus; vel à fonte quodam, qui aquam rubicundam ac minio plenam in mare emittit; vel à quodam Erythra natione Persa, qui in insulam dicti maris se recepit; vel ab alio Erythra seu Erythræo, Persei & Andromedes filio, qui olim illic dominabatur, & cuius nomen Græce idem significat, quod Latinè, rubrum: quam postremam opinionem sequitur etiam Arrianus Gestorum Alexandri lib. 8. Neque item dici potest (vt alij putarunt) videri aquam illam rubram, propter terram, quæ circa eius littora est, rubram: quia Lusitani (Auctore mox citando teste) qui oras illas accuratè peruestigarunt, ac propriis oculis inspexerunt, asseuerranter negant terram illam esse notabiliter rubram, ita vt tale quid efficere possit. Et si ibidem adessent montes admodum rubri, aut memoratæ solis reflexiones, aut dictus fons minio plenus, aut quid simile; proculdubiò id ipsi, tamquam huius rei, de qua agimus, valdè curiosi, facilè obseruassent, & memorandus Auctor silentio non inuoluisset. Huc accedit, longè credibilius esse, econuersò, dictos Erythræos, à dominio quod in Mari rubro eiusque oris habuisse dicuntur, nomina fuisse sortitos; præsertim si naturalem dictæ rubedinis causam proximè adducendam considerermus; ex qua colligi posse videtur, longè ante dictos Erythræos, & non solùm vsque à Moysi temporibus, vt scripta eius indicant; sed etiam ab ipso mundi exordio, vel saltem ab eius post vniuersale Diluuium reparatione, idem mare sic fuisse nuncupatum. Quid igitur? Dicamus priùs quomodo dicti maris aqua videatur rubra; mox causam aperiemus. Non enim vbique talis videtur, sed quibusdam in locis; neque semper in eisdem, verùm modò hìc modò illic magnæ quædam rubri coloris maculæ conspiciuntur, aliæ quidem longiores, aliæ magis latæ, ac diuersarum figurarum; tamquam si grandia quædam sanguinis vasa ibi sparsim effusa fuissent. Vnde Ioannes de Barros, qui de Regum Lusitaniæ rebus in India gestis, duas librorum Decades Hispano scripsit idiomate, easq; Asia inscripsit, Decad. 2. lib. 8. cap. 1. refert de Alphonso Dalbòquerque, primario Lusitani Regis in India classium duce, & illarum regionum Gubernatore, quòd cùm ostia dicti maris ingressus esset, vidit in eo rubentem quamdam maculam non admodum latam, sed quantum ipsa oculorum acies pertingere poterat, in longum protensam: & addit, quòd cùm eius naues intus valdè progressæ essent, plurimæ eiusmodi maculæ latiores multoque breuiores sparsæ vndique videbantur; & nihilominùs de dictis maculis aqua in vasis hausta, nequaquam rubra, sed limpidissima erat. Quo experimento manifestè conuincitur error quorumdam, qui dictas maculas ex balænarum sanguine, in ipsarum partibus effuso, fieri credebant. Quamobrem admirati, causamque rei diligenter perquirentes Lusitani,

ni, posteà tum ab illarum regionum incolis, tum etiam proprio experimento didicerunt, fundum illius maris naturaliter ferre magnam vim cuiusdam plantæ seu fruticis rubri, ramos proferentis solidos ac graues, instar coralij, ita vt etiam à solo euulsi, in aquis supernatare nequeant: qui maxima inundantium aquarum vi eradicari seu à stipite abrumpi sæpè solent, ac præcipuè prope ostia dicti maris, vbi fluxus atque refluxus aquarum ingredientium & egredientium maiori fertur impetu; quo fit, vt eorumdem virgultorum rubra stramenta per longos quosdam aggeres in ipso maris fundo congerantur; qui deinde, vbi latior sinus est, à varijs inundationibus dissipati, & huc atque illuc aceruatim translati, ex coloris dictorum aceruorum reflexione, reddunt mare illud varijs, vt dictum est, rubentibus maculis respersum; præsertim vbi vnda minùs alta est. Et inde iste potissimùm sinus, & illa item Oceani pars, quæ ab eiusdem sinus angustijs ad sinum vsque Persicum extenditur, Maris rubri nomen accepit. Redeamus ad id vnde digressi sumus.

18. Post ablatam locustarum plagam, cùm nec propterea Pharao Rex dimitteret populum, mandauit Dominus Moysi vt extenderet manum suam in cælum. Quod cùm postero die, qui erat huius mensis decimus, (circa meridiem, vt reor, quò clariùs pateret miraculum tenebrarum à Deo patrandum) Moyses fecisset; illicò subsecuta est nona ac pænultima plaga, quæ cum tribus alijs præcedentibus describitur Exodi cap. 9. vers. 8. vsque ad initium capitis vndecimi; nimirum; factæ sunt tenebræ horribiles ac pænè palpabiles in vniuersa terra Ægypti, excepta dumtaxat terra Gessen: integroque triduo perdurarunt. Oportet autem in eadem die mensis decima, in qua cœpit plaga tenebrarum Ægyptiis, filios Israël, apud quos, vbicumque habitabant, lux erat, præparasse sibi hœdos agnósve Paschales, prout eis præceperat Moyses de mandato Domini, quemadmodum suprà num. 14. dictum est. NONA AEGYPTI PLAGA, NEMPE TENEBRARVM.

19. Die decimatertia post meridiem, nimirum post corporales ab Ægyptiis depulsas tenebras, ac solarem lucem restitutam, vel mane insequente, placuit Pharaoni concedere Moysi & Aaroni, vt educerent populum cum paruulis; ita tamen vt greges in Ægypto relinquerent. Quibus non acquiescentibus, iratus Pharao eiecit eos à se, dicens, ne ampliùs in conspectum suum venire auderent; alioquin scirent se morituros. At verò Moyses cùm audacter ac liberè prædixisset Pharaoni postremam plagam, hoc est, subitum atque improuisum omnium primogenitorum interitum media nocte subsecuturum, & quòd propterea, velint nolint, ipse Rex & serui eius vltrò dimissuri essent Hebræos, statim valde commotus, ab aula Pharaonis exiuit: Exodi cap. 10. vers. 22. vsque ad vers. 10. capitis sequentis. Quibus peractis, etiam prænuntiauit populo Moyses, Dominum decreuisse adhuc vna plaga percurere Ægyptum, subito nimirum atque inopinato primogenitorum omnium interitu; atque hoc pacto cogere Regem ceterosque Aegyptios, non solùm vltrò vt dimitterent Hebræos, sed etiam compellerent eos exire. Et quoniam Hebræi in multis offensi, ac præter omne ius fasque grauati ab Ægyptiis fuerant, quò damna ab eis illata resarcire quoquomodò possent, monuit eos vt peteret vnusquisque ab amicis aut vicinis suis vasa argentea & aurea, & vestes: sic enim mandauerat eidem Moysi iustus & supremus omnium Dominus, Exod. cap. 11. vers. 2. pollicitus se daturum eis gratiam in conspectu Aegyptiorum, vt commodarent omnia quæ petiissent: & hoc, tum in illa met die, tum in ea quæ proximè secuta est, executioni mandatum putamus: quemadmodum & illud quoque quod Israëlitis præceptum fuerat, de agnis Paschalibus ad vesperam diei decimæquartæ immolandis, vt colligi potest Exodi cap. 12. vers. 28. PRAEDICITVR HEBRAEORVM EXITVS DE AEGYPTO CVM VASIS AVREIS ATQVE ARGENTEIS MVTVO ACCEPTIS.

20. Die autem decimaquinta circiter inchoante, quæ post solis occasum diei decimæquartæ (vt suprà num. 14. dictum est) incipiebat, cùm manducassent Hebræi agnos Paschales, ritu eis à Moyse præscripto; ecce media nocte, facta sunt derepentè in Aegypto magna illa duo prodigia, quæ prædixerat Moysi Dominus Exodi cap. 11. vers. 4. & cap. 12. vers. 12. quorum Alterum creditur fuisse illud, quod Hebræi colligunt ex citato Exodi cap. 12. vbi prædicit Deus, in cunctis Aegypti diis se facturum iudicia, & ex Numer. cap. 33. vers. 4. vbi dicitur Deus in diis Aegypti exercuisse vltionem: nimirum collapsa esse vniuersa idola templaque Aegypti, quemadmodum refert B. Hieronymus in epistola ad Fabiolam, quæ est 127. de 42. Mansionibus, Mansione prima. Alterum fuit, repentina atque inopinata omnium primogenitorum interfectio, à primogenito Pharaonis vsque ad primogenitum vilioris ancillæ, quæ vel carceribus, vel ad molam deseruiret. Neque hominum tantùm, sed & iumentorum primogenita, magno spiritus impetu interfecit Angelus Domini eodem tempore in vniuersa Aegypto, ita vt nulla HEBRAEI FACIVNT PRIMVM PASCHA. IDOLA IN AEGYPTO COLLAPSA. PRIMOGENITORVM REPENTINVS INTERITVS.

esset domus, in qua non plangerent Aegyptij mortuum suum; Iudæis interim in cunctis habitaculis suis pacificè quiescentibus. Qua subita calamitate perterriti Pharao & omnes serui eius, probè intelligentes eam euenisse propter negatam Hebræis abeundi licentiam; clamoribus item atque eiulatibus, qui in tota ciuitate audiebantur, permoti; surgentes eadem hora, confestim mandauerunt Moysi & Aaroni, vt velociter educerent populum suum, cum paruulis & gregibus, prout petierant. Certatim ergò Aegyptij, moræ impatientes, ad domos Hebræorum accurrebant, eosque vt quantocyus exirent, compellebant: verebantur enim, ne si illi aliquantispet exitum protraherent, ipsi quoque à Deo percussi, omnes perirent; & propterea, de propria tantùm salute soliciti, nihil minùs cogitabant, quàm de vasis argenteis aureisque, quæ eis commodauerant, repetendis; satis superque sibi ipsis consuluisse existimantes, si Hebræos protinus à se discedere curassent. Et hoc est quod in Psalmo 104. v. 38. innuitur illis verbis: *Lætata est Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.* Itaque non multò post mediam noctem, peruulgata illicò vbique Regis licentia, Hebræi, qui antea præmoniti sese in Ramesse omnes receperant, cœperunt turmatim se ad exitum colligere, prout à Moyse benè instructi priùs fuerant, vt testatur Iosephus 2. Antiq. cap. 5. prope finem. & ex Sacro quoque eloquio certum est, quòd Moyses diuino monitu prædicebat populo successiue omnia, quæ ventura erant, vt statuto tempore ad exitum prompti paratique inuenirentur. Facto autem manè, in modum magni cuiusdam exercitus, iam conglobati egrediebantur cum gregibus armentisque suis, & omnibus quæ ad ipsos pertinebant. Igitur de nocte cœpta est ista egressio, & die iam illucescente, peracta; quemadmodum ex collatione quorumdam Scripturæ locorum aperte colligitur: siquidem Exodi cap. 12. vers. 42. & Deuter. cap. 16. vers. 1. & 6. dicitur, eos nocte illa exisse; quia nimirum exire cœperunt, vt dictum est: at verò Numer. cap. 33. vers. 3. legimus, eosdem egressos esse videntibus cunctis Aegyptiis, ac sepelientibus primogenitos suos; quos procul dubiò non statim ea nocte, quando percussi sunt, sed facto manè sepeliendos curasse, credendum est. Porrò filij Israel omnes sani ac diuites valdè in argento & auro, quod ab Aegyptiis acceperant, exibant, vt dicitur in Psal. 104. vers. 37. *Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Ascenderunt quoque armati de terra Aegypti, vt traditur Exod. cap. 13. vers. 18. & non panes secum pro viatico, sed farinam dumtaxat conspersam, ac præ angustiis temporis necdum fermentatam deferre potuerunt. Sed & ossa Iosephi, (vt ibidem vers. 19. legimus) prout ipse morti proximus Genes. c. 50. vers. 24. adiurauerat filios Israel, asportarunt; &, vt creditur, cum ipsis etiam ossa aliorum Iosephi fratrum; quæ postmodum simul omnia sepelierunt in Sichem, vt nos sub anno mundi 2589. num. 1. probabimus. Fuit autem numerus Hebræorum, qui exierunt de Ægypto, sexcenta ferè millia peditum, absque paruulis ac mulieribus, & præter innumerabile vulgus promiscuum, Exodi cap. 12. vers. 37. subaudi Aegyptiorum omnis ætatis, & sexus, & conditionis, qui ex longa cum ipsis consuetudine ad Iudaismum conuersi, ipsos Hebræos, quocumque eos Deus perduceret, sequi maluerunt, quàm cum idololatris in patria remanere. Vnde non improbabiliter quidam arbitrati sunt, totam summam eorum qui exierunt, ad ter decies centena millia hominum accedere potuisse. Neque verò cuiquam incredibile videatur, quòd tam exiguo tempore, puta sex aut septem horarum interuallo, tot hominum millia exire potuerint: siquidem diuina prouidentia factum putamus, vt omnes statuto tempore præstò fuerint, & nullus eorum exire cunctatus sit; ne ab Aegyptiis, quos emisisse Hebræos non multò pòst pœnituit, ibidem permanere compellerentur.

HEBRAEI EXEVNT DE AEGYPTO.

NVMERVS EXEVNTIVM DE AEGYPTO.

EXITVS ISRAELIS DE AEGYPTO, QVO ANNO AC DIE FACTVS.

21. Iste fuit famosissimus ille Israelitarum exitus de Aegypto, tantopere in Sacris libris celebratus, quem iam satis superque sub anno mundi 2329. num. 13. & sequentibus probatum est, contigisse post annos quadringentos triginta à diuinis promissionibus Abrahæ factis: post annos verò quadringentos peregrinationis seminis eiusdem Abrahæ, ab eiecto Ismaële computandos, vt videre est in tabulis. His adde, eumdem egressum Israelitarum de Ægypto, & consequenter primum Phase eodemmet die ante exitum ab ipsis celebratum, incidisse pridie Sabbati, hoc est Feria sexta, quam vulgò diem Veneris appellamus, eodem scilicet tempore, quo posteà Christus Dominus noster, sacratissima instante sua passione, vetus illud Pascha postremò comedit, ac noui institutione antiquauit. Quod sic colligo: Hebræi trigesimo die ab exitu de Ramesse, vt infrà num. 31. probabitur, fecerunt octauam mansionem in Sin, vbi deficiente farina quam de Aegypto tulerant, desierunt vesci azymis, & dedit eis Dominus in crastinum manna de cælo; quemadmodum infrà num. 32. dicemus: Vbi etiam ex B. Augustino adnotabimus,

bimus, ipsum man descendere cœpisse die primo Sabbati, quem nos diem Dominicum dicimus; & id litteræ etiam Sacri textus satis consonum esse ostendemus. Si ergo dies trigesima prima ab exitu, fuit dies Dominica; necesse est (vt quisque apud se supputare poterit) quòd dies exitus, fuerit dies Veneris; in cuius initio (quod à solis occasu præcedentis diei sumi debere iam diximus) Hebræi comederunt agnum Paschalem. Idem ipsorum quoque Hebræorum testimonio confirmari potest: nam si (quemadmodum Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum in calce capitis quinti asserit) dies vigesimus tertius mensis Iar, erat primus hebdomadæ, quem Hebræi primam Sabbati, nos verò diem Dominicam appellamus; & dies sextus mensis tertij, quando data est Lex, erat Sabbatum; vtique necessariò consequitur, quòd dies exitus populi de Aegypto, qui fuit decimus quintus primi mensis, esset sexta Sabbati, quam nos diem Veneris nuncupamus; vt in Kalendario Hebræorum, quod nos correctum loco inferiùs notando inferemus, computari & videri poterit. Sed huic positioni duo obstare videntur: Alterum est, quòd si hoc esset, videretur consequi, Legem posteà datam fuisse non die sexta tertij mensis, quemadmodum communiter creditur, & nos infrà num. 39. probabimus; sed die septima. Nam quando Sabbatum incidebat in die decimosexto mensis primi, vt contigit in hoc anno de quo nunc agimus; inchoatio septem hebdomadarum pro die Pentecostes inueniendo, differebatur (vt infrà numero trigesimonono ostendemus) in diem sequentem, qui erat decimusseptimus; à quo ad diem septimum tertij mensis inclusiuè, computantur quinquaginta dies, nempe reliqui tredecim primi mensis, & triginta secundi, & septem tertij. Verum huic obiectioni facile est respondere, id non fuisse factum hoc anno; quia illa lex de septem hebdomadis à decimosexto vel decimoseptimo die mensis primi dinumerandis, necdum lata fuerat, nec posteà vmquam obligare aut obseruari cœpit, nisi post introitum populi in Terram promissionis. Cur autem illa vnius diei dilatio esset facienda, infrà num. 39. dicemus. Altera obiectio est, quòd in Kalendario Hebræorum apud Sigonium lib. 3. cap. 18. de Rep. Hebræorum registrato, in die decimoquinto primi mensis, non sexta, sed prima Sabbati ponitur. Ad hoc dicimus, dictum Kalendarium siue à Rabbinis, siue ab ipso Sigonio sic digestum, falsò supponere, quòd primus Anni sacri mensis inceperit à prima Sabbati: at hoc probandum erat: & quia probari non potest, quin etiam ex ipsismet Hebræis, vt dictum est, apertè constat de opposito; proptereà prædictis non obstat, sed potiùs corrigi debet dictum Kalendarium: quod nos non in hac re tantùm, verùm & in aliis, sub anno mundi proximo num. 27. & sequentibus, præstabimus. Ceterùm, quod Deutet. cap. 16. vers. 3. legimus, filios Israël exisse de Aegypto in pauore; & contrà in Psal. 104. vers. 43. Dominum eduxisse populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia: non tam ad istum exitum de Ramesse, in quo nihil Hebræis timendum occurrisse apparet, quàm ad exitum de finibus Aegypti, pertinere videtur: tunc enim primum maximo concussi sunt pauore, quando ad Mare rubrum derepente superuenit eis Pharao armatus. Et licet Domino aperiente eis mirabiliter mare, per medium eius siccis vestigiis incederent; non tamen sine metu esse poterant, propter Aegyptios eadem via insequentes. At quando mari feliciter transuadato viderunt Aegyptios fluctibus obrutos, & cadauera eorum ad littus eiecta; tunc magna cum exultatione ac lætitia inde educti, iter suum prosecuti sunt, quemadmodum infrà suis locis ostendemus. Quare vtrumque verum est, nimirum, quòd & cum pauore & cum gaudio de Aegyptiaca seruitute exierunt; si diuersa illius exitus tempora spectemus. Ab isto exitu de Aegypto institutam posteà fuisse apud Hebræos Æram, vnde annos suos deinceps metirentur, vel ex eo patet, quod Salomonis temporibus, templi eius fundamenta dicuntur iacta anno quadringentesimo octogesimo ab exitu Israel de Aegypto, 3. Reg. cap. 6. vers. 1.

13
30
7
—
50

DILVVNTVR OBIECTA.

QVOMODO ISRAELITAE EXIERINT CVM PAVORE ET LAETITIA.

AERA HEBRAEORVM AB EXITV DE AEGYPTO.

22. Et quoniam Exodi cap. 12. vers. 37. Hebræi dicuntur profecti de Ramesse in Socoth; sciendum est, Ramesse olim nomen fuisse regionis seu agri, in optimo terræ Gessen loco existentis, vbi Pharao in gratiam Iosephi habitare fecerat filios Israel, qui post multa deinde tempora coacti sunt quasdam ædificare vrbes Pharaoni; quarum vna in dicto loco extructa, ab eadem regione denominata est Ramesses, vt sub anno mundi 2438. num. 2. diximus. & hanc puto esse vrbem, de qua primò Hebræi turmatim exisse feruntur. Vnde posset inferri, ipsam Ramesse, propriè loquendo, inter mansiones itineris Hebræorum non esse numerandam: siquidem prima mansio videtur potiùs dici ea quam fecerunt in Socoth. Verumtamen quia B. Hieronymus in epistola ad Fabiolam, superiùs num. 18. citata, & alij ipsum secuti, ponunt primam mansionem in Ramesse, parumque refert, si vel excludendo huius itineris terminos, à quo scilicet, & ad quem, quadra-

DE RAMESSE.

CVR INTER MANSIONES PONATVR PRIMA.

quadraginta tantùm mansiones faciamus, vel eos includendo, quadraginta duas numeremus: ne nouam in hisce mansionibus recensendis rationem inire voluisse videamur, nos quoque cum B. Hieronymo & aliis, hic & in tabella mansionum infrà sub anno mundi 2583. num. 16. inserenda, ponemus primam mansionem in Ramesse; præsertim cùm illuc primùm ex aliis quoque Ægypti vrbibus plurimos Iudæorum confluxisse credendum sit: secundam verò in Socoth, & cæteras eodem ordine, quo pariter describuntur Numer. cap. 33. per totum. Illud tantùm hìc adnotantes, non omnes, quæ in illo itinere fieri contingebant, moras, appellari mansiones, sed illas dumtaxat, in quibus figebant tentoria, vt ibidem aliquamdiu morarentur. Nam alioqui constat eos de quarta mansione ad quintam, itinere trium dierum, profectos esse per desertum Etham, vt legitur Numer. cap. 33. vers. 8. intra quod tempus, necesse est ipsos bis saltem in die aliquantisper in dicta solitudine constitisse, vt se saltem necessariò debitis temporibus cibo somnoque reficerent: quæ tamen morulæ, quia sub dio, non autem in tabernaculis fiebant, mansionum nomine non designantur. Cùm igitur emisisset Pharao Israelitas, Dominus, qui, vt infrà num. 24. probabitur, ex tunc & deinceps præcedebat eos semper in columna nubis per diem, & ignis per noctem, non duxit ipsos per viam terræ Philisthinorum, quæ breuior ac magis plana erat, admodumque visitata; sed ad dexteram flectens, circumduxit eos itinere magis dispendioso ac difficili, per viam deserti, quæ est iuxta Mare rubrum, Exodi cap. 13. vers. 18. id est (vt exponit Iosephus 2. Antiq. cap. 5. prope finem) per Latopolim tunc desertam, in qua postmodum, Cambyse Ægyptum vastante, Babylon, quæ modò Cayrus magna dicitur, condita est. Ibi enim erat via, quæ ducebat ad desertum Ethan, secus Mare rubrum existens, & inde ad montem Sinai, vt videre est in tabella Geographica, quam infrà num. 27. ponemus. Diuino autem consilio facta est eiusmodi circumductio pluribus de causis; nimirum inprimis, vt tangitur loco Exodi citato, ne populus, bello tentatione ve aliqua ingruente, de facili redire posset in Ægyptum: nouerat enim Dominus illius gentis instabilitatem & modicam fidem. Deinde etiam, quemadmodum benè aduertit Iosephus 2. Antiq. cap. 6. ne Palæstini, quos ob veterem simultatem Hebræi infensos habebant, de hac profectione certiores fieri possent. Et item, vt Aegyptij, si mutata sententia abeuntes persequi decreuissent, (quod posteà accidit) malitiæ suæ violatique pacti debitas in mari pœnas luerent. Et denique, vt ipse Moyses ad Terram promissionis perducens populum, posset immolare victimas Domino in monte Sina, quemadmodum sibi idem Dominus imperauerat, futurumque prædixerat Exodi cap. 2. vers. 12.

QVAE PROPRIAE MANSIONES DICENDAE.

CVR DOMINVS DVXERIT POPVLVM VIA LONGIORI ET MINVS COMMODA.

DE ACTIS IN SECVNDA MANSIONE.

23. Cùm autem ex itinere fessi, longiori quiete, præsertim propter paruulos & greges, opus haberent; vidissentque columnam, etiam post visitatum diurnæ nocturnæque quietis tempus, adhuc in eodem loco moram trahere; fecerunt ibi secundam mansionem, erigentes figentesque tentoria, vt commodiùs conquiescere valerent, donec Domino placuisset, ad cuius imperium exinde semper figebant mouebantque tabernacula sua. Locus autem ille deinceps Socoth est appellatus, quòd ibi primùm tabernacula seu tentoria figere cœpissent. Socoth enim idem Hebraicè significat, quod Latinè Tabernacula. In hac secunda mansione, ex farina quam dudum de Ægypto conspersam attulerant, & fermentare præ temporis angustiis non potuerant, fecerunt sibi subcinericios panes azymos, iisque tantummodò se sustentabant, nihil aliud ad cibum pertinens in via, quæ deserta erat, inuenientes. In eodem quoque (vt arbitror) loco, Dominus, qui Israelitas non de seruitute Aegyptiaca tantùm liberare, sed simul etiam ad Legem suam recipiendam præparare, atque in præceptis ac cærimoniis suis per Moysen sensim suauiterque erudire intendebat: cœpit paulatim in eo itinere, pro temporum locorùmve opportunitate, quando scilicet mansiones faciebant, aliqua eis per eumdem Moysen suggerere atque intimare, ac veluti per partes Legem suam ipsis tradere: quippe qui optimè nouerat, homines carnales ac rudes non omnia simul capere posse, iuxta illud quod posteà dicebat Dominus Iesus discipulis suis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò:* Ioan. cap. 16. vers. 12. propterea, inquam, cœpit sensim eos de his quæ postmodum facienda erant, præmonere & instruere. Et hoc est, quod deinde anno huius itineris quadragesimo, ipse Moyses eidem populo ad memoriam reducebat, hortabaturque eum, (Deuter. cap. 8. vers. 5.) vt recogitaret in corde suo; *quia sicut*, ait, *erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum.* Itaque, vt diximus, moram faciente populo in Socoth, cùm benè nosceret Dominus, illud ante omnia eidem populo valdè profuturum ad Legem diuinam promptis animis recipiendam atque obseruandam, si diuina inprimis

inprimis beneficia non obliuiſceretur, ſed ea frequenter deuotéque recoleret, & præſertim venerandam illam eius de miſerrima Ægyptiorum ſeruitute liberationem, modóſque admirabiles, quos in eo inde educendo Dominus tenuerat: idcircò, præter ea quæ ad dictæ liberationis recognitionem in Aegypto iam inſtituerat, nempe, vt deinceps à menſe ſui exitus, annum inchoarent, & eodem exitus die quotannis Paſcha ritibus iam indicatis celebrarent, ſeptemque diebus continuis azyma comederent; nunc ſumpta occaſione, quòd ſubcinericios panes azymos in hac manſione comedere cogerentur, eamdem azymorum ſollemnitatem, iam in Aegypto indictam, eis denuò commendat & replicat; præcipiens inſuper vt de eiuſmodi cultus ratione etiam filios ſuos edocere curent, Exod. cap. 13. verſ. 3. vſque ad 11. Deinde aliud inſtitutum adiungit: nam cùm tunc apud ipſos recens adhuc eſſet memoria repentinæ illius omnium primogenitorum occiſionis, quæ fuit decima Ægyptiorum plaga, ob quam quodammodò coacti ſunt dimittere Hebræos, quod antea, tametſi nouem aliis ſucceſſiuè calamitatibus afflicti, facere recuſauerant: ad tanti prodigij memoriam perpetuò conſeruandam, inſtituit, Vt cùm primùm ad Terram promiſſionis perueniſſent, ſanctificarent cuncta primogenita ſua, tam hominum quàm animalium cunctorum, Domino; ita vt tenerentur, mundorum quidem, puta boum, ouium, aliorumque ſimilium primogenita omnia, octauo ortus die Sacerdotibus dare; immundorum verò commutare, dantes pro primogenito aſini, ouem, & his ſimilia: hominum autem primogenita pretio redimere: Exod. cap. 13. verſ. 2. & 11. vſque ad 17. Porrò hanc primogenitorum legem aliis quoque in locis repetitam, clariuſque explicatam inuenies; nimirum Exodi cap. 22. verſ. 29. & cap. 34. verſ. 19. & Leuit. cap. vlt. verſ. 26. & Numer. cap. 3. verſ. 13. & cap. 8. verſ. 16. & alibi non ſemel.

LEX AZYMORVM.

DE PRIMOGENITIS DOMINO OFFERENDIS AC REDIMENDIS.

24. Profecti de Socoth, venerunt in Etham, in extremis finibus ſolitudinis, id eſt (vt ſentire videtur B. Hieronymus in citata eius epiſtola ad Fabiolam, manſione tertia) in quemdam locum nomine Etham, inter Ægypti & magnæ illius ſolitudinis ad Arabiam ſpectantis confinia exiſtentem; qui locus vel eidem ſolitudini nomen Etham dedit, vel ab ea accepit. In Etham ergò tertiam fecerunt manſionem, de qua ibidem agens B. Hieronymus ait, ibi primùm viſam fuiſſe à filiis Iſraël columnam nubis per diem, & ignis per noctem. Quod fortè ideò dixit, quoniam Scriptura ſacra Exodi cap. 13. verſ. 21. non niſi poſt dictæ manſionis mentionem, meminiſſe videtur eiuſdem columnæ: ſed nobis magis placet, quod ſuprà num. 20. indicauimus, & alij quoque ſenſerunt, nimirum, prædictam columnam ferè ab initio exitus populi de Aegypto apparuiſſe; ſed eius narrationem, per recapitulationis figuram, aliàs in Sacro eloquio ſæpiſſimè viſitatam, fuiſſe poſtpoſitam, quemadmodum & illud quod ibidem præmittitur, de tranſlatione oſſium Ioſephi: ſicuti enim hæc oſſium tranſlatio neceſſariò referenda eſt ad tempus non ſecundæ aut tertiæ manſionis, ſed exitus populi de Aegypto, cuius paulò antè, videlicet verſ. 17. mentio facta fuerat illis verbis: *Igitur cùm emiſiſſet Pharao populum*, &c. ita & illud quod ibidem de memorata columna ſubiungitur, vt ex iiſdemmet Scripturæ verbis ſatis apertè elici poſſe videtur, quæ ſic habent: *Cùm emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſthiim*, &c. *Sed circumduxit per viam deſerti*, ſubaudi Etham, *quæ eſt iuxta Mare rubrum*. Quomodo autem circumduxit eos Deus per viam ducentem ad illud deſertum, niſi præcedens illos in dicta columna? oportet igitur eos ſtatim ac de Rameſſe exierũt, vidiſſe præeuntem columnam, illamque eſſe ſecutos de via conſueta declinantem, ac circumducentem eos ad dictum deſertum. Sanè ex quo hic in huius columnæ mentionem incidimus, operæpretium erit aliqua breuiter de eadem agere; qualia ſunt, non fuiſſe duas columnas, vnam nubis, alteram ignis, ſibi inuicem ſuccedentes, vt Hebræi exiſtimarunt; ſed vnam tantùm, quæ interdiu nubis, noctu verò ignis ſpeciem præſeferebat; vt benè colligunt Caietanus & alij, ex Exod. cap. 14. verſ. 20. vbi eadem columna dicitur Aegyptiis fuiſſe nubes tenebroſa, Hebræis verò ignis illuminans noctem: & verſ. 24. vocatur columna ignis & nubis. Igitur illa nec fuit ſimplex nubes naturalis, nec ignis noſtro ſimilis; quandoquidem ignis proprium eſt calefacere, & ſurſum ferri; nubis verò continere ac demittere pluuias ſuper terram; horum autem nihil tunc opus eſſe videbatur: ſed erat corpus quoddam ex aëre condenſato mirum in modum ab Angelo præparatum, ad vſum illum particularem deducendi populum per illas ſolitudines, ac propterea in modum magnæ cuiuſdam columnæ configuratum, quæ per diem veluti nubes, per noctem verò tamquam ignis eſſe videbatur; & non vi ventorum huc atque illuc inordinatè mouebatur, vt ceteræ nubes; neque alio impetu naturali ad vnum tantummodò

DE ETHAM.

DE COLVMNA NVBIS, QVANDO APPARERE COEPERIT.

QVOD FVERIT VNA TANTVM.

CVIVS NATVRAE ESSET.

locum: sed indifferenter ad omnes loci differentias, prout opus erat, nunc pergens, nunc quiescens, modò rectà incedens via, modò ad dexteram aut læuam deflectens, & quandoque etiam retrocedens, ad nutum Angeli, qui Hebræis à Deo ductor datus, memoratam columnam, tamquam antesignanus vexillum præferebat; atque hoc signo illis, non secùs ac postmodum stella Magis, viam præmonstrabat. Oportet autem eamdem columnam fuisse adeò excelsam, & à terra eleuatam, vt ab vniuerso populo, qui præ multitudine plura terræ milliaria occupasse creditur, commodè videri posset. Huius columnæ meminit Scriptura non solùm locis Exodi cap. 13. & 14. citatis, sed etiam in fine eiusdem libri, & Numer. cap. 9. vers. 15. vsque ad finem capitis, & item cap. 14. vers. 14. nec non in Psalm. 77. versic. 14. & Psalm. 104. vers. 39. & Sapientiæ cap. 18. vers. 3. Verùm autem eadem columna non solùm ad viæ directionem, sed etiam pro vmbraculo ab æstu deseruiret Hebræis; non vsquequaque exploratum habemus: nam licet id videatur posse colligi ex illis verbis Psalmi 104. vers. 39. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctem*. & Psalm. 120. vers. 5. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua.* & vers. 6. *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.* & Sapientiæ cap. 10. vers. 17. *Et deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.* & cap. 18. vers. 3. *Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsura boni hospitij præstitisti.* & cap. 19. vers. 7. *Nam nubes castra eorum obumbrabat.* Attamen, quoniam neque motus neque figura columnæ videntur protectioni atque obumbrationi tanti exercitus conuenire: siquidem ad hoc non nubes gracilis & longa, qualis esse solet columna, sed magis nubes admodum lata & expansa requirebatur: & prætereà, ad eamdem obumbrationem iugiter præstandam, necessarium fuisset, quòd semper inter solem & exercitum fuisset obtenta; & consequenter, vt iuxta solis motum & viæ flexiones, nunc ante, nunc post exercitum moueretur, & quandoque etiam ad latera eius incederet: atqui certum est, quòd ipsa ordinariè præibat exercitum; quare eumdem non semper obumbrare poterat: propterea probabilior videtur opinio illorum, qui putant duas fuisse nubes exercitum illum comitantes; alteram in forma columnæ, quæ ducebat exercitum; & hanc ferè semper præeuntem aut stantem videbant: alteram instar magni cuiusdam vmbraculi superexpansam, ac radijs solaribus oppositam, quæ non semper apparebat, sed æstiuis præsertim temporibus, & cùm opus esset, populum ab æstu protegere consueuerat. & hoc quodammodò videtur indicari Numer. cap. 14. vers. 14. illis verbis: *Et nubes tua protegat illos: & in columna nubis præcedas eos.* Vbi videtur Scriptura distinguere inter nubem protegentem, ac dirigentem: priorem namque appellat absolutè nubem, hoc est, in modum nubis longè lateque expansam; posteriorem verò, columnam nubis, tamquam non in latum, sed tantummodò in altum porrectam.

QVOD DVAE NVBES EXERCITVM COMITARENTVR.

25. De loco illo Etham, in confinio solitudinis Etham existente, vbi tertiam fecerant mansionem, reuersi, hoc est nonnihil ad Occasum; posteà ad Meridiem flectentes, venerunt ad loca quædam Aegypti, feceruntque Israëlitæ quartam mansionem in regione Phihahiroth, inter Magdalum & Mare rubrum, contra Beelsephon, ponentes castra prope ipsum mare: ita enim præceperat Dominus Moysi, quem etiam præmonuerat de his quæ euentura erant: nimirum Pharaonem Aegyptiosque pœnituisse, quòd Hebræos dimisissent, ac propterea illuc cum omni bellico apparatu venturos, vt eos reducerent in Aegyptum; verumtamen id in eorumdem perniciem cessurum. Itaque moram faciente populo in quarta mansione, ecce Pharao armatus cum omni exercitu suo, qui præcedentium vestigia insecutus, tandem quadam die ad vesperam inclinante, reperit eos iuxta mare. Vbi ex vna parte mons præruptis rupibus & omnino inuius ad littus vsque excurrebat, ex alia verò, ipsum mare. Cumque confestim omnes obsedisset vias, quibus effugium Hebræis esse posset, eosdem inter montem ac mare conclusit. Pepercit autem eos statim aggredi, quòd esset exercitus eius in persequendo defatigatus; ratus facilè in crastinum se posse illos aut spontanea deditione, aut armorum vi in pristinam redigere seruitutem. Hæc vt primùm cognouerunt Israëlitæ, protinus trepidare, ac de salute desperantes, lamentis cuncta implere cœperunt, grauissimisque Moysen verbis incusare, quòd eos in tantum discrimen impulisset: ille verò ne animos desponderent placidè hortabatur, sed magis vt bono essent animo, & confiderent in eum, qui tot tantisque portentis eosdem de Ægypto eduxerat, potensque erat de manibus Aegyptiorum liberare. Denique Moyses pollicitus populo opportunum atque indubitatum à Deo auxilium, seditione tandem sedata, perrexit iubente Domino ad littus maris nocte iam incipiente, percussoque virga mari, statim, tamquam in vitro facta scissura, illud mirabiliter

DE HIS QVAE ACCIDERVNT IN QVARTA MANSIONE

PRIMA POPVLI MVRMVRATIO POST EGRESSVM DE AEGYPTO.

liter diuisum est in duas partes vsque in oppositam ripam, (& hoc est quod exprimitur in Psalmo 105. vers. 9. illis verbis: *Et increpuit Mare rubrum, & exiccatum est*, &c.) reliquitque in medio solidam latamque admodum ac spatiosam viam, quam continuò ingressi filij Israël, pedites proficiscebantur per medium sicci maris, habentes ab vtroque

MOYSES DVCIT POPVLVM PER MEDIVM SICCI MARIS.

latere aquas, tamquam muros in altum eleuatas. Porrò Aegyptij cùm præter opinionem abeuntes persequi decreuissent, confestim Angelus Domiui, qui præcedebat Israëlitas, ne quidquam mali ab Aegyptiis paterentur, tollens se de loco anteriori, interposuit se columnamque ignis inter castra Aegyptiorum & Israelis, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore propiùs accedere non valerent; manens quippe nubes illa versus Hebræos luminosa, exhibebat se valdè tenebrosam ab ea parte qua respiciebat Aegyptios Hebræorum terga insequentes. Igitur flante tota nocte vento vrente, hoc est calido & sicco, qui vapores crassos ex tanta aquarum à dextris & à sinistris existentium multitudine, nocturno præsertim tempore eleuari solitos, dissipabat, nimiamque aëris humiditatem, ne Hebræis molesta, vel etiam eorum paruulis noxia esset, ad temperiem reducebat: decem circiter horarum spatio sinum illum festinanter feliciterque transmiserunt; qui, vt in Geographorum tabulis intueri licet, pænè in acutum desinit, & vbi à Moyse diuisus

LATITVDO MARIS VBI A MOYSE FVIT DIVISVM.

fuit, ad nouem millia passuum latitudinis habuisse dicitur, quemadmodum ex Orientalibus Lusitanorum nauigationibus asserit Ioannes de Barros in suis Historiis, Asia inscriptis, Decade 2. lib. 8. cap. 1. vbi accuratam sane Maris rubri descriptionem tradit, additque dictam maris diuisionem fuisse factam contra oppidum in Arabico littore positum, quod ipse vocat Tor, siue Tauris, communiter autem in Chronographorum tabulis appellatur Eltor; cui nunc rectà opponitur in ora Aegyptiaca aliud oppidum nomine Grondol, vt videre est apud Abrahamum Ortelium, speciatim in tabula Turcici Imperij, quæ in ordine *96.* est. Duabus ergo circiter horis ante diem, nimirum currente vigilia matutina, cùm iam Hebræi totum mare traiecissent, & Aegyptij non longè essent ab Arabico littore: ecce Dominus respiciens per columnam ignis super castra Aegyptiorum, cœpit interficere eos, non ferro, sed vt arbitror, quemadmodum exponit Iosephus 2. Antiq. cap. 7. sæuissima quadam tempestate eis immissa: siquidem ad obscurissimas illius noctis tenebras, derepente ventis validissimis impellentibus, cœperunt de cælo ruere cum ingenti fragore magni quidam atque impetuosi imbres, horren-

AFFLICTIO ET INTERITVS AEGYPTIORVM IN MARI.

dis associati tonitruis & fulgoribus coruscantibus, crebrisque fulminum ictibus cuncta misserimè exterminantibus, vt nihil omnino deesse videretur eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent. Quamobrem perterrefacti mirandum in modum Aegyptij, ad locum vnde venerant præcipites reuertebantur, exclamantes ac dicentes: *Fugiamus Israëlem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Diluculo autem, cùm extendisset Domino imperante Moyses manum contra mare, illicò cœpit extendere se, & operire viam quæ per ipsum excurrebat. Oportet autem hanc huius viæ repletionem cœpisse ab eo loco, quo primùm cœperat aperiri, nimirum à littore Ægyptiaco; siquidem ad ipsum confugientibus Aegyptiis occurrerunt aquæ, inuolueruntque Pharaonem cum vniuerso exercitu suo, ita vt ne vnus quidem euadere potuerit; iactaueruntque cadauera eorum super littus Arabicum, in quo iam morabantur Hebræi. Quamquam autem Moyses non videatur expressisse, quòd etiam ipse Pharao submersus fuerit in Mari rubro; id tamen ex eius verbis liquidò colligi potest: nam Exodi c. 14. vers. 28. dicit, quòd *currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare*, operti sunt ab aquis, *nec vnus quidem superfuit ex eis.* & cap. 15. vers. 4. inquit, quòd *electi principes eius* (illi nimirum, qui ipsius Pharaonis personam comitari solebant) *submersi sunt in Mari rubro.* & denique vers. 19. ait: *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris.* Quid clariùs dici poterat? Puto autem Pharaonem maluisse equo ferri per illud iter, quàm curru vehi, quò promptior esse posset atque expeditior, si fortè opus fuisset citiùs retrocedere, ac veloci fuga se de aquarum periculo subtrahere. Sed eum spes ac prouidentia sua fefellit. Etenim si ex verbis Sacris constat, ipsum cum principibus & omni exercitu suo ingressum esse in mare, & nullum ex his qui ingressi sunt euasisse, vt etiam traditur in Psal. 105. vers. 11. illis verbis: *Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit.* Vnque fateri necesse est, quòd etiam ipse Pharao cum toto suo comitatu verè in aquis præfocatus interierit: alioquin sancta Ecclesia in improperio quod canitur Feria sexta in Parasceue, non diceret: *Ego eduxi te de Aegypto, demerso Pharaone in Mare rubrum.* Denique non est quòd de hac Pharaonis submersione quis ambigere debeat: quandoquidem etiam in Psal. 135. vers. 15. apertè legimus: *Et excussit Pharaonem & virtutem eius in Mari rubro.*

Quo

Quo sanè loquendi modo Scriptura sacra videtur insinuare, quòd quemadmodum de pallio virga puluis in terram excutitur; ita Dei vindicta de equo excussus fuit Pharao in mare. Alia lectio ibidem clariùs habet: *Et conualuit*, seu *inuoluit Pharaonem & exercitum eius in mari.* Et adhuc clariùs Chaldaica Paraphrasis (vt videre est in Biblijs Regijs) legit: *Et demersit Pharaonem & exercitum eius in Mari rubro.* Oportet igitur deceptum esse Manethonem, qui (vt refert Iosephus lib. 1. contra Apionem, ante medium) dicit, quòd Tethmosis post emissos Hebræos regnauit in Ægypto annis viginti quinque & mensibus quattuor. Fallitur, inquam, Manethon, quia oportet dictum Tethmosim vel absorptum fuisse in aquis, & non post, sed ante emissos Hebræos, tot annis regnasse; vel diuersum fuisse ab illo Aegypti Rege, qui de suo regno eosdem Hebræos abire permisit: quandoquidem de proprio dicti Pharaonis nomine, valdè inter se discrepant Auctores; nam, vt dixi, Iosephus ex Manethone appellat eum Tethmosim; Cornelius Tacitus circa initia lib. 1. suorum Annalium, vocat Bocchorim; Eusebius in Chronicis, Chencrem; Iustinus Martyr in Oratione ad Gentes, Amasim. Sed quomodolibet nominatus fuerit, certum est, ipsum cum exercitu suo in Mari rubro, iusto Dei iudicio absorptum interiisse, quemadmodum ex adductis Scripturæ sacræ locis ostensum est; & expressè etiam tradiderunt Eusebius vbi suprà, & Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, & alij, & præsertim omnes ferè Psalmi 73. Expositores, qui declarantes verba illa vers. 14. *Tu confregisti capita draconis*, &c. dicunt, ibi per draconem & capita eius, figuratè significari Pharaonem cum principibus suis in Mari rubro demersum. sicuti etiam Isaiæ cap. 51. vers. 9. illis verbis: *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?* vt tradunt illius loci Expositores. Nam & Ezechiel cap. 29. vers. 3. Pharaonem apertè vocat draconem, dicens: *Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Et ad huius intelligentiæ confirmationem, adducunt, quod sequitur, *Et dedisti eum escam populis Aethiopum*, indicare, vel quòd dicti Pharaonis cadauer posteà ab vndis ad Arabicum littus eiectum, factum sit esca coruis, qui ob nigredinem nuncupantur Aethiopes: vel (vt alij existimant) quòd idem cadauer spoliatum fuerit ab Arabibus, qui pariter dicuntur Aethiopes, quòd confines vel etiam mixti essent Aethiopibus, vt nos sub annis mundi 2545. num. 59. & 3093. num. 2. probabimus: vel denique (vt Græci Expositores tradunt) quòd regnum eiusdem Pharaonis, audita Regis eiusque exercitus submersione, reuerà ab Aethiopibus Africanis tamquam Aegypto proximis fuerit deprædatum. Porrò filij Israël videntes Aegyptios mortuos super littus maris, tulerunt spolia ipsorum, vt dicitur Sapientiæ cap. 10. vers. 19. & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius; qui ad exoluendas Deo debitas pro tanto beneficio gratiarum actiones, composuit cecinitque cum suis Canticum illud, quod incipit: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*, &c. idemque seorsum faciebant Maria soror eius, & reliquæ mulieres, cum tympanis & choris præcinentes ac laudantes Dominum: Exodi cap. 14. per totum; & 15. vsque ad vers. 22. & Numer. cap. 33. versic. 7. Atque hoc pacto Moyses Iacobi adnepos ex tribu Leuitica, Deo auctore & adiutore, Israelitas Aegyptiorum seruitute liberauit. Et hæc sunt quæ paucis descripta habentur in Psal. 105. a vers. 7. vsque ad 14. illis verbis: *Et irritauerunt ascendentes in mare, Mare rubrum. Et saluauit eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam. Et increpuit Mare rubrum, & exsiccatum est; & deduxit eos in abyssis, sicut in deserta. Et saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit. Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius.*

HEBRÆORVM EXVLTATIO.

REIICITVR OPINIO HEBRÆORVM DE AMMINADAB, QVOD PRIMVS INGRESSVS SIT MARE.


26. Ceterùm in præfata transitus Maris rubri historia, reiciendas duximus quattuor Hebræorum præsertim opiniones, quas ipsi veterum traditiones appellant. Primam referunt inter alios Lyranus super Exodi cap. 14. & in Canticorum cap. 6. super illa verba: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* inquit enim, quòd aperto mirabiliter per Moysen mari, cum filij Israël non auderent illud ingredi, Aminadab dux tribus Iudæ, magno animo cum suis omnium primus intrauit, aliisque insequendi exemplum præbuit; ac proptereà tribus illa principatum super reliquas promeruit, à Iacob Genesis cap. 49. vers. 8. prophetatum. Idem ferè refert S. Hieronymus super postrema verba capitis 11. Osee, sed sub titulo fabulæ. ita enim ait: *Tradunt Hebræi huiuscemodi fabulam: In exitu Israel de Aegypto, quando ex alia parte mons, ex alia Rubrum mare, & ex alia Pharaonis cingebat exercitus, & inclusus populus tenebatur; ceteris tribubus desperantibus salutem, & aut reuerti in Aegyptum, aut bellare cupientibus, solus Iuda ingressus fideliter est mare; vnde & regnum meruit accipere. & hoc esse quod nunc dicatur: Iudas testis sermonum Dei, & astipulator ac vindex, descendit cum Deo in mare, & inter sanctos fuit fidelissimus,*

ſimus, vt verbis iubentis crederet Dei. Hoc illi dicunt, inquit B. Hieronymus. Cui aſſerenti hanc eſſe fabuloſam Hebræorum narrationem, non autem veram traditionem, credendum putamus, tum propter viri auctoritatem, maximamque traditionum Hebraicarum peritiam, tum quia quæ iſti dicunt, probare non poſſunt: nam citata Canticorum ſcilicet & Oſee loca, multò aliter à ſacris Doctoribus exponi ſolent, vt eoſdem peruoluenti conſtare poterit: & Ioſephus, tametſi Hebræus, & ſuarum traditionum non ignarus, 2. Antiq. cap. 7. oppoſitum teſtatur, apertè dicens, Moyſen primum intraſſe in mare, hortatumque reliquos vt ſe ſequerentur. Quare cum probabile ſit, Leuitas immediatè poſt Moyſen tribus ſuæ principem eſſe ſubſecutos: ſi aliquam ſuper ceteros prærogatiuam ſeu præeminentiam meruerunt qui primi ingreſſi ſunt mare; potiùs dici poſſet, hac de cauſa tribum Leuiticam poſteà aliis in diuino cultu fuiſſe prælatam.

27. Altera opinio eſt, quam non Hebræi tantùm, ſed & nonnulli ex Latinis defendere nituntur: videlicet, Filios Iſrael non totum Mare rubrum tranſmiſiſſe, nimirum ab Aegyptio littore ad Arabicum; ſed ductò intra mare longo circuitu, ſeu ſemicirculo, demum ad littus vnde ingreſſi fuerant, videlicet Aegyptium, rediiſſe: quia, inquiunt, non neceſſarius fuit ipſorum ingreſſus in mare, niſi vt Pharaonis exercitus, qui eos inſequebatur, mergeretur; nam alioqui, cùm Mare rubrum non omnino ſeparet Aegyptum à terra Chanaan, ſed tantummodò partes Aegypti ſuperiores, aliaſque regiones ſuper Aegyptum exiſtentes, ab Arabia; vtque poterant Hebræi tranſire de Aegypto ad Terram promiſſionis abſque tranſitu Maris rubri. Præterea certum eſt, quòd tam ante, quàm poſt ingreſſum exitumque de Mari rubro, Hebræi ambulauerunt per deſertum Etham, vt manifeſtè colligitur ex collatione eorum quæ dicuntur Exodi c. 13. verſ. 20. cum his quæ habentur Num. cap. 33. verſ. 8. ergo ſignum eſt, quòd ad idem littus reuerſi ſunt; ſiquidem non eſt credibile, deſertum illud fuiſſe tam magnum, vt intra ſe includeret ipſum mare. Attamen, quidquid dicant Abulenſis ſuper Exodi cap. 14. quæſt. 9. & Paulus Burgenſis ibidem, qui pro Hebræorum opinione acriter pugnant; proculdubiò cum primariis eorumdem Hebræorum Scriptoribus, Ioſepho ſcilicet & Philone, item cum Gregorio Nyſſeno, Lyrano, Caietano, & aliis, credimus, ipſos Hebræos totum illum maris ſinum traieciſſe, vt liquidò colligi poteſt loco Numer. proximè adducto, vbi ſic legimus: *Profectiq; de Phihahiroth, tranſierunt per medium mare in ſolitudinem.* quod etiam clariùs indicat liber Sapientiæ cap. 10. verſ. 18. vbi non ait, *Circumduxit*, ſed, *Tranſtulit illos per Mare rubrum, & tranſuexit illos per aquam nimiam.* & Apoſtolus 1. ad Cor. cap. 10. verſ. 1. de iiſdem Hebræis verba faciens, ait: *Et omnes Mare tranſierunt:* & ad Heb. cap. 11. verſ. 29. de ipſiſmet dicit: *Fide tranſierunt Mare rubrum.* Quæ Apoſtoli & Sapientiæ verba perſpicuè atteſtantur, non aliquam in mari circuitionem, ſed totius maritimi illius tractus tranſmiſſionem eſſe factam; quemadmodum adhuc manifeſtiùs explicant citati Auctores, Ioſephus 2. Antiq. cap. 7. Philo non procul à fine lib. 3. de Vita Moyſi; Gregorius Nyſſenus non longè à principio libelli de Vita Moyſi; Lyranus, & Caietanus, & alij ſuper allegato Exodi cap. 14. Neque obſtant argumenta ſuperiùs adducta: ſiquidem ſecundum (vt ab eo incipiamus) ſupponit, Phihahiroth fuiſſe in deſerto Etham, quod Scriptura non dicit: & nos credimus, quòd dictum deſertum initium ſumeret à capite ſeu lingua Maris rubri Mediterraneum reſpiciente, ac ſeſe admodum extenderet ſecus latus Arabicum eiuſdem Maris rubri; & quòd filij Iſrael, quando primò venerunt in Etham, putabant ſe poſſe per illud deſertum tranſire in Arabiam, abſque tranſitu Maris rubri, ſicuti iam bis fecerat Moyſes, quando ſcilicet de Aegypto fugiens perrexit in terram Madian, vt habetur Exodi cap. 2. verſ. 15. & iterùm quando inde, iubente Domino, rediit in Aegyptum, vt traditur cap. 4. verſ. 20. & Aaron ſimiliter, quando miſſus à Domino, venit in occurſum Moyſi in montem Sinai, & cum eo reuerſus eſt in Aegyptum, vt patet ibidem verſ. 27. quibus in locis neque Scriptura ſacra, neque Ioſephus, aut Philo, aliive Scriptores, vbi de hoc agunt, vllum faciunt verbum de tranſitu Maris rubri, ſed tantummodò de itinere per deſertum facto. Verumtamen Iſraelitis multò aliter accidit: nam poſteaquam fecerunt tertiam manſionem in Etham, hoc eſt in introitu illius deſerti, coacti ſunt (vt ſuprà num. 22. dictum eſt) ad imperium Domini, qui diſpoſuerat aperire mirabiliter aquas Hebræis, & in illis mergere Aegyptios; coacti, inquam, ſunt columnam præeuntem ſequi, & non ampliùs progredi ad Orientem, per deſertum illud quo tendebant; ſed illo poſt ſe relicto, iter ſuum Meridiem verſus conuertere ad littus eiuſdem maris Ægyptiacum, vt venirent in Phihahiroth, ſicuti præceperat Dominus Moyſi Exod. cap. 14. verſ. 1. quem locum nequa-

AN HEBRÆI TOTVM MARE RVBRVM TRANSIERINT.

nequaquam credimus fuisse in deserto Etham, sed in terra Ægypti iuxta mare, quemadmodum in figura paulò pòst ponenda spectare licebit: & per consequens, non valet argumentum adductum, quòd scilicet ad idem littus Hebræi redierunt, per quod ingressi fuerant mare. Quòd si quis obstinatiùs contendat, potuisse desertum Etham pertingere vsque ad Phihahiroth; etiam hoc posito, non procedet argumentum, quia tunc dicendum esset, desertum illud fuisse adeò magnum, vt illius maris linguam satis arctam à tribus ferè partibus per aliquot milliaria circuiret, ac propterea potuisse populum ab vna illius maritimæ linguæ ripa ad oppositam in eodem deserto peruenire.



Ex hac figura benè percepta, facile etiam erit omnia Abulensis argumenta diluere. Ad aliud argumentum quod primo loco adduximus, dicimus, quòd ex quo placuit Domino, vt Israëlitæ venirent in Phihahiroth, volebatque eos indè venire ad montem Sinai, qui est in Arabia, vt testatur Apostolus ad Galat. cap. 4. vers. 25. multò melius fuit, eos de littore Aegyptiaco transire in Arabicum ei ex aduerso oppositum, per quod compendiosior erat via ad Sinai, quàm semicirculo in mari facto, redire ad littus Aegyptiacum, vnde coacti essent longo admodum itinere iterùm circuire ipsum Mare rubrum, antequam potuissent ad memoratum littus Arabicum peruenire. Itaque ingressus Israelitarum in Mare rubrum, non fuit tantùm vt Aegyptij in eo perirent; sed etiam vt inde breuiori itinere Hebræi ad Arabiam pertransirent.

VTRVM VNA TANTVM, AN XII VIAE IN MARI FACTAE FVERINT.

28. Tertia Rabbinorum opinio fuit, non vnicam in Mari rubro viam diuinitus populo fuisse patefactam, sed duodecim, vt singulæ tribus separatim per singulas vias incederent. Et prætereà addunt, vias illas mirabiliter factas esse floridas ac virentes, adinstar campi germinantis. Et item, terrestria quæ secum ducebant Israelitæ animalia, transmutata fuisse in aquatica. Et hæc colligunt ex Sapientiæ cap. vlt. vbi vers. 7. legimus: *Et campus germinans de profundo nimio.* & vers. 18. subditur: *Agrestia enim in aquatica conuertebantur.* Sed quod attinet ad maris diuisiones, non miror Rabbinos id confinxisse: fuerunt enim in huiuscemodi adinuentionibus admirabiles: sed miratus sum magis, aliquot ex Catholicis Scriptoribus, alioqui eruditissimos, nempe Origenem Homil. 5. in Exodum; S. Epiphanium Hæresi 64. prope finem, vbi obiter recenset miracula Moysi; Abulensem super Exod. cap. 14. quæst. 7. Genebrardum lib. 1. suæ Chronologiæ, & super Psal. 135. vers. 13. non solùm recipere huiuscemodi commentum, sed & niti illud rationibus confirmare. Equidem, quidquid isti dixerint, mihi absque vlla hæsitatione asserendum videtur, vnicam tantummodò in mari viam diuinitus fuisse factam; quando nusquam apparet tribus Israeliticas tunc adeò ab inuicem fuisse seiunctas, vt non possent simul per eamdem viam maritimam, quemadmodum anteà per terrestrem ambulauerant, proficisci. Quòd si duodecim fuissent viæ, vtique opor-

oporteret etiam Pharaonis exercitum in duodecim partes fuisse distributum;& columnam ignis, quæ se tunc dicitur posuisse inter castra Aegyptiorum & Israelis, ita vt toto noctis tempore ad se inuicem accedere non possent, in duodecim columnas esse multiplicatam: hæc verò ex Sacro textu non modò deduci non possunt; sed & eidem omnimodis aduersari certum est. Huc accedit, quòd nulla ratio suadet debuisse fieri tot vias; neque par est multiplicare miracula sine necessitate, præsertim cùm in Psal. 76. vers. 20. apertè legatur: *In mari via tua, & semita tua in aquis multis*. Et Sapientiæ cap. vlt. vers. 7. *Et in Mari rubro via sine impedimento*. via inquam vna, & non plures. Nec refert, quòd in Psal. 135. dicatur, *Qui diuisit Mare rubrum in diuisiones.* quia ibi Scriptura, vt interdum solet, numerum pluralem pro singulari vsurpat; nisi fortè ille sit Hebraismus, idem significans, ac si dictum esset: Qui diuisit Mare rubrum in duas partes; per Metonymiam, accipiens diuisiones pro partibus diuisis, quemadmodum 3. Reg. cap. 11. vers. 31. dicitur: *Tolle tibi decem scissuras*. hoc est, partes pallij scissi. Porrò quod dictum est de campo germinante, herbamque virentem proferente, benè exponit Iansenius super eo Sapientiæ loco dicens, debere accipi tamquam hyperbolicè prolatum, ad insinuandum, quòd Hebræi tanta cum facilitate ac suauitate per viam illam incedebant, quanta per campum herbis floribusque refertum progredi potuissent. Et eodem ferè modo dici potest de illis aliis Sapientiæ verbis: *Agrestia in aquatica conuertebantur*. id est (vt ibidem exponit Dionysius Carthusianus) Animalia, quorum natura est, super terram deambulare, modum quodammodò & proprietatem piscium assumpserunt, eundo per fundum Rubri maris, in quo pisces natare solent. Rectè ergo Iansenius, & ante ipsum Lyranus & alij crediderunt, Sapientem non minùs in prioribus verbis citati capitis, quàm in posterioribus figuratè locutum esse; non autem in posterioribus quidem figuratè, in prioribus verò propriè, quemadmodum putat Ioannes de Pineda in Iob cap. 26. vers. 5. & lib. 4. de Rebus Salomonis cap. 13. Nam etsi (vt ipse ait) quidam Scriptores, & noui Orbis repertores narrent, Parium mare quibusdam herbis florentibus longissimisque, nimirum à radice ad summum cacumen palmorum sexaginta, ita esse refertum & implicitum, vt nauigari nequeat: & Plinius lib. 13. cap. vlt. de aliis maribus, ac speciatim de Mari rubro asserat, eius fundum siluatum arborumque esse feracem, ac producere lauros, oleasque, & alios frutices magnitudine ternorum cubitorum, licet ab iis qui in terra gignuntur nonnihil differentes. Ex quibus videtur posse colligi, prænarrata Sapientis verba ad litteram esse accipienda; & per campum germinantē indicare voluisse, quòd Hebræi gradientes per viam sicci maris inuenerint fundum eius ad modum campi plantas naturaliter producentis. Nihilominus omnia hæc nihil Lyrani Iansenijque dictis aduersantur, immò eorum sententiam magis confirmare videntur: nam si talis fuisset dicti maris fundus quà transierunt Hebræi, qualem naturaliter esse describit Plinius; vtique frutices illi, præsertim in siluæ modum densi, maximo gradientibus impedimento fuissent. Atqui Scriptura sacra apertè contestans, viam illam fuisse sine impedimento, & adinstar campi, nimirum plani, herbas floresque germinantis; profectò videtur non naturalem illius fundi qualitatem significare voluisse, sed potius figurata illa locutione exprimere facilitatem cum quadam amœnitate coniunctam, quam fetuis suis in illo itinere Deus mirabiliter præstitit, vt dictum est.

MARIS RVBRI FVNDVS PLANTAS PRODVCIT.

29. Quarta demum opinio Rabbinorum, superioribus multò (vt sic dixerim) exorbitantior, fuit illa quam refert Lyranus super Exodi cap. 15. vers. 2. vbi exponens illa verba: *Iste Deus meus*, &c. ait: *Dicunt Hebræi, quòd illud pronomen, Iste, facit demonstrationem ad sensum; quia tunc videbant Iudæi Deum, & ostendebant eum digito super Mare rubrum, in aliqua tamen similitudine visibili, puta (vt alij explicant) hominis armati, ac pro ipsis bellantis, iuxta illud quod ibidem subditur: Dominus quasi vir pugnator*, &c. (*Deitas enim sensibiliter videri non potest.*) *Vnde addunt aliud absurdius; nimirum, quòd clariùs tunc vidit populus Deum, quàm postea Propheta.* Hæc autem tamquam figmenta, sine vlla Scripturæ sacræ auctoritate asserta, ea facilitate qua fuerunt prolata, contemni debent, vt idem Auctor ibidem affirmat; subiungens, non esse verisimile, quòd Deus populo illi adeò carnali, qui paulò antè acriter aduersus Moysen murmurauerat, tantam sui ipsius ostensionem præstiterit; & si præstitisset, non eam Scriptura silentio præteriisset. Illud ergo pronomen, *Iste*, non demonstrationem sensibilem indicabat, sed intellectualem, ex effectu tamen visibili causatam; non illo quem nimis audacter (vt solent) confinxerunt Rabbini, sed eo quem Scriptura cap. præcedenti vers. 24. narrauerat dicens: *Iamq; aduenerat vigilia matutina, & ecce, respiciens Dominus super castra Aegyptiorum*

EXPONVNTVR VERBA EXODI CAP. 15. VERS. 2.

rum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, &c. Ex hoc ergo effectu sensibili, nimirum ex mirabili illa Ægyptiorum interfectione, non immediatè à Deo facta, sed per Angelum; neu in forma viri armati, sed de columna nubis & ignis (vt suprà num. 22. dictum est) ventos, & imbres, & tenebras, & tonitrua, & fulgura, & fulmina super Ægyptios iaculantem; intellexerunt Hebræi, Deum ipsis singulari protectione præstò fuisse. hæc autem non humanam excedebant intelligentiam, quemadmodum multa quæ Prophetæ in suis visionibus, humanum captum superantia, singulari quodam Dei beneficio supernaturaliter intelligere meruerunt: vnde Prophetarum mentes multò magis à Deo fuisse eleuatas, & longè maiori lumine illustratas, dubitare nemo debet. Sed iam tempus est, vt ad inchoatam Hebraici populi peregrinationem redeamus.

DE DESERTO ETHAM ET SVR.

30. Actis Deo gratiis pro admirabili illo maris transitu, & omnimoda ipsorum ab Aegyptiis liberatione, filij Israël de Arabico Rubri maris littore discedentes, columna nubis duce, triduo ambulauerunt per desertum Sur, vt dicitur Exodi cap. 15. vers. 22. siue per desertum Etham, vt habemus Num. cap. 33. vers. 8. Ex quibus locis datur intelligi, aut desertum illud duplici nomine fuisse nuncupatum; aut viam illam per quam proficiscebantur, in vtriusque deserti confinio extitisse; aut (quod magis reor) Etham fuisse nomen totius deserti, Sur autem cuiusdam partis, vel contrà, illius inquam partis, per quam gradiebantur Israëlitæ post transitum maris. Igitur die quarta post discessum de mari, fecerunt quintam mansionem in quodam illius deserti loco, quem propter aquarum amaritudinem vocauerunt Mara, id est Amaritudinem; vbi murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum. qui ostendit ei lignum: quod in aquis posuit, illicò dulcorauit eas. In hac mansione dicitur Dominus, nimirum per Moysen, constituisse præcepta atque iudicia populo, eumque tentasse, hoc est egisse cum populo eo modo, quo solet quis quandoque tentare seu explorare intentionem siue internam dispositionem alterius hominis.

DE ACTIS IN QVINTA MANSIONE.

SECVNDA POPVLI MVRMVRATIO IN DESERTO.

Quæ autem fuerint ista præcepta ac iudicia, non exprimitur. Verùm quia quod gratis à Rabbi Salomone asseritur, scilicet tunc data fuisse duo præcepta; alterum de sanctificatione Sabbati, alterum de cineribus vitulæ rufæ cum aqua miscendis, ad legales quasdam coutaminationes abluendas; pluribus ab Abulense rationibus optimè refellitur; neque quænam fuerint tunc data pręcepta sciri potest: idcircò non improbabiliter crediderim, cœpisse tunc Moysen de mandato Domini generaliter disserere in populo de præceptis Decalogi, aliisque à Deo promulgandis; vt vniuersali quadam præcognitione eos disponeret ad leges libenter à Domino accipiendas. Possumus autem verisimiliter conijcere, Moysen huiuscemodi sermones ad populum habuisse: Videtis quomodo Dominus Deus vester, in promissis suis fidelissimus, mirabiliter vos eripuerit de seruitute Aegyptiaca, & interfectis in conspectu vestro hostibus vestris, vos omnes in pristinam patrum vestrorum libertatem vindicauerit. cogitat maiora insuper vobis bona conferre: statuit eligere vos sibi in populum peculiarem, vt sit ipse solus Deus vester, & vos populus eius, & tamquam oues pascuæ eius: propterea daturus est vobis sacrosanctas Leges suas, morales ac cæremoniales, quæ vos dirigant in his quæ pertinent ad diuinum cultum, & ad bonam consuetudinem inter vos retinendam; & item iudiciales, pro bona reipublicæ vestræ conseruatione ac regimine. Præparate ergo corda vestra ad eas deuotè suscipiendas, diligenterque custodiendas; ne fortè posteà, propter inobedientiam obstinationemque vestram, inducat super vos Dominus mala, quæ ipsi vidistis eum super Aegyptios iussionibus suis rebelles induxisse. Hæc aut his similia dixisse Moysen, probabile fit ex his quæ breuiter tanguntur Exod. cap. 15. prope finem. & his actis, de Mara venerunt ad alium illius deserti locum, qui dicebatur Elim; vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, ibique fecerunt sextam mansionem: Exod. cap. 15. Inde postmodum egressi, fixerunt tentoria super Mare rubrum, hoc est, iuxta sinum quemdam illius maris, qui ibidem ingrediebatur dictum desertum. & hæc fuit septima mansio, quæ Exodi cap. 16. vers. 1. præterita est, sed posteà recensita fuit Numer. cap. 33. vers. 10. inter Elim & Sin.

DE VI. ET VII MANSIONE.

DE DESERTO SIN.

31. Mense secundo ab exitu de Aegypto, die decimaquinta mensis, id est, vt paulò pòst demonstrabitur, die ab eodem exitu trigesima, venerunt Israëlitæ, feceruntque octauam mensionem in deserto Sin, quod erat inter Elim & Sinai: Exod. cap. 16. vers. 1. Vnde patet, quinque mansiones, quæ numerantur ab Elim ad Sinai, videlicet septimam, octauam, nonam, decimam, & vndecimam, factas esse in diuersis locis eiusdem deserti Sin; quarum prima nec proprio nec communi vocabulo, sed à maris dumtaxat propin-

propinquitate signatur: altera communi totius deserti nomine, Sin dicitur: tres verò reliquæ propriis quibusdam nominibus notatæ sunt; nempe Daphca, Alus, & Raphidim. Oportet autem hoc desertum Sin fuisse longè diuersum ab eo, in quo infrà sub anno mundi 2583. num. 1. dicemus factam fuisse trigesimam tertiam mansionem, vt aduertit B. Hieronymus ad Fabiolam mansione 33. & ideò ait, primum appellari Sin, alterum verò debere dici Zin. & ita habent plurima Sacri codicis exemplaria. Verùm quia quæ magis probata sunt, videlicet LXX. Interpretum & Vulgata, vtrobique legunt Sin; cogimur dicere, duo hæc deserta, tametsi inter se diuersa, eiusdem nominis extitisse: & propterea hîc addita esse illa verba, ***quod est inter Elim & Sinai***, ad differentiam alterius deserti, quod erat vltra Sinai in Cades. Neque mirum est, fuisse duo deserta eodem vocabulo nuncupata; quandoquidem multas quoque vrbes & pagos iisdem prorsus nominibus appellari, tum apud veteres, tum apud recentiores adeò notum est, vt probatione non indigeat. In hac octaua mansione hæc capite Exodi citato acta fuisse describuntur: Primò, cùm iam defecisset farina, quam tantummodò conspersam, ac necdum fermentatam tulerant de Ægypto, nec quidquam aliud quo alerentur haberent, aut in illo deserto admodum sterili reperire possent; populus, qui tum nolebat pecora & armenta interficere, ne breui, iis quoque deficientibus, fame omnino interiret; cùm in talibus angustiis positus, debuisset clamare ad Dominum, qui dat escam omni carni in tempore opportuno, & implet omne animal benedictione; econtrariò murmurare cœpit aduersus Moysen & Aaron. Et nihilominùs murmurantium insipientiæ atque imperfectioni indulgens miserator & misericors Dominus, promisit dare eis ad vesperam carnes, & manè insequenti panes, idque pronnus opere adimpleuit. Etenim eodem die aduesperascente, ecce innumera pæne coturnicum multitudo volitans, & tamquam valdè fessa, super castra conquiescens, cuncta operuit, ita vt commodè eas capere, hisque saturari cuncti potuerint. In crastinum autem surgentes Israëlitæ, aliud grande prodigium ante omnium oculos positum inspexerunt, nimirum terræ superficiem longè lateque manna coopertam. Et hoc est quod dicitur in Psalm. 104. vers. 40. *Petierunt, & venit coturnix, & pane cæli saturauit eos.* Verumtamen hic prætereundum non est, quod Iosephus 2. Antiq. in calce capitis 5. asserit, filios Israël ab exitu ad hanc mansionem macerata farina modico calore in panis speciem solidata, hoc est azymis, parcè, ad necessitatem potiùs quàm ad satietatem sumptis, per dies triginta fuisse sustentatos.

DE ACTIS IN OCTAVA MANSIONE.

TERTIA POPVLI MVRMVRATIO.

PRIMA COTVRNICVM LARGITIO CAELITVS FACTA POPVLO.

MAN PRIMO DATVM POPVLO.

5 Quod si verum est, vt credimus, vtique oportet supponere, primum primi Anni sacri mensem habuisse non triginta, vt ponunt Hebræorum Rabbini in suis Kalendariis, sed viginti nouē dumtaxat dies; & secundum mensem, triginta; & sic deinceps reliquos alternatim: alioquin ab exitu ad octauam hanc mansionem fluxissent dies non triginta, vt dictum est, sed vnus & triginta. totidem enim à decimaquinta mensis primi die, in cuius initio exire cœperant de Ramesse, ad decimumquintum secundi mensis diem, in quo fecerunt octauam mansionem in Sin, terminis computatis inueniuntur; nempe sexdecim primi mensis, & quindecim secundi. Et quidem melius est ponere, primum Anni sacri mensem Lunarem habuisse viginti nouem tantùm dies; & secundum, triginta; & sic de reliquis; quàm primum, triginta; & secundum, viginti nouem, &c. tum quia etiam ante Sacri anni institutionem, quando anni ducebantur ab orbe condito, menses ita fuisse ordinatos, satis probabiliter colligi potest ex his, quæ sub anno mundi 1656. num. 25. diximus; tum verò maximè, quoniam cùm Luna (vt suprà num. 9. dictum est) viginti nouem diebus cum dimidio cursum suum impleat ab vna eius renouatione ad alteram; multò conuenientius videtur, particulam temporis, quæ ad secundum mensem pertinebat, non debuisse addi primo; sed potiùs è conuerso, in mense secundo supplendam fuisse illam quæ deerat in primo; sicuti videmus fieri in annis Solaribus, qui cùm singuli constent trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante, in quarto quoque anno additur vnus dies, vt quadrantes qui in præcedenti quadriennio defecerant, suppleantur.

PRIMVM PRIMI ANNI MENSEM FVISSE 29. DIERVM.

Cùm igitur Israëlitæ exeuntes de Ramesse die decimaquinta primi mensis (vt paulò antè, & suprà num. 20. dictum est) nihil aliud præ temporis angustiis secum pro viatico deferre potuissent nisi farinam conspersam, & adhuc minimè fermentatam, ex qua postmodum, quocumque eos deuenire contingebat, faciebant sibi subcinericios panes azymos, vt apertè dicitur Exodi cap. 12. vers. 39. die verò decimaquinta mensis secundi, vt paulò antè diximus, defecisset farina de Ægypto allata; consequitur, ipsos triginta diebus continuis aliros fuisse azymis, nimirum quindecim diebus primi mensis, qui à die decimaquinta inclusiuè ad finem mensis defluxerant, & totidem ab ini-

tio secundi mensis usque ad diem decimamquintam inclusiuè decursis. Hinc item apparet verissimum esse, quod omnes ferè Theologiæ mysticæ Scriptores affirmant, non priùs datum fuisse populo panem de cælo, quàm defecisset ille, quem de terra Aegypti detulerant.

DE LEGIBUS COLLIGENDI MAN. 32. Itaque cùm die decimasexta mensis secundi ab exitu, vt dictum est, manè surgentes filij Israël, vidissent per circuitum castrorum in solitudine terram in modum pruinæ coopertá manna; nescientes quid esset, dicebant ad inuicem: *Manhu? quod significat: Quid est hoc? Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* propterea Hebræi nuncuparunt illum Man. Et continuò Moyses tradidit eis leges in eo colligendo obseruandas: vt scilicet in singulos priores quinque dies colligerent tantummodò quantum eis pro illo die sufficeret, nimirum ad rationem vnius mensuræ gomor, quæ decima pars est ephi, per singula capita: die verò sexto duplum, vt haberent etiam pro die septimo, in quo non pluebat Man; quia volebat Dominus vt eo die sabbatizarent, abstinentes ab operibus seruilibus, quò possent accuratiùs diuino cultui vacare. Igitur qui hasce leges obseruare neglexerunt, præterquam quòd à Moyse grauiter obiurgati sunt, insuper etiam experimento didicerunt, nihil sibi profuisse inobedientiam suam: quandoquidem, & qui plus minúsve colligerant, neque minus neque amplius habuerunt; & qui illud præ diffidentia seruare voluerant, in crastinum scatere vermibus, ac computruisse experti sunt, præterquam in die septima; & denique, qui die Sabbati ad colligendum exierant, nihil omnino quod colligerent inuenerunt. Erat autem Man quasi semen coriandri, album, siue coloris bdellij: & licet

MAN QUALE. crudum gustui non esset insuaue; (siquidem, vt dicitur Exod. cap. 16. vers. 31. habebat saporem quasi similæ cum melle commixtæ:) attamen ad maiorem gratiam ei conciliandam, solebant præparare illud frangentes primò mola ad modum tritici, vel terentes in mortario; deinde coquere in olla, & facere ex eo tortulas saporis quasi panis oleati, hoc est cum oleo in sartagine cocti, Num. cap. 11. vers. 7. Quamquam præter dictum saporem, qui erat ei naturalis, alium quoque habebat supernaturaliter ei ad

DUPLEX EIUS SAPOR. singularem illius populi delectationem inditum, quo cuiusuis comedentium desiderio appetituive plenè satisfacere poterat; cuius rei præclarum Sapientiæ cap. 16. vers. 20. habemus testimonium illis verbis: *Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem: substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* hactenus verba Sapientiæ. Neque paucis tantùm diebus hoc tam excellenti cibo cælitus

QUAMDIU HEBRAEI MANNA ALTI. alti sunt Israëlitæ; sed deinceps quotidie, vsquequò ad fines terræ Chanaan peruenerunt, spatio scilicet annorum quadraginta. In cuius facti memoriam mandauit Dominus Moysi, Moyses verò Aaroni, vt gomor plenum Man loco apto reponeret, posteà in Tabernaculo fœderis, cùm extructum foret, coram Domino perpetuò asseruandum, vt scirent posteri, quo cibo pauisset Dominus patres ipsorum tot annis in deserto. Sed & illud quoque mirabile fuit, quòd Man de mandato Domini sic repositum, tanto tempore illæsum atque incorruptum permanserit, cùm alioqui neque in alterum diem à putredine præseruari posset, vt cognoscamus quanta sit diuini præcepti vis, & sanctæ obedientiæ virtus. Ceterùm, si Manna dari cœpit Hebræis in prima Sabbati; quam nos diem Dominicam appellamus, vt testatur S. Augustinus in Serm. 154. de Tempore, vbi plura alia eademque mirabilia à Deo opera in hac die patrata recenset; & non obscurè item videtur comprobari posse ex cap. 16. Exodi, vbi à vers. 17. ad 31. accuratè legentibus apparet, Hebræos aliquot vicibus seu diebus antequam veniret sexta & septima dies, collegisse ac comedisse Manna: vtique necessariò consequitur, verum esse quod suprà num. 21. adnotauimus, videlicet primum Pascha ab Hebræis in exitu de Aegypto celebratum, incidisse in die Veneris, qui incipiebat immediatè post solis occasum diei præcedentis, quemadmodum præcisè etiam contigit post bis mille annos, & ampliùs imminente Passione Christi; & consequenter constat, ipsum Christum celebrasse Pascha cum discipulis suis non modò eodemmet tempore, quo secundùm Legem celebrari debebat; sed etiam eodemmet currentis hebdomadæ die, quo olim fuerat institutum, ac prima vice ab Hebræis celebratum; quod hîc obiter notatum sit. Prænotatam Mannæ historiam descriptam inuenies Exodi cap. 17. per totum.

MANSIO 9. 10. ET 11. 33. Egressi de octaua mansione facta in Sin, fecerunt nonam in Daphca, decimam in Alus, & vndecimam in Raphidim, Numer. cap. 33. vers. 12. & Exodi cap. 17. vers. 1. Ibi non inuenta aqua, non solùm murmurauit populus contra Moysen; sed & ausus

est

est tentare Deum, ac dubitare de prouidentia eius, dicens: *Estne Dominus in nobis, an* QVARTA PO-
non? Fuit autem hoc eò maius peccatum, quò maiora atque euidentiora viderant PVLI MVR-
signa diuinæ erga ipsos prouidentiæ ac paternæ gubernationis. Vnde magis elucet MVRATIO.
admirabilis Dei tolerantia, qui nihilominùs (vt dicitur in Psalm. 104. vers. 42.) *memor verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.* id est, memor promissionis factæ ipsi Abrahæ seruo suo, de eius progenie ab Aegypto in terram Chanaan reducenda; non eos (quemadmodum ipsorum perfidia ac diffidentia postulare videbatur) in deserto deleuit; quin potiùs præcepit Moysi, vt percuteret petram Horeb virga, qua du- PRIMA A-
dum percusserat fluuium Aegypti; quo facto confestim exiuit aqua, bibitque populus, QVAE EDV-
& cessauit murmuratio eius. Et hæc fuit prima eductio aquæ de petra, quæ describitur CTIO DE PE-
Exod. cap. 17. à vers. 2. vsque ad 8. nam altera traditur Num. cap. 20. vers. 1. vsque ad 14. TRA.
Patet autem ex vtriusque narratione, has fuisse inter se valde diuersas: quandoquidem prima facta est mansione 11. in Raphidim, secunda verò mansione 33. in Cades, QVOMODO
In prima legimus, populum non modò murmurasse aduersus Moysen; sed & tentasse FVERIT DI-
Deum, vt dictum est: in secunda, eumdem populum tantummodò versum in seditio- VERSA AB
nem contra Moysen & Aaronem. In prima habemus, solum Moysen clamasse ad Do- ALTERA.
minum, nulla facta tabernaculi mentione, quod adhuc factum non erat: in secunda specialiter dicitur, Moysen & Aaronem ingressos tabernaculum fœderis corruisse pronos coram Domino. Prima dicitur facta coram senioribus, secunda autem coram omni Israëlitarum multitudine. Prima commissa fuit soli Moysi, secunda Moysi & Aaroni. Prima in petra montis Horeb semel percussa, secunda in alia petra existente in Cades bis percussa. In prima nihil innuitur, quòd Moyses in fide hæsitauerit, & quòd vllam meruerit à Deo castigationem: in secunda verò hæc expressè legimus: *Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron, Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Denique locus primæ, nuncupatus est Tentatio: at secundæ, vocabulo Aquæ contradictionis designatur. Vtriusque huius miraculi indistinctè fit mentio in Psalm. 77. vers. 15. & Psal. 104. vers. 41. illis verbis: *Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abysso multa. Et eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas. Dirupit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina.* & 1. ad Corinth. cap. 10. vers. 4. vbi Apostolus indicat, petram illam quæ percussa dedit aquas, significasse Christum, qui in sua passione pro nobis à Deo percussus, obtinuit populo Christiano abundantiam diuinæ gratiæ, inquit enim: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.*

34. Sed hîc dubium occurrit. Si à Raphidim ad Sinai, Sacra attestante historia, tantum intercedebat itineris, quantum ab vndecima mansione ad duodecimam; & idem mons creditur fuisse Horeb cum monte Sinai; quî fieri potuit, vt Moyses in Raphidim manens percusserit petram montis Horeb? Ad hoc antequam respondeamus, oportet MONS HO-
priùs videre quomodo verum sit quod supponitur, nimirum, eumdem fuisse montem REB ET SI-
Horeb & Sinai. Nam licet B. Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis, verbo Choreb, NAI, AN
posteaquam Eusebij, illius libri Auctoris, verba transtulit, dicens: *Choreb mons Dei in* IDEM, VEL
regione Madian, iuxta montem Sina, supra Arabiam in deserto, &c. mox ex propria sen- DIVERSVS.
tentia subiungit: *Mihi autem videtur, quòd duplici nomine idem mons, nunc Sina, nunc Choreb vocetur.* attamen huius S. Doctoris sententiam nos sic interpretandam censemus, vt reverà non fuerint duo montes sibi inuicem proximi, quemadmodum putauit Eusebius; sed vnus dumtaxat mons in longum valde porrectus, & duplici vocabulo nuncupatus, non quidem secundùm se totus, sed secundùm partes, ita vt pars eius Occidentalis, quæ radices suas vsque prope Raphidim extendebat, propriè diceretur Horeb; & sic benè potuit Moyses prope Raphidim percutere petram montis Horeb: Orientalis verò pars, quæ intra desertum Sinai excurrebat, ab eiusdem deserti nomine, mons Sina vel Sinai denominaretur: alioqui oporteret locum in quo percussa est petra, non semper Horeb, sed quandoque & Sinai fuisse appellatum; quod nusquam inuenimus. Cur autem tantummodò locus vbi fecit populus duodecimam mansionem, & vbi data est Lex, interdum vocetur Horeb, interdum verò Sinai, quemadmodum ex locis proximè adducendis constabit: hanc credimus extitisse causam; quia scilicet ibi tum in ipso montis cacumine, vbi data fuit Lex, tum inferiùs vbi stabat populus, terminabant dictæ illius montis partes, Occidentalis videlicet, & Orientalis: quare non mirum est, si ille locus tantùm vtroque nomine deprehenditur appellatus; & quæ ibi facta sunt, aliquando in Sinai, aliquando in Horeb facta esse dicuntur, propter vtriusque partis confinia ibidem inuicem concurrentia. De duplici autem eiusdem loci appel-

appellatione, possent hîc plura Scripturæ adferri testimonia; sed breuitatis ergô paucis contentus ero. Et primò legimus Exodi cap.3. vers. 1. Deum apparuisse Moysi in rubo in monte Horeb; & cùm vellet eum mittere ad Pharaonem, dixisse ei vers. 12. *Ego ero tecum & hoc habebis signum, quòd miserim te; cùm eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum.* Atqui ex Exod. cap.24. vbi hæc immolatio describitur, apparet, præcipuè vers.16. eam fuisse factam in monte Sinai. Item ex postremis verbis Exodi cap. 31. & ex toto capite sequenti, manifestum fit, Israëlitas fecisse adorasseque vitulum aureum ad radices montis Sinai, vbi morabatur populus eo tempore, quo mansit Moyses in vertice eiusdem montis quadraginta diebus, vt Legem Domini mereretur accipere: & tamen in Psalm. 105. vers. 19. dicitur: *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile.* Denique vide Exod.cap.19. præcipuè vers. 11. 18.& 20. item cap.24. vers.16.& c.31. vers.18.& cap.34. vers.2.4.29.& 32. Ex his enim & aliis plerisque sacræ Scripturæ locis apertè colligitur, Legem datam fuisse in monte Sinai: quod etiam testificantur Apostolus ad Galatas cap.4. vers.24. illis verbis: *Hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Sina,* &c. & S. Ecclesia in festo S. Catharinæ, dicens: *Deus, qui dedisti Legem Moysi in summitate montis Sinai,* &c. Et nihilominùs, si attendas quæ dicuntur Deuter. cap.4 præsertim vers. 10.&.15. & cap.5. vers. 2. & deinceps; proculdubiò inuenies, Legem datam fuisse in monte Horeb. quod etiam manifestè colligitur 3.Reg.cap.8. vers.9. & lib.2. Paralip. cap.5. vers.10. quibus in locis legimus, quòd *in Arca nihil aliud erat, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando Legem dedit Dominus filiis Israël.* & Malach.cap.4. vers.4. *Memento* (inquit Dominus) *Legis Moysi serui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Israel.* Optimè igitur Ecclesiastici c.48. vers.7. vbi memoratur locus, in quo data fuerat Lex, ponuntur hæc duo nomina, Sina & Horeb. Sic enim dicitur: *Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defensionis.* Et hoc ideò factum putamus, vt clarius fieret, pro vno eodemque loco debere accipi Sina seu Sinai, & Horeb, ob causam superiùs adductam: & consequenter, quotiescumque legimus Israëlitas profectos esse de Horeb, (vt speciatim dicitur Deuter.cap.1. vers.2. & 19.) debere intelligi eos profectos esse de Sina, hoc est de duodecima mansione, quæ ibi supponitur facta in Horeb: Exodi autem cap. 19. in principio, & Num. cap.33. vers.16. dicitur facta in Sina seu Sinai.

ISRAEL LACESSITVS PVGNAT CONTRA AMALECITAS.

☞ 35. In Raphidim faciente populo vndecimam mansionem, ecce Amalecitæ, de quorum progenie atque inhumanitate sub anno mundi 2319. num. 9. diximus; veriti ne oppida ipsorum, ab illo deserto non valde distantia, ab Israelitis occuparentur; vt erant admodum audaces, tempus præripientes, derepentè eos inuadunt; & extremos agminum Israel, nihil mali à fratribus suspicantes, cædere aggrediuntur (erant enim Amalecitæ, vt anno proximè citato docuimus, posteri Esau fratris Iacob, à quo ipsi Israelitæ descenderant.) Quamobrem præcepit Moyses ministro suo Iosue, vt confestim deligeret sibi viros ad bellum expeditos, ac sequenti die pugnaret aduersus Amalecitas. Ipse verò in crastinum, tenens virgam in manu sua; & ascendens cum Aaron & Hur in proximum collem, vnde prælantes spectari poterant, orabat assiduè pro populo Israel. Accidit autem, vt orante Moyse, quandocumque manus attolleret, superarent Hebræi; quando verò tantisper eas remitteret, vincerent Amalecitæ. Ad quod aduertentes Aaron & Hur, supponentes ei lapidem, in quo sedit, ipsi vtrimque sustentabant manus Moysi graues & lassas vsque ad solis occasum. Itaque tandem, Deo benè fauente, victor euasit Israel; & Iosue Moysi orationibus adiutus, profligauit hostes.

MOYSES ORAT PRO ISRAELE PVGNANTE CONTRA AMALECITAS.

Vsqueadeò autem displicuit Domino iste Amalecitarum ausus, vt statim mandauerit Moysi, vt rem gestam in libro describeret, ad ipsius Iosue, qui Moysi successurus erat in ducem populi, & posterorum eius memoriam; tum vt discerent se non tantum armis, quàm deuota suorum ducum supplicatione, de hostibus suis victoriam consecutos, & in posterum quoque consecuturos; tum verò præcipuè, vt certò scirent, se diuino mandato teneri, pro temporis opportunitate de Amalecitis vindictam sumere, & eos de terra delere. Quare non mirum est, si posteà Moyses morti proximus, in libro Deuteronomij, in quo diuina mandata collegit, hæc ad verbum scripta reliquit cap. 25. vers. 17. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Aegypto; quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum. Cùm ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes, in Terra quam tibi pollicitus est: delebis nomen eius sub cælo. Caue ne obliuiscaris.* Hæc cùm multis posteà elapsis temporibus in eodem Legis libro scripta reperisset Samuel Propheta, bonam nactus occasionem, rem

IVBET DOMINVS EVMI VINDICTAM DE AMALECITIS.

per

per Saulem Regem adimpleri curauit, vt infrà suo loco dicetur. Atque ita tunc, iubente ac iuuante Domino, funditus euersi prorsusque deleti sunt populi Amalecitarum; vt numquam posteà caput leuare, aut ruinas reparare potuerint. Hunc etiam ipsorum interitum, eiusque causam, longè antè præuiderat prophetaueratque Balaam ariolus Numer. cap. 24. vers. 20. dicens: *Principium gentium Amalec, cuius extrema perdentur.* siue, vt alia habet translatio, *finis eius sempiterna perditio.* significare volens, Amalecitas ideò diuina vltione penitus interituros, quoniam primi fuerunt ex illis gentibus, qui Israelitas ad Terram promissionis pergentes inuadere atque oppugnare conati sunt. Ceterùm Moyses, fugatis per manus Iosue Amalecitis, ædificauit altare Domino, super quo etiam creditur immolasse victimas pro gratiarum actione; victoriam illam, exaltationemque super inimicos suos, à sola Dei benignitate recognoscens, & simul etiam spiritu prophetico intelligens, diuinæ voluntatis esse, ne vmquam Hebræi cum Amalecitis pacem componerent; sed vt hostes perpetuò haberent, donec eos tandem aliquando omnino delere possent: Exodi cap. 17. vers. 8. vsque ad finem capitis.

36. Quoniam autem superiùs diximus, Moysen ascendisse in collem cum Aarone & Hur, si quis quærat de isto Hur, cuius nunc primùm fecimus mentionem, quisnam fuerit; dicimus ipsum fuisse filium Caleb filij Hesron, filij Phares, filij Iuda, vt apertè colligi potest 1. Paralip. cap. 2. vbi vers. 4. traditur, quòd Thamar nurus Iudæ genuit eidem Iudæ Phares & Zaram, & vers. 5. quòd Phares genuit Hesron, & vers. 9. inter filios Hesron connumeratur quoque Caleb, & vers. 18. & 19. quòd Caleb filius Hesron de altera sua vxore Ephrata genuit Hur, & vers. 20. quòd Hur genuit Vri, & Vri genuit Beseleel. Quæ posteriora verba etiam omnino consonant cum his quæ legimus Exodi cap. 31. vers. 2. videlicet, *Ecce, vocaui ex nomine Beseleel filium Vri, filij Hur.* Non benè ergo videtur procedere Abulensis super Exod. cap. 17. quæst. 5. vbi in refellenda opinione quorumdam existimantium quòd iste Hur fuerit filius Caleb & Mariæ sororis Moysi, pluribus nititur ostendere, ipsum Caleb tunc triginta nouem ad summum fuisse annorum, quando Maria nonaginta annos vel ampliùs nata erat, & propterea non esse verisimile, quòd vir adeò iuuenis ducere voluerit mulierem adeò grandæuam, vel quòd mulier adeò vetus duxerit virum tam integræ ac spectatæ ætatis. Hæc enim & eiusmodi argumenta non militant in Caleb filio Hesron, sed in Caleb filio Iephone, qui fuit illo longè posterior, vt sub anno mundi 2545. num. 67. dicemus; & erat triginta octo annorum, quando Maria agebat annum vitæ octogesimum octauum, vt patet in tabulis. Fallitur ergo loco citato Abulensis, accipiens pro Caleb filio Hesron, Caleb filium Iephone: nam alioquin potiùs debuisset econuersò dicere, Caleb filium Hesron non potuisse ducere dictam Mariam, quia ipse erat nimis senex respectu Mariæ: siquidem (vt idem Auctor benè probat super 1. Paralip. cap. 2. quæst. 9.) oportet Caleb filium Hesron fuisse octoginta nouem annorum, quando nata est Maria. Vnde vix credibile est, quòd ipse adhuc superstes esset, quando ipsa ad ætatem nubilem peruenit. Et præterea probari non potest, quòd eadem Maria Ephratæ etiam nomine vmquam fuerit appellata. Itaque necesse est, quòd prædictus Hur non fuerit filius Caleb filij Iephone, (quod & ipse quoque Abulensis super Exod. cap. 35. quæst. 3. quasi se ipsum corrigens, pluribus demonstrauit) sed quòd, vt diximus, fuerit filius Caleb filij Hesron; & quòd mater eius Ephrata, quam dictus Caleb post obitum Azubæ prioris suæ vxoris loco Paralip. citato duxisse, & ex ea Hur genuisse dicitur, longè diuersa fuerit à Maria sorore Moysi. Quàre multò probabiliùs dici potest, eumdem Hur non filium fuisse, sed maritum eiusdem Mariæ; quæ quando exiuit de Ægypto, agebat vitæ annum octogesimum octauum, vt patet in tabulis. Poterat enim Hur tunc esse eiusdem pænè ætatis, vel etiam aliquanto quàm ipsa senior: nam ab anno quadragesimo introitus Israelis in Ægyptum, in quo tum ex loco Abulensis proximè adducto, tum etiam ex nostris tabulis, patet natum esse patrem eius Caleb, vsque ad annum de quo nunc agimus, intersunt anni centum septuaginta sex, vt dinumerari potest in eisdem tabulis. quare potuit Caleb fuisse annorum octoginta, vel octoginta sex, quando genuit Hur; & ipse Hur hoc tempore, vel nonaginta, vel sex & nonaginta. Cui positioni suffragari potest, quòd per hæc tempora Hur habebat ex filio Vri nepotem nomine Beseleel, qui iam erat vir in multis valdè peritus & sapiens: fuit enim vnus ex duobus illis architectis à Domino non multò pòst electis ad tabernaculum fœderis, & omnia ad ipsum pertinentia aptè ornateque conficienda, vt sub hoc eodem mundi anno num. 7. dicemus. Itaque tum propter rationes proximè adductas, & paulò pòst adducendas; tum verò maximè propter auctoritatem Iosephi Auctoris antiquissimi, & Hebraicarum rerum

peritissimi, qui benè potuit vidisse aliquos saltem illorum vetustissimorum Scriptorum libros in sacra Scriptura memoratos, & iam diu temporum iniuria deperditos, quorum nos breuem catalogum sub anno mundi 2583. num. 12. conficiemus; credimus quòd dictus Hur fuerit memoratæ Mariæ vir, quemadmodum aperte tradit ipse Iosephus 3. Antiq. c. 2. & idem repetit confirmatque cap. 4. Et hoc etiam tenent Abulensis super Exod. cap. 31. quæst. 1. & super cap. 35. quæst. 3. & Cardinalis Baronius in Apparatu ad suos Annales, & Suarez Tomo 2. in 3. Par. S. Thomæ quæst. 28. art. 4. disp. 6. sect. 3. tametsi Iosephus cap. 4. & Baronius vbi suprà, memoriæ (vt reor) lapsu fallantur in eo quòd addunt, ipsum Hur ex eadem Maria genuisse Beseleel: quandoquidem Beseleel non filius dicti Hur fuit, sed nepos, vt patet ex locis Paralip. & Exod. paulò superiùs adductis. Ceterùm de isto Hur nihil aliud certò affirmare possumus, nisi quòd (vt ex dictis colligi potest, & apertè traditur Exod. c. 31. vers. 1.) erat de tribu Iuda, (quam tribum aliàs quoque cum tribu Leuitica iungere connubia consueuisse constat Exodi cap. 6. vers. 23. & 2. Paralip. cap. 22. vers. 11.) & quòd erat valdè honoratus & sapiens: siquidem videbatur Moyses ipsum quodammodò æquiparare Aaroni; nam ambos solosque secum duxit in memoratum collem, & ipsi pariter sustentabant manus Moysi in oratione positi, vt dictum est; & posteà etiam Moyses montem Sinai ascensurus, eosdem reliquit, qui interim sui vicem supplerent in diiudicandis populi quæstionibus, vt patet Exod. cap. 24. vers. 13. vbi sic legimus: *Ascendénsque Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hîc donec reuertamur ad vos. habetis Aaron & Hur vobiscum; si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Ex quibus quoque omnibus satis verisimiliter confirmari potest, quòd Hur fuerit cognatus, vel potiùs affinis Moysi & Aaronis, hoc est maritus Mariæ sororis eorum; & propterea ab eis adeò dilectus & honoratus. Nec quemquam mouere debet, quòd aliqui putauerint dictam Mariam fuisse virginem, inter quos referuntur S. Gregorius Nyssenus, & S. Ambrosius locis proximè citandis: tum quia dicti Auctores nullo solido videntur niti fundamento; neque pro se vllum ex antiquioribus probatisque Scriptoribus adferunt, aut vnde id sumpserint, dicunt; neque Iosepho Iudæo, Sacerdoti, & Hebraicarum antiquitatum scriptorumque veterum, vt diximus, litteratè peritissimo oppositum disertis verbis non semel asserenti, & mariti Mariæ nomen proferenti, quidquam respondent: tum etiam quia eorum opinio rectæ rationi repugnare videtur; nam non est verisimile, quòd illis temporibus, in quibus abstinentia à liberorum propagatione communiter probro dari solebat tam viris quàm mulieribus, Maria numquam nubere voluerit. Sed neque dicere possumus, ipsam fuisse virginem quando transiuit per Mare rubrum, posteà verò nupsisse; quia hoc non videtur credibile: quandoquidem ipsa, vt dictum est, iam ingressa erat annum vitæ octogesimum octauum quando exiuit de Ægypto. Quis autem credat, ipsam tot annis mansisse innuptam, ac posteà in tali ætate nubere voluisse? Sed (vt etiam speciatim dictis Auctoribus respondeamus) certè Nyssenus lib. de Virginitate cap. 19. quibusdam tantùm videtur duci coniecturis, quæ nullam faciunt certitudinem: nam quòd tympanum à Maria sumptum, fuerit typus virginitatis, non videtur admittendum; alioquin & alias mulieres, quæ ipsam sequebantur, dici posset fuisse virgines (ferebant enim & ipsæ in manibus tympana) & tamen omnes dicuntur mulieres, non autem virgines. Ex quo (si coniecturis agendum esset) potiùs elici posset, ipsam quoque Mariam fuisse mulierem, non autem virginem: nulla enim ibi virginum, vel virginis fit mentio. Sed neque quòd ipsa fuerit Prophetissa, deduci potest quòd fuerit virgo; quia in Scripturis sacris aliæ dicuntur Prophetissæ, quæ habebant virum; sicuti Debbora, cuius vir erat Lapidoth, Iudic. cap. 4. vers. 4. & Olda Prophetis, vxor Sellum, 4. Reg. cap. 34. vers. 12. & aliæ huiusmodi. Sed hæc & similia argumenta (vt ipsemet S. Doctor ibidem fatetur) nullam certam faciunt demonstrationem. Altera eius coniectura est, *quòd in nullis*, inquit, *historiarum monumentis de dicta Maria matrimonio aut liberorum propagatione proditum sit.* Quibus verbis apertè declarat, se non vidisse, quæ de ipsa scriptum reliquit Iosephus locis proximè citatis: quæ si vidisset, vtique credendum est, quòd antiquissimo huic & probatissimo Auctori indubitatam hac in re fidem habendam esse censuisset. Denique ad id quod de eadem Maria idem Nyssenus subdit: *Alioquin non à fratre eius Aarone, si virum habuisset, nominata esset; quia non frater, sed vir vxoris caput nominatur.* Respondet Suarez vbi suprà, dicens, dictam Mariam potiùs à fratre seu à fratribus, quàm à marito in Scriptura sacra nominari, non quia marito caruerit, sed propter eximiam fratrum dignitatem & auctoritatem. Quod attinet ad S. Ambrosium; dubium non est, quin ipse putauerit Mariam sororem Moysi fuisse virginem, vt ex eius scriptis

scriptis colligitur, nempe lib. 1. de Virginibus, non longè à principio, & in Exhortatione ad Virgines, prope finem; & in epistola 81. quæ est ad Siricium Papam; & adhuc clarius circa initium capitis vltimi, libri Institutio virginis inscripti, vbi ait, quòd diuino munere cum sanctis Moyse & Aaron virgo pedes per fluctus duxit Hebræorum exercitum. Quod quidem creditur accepisse ex Michææ cap. 6. vers. 4. vbi ex persona Domini dicitur: *Et misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam.* Hoc est, vt exponit Chaldaica Paraphrasis, *tres Prophetas, Moysen, vt doceret iudiciorum traditionem; Aaron, vt expiaret populum; & Mariam, vt instrueret mulieres.* Verumenimuerò, quia certum est quòd neque ex Michææ textu, neque ex dicta Paraphrasi colligi potest, memoratam Mariam fuisse virginem; neque ipse S. Doctor id vlla ratione aut auctoritate confirmat; immò nec ipse creditur vidisse Iosephum oppositum asserentem (alioquin vel sententiam mutare, vel obiectioni aliquo modo satisfacere debuisset) certè dicta eius opinio, in re præsertim historica, & adeò antiqua, non videtur Auctoribus ac rationibus in contrarium adductis esse præferenda. Et si fortè (quod non est improbabile) id non aliunde quàm ab ipso Nysseno didicit, satisque ab ipso probatum credidit (non enim apud vllum alium ex veteribus Catholicisque Doctoribus tale quid scriptum reperiri arbitror) vtique dilutis Nysseni argumentis, pariter & S. Ambrosij opinionem ruere necesse est. Denique non est quòd quis ad eluendam auctoritatem Iosephi, dicat ipsum, vti & Iudæos in veteri Testamento, paucis exceptis, virgines & virginitatem non agnouisse; quia quidquid sit de aliis, certè de Maria sorore Moysi nihil dubitare potuit Iosephus credere quòd non fuerit virgo, quando eam ex vetustissimis scripturis, vel probatis traditionibus (aliter enim id scire non potuit) didicit, ipsam non solùm habuisse virum, sed talem virum, & ex ipso filium genuisse, vt suprà notatum est.

37. Mense tertio egressionis filiorum Israel de Ægypto, qui erat mensis tertius primi Anni sacri, venerunt filij Israel in solitudinem Sinai, prope eiusdem nominis montem, vbi fixerunt tentoria, feceruntque duodecimam mansionem, Exod. cap. 19. in principio. Est autem Sinai siue Sina, mons in Arabia, coniunctus ei quæ nunc est Ierusalem, vt dicitur ad Galat. cap. 4. vers. 25. Quamuis ista coniunctio non sic accipienda est, quasi ita se inuicem contingerent, vt nihil inter ipsos medium esset; quandoquidem à monte Sinai ad eum in quo erat Ierusalem, intercedit iter circiter quindecim dierum: nam à Sinai ad Cadesbarne erant vndecim dietæ, vt sub anno mundi 2545. num. 52. probabimus: Cadesbarne autem à Ierusalem non poterat abesse plus quattuor dierum itinere: siquidem erat in confinio Australi tribus Iudæ, vt colligitur Iosue cap. 15. vers. 3. nam & Bersabee (quæ erat terminus Australis terræ Chanaan, quemadmodum Dan Aquilonaris, iuxta vulgatum illud dictum, *A Dan vsque Bersabee*, quod habetur Iudic. cap. 20. vers. 1. & in libris Regum & Paralip. non semel repetitur) vix trium dierum itinere distabat ab Ierusalem, vt colligi potest Genes. cap. 22. vers. 4. Itaque hæc coniunctio Sinai ad Ierusalem, latiori quodam modo sumi debet, mediante scilicet longa quadam montium sibi cohærentium successione, quemadmodum de Apenninis montibus, qui totam Italiæ longitudinem excurrunt, dicere quis posset, montem prope Ianuam incipientem, coniunctum esse ei qui in Calabria desinit. Sanè sicuti certum est, Israelitas venisse ad montem Sinai tertio Anni sacri mense, ita non omnino exploratum habemus, quonam die dicti mensis, & consequenter, quot diebus ab exitu, eò peruenerint; aliis existimantibus quadraginta quinque dies, aliis quadraginta septem in hoc itinere decurrisse, computatis scilicet mansionum temporibus; & vtramque sententiam tamquam probabilem scriptam reliquit S. Hieronymus, nimirum primam super Osee c. 3. posteriorem verò in epistola ad Fabiolam, mansione 12. Pendet autem hæc difficultas ab ea quam proximè tetigimus; videlicet, Quonam tertij mensis die venerint in Sinai; quod obscurè admodum in Sacro textu Exodi cap. 19. vers. 1. traditur illis verbis: *In die hac.* quæ verba quidam ita intelligunt, ac si dictum esset: In die prima mensis. & hinc inferunt, Israelitas quadragesimo quinto die ab exitu de Ægypto venisse in Sinai. Nam, inquiunt, die decimaquinta primi mensis profecti sunt de Ramesse, Numer. cap. 33. vers. 1. restabant igitur, secluso die exitus, alij dies quattuordecim cum dimidio eiusdem primi mensis, & viginti nouem cum dimidio secundi, qui faciunt quadraginta quattuor: ergo prima dies tertij mensis, fuit quadragesima quinta à die exitus: diximus enim Hebræos vti consueuisse mensibus Lunaribus, qui continent singuli dies viginti nouem cum dimidio; quos computabant attribuentes alternatim vni mensi dies viginti nouem, alteri verò triginta. Alij autem exponunt illud, *In die hac*, id est in die tertia, vt illud *hac* referatur ad numerum proximè

DE ACTIS IN XII. MANSIONE.

DE MONTE SINAI.

QVO DIE MENSIS TERTII POPVLVS PERVENERIT IN SINAI.

antè notatum, & idem significet, ac si dictum esset, In die eadem, seu eiusdem numeri; & sit sensus: Mense tertio, & die pariter tertia mensis. Et sic deducunt, à die exitus exclusiuè, ad diem aduentus populi in Sinai inclusiuè, fluxisse dies quadraginta septem. quæ opinio nobis etiam magis placet; quamuis altera quoque probabilis sit. Verumtamen quia communis opinio est, Legem datam fuisse die quinquagesima à die exitus exacta, hoc est (vt multi opinantur, & nos num. 40. probabimus) die sexta mensis tertij: si ad Sinai peruenerunt die prima, oportet id ad vesperam contigisse; & non nisi die secundo ipsos erexisse tabernacula, quando scilicet viderunt columnam nubis, hora quietis transacta, nihilominùs fixam permanere; & die tertia Moysen prima vice ascendisse in montem, ac descendisse; & die quarta iterùm ascendisse ac descendisse, imperasseque populo vt lauarent singuli vestimenta sua, & essent parati in diem tertiam, quæ erat mensis sexta. Si verò (quod magis credimus) venerunt in Sinai tertia die mensis; probabile est, ipsos eòdem peruenisse hora prandij; quo expleto, & columna nubis non recedente, continuò erexisse tabernacula, ac interim Moysen eademmet die ascendisse ac descendisse de monte; rursumque die quarta idem fecisse, dixisseque populo vt præpararet se ad Legem diuinam die tertio recipiendam; die inquam tertio, non illius mensis, sed à quarta illius mensis incipiendo, ac in sexta terminando. Dixi, oportere populum venisse in Sinai vel hora prandij, vel cœnæ, non autem summo manè; quia non solebat noctu iter facere, & columna nubis quæ præibat exercitum, ordinariè prædictis tantummodò horis cursum suum sistere consueuerat.

☞ 38. In hac mansione facta in Sinai, moratus est populus anno vno, demptis decem vel duodecim diebus; mansit enim ibi vsque ad diem vigesimam mensis secundi anni secundi ab exitu ex Ægypto, vt sub anno mundi 2545. num. 51. patebit. Intra quod tempus gesta sunt omnia quæ narrantur ab initio cap. 19. Exod. vsque ad finem eiusdem libri, & in toto Leuitico, & vsque ad 10. caput libri Numer. vt suis locis consequenter adnotabimus. Igitur in primis quinque diebus huius tertij mensis, vel potiùs, in tertia, quarta, & quinta eiusdem mensis die, hæc in Sinai facta sunt: Primò erexit populus tabernacula sua, & Moyses functus officio internuntij inter Deum & populum, eadem die, vt putamus, à Domino vocatus, cùm ascendisset in montem, audiuitque pactum quod inire intendebat Dominus cum populo, nimirum vt ipse mandata eius susciperet obseruaretque, Deus autem susciperet eum sibi in populum præ cunctis peculiarem, faceretque in Regnum Sacerdotale, & gentem sanctam ac honorabilem: descendit, aperuitque consilium Domini maioribus natu, & per ipsos vniuerso populo; qui promptis animis se paratum exhibuit ad omnia quæ præciperet ei Dominus. Itaque altera die iterùm ascendit Moyses in montem, retulitque verba populi ad Dominum; qui iussit eum descendere, & sanctificare populum, & mandare, vt in eadem & crastina die lauarent cuncti vestimenta sua, & non appropinquarent vxoribus suis, ac parati essent die tertia suscipere Legem Domini; die inquam tertia, à die quarta mensis incipienda. Itaque

QVAMDIV MORAM FECERIT POPVLVS IN SINAI.

PRÆPARAT MOYSES POPVLVM AD LEGEM DEI SVSCIPIENDAM.

39. Die sexta eiusdem tertij mensis, quæ, vt dictum est, erat tertia à die prædictæ iussionis, & quinquagesima ab elapso die exitus populi de Ægypto, vt ex suprà dictis & infrà dicendis manifestum fiet; post quadringentos triginta annos à promissione facta Abrahæ (quemadmodum dicitur ad Galat. cap. 3. vers. 17. & infrà nos num. 41. comprobabimus) data est Lex *per Angelos in manu mediatoris*, vt tradit idem Apostolus ibidem vers. 19. siue, *in dispositione Angelorum*, vt dicitur Actorum cap. 7. vers. 53. Et quoniam ille populus valdè carnalis erat & imperfectus, ac spiritu timoris priùs erudiri opus habebat, vt vel sic faciliùs à transgressionibus se contineret; propterea (sicuti etiam innuitur Exod. cap. 20. vers. 20. illis verbis: *Vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis*, admodum conueniens fuit, ipsam Legem dari eo terrifico ac formidabili modo, qui describitur Exod. cap. 19. vers. 16. vsque ad 20. & cap. 20. vers. 18. & 19. vbi traditur, quòd cùm descendisset in igne Dominus super verticem montis, illicò cœperunt audiri tonitrua & fulgura, & clangor buccinæ paulatim crescens, videbantque Israelitæ montem densissima coopertum nube, & quasi fornacem longè lateque fumigantem, ac velut sese crebris terræmotibus concutientem; quæ omnia simul iuncta, maximum cunctis incutiebant timorem; præsertim verò quando inter hæc ipsammet audire cœperunt vocem Domini, verba Decalogi terribiliter proferentem: tunc enim tanto sunt pauore perculsi, vt præ nimio metu, non sustinentes ampliùs audire vocem Domini, de longe stantes exclamarent, dicentes Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Cuius historiæ meminit etiam Apostolus ad Hebr. cap. 12. vers. 18. & sequentibus.

LEX DECALOGI QVANDO ET QVOMODO DATA.

Itaque

Itaque Dominus, expletis Decalogi præceptis, quæ Exod. cap. 20. enucleatè traduntur, cetera deinde, nimirum cærimonialia & iudicialia, per Moysen dare constituit, quem propterea ad caliginem, in qua ipse erat, accedere fecit, eumque de his omnibus plenè edocendum curauit, vt nos infrà num. 43. dicemus. Porrò quod dictum est, Dominum terruisse populum non tonitruis solùm ac fulgoribus, sed validis quoque terræmotibus; colligunt nonnulli ex illis verbis Sacri textus Exod. 19. vers. 18. ***Eratq; mons terribilis***, &c. quæ sic exponenda putant, ac si diceretur: Eratque mons valde tremens. eamdemque confirmant expositionem ex Psalm. 67. vers. 9. vbi legimus: ***Terra mota est, etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.*** & ex Psal. 113. vers. 7. vbi dicitur: ***A facie Domini mota est terra***, &c. Quæ verba ad tempus datæ Legis ritè referri posse videntur.

QVOD LEX DATA SIT DIE VI. MENSIS III. AB EXITV.

40. Diximus item Legem datam fuisse die sexta mensis tertij ab exitu de Ægypto, vt asserunt Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 5. & Caietanus, & Rabbi Salomon, & Lyranus super Exod. cap. 19. & alij plures; non autem die tertia eiusdem mensis, vt sentiunt B. Augustinus quæst. 70. in Exod. & in Epistola 119. cap. 16. & qui eum sequuntur, Rupertus, & Abulensis super Exod. cap. 19. quia omnes communiter Doctores admittunt, ab exitu populi (hoc est, secluso die exitus, vt ex sequentibus patebit) ad Legem fluxisse dies quinquaginta; & quemadmodum olim Paschæ festum celebrabatur in memoriam Aegypriacæ liberationis eodem die factæ; ita festum Pentecostes, siue quod idem est, Hebdomadarum, in recognitionem Legis tali die latæ: hæc si vera sunt (quemadmodum verissima esse credimus, & ex his quæ nos sub anno mundi 2545. num. 40. dicemus, comprobari poterunt;) proculdubiò sequitur, lationem Legis non die tertia, sed sexta tertij mensis contigisse: nam cùm certum sit, quòd festum Paschæ incipiebat à die decimaquarta mensis primi desinente, pertinebatque ad decimamquintam, quæ prima Azymorum dicebatur, in qua egressus est populus
de Ægypto; vtique ab hac die minimè computata, si numerentur quinquaginta dies, 14
necesse erit eos terminari non in tertio, sed in sexto die mensis tertij: nam reliqui re- 30
manent quattuordecim primi mensis, & triginta secundi, & sex tertij, qui faciunt 6
quinquaginta. Quare B. Augustinus locis proximè citatis (quemadmodum benè pro- 50
bat Cardinalis Bellarminus Controuersia 7 lib. 3. qui est de Cultu Sanctorum, cap. 13.) non rectè visus est dinumerasse hos dies: accipit enim ex primo mense dies decem & septem; ex secundo, triginta; & ex tertio, tres; & sic efficit quinquaginta. videtur ergo iste Sanctus supponere, vel menses Hebræorum non fuisse Lunares, vel ipsos Hebræos exisse de Ægypto die decimaquarta mensis primi; quorum neutrum est verum. Vnde non potuit accipere de primo mense dies septemdecim: nam menses Lunares, quales erant Iudæorum, non omnes constant ex triginta diebus, sed vnus ex vigintinouem, alter ex triginta, & sic deinceps vicissim. Ergo si voluit accipere B. Augustinus ex primo mense dies septemdecim, & ex secundo dies viginti nouem; vel potiùs ex primo dies
sexdecim, debuit ex secundo sumere dies triginta, & ex tertio tres, & sic non efficiun- 16
tur quinquaginta, sed quadraginta nouem. Adde etiam quòd Scriptura Exodi cap. 19. 30
vers. 1. dicit: ***Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti.*** ex quo loquendi modo vide- 3
tur insinuari, dictum tempus metiendum esse ab egressu populi, die tamen egressionis 49
minimè computata, vt consequenter ostendemus. Atqui egressio non fuit decimoquarto die, sed decimoquinto, vt patet Numer. cap. 33. vers. 3. Præterea idem euidenter probatur ex regula inueniendi diem veteris Pentecostes, quæ traditur Leuitici cap. 23.

REGVLA INVENIENDI FESTVM HEBDOMADARVM.

quandoquidem ibi vers. 6. dicitur, quòd decimaquinta die mensis primi incipiebat solemnitas Azymorum, & vers. 11. præcipitur collectio & delatio primitiarum messis ad Sacerdotem, & eleuatio fasciculi spicarum coram Domino facienda altero die Sabbati, id est (vt exponunt Lyranus, Abulensis, Caietanus, & alij) die secunda Azymorum, quæ erat primi mensis dies decimasexta: in hac siquidem die, spicarum manipulum igni torrere, hordeum deinde pinsare, atque ita in alicæ modum fracti assaronem (erat autem assaro pondus quoddam, siue mensura tunc temporis vsitata) ad aram offerre consueuerant, vt testatur Iosephus 3. Antiq. cap. 10. cui, cùm esset Sacerdos, & in huiuscemodi ritibus apprimè versatus, magis quàm alicui alij credendum est. Ab hac igitur altera die Sabbati, in qua obtulerant manipulum primitiarum, iubet Dominus vers. 15. capitis Leuitici præcitati, vt numerarent septem hebdomadas plenas, id est quadraginta nouem dies, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, hoc est vsque ad diem qui immediatè sequebatur postremum hebdomadæ septimæ; ille enim erat quinquagesimus, in quo celebranda erat vetus Pentecostes, quæ etiam

ob prædictam hebdomadarum dinumerationem dicebatur festum Hebdomadarum. Ex hac regula inueniendi diem Pentecostes in Sacro eloquio tradita, manifestè infertur, Legem non die tertia, sed sexta mensis tertij fuisse traditam. Nam si à secunda die Azymorum, quæ semper incidebat in die decimasexta mensis primi, inclusiuè numeres septem hebdomadas, hoc est dies quadraginta nouem; proculdubiò peruenies ad
14 diem quintam mensis tertij: siquidem in hoc numero comprehenduntur dies quat-
30 tuordecim primi mensis, & triginta secundi, & quinque tertij; ergo dies quinquagesi-
5 ma, erat sexta mensis tertij, in qua olim data fuerat Lex, vt aperte videre est in veteri
49 Hebræorum Kalendario, quod infrà sub anno mundi 2545. num. 27. ponendum erit.

EXPONITVR TEXTVS LEVIT. CAP. 23. VERS. 15.

Sed dicet aliquis: Si hebdomadarum dinumeratio auspicanda erat à secunda die Azymorum, cur Moyses loco Leuit. adducto dixit esse auspicandam ab altera die Sabbati, cùm clariùs dicere potuisset, ab altera die Azymorum? Respondeo, id non sine optima causa esse factum: nam cùm præcepisset Dominus, prædictas hebdomadas numerari debere ab illa die in qua offerebatur manipulus primitiarum messis; quæ dies tametsi ordinariè erat, vt dictum est, secunda dies Azymorum; nonnumquam tamen in ea concurrere poterat dies Sabbati, in quo non licebat metere nec torrere spicas, & deferre ad Sacerdotem, nec alia huiuscemodi opera seruilia facere, vtpote in die festo prohibita; propterea maluit Legislator dicere, ***Ab altera die Sabbati.*** per Sabbatum intelligi volens non solùm primam diem Azymorum, quæ, vt ibidem vers. 7. dixerat, celeberrima esse debebat, & consequenter sabbarizanda; sed etiā ipsum Sabbati festum, si in die secundo Azymorum incidisset; (nullum enim aliud festum in illo die incidere poterat) quo casu differenda erat manipuli oblatio in sequentem diem, atque ita hebdomadarum dinumeratio inchoanda erat non à secunda, sed à tertia Azymorum die, tamquam festo non impedita, vt probè notat Cardinalis Bellarminus vbi suprà. Et hoc non sine admirabili diuinæ sapientiæ consilio factum est in anno Passionis Christi, vt scilicet dies festus Hebraicæ Pentecostes, in quo, vt habemus Actorum cap. 2. vers. 1. descendit Spiritus sanctus, incideret in Dominica die; & consequenter non in quinquagesima ab Hebraico Paschate, sed præcisè in quinquagesima die à Paschate Dominicæ resurrectionis; atque ita etiam inter hæc duo celeberrima nouæ Legis festa mysticus ille quinquagenarius numerus inueniretur. Vt vel hinc etiam liceat intueri, quomodo ea quæ veteris Testamenti erant, ad ea quæ noui sunt, ordinata fuerint, eidemque deseruiant. Hîc non me latet, proximè relatam de antiqua Hebræorum consuetudine transferendi oblationem manipuli post sabbatum sententiam, quam præter Bellarminum, etiam Baronius sub anno Christi 34. vbi agit de aduentu Spiritus sancti, & ante ipsum S. Epiphanius Hæres. 51. ab eo citatus, & item Sigonius lib. de Repub. Hebræorum 3. cap. 10. & Ribera de Templo lib. 5. cap. 7. & Emanuel Sà in suis Annotationibus super Leuit. cap. 23. vers. 15. & super Actorum cap. 2. vers. 1. & alij tenuerunt, à Francisco Suarez tomo 2. super 3. part. S. Thomę quæst. 53. art. 2. disput. 45. in fine sectionis 1. non esse receptam; tum quia, inquit, nulla auctoritate sufficientique ratione nititur, & cum probari non valeat, à nemine affirmari potest nisi diuinando; tum quia licet Lege prohibitum esset metere segetes, tamen religionis causa aliquem manipulum metere, non erat vetitum etiam in die Sabbati, quia non erat opus seruile, sed religionis; tum etiam quia non videtur necessarium vt eodem meteretur die: hoc enim in Lege non erat pręscriptum. Poterat ergo pridie ante Sabbatum meti, & consueto die secundo Azymorum offerri. Ita ad verbum Suarez.

REFELLITVR OPINIO SVAREZ.

Cui nos dicimus, Non esse credendum, quòd citati Auctores, vtpote qui non infimæ notæ sint, sed admodum graues & magni nominis, id sine rationabili fundamento, & quasi diuinando asseruerint. Deinde, falsum esse quod supponit Suarez, videlicet, Legem non præcipere vt eadem die manipulum meterent, & offerrent: nam septem illæ hebdomades, quæ Leuit. cap. 23. vers. 15. præcipiuntur numerandæ à die quo facta fuerat oblatio manipuli primitiarum, pariter numerandæ erant à die qua falcem in segetem miserant, vt expressè præcipitur Deuter. c. 16. vers. 9. ergo euidens est, quòd ex vi Legis tenebantur non solùm metere, sed & componere, & ligare, & igni torrere manipulum spicarum eodemmet die, quo erat offerendus. Et item admodum credibile est, quòd Hebræi, qui (vt ipse Suarez admittit) in eiusmodi rituum, & maximè Sabbati obseruatione erant valde superstitiosi, nihil horum audetent facere in die Sabbati, ne (vt ipsi putabant) violarent Sabbatum. Sed & prædictam manipuli oblationem specialiter anno Passionis Christi dilatam fuisse in diem tertium Azymorum, sic ostendi potest. Nam si verum est, quod omnes concedunt, nimirum à Christi resurrectione (quæ tum incidit tertia die Azymorum: siquidem in prima ipse mortuus

mortuus est, & in tertia resurrexit) ad aduentum Spiritus sancti fluxisse dies quinqua-
ginta; certum namque est ex Actorum cap. 2. vers. 1. quòd Spiritus sanctus venit *cùm
complerentur dies Pentecostes*, hoc est, die vltimo seu quinquagesimo ipsius: (& loqui-
tur ibi S. Lucas de Pentecoste Hebraica, vt idem Suarez affirmat.(ergo alterum de
duobus fateri necessarium est; vel eo anno Hebræos obtulisse manipulum non secun-
da, sed tertia Azymorum die, id est die Dominico, propter religionem Sabbati præce-
dentis, & ab ipsa die tertia Azymorum cœpisse numerare dies quinquagesimæ; & con-
sequenter memoratorum Doctorum opinionem non solùm esse rationabilem, sed et-
iam veram, quippe quæ ex ipsa quoque met sacra Scriptura deduci possit: vel citatum
S. Lucæ textum cum ipso Suarez esse nimis violenter, vt arbitror, exponendum; vt sci-
licet illa verba, *cùm complerentur*, idem significent, ac si dictum esset, Cum completi
essent dies Pentecostes, hoc est, die proximo post illud festum; quemadmodum ipse-
met ibi declarat. Quæ expositio quàm dura sit & extorta, atque ab eo sensu, quem ver-
ba ipsa planè indicant, aliena, iudicet prudens Lector; præsertim cùm communior
Doctorum sententia supponat, Spiritum sanctum in ipsomet die veteris Pentecostes,
non autem in sequenti post Festum, aduenisse. Itaque multò rationabilius, meo iudi-
cio, videtur, suprà relatam positionem sequi, iuxta quam (vt ipse quoque Suarez fate-
tur) omnia concilientur; quàm adeò duram atque distortam verborum S. Lucæ expo-
sitionem ab ipso Suarez allatam recipere.

41. Portò ad magis stabiliendum quod suprà asseruimus, videlicet Legem datam DVBII ENO-
fuisse die sexto mensis tertij; restat adhuc & aliud dubium diluendum. est autem tale: DATIO.
Si Lex data fuit die sexto mensis tertij, & consequenter die quinquagesimo à die exitus
Israël de Aegypto; quomodo verum est, quod sæpiùs ex Apostolo replicauimus, eam-
dem Legem datam fuisse post quadringentos triginta annos à diuinis repromissionibus
Abrahæ factis? nam si ipsæ promissiones (quemadmodum sub anno mundi 2108. nu. 1.
& sub anno 2113. num. 1. & 2. ostensum est) factæ sunt circa initia anni vitæ Abraha-
mi septuagesimi quinti: vtique ab hoc tempore ad Legem, inueniuntur anni ferè
quadringenti triginta duo, vt supputari potest in tabulis. Siquidem ab initio anni se-
ptuagesimi quinti ætatis Abrahæ ad ortum Isaac, computantur anni viginti sex: ab or- 26
tu Isaac ad ortum Iacob, anni sexaginta: ab ortu Iacob ad ingressum eius in Aegy- 60
ptum, anni centum triginta: à dicto ingressu ad exitum, anni ducenti quindecim man- 130
sionis filiorum Israël in Aegypto, vt sigillatim sub anno mundi 2329. num. 16. proba- 215
tum est. Sane omnes hi anni simul subducti faciunt summam quadringentorum tri- 431
ginta & vnius annorum, quibus si addas dies quinquaginta anni primi exitus de Aegy-
pto, tota summa temporis fluxi à repromissionibus ad Legem, attinget annū quadrin-
gentesimum trigesimum secundum. Ad hoc tripliciter respondere possumus; Primò,
dicentes fieri posse vt Isaac natus sit non in fine, sed circa medietatem anni centesimi
patris sui Abrahæ, & similiter Iacob circa medietatem anni sexagesimi patris sui Isaac.
licet enim id in Scripturis expressum non habeatur, non tamen explicitè habemus
contrarium: & quòd Scriptura dicit Abraham fuisse centum annorum quando genuit
Isaac, & Isaac sexagenarium quando nati sunt ei paruuli, nimirum Iacob & Esau; vide-
tur satis cummode prædictum sensum posse recipere: quod si verum esset, profectò à
promissionibus ad Legem, computarentur tantummodò anni quadringenti triginta.
Sed etiam posito, quòd Abraham expleuerit centesimum vitæ annum quando genuit
Isaac, & Isaac sexagesimum quando genuit Iacob, vt supposuimus in tabulis; rectè po-
tuit dicere Apostolus, à promissionibus ad Legem fluxisse annos quadringentos trigin-
ta, accipiendo dictum illud iuxta sensum in Scripturis sacris vsitatum; quæ (vt pluribus
exemplis sub anno mundi 1659. num. 2. docuimus) sæpè solent in suis supputationibus
minutos quosdam numeros præterire, & numeros perfectos pro imperfectis vsurpare.
Et hæc sit secunda responsio. Tertia est, nihilominus verissimum esse, quòd à promis-
sionibus ad Legem præcise computantur anni quadringenti triginta, computatione
nimirum, vt aiunt, terminorum exclusiua: nam inter annum septuagesimum quin-
tum vitæ Abraham, in quo diximus factas ei fuisse repromissiones; & annum primum
exitus Israëlis de Ægypto, in quo data est Lex, proculdubiò medij præcisè inueniuntur
anni quadringenti triginta, vt patet in tabulis.

42. Diximus, Legem datam fuisse post quadringentos triginta annos à promissio-
nibus Abrahæ factis, & quinquaginta diebus post exitum populi de Aegypto, & die
sexta mensis tertij ab eodem exitu. Vtrum verò etiam verum sit, quòd Auctor Chro-
nologiæ maioris Hebræorum in calce capitis 5. sine vlla probatione absolutè asserit,

QVOD LEX DATA FVERIT DIE SABBATI.

nempe, eamdem Legem datam fuisse in die Sabbati: Dicimus, id quoque affirmari posse: nam si verum est, quod suprà num. 32. ex S. Augustino docuimus, videlicet, manna in deserto cadere primùm cœpisse in prima Sabbati, quam nos diem Dominicam nuncupamus: vtique consequitur, diem sextum mensis tertij in die Sabbati incidisse: quandoquidem ibidem probauimus, manna de cælo primùm cœpisse Hebræis dari die decimasexta mensis secundi ab exitu; restabant igitur adhuc dies quattuordecim eiusdem mensis, & sex tertij, qui faciunt dies viginti; quique pariter per hebdomadarios ducti dies, in Sabbato terminari comperiuntur.

PRAECEPTA IVDICIALIA, CAERIMONIALIA, ET MORALIA.

43. Post latam Decalogi Legem à Domino, cunctis de longè ad radices montis non sine maximo timore, vt dictum est, audientibus, Moyses breui quidem, sed admodum graui oratione ad leuandum populi timorem adhibita, confestim ascendens montem, accessit ad caliginem in qua erat Deus, Exodi cap. 20. vers. 20. & 21. & ibi accepit à Domino plura præcepta iudicialia, & quædam item cærimonialia, ac moralia, populo mox tradenda, quæ promiscuè describuntur Exod. cap. citato vers. 22. vsque ad finem cap. 23. Insuper ibidem Moyses plenè ab ipso Deo edoctus fuit de ritu, quo Lex à populo solemniter acceptanda erat; & de iis qui posteà à populo ad Deum ascensuri erant, pro eiusdem Legis confirmatione à Deo obtinenda. Et his actis, descendit Moyses, narrauitque omnia quæ agenda erant, populo: quo vnanimiter respondente, se facturum omnia, scripsit Moyses vniuersos sermones Domini, hoc est, vniuersa præcepta quæ à Domino acceperat: Exod. cap. 24. vers. 1. vsque ad 5.

QVO RITV ACCEPTATA A POPVLO LEX.

44. Sequenti verò die, quæ erat septima eiusdem mensis tertij, manè consurgens Moyses, ædificauit altare ad radices montis, & circa ipsum erectis duodecim titulis, iuxta numerum ac nomina singularum tribuum Israel, obtulit iuuenum ministerio holocausta Domino, immolauitque victimas. Dein post lectionem mandatorum Domini audiente populo, & post omnimodam eiusdem populi obedientiam publicè solemniterque professam, idem Moyses, fusa dimidia parte sanguinis hostiarum super altare, alteram in crateras missam, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, aspersit ipsum fœderis volumen, hoc est super scripturam mandatorum Domini, quam fecerat legeratque, & super omnem populum, dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his*, Exod. cap. 24. vers. 1. vsque ad 9. siue vt dicitur ad Hebræos cap. 9. vers. 20. vbi hæc eadem historia refertur: *Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*. Post quæ ibidem Apostolus continuò subiungit, eamdem sanguinis aspersionem iterùm posteà in Tabernaculi sanctificatione fuisse iteratam, quemadmodum nos infrà suo loco dicemus. Icto autem fœdere inter Deum & populum modo proximè exposito, iterùm Moyses, sicuti hesterna die præceperat ei Dominus, ascendit in montem cum Aaron & filiis eius Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, tamquam ad obtinendam à Domino supremam absolutamque memorati fœderis confirmationem; vbi reliquis procul adorantibus, solus Moyses altiùs propiusque ascendit ad Dominum. Et nihilominùs omnes dicuntur vidisse Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est; Exod. cap. 24. vers. 1. vsque ad 4. & vers. 9. vsque ad 12. Non est autem putandum, quòd viderint Deum in seipso, vt benè notat Caietanus, (id enim proprium est Beatorum, quemadmodum nos infrà num. 46. fusiùs ostendemus:) sed sub aliqua visibili specie, puta magni cuiusdam Iudicis aut Regis, super alto quodam atque eminenti throno, in aula amplissima lapidibus sapphirinis mirabiliter strata collocato, sedentis; aut in triumphali curru, ab ea parte ad quam profecturus erat populus, nimirum à montibus Seir & Pharan venientis, ac mira quadam cælestium Angelorum multitudine stipati, vt quodammodò secundùm aliquos colligi posse videtur ex illis verbis Deuter. cap. 33. vers. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.* & ex Psalm. 67. vers. 18. vbi legimus: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto*. Subditur autem loco Exodi citato, eos qui ad montem ascenderant, ex tam grandi visione nihil mali à Domino pertulisse; quin potiùs lætanter comedisse ac bibisse; hoc est, siue ibidem diuina illa visione mirabiliter fuisse refectos ac saturatos, siue posteà, cùm descendissent, ex eius recordatione cum ingenti gaudio epulatos esse. Et hoc pro re quadam illis temporibus insusitata, hic memoratur: siquidem hi quibus olim talia videre contingebat, tanto affici stupore solebant, vt se breui morituros putarent. Vnde non immeritò dicebat populus ad Moysen Exodi cap. 20. vers. 19. *Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Et Manue, Iudi-

QVOMODO MOYSES, ET QVI CVM EO ASCENDERANT MONTEM, VIDERINT DEVM

EXPONVNTVR LOCA DEVT. PSAL. ET EXODI.

Indic. 13. verſ. 22. *Morte moriemur*, inquit, *quia vidimus Deum*. & Iſaias cap. 6. verſ. 5. poſt magnam illam viſionem ibi narratam, protinus addit: *Væ mihi quia tacui*, &c. *& regem Dominum exercituum vidi oculis meis*. Porrò facilè crediderim, memoratam prædictis populi primatibus viſionem à Deo fuiſſe demonſtratam, vt ipſe populus tot etiam grauiſſimorum virorum teſtimoniis de viſu atteſtantium, certior fieret, quòd vere is erat Deus cæli & terræ, qui partim per ſemetipſum cunctis eum audientibus, partim per Moyſen ſeruum ſuum, dederat eis illas Leges planè diuinas, quas ipſi eodem die, ritu admodum ſollemni acceptauerant: atque ita magis ac magis ad eas accuratiùs obſeruandas incenderentur. Vt vel hinc etiam liceat intelligere, nihil non facere Deum pro bona ſua voluntate, quò homines (ſalua ſemper humani arbitrij libertate) non ſolùm ad veram ſui cognitionem atque obedientiam (quæ ipſorum ſupremæ ſunt cauſa felicitatis) fortiter ſuauiterque perducat; verùm etiam eoſdem ſemel tradita eis veritate ac diſciplina, modis omnibus naturæ captuique ipſorum conuenientibus, confirmare ac ſtabilire curet. CVR PRAEDICTA VISIO PRINCIPIBVS A DEO OSTENSA.

45. Ceterùm ex quo hic primùm de veteri Lege, partim immediatè à Deo, vel potius, vt ſuprà num. 35. probatum eſt, per Angelos; partim per Moyſen data, & ab Iſraëlitis acceptata, actum fuit, non abs re videtur, aliquid etiam de eius præceptis in vniuerſum hoc loco annectere. atque illud in primis, quòd tametſi omnia Dei præcepta ad vnum tantum reduci poſſe videantur, *quia*, vt ait B. Gregorius Homil. 27. in Euangelia, *omne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia vnum præceptum ſunt; quia quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur*. Nihilominus cùm duo præcipui ſint actus charitatis, Dei ſcilicet amor, & proximi; vtrique neceſſariò conſequitur, hoc quod memorauimus vniuerſale præceptum, in duo protinus eſſe diuidendum; nempe in id, quo præcipimur diligere Deum ſuper omnia, quod eſt maximum & primum mandatum, Matthæi cap. 22. verſ. 38. & in alterum, quo iubemur diligere proximum ſicut nos ipſos: *In his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet & Prophetæ*, ait ibidem verſ. 40. Dominus. ex cuius dicto fit conſequens, reliqua omnia præcepta, ſiue moralia, ſiue cærimonialia, ſiue iudicialia, ad prædicta duo capita eſſe redigenda. Vnde non immeritò Lex Decalogi, in duabus tabulis digito Dei ſcripta traditaque perhibetur; quarum prior tabula, tria præcipua quæ ad Dei cultum, poſterior, ſeptem quæ ad proximi charitatem maximè pertinent, complectitur: quo fiunt decem præcepta Decalogi, ad quæ etiam omnia moralia reduci poſſe docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 3. vbi quattuor ponit genera præceptorum: Primum eorum, quæ ſunt prima & communia, ac veluti in ipſa ratione naturaliter impreſſa, & per ſe nota; ſicuti, quòd homo nulli debet malefacere, & eiuſmodi. Secundum eorum, quæ ſtatim ex primis communibus principiis cognoſci poſſunt. Tertium eorum, quæ ſtatim ex fide diuinitus infuſa innoteſcunt. Quartum eorum, quæ non niſi per diligentem ſapientum inquiſitionem inueniuntur rationi conuenire. *Horum autem duo media genera*, inquit, *propriè ad Decalogum pertinent, talia namque ſunt, quæ Deus per ſe ipſum populo propoſuit: reliqua verò duo, & ipſa quidem in Decalogi præceptis quodammodo continentur; ſed diuerſimodè: nam quæ ſunt prima & communia, continentur in eis ſicut principia in concluſionibus proximis, illa verò quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis econuerſo, ſicut concluſiones in principiis*. Rectè ergo B. Gregorius vbi ſuprà, cùm comparaſſet arbori virtutum originem, dixiſſetque quòd *ſicut multi arboris rami ex vna radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex vna charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis*, protinus concludit dicens: *Præcepta ergo Dominica, & multa ſunt, & vnum; multa per diuerſitatem operis, vnum in radice dilectionis*. DE DIVINIS PRAECEPTIS.

46. Sed illud magis hic notandum videtur, quòd præfata diuinarum iuſſionum diuerſitas, in Sacro eloquio variis ſolet nominibus explicari, præſertim verò quinque; quæ ſunt, Præcepta, Mandata, Iuſtificationes, Iudicia, & Teſtimonia. hæ ſiquidem voces aſſiduè in ſacris Scripturis replicatæ inueniuntur; & licet fortè interdum eas vniuerſaliter pro quibuſcumque præceptis accipi, vel alteram pro altera vſurpari contingat; creduntur nihilominus ſingulæ proprias habere ſignificationes, in quibus tamen aſſignandis variant Auctores. Nam Sigonius lib. 1. de Repub. Hebræorum cap. 4. putat Mandatorum Præceptorumque vocabulis ſignari quidem iuſſa ad Deum pertinentia, ſed cum hac diſtinctione, quòd Mandata dicantur ea, quibus aliquid iubetur aut vetatur, ad ipſum præcipuè Deum ſpectans, puta quòd Deus colatur, & quòd diis honor non adhibeatur, & eiuſmodi. Præcepta verò ſint, quæ ad rationem ſeu modum obſeruandi Mandata deſeruiunt; qualia ſunt præcepta omnia cærimonialia, quibus iuben- QVINQVE NOMINA MANDATORVM DEI.

iubentur quæ ad Dei cultum pertinent, & prohibentur quæ eidem quoquomodò aduersari videntur. Iustificationes autem & Iudicia, putat præfatus Auctor iussa fuisse diuina ad proximum spectantia, quæ vocant Iudicialia; sed ita inter se distingui, vt Iustificationes ea dumtaxat iussa complecterentur, quibus docet Lex, quando & quomodo in iudiciis absoluendus esset proximus: Iudicia verò, quæ ad condemnationis sententiam ferendam spectabant. Horum exempla peti poterunt Exod. cap. 22. vbi de absoluendo eo, qui furem noctu effringentem aut suffodientem domum occiderit; & de condemnando illo, qui diutnum furem interemerit; & alia his similia decernuntur. At Testimonia, putat diuinas indicare testificationes, quibus sæpè in Scripturis sacris reperimus Deum contestari ac prædicere mala & castigationes transgressoribus Mandatorum, Præceptorum, Iustificationum, & Iudiciorum eius; & è conuerso bona & retributiones, eorumdem obseruatoribus euentutas. Vide talium contestationum exempla, Leuit. cap. 26. & Deuter. cap. 27. & 28. & alibi. Sic explicat citatus Auctor hæc diuinarum iussionum vocabula; quæ quia B. Thomas loco proximè notato aliter etiam & benè interpretatur, vt quilibet ibidem videre poterit: dicere oportet, eadem (vt cetera Sacri voluminis verba) singulari quodam Dei munere, apta esse varias recipere significationes, ad varios Spiritus sancti sensus ritè explicandos accommodatas.

MOYSES A DOMINO VOCATVS ASCENDIT IN MONTEM

☞ 47. Die, vt arbitror, eiusdem tertij mensis octaua, vocatus à Domino Moyses vt scanderet montem, admonito prius hac de re populo, ac relictis interim ad regimen eius Aarone & Hur, ipse cum ministro suo Iosue ascendit in montem: quò cùm peruenisset, ecce gloria Domini statim apparuit super Sinai, in specie nubis operientis illum sex diebus; in vertice autem montis aderat quasi ignis ardens in conspectu filiorum Israel. Die verò septima, quæ erat eiusdem mensis decimaquarta, vocauit Deus Moysen; qui ingressus medium nebulæ (quod antè non ausus fuerat) ascendit in verticem montis; fuitque ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus sine cibo & potu, diuinis nimirum contemplationibus iugiter vacans: Exodi cap. 24. vers. 12. vsque ad finem capitis, & Deuter. cap. 9. vers. 9. Igitur

PRIMA MOYSIS QVADRAGESIMA IN MONTE SINAI. ET QVID IBI EGERIT.

48. Die decimaquarta mensis tertij ab exitu, cœpta est prima quadragesima, quam fecit Moyses in monte Sinai; vbi didicit Domino reuelante, quæ offerre deberet populus pro Tabernaculo fœderis plenè conficiendo; & formam item ac mensuras ipsius Tabernaculi, partiumque, & operimentorum eius. Insuper & quæ in ipso collocanda essent, nempe, Arca fœderis, Mensa propositionis, Candelabrum, Lucernæ, Altaria, & si quæ erant eiusmodi alia: Vasa itidem ad vsum ipsius, & Sacerdotalia vestimenta. Didicit quoque rationem consecrandi Sacerdotes, ritumque offerendi pro eis; necnon compositionem olei sanctæ Vnctionis, & Thymiamatis aromatum, & huiusmodi reliqua: & nomina item artificum, quos ad prædicta omnia fabricanda Deus ipse delegerat. Postremò dedit Dominus Moysi duas tabulas lapideas, digito Dei scriptas. Quæ omnia fusiùs traduntur, accuratiusque explicantur septem integris Exodi capitibus, nimirum à 25. ad 31. inclusiuè. Sed & inter hæc, duo alia præcepta dedit Dominus populo per Moysen; Alterum de dimidio siclo à singulis masculis exigendo, statim ac ad vigesimum annum peruenissent, atque in albo militari fuissent recensiti, Exod. cap. 30. vers. 11. vsque ad 17. Alterum de Sabbato sanctificando, Exod. cap. 31. vers. 13. vsque ad 18. Quamquam hoc postremum verè non fuerit nouum præceptum, sed potiùs repetitio, & veluti quædam, vt ita dixerim, inculcatio eius, quod in Decalogo iam datum fuerat Exod. cap. 20. vers. 9. vsque ad 12. cum noua ad eius obseruantiam instantia & contentione.

INTERIM POPVLVS ADORAT VITVLVM AVREVM.

49. Moram autem faciente in monte Moyse, eamque diutiùs quàm quisque credidisset protrahente; nimirum sub finem dictæ eius quadragesimæ, ecce inferiùs in castris populus, qui non multò antè, ex longa cum Ægyptiis consuetudine interdum in Aegypto idola coluerat, vt apertè traditur Iosue cap. vlt. vers. 14. & propterea ad eamdem idololatriam etiam nunc propensus erat; suspicatus Moysen aut casu aliquo interiisse, aut vltrò ab eis aufugisse, quasi desperans se posse eos ad terram repromissam perducere; oblitus insuper omnium prodigiorum ac beneficiorum Dei, & obedientiæ quam eidem paulò antè, in publica illa Legis acceptatione, communi omnium consensu præstiterat: induxit Aaronem, vt ad imitationem ac similitudinem Aegyptiorum, qui inter cetera plurima animalia, quemdam inprimis bouem nomine Apis colere consueuerant; ipsi quoque faceret vitulum aureum, quem pro Deo coleret, & qui eum in terram ad quam tendebat, sospitem perduceret. Sanè Aaron, licet inuitus, (vt arbitror)

AEGYPTII COLEBANT BOVEM NOMINE APIS.

tamen

tamen videns populi conspirationem contra se commotam, humano perculsus timote, acquieuit petitioni eius, exactísque à populo inauribus aureis, confecit ex eis opere fusorio vitulum conflatilem. Quem intuentes Istaelitæ, læti exclamare cœperunt: *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* ædificatoque per Aaronem altari, ac intimata in crastinum sollemnitate, postridie manè surgentes, obtulerunt idolo holocausta, & hostias pacificas; & cùm manducassent ac bibissent, surrexerunt etiam ludete, Gentlium more, coram eo. Atque ita ingratissimus ille omnium gentium populus, in Ægyptiacam (vt ait sanctus Basilius Homil. 1. de Ieiunio, ante medium) idololatriam turpissimè deuolutus est, & diuinum honorem maximaque Dei beneficia muto illi simulacro tribuens & accepta fetens, diuinam metuit offensam: Exod. cap. 32. vers. 1. vsque ad 7. Et hoc est quod meritò eisdem Israelitis postmodum exprobrabat Dauid in Psal. 105. vers. 19. & sequentibus, dicens: *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile,* (quod hic pro conflatili acceptum credimus) *& mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in Mari rubro.* Cùm autem reuelasset Moysi Dominus peccatum populi, minitatusque esset eum intetficere illis verbis: *Cerno quòd populus iste dura ceruicis sit: dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam:* Exod. cap. 32. vers. 9. & 10. orabat Moyses Dominum, vt saltem propter Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurauerat multiplicare semen eorum, & dare ei Terram promissionis possidendam, parceret populo suo, ne daretur Ægyptiis ansa blasphemandi, ac dicendi, idcircò ipsum callidè Istaelitas de Ægypto eduxisse, vt eosdem interficeret in deserto. Et hoc est, quod in Psal. 105. vers. 23. legimus: *Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius ne disperderet eos.* Quibus verbis eleganti quadam Metaphora Regius Psaltes comparat iram Domini valido cuidam hostium cunco, qui disiecta muri parte, munitionem penetrare, atque in neces ciuium irruere festinat: Moysen verò assimilat strenuo duci, qui inspecto suorum periculo, protinus ad ipsam muri confractionem accurrit, ibique stans ac fortiter dimicans, auertit hostem, & ciuitatem ab interitu seruat.

MOYSES ORAT PRO POPVLO.

50. Die vigesimo quinto mensis quarti illucescente, expletis quadraginta diebus incolatus sui in monte, qui die decimoquarto mensis tertij (vt suprà num. 48. dictum est) cœperat, Moyses, placato aliquantisper Domino, descendit de monte portans memoratas duas testimonij tabulas, quas à Deo acceperat. Vt autem appropinquans castris vidit vitulum aureum in conspectu multitudinis positum, diuino inflammatus zelo, tabulis ad radicem montis repentè confractis, & ad ipsum accurrens, disiecit, combussit, contriuitque eum vsque ad puluerem, quem in aquam torrentis, qui descendit de monte, & de quo bibebant omnes, proiectum, dedit ex eo potum filiis Israel: Exod. cap. 32. vers. 7. vsque ad 21. & Deuter. cap. 9. vers. 12. vsque ad 22. Quoniam verò ordinariè videmus, aurum in igne positum liquari, non autem in puluerem redigi; oportet hîc subintelligere, id tunc occulta quadam arte protinus fuisse præstitum: nam alioqui ad illud idolum in bracteolas tenuissimas producendum, quales sunt quibus medicamenta, & alia quædam comestibilia inaurari solent, multo vtique labore ac tempore opus fuisset. Posse autem aurum etiam puluerari, facilè credimus; quandoquidem publica attestante fama audiuimus de quodam famoso nostri temporis Alchimista, qui paucis ab hinc annis, nescio quo modo, aurum ad cineris formam clàm seducebat; de quo plurimum in modica fusi argenti portione palàm immittens, callidè Principes decipiebat, certò existimantes (quemadmodum oculis ipsis intueri videbantur) puluerem illum habere vim conficiendi aurum de argento: & pro eodem puluere alium suppositi-tium magno pretio diuendebat. Qua tandem fraude detecta, meritò Bauariæ Dux astutissimum latronem furca suspensum interemit. Sed ad quid, obsecto, voluit Moyses, vt filij Israel de illo idoli puluere biberent? Caietanus putat, vt sic illud omnimodis deperiret. Hieronymus Oleaster, vt sic, inquit, magis idololatræ confunderentur, videntes idolum suum ab ipsismet in sterquilinium egerendum. Iudæorum verò Rabbini (quemadmodum referunt Auctor Glossæ Ordinariæ, & Lyranus, & Abulensis, & alij) crediderunt per hoc voluisse Moysen secernere idololatras à ceteris, vt manifesto signo agniti, possent à Leuitis puniri, sicuti paulò pòst dicemus. Quamquam iidem Rabbini nonnihil de modo, quo idem puluis reos proderet, inter se dissentiant. Quidam enim dicunt, quòd ille mirabiliter inducebat in idololatrarum pilis colorem aureum; Alij, quamdam in eorum corporibus infirmitatem, qua vel inniti, deliquisse mani-

DESCENDIT DE MONTE.

CONFRINGIT TABVLAS, ET VITVLVM IN PVLVEREM REDIGIT.

CVR VOLVIT VT POPVLVS DE IDOLI PVLVERE BIBERET.

manifestabantur. Quidquid fuerit, (non enim illud ex Sacro textu elici potest) cùm credendum non sit, Moysen virum iustum voluisse contra omne ius fasque sontes pariter ac insontes à Leuitis interfici; non videtur inconueniens arbitrari, ipsum diuino consilio dedisse populo dictum puluerem aqua mixtum, certò prænoscens, quòd sicuti dispensatione diuina, mulieres de fornicatione suspectæ, hausta zelotypiæ aqua, cui admixtum erat pauxillum terræ de pauimento Tabernaculi sumptum, si pollutæ erant, ventris inflatione dignoscebantur; sin autem, nil ea potione lædebantur, vt patet Numer. cap. 5. vers. 12. vsque ad finem capitis: ita aqua prædicto idoli puluere superaspersa, & ab vniuerso populo ebibita, iustis quidem nihil nocitura erat; reis autem talem illatura languorem, quo pusteà irruentium super se Leuitarum gladios effugere, sicut ceteri, nullo modo possent. Nec his contentus Moyses, ipsum quoque Aaronem, quòd tanti sceleris particeps fuisset, acriter obiurgauit. Mox videns populum solitis inauribus aureis magna ex parte priuatum (euidens profectò signum contributionis factæ & concursus ad conflationem aurei simulacri) & fortè insuper aduertens eumdem populum tunc esse prorsus inermem, quòd (vt probabile est) Aaron in publico illo vituli cultu, pru communi bono cunctis arma prohibuisset, ne tumultus oriretur in populo, & ne idolulatriæ illius auctores, tamquam audaciores ac potentiores, in ceteris sordidas atque ignominiosas insultationes exercereut, vel fortè etiam idololatrare recusantes percuterent. Hinc quoque Moyses pro officij sui munere (supremam enim tunc potestatem in illo populo non solùm Ecclesiasticam, sed etiam sæcularem habebat) commodam arripuit occasionem puniendi idololatrarum capita, vt vel sic faciliùs posset reliquis à Domino veniam impetrare. Itaque stans in porta castrorum Moyses, exclamauit dicens: *Si quis est Domini, iungatur mihi.* Qua voce audita, congregati sunt ad eum omnes Leuitæ, qui iubente Moyse protinus accincti gladiis, per media castra excurrentes, interfecerunt de idololatris ad viginti tria millia: Exod. cap. 32. vers. 21. vsque ad 30. & Deuter. cap. 9. vers. 12. vsque ad 22. Sanè inter hos Leuitas, dubium non est extitisse etiam ipsum Aaronem, strenueque præ ceteris hac in cæde operam suam nauasse: quamuis enim constet, ipsum veniam peccati sui obtinuisse ad orationem Moysi pru ipso fusam, vt dicitur Deuter. cap. 9. vers. 20. credendum tamen est, ad id quoque non mediocriter valuisse eius pœnitentiam, cum hac vltione de idololatris sumpta coniunctam; & fortè etiam quòd ipse insuper ob id promeruerit fieri antiquæ Legis Sacerdos, & vt talis dignitas in sola deinceps stirpe ac posteritate sua permaneret; quemadmodum posteà nepos eius Phinees, zelando zelum Domini, obtinuit à Deo sibi & semini suo eiusdem Sacerdotij confirmationem, & pactum sempiternum, vt dicitur Num. cap. 25. vers. 7. vsque ad 14. & refertur 1. Machab. cap. 2. vers. 54. Eadem de causa, credimus ceteros Leuitas meruisse postmodum segregari ab aliis tribubus in hereditatem Domini, addicique ministeriis tabernaculi & templi, toto tempore veteris Legis; quod manifestè colligi posse videtur ex illis verbis, quæ statim à patrata cæde locutus est eis Moyses Exod. cap. 32. vers. 29. dicens: *Consecrastis manus vestras hodie Domino; vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Quid est enim, *Consecrastis manus vestras hodie Domino?* nisi, vt bene exponit Abulensis, Ex hac die consecratæ sunt manus vestræ in sanguine propinquorum vestrorum, quos pro Dei honore occidistis, vt exinde redditæ sint aptæ ad ministrandum Domino, & *vt detur vobis benedictio*, id est, & vt sitis pars benedicta à Domino, & electa in sortem eius. Quamquam hæc Leuitarum separatio nun continuò per Moysen facta fuit, sed multò pòst, nimirum mense primo anni subsequentis, vt nos sub anno mundi 2545. num. 7. dicemus; oportuit enim priùs conficere Tabernaculum, & quæ ad ipsum pertinebant, quàm depurare illi ministros. Ceterùm quod attinet ad præfatam tabularum confractionem, credunt B. Hieronymus super Zachar. cap. 8. & Rupertus, & alij, proptereà deinde institutum fuisse in Hebraismo ieiunium quarti mensis, eò quòd in eodem, vt diximus, mense olim illæ confractæ fuerant. quod si verum est, facit ad comprobandam nostram hanc horum temporum seriem.

OCCASIONE ARREPTA IDOLOLATRAS INTERFICIT.

CVR AARON POSTEA FACTVS SIT SVMMVS SACERDOS.

CVR LEVITAE POSTEA SEGREGATI SINT IN MINISTERIVM DIVINI CVLTVS.

IEIVNIVM QVARTI CVR INSTITVTVM.

51. Altera die, quæ fuit vigesimasexta eiusdem mensis quarti, congregata multitudine habuit Moyses concionem ad populum, in qua primò valdè eum reprehendit, quòd contra fœdus ictum cum Domino fecissent, adorassentque vitulum aureum; & tot ac tantis Dei beneficiis ingrati, eadem ab idolo muto & insensibili recognouissent; ac proptereà sese indignos reddidissent, qui plures alias easdemque præclaras ipsius repromissiones assequerentur. Postremò, ne desperandi occasionem populo relinqueret, promisit se ascensurum denuò in montem, ad deprecandum Dominum, si fortè posset eis

MOYSES ACRITER REPREHENDIT POPVLVM.

ET PRO IPSO ORAT.

eis veniam impetrare. Et his dictis, reuersus ad Dominum, orabat pro populo, obsecrans vt vel eis indulgeret, vel ipsummet Moysen deleret de libro vitæ, Exod. cap. 32. vers. 30. vsque ad finem. Qua in oratione credunt Rabbini, & nonnulli etiá ex Latinis Scriptoribus, Moysen perseuerasse aliis quadraginta diebus continuis: sed hoc admitti non potest, quandoquidem certum est, ab hac die ad initium postremæ quadragesimæ, in qua Moyses de Sinai secundas detulit tabulas, non nisi ad triginta quinque dies intercessisse, quemadmodum ex num. proximo dicendis, vbi quæ intra hos triginta quinque dies acta fuerint, explicabimus: & clarius num. 5. vbi de quadragesimis à Moyse factis fusiùs agemus, manifestum fiet. Ceterùm Moyses in memorata oratione non potuit obtinere populo omnimodam veniam pro reatu vituli, sed tantummodò vltionis dilationem: quando autem posteà, & quomodo hæc facta fuerit, in Sacro textu non exprimitur. Creditur tamen quòd vltio hæc fuerit pestis quædam, quæ paulò pòst in eadem statione grassari cœperit inter reliquos idololatras, quos Leuitarum gladius non consumpserat. Sed illud magis contristauit Moysen, ac deinde etiam populum vniuersum quòd Deus, qui antea promiserat, Exod. c. 29. ad calcem, velle habitare in medio filiorum Israel, & manere ac proficisci inter eos; nimirum per specialem quamdam sui præsentiam, in Tabernaculo testimonij mox conficiendo, exhibendam; quique iam Exod. cap. 25. & sex sequentibus diligenter admodum instruxerat Moysen, quomodo ipsum Tabernaculum, & sigillatim omnia ad ipsum pertinentia, fabricanda ordinandaque forent: nunc iuberet ipsum Moysen proficisci cum populo ad Terram promissionis, comite dumtaxat Angelo, qui in columna nubis præcedere solitus erat: quin & paulò pòst apertè subiunxerit, se nolle proficisci cum ipsis; nimirum per memoratam sui præsentiam. Hæc quippe, cùm de monte descendens Moyses populo renuntiasset, meritò magnum in eo luctum excitarunt. quem videns Dominus, & aliquantulùm ad miserendum inclinatus; primò iussit Moysen aperire multitudini causam cur recusaret habitare & ire cum eis, ne scilicet (quia sciebat eos duræ esse ceruicis) cogeretur ob eorum inobedientiam & contumaciam illos interficere: deinde, vt eosdem ad pœnitentiam prouocaret, humano more loquens, subiunxit, velle se, priusquam ire cum eis deliberet, de ipsorum obedientia periculum facere. Iussit itaque cunctos deponere ornatum suum, & in cœpta iam pœnitentia perseuerare; mandauit etiam Moysi vt transferret tabernaculum suum, quod in medio castrorum aliàs figi solebat, extra castra, vt ibi loqueretur ei; non enim volebat id facere inter ipsos Israelitas, vt vel sic eos magis humiliaret, Exod. cap. 33. vers. 1. vsque ad 6.

REFELLITVR RABBINORVM OPINIO DE HVIVS ORATIONIS DVRATIONE.

POPVLO POENITENTIAM AGENTE QVID AGERET MOYSES.

52. Igitur deposito protinus à populo omni pretiosiori cultu, & in signum pœnitentiæ, vilioribus omnes induti vestimentis, post translatum Moysis tabernaculum extra castra, quod ipse pro tunc vocauit Tabernaculum fœderis, intra memoratos triginta quinque dies aliquando quidem de castris exibant, veniebantque ad ipsum Moysen qui habebant quæstionem; aliquando autem ipse Moyses de suo Tabernaculo fœderis veniebat ad castra, prout ei sese occasio offerebat; relicto tamen semper ministro suo Iosue ad custodiam Tabernaculi. Quandocumque autem exibat de castris Moyses, vt rediret ad Tabernaculum suum, ecce vniuersa plebs accurrens ad ostia tentoriorum suorum intuebatur tergum Moysi, obseruabatque donec ingrederetur Tabernaculum fœderis: siquidem tunc descendere solebat columna nubis, & loqui cum eo Dominus, cunctis videntibus eamdem columnam ante ostium Tabernaculi stantem, & de foribus papilionum suorum adorantibus Dominum, Exod. cap. 33. vers. 6. vsque ad 12. Et quoniam ibi vers. 11. Scriptura sacra testatur, quòd Dominus cum Moyse loquebatur facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum; subiungitque ibidem vsque ad finem capitis, admirabilem quemdam dialogum inter ipsos habitum, quem in eodem tabernaculo, & sub finem prædictorum triginta quinque dierum fuisse factum, inde constat, quòd in fine eiusdem dialogi præcepit Dominus Moysi, vt pararet duas tabulas, & cum illis ascenderet in montem, vt paulò pòst dicemus. Sanè ex dicto dialogo, & item ex his quæ cap. sequenti vers. 5. & deinceps narrantur acta in monte, colligunt nonnulli SS. Patrum, videlicet S. Basilius Hom. 1. in Hexaëmeron, & S. Ambrosius lib. 1. in Hexaëmeron cap. 2. & alij, tunc Moysen verè Deum vidisse. Quod tamen, vt notat Caietanus, ex littera non videtur necessariò posse inferri: nam potest quis facie ad faciem loqui cum altero, & non videre illum, vt patet de iis, qui in tenebris colloquuntur. Præterquam quòd communiter ceteri Patres ac Theologi sentiunt eumdem Moysen non vidisse Deum oculis corporalibus: nam vt ait S. Augustinus tract. 24. in Ioan. *Ille non est talis substantia, quæ videri oculis possit.* Sed neque spiritua-

AN MOYSES VIDERIT DEVM.

libus hic videri potest in sua essentia: quandoquidem extant multa, eademque valdè aperta Scripturæ testimonia, asserentia Deum neque sic ab vllo vmquam in hac vita visum fuisse. quale est illud in Euangelio Ioannis cap. 1. vers. 18. & in Epistola eiusdem 1. cap. 4. vers. 12. *Deum nemo vidit vmquam.* Quin & Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 16. de Deo ait: *Quem nullus hominum vidit.* & insuper addit: *sed nec videre potest.* Cui adstipulari videtur ipsa Dei responsio, in præcitato dialogo data Moysi obsecranti, vt ostenderet ei gloriam suam: *Non poteris*, inquit, *videre faciem meam*, non obscurè insinuans eiusmodi impotentiam homini in hac vita esse, vt ita loquar, naturalissimam: quamquam in alia, Dei beneficio, de ipsa Dei visione perpetuò viuere queat. vnde & sequitur: *Non enim videbit me homo* (subaudi, hic) *& viuet.* hoc est, me videns in patria. Propterea sanctus Leo Papa, huius nominis Primus, in Homil. de Transfiguratione Domini, ait, tres Apostolos à Domino ductos in montem Thabor vidisse filium hominis venientem in regno suo, id est in regia claritate, spiritaliter ad naturam suscepti hominis pertinente. *Nam illam*, inquit, *ipsius Deitatis ineffabilem & inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde seruatur, nullo modo, mortali adhuc carne circumdati, intueri poterant, & videre.* sic sanctus iste Pontifex. Quare licet S. Basilius Hom. 1. de Ieiunio, ante medium, dicat, Eliam meruisse videre Deum: non tamen id absolutè pronuntiat, sed cum hac limitatione, videlicet: *Quantum fas est homini*: subintellige, in hac vita. Ratio autem cur diuina essentia hic videri non possit, est, quia nemo potest potuitve vmquam simul esse comprehensor & viator, nisi solus Christus, vt ipsemet testatur Ioan. cap. 6. vers. 46. dicens: *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo*, (seipsum significans) *hic vidit Patrem.* Quod ergo dictum est, Deum cum Moyse locutum esse facie ad faciem, debet accipi (vt exponit B. Thomas 1. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2.) iuxta opinionem Hebraici populi, qui sic putabat: vel potiùs vt idem S. Doctor ibidem subiungit, *Per visionem faciei, debet intelligi eminens quædam & familiaris contemplatio, infra tamen diuinæ essentiæ visionem.* Ad quam Angelici Doctoris expositionem videntur alludere verba illa Domini de Moyse, & Aarone, & Maria, Numer. cap. 12. vers. 6. quæ sic habent: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Ac si inferre voluerit: Sed longè perfectiori modo quàm cæteri Prophetæ. Itaque

DEVS IVBET MOYSEN NOVAS TABVLAS PARARE.

53. Die, vt arbitror, vigesimo octauo mensis quinti, mandat Dominus Moysi vt præcidat sibi duas tabulas lapideas, prioribus haud absimiles, velle etenim denuò scribere in eis verba, quæ in iam confractis exarauerat: eidem quoque iniunxit, vt esset paratus manè protinus ascendere cum illis solus in montem Sinai, & stare secum super eiusdem montis verticem; & interim prouideret, ne quisquam eo tempore in eodem monte, ob loci reuerentiam, versari auderet; neve oues aut boues è regione montis pasci permitterentur. Igitur paratis tabulis, datisque (vt necessariò supponendum videtur) Aaroni mandatis, ne ipso absente quemquam monti approximare pateretur; sequenti die, qui erat illius mensis vigesimus nonus & vltimus, ante lucem surgens, cum tabulis ascendit solus in montem, relicto nimirum, vt consueuerat, Iosue ministro suo ad Tabernaculi sui custodiam. Quòd autem iste postremus dies mensis quinti ab exitu, fuerit primus secundæ quadragesimæ à Moyse in monte Sinai factæ; ex his quæ infrà num. 58. in fine dicenda sunt, manifestum fiet. Cùm itaque Moyses in montem peruenisset, descendissetque in nube Dominus; statim ipse Moyses in altissima contemplatione diuina eleuatus, meruit videre Deum, quatenus homini in hac vita fas esse potuit, nimirum eo modo, quo præcedenti numero exposuimus, & eidem Moysi Dominus in memorato colloquio secum habito pollicitus fuerat, illis præsertim verbis Exodi cap. 33. in fine: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Vidit, inquam, Moyses speciali quodam Dei fauore, non ipsam Dei essentiam, quam certum est (inquit S. Augustinus Meditationum cap. 28.) à nemine conspici posse in hac vita; & cap. 29. ait, eamdem diuinam essentiam à nullo mortalium aliquando potuisse videri. Cuius sententiæ subscribit quoque Theodotus Ancyræ Episcopus Homil. de Natiuitate Domini, quæ refertur in Concilij Ephesini tom. seu lib. 6. cap. 10. vbi agens de Moyse, quomodo viderit Deum: *Certè*, inquit, *naturam inspectabilem non est conspicatus: eam enim humana mens assequi non potest.* sic ille. Non ergo propriè ac simpliciter Moyses vidit ipsum Deum; sed lumine suo intellectuali tunc à Deo mirabiliter illustrato, eximia quædam illius attributa percepit, quæ illis Exodi cap. 34. vers.

MOYSES ASCENDIT CVM TABVLIS IN MONTEM, IBIQ. SECVNDAM AGIT QVADRAGESIMAM. QVOMODO DEVM VIDERIT.

vers. 6. verbis continentur: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia; qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* Quæ Exodi verba tametsi videantur non à Deo Moysi fuisse indicata, sed contra ab ipso Moyse coram Deo fuisse prolata; certum tamen est, quòd ipsi Moysi fuerant prius à Domino inspirata & reuelata, quemadmodum idemmet Moyses aperte testatur Numer. cap. 14. vers. 17. & deinceps, vbi eadem ferè verba refert, tamquam sibi à Domino dicta; vtique alludens ad Exodi
5 locum proxime citatum. Diuina autem attributa quæ Dominus Moysi in monte Sinai manifestauit, hæc sunt: Quòd ipse est Deus ac Dominus omnium, qui non solùm per omnipotentiam infinitamque sapientiam suam in cunctis actualiter dominatur, omniaque gubernat; verumetiam per suam bonitatem est in condonandis pœnis admodum misericors, quemadmodum & in culpis remittendis valdè clemens; quin etiam & patiens in offensis tolerandis, vltionibusque ad pœnitentiam expectandam differendis, & multus in miserando & compatiendo iis qui ignorant & errant; & item verax ac fidelissimus in suis pollicitationibus adimplendis; quæ quidem, in tanto præsertim Principe, quàm magna & mirabilia sint, nemo est qui non videat. Denique cùm nullus omnino per se sit innocens apud ipsum, qui (vt dicitur Iob cap. 4. vers. 18.) *& in Angelis suis reperit prauitatem:* nihilominùs ipse est qui iustificat impios, & cunctas aufert iniquitates atque peccata. Quanta autem res sit iustificatio impij, docet B. Augustinus tract. 72. in Ioan. post medium, dicens, quòd maius opus est vt ex impio iustus fiat, quàm creare cælum & terram. Et non procul à fine subiecit: *Iudicet qui potest, vtrum maius sit, iustos Angelos creare, quàm impios iustificare: certè si æqualis est vtrumque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ.* Quæ loca quomodo intelligenda sint, optimè declarat S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 9. Denique non minùs verum est quàm admirabile, quod in quadam Collecta, diuino edocta Spiritu, canit sancta mater Ecclesia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas,* &c. Quibus sanè verbis aperte declarat, iustificationem peccatoris non solùm esse solius diuinæ omnipotentiæ, sed etiam inter alia eiusdem opera præcipuum & maximum. Etenim longe maiorem in quouis intellectu creato parit admirationem, quòd Deus pro impiis iustificandis homo fieri, & tot tantaque ac tam indigna pati voluerit, quàm quòd solo iussu cuncta creare potuerit. Ad eamdem quoque infinitam Dei misericordiam euidentiùs, & tamquam visibili experimento demonstrandam, facit, quod citato Exodi cap. 34. vers. 7. testatur Moyses, asseuerans, quòd ipse Deus, iustus cùm sit, reddit iniquitates patrum filiis ac nepotibus vsque ad quartam generationem; & bonorum merita remunerat in millia, (subaudi, generationum.) Quòd specialiter & inprimis de Christo accipiendum videtur, ob cuius infinita merita misericordiam consequuntur Christiani successiuè per infinitas propemodum generationes. Videtur ergo Deus tunc reuelasse Moysi altissima quædam eius arcana & mysteria, præsertim verò Dominicæ incarnationis, prædicationis, & passionis, pro redemptione mundi posterioribus implenda temporibus. Ipsa namque sunt mirabilia, eademque pariter illustrissima diuinæ miserationis, clementiæ, patientiæ, ac iustitiæ opera, per quæ disposuerat Dominus, sine vllo æternarum suarum Legum detrimento, auferre iniquitates, condonare peccata, & iustificare impios, iuxta Danielis prophetiam, de qua cap. eius 9. vers. 24. legimus: *Vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.* Hæc & eiusmodi sunt, vt arbitror, posteriora Dei, quæ vidit Moyses in monte Sinai: faciem namque Dei in hac vita videre non potuit; quòd id Beatorum tantùm in cælo sit. *Illa enim summa & incommutabilis essentia* (vt ait S. Augustinus Meditationum cap. 28.) *à nemine conspici valet in hac vita, quòd solum præmium sanctis reseruatur in cælesti gloria.* Ceterum liceat hîc ex dictis obiter inferre, quoniam supra Deum nihil est, recte omnia respectu Dei dici posse vel inferiora, vel posteriora, vel anteriora; nulla superiora. Inferiora Dei videre dicuntur, qui naturæ; posteriora, qui gratiæ; anteriora, qui gloriæ eius opera speculantur.

54. Sanè Moyses de hisce diuinis mysteriis à Deo edoctus, non in superbiam elatus, sed maiori erga suos charitate inflammatus, confestim in terram corruens, & adorans Deum, rogare cœpit eum pro populo suo; cum quo licet ipse Dominus se mansurum iam eidem Moysi pollicitus fuisset in eo colloquio, quòd priùs secum ad ostium Tabernaculi sui habuerat, vt patet Exod. cap. 33. vers. 16. & 17. verumtamen quia sciebat

MOYSES DIVINIS CONTEMPLATIONIBVS A DEO EXALTATVS MAGIS SE HVMILIAT.

sciebat Moyses, populum duræ admodum esse ceruicis, verebaturq; ne ob eius inobedientiam aliquando iustè eumdem Dominus desereret; iterùm enixe diuinam implorat clementiam, obsecrans ne deinceps illius populi demerita attendat, sed potiùs (ex quo dixit se eum esse qui aufert iniquitates hominum) ipse deleat peccata eius, & ne vlla vmquam de causa eum diuina sua præsentia destitui permittat. Cui Dominus benignè annuens, subiunxit, se de hac re pactum cum ipso initurum, & talia facturum signa cunctis videntibus, tum admirabilia, tum etiam terribilia, & numquam ampliùs visa aut audita, vt de eius diuina præsentia & assistentia nullus dubitandi relinquendus esset locus. Hæc autem signa, vt arbitror, fuere, mirabilis ille fulgor, qui posteà in facie Moysi resplenduit; item diuina illa sermocinatio; vocibus articulatis de Propitiatorio cum ipso Moyse, quamdiu mox vixit, & quandocumque opus fuit, habita: necnon admiranda illa primi holocausti ab Aarone, Moyse iubente, oblati consumptio, igne cælitus demisso: & denique terribiles illæ ac subitaneæ punitiones Nadab, & Abiu, & Dathan, atque Abiron, & Core, ac multa eiusmodi alia, quæ suis locis notabuntur.

ORAT PRO POPVLO.

DOMINVS DAT QVASDAM PRÆCEPTA PER MOYSEN.

Dedit deinde Dominus Moysi præcepta illa ab eodem conscribenda ac tradenda populo, quæ habentur in eodem Exodi cap. 34. à vers. 11. vsque ad 28. Et denique ipsemet Dominus scripsit in tabulis à Moyse paratis verba Decalogi, eo prorsus modo, quo in aliis iam confractis priùs conscripserat: vt loco Exodi citato vers. 28. habemus, nam quod ibi intelligere debeamus, Dominum, non autem Moysen, scripsisse; colligitur ex eiusdem capitis vers. 1. vbi Dominus promittit se scripturum, & quòd ipse scripserit, apertiùs traditur Deuter. cap. 10. vers. 4. Igitur in hisce sanctis actionibus & contemplationibus commoratus est in monte Moyses quadraginta dies naturales perpetuos, non manducans, neque bibens; sed tantummodò viuens ex omni verbo, quod procedebat de ore Dei, Exodi loco citato, & Deuter. cap. 9. vers. 18. & cap. 10. vers. 10.

SCRIBIT IN TABVLIS DECALOGVM.

55. Et hæc fuit secunda postremaque Moysi quadragesima in Monte Sinai facta, secundùm communiorem Catholicorum Expositorum sententiam, secùs autem iuxta Hebræorum Rabbinos, qui (vt testatur Lyranus super Deuter. cap. 9.) putabant, Moysen tres in dicto monte quadragesimas egisse; nimirum duas iam memoratas, & insuper aliam inter has mediam, quando scilicet post contritum vitulum aureum, idololatrasque Leuitarum auxilio interfectos, locutus est populo, dicens: *Peccastis peccatum maximum; ascendam ad Dominum, si quo modo quiuero eum deprecari pro scelere vestro*. & quæ sequuntur, Exod. cap. 32. vers. 30. vsque ad finem.

QVOT QVADRAGESIMAS EGERIT IN MONTE MOYSES.

Sed hæc opinio, quam etiam sequitur Caietanus super Deuter. cap. 10. nullo modo videtur probanda: quia licet ibi dicatur, Moysen ascendisse orasseque pro peccato populi; non tamen ibi neque alibi Scriptura asserit, ipsum illa vice moratum esse in monte quadraginta diebus. Vnde cùm certum sit, Moysen, quamdiu mansit populus in Sinai, pluries ascendisse descendisseque de monte vt oraret pro populo; certè quemadmodum ridiculum esset opinari, eumdem, quotiescumque ascenderet orationis causa, consueuisse ibidem morari quadraginta diebus continuis: ita rationi consonum est credere, huiuscemodi tam longam moram non nisi toties contigisse, quoties in Sacro textu reperitur expressum: alioqui non maior videretur ratio tale quid asserendi de vna vice, aut duabus, aut tribus, quàm de ceteris omnibus.

QVOD FVERINT DVAE TANTVM IN MONTE SINAI.

Cùm igitur duas tantùm quadragesimas à Moyse super montem Sinai traductas, in sacra Scriptura expressas inueniamus; primam videlicet Exodi cap. 24. in fine notatam, cuius etiam meminit Deuter. cap. 9. vers. 9. Alteram verò Exodi cap. 34. vers. 5. vsque ad 28. de qua item fit mentio Deuter. cap. 9. vers. 18. & cap. 10. vers. 10. vt ceteri notant Expositores: proculdubiò periculosum nimis videretur, addere tertiam; præsertim cùm (quidquid verba illa Deuter. cap. 10. vers. 10. super quæ se fundat Caietanus, iuxta Textum quem ipse sequitur, innuere videantur de media illa quadragesima) videamus, quòd textus Vulgatæ editionis, qui multò maioris est auctoritatis, si benè perpendatur, magis indicat, Moysen ibi per recapitulationem loqui de secunda eademque postrema eius quadragesima in illo monte transacta; non autem de media illa, à prædictis introducta; quæ quidem alio item argumento ex Chronologia petito perspicuè reiici posse videtur. Nam (quemadmodum suprà num. 51. tetigimus) à fine prioris quadragesimæ ad initium postremæ, triginta quinque tantùm dies intercessisse inueniuntur: siquidem vitulus aureus confractus fuit die 24. mensis quarti, vt suprà num. 50. dictum est; & postrema quadragesima cœpit die vltimo mensis quinti, vt ex his quæ sup. num. 53. dicta sunt, & adhuc magis ex his, quæ infrà num. 58. dicemus, perspicuum fieri poterit. Restabant igitur dies septem

mensis

mensis quarti; & viginti octo mensis quinti, qui faciunt dies triginta quinque inter vtramque quadragesimam medios: non ergo potuit fieri alia quadragesima, inter memoratas media. Neque verò huic nostræ positioni obstat illa horum dierum computatio, quam facit Lyranus super Deuter. cap. 9. probans posse dari tres quadragesimas, à Lege lata ad diem vltimum postremæ Moysi quadragesimæ: quia (inquit) certum est, quòd ab exordio primi mensis, ad diem Expiationis, quæ cadebat in die decima mensis septimi, (in qua, de communi, inquit, omnium tum Catholicorum tum Rabbinorum consensu, expleta fuit in monte Sinai postrema Moysi quadragesima; quod nos quoque num. 58. comprobabimus) fluxerunt menses Lunares sex, & dies decem; qui simul ducti, faciunt dies centum octoginta septem: à quibus si excipias dies quattuordecim primi mensis (populus enim exiuit de Aegypto die decimaquinta eiusdem primi mensis) & dies quinquaginta, ab exitu ad Legem decursos; proculdubiò remanebunt, à Lege ad diem Expiationis dies centum viginti tres; intra quos euidens est, potuisse fieri tres quadragesimas. Non (inquam) hæc obstant his quæ suprà diximus, quoniam Lyranus distribuit ferè totos illos centum viginti tres dies in tres quadragesimas; quasi nihil aliud toto illo tempore Moyses egerit, sed semper in monte cum Domino fuerit occupatus, & nullos propemodum dies inferiùs cum populo traduxerit: nullam ergo habuit rationem Lyranus septem illorum dierum, qui à die Legis latæ ad initium primæ quadragesimæ interfluxerunt, quorum meminit Scriptura Exod. cap. 24. ex quo capite nos, quæ in illis diebus facta fuerint, suprà num. 47. explicauimus. Prætorit quoque in sua computatione Lyranus dies, qui ab extremo prioris quadragesimæ ad primum postremæ fluxerunt, quos paulò antè triginta quinque fuisse diximus; & certe plurimos extitisse necesse est, si attendamus quæ in illis à Moyse cum populo facta fuerunt, quemadmodum ex Exodi cap. 32. & 33. nos suprà num. 51. & 52. retulimus. Itaque si memoratos hos quoque dies à Moysaicis quadragesimis, vt oportet, subtrahamus, manifestum fiet, concedi nullo modo posse, quòd Moyses tres in Sinai quadragesimas cum Domino fecerit, sed duas tantùm. TOLLITVR OBIECTIO.

56. Notandum tamen hîc est, non incongruè fortassis poni posse, Moysen tres egisse quadragesimas; non quidem omnes in monte Sinai, vt putant Hebræi, sed duas tantùm in Sinai, tertiam verò in Cadesbarne: quod videtur colligi posse ex Deut. c. 9. vers. 25. vsque ad finem capitis: in eo namque capite, Moyses cùm cœpisset vers. 7. breuiter recolere præuaricationes populi, ex die qua exierat de Ægypto; & præcipuè illas quæ acciderant in Horeb, (quod idem est, ac si dixisset in Sinai, iuxta superiùs num. 34. notata) refert vers. 9. se ascendisse in montem, vt acciperet à Domino tabulas Legis, ibidemque mansisse quadraginta diebus & quadraginta noctibus sine cibo & potu: posteà descendisse, ac contriuisse vitulum aureum: deinde vers. 18. subdit, se iterùm ieiunasse sicut priùs, ac procidisse ante Dominum aliis quadraginta diebus & totidem noctibus, *propter omnia*, inquit, *peccata vestra quæ gessistis contra Dominum*, &c. & item pro peccato Aaronis: mox vers. 22. prosequitur recolendo aliquot populi murmurationes, post egressum eius de Sinai subsecutas, nempe ad Sepulchra concupiscentiæ, ac postremò in Cadesbarne; subiungens vers. 25. se iacuisse coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, ipsumque suppliciter deprecatum fuisse, ne deleret eos, vt fuerat comminatus; & ponit ibi quædam illius orationis verba, vsque ad finem capitis. Apparet igitur in eo capite tres Moysi quadragesimas successiuè fuisse recapitulatas; duas nimirum in Sinai, tertiam verò in Cadesbarne peractas. Et quidem fateor, postremos illos quadraginta dies vers. 25. citati capitis commemoratos, conuenienter posse accipi, fuisse illosmet secundæ quadragesimæ, quorum paulò antè, videlicet vers. 18. meminerat, quemadmodum etiam arbitrantur Hugo Cardinalis & Caietanus, & alij multi, super eodem Deuter. cap. 9. dicentes, Scripturam ibi non seruasse ordinem temporum, vt aliàs sæpè; sed posteaquam vers. 18. mentionem fecerat secundæ quadragesimæ factæ in monte Sinai, interposuisse vers. 22. breuem illam recapitulationem eorum quæ acciderant ad Sepulchra concupiscentiæ, & in Cadesbarne; mox iterùm vers. 25. rediisse ad eamdem secundam Moysi quadragesimam commemorandam, adiiciens ei orationem, quam eo tempore fecerat in Sinai. Verùm nobis multò conuenientius videtur, postremos illos quadraginta dies, vers. 25. notatos, esse accipiendos de tertia Moysi quadragesima, quam diximus factam fuisse in Cadesbarne, non autem de secunda facta in Sinai. Primò, quia ibi manifestè præcedentia pertinent ad acta in Cadesbarne, & de eisdem videtur continuare sermonem. Secundò, quoniam ibidem dicitur, Moysen exorasse Dominum ne deleret populum, vt fuerat comminatus; perspicuè alludens ad il-

lam

QVOD MOYSES TERTIAM FECERIT QVADRAGESIMAM IN CADESBARNE.

lam comminationem, quæ facta fuit in Cadesbarne, quando scilicet Numer. cap. 14. vers. 12. dixit Dominus Moysi: *Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam.* Tertiò, quia verba ipsa Moysicæ orationis, Deuter. cap. 9. ad finem relata, satis conueniunt cum his quæ referuntur capite Numer. allegato vers. 13. & sequentibus; ex quo apparet, eamdem Moysi orationem actionemque in Cadesbarne peractam, vtrobique describi. Quartò, quoniam certum est, debere supponi, Scripturam factam in rebus gestis describendis semper ordinem temporum obseruasse, nisi quando euidenter constat de opposito, (quod in casu nostro non militat:) alioqui nihil certi ad sacram Chronologiam pertinens, ex Sacris libris habere possemus. Cùm igitur historia capite Deuter. adducto relata, vero ac legitimo temporum ordini consentanea esse videatur; neque vlla necessitas cogat nos aliter opinari; proculdubiò credendum videtur, postremam illam Moysi quadragesimam, quæ ad calcem illius capitis breuiter tangitur, non fuisse secundam, sed tertiam, neque factam in Sinai, sed in Cadesbarne, vt dictum est: præsertim cum ex hac opinione nullum sequi videatur inconueniens; & nos inferiùs sub anno mundi 2545. num. 66. ostendemus, Moysen post pessimam illam populi desperationem in Cadesbarne secutam, mansisse ibidem ad duos ferè menses, intra quos tertiam hanc cum Domino quadragesimam peragere potuisse certum est. Sed nunc ad historiæ seriem reuertamur.

MOYSES DE MONTE DESCENDENS, SPLENDOREM DE FACIE EMITTIT.

57. Die decimo mensis septimi illucescente, Moyses expleta cum Domino in Sinai secunda quadragesima, quam (vt diximus) die vltimo mensis quinti inchoauerat, descendit de monte, portans duas tabulas testimonij, ignorans quòd cornuta esset facies eius ex consortio sermonis Domini. Occurrentes autem ei Aaron & principes filiorum Israël, & videntes cornutam faciem eius, hoc est, splendorem radiis veluti cornibus hinc inde prominentibus coruscantem; timentesque ad ipsum accedere, recedere cœperunt ab eo; ipse autem vocauit eos, & locutus est cum eis. Deinde conuocata omni multitudine, manifestauit ei quæ à Domino in monte obtinuerat, nimirum veniam maximi illius peccati, quod populus cum Aarone in vituli adoratione perpetrauerat. Cuius rei causa institutum posteà fuit festum Expiationis, seu Propitiationis, tali die quotannis celebrandum, vt numero sequenti dicemus. Vt primùm autem intellexit Moyses, quòd non poterant filij Israel intendere acies in faciem eius, propter gloriam vultus ipsius, vt dicitur 2. ad Corinth. cap. 3. vers. 7. id est propter cœlestem splendorem, qui inde mirabiliter fulgurabat: exinde cœpit ponere velum super caput suum, quotiescumque eum cum populo loqui oporteret; quod posteà auferre solebat, quando redibat ad Tabernaculum fœderis, & loquebatur cum Deo: Exodi cap. 34. vers. 29. vsque ad finem. In eodem quoque conuentu manifestauit Moyses populo, se tandem obtinuisse à Domino gratiam, quam omnes tantopere exoptauerant, & ipse admodum enixè postulauerat, videlicet, vt dignaretur Dominus habitare atque ambulare cum eis in Tabernaculo mox conficiendo, prout ipsemet Dominus, antequam peccasset populus, vltrò eidem Moysi in monte promiserat; eumque de modo eiusdem Tabernaculi conficiendi diligentissimè edocuerat. Tradidit etiam Moyses populo præcepta, quæ dederat ei Dominus in monte, & hortatus est cunctos, vt offerrent Domino aurum & argentum, & cetera quæ memorantur Exodi cap. 35. vers. 5. vsque ad 10. ad conficienda quæ Dominus imperauerat; nempe Tabernaculum, indumenta pontificalia, & alia, quæ recensentur Exod. cap. 31. vers. 7. vsque ad 12. & cap. 35. vers. 11. vsque ad 20. Egressa ergo omnis multitudo, offerebat omnia libentissimè, neque vmquam cessatum est ab oblationibus, nisi quando posteà Moyses voce præconis id vetuit. Porrò omne auri & argenti & æris pondus, quod oblatum fuit & expensum in opere Sanctuarij, describitur Exodi cap. 38. vers. 24. vsque ad finem capitis; vbi aurum dicitur fuisse pondo talentorum viginti nouem, & insuper siclorum septingentorum triginta, ad mensuram Sanctuarij. Argentum verò talentorum centum, & siclorum mille septingentorum septuaginta quinque. Æris denique oblata fuisse talenta septuaginta duo millia, & siclos quadringentos. Verùm quod attinet ad memoratum argenti pondus, duo sunt aduertenda. Alterum, quòd tametsi in editione Vulgata, post pondus auri non statim exprimantur dicta centum argenti talenta, & mille septingenti septuaginta quinque sicli, vt fit in LXX. Interpretum codicibus, & in Paraphrasi Chaldaica: tamen hæc satis clarè indicantur etiam in textu Vulgato ibidem paulò pòst, vbi subiungitur, quòd ex centum argenti talentis factæ sunt bases centum, & de mille septingentis septuaginta quinque (subaudi siclis, vt ibi exprimunt textus Vulgatus Bibliorum Regiorum, & LXX. Interpretes, & Chaldaica Paraphrasis) contecta fuerunt capita columnarum. Alterum est,

LOQVITVR OPERTA FACIE AD POPVLVM.

est, non facilè determinari posse, num tota illa argenti summa, an verò pars eius tantùm (id enim in Sacro eloquio non plenè exprimitur) collecta fuerit ex illis semisiclis, quos offerre tenebantur illi qui transibant ad nomen siue ad numerum viginti annorum, quando inter pugnatores recensebantur, iuxta Legem Exod. cap. 30. vers. 13. latam. Et quidem si singula talenta Hebraica (de his enim nunc loquimur: nam de aliarum nationum talentis, scimus ea pro diuersitate nationum varij inter se ponderis extitisse) si, inquam, singula talenta Hebraica ad mensuram Sanctuarij (vt Sacer textus loquitur) pendissent tantummodò ter mille siclos, quemadmodum nonnulli arbitrantur ex hoc loco Exod. c. 38. posse colligi; proculdubiò centum talenta facerent trecenta siclorum millia; quibus si adderentur alij prædicti mille septingenti septuaginta quinque sicli, fieret totum argenti pondus 301775. siclorum; quæ præcisè esset medietas numeri bellatorum 603550. in eodem Exod. cap. 38. vers. 25. & Numer. cap. 1. vers. 46. notati. Verùm, ni fallor, ex textu Exodi proximè citato non videtur necessariò posse inferri, quòd talentum Hebraicum sacrum tam parui esset ponderis: nam sic argenti talentum fuisset valoris tantummodò mille circiter aureorum; (siquidem ter mille sicli faciunt sex mille libras Imperiales) quod neque ex vllo alio Sacro textu, aut antiquo probatoque Scriptore comprobari potest. Quin potiùs ex Iosepho, qui fuit Hebraicarum rerum peritissimus, & ex Didaco Couarruuia, huiuscemodi ponderum inuestigatore diligentissimo, constat, (vt sub anno mundi 3043. num. 4. probabitur) singula talenta Hebraica sacra pendisse minas centum; & certum est, singulam minam pendisse siclos sexaginta, vt apertè tradit Ezechiel c. 45. vers. 12. & ibidem confirmant S. Hieronymus, & alij illius loci Expositores. Igitur si hæc vera sunt, vt credimus, vtique oportet quòd singula talenta penderent sex mille siclos, & centum talenta facerent sexcenta millia siclorum; quibus si addantur alij prænotati mille septingenti septuaginta quinque sicli, necesse est totam illam argenti summam fuisse siclorum non 301775. sed 601775. & consequenter ferè duplo fuisse maiorem illa siclorum summa, quæ à transeuntibus ad nomen collecta fuerat. Et hoc etiam fit credibilius, quoniam alioquin oporteret supponere, totum argentum in Sanctuario expensum, non vltrò fuisse oblatum, sed vigore dictæ Legis persolutum. Quod non est credibile; quia tametsi ex capite Exod. 38. vers. 25. constet, inter ea quæ expensa fuerunt in opere Sanctuarij, computari etiam argentum solutum ab iis qui transibant ad nomen; tamen ex his, quæ traduntur in toto penè Exod. cap. 35. manifestum fit, quòd ea quæ ad conficiendum Tabernaculum attulit populus, vniuersaliter loquendo, sponte oblata fuerunt, vt patet ex illa promulgatione diuinæ voluntatis facta à Moyse Exod. capite proximè citato. vers. 5. vbi neminem coëgit ad quidquam omnino tradendum, sed tantummodò edixit, vt vnusquisque voluntarius & prompto animo ex rebus ibidem enumeratis, quid & quantum placeret, offerret. Et ita re ipsa factum fuisse, describitur in eodem capite à vers. 20. ad 30. Vnde alterum de duobus necessariò asserendum videtur: Vel argentum dumtaxat ex vi dictæ Legis, reliqua verò omnia, nempe aurum, æs, &c. sponte fuisse oblata: quòd nullatenus est admittendum; quia capite Exodi adducto vers. 5. inter vltrò offerenda, & vers. 24. inter sponte oblata expressè connumeratur etiam argentum. Vel (quod potiùs reor) inter vltroneè oblata extitisse etiam magnam argenti vim, quæ simul computata cum argento ab iis qui transibant ad nomen legaliter soluto, faciebat prædictam argenti summam siclorum 601775. Quare tutius videtur dicendum, ex dicto numero siclorum 601775. argenti, qui oblati dicuntur, solos 301775. ab iis qui transibant ad nomen vi memoratæ Legis fuisse collectos; reliquos autem omnino sponte fuisse oblatos tum ab iisdem synagogæ viris, tum etiam à mulieribus (quemadmodum colligi potest ex citato Exod. cap. 35. vers. 22. vsque ad 26.) præsertim verò ab ipsis viris, quos probabile est etiam aliud argentum, præter illud quod ex dicta Lege debebant, vltrò in donariis Domini offerre voluisse. Quod & comprobari potest ex magna illa propensione, quam in eiusmodi oblationibus faciendis ostenderunt Israelitæ; à qua postea non nisi publico ipsius Moysi edicto cohiberi ac reuocari potuerunt, vt patet Exod. cap. 36. vers. 3. vsque ad 8. Elegit præterea Moyses Beseleel & Ooliab, artifices habentes spiritum Domini, qui omnia fabricarent, hisce prorsus modis & formis, quæ Dominus imperauerat Exod. cap. 35. Quomodo autem prædicta omnia executioni mandata fuerint, latè descriptum inuenies Exod. cap. 36. vsque ad 40. & nos infrà num. 59. & deinceps fusiùs de singulis differemus.

301775
301775
603550

58. Sanè memoratum hunc Moysi descensum de monte, vel potiùs primam concionem

QVOD MEMORATA MOYSI CONCIO HABITA FVERIT DIE 10. MENSIS 7.

cionem quam ipse tunc habuit ad populum, contigisse die decima mensis septimi, traditio vetus est Hebræorum, communiter etiam à Catholicis Scriptoribus approbata ac recepta, vt testatur Lyranus super Deuter. cap. 9. Et ratio est, non quia illomet die celebrasset Moyses cum vniuerso populo festum Expiationis; quam opinionem Abulensis super Exod. cap. 33. quæst. 3. quibusdam Hebræis imponit, eamque benè pluribus confutat argumentis: sed quia, cùm Dominus posteà Leuit. cap. 23. vers. 27. præceperit festum Expiationis debere celebrari die decima mensis septimi, nimirum à vespere diei nonæ, ad vesperam diei decimæ; & B. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. dicat, idem Festum fuisse institutum in memoriam illius beneficij, quo Deus ad preces Moysi propitiatus fuerat peccato populi, in adoratione vituli patrato: rationabile admodum est credere, quòd quemadmodum alia Festa, quæ pro aliis beneficiis à Deo acceptis ex diuina institutione celebrari solebant in illismet anni diebus, in quibus beneficia illa olim populo collata fuerant: vt festum Paschæ, quintadecima die mensis ptimi, quia tali die populus de seruitute Ægyptiaca liberatus exierat; & festum Pentecostes die sexta mensis tertij, quoniam tali die data fuerat Lex in monte Sinai; ita festum Propitiationis, die decima mensis septimi, propterea quòd tali die populus peccati sui propitiationem se accepisse intellexerat; quod nimirum, vt aiunt Lyranus & Carthusianus super citato Leuit. loco, & Hugo Cardinalis super Deuter. cap. 10. tunc accidit, quando Moyses descendit de monte, portans secundas fœderis tabulas, & verba habuit ad populum. Licet enim reuerà hæc propitiatio aliquantò antè facta fuisset; conuenientius tamen posteà visum est, Festum eo die instituere, quo ea populo à Moyse promulgata fuerat. Itaque si mense septimo primi Anni sacri, die decimo mensis, Moyses expleta secunda sua cum Domino quadragesima de monte descendit, vt probatum est; manifestè infertur, verisimum esse quod suprà num. 53. dicebamus, eamdem quadragesimam ab ipso Moyse cœptam fuisse die postremo mensis quinti eiusdem anni, & simul etiam vsqueadeò tota ratio temporum hucusque post Legem latam à nobis inita comprobatur, vt de ea dubitari ampliùs non possit. Siquidem memoratus mensis septimus non potest accipi de vllo alio anno, quàm de primo ab exitu; certum namque est, populum exisse de Sinai mense secundo anni secundi eiusdem exitus, vt nos sub anno mundi proximo, num. 51. dicemus.

DE HIS QVAS IVSSA SVNT FIERI AD DEI CVLTVM PERTINENTIBVS.

59. Et quoniam suprà num. 57. diximus, Moysen mandasse artificibus à Deo delectis, vt facerent Tabernaculum, & alia ad ipsum pertinentia; & scire qualiter singula fabrefacta dispositáque fuerint, admodum expedit, tum ad multa sacræ Scripturæ loca, tum ad ea quæ in progressu Operis dicentur probè intelligenda: operæpretium visum est, antequam ad vlteriora procedamus, aliquid hoc loco de ipso Tabernaculo, & partibus eius; deinde de aliis, breuiter distinctéque differere, ac veluti singula ante oculos ponere; vt quotiescumque de his mentio inciderit, ex hac præcognitione cetera quæ de ipsis dici contigerit, postmodum meliùs faciliúsque capi queant.

DE TABERNACVLO FOEDERIS.

60. Porrò Tabernaculum testimonij siue fœderis, iussu Dei à Moyse fabricatum, describitur Exod. cap. 26. & latiùs 36. per totum; & item apud Iosephum lib. 3. Antiq. cap. 5. Erat autem veluti templum quoddam portatile, ad peregrinantis populi commodum, ex quibusdam tabulis ligni setim deauratis compactum, habentibus suas vtrimque incastraturas, vt possent altera alteri à summo vsque deorsum simul firmiter compaginari & connecti; habebantque singulæ tabulæ longitudinis decem cubitos, latitudinis verò vnum cum dimidio, præter modicam illam ipsarum portionem, quæ in ipsis incastraturis occultabatur: exceptis item duabus tabulis angularibus, quæ aliquantò strictiores erant, vt paulò pòst dicetur. Crassitudo autem tabularum, vt ait Iosephus, quattuor digitorum erat. Quòd si quis scire cupit, quænam ligna hæc essent; consulat B. Hieronymum, accuratum illarum regionum & rerum in ipsis prouenientium indagatorem, super Isaiæ cap. 41. & Ioëlis cap. 3. vbi de Seta, quæ in numero plurali dicitur Setim, benè differit. Ex his namque locis habemus, quòd Seta genus arboris est, in sola Arabiæ eremo nascentis, colore & foliis Spinæ albæ similis, vt propterea Theodotion pro Setim verterit Spinam; magnitudine verò valde dissimilis; siquidem constat, Spinam albam, paruulam esse arbusculum; Setim verò tantæ proceritatis erant, vt ex eis asseres latitudinis plusquam cubiti vnius & semis secari possent. Et quoniam harum arborum ligna non solùm læuitate, nitore, ac pulchritudine, sed etiam robore, soliditate, ac duratione ceteris antecellere videbantur; propterea LXX. Interpretes pro lignis Setim, ligna imputribilia, transtulerunt.

DE LIGNIS SETIM.

Itaque

Itaque ex hisce tabulis sursum erectis, & modo iam exposito copulatis, tria tabulata conficiebantur: ac Primum quidem tabulis constabat viginti, super quadraginta bases argenteas firmatis, ita vt binæ bases singulis tabulis subiectæ essent: & hoc tabulatum in latere Meridiano erigebatur. Alterum eiusdem prorsus mensuræ ac formæ in parte Aquilonari. Tertium tabulatum, quod Occidentalem posterioremque Tabernaculi partem claudebat, in hoc tantum à memoratis dissidebat, quòd sex dumtaxat tabulis compactum fuerat: quamuis ei dein singulæ vtrimque tabulæ essent adiectæ, sicque octo simul iunctæ tabulæ efficiebantur, super sexdecim bases argenteas locatæ.

61. Porrò ex dictis desumi possunt totius Tabernaculi dimensiones. Et primò, si tabulæ omnes erectæ habebant altitudinis decem cubitos, necesse est ipsam Tabernaculi altitudinem, decem dumtaxat fuisse cubitorum. Si verò tabulata lateralia habebant singula viginti tabulas, vno tantùm cubito & semis latas; proculdubiò tota ipsius Tabernaculi longitudo resultabat triginta cubitorum. De eiusdem autem Tabernaculi latitudine, quam Scriptura sacra non tam clarè expressit, dubium est: quia Iosephus vbi suprà, dicit eam fuisse cubitorum duodecim; quoniam Scriptura tradit, tabulatum Occidentale ex octo tabulis fuisse compactum; quod vtique admittendum esset, si omnes & singulæ dicti tabulati asseres, æqualis fuissent latitudinis, vnius videlicet cubiti cum dimidio. Verùm Sacri textus Expositores, ponderantes Scripturam vbi de Occidentali tabulato agit, non priùs simpliciter pronuntiasse, quòd esset ex octo tabulis compaginatum, sed ex sex; mox addidisse duas alias angulares, de quibus posteà videtur seorsum agere, coniectati sunt, id non sine causa factum esse, sed præcipuè ad insinuandum, quòd duæ illæ tabulæ, retrò in angulis collocandæ, non essent omnino aliis similes, sed semicubitum dumtaxat habuerint latitudinis; vel, vt ego arbitror, insuper etiam quatuor digitos, ita vt tantò latiores semicubito extiterint, quanta erat lateralium tabulatorum crassitudo, & insuper non habuerint vtrimque incastraturas in ipsa asserum crassitie, quemadmodum aliæ ferè omnes; sed in ea parte tantùm; qua cum ceteris eiusdem tabulati asseribus connectebantur: ab altera verò, incastratas fuisse non in propria crassitudine, sed in ora suæ latitudinis; vt sic retrò apponi, & cum tabulatis lateralibus in ipsorum angulis firmiter copulari possent, atque hoc pacto tota Tabernaculi latitudo decem tantummodò esset cubitorum. Et hoc duplici comprobant argumento: Nam & saga cilicina, inquiunt, ideò iussa sunt fieri longa cubitis triginta, vt transuersaliter superextensa, vtraque Tabernaculi latera tectumque eius simul operire possent vsque ad terram; quod & Iosephus admittit, & paulò antè dixerat, quòd aulæa (sic enim cortinas vocat) viginti octo cubitis longa, & transuersaliter superextensa, obtegebant supernè fanum & latera eius, vno cubito minùs vsque ad terram; ex quo ipse quoque fateri cogitur, Tabernaculi latitudinem, quemadmodum & ipsius altitudinem, non excessisse decem cubitos: & addunt, Salomonem diuino instinctu templum suum non quidem ad mensuram Tabernaculi, sed ad illius proportionem extruxisse: nam sicuti in Tabernaculo tripla fuit tota longitudo ad eius latitudinem; (siquidem illa erat triginta cubitorum, hæc decem:) ita & in templo, quod erat longitudinis sexaginta cubitorum, latitudinis verò viginti: fuit namque (aiunt) tum longitudo, tum latitudo templi, dupla ad ipsam Tabernaculi latitudinem ac longitudinem. Et hanc nos quoque libenter sequimur opinionem. Quamquam posset fortassis etiam vtraque opinio conciliari, si diceremus, sacros Expositores de interna loqui latitudine; Iosephum verò intelligendum esse de externa, quatenus scilicet præter internam Tabernaculi latitudinem, etiam continebat tum lateralium tabulatorum crassitiem, tum etiam extrinsecam vtrimque basium prominentiam, quam vnius propè cubiti extitisse, facile credendum est; vt sic ipsa tabulatorum erectio firmiùs retineri posset. Ad eadem item tabulata magis muniendà, extrinsecus in vnoquoque affixi erant quinque ordines circulorum aureorum, per quos quinque vectes pariter inaurati immittebantur: & insuper eadem de causa, alius vectis per mediam tabularum crassitudinem, ab angulo vsque ad angulum pertransibat. Ex quo apparet, ipsas tabulas non potuisse minùs crassas esse quattuor digitis, vt ex Iosepho adnotauimus. Oportet autem hic supponere, (quod fortè Sacer textus, tamquam ex rei euidentia necessariò subintelligendum, exprimere non curauit) prædictos vectes in ipsorum capitibus, alios quidem habuisse foramina quædam, alios verò quosdam veluti vncinos eo artificio fabricatos & annexos, vt cùm opus esset,

TABERNACVLI DIMENSIONES

commodè in dictis foraminibus induci & educi possent, vt sic tabulata lateralia cum tabulato posteriori, in posterioribus Tabernaculi angulis (quando erigebatur) arctius connecterentur: alioquin ipsum Tabernaculum non satis firmiter stare potuisset. In anteriori autem Tabernaculi parte, quæ nullum habebat tabulatum, oportet ipsa tabulata lateralia, mediante illo vecte super columnas ibidem existentes transuersaliter extenso, de quo pendebat velum claudens ipsum Tabernaculum, eodem, vel alio simili modo inuicem fuisse copulata & firmata, ne vlla in parte flecti ac labare possent. Sanè totam Tabernaculi longitudinem intus, velum quoddam quattuor columnis appensum distinguebat in duas partes; videlicet in anteriorem, quæ communiter Sancta dicebatur; & posteriorem, quæ magis intima erat, & propriè Sancta Sanctorum dici consueuerant: quamuis ipsa quoque nonnumquam in Sacris libris Sancta nuncupetur, vt Leuitici cap. 16. vers. 12. & ad Hebræos cap. 9. versic. 12. & 25. & alibi non semel: solet item aliis nominibus significari, puta Sanctuarij, Oraculi, & huiusmodi: Iosephus eam Adytum appellat. Ex his duabus Tabernaculi partibus, prior in ingressu, viginti cubitos habebat longitudinis; posterior verò decem: eratque hæc ex omni parte quadrata; nimirum decem pariter cubitis lata, & totidem alta.

DE VELIS QVIBVS TABERNACVLVM DISTINGVEBATVR, OPERIEBATVR, ET CLAVDEBATVR.

62. Porrò præfatum velum, quo ambæ istæ partes distinguebantur, de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, mira varietate contextum erat, opere plumario, vt dicitur Exodi cap. 26. versic. 1. & 31. siue polymitario, vt ibidem habetur capite 36. versic. 35. Vbi aduertendum est, quod LXX. Interpretes, ad illa Exodi cap. 26. verba, *De bysso retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto*, addunt, *Cherubim opere textoris*, &c. Vnde multi putant; ex hisce filis varij coloris fictas seu quodammodò veluti pictas fuisse plurimas in prædictis velis figuras Cherubim: & huius sententiæ videtur etiam fuisse sanctus Augustinus quæst. 107. in Exod. & clarius ibidem circa initia quæstionis vltimæ, dicens: *Opere ergo textili Cherubim iussit in aulæis fieri*. At verò S. Hieronymus sub finem epistolæ 130. quæ est ad Marcellam, *In Exodo*, inquit, *ceterisque locis vbi describuntur vestes plumaria arte contextæ, opus Cherubim, id est varium atque depictum, factum esse describitur; ita tamen, vt Vau litteram Cherubim non habeant, quia vbicumque cum hac littera scribuntur, animalia magis quàm opera significant*. Quam sententiam, tamquam ex fontibus Hebraicæ scriptionis, ac linguæ proprietatis, cuius idem S. Doctor peritissimus extitit, elicitam, nos libenter amplectimur: ideoque prædicta vela siue aulæa, in nostris typis opere quidem variato, sed sine figuris Cherubim effigiata curauimus: Columnæ verò memoratum velum fulcientes ex memoratis lignis Setim inauratæ, & super bases argenteas firmatæ erant, & cum suis capitibus aureis fabrefactæ. Sanè alio simili velo, ante quinas eiusdem materiæ figuræque columnas appenso, claudebatur anterior ipsius Tabernaculi pars, quæ sine vlla tabulatione erat: totam verò superiorem eius partem, necnon & latera ipsa, quattuor operimenta tegebant. Nam ex decem cortinis eiusdem materiæ, eodemque quo præfata vela opere contextis, quarum singulæ viginti octo cubitos habebant longitudinis, & quattuor latitudinis, componebatur primum & immediatum Tabernaculi operimentum. Quod vt citius commodiusque desuper extendi posset & detrahi, in duas cortinas magnas erat distinctum: siquidem quinque cortinæ latitudinis quattuor cubitorum inuicem assutæ, & aliæ quinque similiter coniunctæ, efficiebant duas cortinas grandes, singulas viginti cubitorum latitudinis, & longitudinis viginti octo, vt iam dictum est. Quæ, vt cùm opus esset, inuicem copulari possent, quinquaginta ansis hyacinthinis, siue (vt ait Iosephus) quinquaginta vncinis in ora vnius cortinæ, & totidem anulis aureis in ora alterius connectebantur. Modus autem operiendi Tabernaculum hic erat: prima ex grandioribus cortina, transuersaliter, vt dictum est, superextensa, totam priorem eius partem, quæ communiter Sancta dicebatur, tegebat: etenim eiusdem cortinæ latitudo, à summitate quinque columnarum ac veli in introitu tabernaculi existentium, Occasum versus retracta, pertingebat vsque ad summitatem alterius veli & quattuor columnarum, quæ primum tabernaculum à secundo, quod Sancta Sanctorum dicebatur, disterminabant. Altera verò eiusdem latitudinis cortina, ab huius septi summitate, vbi vncinis anulisque, vt dictum est, cum priori connectebatur, vlterius ad Occasum extensa, reliquum Tabernaculi tectum pro sua medietate, pro altera verò totum tabulatum Occidentale vsque ad terram demissa operiebat; & à lateribus ambæ simul

PRIMVM TABERNACVLI OPERIMENTVM.

DE MODO QVO TABERNACVLVM OPERIEBATVR.

iunctæ

iunctæ ac descendentes, vtramque tabulationem, Australem scilicet & Aquilonarem, tegebant, vno cubito minùs vsque ad terram. Vtrùm autem istæ cortinæ ad Tabernaculi latera, intus, an extrà, descenderent, in Sacro textu non videtur expressum. Et quidem de ceteris Tabernaculi operimentis, certum est quòd totum extrinsecus ipsum vestiebant, atque à pluuiis, rore, æstuque protegebant; & idem de prædictis cortinis sensisse videntur Auctores, qui de hoc Tabernaculo scripserunt: verumtamen quia istæ, materia opereque admodum pretiosæ erant, ac non nisi ad ornatum pertinere videbantur; non videtur verisimile, quòd foris super tabulata extenderentur; sic enim ipsæ pariter sagis desuper extensis opertæ remansissent, & neque extra Tabernaculum vllo modo, neque intus (nisi sub tecto) videri potuissent. Vnde (si non mystica aliqua de causa aliter factum est) rationabilius videtur, quòd à tecto ad latera intus descenderent, & omnia tabulata intrinsecus vestirent: ita vt internæ omnes Tabernaculi partes, præter pauimentum, dictis cortinis vniformiter contectæ decenterque paratæ conspicerentur. Hoc si verum est, oportet quòd præter illos quibus inuicem hæ cortinæ copulabantur, alij insuper vncini certis locis aptè dispositi essent, qui anulis circa tabulatorum summitatem affixis annecti commodè possent ac detrahi.


63. Ceterùm, quia diximus primum Tabernaculi operimentum ex eadem materia eodemque artificio, quo vela Tabernaculi partes dirimentia, ac claudentia, fuisse factum, videlicet opere plumario, vt dicitur Exod. cap. 26. vers. 1. seu opere polymito, quemadmodum traditur cap. 36. eiusdem libri vers. 8. de quibus operibus sæpè in Sacris libris fit mentio: videtur hîc opportunè notandum, ex dictis manifestè consequi, plumariam & polymitam, vel vnam eamdemque fuisse artem, vel duas inter se adeò similes, vt communiter altera pro altera vsurpari facilè consueuerit: quandoquidem vtriusque exercitatio in eo posita erat, vt ex filis diuersorum colorum pannos intexerent conficerentve, qui varias figuras picturasque repræsentarent. Quamuis, vt arbitror, ars polymita magis propriè sumpta, pannos colore quidem varios, sed in superficie læues conficeret; plumaria verò villosos, vt sunt tapetia stragula. Fortè autem inde plumaria opera dicuntur, quòd ad similitudinem illorum sint facta, quæ ex variis tenuissimisque volucrum plumulis, vel potiùs plumatum summitatibus effici solent in Mexicanis regionibus, vnde aduecta quædam non semel inspeximus; sunt enim ad modum serici panni variè picti ac villosi. Ab iis autem vtrisque, polymitariis scilicet & plumariis operibus, valdè differunt ea quæ Latinè Phrygiata, Italicè verò Ricamata dicuntur, quippe quæ non textura, sed acu pingi soleant. Quare falluntur qui hæc cum illis confundunt. Sed vt ad rem redeamus, DE OPERE PLVMARIO ET POLYMITARIO.


64. Secundum Tabernaculi velamentum, quod immediatè super præfatas cortinas ponebatur, erat cilicinum, videlicet ex quibusdam sagis seu pannis de pilis caprarum tam arctè contextis, & tali arte fabricatis, vt aquam etiam continere possent; sicuti sunt etiam nunc quidam eiusmodi panni, ex quibus pallia pluuio tempore ferenda fieri solent. Et hoc quoque velamentum in duas partes erat distinctum, non tamen æquales, vt prius: nam vna pars ex sagis quinque, altera ex sex inuicem benè consutis constabat; & vnumquodque sagum habebat latitudinis cubitos quattuor, longitudinis verò triginta; quo fit vt altera pars lata esset cubitis viginti, altera vigintiquattuor, & consequenter totum hoc velamentum simul connexum (connectebatur autem quinquaginta fibulis æneis ad similitudinem prioris) haberet latitudinis cubitos triginta, & longitudinis quadraginta quattuor; essetque quattuor cubitis priore velamento longius, & duobus latius; ac proinde sua latitudine totum Tabernaculi tectum atque vtraque eius latera pariter operiret vsque ad terram; longitudine verò totum Tabernaculi tectum, & item totam posteriorem eius partem; ac præterea de ipso velamine quattuor cubiti superessent; nempe duo primi medietatis primi sagi, qui in Orientali fronte Tabernaculi ita sursum replicabantur, vt ibidem vnius dumtaxat cubiti latitudo duplicata penderet; & alij duo cubiti primæ medietatis noni sagi, qui in fronte Occiduo eodem modo conduplicati erant, ita tamen, vt sub ipsis reliqua medietas, & alia duo saga, decimum scilicet & vndecimum, descenderent vsque ad terram. Et quorum secunda medietas primi sagi incipiebat extendi à fronte Tabernaculi ad reliquum eius tectum contegendum; hinc fit quòd neque connexio secundi huius velamenti, neque futuræ sagorum, incidere poterant directè super connexione primi velamenti, & super suturis cortinarum eius; sed alternatim cadebant iuncturæ cortinarum in medietate sagorum, & iuncturæ sagorum in medietate cortinarum. Tertium DE TRIBVS ALIIS TABERNACVLI OPERIMENTIS.

Tabernaculi operimentum prioribus superextendendum, erat de pellibus arietum rubricatis. & Quartum, quod omnibus superponebatur, de pellibus hyacinthinis confectum: de quorum longitudine ac latitudine nihil in Sacro eloquio habemus; neque si singula in duas partes, vt priora, essent diuisa, necne. Verumtamen, quoniam ad imbres præcipuè primò arcendos hæc parata esse videbantur; probabile admodum est, singula non bipartita, sed continuata, & item eiusdem mensuræ cum operimento cilicino extitisse; nisi fortè etiam illo fuerint aliquantò longiora, vt pluuio saltem tempore, anteriorem quoque Tabernaculi faciem pro maiori parte tegere possent: nam si totum aliquando clausum fuisset, non potuissent in eo lucernæ candelabri perpetuò accensæ conseruari. De huius verò Tabernaculi pauimento, tametsi nihil in Sacro textu expressum sit; probabile tamen videtur, ipsum setinis tabulis desuper inauratis tali structura sterni consueuisse, quæ facilè, cùm opus esset, tum dissolui, tum denuò compingi posset: non enim Arca fœderis, Altare incensi, Mensa propositionis, & Candelabrum, quæ omnia pretiosa erant, nimirum vel aurea, vel auro tecta, videntur in puluere nudóve solo decenter collocari potuisse. Et hæc de Tabernaculo testimonij sint dicta.


Sanè omnia hæc quæ de sacro Tabernaculo hactenus dicta sunt, ex tribus hisce figuris hîc continuò subiungendis clariùs dignosci poterunt. Quarum prima demonstrabit eiusdem Tabernaculi vestigium, & pariter interiorem tabulatorum eius aspectum: Altera exteriorem: Tertia verò quattuor ipsius operimenta veluti ante oculos ponet. His item addenda erit alia Atrij sancti, in quo dictum Tabernaculum locari debebat, imago; ad faciliorem intelligentiam eorum, quæ de eodem Atrio consequenter dicenda erunt.

64. Sanè



OCCIDENS
C. 10.
TABER: NACV: LVM
INTE: RIVS,
Situs Arcæ,
C. 2½
QVOD. ET SANCTA SANCTORVM.
TABERN: ACVLI
C. 20.
Altaris Incensi,
C. 10.
TABERNACVLVM
SACRI
Candelabri,
EXTERIVS,
VESTIGIVM.
Mensæ.
C. 2.
C. 1.
QVOD ET SANCTA.
MERIDIES
SEPTEMTRIO
ORIENS
INTERIOR TABVLATI SEPTEMTRIONALIS PARS.



EXTERIOR TABERNACVLI EIVSQ. TABVLARVM, VECTIVM, AC BASIVM ASPECTVS.



QVATTVOR TABERNACVLI OPERIMENTORVM ADVMBRATIO.


OCCIDENS.
Locus
Tabernaculi,
Labri,
ATRII SACRI
Altaris holocausti.
TYPVS.
MERIDIES.
SEPTEMTRIO.
ORIENS.

DE ATRIO SANCTO.

65. Sanè in circuitu Tabernaculi, tentoriis quibusdam byssinis per quattuor eius latera deductis, includebatur Atrium sanctum, cuius descriptio habetur Exod. cap. 27. vers. 9. vsque ad 19. & cap. 38. vers. 9. vsque ad 20. & apud Iosephum 3. Antiq. cap. 5. Ac primum quidem tentorium, ad latus Tabernaculi Meridionale, centum cubitorum interuallo excurrebat, viginti suffultum columnis, per æqualia inter se spatia dispositis: & ex aduerso aliud tentorium, primo prorsus simile, totidemque fulcitum columnis tendebatur ad Aquilonem: tertium verò inter vtrumque, non longè à posteriore Tabernaculi parte, quinquaginta cubitis transuersaliter ab Occasu ductum, cum vtroque lateralium tentoriorum capite iungebatur, decem sustentatum columnis, iis quæ in angulis erant computatis. Ab Ortu autem spatium illud quinquaginta pariter cubitorum, quod erat in fronte Atrij, non vnico tentorio, sed tribus in eadem linea extensis claudebatur. Primum tentorium ab angulo Australi quindecim tantummodò cubitis excurrebat, tribus appensum columnis, angulari scilicet computata: & similiter tertium tentorium ab angulo Aquilonari veniebat contra primum. Secundum autem inter præfata medium, quod erat veluti lata quædam ipsius Atrij ianua, cubitos viginti habebat longitudinis, & quattuor fulciebatur columnis. Erant igitur omnes Atrij columnæ numero quinquaginta sex, eiusdem prorsus mensuræ, opens, ac mareriæ, nimirum æneæ, argentoque vestitæ, cum basibus æneis, & capitibus ac cælaturis argenteis, & quinque dumtaxat cubitis altæ. Tentoria item omnia, erant quinque cubitorum altitudinis, & de bysso tantùm contexta, non simplici, sed duplicata ac retorta, ad maiorem eius firmitatem: excepto tamen tentorio viginti cubitorum, quod ante Atrij introitum pendebat; siquidem hoc de hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta opere plumario seu polymitario confectum fuerat. Itaque tota Atrij figura quadrangularis quidem erat, sed duplo latitudine longior: habebat enim longitudinis cubitos centum, latitudinis verò quinquaginta. Atque eius capacitas pro maiori parte ante ipsius Tabernaculi faciem expandebatur; quoniam Altare holocausti, aliaque ibidem collocanda erant, & munia plurima obeunda, vt infrà suis locis dicemus, & in ipsa Atrij graphide hîc paulò superiùs posita intueri licebit.

66. Præter Tabernaculum & Atrium eius, de quibus hactenus dictum est, mandauit quoque Deo iubente Moyses multa alia fieri, quæ in vtraque Tabernaculi parte, & item in ipso Atrio ponenda erant: & prætereà, quæ ad sacra Pontificis Sacerdotumque indumenta, ac diuini cultus vsum pertinebant. Vt autem à dignioribus, hoc est, ab iis quæ in Sanctuario poni asseruarique debebant, incipiamus; ante omnia occurrit omnium dignissima, pariterque sanctissima Arca, cum suo Propitiatorio, & duobus Cherubim; quorum descriptio traditur Exodi cap. 25. vers. 10. vsque ad 22. & ab initio capitis 37. vsque ad vers. 10. & apud Iosephum 3. Antiq. cap. 6. Hæc verò non simpliciter Arca, sed Arca testimonij dicebatur; quia ad Legis tabulas continendas parabatur, in quibus testatum reliquerat Deus, quæ ab illo populo requirebat, videlicet datæ Legis obseruantiam, iuxta illud Exod. cap. 25. vers. 16. *Ponesq; in arca testificationem*; hoc est, Legem. Dicitur item Arca fœderis seu testamenti, quia mediante illa Lege, fœdus siue pactum pepigerat Deus cum filiis Israël reciprocum, vt scilicet ipsi eam obseruarent; ipse verò eis multa bona conferret, vel debitas de transgressoribus pœnas sumere. Fœdus autem & pactum, etiam testamenti nomine in Scripturis sacris significari, constat vel ex illo Psalm. 82. versu: *Simul aduersum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaëlitæ*, id est, quemadmodum communiter exponitur, Simul aduersum te fœdus ineunt Idumæi & Ismaëlitæ. Ceterùm hæc Arca, si materiam spectes, erat de lignis Setim, auro vsquequaque intrinsecus forinsecusque vestita: si figuram, erat quadrangulatis, sed nonnihil oblonga, nimirum vno cubito propria latitudine longior: habebat enim latitudinis cubitum vnum & semis, & tantumdem altitudinis, in longitudine verò duos cum dimidio, quam per gyrum cingebat corona, vel potiùs (vt ex infrà num. 71. dicendis apparebit) coronix aurea, & sub ea in quattuor angulis ad latera inserti erant quattuor circuli aurei, per quos duo eiusdē ligni vectes desuper inaurati mitterentur, vt posset Arca portari; quę licet desuper aperta esset, habebat tamen operculū non ligneum, sed ex auro purissimo in laminam eiusdem longitudinis ac latitudinis producto, quo tegebatur; & hoc communiter Propitiatorium vocabant, quoniam cum de ipso posteà loqui soleret Dominus Moysi, vt promittitur ei Exod. c. 25. vers. 22. & traditur Num. c. 7. in fine; ab ipso quodammodò propitiationes populo impetrari ac reportari videbantur. Et hac eadem de causa nonnumquam Oraculi nomine signari consueuerat, quòd ab ipso oracula, hoc est, diuina responsa haberentur.

DE ARCA FOEDERIS, SIVE TESTAMENTI, AUT TESTIMONII.

rentur. In huius Propitiatorij summitate erant duo Cherubim, ex auro ductili fabrefacti, in vtroque latere vnus, qui se mutuò Propitiatoriumque respicientes, atque alas suas contra se inuicem extendentes, ita vt ala dextra vnius, alam sinistram alterius tangeret, & læua dexteram, totum Propitiatorium reuerenter operirent, quemadmodum in Arcæ typo infrà num. 73. ponendo, intueri licebit. Et hæc præcipua sunt, quæ in Sanctuario, hoc est intra velum, in sacratiore magisque intima Tabernaculi parte habebantur; nimirum Arca cum suis vectibus, Propitiatorio, & Cherubim, ad Legis tabulas continendas. Quamuis posteà etiam alia quædam in Sancta Sanctorum posita fuisse dubitandum non est, nimirum vrnam auream manna repletam, vt colligitur Exod. cap. 16. vers. 34. & virgam Aaronis, quæ mirabiliter fronduerat, Num. cap. 17. vers. 10. & Legis Moysaicæ volumen, quod Deuteronomium inscribitur, Deut. c. 31. vers. 26. Verùm hæc, quæ infrà sub anno mundi 3030. num. 16. non in Arca, sed in Sanctuario extitisse probabimus, non perpetuò ibidem mansisse, tamquam ad aliquem diuini cultus vsum, vt reliqua superius commemorata, sed tantummodò ibidem ad tempus, veluti in quodam sacrario, reposita fuisse creduntur, donec postmodum extructo per Salomonem templo, eadem in superioribus eiusdem templi cœnaculis, inter thesauros domus Domini relata atque asseruata fuerunt. quod etiam loco proximè allegato indicabimus.

67. Transeamus nunc ad ea quæ in Sancta, hoc est in priori Tabernaculo, collocanda erant; & primò ad Altare thymiamatis. Sed priùs tollenda est dubitatio, quæ de loco ipsius extitisse videtur: quandoquidem non defuerunt ex antiquis Doctoribus, qui ipsum non in Sancta, sed in Sancta Sanctorum locatum fuisse crediderunt. Huius opinionis fuit Origenes Hom. 9. in Exod. & pariter Hom. 9. in Leuit. & S. Augustinus quæst. 173. in Exod. & alij nonnulli. Nec desunt etiam aliquot Scripturæ loca, quæ id videntur indicasse: nam Exod. cap. 40. vers. 4. sic legimus: *Candelabrum stabit cum lucernis suis, & altare aureum, in quo adoletur incensum, coram Arca testimonij.* Igitur si altare hoc stabat coram Arca, videtur stetisse in Sancta Sanctorum; ibi enim manebat Arca. Idem insinuatur Leuit. cap. 16. vers. 18. vbi Scriptura de summo Sacerdote verba faciens, ait: *Cùm autem exierit ad altare, quod coram Domino est.* ecce quòd hoc altare dicitur fuisse coram Domino, id est (vt textus Exod. proximè citatus exponit) coram Arca Domini; ergo in Sancta Sanctorum, ad quam solus Pontifex semel in anno accedere poterat. Et confirmatur; quia de ipso summo Pontifice, eodemque altari, Exod. cap. 30. vers. 10. legimus: *Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum.* videlicet, quando semel in anno ingrediebatur in Sancta Sanctorum. videtur ergo ibidem fuisse hoc altare. Et propterea B. Augustinus vbi suprà, benè videtur exposuisse verba illa eiusdem capitis vers. 6. *Ponesque altare contra velum, quod ante Arcam pendet testimonij.* id est, inter velum & Arcam in ipso Sanctuario. His adde quòd 3. Reg. cap. 6. vers. 22. dicitur: *Sed & totum Altare oraculi texit auro.* Vides quòd Altare incensi (non enim de alio accipi potest) vocatur Altare oraculi: signum est ergo, quòd erat in ipso Oraculo, hoc est in Sancta Sanctorum. Præterea ad Hebr. cap. 9. vers. 4. traditur, Sancta Sanctorum habuisse thuribulum aureum, & Arcam testamenti, &c. & ibi per thuribulum, meritò Apostolus creditur intellexisse ipsum Altare incensi, quemadmodum etiam liquidò constat, Iosephum lib. 6. de Bello cap. 6. vltra medium, thuribuli vocabulo idem altare significasse; fortassis, quia illud erat veluti thuribulum quoddam magnum, in quo cremabantur thymiamata; & cùm totum Tabernaculum templúmve incensi odore repleret, ipsum quodammodò thurificare videbatur. Neque enim audiendi sunt, qui putant Apostolum loco citato loqui de thuribulo illo, quo summus Sacerdos semel in anno ingrediens in Sancta Sanctorum, thurificabat ea; tum quia isti supponunt falsum, videlicet quòd thuribulum illud intra velum asseruari soleret; cùm tamen contrarium liquidò colligatur Leuit. cap. 16. vers. 12. vbi dicitur, quòd Pontifex assumpto thuribulo intrabat vltra velum; ergo thuribulum illud manere consueuerat extra, non intra velum: tum quia, si non thuribuli nomine Apostolus & Iosephus locis citatis significare voluerunt Altare incensi; fateri oportet, ipsos in recensendis his quæ erant in Tabernaculo, vel templo, dictum Altare prætenisse; quod tamen pro sua dignitate nullatenus credendum est fuisse prætermissum. Ex quibus omnibus videtur posse inferri, Altare incensi, etiam iuxta dictum Apostoli, fuisse in Sancta Sanctorum. Denique S. Ambros. super cap. 1. Luc. & S. Augustinus tract. 49. in Ioan. & B. Chrysost. Hom. 2. de Incomprehensibili Dei natura, quem secuti sunt Theophylactus & Euthymius, tenent (vt refert Card. Toletus super Ioan. cap. 18. Annot. 1. & super Luc. cap. 1. Annot.

ALTARE INCENSI IN QUA TABERNACULI PARTE MANERET. QUOD ESSET IN SANCTA SANCTORUM.

Annot. 3.) Zachariam patrem S. Ioannis Baptistæ fuisse summum Sacerdotem, eo tantùm moti argumento, quòd adolere incensum in domo Domini (quemadmodum ipse faciebat) solius esset summi Sacerdotis, idque semel in anno quando ingrediebatur in Sancta Sanctorum; pro certo supponentes, Altare incensi in ipsa Sancta Sanctorum extitisse, alioqui fundamentum ipsorum tuetur.

QVOD FVERIT IN SANCTA. 68. Vetumtamen, his non obstantibus, dicimus, dictum Altare non in Sancta Sanctorum, sed in Sancta, hoc est, in anteriori parte Tabernaculi seu templi, inter Candelabrum & Mensam propositionis manere consueuisse, vt habet communior Doctorum sententia: ita enim sentiunt Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 7. & lib. 8. cap. 2. & lib. 6. de Bello cap. 6. & Beda in lib. de Templo, & B. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 6. Lipomanus super Exod. cap. 30. & Caietanus ibidem, & super 3. Reg. cap. 6. Lyranus etiam super hisce locis, & super cap. 9. ad Hebr. & Abulensis super Exod. cap. 30. quæst. 6. & super 3. Reg. cap. 6. quæst. 16. vbi fusiùs de hac re disputat, & Franciscus Ribera lib. 2. De iis quæ erant in templo, cap. 8. & Cardinalis Toletus locis proximè citatis, & alij multi. Hoc idem ex aliquot Scripturæ locis apertissimè demonstrari potest; nam Exod. cap. 40. vers. 3. præcipit Dominus Moysi, vt posita Arca in Tabernaculo, demittat ante illam velum. & deinceps prosequitur docendo, qualiter disponenda essent reliqua, scilicet Mensa, Candelabrum, & Altare incensi, extra ipsum velum. Et clariùs vers. 19. eiusdem capitis legimus, quòd Moyses, cùm intulisset Arcam in Tabernaculum, appendit ante eam velum, vt expleret Domini iussionem; & deinde vsque ad vers. 26. describitur, quomodo idem Moyses collocauit extra velum Mensam cum panibus, in latere Septemtrionali, & Candelabrum in parte Australi, & Altare incensi in medio contra ipsum velum. Vnde euidenter apparet, inter Arcam & tria prædicta, medium fuisse ipsum velum, quod distinguebat Sancta à Sancta Sanctorum; & consequenter infertur, Altare incensi extitisse in Sancta, non autem in Sancta Sanctorum. Quòd si, vt probauimus, certum est, Moysen posuisse hoc Altare in ea Tabernaculi parte, in qua posuerat Mensam propositionis, & Candelabrum; cùm hæc locata fuisse in anteriori parte Tabernaculi, id est extra velum, constet tum ex locis citatis, tum etiam ex Exod. cap. 26. vers. 35. & cap. 27. vers. 21. & Leuit. cap. 24. vers. 2. vtrique euidenter consequitur, etiam ipsum Altare incensi ibidem fuisse collocatum. Idem confirmatur ex Leuit. cap. 16. vers. 18. vbi, cùm præcepisset Dominus, vt nullus hominum ingrederetur in Sanctuarium cum Pontifice, statim hæc subiungit: *Cùm autem exierit* (scilicet Pontifex de Sanctuario) *ad altare quod coram Domino est, oret, &c.* ergo patet ipsum Altare incensi fuisse extra Sanctuarium. Denique omnes fatentur, quòd in Sancta Sanctorum solus Pontifex ingredi poterat, idque semel dumtaxat in anno, videlicet in die Expiationis, quæ celebrari solebat die decima mensis septimi, vt traditur Leuit. cap. 16. vers. 29. & 34. ad quem locum alludit Apostolus ad Hebr. cap. 9. vers. 25. At super Altare incensi tenebantur quotidie Sacerdotes adolere thymiama, manè scilicet & vespere; eodemque tempore concinnare lucernas, vt præcipitur Exod. cap. 30. vers. 7. 8. & 20. Quòd autem ad minores quoque Sacerdotes postrema hæc munia pertinerent, colligitur ibidem vers. 19. vbi præcipitur non solùm Aaroni, sed etiam filiis eius, vt lauarent manus suas & pedes, quando ingressuri erant Tabernaculum, vt offerrent incensum super Altare thymiamatis. Et hoc item colligi potest Lucæ cap. 1. vers. 5. 8. & 9. vbi describitur introitus Zachariæ in templum, vt adoleret incensum; nam ad insinuandum quòd ipse non esset summus Sacerdos, appellatur ibi Sacerdos quidam; & de vice Abiæ, quæ erat octaua in ordine, vt patet 1. Paralip. cap. 24. vers. 10. & additur, quòd *sorte exiit, vt incensum poneret ingressus in templum Domini.* quæ omnia summo Sacerdoti, qui vnus erat, nullatenus conuenire posse videntur, (vt etiam benè probat Cardinalis Toletus vbi suprà:) sed alicui ex minoribus Sacerdotibus, qui cùm plurimi essent, nec simul ministrare possent; fungebantur ministerio suo vnusquisque in ordine sortis ac vicis suæ, iuxta distributionem olim à Dauide factam, & cap. Paralip. citato descriptam. Nec obstat, quòd Messiæ temporibus plures viderentur fuisse summi Sacerdotes seu Pontifices, iuxta illud Luc. cap. 3. vers. 2. *Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha*; quia ad hoc vel dici potest, quòd singulis annis vnus ex illis tantùm reverà erat Pontifex, vt videtur posse colligi Ioan. cap. 18. vers. 13. vbi exprimitur, quòd Annas erat socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. vel meliùs dicendum est, Annam & Caipham fuisse Pontifices successiuè, vnum post alterum, quando prædicabat Ioan. Baptista, eo modo quo infrà sub anno mundi 4069. num. 2. explicabitur.

69. Sed

69. Sed quid respondemus ad rationes locaque Scripturæ in contrarium adducta? dicimus Primò, quòd illa verba, *Coram Arca testimonij*. & illa, *Coram Domino*. non conuincunt, Altare incensi fuisse in Sancta Sanctorum; quinimmò conuenienter dictum putamus, Altare hoc fuisse coram Domino, seu coram Arca Domini, tametsi esset in Sancta; quoniam erat prope Sancta Sanctorum, ita vt inter prædictum Altare & ipsam Arcam, super quam credebant sedere Dominum, nihil aliud esset nisi velum, quod posterius tabernaculum à priori separabat. Et hoc confirmant verba Leuitici pro priori opinione citata, si cum præcedentibus coniungantur; ibi enim v. 17. hæc habentur: *Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro se, & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israel, donec egrediatur*. deinde v. 18. hæc quæ superiùs adduximus illicò subiunguntur: *Cùm autem exierit ad altare quod coram Domino est*, &c. Ecce quòd ibi Scriptura loquitur de summo Pontifice priùs ingrediente in Sanctuariū, posteà inde egrediente ad Altare incensi: ergo manifestum est, ipsum Altare, super cuius cornua deprecabatur Aaron, quando exibat de Sanctuario, fuisse extra velū, & consequenter extra Sanctuarium, & nihilominùs verè dici coram Domino. Ex his pariter conuincitur, quòd verba illa Exod. c. 30. vers. 6. *Ponesq; altare contra velum, quod ante Arcam pendet testimonij*, &c. nullo pacto debent intelligi eo modo, quo ea exponit S. Augustinus, videlicet, quòd Altare incensi deberet poni in ipso Sanctuario, inter velum & Arcam; sed potiùs (vt dictum est) extra Sanctuarium, contra velum quod pendebat ante Arcam; ita vt Altare non esset inter velum & Arcam, vt sanctus ille Doctor credidit; sed velum esset inter Altare & Arcam, quemadmodum ex ipsamet sacra Scriptura iam probatum est. Ad illud 3. Reg. breuiter respondemus, Altare incensi eo loco appellari altare Oraculi, non quia esset in Oraculo, sed quia erat prope ipsum: & hoc ad differentiam Altaris holucausti, quod longiùs aberat ab Oraculo. Et huic expositioni optimè consonat lectio LXX. Interpretum, quæ sic habet: *Et fecit altare ad faciem Dabir*. siue (vt alia eorumdē lectio clariùs explicat,) *Et fecit altare ante faciem Oraculi*. Ad locum Apostoli ad Hebræos, concedimus ipsum Apostolū, & pariter Iosephum lib. 6. de Bello c. 6. nomine Thuribuli, intellexisse Altare incensi, quemadmodum ex infrà numero proximo dicendis comprobari potest, & etiam videtur sensisse Origenes Hom. 9. in Exod. & benè probat Abulensis locis suprà citatis: quandoquidem, vt benè aduertit Ribera, alterum illud thuribulū, quo Pontifex ingrediens in Sancta Sanctorum Sanctuarium thurificabat, non in ipso Sanctuario asseruabatur, vt nonnulli putarunt; sed extra, quemadmodum paulò antè, scilicet n. 62. probatum est. Verumtamen non propterea sequitur, Altare incensi fuisse in Sancta Sanctorum; non enim hoc dicit Apostolus, sed ait: *Post velamentum autem, secundum tabernaculum, quod dicitur Sancto Sanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam*, &c. Quis verò nesciat aliud esse, dicere secundum tabernaculum habuisse thuribulum & Arcam: & aliud asserere, idem thuribulum fuisse intra ipsum secundum tabernaculum? præsertim cùm perspicuè constet, verbum *habere* multis modis dici, vt docet Philosophus sub finem Prædicamentorum. Igitur sicuti rectè diceremus, verbi gratia, Ecclesiam S. Iacobi habere altare, & cœmeterium, & huiusmodi alia ad eius vsum pertinentia; tametsi altare sit intra ipsam Ecclesiam, cœmeterium verò foris ante ipsam: ita rectissimè potuit Apostolus dicere, secundum tabernaculum habuisse thuribulum siue Altare incensi, & Arcam; quamuis Arca intus esset posita, Altare autem incensi extra ipsum, videlicet in facie ipsius; quia nimirum ipsi potissimùm Sanctuario dictum Altare deseruiebat, perfundens ipsum iugiter odore suauissimo, qui ab ipso egrediebatur, & per proximum velum intrò transibat: & quia dictus odor non potuisset perpetuari, nisi quotidie super dicto altari prunæ de altero altari, quod holocautomatum dicebatur, desumptæ, ac super ipsas statuta imponerentur aromata: propterea necesse fuit, dictum altare non intra Sanctuarium, quò solus Pontifex semel tantùm in anno introire poterat; sed in anteriori domo collocare, in qua quotidie Sacerdotes bis, manè scilicet & vespere, tum pro dictis aromatibus cremandis, tum etiam pro lucernis ibidem existentibus concinnandis, ingredi consueuerant. Et hæc fuit causa, cur Apostolus loco citato, vbi tametsi videatur voluisse contradistinguere ea quæ erant in primo tabernaculo, ab his quæ erant in secundo, maluit tamen computare thuribulū aureum, id est, Altare incensi inter ea quæ erant in secundo tabernaculo: non quia reuerà in eo esset, (ibi namq; ob causam proximè adductam locari non debuit:) sed quia, vt dictum est, eidem secundo tabernaculo potissimùm deseruiebat. Postremò, ad opinionē S. Ambrosij & aliorum superiùs num. 67. relatam, quòd scilicet Zacharias pater S. Ioan. Baptistæ esset summus Sacerdos; dicimus, quòd ex quo iam satis superq; pluribus Scripturæ testimoniis ostensum est, Altare incensi stare consueuisse in anteriori parte Taber- RESPONSIO AD OBIECTA.

naculi seu templi, cessat fundamentum ipsorum, quod erat huic positioni contrarium, & consequereter etiam eorum opinio de Zacharia, quòd fuerit summus Sacerdos, sustineri nullo modo potest; præsertim cùm Euangelicæ narrationi ex Luca allegatæ, satis, vt num. 68. probauimus, repugnare videatur.

DE STRVCTVRA ALTARIS INCENSI.

70. Stabilito Altaris incensi loco, dicendum est aliquid de eius structura, quæ breuiter describitur Exodi cap. 30. vers. 1. vsque ad 6. & cap. 37. vers. 25. vsque ad finem; & apud Iosephum lib. 3. Antiq. cap. 7. sub eodem vocabulo Græco (vt notat Ribera lib. 2. de Templo cap. 8. num. 14.) quo vsus est Apostolus ad Hebr. cap. 9. vers. 4. Quamuis Iosephi Interpres, pro illo ibi reddiderit Aram suffumigatoriam; Interpres autem Apostoli, verterit thuribulum: vnde apparet, idem esse thuribulum cuius meminit Apostolus ad Hebr. & Iosephus lib. 6. de Bello cap. 6. cum ara suffumigatoria, quam idem Iosephus describit 3. Antiq. c. 7. & quam Scriptura sacra vocat Altare incensi, vt superiùs probatum est. Itaque hoc altare de lignis setim factum fuit, sed auro purissimo omni ex parte contectum: ipsius longitudo tanta erat, quanta & latitudo; nimirum vnius dumtaxat cubiti; altitudo verò duorum: talis namque magnitudo ad eius vsus satis esse videbatur. Ad maiorem autem ipsius ornatum, habebat in circuitu coronam seu coronicem auream, & in quattuor angulis cornua quædam auro tecta, non quasi addititia, sed ex ipsismet lignis, quæ ipsum Altare sustentabant, procedentia: quæ cornua qualia fuerint, non facile est determinare; nam ad mentem Caietani & Lipomani super Exod. cap. 27. & 30. & aliorum, videntur fuisse veluti quidam radij ad parui cuiusdam obelisci, vel potiùs balaustij acuminati similitudinem, torno eleganter elaborati, atque in singulis quattuor angulis decenter erecti. Arias autem Montanus putat fuisse ipsosmet superiores Altaris angulos in acutum extrà aliquantulùm prominentes, quemadmodum figura in calce num. 73. ponenda indicabit. Vtcumque res se habuerit, sub dicta corona quattuor circuli aurei ad latera inerant, per quos duo vectes pariter inaurati traiicerentur, vt cùm opus esset, portari commodè posset. Porrò in superna Altaris planitie, craticula quædam coaptata erat, seu lamina ferrea, siue (vt magis reor) ærea, pariter inaurata; quæ aliqualiter concaua, & subtiliter perforata esse debuit, vt prunas commodè contineret, & qui superfluerent cineres, deorsum emitteret. Ceterùm peculiaris thymiamatum compositio in dicto Altari cremanda, signanter decernitur Exodi cap. 30. vers. 34. vsque ad finem capitis. vbi etiam sub pœna mortis cauetur, ne quisquam tale thymiama ad proprios vsus adhibeat.

DE MENSA PROPOSITIONIS.

71. Sequitur de Mensa panum propositionis, cuius descriptio habetur Exodi cap. 25. vers. 23. vsque ad 29. & cap. 37. vers. 10. vsque ad 16. & apud Iosephum 3. Antiq. c. 7. Atque hæc quoque de lignis setim compacta erat, & vndique laminis aureis cooperta; vno tantùm cubito lata, & duplo longior, alta verò cubito vno & semis. Superior pars, quæ quòd in circuitu eius aliquantulùm tepanda esset, labij nomine designatur, corona duplici circumdata erat: altera altitudinis quattuor digitorum, quæ & interrasilis fuisse perhibetur, eò quòd planum quoddam inter sculpturas concluderet. super hanc altera, quæ humilior minusque proiecta fuisse creditur. Et hic, ad clariorem ornamentorum huius Mensæ, aliorumque huiuscemodi operum notitiam, obiter adnotandum est, coronæ vocabulum apud Architectos propriè sumi vel pro coronice, vel pro illa coronicis parte, quam Italicè vocant *gocciolatoio*. At in Sacro eloquio, vbi de fabricis agitur, puto vniuersaliter accipi pro quocumque ornamenti genere, quod opus aliquod in summitate complectitur atque absoluit; siue opus illud rotundum sit, siue quadrum, aut alterius figuræ. Et propterea fieri potest, vt nonnumquam integram significet, quam vocant, trabeationem, quæ coronicem cum suo pariter zophoro & epistilio comprehendit, vt figura in fine num. 73. inserenda demonstrabit; interdum verò solam coronicem, quæ summa trabeatio dicitur; aliquando etiam fortassis aliquod dumtaxat coronicis membrum, seorsum ab aliis positum, puta scimam, aut cimatium, aut quid simile. Et quoniam nullam videtur gratiam elegantiámve præseferre, si quis duas coronas propriè sumptas, seu coronices, alteram alteri immediatè imponeret: ratio dictat credendum esse, primam huius mensæ coronam, quæ quattuor digitis alta & interrasilis fuisse dicta est, elegantem aliquam trabeationem altitudinis quattuor digitorum signare, ex coronice omnimirum cælata, zophoro plano, & epistilio aliqualiter cælato compactam: nisi fortè astralogus aliquis apprimè scalptus, epistilij locum suppleret, vt quoquomodò in capitibus columnarum Doricarum, & in quibusdam stylobatis, nimirum Corinthiis & compositis, graphicè fieri videmus. Pro altera verò corona primæ superimposita, conuenienter accipi posse putamus regulam aliquam decenti aliquo cimatio exornatam, quæ etiam mensam ipsam circumquaque muniret, ne quid facilè ab ea posset in terram

QVID PER CORONAM INTELLIGANT ARCHITECTI.

deci-

decidere, vt in typo infrà sub num. 73. ponendo patebit. Sub memoratis coronis ad mensæ pedes annexi erant quattuor circuli aurei, per quos vectes deaurati transmitti, mensaque portari posset. De horum pedum structura nihil in Sacris scripturis habemus. Iosephus tamen scribit, quòd pedes hanc mensam sustinentes, supernè erant quadrangulares; dimidia verò sui parte inferiore, per omnia similes pedibus quos Dorienses lectis supponere solent. Quales autem essent eiusmodi pedes, adhuc explorare non potuimus. Situs mensæ erat ad Aquilonarem anterioris Tabernaculi partem, vt traditur Exodi cap. 40. vers. 20. non longè à Sanctuario.

DE PANIBVS PROPOSITIONIS.

72. Vsus autem ipsius, quemadmodum legimus Exodi capit. 25. versic. 30. fuit, vt super eam perpetuò manerent in conspectu Domini Panes propositionis, qui describuntur Leuit. cap. 24. vers. 5. vsque ad 10. his verbis: *Accipies quoque similam, & coques ex eo duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas; quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues; & pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monimentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino, suscepti à filiis Israel fœdere sempiterno: eruntq; Aaron & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto; quia Sanctum Sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo.* hactenus ex Leuitico. Similia ferè scribit Iosephus 3. Antiq. c. 7. dicens: *Et in ea* (videlicet mensa) *disponebantur duodecim panes non fermentati, seni è regione sibi duobus ordinibus oppositi; mundissimi, confecti è farina duorum assaronum, quæ mensura Hebræorum, septem cotylas Atticas continet. super panes autem ponebantur duæ phialæ aureæ thure plenæ. post septem verò dies, alij panes inferebantur, die quem nos vocamus Sabbatum.* & cap. eiusdem libri 10. idem Iosephus ait: *Ex publico præbetur panis non fermentatus, ex farinæ assaronibus vigintiquatuor. Coquuntur autem bini pridie sabbati, & sabbato manè proponuntur in sacra mensa, duobus ordinibus seni ex aduerso sese respicientes; atque ita duobus lancibus thure plenis superimpositis, permanent vsque in proximè sequens sabbatum: tunc alij pro illis recentes supponuntur, & hi priores Sacerdotibus in cibum dantur: thus item igne sacro adoletur, quo ad holocautomata vti solent; & pro eo quoque aliud thus panibus imponitur.* hucusque Iosephus. Ex quibus omnibus tria videntur posse colligi: Primò, quòd isti panes fiebant in modum placentarum; alioqui non satis commodè inuicem superponi potuissent. Deinde, quòd erant valdè magni: si enim singuli fiebant ex quattuordecim farinæ cotylis Atticis, quæ singulæ, vt aiunt, pendebant vncias nouem; oportet singulos panes fuisse vnciarum centum viginti sex. Tertiò colligitur, non esse recipiendas illas Hebræorum traditiones, quarum meminit B. Hieronymus super Malachiæ cap. 1. dicens, quòd panes propositionis, iuxta traditiones Hebraicas, ipsi Sacerdotes serere, ipsi demetere, ipsi molere; ipsi coquere debebant. Nam etsi fortassis admitti possit, prædictos panes à Sacerdotibus parari coquique debuisse: verumtamen si verum est, vt ait Iosephus, quòd ex publico præbebatur iste panis, hoc est simila, ex qua confici solebat; cui etiam consonant citata Leuitici verba, *Accipies quoque similam* (nimirum à filiis Israel) quemadmodum paulò antè de oleo pro lucernis dictum fuerat; & etiam indicant, quæ ibi non multo pòst subiunguntur, videlicet: *Per singula sabbata mutabuntur, suscepti à filiis Israel.* profectò nullo pacto videtur posse concedi, quòd pro his panibus conficiendis, ipsi Sacerdotes frumentum serere, colligere, ac molere tenerentur. Ceterùm ad diuersos quoque vsus mensæ, fecit Moyses vasa plurima, diuersi generis & formæ; nimirum acetabula, & phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda erant libamina: Exodi cap. 25. vers. 29. & cap. 37. vers. 16.

HEBRÆORVM TRADITIO DE HISCE PANIBVS REFVTATVR.


DE CANDELABRO.


73. In eadem anteriori parte Tabernaculi, ex aduerso Mensæ, hoc est, ad latus Meridianum, poni debebat Candelabrum, cum suis pariter lucernis, & emunctoriis; & vasis, in quibus emuncta extinguerentur; omnia ex auro purissimo non fuso, vt perperàm ait Iosephus 3. Antiq. cap. 7. sed ductili, vt apertè traditur Exodi cap. 25. vers. 31. & cap. 37. vers. 17. hoc est, malleis extenso. Ex quibus locis, vbi candelabrum ipsum & singulæ eius partes describuntur, apparet, quòd candelabri huius forma sic se habebat: De basi (cuius tamen figura non exprimitur) surgebat hastile rectum, quod deinde per quædam interualla distinguebatur quattuor scyphis, in nucis modum fabrefactis; puto autem illud *in nucis modum*, per Synecdochen dictum, ibique totum pro parte vsurpari, ac si diceretur, Ad similitudinem seminucis nucleo vacuæ, siue de nuce amygdalina, vt multi putant, siue de quauis alia aut communi intelligas, nihil refert. Nam cùm scyphus vas esset ad bibendum paratum, vt apertè colligitur Genes. cap. 44. vers. 5. quis non videt, illud dimidiatæ, quàm integræ nuci commodiùs posse assimilari? Fortè autem memorati scyphi non vacui, sed veluti malis Punicis (vt obscurè satis tangere videtur Iosephus, memorans ibi mala Punica; quæ alioqui memoranda

non erant) aliísque malorum generibus ac floribus referti videbantur. Sic enim nunc quoque in candelabris nostris maioribus, quæ vulgò ceroferaria dicimus, ex lignis vt plurimùm auro tectis fabrefacta, eiusmodi vasa peruenuste fingi solent. Sed quia de hoc nihil certi affirmare possumus, ideò id in typo exprimere non curauimus. Porrò inter singulos huiusmodi scyphos, sphærulæ simul & lilia idem exornabant hastile; à quo super singulas tres sphærulas inferiores procedebat vtrimque calamus vnus, siue ramus, ad fere semicirculi similitudinem: ita vt hi tres rami gradatim ab vna parte, & tres similiter ab altera prodeuntes, veluti quædam brachia sursum hinc inde porrecta viderentur, eodem quo hastile ornamenti genere decorata; siquidem singuli rami tribus pariter scyphis, & totidem sphærulis ac liliis distincti erant: & non modò ipsum hastile, sed & singuli eius rami habebant in summitate lucernam concinnè admodum coaptatam. Erant igitur lucernæ numero septem: scyphi verò, & sphærulæ, ac lilia, simul computata, non, vt ait Iosephus, septuaginta, sed tantummodò sexaginta sex, vt dinumerari potest in eis typo mox subiiciendo. Vtrùm autem singula calamorum seu ramorum capita æqualis essent altitudinis cum ipso hastilis capite, ita vt lucernæ omnes veluti in eadem linea transuersaliter ducta positæ viderentur; an verò quæ erat in summitate hastilis, ceteris altior esset, aliæque ex vtraque parte humiliores singulæ veluti per gradus hinc inde descendere viderentur, non omnino exploratum habemus, tametsi prior opinio communior esse videatur. Quòd si quis fortè de forma candelabri à nobis ex Sacris codicibus descripta hæsitet, proptereà quòd illa, quæ adhuc Romæ in arcu Titi insculpta visitur, cuius typum nos sub anno mundi 3885. num. 10. ponemus, aliquantulùm à prædicta discrepet; quippe quæ tres illos scyphorum, sphærularumque, ac liliorum ordines in singulis ramis non habeat: recolat quæ scribit Iosephus lib. 7. de Bello cap. 24. videlicet, candelabrum illud, quod Romæ in triumpho Titi asportatum fuit, cuius & similitudo in arcu illo ficta est, fuisse quidem ex auro factum; sed opere, inquit, commutato ab vsus nostri consuetudine. Ceterùm, forma lucernarum, quemadmodum & emunctoriorum, & vasorum item in quibus emuncta extingui absque vlla maleolentia possent, neque in Sacris libris, neque à Iosepho descripta inuenitur: fortè quia ad formas talium rerum eo tempore vsitatas hæc facta fuerint; quales verò essent, certò sciri non potest. Dimensiones quoque ipsius candelabri & ramorum eius, nimirum altitudo & latitudo, nequaquam descriptæ comperiuntur: sed ex auri pondere, quod in ipso candelabro, & memoratis instrumentis ad vsum eius pertinentibus insumptum traditur, licet conicere, ipsum (nisi fortè ex lignis auro tectis compactum fuisset, quod tamen ex Scriptura sacra elici nullo modo potest) non ad modum grande altúmve extitisse: & ita expediebat, ne fumus lucernarum cortinam super Tabernaculum extensam sua propinquitate inficeret: quandoquidem omnia hæc ex vno tantùm auri talento confecta perhibentur. pendebat autem vnum Sanctuarij talentum minas centum; singula verò mina vncias triginta, vt nos sub anno mundi 3043. num. 4. probabimus. quo fit, vt totum candelabrum cum prædictis ad ipsum spectantibus, non plus tribus millibus auri vnciis penderet. Sanè ad easdem lucernas à vespere vsque ad manè, vt præcipitur Exod. cap. 27. vers. 21. & Leuit. cap. 24. vers. 3. perpetuò accensas in Tabernaculo conseruandas, oleum de oliuis purissimum ac lucidissimum Sacerdotibus à populo iugiter suppeditari debebat, vt iussum fuerat eodem Exod. cap. vers. 20. & cap. Leuit. citato vers. 1. Visum est autem hîc ponere ipsius candelabri graphidem nonnihil ab aliis quidem quas vidimus diuersam; sed tamen, ni fallor, descriptioni in Sacro textu Vulgato traditæ congruentiorem, vtpote in qua distinctiùs intueri licet omnes & singulas eius partes ibidem commemoratas, nimirum basim, hastile, calamos, scyphos, sphærulas, & lilia. Fortè autem tali ratione candelabrum, & non aliter fieri iussum est, vt sic aptiùs præfiguraret, quales posteà esse deberent, qui in sancta Dei Ecclesia ceteris vel dignitate vel euangelizandi munere præfulgent. Etenim lilia symbolum sunt castitatis & innocentiæ; sphærulæ verò, perfectionis; scyphi autem, benè possunt aquam sapientiæ salutaris, ac vinum doctrinæ spiritualis significare; quemadmodum certum est septem lucernas fuisse typum septem donorum Spiritus sancti, quæ in sanctis Præsulibus, ac verbi Dei prædicatoribus potissimùm præfulgere debent: qui etiam tamquam in oculis omnium positi, magis studere tenentur, castitatem & innocentiam, & super omnia charitatem (quæ est vinculum perfectionis) in auro illo purissimo, ex quo totum factum est candelabrum, præfiguratam, sectari; vt non solùm per doctrinam ceteris propinatam lucere, sed & bonis vitæ exemplis cunctos ædificare valeant.


74. Dica-







MENSA PANVM PROPOSITIONIS.



TRABEATIONIS PARTES



A. *Coronix, Italicè Cornisone.*
B. *Zophorus, Italice Freggio.*
C. *Epistilium, Latine Trabs.*

a. *Scima.*
b. *Cymatium Coronæ.*
c. *Corona, Italicè Gocciolatoio*
d. *Cymatium Zophori.*
e. *Cymatium Epistilij.*
f. *Prima fascia Epistilij*
g. *Secunda*
h. *Tertia.*

DE ALTARI HOLOCAUSTI. 74. Dicamus nunc aliquid de iis, quæ in Atrio collocari consueuerant,& primò de Altari holocautomatum, quod cur sic nuncuparetur, infrà num.76. dicemus. Huius Altaris descriptio breuiter tangitur Exodi cap.27.vers.1. vsque ad 9. & cap.38. vers.1. vsque ad 8.& apud Iosephum lib.3.Antiq. cap.7. Et quoniam dicitur factum de lignis setim, & laminis æreis vndique opertum; quæret fortasse aliquis,quomodo hoc cohætere possit cum eo quod præceperat Dominus Exodi c.20.vers.24.nimirum altaria fieri debere de terra, id est de lateribus, vel saxis impolitis. Richardus in Explanatione Tabernaculi,cap.11. & Abulensis quæst.6.super Exod.cap.27. & Petrus Comestor in Historia Scholastica Exod.cap.59. & alij nonnulli dixerunt, quòd hoc altare Moysaicum, licet ex tabulis ære tectis esset, nihilominùs quandocumque in aliquo loco sistebatur, terra, siue lateribus,aut saxis impleri consueuerat; sicque ipsum quoque terreum aut saxeum dici poterat. Quæ opinio, tametsi non sit irrationabilis, mihi tamen non videtur probanda: nam in Textu sacro expressum habemus, hoc Altare non fuisse solidum, sed cauum, & intus vacuum; signum est ergo quòd non implebatur lapidibus aut terra. Insuper in eodem Textu traditur, quòd habebat arulam (erat autem arula vas quoddam expansum, æreum siue ferreum, quo vti solebant ad continendas prunas in domibus tempore hiemis, vt clarè colligitur Ierem.cap.36.vers.22.) quòd si intra altare æneum constitui consueuisset aliud terreum,superflua profectò fuisset huiusce modi arula. Denique nusquam legimus, quòd in mansionum mutationibus, memorata altaria terrea vllo in loco relicta, aut demolita fuerint. Quòd autem ad prædictæ opinionis confirmationem adducunt de Iuda Machabæo, qui altare à gentibus profanatum destruxit, & lapides eius inde sublatos seorsum tepofuit, nouumque altare ex integris lapidibus iuxta Legem erexit, secundùm illud quod fuerat prius, vt dicitur 1.Machab.cap.4. vers.46. nihil pertinere videtur ad hoc Altare, de quo nunc agimus; quod certum est, post extructum à Salomone templum, numquam ampliùs in vsu fuisse. Et licet altare illud à Salomone olim in templo factum, dicatur fuisse æreum, hoc est extrinsecus ad decorem laminis æreis circumdatum; intus autem,credibile est, solidum lapideumque fuisse: tamen illud quòd posteà in secundo templo extructum fuit, credibilius est fuisse lapideum totum, nulloque forinsecus ære exornatum;attenta maximè populi, qui tunc de exilio venerat, paupertate; quod etiam ex loco Machab. proximè adducto deduci posse videtur: siquidem ibi dicitur, quòd Iudas ædificauit altare nouum de lapidibus integris secundùm Legem, hoc est, impolitis, nulla prorsus facta æris mentione; & statim subditur: *Secundùm illud quod fuit priùs.* ergo illud quod fuit priùs, id est, quod fecerant Iosue filius Iosedec & Zorobabel filius Salathiel,vt dicitur 1. Esdræ cap.3.vers.2. non erat æneum, sed, vt dixi,omnino lapideum.& hoc est, quod posteà à Machabæo demolitum fuit. Meliùs igitur,meo iudicio,alij ad quæsitum respondentes, dixerunt, Dominum præcepisse vt altaria fierent de terra, vel de lapidibus impolitis, ad differentiam altarium, quæ Gentiles diis suis ex marmore multis cælaturis exornato erigere solebant: vnde videtur Dominus illud solùm generali illo mandato cauere voluisse, ne altaria Hebræorum altaribus Gentium assimilarentur;ne scilicet ex hac occasione Hebræi, tamquam ad idololatriam procliues,facilè adorarent etiam sculptilia, quæ in altaribus ficta conspicerent. Sed & adhuc meliùs dici posse videtur, præceptum illud vniuersale habuisse respectum potiùs ad altaria stabilia, quæ postmodum in Terra promissionis fabricanda erant: de portatili verò, quo vti debebant in via quæ ad ipsam ducebat, datum fuisse speciale mandatum Exodi cap.27. vers.1. vt scilicet fieret de lignis, vt commodè portari; & ære contectis, ne ab igne lædi posset. Scimus autem præcepta specialia derogare vniuersalibus, vel eadem limitare. Simile quid sub nouo Testamento accidisse, colligi potest ex Lectionibus,quæ habentur in Breuiario Romano die 9. Nouembris, in Dedicatione Basilicæ Saluatoris;nimirum, quòd persecutionum temporibus Romani Pontifices, cùm certo loco consistere non possent, quocumque eos necessitas compulisset, siue in cryptas,siue in cœmeteria, siue in ædes piorum, super altari ligneo, ad arcæ similitudinem concauo, Sacra faciebant: at reddita Ecclesiæ pace, sancitum est, vt deinceps nisi ex lapide altaria non ædificarentur: can. Altaria si non. De consecratione. & in illo ligneo, honoris causa Principis Apostolorum, & aliorum Pontificum,qui ad mysteria conficienda eo vsi fuerant, non nisi Romanus Pontifex celebrare posset. Verùm vt ad altare Moysaicum tedeamus,si de forma eius quis interroget,dicimus fuisse in quadro positum,habens longitudinis cubitos quinque, & totidem latitudinis, altitudinis verò tres, ac in circuitu coronicem siue coronam; cuius licet Vulgata lectio nihil tetigerit, meminit tamen Textus LXX. Interpretum circa initia capitis 27. Exodi. Ex quattuor autem angulis exibant in sum-

DE FORMA DICTI ALTARIS.

fummitate altaris quattuor cornua, fimilia, vt arbitror, his quæ fuprà num. 60. in Altari thymiamatis extitiffe diximus. Ipfum verò altaris corpus non erat folidum, fed cauum, de tabulis videlicet ligneis ære contectis fabrefactum, & intus vacuum, vt facilè portari poffet; ferebatur enim duobus magnis vectibus ære fimiliter obductis, qui per quattuor circulos æneos, ad altaris latera annexos, traiciebantur.

DE ALTARIS CRATICVLA.

75. Et quoniam Altare hoc dicitur habuiffe Craticulam quamdam æneam in modum retis fabricatam, quæ propterea etiam aliquando retiaculum appellatur; & ipfa proprios quoque anulos in angulis habebat, & duos vectes, quibus feparatim ab altari, cùm opus effet, deferri valeret: dubium valdè eft, in quanam Altaris parte hæc Craticula collocari foleret. Fuerunt enim de hoc variæ Doctorum opiniones, ex obfcuritate Sacri textus exortæ. Prima ponit huiufcemodi craticulam extrinfecus in circuitu altaris à terra furgentem vfque ad medietatem altitudinis ipfius, id eft cubito vno & femis altam: & hæc opinio fuit multorum Rabbinorum, & Lyrani, & Abulenfis, & Caietani in cap. 27. Exod. Quamquam ifti, in vfu eidem craticulæ affignando, quemadmodum etiam in forma ipfius altaris, nonnihil inter fe diffentiant. Etenim Hebræi ponentes altare in lateribus claufum, putauerunt prædictam craticulam fuiffe ad modum cuiufdam cancelli vel fepimenti, ad ipfius altaris cuftodiam circumquaque appofitam; ne fcilicet quifquam ad illud, præter Sacerdotes & miniftri, accedere valerent. Abulenfis verò putat, non ad neceffitatem, fed ad decorem & pulchritudinem fuiffe altari affixam; ita vt fuperior medietas altitudinis eius effet, vt dictum eft, etiam extrinfecus operta laminis æreis minimè perforatis, inferior autem medietas clauderetur tantummodò alus laminis æreis, in retis modum fabrefactis. At Caietanus ratus ipfum altare non folùm intus fuiffe vacuum, fed etiam in cunctifque quoque lateribus fuisapertū, ac veluti ex duodecim dumtaxat trabibus in quadro pofitis, æreque obductis compactum, vt videre eft in eius figura ad calcem huius numeri ponenda; inclufumque in fe habuiffe aliud altare lateritium fiue lapideum, femicubito dumtaxat altum: putauit prædictam craticulam ideò in circuitu altaris, vt dictum eft, fuiffe erectam, vt ignem in illo altari latentio feu lapideo accenfum quoquomodò protegeret, ne à ventis difpergi ac in diuerfa transferri poffet; & fimul etiam, vt per vacuitatem illam quæ inter craticulæ altarifque ænei fummitatem remanebat, tum ligna fuper altare lapideum, tum fuper ligna carnes affandæ, aliaque in holocauftum comburenda collocari, ceteraque, prout opus effet, circa ipfum altare miniftrari cómodè poffent. Et hæc fit fecunda opinio. Tertia fuit Iofephi, qui fupponit memoratum altare fuiffe quidem intus omnino vacuum, fed omni ex parte claufum, cui craticula ærea erat fuperimpofita vel locò menfæ, vel pro foculo, in ipfius menfæ medio collocata; vt per eius foramina cineres, & quidquid ignitum deciderit, terra poffet fufcipere. Quarta fententia eft Hieronymi Oleaftri fuper Exod. c. 27. ad litteram, & Ariæ Montani in libello de Sacris fabricis, quem in fuo Apparatu Bibliorum Regiorum inferuit in cap. De altari holocautomatum, & aliorum; qui ponunt craticulam iftam non in fummitate altaris, fed intùs in media ipfius altitudine extenfam; ita vt ipfa altaris latera fupra craticulæ planum fpatio fefquicubiti attollerentur, & tantumdem fubter ipfam defcendeterent, (diximus enim altare tribus cubitis fuiffe altum.) Verùm eamdem craticulam Arias Montanus quattuor pedibus ait fuiffe fulcitam, nimirum in terra pofitis, & infuper habuiffe quattuor anulos, quorū adminiculo in aram inferri & efferri valeret. At Oleafter dicit, quòd hæc craticula quattuor anulis ad quattuor cornua altaris fufpenfa defcendebat intra cauitatem altaris, vfque ad medium; atque hoc pacto, inquit, dimidia altaris vacuitas fuper craticulam exiftens, ad carnes à parte fuperiori imponendas; altera verò medietas, quæ fubtus craticulam remanebat, ad ligna ignemque fupponendum deferuire poterat. Quod fi verum effet, neceffariò fequeretur, ipfum altare vel in parte inferiori atque anteriori fuiffe apertum, vel faltem oftiola quædam habuiffe, per quæ ligna ignifque fubmitti poffent. Veruntamen iftæ opiniones non videntur admittendæ; quoniam cum facro Vulgatæ editionis textu, qui fine vlla controuerfia ceteris præferendus eft, non prorfus conuenire probantur: nam Exod. c. 38. v. 4. exprefsè dicitur, quòd fubter craticulam erat arula in medio altaris, hoc eft in medio altitudinis eius: atqui Prima opinio ponit craticulam non fuper arulam intra altare exiftentem, fed extra ipfum, nempe in circuitu eius. Secunda fententia apertè nullam fupponit arulam, fed ignis locum in fundo altaris, hoc eft in terra ignem accendi confueuiffe putat. Tertia autem nullam arulæ mentionem facit, fed tantū cratem pro foculo altari fuperpofitam dicit. Prætereà loco Exodi proximè citato verf. 5. legimus, quattuor anulos in totidem retiaculi fiue craticulæ fummitatibus, hoc eft (vt hic notat Emanuel Sà, & ex paulò infrà di-

PRIMA OPINIO.

SECVNDA SENTENTIA.

TERTIA OPINIO.

QVARTA SENTENTIA

cendis elicitur) in angulorum extremitatibus positos, non ad ipsam craticulam altaris cornibus suspendendam, fuisse factos; sed ad immittendos vectes, quibus ipsa portari posset: quod quartæ, nimirum Oleastri sententiæ, manifeste aduersatur. Et ex nullo Sacro textu colligi posse videtur, quòd altare hoc in parte anteriori & inferiori fuerit apertum, vllave ostiola habuerit. Itaq; alij, pro Quinta opinione, excogitauerunt opus quoddam æneum, ab altari seiunctū, & ex craticula arulaq; ita compactum, vt craticulam magis propriè sumptam, desuper extensam haberet, quattuor pedibus trium cubitorum altitudinis subnixam, & subter ipsam, sesquicubiti spatio, arulam intra altaris parietes absconsam, iisdem craticulæ pedibus annexam atque fulcitam; ad cuius operis quattuor angulos, aiunt annexos fuisse subter arulam, vt exprimitur Exod cap. 27. v. 5. quattuor anulos æneos, vt duobus vectibus per eos immissis, seorsum ab altari portari posset. Erant igitur, vt dictum est, isti anuli non in summitatibus craticulæ, sed in extremitatibus angulorum eius, subter arulam. Porrò totū hoc opus (quod modò retiaculi, modò craticulæ vocabulo, ab ea scilicet parte quæ extrinsecus apparebat, per Synecdochen significari crediderunt) in ipso altari, quod intus vacuum, & in lateribus clausum, superius verò apertum erat, pro opportunitate immitti extrahique putabant. Et hæc quidem opinio videtur satis esse consentanea his, quæ de hoc altari habemus Exodi c. 27. & 38. suprà citatis: nam vtrobique altare intus vacuum ponitur. Et de craticula seu retiaculo, tamquam de quadam re ab altari separatim fabricata, & seorsum deferri solita, Moyses tum locis citatis, tum etiam Exo. c. 39. v. 39. meminisse videtur. Et subter ipsam craticulam asserit positam fuisse arulam in altaris medio, id est in media ipsius altaris altitudine: & per quattuor craticulæ angulos subter arulam, hoc est in ipsius craticulæ pedibus, quattuor anulos extitisse, ad immittendos vectes, quibus portari posset: quod non de craticula propriè accepta, sed de opere ex craticula arulaque composito, accipiendum est; quemadmodum & illud quod Exod. c. 27. v. 5. habetur in hæc verba: *Eritq; craticula vsque ad altaris medium*, siquidem arula, quæ huius craticulæ inferior pars erat, in media altaris altitudine stabat, vt dictum est. Et denique admodum rationabile videtur opinari, dictum altare modo proximè exposito fuisse fabricatum: sic enim non ad hostias tantùm super eo cremandas, sed etiam ad eius gestationem satis commodum euadere videbatur: siquidem ferè pro ipsius medietate duobus vectibus, & pro alia medietate aliis duobus gestari poterat; cùm alioqui præ nimia eius grauitate aut nullatenus, aut non fine magna difficultate & incommodo duobus tantum vectibus totum simul baiulari potuisse videretur. Vnum adhuc hic restat discutiendum, Quomodo scilicet super arulam intra altare existentem, poterant ignis lignaque componi, & de ea cineres extrahi, si superiorem altaris partem craticula, laterales verò ipsius altaris parietes vndique claudebant? Ad hoc aliqui vt respondeant, ostium in altaris latere extitisse contendunt. Hi sunt Beda lib. 2. de Tabernaculo cap. 12. & Richardus pariter in Explanatione Tabernaculi c. 11. & Auctor Historiæ Scholasticæ, Exodi c. 59. ex auctoritate Cassiodori. Alij contrà, quibus magis assentior, negant, dicentes, non esse necessarium eiusmodi ostium ponere, cuius neque Scriptura sacra neque Iosephus quidquam meminerunt: cùm præsertim super altaris craticulam possent ligna carnesque componi, quemadmodum docuit Dominus Leuit. cap. 1. v. 8. & fecisse Abrahamum in immolatione filij, apertè legimus Genes. c. 22. v. 9. & Eliam 3. Reg. c. 18. v. 33. & cineres in arula colligerentur, donec ipsa de altari cum suo pariter retiaculo extracta purgaretur. Ceterùm, num craticulæ opus totam altaris mensam, an verò (quod magis reor) aliquam tantum eius partem in medio occuparet, & quantum, certò definire non possumus: quamquam satis probabile videatur, eamdem craticulam fuisse in vtroque latere latam cubitos tres aut quattuor, ita vt ab extremitatibus eius ad extremitates altaris, cubitus vnus tantùm vel semis vbique intercederet. Et hæc de tota huius altaris structura sufficiant: illud tantummodò hic veluti obiter Lectorem monentes, Scripturam sacram, vt credimus, in tradendis memorati altaris mensuris accepisse (quemadmodum Deut. cap. 3. vers. 11.) cubitos ad mensuram cubiti virilis manus: & proptereà non esse necessarium quærere, (vt multi faciunt) quomodo sine gradibus Sacerdotes super hoc altari tribus cubitis alto ministrare possent: nam cùm constet, humanum corpus, si sit proportionatum, habere altitudinem quattuor brachij sui cubitorum; vtique satis commodè poterant Sacerdotes, sine gradibus aut scabello ministeria sua obire super altare, quod quarta saltem parte ipsorum staturæ erant humilior. Ceterùm, quæ hactenus tum de ipso altari, tum de eius arula & craticula diximus, ex variis dicti altaris figuris hic inserendis faciliùs capi poterunt.

QVINTA OPINIO.


76. Sanè

ALTARIS HOLOCAVSTI
VARIA EXEMPLA,
AD MENTEM


RABBINORVM,




ABVLENSIS,





IOSEPHI,





CAIETANI.











Sine Craticula et Arula.

Cum sua Craticula et Arula.

AD QVEM VSVM FVERIT HOC ALTARE FABRICATVM.

76. Sanè vsus eius fuit, non solùm vt super eo immolarentur holocausta, sed & alia quoque sacrificia fierent: tametsi à nobiliori sacrificiorum genere obtinuit, vt Altare holocausti seu holocautomatum appellaretur. Erant autem in vniuersum genera sacrificiorum tria; videlicet, Holocaustum, Hostia pro peccato, & Hostia pacifica; de quibus singulis infrà sub anno mundi 2545. num. 21. & sequentibus dicetur. Illud tamen hîc prætereundum non est, quòd regulariter & ordinariè omnes victimæ super hoc altari immolari debebant; aut super eo, quod loco huius in templo extruendum erat, vt colligi potest Deuter. cap. 12. vers. 13. vbi prohibentur fieri sacrificia, nisi in loco quem elegerit Dominus, id est, in loco vbi Tabernaculum testimonij & hoc altare fuerint collocata. Et meliùs Leuit. cap. 17. vers. 3. vsque ad 10. vbi sub pœna mortis præcipitur, ne quisquam immolet offerátve victimam, nisi ad ostium Tabernaculi, fundatque sanguinem super hoc altare; quod non procul ab ostio Tabernaculi stabat. Et hoc est, de quo Scriptura frequenter in libris Reg. posteà reprehendebat omnes ferè Reges Iuda, alioquin veri Dei cultores, quòd scilicet excelsa non abstulissent; sed permitterent populum, contra memoratum Dei præceptum, sacrificare Deo in excelsis montibus extra templum Ierosolymitanum, vbi erat locus quem elegerat Dominus: & econuersò laudat Ezechiam 4. Reg. cap. 18. vers. 4. quòd ipse destruxerit excelsa. Dixi, *regulariter*: quia extraordinariè & certis de causis, constat sanctos viros nonnumquam, Deo vel præcipiente vel inspirante, alia alibi extruxisse altaria, & super his Domino victimas immolasse, quemadmodum legimus de Iosue, qui ædificauit altare lapideum in monte Hebal, & obtulit super eo holocausta, & victimas pacificas Domino, Iosue cap. 8. vers. 30. hoc enim specialiter præceperat Dominus Deuter. cap. 27. vers. 4. & de Samuele, qui obtulit holocaustum in Masphath, 1. Reg. cap. 7. vers. 6. & 9. & aliud altare ædificauit in Ramatha, vt in calce eiusdem capitis legimus: & item iubente Domino sacrificauit in Bethleem, quando vnxit Dauidem, 1. Reg. cap. 16. vers. 5. Scimus etiam ipsum Dauidem, monente Gad Propheta, extruxisse altare Domino in area Areuna Iebusæi, & ibidem sacrificiis placasse Dominum, ab eoque obtinuisse cessationem pestilentiæ grassantis in populo, vt habetur in calce libri 2. Regum. Elias quoque in monte Carmeli extructo altari, obtulit super eo bouem, & exaudiuit eum Dominus, qui misso igne de cælo, holocaustum mirabiliter consumpsit, 3. Reg. cap. 18. vers. 32. Hæc, inquam, & si quæ sunt eiusmodi alia, ex diuina dispensatione contigisse credendum est.

DE VASIS ALIISQVE EIVSDEM ALTARIS VTENSILIBVS.

77. De vasis autem aliîsque instrumentis, ad vsus prædicti altaris ex ære similiter factis, agitur Exodi cap. 27. vers. 3. & cap. 38. vers. 3. vbi specialiter quinque huiuscemodi vasorum genera dinumerantur; nimirum Lebetes, ad suscipiendos cineres, vt in littera exprimitur. Forcipes, ad componendum ignem, siue ad carbones vel quid aliud ab altari capiendum, iuxta illud Isai. cap. 6. vers. 6. *Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Fuscinulæ tridentes, quibus pueri Sacerdorum, vt dicitur 1. Reg. cap. 2. vers. 13. leuare solebant carnes de ollis, siue cacabis, victimas pacificas offerentium. Vncini, (vt arbitror) alia erant instrumenta, quibus carnes quas de caldariis fuscinula leuauerant, vncinis appensas auferebant. Ignium receptacula, quibus prunas de altari holocautomatum acceptas ad altare thymiamatis deferebant. Quòd si quis quærat, cur hîc nulla facta sit mentio illorum lebetum, caldariorum, ollarum, & cacaborum, in quibus carnes Deo oblatæ coqui solebant, vt legimus 1. Regũ cap. proximè citato: Responderi debet, quòd carnes hostiarum pacificarum non in Sacerdotum, sed in laicorum atrio, ab ipsismet laicis offerentibus coqui consueuerant. Siquidem, vt ibidem dicitur, coctis carnibus veniebat puer Sacerdotis habens fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, siue in cacabum, vt sibi acciperet partem Sacerdoti debitam, videlicet armum dextrum, vt sancitum fuerat Leuit. cap. 7. vers. 32. Porrò prædicta vasa ad coquendas huiuscemodi carnes, non pertinebant ad Altare holocausti, sed ab ipsismet laicis illuc deferebantur: qui peracta coctione, quoniam ex contactu carnium sanctificatarum ipsa quoque vasa sanctificationem contrahebant, nec ad profanos vsus deinceps adhiberi poterant; propterea si erant fictilia, eadem protinus confringere; si autem ænea, illa defricare & aqua lauare tenebantur; vt præcipitur Leuit. cap. 6. vers. 27. Credimus tamen in atrio Sacerdotum extitisse alias ollas, aut eiusmodi vasa oleo sancto inuncta & sanctificata, ad coquendas carnes victimarum pro peccato oblatarum destinata, quas soli masculi de genere Sacerdotali, in loco sancto comedere iubebantur Leuit. c. 7. vers. 6. De quibus vasis, tametsi nulla facta sit mentio locis Exodi citatis: meminit tamen ipsorum Auctor 4. Reg. cap.

cap. 25. verſ. 14. dicens, quòd Chaldæi in maxima illa Ieroſolymorum vaſtatione ollas, & alia huiuſmodi vaſa ænea de templo abſtulerunt.

78. Præter prædicta vaſa ænea ad vſus ac miniſteria Altaris holocauſti, & ipſius Tabernaculi fabricata, vnum præ ceteris inſigne fudit Beſeleel, iubente Moyſe, quod in Scripturis ſacris Labrum nuncupari ſolet; de quo Exod. cap. 30. verſ. 18. ſic legimus: *Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lauandum, poneſq. illud inter tabernaculum teſtimonij & altare. Et miſſa aqua, lauabunt in ea Aaron & filij eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ſunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur.* Quibus verbis deſcribitur tum huius labri vſus, tum etiam locus in quo poni debebat, nimirum in atrio Sacerdotum, inter oſtium Tabernaculi & Altare holocautomatum: & nonnihil inſuper tangitur ad materiam formamque ipſius pertinens, in eo quòd dicitur habuiſſe baſim, & fuiſſe æneum. Quamquam eiuſdem materia adhuc magis ſpeciatim exprimitur Exod. cap. 38. verſ. 8. vbi ad prædicta additur, quòd de ſpeculis mulierum, quę excubabant ad oſtium Tabernaculi, factum fuerat. Quem locum non deſunt qui accipiendum putant de illis mulieribus, quæ ſe Deo dicare ſolebant, ac perpetuò, deuotionis gratia, iuxta Tabernaculum fœderis manere. Quod etiam ſenſiſſe videtur Cardinalis Baronius in Apparatu ad ſuos Annales, vbi proſequitur oſtendere, quòd etiam poſterioribus deinde temporibus eiuſmodi mulieres habitare ſolerent in templo; quod veriſſimum eſſe putamus. Verumenimuerò, ſi olim iuxta Tabernaculum fœderis mulieres, eo modo quo dictum eſt, excubare perpetuò conſueuerant; profectò credibile eſt eas fuiſſe admodum paucas, ita vt non videatur ex ipſorum ſpeculis vas tam grande fieri potuiſſe. Quare multò probabilius videtur, hoc vas fuiſſe factum de ſpeculis, quæ ad illud conficiendum vltrò offerebant mulieres, quando de tabernaculis ſuis veniebant, vt orantes excubarent ante oſtium Tabernaculi fœderis. Itaque cùm de huius labri forma nihil aliud expreſſum ſit, niſi quòd ſuper baſi ſitum erat; proculdubiò datur intelligi, nihil ſingulare, quod ad figuram eius attinet, in eo extitiſſe; ſed ad communem vſitatamque illius temporis labrorum formam fuiſſe fabrefactum. Quamquam non deſunt qui putant illud fuiſſe veluti opus quoddam ex duplici vaſe compactum, ita vt baſis, quæ ipſum ſuſtentabat, de alio latiori vaſe ſurgeret, in quod aqua poſſet defluere per ſyphones eo artificio fabricatos, vt veluti cardine quodam voluulo facilè aperiri occludive poſſent; & ſic non in ſuperiori labro (quod fieri nullo modo potuiſſe videtur) ſed in inferiori Sacerdotes commodè pedes lauare valerent. Verùm huic opinioni primò obſtare videtur illud, *& lauabunt in ea.* quod certè non ad labrum, ſed ad aquam de labro educendam referri debet. Deinde, quòd illa ablutio in aliis vaſis ad hoc paratis commodiùs fieri poterat, alioquin aqua inferioris labri nimis frequenter mutanda fuiſſet. Et denique, quòd Scriptura ſacra vnius tantùm labri meminit. Quod verò adiungitur, *De ſpeculis mulierum,* &c. indicat illud labrum non ex quocumque ære, ſed ex valdè pretioſo fuiſſe conflatum. Etenim olim ſpecula non ex vitro, quemadmodum noſtris temporibus; ſed ex ſtanno puriſſimo, argentóve ære admixto, ac deinde redacto in laminas exquiſitiſſima abſterſione læuigatas, accuratiſſimeque deterſas, vt ſic optimè imagines redderent, fieri conſueuiſſe, ſcribit Plinius lib. 33. cap. 9. Neque enim labrum hoc minùs dici potuiſſet factum ex ære, etiamſi aliquid ſtanni argentive in eo fuiſſet; quandoquidem æs Corinthium non deſiit æs appellari, quòd auro argentoque mixtum eſſet. Patet igitur hallucinari eos, qui falsò exiſtimantes ſpecula illa fuiſſe vitrea, prout hodie fieri ſolent, memoratum Scripturæ ſacræ locum ita exponunt, tamquam ſi labrum illud non verè de ſpeculis, ſed de æneis ſpeculorum integumentis ornamentiſve factum fuerit; quod ſanè Sacri textus verbis manifeſtè aduerſatur. Eadem de cauſa probare non poſſumus quorumdam opinionem, qui pro certo ſupponentes, hoc labrum non de ſpeculis mulierum fuiſſe factum, ſed iiſdem extrinſecus vndique exornatum; vt ad ipſum accedentes, ac in illis aſpicientes, proprias dignoſcere maculas poſſent; inde poſteà ſenſus quoſdam ſpirituales ſiue morales nituntur elicere: quos, ſublato fundamento, tamquam Sacro textui non conſentientes, prorſus ruere neceſſe eſt. Sanè de vſu dicti labri, præter ea quæ paulò antè ex littera Exodi adducta diximus, nimirum quòd erat ad continendas aquas pro Sacerdotibus, vt iuxta præceptum Domini ibidem traditum, poſſent lauare manus ſuas ac pedes, quotieſcumque eos ingredi oporteret in Tabernaculum, ſiue ad concinnandas lucernas, ſiue ad incenſum in Altari thymiamatis adolendum, ſiue ad quoduis aliud miniſterium in eo præſtandum: (nudis namque pedibus in eo miniſtrare conſueuerant.) Inſuper etiam creditur, labrum hoc ad hunc quoque vſum fuiſſe paratum,

De labro æneo.

tum, vt scilicet ex eius aqua, sacrificiorum carnes ablui possent, antequam altari superponerentur, quemadmodum super citato Exod. capitulo asserunt Abulensis & Aloisius Lipomanus. Et hinc colligitur, labrum illud fuisse satis amplum & capax; tametsi eius amplitudo nusquam expressa habeatur. Huius labri graphidem hic non ponimus, quoniam satis bellè videri poterit in typo Atrij sancti sub anno proximo num. 1. inserendo.

QVAE ESSENT INDVMENTA SACERDOTALIA.

79. Fecit præterea Beseleel vestimenta Pontificalia ac Sacerdotalia, de quibus hic dicendum est aliquid per singula. Ac primò quidem supponendum est, quòd indumenta sacra cunctis Sacerdotibus communia, quibus scilicet tunc tantum vestiri debebant, quando sacra ministeria exercere tenebantur, hæc erant: Primò, Feminalia seu Femoralia, vt in LXX. Interpretibus Exod. cap. 28. & in Vulgata Ecclesiastici cap. 45. vers. 10. legimus. Secundò, Tunica linea stricta. Tertiò, Zona siue Balteus. Quartò & vltimò, Tiara seu Mitra. De his meminit Scriptura Exod. cap. 28. vers. 40. & 42. & cap. 39. vers. 25. vsque ad 29. & Iosephus 3. Antiq. cap. 8. Itaque vt à feminalibus, ordine quo indui consueuerant, incipiamus: hæc ad verenda femoraque ipsorum contegenda parabantur; ne scilicet si vel mactando tauros, vel quid aliud simile peragendo, Sacerdotes cadere contigisset, reuelaretur turpitudo eorum, vt in ipso Textu sacro exprimitur. Erant enim veluti caligæ quædam, quas pedibus insertis (vt ait Iosephus) velut dimidiatas braccas, ad ilia constringebant. Quare nescio vnde desumpserit B. Hieronymus in epistola 128. ad Fabiolam, de Veste Sacerdotali, quòd ipsa feminalia vsque ad genua demitterentur: præsertim cùm Sacer textus dicat, *Vsque ad femora*. Ceterùm hæc, quemadmodum testatur Iosephus testis oculatus, de bysso retorta, hoc est primò duplicata, ac deinde etiam retorta, ad maiorem firmitatem, fieri consueuerant.

DE FEMORALIBVS.

DE TVNICA SACERDOTALI LINEA.

80. Super feminalia induebantur Sacerdotes Tunica linea, siue, vt ait Iosephus, linea interula byssina, quæ Exodi cap. 28. vers. 4. appellatur linea stricta; non enim erat ampla, plicisque ac rugis plurimis crispata, quo modo nunc fieri solent albæ, & superpellicia Sacerdotalia: sed erat quædam tunica talaris, ad corporis ferè magnitudinem facta, manicis similiter non latis, sed ad brachia quodammodò adstrictis; ad similitudinem tunicæ Ioab, de quo dicitur 2. Reg. cap. 20. vers. 8. quòd *vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui*, id est, ita corpori eius adaptata, vt ad omnes motus corporis liberè exercendos nullius eidem esset impedimenti. Sunt qui hanc tunicam non omnino albam, sed quibusdam veluti oculis, colorum varietate distinctam fuisse colligunt ex Hebraica voce *cesymbotam*, quæ habetur Exod. cap. 28. vers. 4. quam ipsi interpretantur *ocellatam*, siue *oculatam*: quam interpretationem minimè sequendam putamus; quandoquidem apud alios Hebraici idiomatis apprimè gnaros, constat Hebraicum illud verbum idem significare, quod Latinè *strictam*. & sic habet loco allegato Vulgata Sacri codicis editio, quam fideliter Interpretem transtulisse, nemo dubitare debet. Et præterea certum est, quòd neque ex Philone lib. 3. de Vita Moysis, vbi de hisce sacris vestibus agit, qui Iudæus fuit, & Iudaicarum rerum peritissimus; neque ex Iosepho, qui insuper etiam Sacerdos extitit, & consequenter eadem tunica aliquando indutus, & in ea describenda satis accuratus fuit, colligi potest, illam tunicam coloribus fuisse variatam: & ratio quoque dictat, eam esse debuisse omnino albam, vt sæpiùs lauari posset. probabile enim est, quòd Sacerdotes in cædendis victimis, frequenter eorum sanguine aspergerentur. Nisi fortè byssinæ illæ tunicæ ea arte essent intextæ, qua solent panni illi fetici; quos Italicè *Damascos* vocamus; qui licet sint vnicolores, picturas tamen quasdam demonstrant. Cuiusmodi etiam vidimus pannos quosdam lineos subtilissimos, ac valdè pretiosos, qui ex Flandria, siue ex Hollandiæ insulis deferri perhibentur: hi namque tametsi omnino albi sint, multas tamen eiusdem coloris figuras referre conspiciuntur. Sed vtrùm ex talibus lineis essent apud Hebræos tunicæ Sacerdotales, an fortè ex his quibus nostra mantilia seu mappæ communiter fieri solent, (quodammodò enim ocellatæ esse videntur) nihil certi affirmare possumus.

DE ZONA SACERDOTALI.

81. Sequitur Zona siue Balteus, quo sese Sacerdotes super prædicta tunica sub mammis cingebant. Zonam hanc accuratiùs describit Iosephus loco citato, vbi de tunica agens, subiungit: *Qua accingitur circa pectus, paulò axillis inferiùs, zona lata digitos quattuor, intus inani; ita contexta, vt serpentis exuuium videri posit; floribus etiam picturatur puniceis, purpureis, hyacinthinis, & byssinis: stamen verò ex sola bysso constat; quæ semel atque iterùm circa pectus reuoluta ad talos vsque defluit, tantisper dum Sacerdotes à sacris feriantur; cùm verò sacris est ministrandum, ne ventilata sit impedimento, super humerum læuum reiicitur. Hanc zonam Moyses nominauit Abaneth; nos vocabulo à Babyloniis mutuato, Emiam dicimus.* hæc Iosephus. Eadem ferè scribit B. Hieronymus in epistola

stola ad Fabiolam suprà num.79.citata, dicens: *Hoc cingulum in similitudinem pellis colubri, qui exuit senectutem, sic in ratundum textum est, vt marsupium longius putes: textum est autem subtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & stamine byssino, ob decorem & fortitudinem; atque ita polymita arte distinctum, vt diuersos flores ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam inter vmbilicum & pectus hoc stringunt baltea.* hucusque S.Hieronymus. Ex dictis ergo, & ex iis quæ habentur Exodi cap.39. vers.28. patet, materiam zonæ huius seu cinguli fuisse fila quædam, alia byssina, alia purpurea & hyacinthina, & alia cocco bis tincta; eaque adeò inter se polymita seu plumaria arte intexta, vt picturas varias repræsentarent: formam autem eiusmodi, vt longissimi ensis vagina videri posset: denique vsum, vt ad pectus bis reuoluta tunicam stringeret, & reliqua eius pars ad talos in anteriori parte descenderet; quã tamen inter ministrandum, ne ipsis esset impedimento, super humerum læuum reiicere solebant.

82. Postremum Sacerdotalis indumenti genus, erat Tiara, quæ & Cidaris, & Mitra quandoque dicitur. cuius pariter forma, materia, & vsus, ex iisdem Auctoribus desumi potest, quorum primus eam ita describit: *Super caput autem*, inquit, *gestat* (nimirum Sacerdos) *pileum non fastigiatum, neque totum caput comprehendentem, sed paulò plus quàm medium. hic vocatur Masnaemphthes. est autem talis paratu, vt videatur crassa vitta linea sæpè in orbem replicata & consuta, quam supernè alia tela integit vsque ad frontem descendens, & per superficiem verticis suturarum deformitatem occultans. adaptatur autem accuratè, ne inter sacrificandum delabatur.* hæc Iosephus. Cui similia scribit S.Hieronymus, inquiens: *Quartum genus vestimenti est rotundum pileolum, quale pictum in Vlyssea conspicimus; quasi sphæra media sit diuisa, & pars vna ponatur in capite. Hoc Græci & nostri Tiaram, nonnulli Galerum vocant, Hebræi Mitznepheth; non habet acumen in summa, nec totum vsque ad comam caput tegit; sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit, atque ita in occipitio vitta constrictum est, vt non facilè labatur ex capite. est autem byssinum, & sic fabrè opertum linteolo, vt nulla acus vestigia extrinsecus appareant.* hæc S. Hieronymus. Ceterùm hasce Tiaras habuisse corollas suas de bysso, ex Exod. cap. 39. vers.26. manifestum est. Verumtamen quæ & quales essent istæ corollæ, nequaquam certò scire possumus: nam quòd quidam putauerunt, corollas dici suturas illas in orbem replicatas, quarum meminit Iosephus; non admodum videtur probabile: quoniam hæ corollæ ad ornatum decoremque Mitrarum pertinuisse videntur, & per consequens conspicuo loco positæ; at suturas illas orbiculares alia tela siue linteolo opertas fuisse, idem Auctor asseruit. Quare probabilius puto, corollarum vocabulo hic significari aliquod ornamenti genus, Tiaræ oram circumdans in modum vittæ, ex filis byssinis acu fabrè elaboratum, habens in superiori parte eminentias quasdam in acutum ascendentes; cuiusmodi sunt quos Italice vocamus, *Lauore fatti à picetti*. Quòd autem loco Exodi citato dicitur, Mitras habuisse corollas suas ex bysso; non ita accipiendum reor, quasi singulæ Mitræ plures corollas haberent; sed quòd singulæ singulas. Et hæc de indumentis Sacerdotalibus satis sint dicta.

DE TIARA SACERDOTALI.



TIARAE LINTEOLI CORONAEQVE TYPI.



83. Pontifex autem supra vestes Sacerdotales, etiam aliis quæ Pontificiæ dicebantur, quemadmodum nunc quoque Pontifices nostri solent, induebatur, quotiescumque munia sua obire debebat, vt patet ex Iosepho, & B. Hieronymo, & Leuit.cap.8. vers. 7. & Ecclesiastici cap.45.vers. 10. & Exod.cap.39.vers.25. & sequentibus. vbi indumenta Sacerdotalia quæ superiùs recensuimus, dicuntur facta ipsi Aaron & filiis eius; id est fuisse communia tum Sacerdotibus, tum etiam Pontifici. quo signo fortassis indicabatur, quòd tunc quoque, sicut & hodie, Pontifices omnia facere poterant quæ minores Sacerdotes; & amplius etiam multò plura. De Pontificalibus indumentis, quæ sunt Tunica hyacinthina, Superhumerale cum suo Rationali, Balteus & Cidaris, à Balteis & Tiaris Sacerdotalibus nonnihil differentes, agunt Moyses Exod c. 28. & 39. ab initio capitis vsque ad vers. 31. Iosephus 3. Antiq.cap.8. & B.Hieronymus in citata epistola 128. ad Fabiolam. Vt autem de singulis aliquid nos quoque hoc loco differamus, à Tunica auspicãtes, dicimus, quòd ex Scriptura sacra nihil aliud habemus ad materiam spectans, nisi quòd erat tota hyacinthina, id est, ex filis subtilissimis hyacinthino colore pretiosissimo tinctis contexta. Quò verò ad formam, quòd habebat in medio supra capitium, hoc est aperturam, in quam immiti posset caput; cuius capitij ora, textili panno, aut vitta, fimbriáve per gyrum muniebatur, vt fieri solet in vestium limbis, ne facilè rumpantur. Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ, per circuitum pendebant quasi mala Punica, ex bysso retorta, vermiculo, purpura, hyacinthoque confecta; & inter singula mala, alternatim singula tintinnabula aurea. Quod autem ad

SACERDOTALIA INDVMENTA CVR ETIAM PONTIFICI ESSENT COMMVNIA.

INDVMENTA PONTIFICALIA QVAE.

DE TVNICA PONTIFICALI.

vsum spectat, additur: *Vt vestiatur ea Aaron in officio ministerij sui, & audiatur sonitus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium.* Iosephus, qui eiusmodi tunicam non semel vidisse creditur, addit eam fuisse talarem; & non e duobus segmentis, vt futuras haberet in humeris ac lateribus, sed vnica tela in longum fuisse intextam; atque aperturam in summo habuisse, non transuersam, vt nostræ habent Dalmaticæ, sed in longum descendentem à tergo, & ante vsque ad medium pectus, quemadmodum nostræ Casulæ siue Planetæ: cui aperturæ, decoris causa, assutus est limbus, ne scissura appareret. & eodem modo (subiungit) *quà manus exeruntur, est scissa.* Quibus Iosephi verbis planè reluctari videtur B. Hieronymus, in eo quod ait, eamdem tunicam assutas habuisse manicas eiusdem coloris. Quod vnde acceperit, ignoramus: quemadmodum & illud, quod tam ipse quàm etiam S. Isidorus lib. 1. Etymologiarum cap. 21. asserunt, nimirum tintinnabula fuisse septuagintà duo, & totidem malogranata.

DE EPHOD PONTIFICIO. 84. Tunicæ huic hyacinthinæ aliud vestimenti genus multò breuius, nempe (vt refert Iosephus) cubitali longitudine, superinduere solebat Pontifex; & hoc Ephod siue Superhumerale in Scripturis sacris nuncupatur, quia ad humeros præcipuè pectusque honorificentiùs vestiendos exornandosque paratum erat. Nec quisquam putet, genus hoc vestimenti non solius fuisse summi Pontificis, sed commune etiam aliis, propterea quòd 1. Reg. cap. 2. vers. 18. legimus Samuelem, qui erat Leuita, adhuc puerum fuisse accinctum Ephod lineo. Et idem de Dauide, qui erat de tribu Iuda, refertur 2. Reg. cap. 6. vers. 14. Aliud est enim, vt ait S. Hieronymus, ferre Ephod ex variis coloribus auroque contextum, quod proprium erat summi Pontificis; aliud est, ferre ipsum simplex & lineum, vt de prædictis est proditum. Sanè materia Ephod Pontificalis, fuit pannus ex auro subtilissimè extenuato ac filis intorto, & item ex purpura, hyacintho, coccoque bis tincto, ac bysso retorta, mirabiliter arte polymita fabricatus; ac certis locis, vt paulò pòst dicemus, eleganti gemmarum pretiosissimarum appositione decoratus. Verùm quod attinet ad huius Ephod formam vsumque, nihil ferè in Sacro eloquio expressum habemus, nisi quòd oræ summitatum eius duæ in vtroque latere ita iunctæ erant, vt in vnum redirent: & in vtroque Superhumeralis latere fabrè appositus erat lapis onychinus, auro inclusus, & nominibus sex filiorum Israël arte gemmaria insculptus. vnde oportet huiuscemodi lapillos fuisse satis magnos, & valdè pretiosos. est autem onyx, gemmæ species, humani vnguis candorem referentis, vt scribit Plinius lib. 37. cap. 5. LXX. Interpretes pro lapillis onychinis, smaragdos transtulerunt. Quidquid sit, subdit Scriptura, hoc fuisse memoriale filiis Israël; vt scilicet portaret Aaron nomina eorum coram Domino super vtrumque humerum, ob recordationem. Iosephus eiusdem Superhumeralis formam magis explicare volens, ipsum breui tunicæ similem facit. At Philo lib. 2. de Monarchia, thoracis speciem habuisse commemorat: vt hinc conicere liceat, medium quid inter breuiorem tunicam thoracemque extitisse. B. Hieronymus illud in modum caracallarum sine cucullis fuisse tradit. Erant autem caracallæ, vestes quædam talares, populo Romano præscriptæ ab Antonino Imperatore, qui propterea Caracallæ cognomen accepit. Verumtamen Superhumerale, de quo hic agimus, longè breuius erat, vt ex Iosepho diximus. Et quidem certum est quòd vsque ad cingulum protendebatur, quemadmodum colligitur Exod. cap. 39. vers. 19. vbi dicitur, quòd Superhumerale ac Rationale stricta erant ad balteum. & clariùs ex Leuit. cap. 8. vers. 7. vbi legimus quòd Moyses Aarom Superhumerale astringens cingulo, Rationali aptauit. Vtrùm autem etiam sub ipsa zona descenderet inferior ipsius Superhumeralis pars, in dubium vocatur: aliis id negantibus, aliis verò contrà affirmantibus, quos potiùs sequendos putamus; tum quia proculdubiò maiorem videtur elegantiam præseferre aliqualis illa sub cingulum prominentia; tum etiam, quia si, vt probatum est, longitudo eius erat vnius cubiti, non videtur ab humero ad balteum dumtaxat pertingere potuisse, sed sub eo quoque aliquantulùm descendisse; præsertim cùm ex his, quæ de zona Sacerdotali superiùs ex Iosepho & B. Hieronymo dicta sunt, constet, non ad renes, sed sub mamillis, inter pectus & vmbilicum, olim balteos accingi consueuisse. De huius indumenti manicis Scriptura sacra non meminit: Iosephus verò eidem Superhumerali manicas siue maniculas attribuit: quo diminutiuo loquendi modo fortassis non integras, sed ferè dimidiatas manicas, ad cubitum vix pertingentes, indicare voluit; vt vel sic expeditior in suo ministerio esse posset Pontifex.

DE RATIONALI. 85. Sequitur Rationale, quod apud Iosephum vocatur Essen, de quo licet Auctores, clarioris doctrinæ gratia, seorsum à Superhumerali agant: non tamen existimandum

dum est, fuisse aliud vestimenti genus ab eo diuersum, & omnino separatum; sed potius additamentum quoddam, ad maiorem ipsius Superhumeralis ornatum pertinens: erat enim ita firmiter ei copulatum atque annexum, vt non immeritò ipsum quoque Rationale, Superhumeralis siue Ephod nomine, in Scripturis sacris non semel significatum inueniatur, vt paulo pòst num. 87. comprobabimus. Porrò Rationale hoc nihil aliud erat, nisi pannus quidam ad maiorem sui firmitatem duplicatus, ne, si simplex esset, ex annexis lapillis facile rumperetur: eiusdem prorsus materiæ, eodemque artificio quo ipsum Superhumerale, contextus: figuram habebat quadrangularem, longitudine pariter ac latitudine palmi; eo fere modo fabrefactis, quo nunc sacculi seu bursæ Corporalium fieri solent. annexos verò habebat in singulis quattuor angulis singulos anulos aureos, quibus in superiori quidem parte annectebantur duæ catenulæ aureæ, quæ vncinis aureis vtrimque ad eminentiora Superhumeralis latera copulatæ erant: deorsum verò duæ vittæ hyacinthinæ, ad balteum in vtrisque lateribus adstrictæ, ipsum Rationale ante Pontificis pectus rectum tenebant: atque hoc pacto ita per quattuor angulos ipsi Superhumerali erat coniunctum, vt neque ab eo separari, neque inter ministrandum, ad vllam partem deflecti posset. Sanè in externa ipsius Rationalis facie, fabrè affixi conspiciebantur lapilli pretiosissimi diuersorum generum, numero duodecim, singuli auro inclusi, & terni quattuor ordinibus dispositi: nimirum in primo ordine, sardius, topazius, & smaragdus; quorum primus (si Plinio credimus) ignis speciem refert; duo reliqui colorem viridem, nonnihil inter se differentem; quare constat, topazium ab antiquis appellatum, valdè esse diuersum ab eo qui nunc tali nomine nuncupatur. In secundo ordine, carbunculus, ardentes inter gemmas principatum tenens; sapphirus, cælesti colore præditus, & iaspis subuiridi. In tertio, ligurius, quem B. Hieronymus suspicatur esse hyacinthum; alij aliud carbunculi genus à memorato diuersum; achates, nigro alboque colore eleganter variatus; & amethystus, coloris quodammodò rubri ad violaceum vergentis. In quarto, chrysolithus (qui fortassis ille est, qui nunc topazius dicitur aureo colore fulgés; (onychinus, humani vnguis colorem repræsentans; & beryllus, viridem, ab aliis tamen eiusdem coloris dissimilem. De hisce gemmis vide Plinium lib. vlt. cap. 5. & sequentibus. Esse autem plura gemmarum genera eiusdem coloris, intensiori tantùm vel remissiori colore, claritatéve aut perspicuitate inter se differentia, apud ipsum Plinium & gemmariæ artis professores certissimum est. In his duodecim lapillis sculpta erant nomina duodecim filiorum Israël, natiuitatis ipsorum ordine vt plurimùm seruato; qui duodecim tribus, quarum ipsi capita fuerant, repræsentabant. In sardio, scriptus erat Ruben; in topazio, Simeon; in smaragdo, Iudas; in carbunculo, Dan; in sapphiro, Nephthalim; in iaspide, Gad; in ligurio, Aser; in achate, Issachar; in amethysto, Zabulon; in chrysolitho, Ephraim; in onychino, Manasses; in beryllo, Beniamin. Horum conuenientias tangit Ribera lib. 3. de Templo cap. 11. Ab iis excepti sunt duo, Leui scilicet, ob causam mox tangendam, & Ioseph, qui cùm esset vndecimus, loco eius politi sunt duo filij ipsius, Ephraim & Manasses, tamquam duarum tribuum auctores, vt testatur Iosephus 3. Antiq. cap. 11. ipsi namque adoptati fuerant à Iacob, vt essent sicut Ruben & Simeon, quemadmodum legimus Genes. cap. 48. vers. 5. vbi etiam describitur, quomodo ab eodem Iacob, Ephraim præpositus fuit ipsi Manasse primogenito. Non fuit autem necesse in Rationali scribere nomen Leui, tum quia tribus eius segreganda erat ab aliis in sortem Domini, vt sub anno mundi 2548. num. 7. dicemus, tum etiam, quia sicuti Ioseph conuenienter in filiis, ita Leui repræsentabatur in persona ipsius Pontificis, qui semper de tribu eius esse debebat. Hæc eadem duodecim Patriarcharum nomina, vt superiori numero adnotauimus, eodem ordine sculpta erant in duobus illis lapillis onychinis, qui super latera Ephod humerosque Pontificis collocati fuerant: ita tamen, vt in dextro essent sex natu maiores, in læuo autem alij sex minores.

DE EIVS LAPILLIS PRETIOSIS.

86. Ceterùm, horum omnium lapillorum, ac præcipuè illorum qui erant in Rationali, triplex fuit vsus. Primus, vt dictum est, ad maiorem ipsius Ephod ornatum. Secundus, quemadmodum tangitur Exodi cap. 28. vers. 12. ob recordationem: vt scilicet Pontifex, sicuti gestabat in humeris & in pectore nomina filiorum Israël, sic recoleret, debere se eorum peccata portare, eosdemque in corde semper habere, atque ex corde pro eis Dominum deprecari. Tertius, ad consulendum Dominum. Pro qua re melius capienda, quædam hic altiùs repetere oportet: nimirum quòd Moyses, præ aliis veteris Testamenti Sanctis, singulari priuilegio gaudebat: siquidem ei Dominus non per signa, sed per vocem de Propitiatorio respondebat, vt patet. Numer. cap. 7.

VSVS LAPILLORVM SVPERHVMERALIS ET RATIONALIS.

vers.89.& Prophetis quidem in visione apparere, vel per somnia loqui solebat, Moysi autem, qui erat fidelissimus, ore ad os loquebatur: & ipse palàm, & non per ænigmata & figuras, videbat Dominum, vt ipsemet testatur Numer. cap.12. vers. 6. & sequentibus; quod quomodo intelligendum sit, suprà num. 52. exposuimus. Appropinquante verò morte ipsius Moysi, præcepit ei Dominus, vt pro se substitueret ministrum suum Iosue, in ducem populi, daretque ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ suæ, Numer. cap.27.vers.18.vsque ad finem capitis. Inter alia autem præcepta, quę Deo mandante reliquit Moyses ipsi Iosue, illud fuit, vt quotiescumque quid magni momenti agendum esset, recurreret ad Eleazarum Sacerdotem & Pontificem maximũ, qui Aaroni successerat, & per ipsum consuleret Dominum, & ad verbum eius ingrederetur & egrederetur ipse, & omnes filij Israël cum eo, & cetera multitudo (sic enim loco proxime citato expressum est) id est, vt tam ipse Iosue, quàm ceteri de populo, nihil difficile aggredi auderent, nisi priùs consulto per Pontificem Domino. Ex quibus apparet (vt hoc quoque hic obiter adnotemus) longe maiorem fuisse gloriam Moysi, quàm Iosue: illum namque Dominus per semetipsum de agendis edocebat, hunc verò per Eleazarum: vt propterea non otiosè dictum sit Moysi: *Et dabis ei partem gloriæ tuæ*. Fuit etiam maior gloria Moysi, quàm Aaronis & posterorum eius; quia illi per vocem, istis per signa respondere consueuit Dominus, vt non multò pòst ostendemus. Quæ omnia mysticè præmonstrabant eminentiam gloriæ Christi, super omnes eius Vicarios, Ecclesiæ prælatos, quibus tamen partem gloriæ suæ dare solet, ad ipsius Ecclesiæ regimen, sanctamque directionem. Exinde ergo, videlicet post dictum Moysi mandatum successori suo Iosue relictum, inualuit apud Hebræos consuetudo, vt non solùm Reges ipsorum, Duces ac Principes; sed etiam multi de populo, in rebus grauibus dubiisque ad Sacerdotem seu Pontificem recursum haberent, vt pro eis Dominum consuleret. Extant de hoc nonnulla in Scripturis sacris exempla, quæ hic adferre necessarium est. Legimus 1.Reg. cap.22.vers.10.& 15. de Achimelech, qui delatus ad Saulem, quòd pro Dauide consuluisset Dominum, respondit Regi: *Num hodie cœpi pro eo consulere Deum?* & cap. 23. habemus, eumdem Dauidem non semel consuluisse Dominum per Abiathar Sacerdotem filium dicti Achimelech; qui post occisum à Saule patrem suum aufugerat ad Dauidem, secumque asportauerat Ephod Pontificale, vt ibidem vers. 6. traditur. item ex cap.28. vers. 6. colligitur, Saulem Regem consuluisse Dominum per Sacerdotes. sed & cap. 30. vers. 7. dicitur, quòd Dauid per memoratum Abiathar consuluit Dominum, num persequi deberet latrunculos. Et hæc pro nunc exempla sufficiant.

QVOMODO OLIM CONSVLERE SOLERENT DOMINVM.

87. Quomodo autem fieri soleret ista consultatio, videtur ex Iosepho manifestè colligi posse; is enim 3. Antiq.c.9.ita scribit: *Nunc illud succurrit, quod in mentione Sacerdotalis ornatus omissum non oportuit: nam eo vestis omnem sub prophetiæ prætextu impostrarum occasionem ademit his qui illa vtebantur; liberumq́; Deo vel adesse Sacerdotibus, vel non, omnibus & popularibus demonstrauit, & exteris, si qui fortè huic spectaculo interuenirent. Ex lapillis enim, quos Pontifex in humeris gestabat (sardonyches erant, quorum naturam nulli non notam narrare superuacuum puto) micabat alter, quoties litatum esset, is qui dextrum humerum occupabat; tantumq́; fulgorem emittebat, vt procul etiam intuentibus conspiceretur: idq́; præter naturam suam & consuetudinem: quod certè admirationem meretur apud omnes, nisi si qui ex contemptu religionis, sapientiæ opinionem aucupantur. Sed mirabilius est quod nunc dicturus sum: Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas Essen i gestat, in bello victoriam prænuntiare Deus solebat. Nam priusquam exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innotesceret, adesse Deum, opemq́; & auxilium suum innocentibus esse allaturum. Quapropter Græci, quotquot à nostra religione non abhorrent, cùm hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita vt negari non possit; Essena vocant λόγιον, hoc est Oraculum. Desiit autem tam Essen quàm sardonyx fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter Legum suarum violationem.* hucusque Iosephus. Ex cuius verbis manifestum est, quòd per hos lapillos consueuerat Deus occulta pandere, & futuros rerum euentus prænuntiare. Etenim, quando post oblata sacrificia lapillus qui in dextro Pontificis humero positus erat, fulgentiùs solito micabat; indubitabile signum astantibus præbebat, quòd Deus sacrificia illa accepta habuerat, & per illa placatus sese ostendebat erga populũ. Quando verò in rebus dubiis; puta, an bellum esset suscipiendum, seu cum hoste pugnandum, aut quid aliud arduum & periculosum foret aggrediendum, consulebat Pontifex Dominum, indicabat ei per signa ex lapillis in Rationali existentibus mirabiliter prodeuntia,

deuntia, quid agere deberent. Quandoquidem, quotiescumque videbantur extraordinariæ quædam ac præternaturales ex lapillis micare coruscationes; intelligebant, Deum petitionibus ipsorum annuere, atque eis prospera prænuntiare: contrà verò, si eos minùs obscuriúsve consueto fulgere aduertebant, aduersa: sin autem solitum dumtaxat ac naturalem splendorem emittere; dubia atque omnino incerta: talique signo indicabat Dominus, se nolle respondere; & sic credimus accidisse, quando Saul consuluit Dominum per Sacerdotes, vt paullò pòst dicemus. Sanè quòd sic fieri soleret ista consultatio, nimirum per obseruationem radiationis gemmarum in Rationali existentium, etiam ex quibusdam sacræ Scripturæ locis quodammodò elici ac deduci posse videtur: nam 1. Reg. cap. 23. vers. 9. & cap. 30. vers. 7. vtrobique exprimitur, quòd quando Dauid volebat consulere Dominum per Abiathar Sacerdotem, dicebat ei: *Applica Ephod.* Quid est enim dicere, *Applica Ephod?* nisi, Indue citò Superhumerale pontificium, quod annexum habet Rationale, vt eo mediante intelligere valeamus sensum Domini, in re de qua nunc ambigimus. Ecce quod suprà num. 85. dicebamus, nonnumquam in Sacris libris nomine Ephod significari etiam Rationale. Præterea in eiusdem libri cap. 28. vers. 6. vbi dicitur, Dominum non respondisse Sauli ipsum multis modis consulenti, *neque per Sacerdotes;* Chaldaica Paraphrasis habet, *neque in luminibus,* vt videre est in Bibliis Regiis: & in textu Hebraico (vt notant Glossa Ordinaria & Caietanus, & alij) habetur, *Phaürim,* hoc est, *neque per Vrim,* quod erat in Rationali. Hoc si verum est, oportet supponere, Saulem post fugam Abiathar Sacerdotis ad Dauidem, aut iussisse fieri aliud Ephod pontificium cum suo pariter Rationali, & per alium Sacerdotem in eo consuluisse Dominum; aut fortè hoc non contentum, insuper etiam misisse clàm amicos, nempe quosdam de Sacerdotibus ad Abiathar, qui secum tulerat Ephod olim à Moyse factum, rogantes, vt si non pro salute Saulis, qui patrem suum occiderat, saltem pro communi tutius populi Israelitici bono, consuleret etiam in Ephod Moysaico, quod in maiori habebatur honore ac reuerentia, Dominum; quo annuente, ac coram ipsismet id faciente, nihil à Domino fuisse obtentum: & proptereà dici, quòd neque per Sacerdotes respondere voluit Dominus Sauli. Porrò voce *Vrim* significari pretiosos Rationalis lapillos, testatur Lyranus, qui exponens illud Exod. cap. 28. vers. 30. *Pones autem in Rationali iudicij Vrim & Tumim* (sic enim habet lectio Hebraica, siue, quemadmodum interpretatur editio Vulgata) *Doctrinam & Veritatem,* ait, per hæc verba intelligendos esse dictos lapillos, quatenus per ipsorum fulgorem manifestabatur doctrina & veritas, id est vera indicatio eorum quę agenda erant secundùm Dei beneplacitum. Et reverà, non videtur aliud posse dici: nam qui fieri potest, vt doctrina & veritas, quæ supponunt subiectum intelligibile, in insensibili panno reponi præcipiantur? Oportet igitur per Vrim & Tumim, siue per Doctrinam & Veritatem, hoc loco materiale aliquid accipere. vnde non defuerunt qui arbitrati sunt, scripturam aliquam, seu picturam, vel laminas aliquas perlucidas, aut quid aliud simile instar speculi tersum, intra duplicatum illum Rationalis pannum fuisse repositum, quod doctrinam quoquomodò ac veritatem intuenti Sacerdoti indicare posset. Sed hoc falsum putamus: quandoquidem nihil aliud præter memoratas gemmas in Rationali extitisse, Sacra eloquia Iosephusque commemorant; neque quòd Pontifex quidquam de Rationali depromeret intuendum, quando Dominum consulebat, vsquam insinuant. Quocircà proculdubiò tenendum putamus, ipsasmet gemmas nomine Vrim & Tumim, seu Doctrinæ & Veritatis, esse significatas, & Scripturam sacram loco citato figuratè ac metaphoricè loqui, translatione nimirum deducta à re significante ad rem significatam. Sicuti enim quandoque cibum & potum vocare solemus victum, & (vt vulgò dicitur) victualia, quia cibo & potu viuimus: ita Moyses appellauit Doctrinam & Veritatem lapillos illos, per quos agendorum doctrina & veritas manifestanda erant. Et eadem ratione ibidem quoque pannum gemmis decoratum, pariter ab effectu nuncupare voluit, Rationale iudicij: quoniam illo mediante, vt dictum est, dirigebat Dominus rationem iudiciumque Pontificis, vt de rebus incertis atque occultis interrogatus, sine vllo errore posset respondere, & fideliter quid faciendum esset indicare.


88. Ceterùm non ignoramus, Abulensem super 1. Reg. cap. 23. quæst. 7. aliqualiter prædictis aduersari: nam licet, vbi disputat de modo quo quæstiones dissoluendæ à consulentibus Dominum proponerentur, optimè impugnet ac reiiciat opinionem cuiusdam Rabbini, arbitrantis quòd quæsita scripto proponi solerent, & eiusdem scripti schedula mitteretur in Rationali; & quòd quando posteà educebatur, in ea reperiretur ABVLENSIS OBIECTA DILVVNTVR

periretur responsio mirabiliter subscripta: tamen ipse Abulensis tenet, quòd per illam gemmarum radiationem propositis quæstionibus responderi non posset. Mouebatur autem iste Auctor ad sic opinandum, quia putabat, quòd olim Hebræi, variis in occasionibus ac difficultatibus, indistinctè Dominum consulerent, postulantes quidnam facto opus esset, & qua ratione ingruentibus malis ac periculis occurrere deberent. Quod si verum esset, proculdubiò non per solum gemmarum fulgorem responsa dari potuissent; sed aut scriptura, aut humana voce opus fuisset, ad ea quæ agenda essent articulatim proferenda, vel certè interna quadam Dei inspiratione ac suggestione eidem Pontifici facta, de qua nihil certi astruere possumus. Verumenimuerò, non sic putamus Deum olim Hebræorum quæstitis respondere consueuisse; quin potiùs voluisse, vt in rebus dubiis ac difficillimis priùs ipsi quod in se esset facerent; nimirum, tamquam homines ratione præditi, vt naturali lumine atque humano iudicio consilioque vterentur, prudentiores interrogarent, de agendis inter se consultarent, disquirerent, ac deliberarent: posteà verò, scientes verissimum illud esse, quod Sapientiæ cap. 9. vers. 14. dicitur: *Cogitationes hominum timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*. quia nimirum, etiam post prædictas consultationes, non semper scire poterant, num quod ipsis faciendum videbatur, puta, bellum indicere, aut oblatum suscipere; cum hoste pugnare, aut ad tempus cedere; vel quid simile aggredi seu moliri omnino expedire; & si id facerent, an res ex sententia eis succederet; proptereà volebat Deus, vt præmissis quæ diximus, per Sacerdotem Ephod pontificio indutum, quod Rationale adiunctum habebat, consulerent Dominum, interrogantes, num quæ ipsis facienda videbantur, exequi deberent, an non; id est, si consilia ipsorum probaret, nec ne: quod vtique nihil repugnat, prædicto gemmarum coruscationis signo indicari potuisse. Quin etiam talis edocendi ac persuadendi ratio videtur fuisse ingenio illius nationis valdè accommodata; vtpote quæ, tamquam incredula, signis potissimùm delectari solerer, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 1. vers. 22. *Iudæi signa petunt*. Neque verò prædictis reluctatur, quòd quando (vt traditur 1. Reg. cap. 23. vers. 2. & 4.) *consuluit David Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos*, & (quod ibidem subintelligendum est) saluabo Ceilam? responderit Dominus: *Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis*; & post pauca, iterùm sciscitanti respondent Dominus: *Surge, & vade in Ceilam*, &c. Siquidem hæc & similia, quæ in eodem capite leguntur responsa, non immediatè à Domino per eiusmodi voces, sed per præfata lapillorum signa facta fuisse putanda sunt, voces autem illas, visis signis, à Sacerdote tamquam Domini interprete, in persona eius fuisse prolatas: alioqui sequeretur; (contra ea quæ ex aliquot sacræ Scripturæ locis suprà num. 86. probauimus) nihil inter Moysen, cui Dominus non per alia signa, sed per verba loquebatur, & ceteros Dominum consulentes, fuisse discretum. Sed neque in hisce exemplis de Dauide adductis, necessarium est credere, ipsum per se consuluisse Dominum, sed per Abiathar Sacerdotem, quemadmodum cap. Regum proximè citato vers. 9. explicatur illis verbis: *Dixit Dauid ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod*. Ex quibus, idem quoque in superioribus eiusmodi exemplis dictum fuisse, subintelligi debere colligi posse videtur. Neque item obstat, quòd ibidem & ipsa interrogatio in persona Dauidis, & eidem Dauidi diuina responsio facta esse describatur: quia constat, quod quæ quis per alium facit, per se ipsum facere videtur; & quæ quis alicui per alterum loquitur, tamquam per se ipsum loqui censetur. Sic Matthæi cap. 8. vers. 5. dicitur Centurio accessisse ad Christum, & Christus Centurioni locutus: cùm tamen & Centurio per amicos accesserit, & Christus per eosdem Centurioni respondisse dicatur, Lucæ cap. 7. vers. 6. Nisi fortè quis dixerit, non esse inconueniens admittere, Dauidem, tamquam Prophetam Domini, interdum non per Sacerdotem, sed per seipsum consuluisse Dominum; & ab eo immediatè responsa accepisse, vt videtur colligi posse 1. Reg. cap. 30. vers. 7. vbi legimus, quòd Dauid dixit ad Abiathar Sacerdotem: *Applica me ad Ephod. & applicauit Abiathar Ephod ad Dauid; & consuluit Dauid Dominum, dicens*, &c. Et hæc de Rationali dicta sufficiant; si tamen adhuc vnum addiderimus. Quòd si quis contendat, Dominum aliquando etiam non per præfata in Rationali micantia signa, sed per internas inspirationes vel Sacerdoti factas, & per ipsum consulenti explicatas, vel ipsimet consulenti inditas, quemadmodum posteà sanctæ Iudith pro populo suo Dominum deprecanti cap. libri eius 9. euenisse credimus; aut aliter setuis suis voluntatem suam manifestasse: certè id negare neque volumus, neque valemus. Sed neque, si hoc quandoque accidit, vllatenus præmissis aduersatur: nam quæ hactenus de fulgore gemmarum in Rationali

tionali existentium dicta sunt, ad communiorem magisque olim vsitatũ modum consulendi Dominum, & ab eo responsa dandi & accipiendi pertinere censenda sunt.

89. Restat hic aliquid subiungere de Balteo & Tiara Pontificia, quæ Balteis ac Tiaris Sacerdotalibus similia fuisse creduntur; excepto quòd zona Pontificis non solùm variis coloribus, vt zonæ Sacerdotales, sed insuper auro quoque, vt ait Iosephus, distincta erat; quemadmodum de superhumerali & Rationali dictum est. quod etiam quoquomodò videtur indicasse Scriptura Exod. cap. 39. vers. 2. illis verbis: *Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho,* &c. & vers. 5. *Et balteum ex iisdem coloribus, sicut præceperat Dominus.* Habebat præterea Balteus Pontificius in vtraque summitate, ad maiorem ipsius ornatum, fimbrias quibusdam veluti fistulis aureis inclusas, vt idem refert Iosephus, cuius verba sunt hæc: *Esseni* (hoc est Rationali) *assuta erat zona, iam dictis coloribus & auro distincta, quæ totum complexa, rursumque supra suturam nodata, deorsum propendere sinebatur: omnes autem fimbriæ aureis fistulis ab vtroque capite includebantur.* hæc Iosephus. Ex cuius verbis apparet, decipi Ariam Montanum & alios, qui Pontificalem zonam ad pectus Pontificis vna tantùm vice circumductam, & in parte anteriori, fibula aurea constrictam, & item parumper ab ipsa fibula prominentem picturis fingunt: cùm potiùs (quemadmodum ex adducto Auctore, teste oculato, patet) esset circa Pontificem duplicata; & non fibula, sed nodo adstricta, ac denique sub nodo admodum longa, vt propendere sineretur. DE BALTEO PONTIFICALI.

90. Tiara autem Pontificia in multis à Sacerdotalibus diffidebat, nimirum in lamina aurea, & in vitta hyacinthina, qua ad caput alligabatur, vt traditur Exod. cap. 28. vers. 36. & sequentibus, & præterea in magnitudine, in colore, in corona, & in calyculis super ipsam existentibus, vt ex Iosepho manifestum est, qui accuratiùs Pontificalem describens Tiaram, ait: *Porrò pileo, quali ceteri Sacerdotes,* (& loquitur de Pontifice) *vtebatur: super quem extabat alius consutilis, ex hyacintho variatus. hunc aurea corona triplici ordine circumdabat; in qua spectabatur calyx aureus, qualem videmus in herba, quæ apud nos vocatur daccharus, apud Græcorum Herbarios hyoscyamus.* Et post huius herbæ descriptionem, quam nos tamquam notam, & apud Andream Matthiolum effigiatam hic omittimus, subiungit: *Eiusmodi corona ab occipitio circum tempora vtraque procedebat: nam frontem limbus non ambiebat, (sic enim vocetur calyx) sed lorum quoddam latum aureum, quod sacris characteribus Dei nomen incisum habebat.* sic Iosephus. Erat igitur Cidaris Pontificia à Sacerdotalibus diuersa in hoc, quòd istæ erant paruæ, & totæ byssinæ; illa verò super pileum Sacerdotalem habebat alium consutilem, & hyacintho variatum; qui prioris augebat magnitudinem. Item, coronæ Sacerdotales erant simplices, & byssinæ; Pontificia verò, aurea, & triplicata, & insuper circum tempora & occiput nonnullis calyculis aureis ornata; in fronte autem auream habens laminam, in qua insculptum erat, vt ait B. Hieronymus, nomen Dei Hebraicis quattuor litteris, quæ sunt Iod, He, Vau, He; quod apud illos ineffabile nuncupatur. Denique in posteriori parte habebat vittam non albam, vt Sacerdotales, sed hyacinthinam, qua ad caput ipsa Cidaris adstringebatur, vt decidere nullo modo posset. Et hactenus de indumentis Sacerdotalibus ac Pontificiis, quorum insertum hic typum contemplari quisque poterit, disseruisse sat sit. DE TIARA PONTIFICIA.


PONTIFICVM ET SACERDOTVM
AARONICI ORDINIS
SACER HABITVS.

91. Vnum adhuc tantùm remanet ex omnibus ad diuinum cultum pertinentibus, quæ facienda mandauit Moyses præfato Beseleel, videlicet, Oleum sacræ vnctionis, quo cuncta superiùs recensita, à Moyse postmodum inungenda erant, ac Domino consecranda, vt infrà suo loco indicabimus. Huius olei compositio describitur Exodi cap. 30. vers. 22. & sequentibus, vbi etiam de prædicta vnctione facienda fit mentio, & insuper sub exterminationis pœna cauetur, ne quis eiusmodi olei compositionem sibi ad proprios vsus parare adhibereve audeat, nec alieno tradere. Ceterum, Tabernaculi, & aliorum quæ iussit Dominus per Moysen in eo fieri, rationes, tum litterales, tum mysticas, vide, si libet, apud S. Thomam 1. 2. quæst. 102. art. 4. per totum. DE OLEO SACRAE VNCTIONIS.


92. Sub finem eiusdem anni primi exitus populi de Aegypto, cùm sex ferè mensium spatio prædicta omnia à delectis artificibus perfecta absolutaque fuissent, præcepit Dominus Moysi, vt die prima anni secundi erigeret Tabernaculum, poneretque in eo Arcam, & ante eam velum; deinde Mensam propositionis, & Candelabrum cum suis lucernis, & Altare incensi, & tentorium in introitu Tabernaculi; & ante ipsum, Altare holocausti, & Labrum, clauderetq; tentorio Atrium: & vt applicaret Sacerdotes lotos aqua, & indutos vestibus sanctis, ad fores Tabernaculi, vt ministrarent Domino; ac demum, vt omnia vnctionis oleo consecraret: Exod. cap. vlt. vers. 1. vsque ad 15. MANDATVM DE ERECTIONE TABERNACVLI AC ARTIS SANCTI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2545. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 2.

1 ANNO igitur secundo exitus de Ægypto, die prima mensis primi, vt dicitur Exodi cap. vlt. vers. 15. & tradit etiam Iosephus 3. Antiq. cap. 9. erexit Moyses Tabernaculum testimonij, & Atrium sanctum, intulitque in illud omnia, & singula suis locis collocauit ac disposuit, prout iusserat Dominus. Inprimis verò Arcam testamenti in qua posuit testimonium, hoc est tabulas Legis quas à Domino acceperat, vt dicitur etiam 3. Regum cap. 8. vers. 9. Puto autem tùnc quoque Aaronem posuisse in Sancta Sanctorum coram Domino vas illud manna repletum, quod apto loco reposuerat, sicuti præceperat ei Moyses Exodi cap. 16. vers. 33. & nos sub anno mundi 2544. num. 32. adnotauimus. His ergo omnibus aptè compositis, quemadmodum aliquatenus in graphide hìc subiungenda conspici potest, Moyses Tabernaculum ipsum, & cuncta in eo contenta, videlicet Arcam, Altare incensi, Mensam, Candelabrum; & similiter extra ipsum existentia, Altare holocausti, Labrum; ipsos quoque Sacerdotes, & vniuersa vasa, vtensilia, ac supellectilia ad Dei cultum parata, sanctificauit, vnxitque oleo illo sanctissimo, cuius in præcedenti anno num. 91. meminimus: quibus peractis, statim operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat; à vespere autem vsque manè, super tentorium erat quasi species ignis: & ita deinceps interdiu nubes, noctu verò species ignis iugiter super ipsum à cunctis conspiciebatur. Manebant ergo Israelitæ semper in eodem loco, donec videbant nubem, vt dictum est, pendentem super Tabernaculum, ipsumque protegentem: quandocumque autem illa deserebat Tabernaculum, tunc proficiscebantur per turmas suas: & quandocumque illa redibat ad Tabernaculum, & super ipsum stabat, tunc & ipsi, figentes tentoria, morabantur: Exodi cap. vlt. vers. 15. vsque ad finem, & item Numer. cap. 9. vers. 15. vsque ad finem. ORATRIS TABERNACVLI QVE SANCTI ERECTION ET SANCTIFICATIONE. MOYSES CONSTITVIT AARONEM ET FILIOS EIVS SACERDOTES.

2. Eodem

ATRII SANCTI, AC TABERNACVLI FOEDERIS ORTHOGRAPHIA



2. Eodem die primo anni secundi, Moyses erecto Tabernaculo, dispositisque & ritè compositis in eo omnibus quæ mandauerat Dominus, ante omnia (vt arbitror) segregauit Aaronem fratrem suum, filiosque eius, Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar, ab omni populo, & constituit eos Sacerdotes Domini, quemadmodum præceperat ei Dominus Exodi cap. 28. vers. 1. applicauitque omnes cultui diuino. & consequenter (vt benè probat Abulensis super Leuit. cap. 1. qu. 8. & fortiùs super eiusdem libri cap. 9. quæst. 1.) cœpit Moyses coram omni multitudine sollemniter celebrare expiationem Altaris holocausti, & consecrationem Aaron & filiorum eius in Sacerdotes Domini; quæ expiatio & consecratio, vt dicitur Leuit. cap. 8. vers. 33. septem diebus continuis perfecta fuit, hisce ritibus & cærimoniis, quas docuerat Dominus eumdem Moysen, quando prima vice stetit cum eo in monte quadraginta diebus & totidem noctibus. Has accuratiùs descriptas inuenies Exod. cap. 29. & Leuit. cap. 8. Item eademmet prima die (vt apertè traditur Num. cap. 7. vers. 1. & 10. & 88.) duodecim principes tribuum Israel obtulerunt munera Domino; primò omnes simul, plaustra tecta sex, & boues duodecim, nimirum singuli bouem vnum, & bini plaustrum vnum, quæ iubente Domino suscepit Moyses, quæ postea dedit Leuitis, vt suo loco dicemus. Deinde iidem principes ipsa die cœperunt offerre alia munera Domino per duodecim dies, singuli in die sua. quæ autem obtulerint, & quomodo, & quo ordine, fusiùs per recapitulationem capite proximè citato describuntur. Puto etiam Moysen eadem die, post holocausta & sacrificia in Altari holocautomatum, vt exprimitur Exodi cap. 40. vers. 27. oblata, ipsum Tabernaculum, & omnia vasa ministerij, sanguine vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea & hyssopo aspersisse, quemadmodum breuiter tangitur ad Hebr. cap. 9. vers. 21. & nos sub anno mundi 2544. num. 42. prænotauimus.

MOYSES CONSTITVIT AARONEM ET FILIOS EIVS SACERDOTES.

DE ALTARIS HOLOCAVSTI ET SACERDOTVM CONSECRATIONE.

3. Die eiusdem primi mensis octaua, consecratione Altaris Sacerdotumque absoluta, cœperunt nouelli Sacerdotes, Aaron & filij eius, iubente Moyse, munia exercere Sacerdotalia in Tabernaculo, accendentes & concinnantes lucernas, vt dicitur Exodi cap. vlt. vers. 23. & clariùs Numer. cap. 8. vers. 1. vsque ad 6. & ponentes panes in Mensa propositionis, adolentesque thymiama super Altare incensi, vt tangitur Exodi cap. vlt. vers. 24. & 25. item extra Tabernaculum offerentes victimas Domino. Prima autem sacrificia pro peccato, & pacifica, & in holocaustum, quæ obtulerunt, & oblationum modus, accuratè describuntur Leuit. cap. 9. per totum; vbi in fine additur, quòd ad confirmationem (vt creditur) diuinæ ipsorum electionis in Sacerdotes, placuit Deo manifestare gloriam suam omni multitudini, in igne, qui mirabiliter *egressus à Domino, deuorauit holocaustum, & adipes qui erant super altare; quod cùm vidissent turba, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas.* Exinde verò Moyses creditur numquam ampliùs Sacerdotis officio functus, sed id muneris reliquisse Aaroni & posteris eius, tamquam ad id specialiùs à Deo electis. Ipse tamen cùm esset totius populi princeps, ac proptereà teneretur eidem prouidere de cunctis quæ ad bonam eius directionem pertinerent: & item, quia de pluribus ab eodem populo interrogari solitus erat, quæ non nisi ipsius Domini oraculo discere poterat: ideò quotiescumque opus esset consulere Dominum, ipse qui non solùm erat Sacerdos, sed etiam Propheta, ingrediebatur (vt priùs consueuerat) Tabernaculum fœderis in Sancta Sanctorum; vbi de Propitiatorio, quod erat super Arcam testimonij inter duos Cherubim, loquebatur ei Dominus, atque ad eius postulata respondebat, vt apertè colligitur Num. cap. 7. in fine.

AARON ET FILII EIVS INCIPIVNT MVNIA EXERCERE SACERDOTALIA.

PRIMA SACERDOTVM HOLOCAVSTA, IGNE CÆLITVS DELAPSO, ABSVMPTA.

4. Eadem die octaua (vt asserit Abulensis super Leuit. cap. 9. & ex eodem capite nos quoque paulò pòst probabimus) accidit miraculosa illa combustio Nadab & Abiu filiorum Aaron, qui cùm ausi essent contra præceptum Domini ponere in thuribulis ignem alienum, id est non sacrum, & non sumptum ex illo igne cælitus dato, qui, vt num. præcedenti dictum est, holocaustum in altari mirabiliter deuorauerat; de quo etiam creditur Dominus præcepisse Leuit. cap. 6. vers. 12. vt iugiter nutriret eum Sacerdos, subiiciens ligna manè per singulos dies; ita vt esset perpetuus, & numquam in altari deficeret: cùm (inquam) non ex hoc igne, qui sacer erat; sed ex igne alieno & profano, quo vtebantur laici ad coquendas carnes hostiarum pacificarum, posuissent in thuribulis, vt adolerent in eo thymiama super Altare incensi: egressus mirandum in modum ignis à Domino, statim interfecit eos. Quod vt audiuit Moyses, confestim iussit efferri corpora ipsorum extra castra, præcepitque Aaroni & reliquis filiis eius, Eleazaro & Ithamar, ne lugerent eos, & ne egrederentur fores Tabernaculi; & ita fece-

NADAB ET ABIV IGNE MIRABILITER CONSVMPTI.

fecerunt. Interim autem Aaron in tanto mœrore positus, accepit per diuinam reuelationem præceptum sempiternum à Domino, ne ipse & posteri eius biberent vinum neque aliquid aliud quod inebriare posset, quando ingressuri essent in Tabernaculum ad munera sua ibidem exercenda, ne & ipsi ibidem interficerentur. ex quibus verbis quidam (quidquid contradicat Abulensis) non inepte colligunt, quòd Nadab & Abiu excesserant bibendo; & propterea immemores diuini præcepti, quod ipsis priùs datum fuisse, non debemus ambigere, illud transgressi, & à Domino percussi, occubuerunt. Docuit posteà Moyses nouellos Sacerdotes, Eleazarum & Ithamar, qui ab incendio remanserant, vt portionem victimæ pacificæ ipsis à Domino assignatam, nimirum pectus & armum, comederent sine fermento in loco sancto. Ac deinde, cùm acriter reprehendisset Aaronem, quòd hircum pro peccato eadem die oblatum non comedisset, sed comburi iussisset, ille sese purgauit, dicens se non potuisse comedere ob nimium mœrorem, quem illa die senserat ex inopinata filiorum amissione. ex quo satis manifestè infertur, vt paulò antè dicebamus, Nadab & Abiu eademmet die fuisse interfectos, quo prima Deo sacrificia obtulerant. Porrò, si quis quærat de matre memoratorum quattuor filiorum Aaronis; meminerit quæ Exod. cap. 6. vers. 23. habentur in hæc verba: *Accepit autem Aaron vxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Nahason, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.*

PRÆCEPTVM ABSTINENDI A VINO, CVR DATVM SACERDOTIBVS.

ELISABETH VXOR AARONIS.

MOYSES MONET POPVLVM, VT PARET AGNOS PASCHALES.

5. Per idem tempus oportet Moysen, Deo mandante, Numer. cap. 9. versio. 1. monuisse populum, vt pararent Agnos Paschales, & cetera quæ opus erant pro Phase celebrando die decimaquarta huius primi mensis, iuxta ritum à Deo traditum Exodi cap. 12. Nam si dictos agnos tollere tenebantur die decima mensis, & seruare eos vsque ad diem decimamquartam: proculdubiò oportet, vt saltem biduo antè monerentur.

DOCETVR RITVS EXPIATIONIS SANCTVARII.

6. Probabile item est, eodem quoque circiter tempore, videlicet post mortem prædictorum duorum filiorum Aaron, vt dicitur Leuit. cap. 16. vers. 1. mandasse Dominum Moysi, vt præscriberet Aaroni recenter initiato & successoribus eius, quando, & quomodo, & quibus cæremoniis ingredi deberent in Sanctuarium, hoc est in Sancta Sanctorum, ne & ipsos mori contingeret; docuisseque ritum expiandi ipsum Sanctuarium, & Tabernaculum, & Altare, ac dimittendi caprum emissarium in deserto, celebrandique festum Expiationis. quæ omnia latiùs describuntur in toto Leuit. capite proximè allegato.

DE LEVITARVM SEGREGATIONE, ET CONSECRATIONE.

7. Post Sacerdotes, vt dictum est, initiatos, atque in officium introductos, & incendio interemptos Nadab & Abiu, credimus segregatos à populo fuisse Leuitas, & ad inseruiendum Sacerdotibus in cultu diuino deputatos; vt colligi potest Numer. cap. 3. vers. 5. vbi post prædicta ibidem breuiter repilogata, subiungitur Domini præceptum de ipsorum Leuitarum separatione facienda: & cap. 8. vers. 5. vbi post Sacerdotales quasdam functiones, ab Aarone tunc primùm exerceri cœptas, repetitur idem Domini præceptum Moysi factum, de Leuitis à reliquo populo segregandis, atque ad Tabernaculi ministeria applicandis. Quod & re ipsa factum fuisse traditur ibidem vers. 20. 21. & 22. & ratio quoque ipsa dictat, post Sacerdotum consecrationem, ipsam item electionem & consecrationem Leuitarum, qui pariter in multis ad Sacerdotum imperia diuino cultui deseruire debebant, non fuisse dilatam. Nec obstat, quòd memorata Leuitarum segregatio, post totius populi Israëlitici dinumerationem, quæ Numer. cap. 1. cœpta dicitur die primo mensis secundi anni secundi, scripta reperiatur: quia quemadmodum quæ in toto cap. 7. narrantur de oblationibus, quæ fecerunt principes tribuum, certum est, ibidem per recapitulationis figuram, vt suprà num. 2. diximus, esse narrata; ita & quod de separatione Leuitarum in cap. 4. & 8. describitur, quemadmodum rationes adductæ probant. Non est etiam, quòd quis in dubium vocet quæ diximus de tempore segregationis Leuitarum, ex eo quòd (vt quidam Hebræi ex Deuter. cap. 10. vers. 8. colligunt) non nisi post Aaronis obitum ipsa Leuitarum separatio facta esse videatur: quoniam illa Deuteronomij verba, *Eo tempore separauit tribum Leui.* & quæ sequuntur, non sunt referenda ad immediatè præcedentia, vbi de quibusdam locis, ad quæ profectus fuerat populus post egressum de Sinai, & de obitu Aaronis, & de Eleazaro eidem suffecto fit mentio (hæc enim ibi quodammodò obiter interposita videntur, sicuti sæpè aliàs solet Scriptura sacra eiusmodi interpositiones facere, quod nos alibi non semel adnotauimus:) sed referri debent ad ea, quæ paulò superiùs in eodem cap. vers. 5. dicta fuerant, de tabulis Decalogi per Moysen in Arca repositis; quod proculdubiò inter Tabernaculi erectionem, & Altaris Sacerdotumque consecrationem

nem contigisse dubium non est, vt nos suprà num. 1. posuimus. Eo quippe tempore, post erectum Tabernaculum, repositasque in Arca tabulas, paucis quibusdam expeditis, quæ nos à num. 2. ad 7. retulimus, statim fieri cœpit segregatio Leuiticæ tribus à reliquis, & Leuitarum consecratio atque applicatio diuinis ministeriis, prout iusserat Dominus. Et hoc pro indubitato supponendum est; alioqui sequeretur absurditas maxima, nimirum eosdem Leuitas munia sua exercuisse per annos triginta & octo priusquam ad ipsa delecti, consecrati, applicatique fuissent: siquidem certum est, Aaronem obiisse anno ab exitu de Ægypto quadragesimo; Leuitas autem vsque ab eo tempore quo profectus est populus de Sinai, nempe anno dicti exitus secundo, die vigesima mensis secundi, deferre cœpisse, ac deinceps per illas solitudines tulisse Tabernaculum fœderis, & omnia ad ipsum pertinentia, vt suis locis dicemus: quod proprium erat ipsorum munus, eis à Moyse assignatum.

8. Porrò memoratum Dei præceptum de Leuitis à populo segregandis, hoc (vt reor) ordine executioni mandatum fuit. Nam post renuntiatam populo diuinam ipsorum Leuitarum electionem, loco primogenitorum totius populi Israel, quos idem Dominus in exitu Israelis de Aegypto sibi reseruauerat, quemadmodum traditur Exodi c. 13. eò quòd ad Israelitarum fauorem cuncta Ægyptiorum primogenita occidisset: continuò recensita est tribus Leui, ab vno mense & supra; inuentique sunt Leuitæ viginti duo millia. Deinde pariter ab vno mense & supra, collecta fuit summa omnium primogenitorum populi Israel: quæ quia ad viginti duo millia ducenta septuaginta tria ascendere deprehensa est, pro æqualitate constituenda, protinus redempta fuerunt ducenta septuaginta tria primogenita, pretio siclorum quinque per singula capita; & tota hæc pecunia data fuit Aaroni & filiis eius. Quibus peractis, ventum est ad eorumdem Leuitarum lustrationem ac consecrationem, ritu cæremoniisque Num. cap. 8. registratis, & successiuè traditi sunt ipsi Aaron & filiis eius, vt ad ipsorum iussa, functiones suas exercerent. Ac denique, facta triplici distinctione ac denominatione, à tribus ipsorum primogenitoribus filiis Leui, Caath, Gerson, & Merari deducta; singulis onera sua & munia, de quibus infrà num. 15. fusiùs agemus, partita atque assignata fuerunt; ea nimirum lege, vt quisque à vigesimo quinto ætatis suæ anno ad quinquagesimum deseruire teneretur: quamuis prima vice ad onera ferenda delecti fuerint tantummodò à triginta annis & supra. Itaque Caathitis, tamquam nobilioribus, propter Moysen & Aaronem, qui pariter & ipsi (vt patet Exod. cap. 6. vers. 18. & 20.) de Caath descenderant, data est cura ferendi nobiliora & sanctiora, videlicet Arcam fœderis, Mensam propositionis, Candelabrum aureum, & Altare incensi, cum omnibus ad singula pertinentibus; hac tamen conditione, vt illa non tangerent, sed nec vlla curiositate inspicere attentarent, quæ in Sanctuario erant, antequam inuoluta essent; alioqui scirent se morituros. Proptereà namque mandatum fuerat Sacerdotibus, id est, Aaroni & filiis eius, vt quotiescumque mouenda forent castra, ipsi dumtaxat ingrederentur Tabernaculum, & singula concinnè composita velamentis inuoluerent, mitterentque vectes, & efferrent; deinde filij Caath, ad mandata Eleazari filij Aaron, eadem baiularent, (accipimus hîc nomine filiorum Caath, omnes eius posteros, præter Aaron & filios eius, qui erant Sacerdotes, & proptereà à Leuitis distincti. Moyses item, tamquam omnium princeps, hîc excipitur; sed non filij eius, qui & ipsi numero Leuitarum stirpis Caath comprehendebantur, vt apertè colligitur 1. Paralip. cap. 23. vers. 14.) Gersonitis verò assignatum est munus asportandi cortinas Tabernaculi, & alia eius operimenta; & item cortinas Atrij, & omnia quæ ad Altare holocausti pertinebant. Et his, quemadmodum & Meraritis, præfectus fuit Ithamar, alter filius Aaronis. Onus autem Meraritarum erat deferendi tabulas Tabernaculi, & vectes eius, & columnas, earumque bases; item Atrij columnas, cum basibus, & paxillis, & funibus suis: Porrò numerus Leuitarum omnium, à triginta annis & supra, vsque ad quinquagesimum, ascendit ad octo millia quingenta octoginta: siquidem de filiis Caath inuenti sunt duo millia septingenti quinquaginta; de filiis Gerson, duo millia sexcenti triginta; de filiis Merari, tria millia ducenti. Quæ omnia promiscuè traduntur Num. cap. 3. 4. & 8. Et quia filij Caath, quibus sacratiora, eademque leuiora onera obtigerant, propriis ea humeris baiulare debebant; onera verò filiorum Merari duplo grauiora erant oneribus filiorum Gerson: proptereà Moyses, de sex illis plaustris, & duodecim bobus, quæ (vt suprà numero 2. diximus) principes tribuum obtulerant, nihil dedit Caathitis; sed Gersonitis duo tantùm plaustra, & quattuor boues; Meraritis verò plaustra quattuor, & octo boues: Numer cap. 7. vers. 1. vsque ad 10.

QVOMODO ET QVO ORDINE FACTA.

2750
2630
3200
8580

SECVNDVM PASCHA AB ISRAELITIS CELEBRATVM. 9. Die eiusdem mensis decima, oportet filios Israël præparasse sibi ritu præscripto agnos Paschales, prout paulò antè à Deo per Moysen fuerat moniti: die autem decimaquarta ad vesperam, eosdem agnos immolarunt: & ipsorum carnes igni assas, post solis occasum, cum azymis panibus & lactucis agrestibus, ceterisque legalibus obseruantiis, manducarunt. Atque ita secundum Pascha factum fuit in Sinai (primum namque in exitu de Ægypto celebratum fuerat) Numer. cap. 9. vers. 1. vsque ad 6. De sollemnitate autem Azymorum, quæ festò Paschæ iuncta erat, & septem consequentibus diebus celebrari debebat, nihil hîc Scriptura facta meminit, fortassis quòd tunc communiter fieri non potuerit: siquidem populus, loco panis, man comedere cogebatur. Quamuis necessarium videatur supponere, aliquam etiam tunc in populo, præsertim apud ditiores, triticeam extitisse farinam; siue ex ea, quam de Ægypto tulerant (quòd enim illa defecisse dicatur, quando cælitus datum est man; id non omnino, sed quòd ferè apud omnes defecerit, ritè accipi posse videtur:) siue ex ea, quam posteà ab Amalecitis, aut Madianitis, aliisve propinquioribus populis, aut in bello acquisierint, aut pretio comparauerint: alioqui non potuissent in illo deserto facere panes propositionis, coram Domino per singula Sabbata renouandos; nec collyridas, ac laganas, & libamentum de simila oleo conspersa, quæ tamen in consecratione Sacerdotum & Leuitarum oblata fuisse dicuntur, Leu. cap. 8. vers. 26. & Num. cap. 8. vers. 8. Sed neq; potuissent edere agnos Paschales cum panibus azymis: & tamen iussi sunt facere Phase iuxta omnes cærimonias eius, Numer. cap. 9. vers. 3. Itaque necesse quidem est, populum illum habuisse triticeam farinam in deserto, ad facienda quæ diximus; sed non est credibile, eos tantam habuisse, vt posset vniuersus populus septem diebus continuis vesci panibus azymis; & propterea probabile est, dictam sollemnitatem hîc in Sacro textu fuisse prætermissam; quòd ob farinæ defectum seu penuriam, à nemine hoc anno, vel à paucis tantùm fuerit celebrata. Et idem credi potest contigisse in toto reliquo tempore quo populus mansit in deserto.

QVAE A DOMINO DIDICERIT MOYSES MENSE I. ANNI 2. AB EXITV. 10. Per eadem circiter tempora, nimirum intra totum primum anni secundi mensem, oportet Moysen sæpiùs & interpolatis vicibus ac diebus cum Domino esse locutum in Tabernaculo testimonij, ab eoque multa, præter illa quæ hactenus tetigimus, didicisse; & præsertim ea, quæ habentur Numer. cap. 5. & 6. videlicet De leprosis aliisque immundis extra castra eiiciendis: De lege peccantium per negligentiam, quomodo satisfacere deberent: De primitiis offerendis: De legibus zelotypiæ: De lege ac consecratione Nazaræorum, ac Sacerdotali populorum benedictione: Item omnia præcepta cærimonialia, & quæcumque alia, quæ ipse Moyses posteà collegit ac scripsit in toto libro Leuitici: nam ex principio & fine eiusdem libri manifestè colligitur, quòd cuncta quæ in ipso Leuitici libro traduntur, audiuit Moyses à Domino in monte Sinai de Tabernaculo testimonij; ergo non ante primum mensem anni secundi: siquidem certum est, vt dicitur Exod. cap. vlt. vers. 15. quòd non nisi prima die eiusdem anni secundi erectum fuit Tabernaculum. Scimus etiam, historiam libri Numeri exordiri à prima die mensis secundi anni secundi; ergo quæ habentur in Leuitico, qui medius est inter finem Exodi & principium Numeri, acta sunt in toto primo mense; non continuatè, sed interpolatè, vt dictum est; quoniam in eodem mense plura alia, & præsertim ea quæ hucusque descripsimus, gesta fuisse, dubitare nemo potest.

DE LIBRO LEVITICI, CVR SIC INSCRIPTVS. 11. Et quoniam ad Leuitici librum peruenimus, operæpretium videtur, hîc aliqua ad ipsum pertinentia præmittere. Inscribitur verò liber iste, Leuiticus: quòd præcipuè ad tribum Leui, quatenus scilicet Sacerdotes & Leuitas complectebatur, directus esset. Nam cùm illa esset à reliquis segregata, & diuino cultui specialiùs dedicata, vt suprà num. 2. & 7. dictum est; decebat eamdem præ ceteris esse sacrorum rituum & cærimoniarum benè peritam, & omnes obseruantias legales adamussim callere, vt & officia sua ritè præstare, & alias tribus de his quæ ad Deum pertinerent, cùm opus esset, instruere posset: idcircò ad instituendos ipsos Leuitas, qui quodammodò futuri erant Legis, ac præcipuè cærimoniarum Magistri, vt colligi potest 2. Paralip. cap. 17. vers. 8. vbi Sacerdotes & Leuitæ mittuntur à Rege Iosaphat ad docendum populum; & cap. 19. vers. 11. vbi Leuitæ Magistri appellantur; prædictum librum Moyses scribere voluit, & Leuiticum inscribere, vt vel solo titulo admonerentur, debere illos hunc semper ad manus habere. Cùm igitur præcipua Sacerdotum ac Leuitarũ munia respectiuè essent, Sacrificia offerre, expiationes consecrationesque peragere, sacrorum locorum ac rerum curam gerere, easdemque cùm opus esset deferre, & populum Leges diuinas atque omnia ad Dei cultum pertinentia docere; rectè in primis septem Leuitici capitibus, va-

rij

QVAE IN EO CONTINEANTVR.

ij ritus, & plurimæ sacrificiorum oblationumque differentiæ, pro diuersitate causarum, præscribuntur: in octauo autem cap. & 9. 10. 16. 21. & 24. spectantia ad consecrationes & vnctiones sacras Sacerdotum, Tabernaculi, & supellectilis eius; & item quando quomodóve Sacerdotes in Sanctuarium ingredi, quæ in eo agere, quales ipsi esse, & à quibus abstinere deberent, & quam curam habere lucernarum, panum propositionis, & huiusce modi: in 12. verò, & tribus sequentibus capitibus, instruuntur qualiter expiationes quasdam facerent, puta, puerperij & puerperæ, hominis, domus, ac vestitus leprosi; viri seminis fluxum, ac mulieris menstrua patientis, & his similia: at in cap. 11. 17. 18. & 22. monentur à quibus abstinere teneretur vniuersus populus, nempe ab animalibus immundis, à sanguine, & morticinis, & ab illicitis ac vetitis coniugij gradibus: sanè in 19. 20. 24. & 27. habentur quæ agenda forent circa obseruantiam præceptorum Moralium, Cærimonialium, & nonnullorum quoque Iudicialium, nec nun circa decimarũ votorumque persolutiones, & eorumdem commutationes, redemptiones, ac æstimationes: in 23. autem & 25. Festa perpetuò obseruanda celebrandaque declarantur; videlicet Sabbati, Paschæ, Pentecostes, Tubarum, Expiationis, Tabernaculorum, Cœtus seu Collectæ, necnon anni septimi Sabbatismus, & quinquagesimi Iubileus. Denique, vt validiùs Leuitæ, maximè verò Sacerdotes, populum ad prædicta omnia exequenda obseruandaque inducere valerent, cùm benedictiones Legem obseruantibus, tum maledictiones illam transgredientibus intentatæ, in cap. 26. proponuntur. Constat igitur, librum Leuitici ferè totum circa præcepta quæ vocant Cærimonialia versari: pauca enim admodum sunt, quæ in eo de Moralibus ac Iudicialibus habentur, aut ad Historiam pertineant: quemadmodum contrà liber Deuteronomij in mandatis Moralibus Iudicialibusque tradendis sese magis extendit; vt propterea Lex Moysaica, seu Moysaicæ Legis volumen, nuncupari soleat.

DE PERSONARVM GENERIBVS SPECIATIM CVLTVI DIVINO MANCIPATIS.

12. Cùm itaque, sicuti suprà diximus, liber Leuitici ad eos inprimis pertinere videretur, qui vel diuini cultus ministri erant, vel ad diuinum cultum in populo propagandum augendumque studiosiùs vacare profitebantur: postulat hic locus, vt primò in vniuersum de personarum generibus apud Hebræos diuino cultui præfectis, aut quomodolibet destinatis, Deinde specialiter de Sacerdotibus ac Leuitis, Tertiò demum de ipsorum officiis, necnon de quibusdam ad illorum officia spectantibus, præcipuè verò de sacrificiis offerendis, de sollemnitatibus celebrandis, & præterea de legalibus immunditiis, earumque expiationibus, aliqua præmittamus: ad hæc namque capita omnes ferè cærimoniales Legis obseruantiæ aliquo modo reduci posse videntur. De Moralibus autem ac Iudicialibus præceptis, vbi ad librum Deuteronomij deuenerimus, opportuniùs aliquid agemus. Hæc verò quæ nunc dicturi sumus, aliquatenus hîc præcognouisse, admodum vtile erit ad ea, quæ in ipso Leuitici libro aliisque Scripturæ locis traduntur, & quæ in huius Operis progressu dicenda sunt, meliùs percipienda.

SACERDOTES. LEVITAE. NATHINAEI.

13. Scire ergo oportet, plura fuisse personarum genera, quæ diuinum cultum in populo Israelitico, tamquam ex officio, procurare adiuuaréve satagebant: inter quæ primum locum tenebant Sacerdotes, deinde Leuitæ, tertio loco postmodum additi sunt Nathinæi: & hi omnes ministeria sua habebant pertinentia priùs ad Tabernaculum, posteà ad templum, singuli munia sibi assignata exercentes. Præter hos introducti quoque fuere alij hominum ordines, qui quidem licet nullum haberent proprium in Tabernaculo aut templo ministerium, vacare tamen & ipsi specialiter Dei seruitio profitebantur, seipsos aliosque morum sanctitate aut doctrina ædificare studentes: tales inprimis erant, qui Nazaræi dicebantur, sanctitate celeberrimi: qui quodammodò erant in populo Iudaico, quales nunc sunt qui inter Christi cultores, Religiosi seu Regulares dicuntur, excepto quòd vitam cœnobiticam, quemadmodum isti, non ducebant: siquidem illi quoque Deo, quidam ad tempus, quidam verò in perpetuum se deuouere consueuerant: & à quibusdam abstinebant, puta à vino & sicera; & cæsariem numquam tondebant, nisi in casu legalis pollutionis; aliaque præstabant, secundùm regulas ipsis à Domino præscriptas. Horum consecratio, legesque, &. expiationis eorumdem ritus, descripti habentur Numer. cap. 6. per totum. Aliud eiusmodi hominum genus, quod posteà Esdræ temporibus surrexisse creditur, fuit ordo Scribarum, Doctrinæ sacræ potissimùm addictus; quoquomodò similis ei qui nunc dicitur Theologorum: erant enim Scribæ, homines in diuina Lege doctissimi. Post multa verò tempora, tres aliæ item prodierunt Rabbinorum, seu veluti Philosophorum sectæ, quibusdam inter se dogmatibus differentes; nempe Pharisæorum, qui mortuorum resurrectionem admittebant; Sadducæorum, qui illam negabant; & Essenorum siue Assidæorum, qui pietate ac

NAZARAEI. SCRIBAE. PHARISAEI. SADDVCAEI. ESSENI. ASSIDAEI.

sanctitate ceteris præstare studebant: Assidæi enim qui 1. Machab. cap. 7. vers. 13. & 2. Machab. cap. 14. vers. 6. memorantur, ab Essenis nomine tenus discreti fuisse creduntur, quemadmodum pluribus, & præsertim ex Iosepho Gorione Hebræo, probat Nicolaus Seratius, super locis Machabæorum citatis. De prioribus duabus sectis siue hæresibus, non semel mentio reperitur in Euangelio, & in Actis Apostolorum. De iisdem quoque, ac de tertia pariter, latè meminit Flauius Iosephus lib. 2. de Bello, cap. 7. & lib. 13. Antiq. cap. 9. & lib. 18. cap. 2. & alibi. Porrò inter hosce Scribarum, Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum ordines, credimus extitisse plures ex Sacerdotibus & Leuitis. Nam de ordine Pharisaico id patet Ioan. cap. 1. vers. 19. & 24. vbi primò legimus, quòd miserunt Iudæi Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, &c. & posteà dicitur: *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.*

PROPHETAR. PRIMI GENERIS. 14. Verumenimverò, ex hisce omnibus personis diuino cultui speciatim, vt dictum est, mancipatis, quidam dicebantur erantque Prophetæ, quia spiritum propheticum quandoque habentes. Quamquam horum duplex genus habebatur: Alterum ac præcipuum erat eorum, qui diuinis potissimum reuelationibus præfulgebant, futura prædicebant, Reges arguebant, populis prædicabant, miracula perpetrabant, & denique tamquam oracula, & spirituales populorum patres, ab omnibus communiter habebantur. Eiusmodi fuerunt inprimis Moyses & Aaron, dein Iosue & Samuel, posteà verò per singulas propemodum generationes, ferè vsque ad tempora Machabæorum, Gad, Nathan, Ahias Silonites, Michæas, Elias, Eliseus, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & qui duodecim Prophetæ minores appellantur, & alij multi. Quorum temporibus plurimos item non defuisse pseudoprophetas, qui ipsis per omnia aduersabantur, infrà suis locis ostendemus. SECVNDI. Alterum genus illorum, qui licet futura non prædicerent, nec alia mirabilia facerent, nihilominus ipsi quoque dicebantur Prophetæ, seu filij Prophetarum, & quandoque etiam cunei gregesve Prophetarum, quòd gregatim conuiuentes, ac certis quoque horis simul conuenientes, vt de rebus diuinis differerent, mira quadam mentis illustratione cælitus affecti, arcanos Scripturarum sensus ad spiritualem ipsorum ceterorumque progressum aperirent explicarentque, non secùs ac postmodum in primitiua Ecclesia fieri consueuit, quemadmodum ex 1. ad Cor. cap. 14. manifestè colligi potest; vbi Apostolus, prophetiam præferri debere dono linguarum, pluribus demonstrare conatur. Iidem quoque statis temporibus diuinis laudibus vacabant, hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus, musicisque diuersorum generum instrumentis suauiter personantes; eo ferè modo, quo solent nostri temporis Ecclesiastici homines in Ecclesiis, vel etiam aliquando per vias, quando scilicet ordinatè exeunt ad Processiones publicè celebrandas. Duas horum Prophetarum congregationes tempore Samuelis in populo Israël extitisse certum est; quarum vna venit cum canticis & organis obuiàm Sauli, posteaquam à Samuele in Regem vnctus fuit, vt traditur 1. Reg. cap. 10. vers. 5. & 10. & hæc manere solebat in Gabaa Beniamin, quemadmodum latè probat Abulensis super cap. Reg. citato quæst. 4. vltra medium. Altera, cui præsidebat Samuel, morabatur in Ramatha; ad quam cùm venissent nuntij Saulis quærentes Dauidem, & post ipsos ipsemet Saul, illicò omnes cum ceteris prophetare cœperunt, vt accuratiùs describitur 1. Reg. cap. 19. vers. 20. vsque ad finem capitis. Ad hoc quoque genus Prophetarum pertinere videntur Cantores à Dauide instituti, qui coram Arca Domini, ac posteà in templo, per vices suas prophetarent; de quibus latè agitur 1. Paralip. cap. 15. vers. 22. & 27. & clariùs cap. 25. vers. 1. 2. & 3. vbi iidem canentes coram Domino ac personantes, prophetare dicebantur; fortè quòd non quascumque, sed prophericas dumtaxat cantiones præcinerent. Post ædificatum quoque templum, non in ipso solùm templo, vt dictum est, sed & alibi, etiam in aliis vrbibus & locis extitisse huiusmodi Prophetarum congregationes, colligi potest 3. Reg. cap. 18. vers. 4. & 13. vbi legimus, quòd cùm impia Iezabel interficeret Prophetas Domini, Abdias qui tunc erat dispensator domus regis Achab, & vir timens Dominum, tulit centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane & aqua. Item 4. Reg. cap. 2. vers. 3. dicitur, quòd in Bethel erant filij Prophetarum. & ibidem vers. 5. 7. & 15. traditur, etiam in Iericho extitisse filios Prophetarum. & cap. 4. in principio fit mentio vnius de vxoribus Prophetarum. & vers. 38. legimus, quòd filij Prophetarum habitabant in Galgalis coram Eliseo. & ibidem vsque ad finem capitis, atque insuper in cap. 6. vers. 1. vsque ad 8. narrantur quædam eiusdem Elisei miracula, ad fauorem vtilitatemque eorumdem Prophetarum facta. Quibus temporibus, non greges Prophetarum Domini tantùm reperiebantur

in

in terra Israël; sed & Prophetarum Baal, & lucorum, vt patet 3.Reg. cap.18. vers. 19. vbi dicitur, quòd prophetæ Baal erant quadringenti quinquaginta, & Prophetæ lucorum quadringenti comedebant de mensa Iezabel. Neque verò viros tantum, verum- etiam mulieres aliquot prophetiæ dono præditas fuisse reperimus: nam & Maria soror Moysi, Exod. cap.15. vers. 20. Prophetissa nuncupatur. & Debbora vxor Lapidoth, Iudic.cap.4.vocatur Prophetissa. item 4. Reg.cap.22. vers.14.legimus de Holda Prophetide, quæ erat vxor Sellum,& habitabat in Ierusalem. Denique notum est, Annam filiam Phanuel fuisse Prophetissam, vt patet Lucæ cap. 2. vers.36. PSEVDOPROPHETAE. PROPHETISSAE.

15. Ceterùm, vt ad rem redeamus, notandum est,quòd omnes memorati virorum ordines de qualibet tribu esse poterant,præter Sacerdotes & Leuitas, qui necessariò de tribu Leui esse debebant; & Nathinæos,qui de genere fuerant Chananæorum, olim- que Gabaonitæ dicebantur: at Iosue temporibus, astu se Israëlitis iungentes, cùm (deprehensa fraude) ab ipso Iosue primùm deputati fuissent ad opus cædendi ligna, aquasque ad vsum Tabernaculi comportandas,vt habetur Iosue cap.9.vers.23.& posteà iterùm à Dauide, ad inseruiendum Sacerdotibus ac Leuitis applicati essent, quemadmodum traditur 1.Esdr.cap.8. vers.20. inde Nathinæi sunt appellati, hoc est (vt explicat B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis libri Paralip.) Donati; nimirum Leuitis ac Sacerdotibus ad memorata ministeria gratis dati. Vnde quemadmodum olim Leuitæ Clericis nostri temporis, ita Nathinæi Regularium Conuersis quoquo- modò respondere videntur. Verùm de omnibus hisce hominum ordinibus fusiùs agere, non est præsentis negotij; sed tantummodò de Sacerdotibus & Leuitis,ad quos præcipuè memoratus Leuitici liber directus fuit, vt iam dictum est. AD QVAS TRIBVS PERTINEBANT.

16. Vt igitur aliquid hîc de Sacerdotibus antiquæ Legis proferamus; sciendum priùs est,quòd inter ipsos, qui omnibus præerat, dicebatur magnus summúsve Sacerdos,vel Pontifex: ex aliis verò,quidam maiores, aut secundi ordinis Sacerdotes; & isti, quòd essent præfecti classibus Sacerdotalibus, ordinariè & communiter Principes Sacerdotum nuncupabantur; nonnumquam verò etiam, summi Sacerdotes,& Pontifices,id est Pontificij, quòd aliquando & ipsi Pontificatum tenuissent. Ceteri autem simpliciter Sacerdotes, seu Sacerdotes minores appellabantur. Et horum omnium primi ac primarij fuerunt Moyses & Aaron. Quòd si quis fortè de ipso Moyse hæsitet, num verè fuerit Sacerdos, recolat illud Psal. 98.vers.6. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* & prætereà consulat Cardinalem Bellarminum, qui ex aliis etiam Scripturæ locis, & Patrum testimoniis, euidentissimisque argumentis id ipsum confirmat, Controuersia 1. lib.3. qui est de Verbi Dei interpretatione, cap. 4. & aliis in locis. Porrò inter Moysen & Aaron ista extitit subordinatio; quòd Moyses immediatè à Deo electus, & inuisibiliter ordinatus fuerat; Aaron verò, Deo præcipiente, per Moysen visibiliter constitutus & consecratus, & quodammodò eiusdem Moysi vicarius fuit. Atque hoc pacto Moyses præfigurabat Christum, qui est verus ac summus Pontifex,sempiternusque Sacerdos, vt dicitur ad Hebr. cap.7. vers.21. vsque ad finem, *sanctus,innocens,impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus; qui eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium; vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis*. Aaron autem,in cuius successione posteà permansit Sacerdotium & Pontificatus, præsignabat Petrum, cui specialiter Christus dedit claues regni cælorum, gregemque suum, hoc est sanctam Ecclesiam pascendam commendauit: & cuius successores, Summi Pontifices dicuntur, ipsiusque Christi vices in terris gerunt. Sicuti enim Moyses facie ad faciem loquebatur cum Deo, & quæ à Deo acceperat, Aaroni exequenda mandabat: ita, & multò præstantiùs ipse Christus, quæcumque audiuit à Patre, nota fecit Apostolis, & maximè Petro, ac per ipsum primò, deinde etiam per successores eius, executioni mandanda curauit, curat, curabitque vsque ad consummationem sæculi. Sed vt ad rem redeamus, Ordo Sacerdotum veteris Legis, totam ac solam Aaronis prosapiam complectebatur, & extra ipsam non exibat, vt colligi potest Numer.cap.3.vers.10. & cap. 18. vers.1. & 7.& 1.Paralip.cap.23. vers.13. ita vt primogeniti de rectâ ipsius Aaronis linea propagati, successiuè vnus post alterum ordinariè Pontificatum tenerent: (nisi aliqua deformitate maculáve affecti essent ex his, quæ notantur Leuit.cap.21. vers.17. vsque ad finem capitis.) quamquam aliquando iustis grauibusque de causis, & interdum etiam impiorum Regum potentia, iste ordo non fuerit obseruatus. Quotquot autem alij de stirpe Leuitica propagati erant, intra Leuitarum ordinem computabantur; etiam filij ipsius Moysi, vt patet 1.Paralip. cap.23.vers.14.vsque ad 25. Quo fit,vt om- DE PONTIFICIBVS ET SACERDOTIBVS. DE MOYSE ET AARONE. SACERDOTIVM LEGALIVM GENVS.

nes Sacerdotes essent etiam Leuitæ; non autem econuersò, omnes Leuitæ, Sacerdotes dici esséve possent.

MVNIA SOLIVS SVMMI SACERDOTIS SEV PONTIFICIS QVAE.

17. Sane proprium summi Sacerdotis siue Pontificis munus, quod ipse solus præstare poterat, triplex erat. Primum, introire in Sancta Sanctorum semel dumtaxat in anno, in sollemni scilicet die Expiationis seu Propitiationis, quæ celebrari solebat die decimo mensis septimi; & ibi peragere ea, quæ in toto Leuitici cap. 16. describuntur. Alterum Pontificis officium erat, initiare seu consecrare Sacerdotes & Leuitas, ritu à Domino locis infra num. 19. citandis præscripto. Tertium denique fuit, in rebus dubiis & grauibus (vt sub anno præcedenti num. 83. dictum est) consulere Dominum in Ephod & Rationali, quod vt ibidem declarauimus, erat proprium sacrumque summi Sacerdotis indumentum. Officia autem Sacerdotum minorum plura erant, neque ex vno aut altero Scripturæ sacræ loco, sed sparsim ex pluribus colligenda sunt. Et in summa, saltem quæ magis ordinaria erant, ad quinque reduci posse videntur.

ALIORVM SACERDOTVM OFFICIA ORDINARIA.

Primum erat, sacrificia cuiusuis generis facere super Altare holocautomatum, quod in Atrio Sacerdotum, ante Tabernaculi templíve vestibulum stabat; & libamina à populo accipere, eademque offerre coram Domino, vt ex primis tribus Leuitici capitibus; & septimo, necnon ex omnibus pæne veteris Testamenti libris legalibus desumi potest. Porrò in diebus festiuis non alij dumtaxat Sacerdotes, sed & cum eis Pontifex, ad sacrificia in templo peragenda conuenire solitus erat, vt testatur Iosephus lib. 6. de Bello, sub finem sexti capitis ita scribens: *Pontifex autem cum ipsis* (subaudi, Sacerdotibus) *non tamen semper ascendebat, sed diebus quibusque septimis, & per singulos menses Kalendis, vel si quando patria festiuitas, atque annua, ab omni populo agebatur.* Annexa verò huic muneri, quæ pariter ad eosdem pertinebant Sacerdotes, erant, hostias diligenter inspicere, scrutari, peruestigare, disquirere, & si quid in eis vitij deprehendissent, reiicere; immaculatas vero mactare, excoriare, in partes secare, abluere, cremare, & nonnullas etiam coquère atque comedere; & si quid eiusmodi aliud erat ad sacrificia pertinens, ritè decenterque peragere. Alterum Sacerdotij munus erat, ignem sacrum alere ac nutrire, subiiciendo ei quotidie ligna, vt iugiter perpetuoque arderet super Altare holocautomatum: sic enim ipsis iniunctum fuerat Leuit. cap. 6. vers. 12. Tertium erat, bis quotidie, quando scilicet iuge sacrificium faciebant, nempe matutinum & vespertinum, introire in anteriorem Tabernaculi templíve partem, quæ Sancta dicebatur, vt ponerent thymiama super Altare incensi, & lucernas super candelabro aureo existentes concinnarent. Hæc enim duo, videlicet, adolere incensum, & concinnare lucernas, licet reuerà essent munia inter se diuersa, tamen quia ab iisdem Sacerdotibus, & ferè eodemmet tempore præstari consueuerant, ad idem caput reducenda duximus. Quartum erat, singulis Sabbatis, hoc est septima quaque die, duodecim panes calidos, ab ipsismet Sacerdotibus paratos, ponere super Mensam propositionis in Sancta locatam, veteresque inde remouere, & comedere. Et quidem de panibus renouandis, & incenso adolendo, quòd ad minorum quoque Sacerdotum munus pertineret, colligi potest Leuit. cap. 21. vers. 6. vbi de Sacerdotibus minoribus (quemadmodum ex initio capitis manifestè apparet) verba faciens Scriptura ait: *Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt.* Et idem patet exemplo Zachariæ patris S. Ioannis Baptistæ, quem sub anno mundi 2544. num. 68. probauimus, non fuisse summum Sacerdotem; & tamen Lucæ cap. 1. vers. 9. de ipso legimus, *quòd sorte exiit vt incensum poneret, ingressus in templum Domini.* De lucernis verò quotidie concinnandis, quòd etiam ad Sacerdotes minores spectaret, pluribus probat Abulensis super Numer. cap. 8. quæst. 2. & præcipuè, quia, inquit, si id muneris solius summi Sacerdotis fuisset, vtique sequeretur, ipsum procreare filios numquam potuisse: quandoquidem introëuntes in Sancta oportebat mundos esse à mulieribus vno saltem integro naturali die; alioqui ipsum polluissent Tabernaculum, siue templum, vt idem Auctor colligit ex Leuit. cap. 15. & Numer. cap. 19. Vnde nescio quomodo sustineri possit dictum S. Ambrosij lib. 7. in Lucam, vbi super illa sancti Euangelij verba: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*; ait: *Denique lucerna illa, quam matutinis vespertinisque temporibus, ritu veteri Iudæorum, Princeps sacerdotum solebat accendere*, &c. Nam si per Principem Sacerdotum intelligit summum Iudæorum Pontificem, vtique contra hoc militat ratio ex Abulense proximè adducta; & non absolutè dicere debuisset: *Solebat accendere*; sed, *poterat*; vel, *aliquando, licet admodum rarò, solebat accendere.* Si autem intelligit aliquem ex principibus turmarum sacerdotalium; magis dicendum erat: *Quam Principes Sacerdotum aliquando solebant accendere.* Non enim hoc erat munus particulare vnius tantùm

ex

ex ipsis, sed omnium ipsorum; immò etiam ordinariè omnium (vt dictum est) Sacerdotum, nimirum vniuscuiusque in ordine vicis suæ, vt sub anno mundi 3020. num. 5. explicabimus. Quintum denique Sacerdotale officium erat, olea sacra, tum quæ pro alendis lucernis, tum quæ pro sacris vnctionibus vsui erant, conseruare; & item thymiama seu compositionis incensum, & vasa Sanctuarij, & quidquid ad vsum Tabernaculi seu interioris templi pertineret, Numer. cap. 4. vers. 16.

18. Quæ verò minùs ordinaria videbantur Sacerdotum minorum munia, hæc ferè esse poterant; inuoluere velaminibus Arcam aliasque res sacras, easque tradere Leuitis portandas, quando mouenda erant Tabernaculum & castra, Numer. cap. 4. vers. 5. Sed hoc munus postea, absoluto templo, penitus cessauit: nusquam enim deinceps, nisi rarissimè, opus fuit eiusmodi sacra transferre. Præterea, certis diebus & occasionibus clangere buccinis tubisve, interdum corneis, ordinariè verò argenteis, Numer. cap. 10. vers. 1. vsq. ad 11. & præsertim vers. 8. vbi decernitur hoc pertinere ad Sacerdotes. Item, adiutare mulieres in casibus zelotypię, Num. cap. 5. vers. 11. vsque ad finem capitis. Discernere inter lepram & lepram, & inter mundum ac leprosum: vnde Leuitici cap. 13. vers. 2. præcepit Dominus, vt qui habuerit plagam lepræ, adduceretur ad Aaron Sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius. Et in Euangelio Lucæ cap. 17. vers. 14. dicebat Iesus leprosis quos mundauerat: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Insuper, expiationes seu purificationes facere leprosorum, puerperarum, menstruosæ mulieris, & viri seminiflui, & aliorum huiusmodi, de quibus vide Leuit. cap. 12. vsque ad 16. His adde alia duo Sacerdotum munia, omnium ferè præcipua; nimirum, in omnibus memoratis ipsorum functionibus, Dominum pro vniuerso populo, vel pro particularibus deprecari; vt ex locis citatis colligi potest, vbi verba illa sæpiùs repetita inuenies: *Orabitque pro eo*, vel *pro eo, Sacerdos*. vel alia huiusmodi. Et ex vulgata illa, Osee. cap. 4. vers. 8. sententia: *Peccata populi mei comedent*. iuxta expositionem Alexandri Pontificis, huius nominis I. epistola secunda, quæ refertur in Decreto caus. 1. quæst. 1. can. *Ipsi Sacerdotes*. ibi enim: *Peccata*, inquit, *populi comedent; quia precibus suis & oblationibus ea delent atque consumunt*. quæ expositio ex aliis Scripturæ locis comprobari potest; vbi verbum hoc *comedere*, vsurpari solet pro *consumere*, vt in Psalm. 78. vers. 7. *Quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt*. & Ierem. cap. 10. in fine: *Quia comederunt Iacob, & deuorauerunt eum, & consumpserunt illum*. Alterum est, scire quæ ad Legem Dei cultumque eius pertinebant; vt possent docere populum. Et hoc est quod ipsis Sacerdotibus dicitur Leuit. cap. 10. vers. 10. *Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum; doceatisque filios Israël omnia legitima mea, qua locutus est Dominus ad eos per manum Moysi*. & Malach. cap. 2. vers. 7. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius*. & Aggæi cap. 2. vers. 12. *Interroga Sacerdotes Legem*. Vnde non immeritò, eam ignorantibus, vel scire negligentibus, comminatur Dominus Osee cap. 4. vers. 6. dicens: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Sed postrema hæc duo munia, nempe docendi populum, & orandi pro eo, videntur etiam Leuitis fuisse communia: nam & Numer. cap. 8. vers. 19. de Leuitis dicitur, quòd Deus tradidit eos Sacerdotibus, vt seruiant pro Israëlitis in Tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga, &c. & 2. Paralip. cap. 17. vers. 7. vsque ad 10. legimus, quòd Iosaphat Rex misit Sacerdotes & Leuitas in ciuitates Iuda, habentes librum Legis Domini, vt docerent erudirentque populum. Ceterùm omnia hæc, & si quæ erant alia Sacerdotum minorum officia, poterat similiter summus Sacerdos & Pontifex exercere. Est enim hæc etiam nunc in sancta Ecclesia, vniuersalis regula, vt quæcumque possunt facere minores, possint & maiores; sed non econuersò. Ad filios autem Sacerdotum spectabat, vnguenta ex aromatibus conficere, vt colligitur 1. Paralip. cap. 9. vers. 30. MINVS ORDINARIA.

19. Leuitarum verò munus in vniuersum erat, seruire Deo, & Sacerdotibus præstò esse in ministeriis Tabernaculi, pro filiis Israël. Propterea etiam Numer. cap. 18. vers. 14. vsque ad 19. præceperat Dominus Moysi, vt separaret Leuitas de medio filiorum Israel, vt essent ipsius Domini. Et rationem subiungens, ait, quòd ex quo percusserat omnia primogenita Ægypti, sanctificauerat sibi omnia primogenita filiorum Israël: pro quibus accepit sibi dono Leuitas, tradiditque eos Aaroni & filiis eius, vt seruiant ei in Tabernaculo fœderis. Et cap. 18. vers. 2. ait Dominus Aaroni: *Sed & fratres tuos de tribu Leui, & sceptrum patris tui sume tecum, præstòque sint, & ministrent tibi*. Particularia autem officia ipsis à Moyse assignata, hæc ferè sunt. Primò, portare, quando mouenda erant castra, Tabernaculum, & cuncta in eo contenta, seu ad ipsum pertinentia, MVNIA LEVITARVM IN VNIVERSVM. PARTICVLARIA.

iuxta distributionem & modum eis præscriptum Numer. cap. 4. per totum. Item, deponere erigereque ipsum Tabernaculum, Numer. cap. 1. vers. 51. Denique, excubare ad custodiam Sanctuarij & ad omnia opera eius, iuxta Sacerdotum mandata, Numer. cap. 18. vers. 1. vsque ad 7. propterea cap. 1. vers. 50. vbi assignatur locus Leuitis, dicitur: *Ac per gyrum Tabernaculi metabuntur*. Quæ verò munia eisdem Leuitis postea à Dauide assignata ac distributa fuerunt, habentur 1. Paralip. cap. 23. per totum, de quibus nos infrà sub anno mundi 3020. num. 3. dicemus. Et hæc de Sacerdotum Leuitarumque officiis hoc loco præmisisse sufficiat: si tamen illud addiderimus, quòd non omnes, quos Sacerdotalis aut Leuitici generis esse constabat, poterant Sacerdotalia Leuiticáve officia exercere; sed ij tantùm, qui præscriptis ritibus ac cæremoniis initiati erant: & hoc certè (vt benè notat Franciscus Ribera lib. 3. de Templo, cap. 1.) conuincere potest hæreticos nostri temporis, qui cunctos Christianos, etiam nullo sacro Ordine suscepto, Sacerdotes esse, & statim ac baptizati sunt, Christi corpus consecrare conficeréve posse, perperàm contendunt. Etenim si cæremonialia, & prorsus typica illa veteris Legis munia, obire nequibant legales Sacerdotes & Leuitæ, nisi priùs legitimis ritibus initiati: quanto magis nunc mystica & sacrosancta noui Testamenti mysteria (quæ ab illis, non secùs ac verum corpus à propria vmbra, differre certissimum est) nemini absque præuiis Ordinibus sacris, debitisque consecrationibus, exercere fas erit? Ceterùm, ritus initiandi Pontifices & Sacerdotes, traditur Exod. cap. 29. vers. 1. vsque ad 37. & Leuit. cap. 8. per totum. Leuitarum verò initiandorum forma, habetur Numer. cap. 8. vers. 6. vsque ad finem capitis.

SACERDOTES AC LEVITAE NON NISI POST IPSORVM CONSECRATIONEM MVNIA SVA EXERCERE POTERANT.

DE SACRIFICIIS LEGALIBVS, ET HOSTIIS.

20. Quoniam autem diximus inter alia Sacerdotum officia, præcipuum & valdè vsitatum fuisse munus sacrificandi; non abs re fuerit, iuxta superiùs proposita, aliquid hîc de sacrificiorum veteris Legis notitia prælibare. Et primò, tametsi constet, sacrificij nomine generaliter significari quidquid Deo offertur, quod ei gratum fore credatur; ita vt actus etiam humani, non solùm externi, sed & interni, ad honorem Dei eliciti, siue Deo dicati, sacrificia interdum appellari consueuerint; iuxta illud quod legimus in Psalm. 49. vers. 14. *Immola Deo sacrificium laudis*. & in Psalm. 50. vers. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. & vers. 21. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ*. Verumtamen magis propriè loquendo, sacrificij vocabulum videtur communiter sumi pro quacumque oblatione Deo facta rerum corporearum, siue animalium, siue fructuum: vnde legimus Genes. cap. 4. de duobus primis Adæ filiis, alterum de gregibus ouium sacrificia obtulisse, alterum verò de frugibus terræ. Nihilominùs, quia fructuum & aliarum rerum insensibilium oblationes, Scriptura sacra sæpenumerò libaminum, vel primitiarum, vel oblationum nomine indicare solet; & vt plurimùm sacrificiorum appellatione, animalium immolationes intelligit: idcircò dicere possumus, primariam sacrificiorum materiam fuisse animalia; non cuiusuis generis, sed ea dumtaxat, quæ in Lege dicebantur munda: neque omnia hæc, sed ex volucribus quidem duo tantùm genera, nimirum, columbas & turtures, (siquidem duo illi passeres, quorum fit mentio Leuit. cap. 14. vers. 4. ad nullum sacrificij genus pertinuisse videntur, sed tantummodò ad quamdam cæremoniam, in purificatione leprosi faciendam; vt latè probat Abulensis super citato Leuit. cap. quæst. 5.) de quadrupedibus verò, tria; videlicet, boues, & oues, & capras: piscium autem, siue aquatilium, genus nullum. Sanè huiusmodi animalium delectus ratio hæc à Philone in libello de Victimis, & ab aliis quoque assignari solet: Quia, inquiunt, columba inter naturà mansuetas aues & gregatim volitantes mitissima est, & turtur inter solitarias cicuratu facillima. Boues item, ouesque, & capræ, cùm sint etiam ipsæ natura valdè mites, videntur fuisse ad diuina mysteria significanda admodum idoneæ. Et præterea omnia hæc, cùm sint hominum vsibus adeò necessaria, ab ipsisque hominibus passim alantur; facilè ad manus haberi, & quocumque deferri commodè possunt: contrà verò, omne ferarum genus naturaliter immite est, ac difficilè capi potest: & similiter pisces, præterquam quòd nullum prorsus mansuetudinis typum gerunt, haud facilè semper & vbiuis, in siccis præsertim regionibus, in promptu haberi, aut viui diutiùs conseruari valebant, vt ad Altare holocautomatum delati, ibidem de more à Sacerdotibus mactarentur. Etenim morticina cuiusuis generis non solùm pro sacrificiis apta non erant, sed neque à quoquam comedi tangive poterant sine immunditiæ contractu, vt patet Leuit. cap. 11. vers. 31. & 39. & cap. 17. vers. 15. Ceterùm illa animalia, quæ in sacrificiis assumi licitum erat, integra prorsus & illæsa esse debebant, quemadmodum præcipitur Leuitici cap. 22. vers. 18. vsque ad 25. & Deuter. cap. 17. vers. 1. & propterea, vt ait Philo vbi suprà, solebant Sacerdo-

tes

res magna vti cautela in ſcrutandis victimarum corporibus antequam immolarentur, num in ipſis aliquod vel leue vitium deprehenderetur. Sed neque ſolùm victimas, quin etiam ipſos pariter Sacerdotes ſacrificia immolantes, mundos atque immaculatos eſſe oportebat, id eſt ſine vlla prorſus corporali deformitate aut vitio, vt cauetur Leuit. cap. 21. verſ. 17. vſque ad finem capitis, vbi ſignanter plurimæ eiuſmodi maculæ recenſentur illis verbis: *Si cæcus fuerit, ſi claudus*, &c. Et hæc de hoſtiatum & ſacrificantium conditionibus dicta ſint.

21. Porrò ex triplici ritu ſeu forma ſacrificandi, ipſorumque ſacrificantium intentione ſeu fine, tria reſultabant ſacrificiorum genera: nam (vt ait B. Thomas 1. 2. qu. 103. art. 3. ad 8.) ſacrificium quod ſpecialiter offerebatur Deo ad reuerentiam maieſtatis ſuæ, & amorem bonitatis eius, dicebatur holocauſtum; quia in eo tota victima comburebatur. (idem enim ferè ſignificat Græcè Holocauſtum, ac ſi Latinè diceremus, Totum combuſtum.) Quod autem immolabatur ad remiſſionem peccati, vocabatur hoſtia vel ſacrificium pro peccato; cuius vna pars comburebatur, altera cedebat in vſum Sacerdotum, in loco ſancto comedenda, vt colligi poteſt Leuit. cap. 10. verſ. 17. niſi quando offerebatur pro peccato totius populi, vel pro peccato Sacerdotis; tunc enim totum cremabatur, ſed non ſuper altare. At quod offerebant pro gratiarum actione, vel pro ſalute & proſperitate offerentium, id eſt ratione beneficij accepti vel accipiendi, dicebatur hoſtia pacifica. Et huius vna pars ſuper altare incendebatur, nimirum adeps qui vitalia operit, & quidquid pinguedinis eſt intrinſecus, duo renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis, Leuit. cap. 3. verſ. 3. Alia erat Sacerdotis (illius ſcilicet qui obtulerat ſanguinem & adipem) videlicet pectuſculum & armus dexter, vt habetur Leuit. cap. 7. verſ. 31. vſque ad 35. Tertia pars, hoc eſt quod reliquum erat hoſtiæ, offerentibus in loco ſancto comedendum relinquebatur. Ceterùm huiuſmodi victimæ, quæ in plures partes diuidendæ erant, non de volatilibus (quæ cùm paruæ eſſent, non commodè tales partitiones admittebant) ſed de quadrupedibus offerri conſueuerant. Illud autem generaliter in omnibus ſacrificiis commune erat, quòd ſanguis & adeps non poterant cedere in vſus neque Sacerdotum, neque offerentium: ſed ſanguis effundebatur ad Altaris crepidinem, in honorem Dei: adeps verò pariter Deo dicatus, igne cremari debebat propter multiplices rationes, quas adducit B. Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 3. ad 8.

DE TRIBVS SACRIFICIORVM GENERIBVS. HOLOCAVSTVM. HOSTIA PRO PECCATO. PACIFICA.

22. Vt autem ad ſingula hæc hoſtiatum ſeu ſacrificiorum genera deſcendamus: Ritus holocauſti, quando ſpecialiter fiebat de bobus, & item quando de ouibus, ſiue de capris, ac demum tertiò quando de auibus, diſtinctè accurateque deſcribitur Leuit. cap. 1. verſ. 3. vſque ad finem capitis. De hoſtiæ verò ſeu ſacrificij pacifici, ſiue pacificorum ritu, agitur Leuit. cap. 3. per totum, & cap. 7. verſ. 11. vſque ad 22. De ſacrificiis autem pro peccato & pro delicto, quia non ſemper eodem modo fieri debebant; ſed aliter ſi peccatum delictúmve erat Pontificis, aut totius populi, vel Principis, aut plebeij, per ignorantiam, aut ſcienter commiſſum: propterea non vno loco tantùm, ſed pluribus, ſeparatímque de ſingulis in libro Leuit. agitur, vt paulò pòſt dicemus. Verumtamen priùs hîc notandum eſt, quòd tametſi ſæpè in Sacro eloquio peccatum ac delictum pro eodem accipiantur, hîc tamen diuerſimodè ſumi neceſſe eſt, vt expreſsè colligitur Leuit. cap. 7. verſ. 7. vbi dicitur: *Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto; vtriuſque hoſtiæ lex vna erit*. Quomodo autem inter ſe differant, non eadem eſt omnium ſententia: quidam enim peccati voce commiſſionem, delicti verò omiſſionem intelligi volunt: aliqui appellatione peccati, grauiora; delicti autem, leuiora ſignificari: alij peccatum in opere ponunt, delictum in cogitatione; alij aliter. Et denique, nonnulli peccatum eſſe putant, quod quis prudens ſciénſque perpetrauerit; delictum verò, quod per errorem ignorantiámve commiſerit: quæ opinio probabilior videtur, vt late probat Ribera lib. 4. de Templo cap. 6. vbi agit de Hoſtia pro delicto. Ceterùm in libro Leuit. traduntur titus ſacrificandi: pro delicto quidem cap. 7. verſ. 1. vſque ad 11. pro peccato autem vniuerſaliter, cap. 6. verſ. 25. vſque ad finem capitis: at pro peccato per ignorantiam commiſſo, ſi illud erat Sacerdotis, cap. 4. verſ. 1. vſque ad 13. ſi populi, à verſ. 13. ad 22. ſi principis, à 22. ad 27. ſi alicuius de plebe, ſiue (vt Scriptura loquitur) de populo terræ, à verſ. 27. vſque ad finem capitis, & cap. 5. per totum; vbi diſtinguuntur quædam particularia peccata, & ponuntur ritus ſacrificandi pro ſingulis Quomodo autem ſacrificandum eſſet pro peccato ex certa ſcientia perpetrato, docemur cap. 6. verſ. 1. vſque ad 8. Porrò ad hoc ſacrificij genus quod pro peccato dicitur, reduci poteſt (quemadmodum probat Abulenſis quæſt. 5. ſuper Leuit. cap. 14.) ritus ille

DE RITV SINGVLORVM. QVOMODO DIFFERAT A PECCATO DELICTVM.

ille immolandi & comburendi vaccam rufam, ex cuius cineribus aquæ admixtis conficiebatur aqua lustrationis, cuius aspersione vti solebant ad legales immunditias ab hominibus alijsque rebus auferendas, vt videre est in toro Numer. cap. 19. Sanè memoratorum omnium sacrificiorum aliqua erant ordinaria, nimirum quæ statis temporibus per annum fieri consueuerant. Eiusmodi sunt, quæ iugiter singulis diebus, manè scilicet & vespere offerebantur, vt mandauerat Dominus Exodi cap. 29. vers. 38. vsque ad 43. & Numer. cap. 28. vers. 3. vsque ad 9. & hoc Iuge sacrificium dicebatur, siue Sacrificium matutinum & vespertinum. Talia item sunt, quæ in singulis sollemnitaribus Lege præcipiebantur offerri, de quibus vide Leuit. cap. 23. & Num. cap. 28. & 29. Alia erant extraordinaria, videlicet quæ ex voto, vel spontaneè, particulares personæ pro se suisque offerri curabant.

SACRIFICIA ORDINARIA.

EXTRAORDINARIA, QVAE

DE LIBAMINIBVS, ET OBLATIONIBVS.

23. Quoniam verò, vt suprà num. 20. dictum est, in sacrificiis non semper animalia, sed & aliæ res insensibiles offerri consueuerant: si quis quærat, quænam hæc essent, dicimus fuisse, thus, myrrham, aromata, & eiusmodi, ad suffitus in Altari thymiamatis adolendos. Potissimùm verò etiam offerebantur comestibilia, nempe panes, vina, oleum, & sal, cum sacrificiorum carnibus sumenda; & nonnumquam spicæ virentes igni tostæ, & in morem farris contritæ; item farina, similáve, quæ pinguior farinæ pars est, aliquando quidem conspersa oleo, quandoque autem diuersimode parata; modò in clibano cocta, modò in sartagine frixa, interdum in laganas oleo litas, siue in collyridas, placentásve, aut tortas redacta. Et hæc ac similia, generaliter libamenta, seu libamina, libáve, dicebantur. Quamquam arida, pura thus, sal, simila, & eiusmodi, nonnumquam communi vocabulo sacrificia, vel oblationes; liquida verò, puta oleum & vinum, speciatim libamina nuncupari solebant. Denique omnia hæc nihil aliud erant, nisi accessoria quædam, siue additamenta, quæ cum victimis offerre oportebat, vt colligitur 1. Paralip. cap. vlt. vers. 21. vbi post enumeratas quasdam victimas subiungitur: *Cum libaminibus suis.* Erant autem hæc libamina non semper eodem modo, eadémve mensura aut numero offerenda; sed diuersimodè, iuxta varios victimarum immolandarum ritus, & pro diuersitate mandatorum quæ in Lege habebantur, quorum plurima reperiuntur Numer. cap. 15. 28. & 29. & alibi sæpè. In vniuersum de huiusmodi oblationibus agitur Leuit. cap. 2. vbi etiam cauetur, ne quidquam fermenti aut mellis adoleri deberet in sacrificijs Domino. Et illud item præcipitur, vt omnia offerenda sale condirentur. quod ibidem paucis verbis ter Scriptura sacra replicat & inculcat, dicens: *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* Et hæc pauca de sacrificijs præmisisse sat sit, si illud tantùm addiderimus, omnium harum legalium hostiarum differentias sub vnico nouæ Legis Sacrificio comprehendi, vt sancta contestatur Ecclesia in Collecta quæ secretò recitari solet in Missa Dominicæ septimæ post Pentecosten. Tot enim ac tanta sunt mysteria, quæ in sacrosancto Corporis ac Sanguinis Christi Sacrificio continentur, vt ad ea in Lege veteri præfiguranda, multas ac varias hostiarum oblationumque differentias & diuersitates instituere necessarium fuerit. Ceterùm de rationibus, tum mysticis tum litteralibus, sacrificiorum veteris Testamenti, fusiùs differit B. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 3.

DE HEBRAICIS SOLLEMNITATIBVS ANTE BABYLONICAM CAPTIVITATEM INSTITVTIS.

24. Verùm quia potissimùm in diebus festis tum sacrificia offerri, tum aliæ Sacerdotales functiones sollemniùs exerceri solebant; ratio postulat, vt hîc quoque aliquid de Hebraicis sollemnitatibus adiungamus. Igitur quæ ante Babylonicam captiuitatem obseruari consueuerant, & ab ipso Moyse, Deo mandante, olim instituta fuerant Leuit. cap. 23. & Numer. cap. 28. & 29. & Deuter. cap. 16. reduci possunt ad octo, quemadmodum ex citatis Numer. capitibus colligit S. Thomas quæst. proximè citata art. 4. ad 10. videlicet, vna quæ erat quodammodò continua, nimirum quotidiana, quam oblatione Iugis sacrificij, manè scilicet & vespere singulis diebus celebrabant: & septem reliquas quibusdam statutis temporibus, quarum prima fiebat semel in hebdomada, hoc est septimo quoque die, & dicebatur Sabbatum: altera singulis mensibus, in cuiusque Kalendis; & hanc vocabant Neomeniam seu Nouilunium: ceteræ quinque semel in anno, singulæ statis diebus. Et primò Paschæ festum in omnium ordine quartum, fiebat die decimaquarta mensis primi ad vesperam. Quoniam autem eidem iungebatur festiuitas Azymorum, quæ septem consequentibus diebus celebrari consueuerat; propterea duo hæc Festa ferè semper pro vno tantùm reputabantur, & alterum pro altero vsurpari solebat, vt nos infrà num. 41. manifestè ostendemus. Quinta festiuitas dicebatur Pentecostes siue Hebdomadarum; quia post septem dierum hebdomadas,

IVGE SACRIFICIVM.

SABBATVM.

NEOMENIA.

PASCHA.

DIES AZYMORVM.

PENTECOSTES.

nempe

FESTVM TVBARVM. EXPIATIONIS. SCENOPEGIAE. COETVS SEV COLLECTAE.

nempe die quinquagesimo à Paschate, qui vt plurimùm erat sextus mensis tertij, celebrabatur. Tres verò postremæ sollemnitates in mense septimo agebantur: etenim primus dicti mensis dies, erat festum Tubarum; decimus, Expiationis seu Propitiationis; & decimusquintus, Tabernaculorum vel Scenopegiæ. nam quod in octaua eiusdem Scenopegiæ, dicebatur festum Cœtus seu Collectæ, quodammodò pertinere videbatur ad complementum sollemnitatis dictæ Scenopegię. Hîc consultò præterimus mentionem facere festi Encęniorum Templi Salomonis; quoniam nusquam in Sacro textu reperimus fuisse sancitum vel à Salomone, vel ab vllo alio, ante Babylonicam captiuitatem, vt illud posteà quotannis celebraretur; neque quòd in toto illo tempore post primum annum vmquam fuerit celebratum: vnde puto, dictam festiuitatem posterioribus deinde temporibus in Hebræorum Kalendario à Rabbinis fuisse relatam sub die vigesimotertio mensis septimi. Et quidem in tali mense dicta Encænia primùm à Salomone fuisse celebrata, colligitur 3.Reg.cap.8.vers.2. Vnde autem Rabbini desumpserint, id in eo die contigisse, nos latet. Post prædictos festos dies, hîc addere possumus etiam annos quosdam, qui erant & ipsi aliquo modo festiui; nempe annus septimus, & quinquagesimus: de quorum obseruantia agitur Leuit.cap.25. Sed & de eisdem annis nos quoque sub anno mundi 2584. num.2. vsque ad 6. pleniùs agemus. Et hæc quæ hactenus recensuimus Hebræorum Festa, ex diuino præcepto agebantur. quo fit vt nos hîc missum fecerimus Festum, vel potiùs Planctum illum sollemnem, qui (vt traditur Iudic. cap.11. in fine, & nos sub anno mundi 2849. num.3.dicemus) olim fieri solebat à mulieribus in vnum congregatis, in exitu cuiusque anni, ob immolatam Deo filiam Iephte Galaaditis: id enim non diuina, sed humana institutione, vel potiùs consuetudine fuerat introductum. vnde nec in Hebræorum Kalendarijs registratum reperitur; quòd fortassis ad mulieres tantùm, non etiam ad viros ille planctus pertineret. Quæ autem subiungemus Festa, licet ipsa quoque non à Deo, sed ab hominibus indicta essent: quia tamen vniuersalia erant, & communiter recepta, atque à cunctis celebrari consueuerant, præteriri nullatenus debuerunt.

ANNVS SABBATICVS. IVBILAEVS.

POST BABYLONICAM CAPTIVITATEM: DIES VICTORIAE IVDITH. DATI IGNIS. ENCAENIORVM.

25. Itaque post Babylonicam captiuitatem, paulatim, succedentibus temporibus, nonnullæ aliæ item indictæ atque introductæ sunt festiuitates quotannis celebrandæ. Eiusmodi sunt, Dies victoriæ Iudith; de quo sub anno mundi 3572. num.7. mentionem faciemus: & Dies dati ignis, cuius historiam describit Auctor lib.2. Machab.c.1. vers.18. vsque ad 33. & nos de eius institutionis occasione, sub anno mundi 3610. num.8.& 9. agemus. Sanè hæc duo festa, nimirum Victoriæ Iudith, & Dati ignis, pariter agebantur cum festo Encæniorum Iudæ Machabæi die vigesimoquinto mensis noni, qui dicitur Casleu, vt videre est in veteri Hebræorum Kalendario, quod numero proximo subiungemus. Et hoc quidem festum Encæniorum, de quo paulò pòst agendum erit, (vt colligitur 2.Machab.cap.1.vers.18.) dicebatur etiam Scenopegia, tametsi diuersa esset ab ea, cuius numero præcedenti meminimus; quemadmodum ex sub anno mundi 3890.num.9.& 10.dicendis constabit. Item dies Phurim seu Sortium, vel festum Mardochæi; de cuius institutione & celebritate, quæ fiebat die decimoquarto & decimoquinto mensis duodecimi, qui est Adar, agitur Esther cap.9. vers.18. vsque ad finem capitis, vt sub anno mundi 3661.num.3.videbimus. Quarto loco, dies Encæniorum proximè memoratus, & à Iuda Machabæo institutus, vt deinceps singulis annis die vigesimoquinto mensis Casleu celebrari deberet, quemadmodum traditur 1.Machab.cap.4. vers.59. & 2.Machab. cap.10. vers.5. & apud Iosephum 12. Antiq. cap.11. de quo etiam Festo fit mentio in Euangelio Ioan. cap.10. vers.22. vt nos sub anno mundi 3890.num.9.& 10.dicemus. Nam de Encænijs eiusdem templi, priùs sub Zorobabele celebratis, quorum mentio habetur 1.Esdr.cap.6.vers.16.& 17.& item de his quæ postremò ab Herode, quando (vt tradit Iosephus in calce libri 15.Antiq.) templo illo funditus demolito, aliud longè magnificentius exædificauit, celebrata sunt, quòd posteà quotannis celebranda essent, nullibi scriptum reperimus; nisi de Encænijs templi Zorobabelis, in Kalendario Rabbinorum: quod vndenam ipsi desumpserint, ignoramus. Quinto, celebritas ob cædem Nicanoris sub eodem Iuda Machabæo instituta, & iussa fieri pridie festiuitatis Mardochæi, hoc est tertiodecimo die mensis Adar, vt habemus 1.Machab.cap.7. vers.48.& 2.Machab.cap.vlt.vers.36. & apud Iosephum 12.Antiq.cap.17. de qua celebritate etiam mentio fiet anno 3893.num.7. Denique festum à Simone Machabæo institutum, quando eiectis ab arce Ierosolymitana Gentibus, ingressus est in eam cum iubilo, vt nos sub anno mundi 3913. num.1. dicemus; & fiebat die vigesimotertio mensis secundi, quemadmodum ibidem patebit.

PHVRIM SEV SORTIVM.

CELEBRITAS OB CAEDEM NICANORIS.

FESTVM A SIMONE MACHABAEO INSTITVTVM.

26.Vt

KALENDARIVM VETVS HEBRÆORVM CVR HIC INSERENDVM.

26. Vt autem omnia hæc ordine disposita inspicere quisque possit, operæpretium duximus hîc vetus Hebræorum Kalendarium intexere, in quo non hi tantùm dies festi ac profesti, quorum in sacris Scripturis fit mentio; sed & Ieiuniorum quoque dies, qui olim obseruari consueuerant, & de quibus infrà num. 44. agemus, suis quique locis notati inueniuntur. Nam alia quædam Festa, plurimaque ieiunia, posterioribus deinde temporibus à Rabbinis instituta, vel quomodolibet introducta, videre poterit, qui voluerit, in eo Hebræorum Kalendario, quod Genebrardus suis Psalmorum Commentarijs præponere, & cum ipsis pariter imprimi curauit. Ceterùm nos, ob rationes sub anno præcedenti num. 31. adductas, non assignabimus primo mensi dies triginta, & secundo viginti nouem, & sic deinceps alternatim, vt solent Hebræorum Rabbini, & qui ex Latinis Scriptoribus ab illis mutuati sunt; sed econuersò dabimus primo mensi dies viginti nouem, & secundo triginta, & sic vicissim teliquis. Insuper, non auspicabimur primum Anni sacri mensem (vt gratis ac sine vlla probatione fit in Kalendario Hebræorum apud Sigonium relato) à prima, sed potiùs à sexta Sabbati; propter causas à nobis sub anno præcedenti num. 21. allatas.

27. N I S A N.

ANNI SACRI EXORDIVM.

Anni sacri mensis primus habet dies 29.

NEOMENIÆ SACRIFICIVM.

Primo die celebrabant festiuitatem Neomeniæ, in qua præter sacrificium quotidianum, matutinum scilicet & vespertinum, de quo agitur Numer. cap. 28. vers. 3. vsque ad 9. fiebant etiam sacrificia ipsius Neomeniæ seu Kalendarum propria, quæ pariter cap. citato describuntur à vers. 11. vsque ad 16.

SABBATVM. PARASCEVES.

2. die fuit Sabbatum, in quo iubebantur cessare ab omni opere seruili, etiam ab accendendo igne pro parandis cibis, quod facere tenebantur præcedenti die, qui propterea dicebatur Parasceues: & præter sacrificium quotidianum, quod numquam omittebatur, fiebat quoque illud Sabbati proprium, quod capite Numer. proximè adducto traditur vers. 9. vsque ad 11.

3. die } fiebat { sacrif. quotid.
4. die — sacrif. quotid.
5. die — sacrif. quotid.
6. die — sacrif. quotid.
7. die — sacrif. quotid.
8. die — sacrif. quotid.

9. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati, & cessatio ab operibus.

10. die } fiebat { sacrif. quotid. & præparatio agni Paschalis.
11. die — sacrif. quotid.
12. die — sacrif. quotid.
13. die — sacrif. quotid.

PASCHA.

14. die, prętet sacrif. quotid. immolabant ad vesperam comedebantque agnum Paschalem (tunc enim incipiebat festum Paschæ Leuit. cap. 23. vers. 5.) cum azymis, & aliis ritibus Exod. cap. 12. ab initio capitis vsque ad vers. 21. descriptis.

DIES AZYMORVM.

15. die, qui erat primus Azymorum, cessabant ab operibus seruilibus; & præter esum azymorum & sacrif. quotid. offerebant etiam illud, quod describitur Num. cap. 28. vers. 18. vsque ad 25.

OBLATIO MANIPVLI SPICARVM SEV PRIMITIARVM.

16. die, Sabbatum, vescebantur azymis; & præter sacrif. quotid. & Sabbati, & proprium huius hebdomadis, præcedenti die indicatum, offerebant etiam quotannis in hoc huius mensis die (quando in eo Sabbatum non incidebat) manipulum spicatum seu primitiarum messis, quam tunc inchoabant; & incipiebant numerare septem hebdomadas plenas, id est quadragintanouem dies, messi faciendę, & diei Pentecostes, qui immediatè sequebatur inueniendo, destinatos. Dixi, Nisi Sabbatum incidisset, quia cùm non liceret eis colligere spicas in Sabbato, differebant in posterum diem illam manipuli oblationem, & hebdomadarum inceptionem, vt sub anno præcedenti num. 40. probatum est.

17. die } vescebantur azymis, & præter { sacrif. quotid. } offerebant & { proprium vt suprà.
18. die — sacrif. quotid. — proprium.
19. die — sacrif. quotid. — proprium.
20. die — sacrif. quotid. — proprium.

21. die

21. die, qui erat vltimus Azymorum, & fanctior primo; præter efum azymorum & fa-crif. quotid. & proprium huius hebdomadis, infuper fiebat Cœtus feu Collecta. CONVENTVS SIVE COLLECTA.
22. die facrif. quotid.
23. die, Sabbatum, facrif. quotid. & Sabbati; & initium fecundæ hebdomadis.
24. die facrif. quotid.
25. die facrif. quotid.
26. die facrif. quotid.
27. die fiebat facrif. quotid.
28. die facrif. quotid
29. die facrif. quotid.

28. I A R.

Anni facri menfis fecundus habet dies 30.

Primo die, Neomenia, & Sabbatum, facrif. quotid. & Neomeniæ, & Sabbati, & cef-fatio ab operibus, & initium tertiæ hebdomadis.
2. die facrif. quotid.
3. die facrif. quotid.
4. die fiebat facrif. quotid.
5. die facrif. quotid.
6. die facrif. quotid.
7. die facrif. quotid.
8. die, Sabbatum, facrif. quotid. & Sabbati; & initium quartæ hebdomadis.
9. die facrif. quotid.
10. die facrif. quotid.
11. die fiebat facrif. quotid.
12. die facrif. quotid.
13. die facrif. quotid.
14. die facrif. quotid.
15. die, Sabbatum, facrif. quotid. & Sabbati; & initium quintæ hebdomadis.
16. die facrif. quotid.
17. die facrif. quotid.
18. die fiebat facrif. quotid.
19. die facrif. quotid.
20. die facrif. quotid.
21. die facrif. quotid.
22. die, Sabbatum, facrif. quotid. & Sabbati; & initium fextæ hebdomadis.
23. die, Feftum arcis mundatæ à Simone Principe, & facrif. quotid. FESTVM ARCIS MVNDATAE A SIMONE MACHABAEO.
24. die facrif. quotid.
25. die facrif. quotid.
26. die fiebat facrif. quotid.
27. die facrif. quotid.
28. die facrif. quotid.
29. die, Sabbatum, facrif. quotid. & Sabbati; & initium feptimæ hebdomadis.
30. die facrif. quotid.

29. S I V A N.

Anni facri menfis tertius habet dies 29.

Primo die, Neomenia, facrif. quotid. & Neomeniæ.
2. die facrif. quotid.
3. die fiebat facrif. quotid.
4. die facrif. quotid.
5. die facrif. quotid.
6. die, Sabbatum, & Feftiuitas hebdomadarum feu Pentecoftes celeberrima; in qua præter facrif. quotid. & Sabbati, & ceffationem ab omni opere, tenebantur offerre panes primitiarum, & ea facrificia, quæ defcribuntur Leuit. cap. 23. verf. 17. vfque ad 22. & Numer. cap. 28. verf. 26. vfque ad finem capitis. PENTECOSTES SIVE HEBDOMADARVM. PANES PRIMITIARVM.

7. die — sacrif. quotid.
8. die — sacrif. quotid.
9. die — sacrif. quotid.
10. die fiebat sacrif. quotid.
11. die — sacrif. quotid.
12. die — sacrif. quotid.
13. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
14. die — sacrif. quotid.
15. die — sacrif. quotid.
16. die — sacrif. quotid.
17. die fiebat sacrif. quotid.
18. die — sacrif. quotid.
19. die — sacrif. quotid.
20. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
21. die — sacrif. quotid.
22. die — sacrif. quotid.
23. die — sacrif. quotid.
24. die fiebat sacrif. quotid.
25. die — sacrif. quotid.
26. die — sacrif. quotid.
27. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
28. die sacrif. quotid.
29. die sacrif. quotid.

30. TAMVZ.

Anni sacri mensis quartus habet dies 30.

Primo die, Neomenia, sacrif. quotid. & Neomeniæ.
2. die — sacrif. quotid.
3. die fiebat sacrif. quotid.
4. die — sacrif. quotid.
5. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
6. die — sacrif. quotid.
7. die — sacrif. quotid.
8. die fiebat sacrif. quotid.
9. die — sacrif. quotid.
10. die — sacrif. quotid.
11. die — sacrif. quotid.
12. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
13. die — sacrif. quotid.
14. die — sacrif. quotid.
15. die — sacrif. quotid.
16. die fiebat sacrif. quotid.
17. die — sacrif. quotid.
18. die — sacrif. quotid.
19. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
20. die — sacrif. quotid.
21. die — sacrif. quotid.
22. die fiebat sacrif. quotid.
23. die — sacrif. quotid.
24. die — sacrif. quotid.

IEIVNIVM QVARTI. 25. die præter sacrif. quotid. poni debet Ieiunium quarti, de quo meminit Zacharias cap. 8. vers. 19. ob fractas nimirum tali die Legis tabulas à Moyse, vt infrà num. 44. probabitur.

26. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
27. die — sacrif. quotid.
28. die fiebat sacrif. quotid.
29. die — sacrif. quotid.
30. die — sacrif. quotid.

31. À B.

31. AB.

Anni ſacri menſis quintus habet dies 29.

Primo die, Neomenia, ſacriſ. quotid. & Neomeniæ.
2. die ſacriſ. quotid.
3. die, Sabbatum, ſacriſ. quotid. & Sabbati.
4. die ſacriſ. quotid.
5. die ſacriſ. quotid.
6. die ſacriſ. quotid.
7. die fiebat ſacriſ. quotid.
8. die ſacriſ. quotid.
9. die ſacriſ. quotid.
10. die, Sabbatum, ſacriſ. quotid. & Sabbati.
11. die ſacriſ. quotid.
12. die ſacriſ. quotid.
13. die fiebat ſacriſ. quotid.
14. die ſacriſ. quotid.
15. die ſacriſ. quotid.
16. die ſacriſ. quotid.
17. die, Sabbatum, ſacriſ. quotid. & Sabbati.
18. die ſacriſ. quotid.
19. die ſacriſ. quotid.
20. die ſacriſ. quotid.
21. die fiebat ſacriſ. quotid.
22. die ſacriſ. quotid.
23. die ſacriſ. quotid.
24. die, Sabbatum, ſacriſ. quotid. & Sabbati.
25. die ſacriſ. quotid.
26. die, præter ſacriſ. quotid. poni debet Ieiunium quinti, cuius meminit Zacharias cap. 8. verſ. 19. olim inſtitutum, eò quòd in tali die populus, ob ſeditionem in eo excitatam, prohibitus fuerit rectà de Cadesbarne ire in terram Chanaan, vt ex infrà num. 44. dicendis planum fiet. IEIVNIVM QVINTI.
27. die ſacriſ. quotid.
28. die fiebat ſacriſ. quotid.
29. die ſacriſ. quotid.

32. ELVL.

Anni ſacri menſis ſextus habet dies 30.

Primo die, Neomenia, ſacriſ. quotid. & Neomeniæ.
2. die, Sabbatum, ſacriſ. quotid. & Sabbati.
3. die ſacriſ. quotid.
4. die ſacriſ. quotid.
5. die fiebat ſacriſ. quotid.
6. die ſacriſ. quotid.
7. die ſacriſ. quotid.
8. die ſacriſ. quotid.
9. die, Sabbatum, ſacriſ. quotid. & Sabbati.
10. die ſacriſ. quotid.
11. die ſacriſ. quotid.
12. die fiebat ſacriſ. quotid.
13. die ſacriſ. quotid.
14. die ſacriſ. quotid.
15. die ſacriſ. quotid.
16. die, Sabbatum, ſacriſ. quotid. & Sabbati.
17. die ſacriſ. quotid.

18. die } fiebat { sacrif. quotid.
19. die } fiebat { sacrif. quotid.
20. die } fiebat { sacrif. quotid.
21. die } fiebat { sacrif. quotid.
22. die } fiebat { sacrif. quotid.
23. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
24. die } fiebat { sacrif. quotid.
25. die } fiebat { sacrif. quotid.
26. die } fiebat { sacrif. quotid.
27. die } fiebat { sacrif. quorid.
28. die } fiebat { sacrif. quotid.
29. die } fiebat { sacrif. quotid.
30. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.

33. **TISRI.**

Anni sacri mensis septimus habet dies 29.

FESTIVITAS TVBARVM SEV CLANGORIS. ANNI VVLGARIS INITIVM. Primo die, Neomenia, & festiuitas Tubarum seu Clangoris; in qua cessabant ab opere, & præter sacrif. quotid. & Neomeniæ, offerebant sacrificia Leuit. cap. 23. vers. 24. & 25. & latiùs Numer. cap. 29. vers. 1. vsque ad 7. notata. Ab hoc mense Hebræi auspicabantur annum suum vulgarem seu communem, quòd in eo mense mundum creatum fuisse crederent.

2. die sacrif. quotid.

IEIVNIVM OB CAEDEM GODOLIAE. 3. die, præter sacrif. quotid. ponunt Hebræi Ieiunium ob cædem Godoliæ institutum.

4. die } fiebat { sacrif. quorid.
5. die } fiebat { sacrif. quotid.
6. die } fiebat { sacrif. quotid.
7. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
8. die sacrif. quotid.
9. die sacrif. quotid.

FESTVM EXPIATIONIS. 10. die, Festum Expiationis seu Propitiationis, cum Ieiunio & cessatione ab operibus celebrandum ritu Leuit. cap. 16. vers. 30 vsque ad finem capitis, & cap. 23. vers. 27. vsque ad 33. & Numer. cap. 29. vers. 7. vsque ad 12. descripto. Quo etiam die præter sacrif. quotid. offerenda item erant ea, quæ loco Numer. citato præcipiuntur. In hoc quoque die singulis septenniis indicebatur incipiebatque Sabbatismus anni septimi, & Iubileus anni quinquagesimi.

ANNI SABBATICI, ET IVBILEORVM VNDE AVSPICANDI.
11. die } fiebat { sacrif. quotid.
12. die } fiebat { sacrif. quotid.
13. die } fiebat { sacrif. quorid.
14. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.

FESTIVITAS TABERNACVLORVM SEV SCENOPEGIAE. 15. die, Festum Tabernaculorum seu Scenopegiæ celebrandum ritibus Leuit. cap. 23. vers. 34. vsque ad finem capitis, & Num. cap. 29. vers. 12. vsque ad 39. præscriptis. In quo die cessabant ab operibus, & habitabant in tabernaculis per totam octauam; & præter sacrif. quotid. offerebant etiam illa, quæ præcipiuntur Num. cap. citato, vers. 13. vsque ad 17. vbi deinceps describuntur singula sacrificia singulis dictæ octauæ diebus offerenda.

16. die, qui erat Tabernaculorum 2. sacrif. quotid. & illius diei proprium.
17. die, Tabernaculorum 3. sacrif. quotid. & proprium.
18. die, Tabernaculorum 4. sacrif. quorid. & proprium.
19. die, Tabernaculorum 5. sacrif. quotid. & proprium.
20. die Tabernaculorum 6. sacrif. quotid. & proprium.
21. die, Tabernaculorum 7. Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati, & proprium.

COETVS SEV COLLECTAE. 22. die, Tabernaculorum 8. & celeberrimo, cessabant ab opere, & offerebant sacrif. quotid. & ipsius octauæ proprium; & fiebat Cœtus seu Collecta.

RABBINORVM OPINIO DE ENCAENIIS TEMPLI SALOMONIS. 23. die, sacrif. quorid. Et hîc Rabbini ponunt Encænia templi Salomonis; quæ tamen quòd vmquam iussa fuerint quotannis celebrari, nusquam in Sacris libris reperimus scriptum.

24. die

24. die sacrif. quotid.
25. die fiebat sacrif. quotid.
26. die sacrif. quotid.
27. die sacrif. quotid.
28. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
29. die sacrif. quotid.

34. MARESHVAN.

Anni sacri mensis octauus habet dies 30.

Primo die, Neomenia, sacrif. quotid. & Neomeniæ.
2. die sacrif. quotid.
3. die fiebat sacrif. quotid.
4. die sacrif. quotid.
5. die sacrif. quotid.
6. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
7. die sacrif. quotid.
8. die sacrif. quotid.
9. die fiebat sacrif. quotid.
10. die sacrif. quotid.
11. die sacrif. quotid.
12. die sacrif. quotid.
13. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
14. die sacrif. quotid.
15. die sacrif. quotid.
16. die fiebat sacrif. quotid.
17. die sacrif. quotid.
18. die sacrif. quotid.
19. die sacrif. quotid.
20. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
21. die sacrif. quotid.
22. die sacrif. quotid.
23. die fiebat sacrif. quotid.
24. die sacrif. quotid.
25. die sacrif. quotid.
26. die sacrif. quotid.
27. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
28. die sacrif. quotid.
29. die fiebat sacrif. quotid.
30. die sacrif. quotid.

35. CASLEV.

Anni sacri mensis nonus habet dies 29.

Primo die, Neomenia, sacrif. quotid. & Neomeniæ.
2. die sacrif. quotid.
3. die sacrif. quotid.
4. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
5. die sacrif. quotid.
6. die sacrif. quotid.
7. die fiebat sacrif. quotid.
8. die sacrif. quotid.
9. die sacrif. quotid.
10. die sacrif. quotid.
11. die, Sabbatum sacrif. quotid. & Sabbati.
12. die fiebat sacrif. quotid.
13. die sacrif. quotid.

14. die		sacrif. quotid.
15. die	fiebat	sacrif. quotid.
16. die		sacrif. quotid.
17. die		sacrif. quotid.

18. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.

19. die		sacrif. quotid.
20. die		sacrif. quotid.
21. die	fiebat	sacrif. quotid.
22. die		sacrif. quotid.
23. die		sacrif. quotid.
24. die		sacrif. quotid.

FESTVM VICTORIAE IVDITH, IGNIS SIVE LVMINVM, ENCAENIORVM IVDAE MACHABAEI.

25. die, Sabbatum, & præter sacrif. quotid. & Sabbati, tria Festa agebantur, nempe, dies Victoriæ Iudith, & dies Dati ignis siue luminum, & dies Encæniorum Iudæ Machabæi, qui etiam dicebatur Scenopegia, eò quòd in modum Scenopegiæ celebrari iussus esset, quemadmodum sub anno mundi 3890. num. 9. declarabitur. Quæ autem sacrificia rationæ prædictarum festiuitatum speciatim facienda essent, nullibi notatum inuenimus.

26. die		sacrif. quotid.
27. die	fiebat	sacrif. quotid.
28. die		sacrif. quotid.
29. die		sacrif. quotid.

36. THEBET.

Anni sacri mensis decimus habet dies 30.

Primo die, Neomenia, sacrif. quotid. & Neomeniæ.
2. die sacrif. quotid.
3. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
4. die sacrif. quotid.

IEIVNIVM DECIMI.

5. die præter sacrif. quotid. poni debet Ieiunium decimi, cuius meminit Zacharias cap. 8. vers. 19. vt nos infrà num. 44. probabimus.

6. die		sacrif. quotid.
7. die	fiebat	sacrif. quotid.
8. die		sacrif. quotid.
9. die		sacrif. quotid.

ALIVD IEIVNIVM A RABBINIS POSITVM.

10. die, Sabbatum, & præter sacrif. quotid. & Sabbati, ponunt Rabbini loco Ieiunij proxime memorati aliud Ieiunium in memoriam obsidionis Ierusalem cœptæ à Nabuchodonosor tali die, vt dicitur Ieremiæ cap. vlt. vers. 4.

11. die		sacrif. quotid.
12. die		sacrif. quotid.
13. die	fiebat	sacrif. quotid.
14. die		sacrif. quotid.
15. die		sacrif. quotid.
16. die		sacrif. quotid.

17. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.

18. die		sacrif. quotid.
19. die		sacrif. quotid.
20. die	fiebat	sacrif. quotid.
21. die		sacrif. quotid.
22. die		sacrif. quotid.
23. die		sacrif. quotid.

24. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.

25. die		sacrif. quotid.
26. die		sacrif. quotid.
27. die	fiebat	sacrif. quotid.
28. die		sacrif. quotid.
29. die		sacrif. quotid.
30. die		sacrif. quotid.

37. SEBATH.

Anni ſacri menſis vndecimus habet dies 29.

Primo die, Neomenia, & Sabbatum; ſacrif. quotid. & Neomeniæ, & Sabbati.
2. die ⎫ ⎧ ſacrif. quotid.
3. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
4. die ⎬ fiebat ⎨ ſacrif. quotid.
5. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
6. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
7. die ⎭ ⎩ ſacrif. quotid.
8. die, Sabbatum, Sacrif. quotid. & Sabbati.
9. die ⎫ ⎧ ſacrif. quotid.
10. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
11. die ⎬ fiebat ⎨ ſacrif. quotid.
12. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
13. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
14. die ⎭ ⎩ ſacrif. quotid.
15. die, Sabbatum, & ſacrif. quotid. & Sabbati.
16. die ⎫ ⎧ ſacrif. quotid.
17. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
18. die ⎬ fiebat ⎨ ſacrif. quotid.
19. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
20. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
21. die ⎭ ⎩ ſacrif. quotid.
22. die, Sabbatum, ſacrif. quotid. & Sabbati.
23. die ⎫ ⎧ ſacrif. quotid.
24. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
25. die ⎬ fiebat ⎨ ſacrif. quotid.
26. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
27. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
28. die ⎭ ⎩ ſacrif. quotid.
29. die; Sabbatum, ſacrif. quotid. & Sabbati.

38. ADAR.

Anni ſacri menſis duodecimus habet dies 30.

Primo die, Neomenia, ſacrif. quotid. & Neomeniæ.
2. die ⎫ ⎧ ſacrif. quotid.
3. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
4. die ⎬ fiebat ⎨ ſacrif. quotid.
5. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
6. die ⎭ ⎩ ſacrif. quotid.
7. die, Sabbatum, ſacrif. quotid. & Sabbati.
8. die ⎫ ⎧ ſacrif. quotid.
9. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
10. die ⎬ fiebat ⎨ ſacrif. quotid.
11. die ⎪ ⎪ ſacrif. quotid.
12. die ⎭ ⎩ ſacrif. quotid.

13. die, præter ſacrif. quotid. agebatur celebritas ob cædem Nicanoris, vt expreſsè tradunt Auctores 1. & 2. Machab. & Ioſephus locis ſuprà num. 25. citatis. Quæ autem ſacrificia ratione dictæ Feſtiuitatis offerri deberent, nemo memorat. FESTIVITAS OB CAEDEM NICANORIS.

14. die, Sabbatum; & præter ſacrif. quotid. & Sabbati, fiebat Ieiunium Eſther, & feſtum Mardochæi, quod dicebatur Sortium minus. IEIVNIVM ESTHER. FESTVM MARDOCHAEI, SIVE PHVRIM, HOC EST SORTIVM.

15. die, præter ſacrif. quotid. celebrabant feſtum Sortium maius.
16. die ⎫ fiebat ⎧ ſacrif. quotid.
17. die ⎭ ⎩ ſacrif. quotid.

18. die

18. die } fiebat { sacrif. quotid.
19. die } fiebat { sacrif. quotid.
20. die } fiebat { sacrif. quotid.
21. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
22. die sacrif. quotid.

DE ENCAENIIS TEMPLI ZOROBABELIS.

23. die, præter sacrif. quotid. ponunt Rabbini Encænia templi Zorobabelis: quod tamen templum 1. Esdr. cap. 6. vers. 15. dicitur fuisse completum die huius mensis tertio; & ibidem subiungitur eius dedicationis historia. Nec vspiam in Sacris libris vllum verbum reperitur, de indicta eius annua festiuitate celebranda.

24. die } fiebat { sacrif. quotid.
25. die } fiebat { sacrif. quotid.
26. die } fiebat { sacrif. quotid.
27. die } fiebat { sacrif. quotid.
28. die, Sabbatum, sacrif. quotid. & Sabbati.
29. die sacrif. quotid.
30. die sacrif. quotid.

HEBRÆORUM FESTIVITATES AD DIVINA BENEFICIA RECOLENDA INSTITUTÆ.

39. Illud autem commune fuit omnibus hisce festiuitatibus, quòd omnes & singulæ ad diuina beneficia recolenda institutæ fuerunt, siue vniuersalia toto humano generi exhibita, siue particulariter ipsi populo Israëlitico collata. Nam, vt ex B. Tho. 1. 2. quæst. 162. art. 4. ad 10. apparet, primæ tres festiuitates tria beneficia vniuersalia cunctisque communia colebant: Iugis namque sacrificij cultus repræsentabat diuinæ beatitudinis perpetuitatem, cuius cognitio manifestata est hominibus, vt ad ipsum Deum ardentiùs amandum colendumque prouocarentur: Sabbati sollemnitas, mundi creationem; qua sex diebus absoluta, cessauerat Deus die septima ab omni opere, diemque illum in memoriam tanti huius beneficij sanctificauerat: Neomenia, diuinam eiusdem mundi, præcipuè sublunarium, gubernationem. Reliqua verò Festa, commemorabant particularia quædam beneficia valdè insignia illi populo exhibita: nimirum Pascha, liberationem eximiamque de seruitute Ægyptiaca: Pentecostes, Moysaicam Legem cælitus datam: Festum Tubarum, liberationem Isaac de manu Patris sui illum immolare volentis: Expiationis, propitiationem peccati, quod populus in adoratione vituli commiserat: Tabernaculorum Cœtusque, diuinam protectionem, quam priùs experti fuerant Israëlitæ quadraginta annis in deserto ambulantes, ac sub tentoriis habitantes, deinde etiam in Terra promissionis adunati, ac mirabiliter introducti: præterquam quòd hoc Festum fiebat etiam in recognitionem fructuum de area & de torculari collectorum, quemadmodum colligi potest Deuteronomij cap. 16. vers. 13. Similiter festum Iudith ob Holofernem ab ea occisum, & Iudæam ab eius expugnatione liberatam; & Dies dati ignis rememorabat admirandam illam faeri ignis accensionem, ex aqua illa crassa super Altare holocausti diuinitus exortam: Dies autem Phurim, hoc est Sortium, liberationem populi ab interitu, quem ei procurauerat impius Aman. Encæniorum verò celebritas, templi à Gentibus profanati purificationem dedicationemque recolebat. Et Festum ob cædem Nicanoris, populi templique liberationem à subuersione & vastitate quam ipse Nicanor minitatus fuerat. Denique Simonis celebritas, eiectionem Gentium de arce Ierosolymitana.

40. Sed hîc antequam vlteriùs progrediamur, aduertendum est, quòd Cardinalis Toletus super Ioan. cap. 2. Annot. 2. vbi agit de Festis Iudæorum, in assignandis causis institutionis festorum Pentecostes, Tubarum, & Expiationis, nonnihil dissentit à communi Hebræorum ac Latinorum sententia, quam nos paulò antè secuti retulimus. Et primò quòd attinet ad Pentecosten, putat eum non in memoriam datæ Legis fuisse institutam; sed ad agendas Deo gratias pro terræ fructibus acceptis. Et hoc tribus potissimùm probare nititur argumentis. Primò, quia Scriptura sacra, vbi de tali Festo agit, nihil de data Lege exprimit. Secundo, quia Deuter. cap. 16. vers. 10. illis verbis: *Celebrabis diem festum Hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui*; videtur Scriptura indicare, hanc sollemnitatem fuisse institutam, vt dictum est, pro ipsa frugum acceptarum recognitione. Et hoc comprobare conatur auctoritate Iosephi, qui 3. Antiq. cap. 10. ait: *Æquum rati, Deum huius vbertatis auctorem per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt*, &c. & Philonis non procul à fine lib. Decalogi, vbi non dissimilia verba habet. & S. Ioan. Chrysostomi, qui Homil. 4. in Acta idem videtur sensisse, dicens: *Quæ est hæc Pentecoste? cum falx mittenda esset in messem, cùm fructus essent colligendi*, &c. Tertio

tio demum, quia, inquit, Doctores antiqui illud tantùm affirmare videntur, scilicet, Legem datam die à Paschate quinquagesimo: citatque in hanc sententiam SS. Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, & alios. Verumenimuerò ad hæc argumenta sic respondere possumus. Ad primum, dato quòd festum Pentecostes, ratione alterius festi Primitiarum, quod (vt infrà num. 43. dicemus) ei erat adiunctum, quodammodò dici possit fuisse institutum ad agendas Deo gratias pro sementinis frugibus acceptis; sicuti secunda die Azymorum celebrabatur alterum quoque festum Primitiarum pro frugibus temporaneis, (de quo festo, & non de Pentecoste, loquuntur Iosephus & Philo locis citatis, vt legenti clarum fiet;) attamen nihil prohibet, quin festum Pentecostes in recognitionem Legis datæ principaliter fuerit institutum. Nam & hoc quoque Scriptura sacra videtur aliquatenus indicasse Deuter. cap. 16. vbi de hac sollemnitate agens, post illa verba quæ pro se Toletus in suo 2. argumento citat, hæc versf. 12. subdit: *Custodiesque, ac facies quæ præcepta sunt.* Quibus verbis adeò vniuersalibus, vtique videtur in eodem specialiter Festo hortari populum ad obseruanda præcepta Decalogi olim tali die data, & consequenter insinuare, Festum illud in memoriam dictæ Legis fuisse institutum. Sed etiamsi Scriptura sacra nihil prorsus de causa institutionis dicti Festi indicasset, non ideò tamen esset mirandum; tum quia sufficit, quòd nullibi contrarium expresserit; tum quia ipsa solet interdum eiusmodi causas reticere, & sacris Doctoribus indagandas explicandasque relinquere; quemadmodum signanter patet de quibusdam aliis huiuscemodi Festis, nempe Tubarum, & item Cœtus & Collectæ; quorum institutionis causas præterit. Ad illud verò quod Toletus tertiò loco dicit, Doctores antiquos id tantùm affirmasse, Legem datam die à Paschate quinquagesimo; idque fuisse figuram aduentus Spiritus sancti, & promulgatæ Legis Euangelicæ; non autem indicasse, quòd hoc Festum fuerit institutum in memoriam beneficij acceptæ Legis. Nos econtrariò dicimus, antiquos Patres vtrumque docuisse: nam S. Cyprianus in Serm. de Spiritu sancto hæc ad verbum habet: *Lex igitur in Paschalis agni immolatione die quinquagesimo datur;* (ecce primum:) *& Pentecostes nomen tantæ rei sollemnitas ex Lege accepit.* (ecce alterum:) & S. Hieronymus in epistola ad Fabiolam, quæ est 127. Mansione 12. *Supputemus*, inquit, *numerum, & inueniemus quinquagesimo die egressionis Israël ex Aegypto in vertice montis Sinai Legem datam, vnde & Pentecostes celebratur sollemnitas* (subaudi, Hebraica: nam de Christiana illicò subiungit) *& postea Euangelij sacramentum in Spiritus sancti descensione completur.* Quid clarius dici potuit? Sanctus quoque Augustinus in calce quæstionis 95. ex nouo Testamento causam institutionis antiquæ Pentecostes in hæc verba concludit: *Igitur dedicatio Legis est Pentecoste.* Præterea iidem sancti Doctores, & item SS. Ioãnes Chrysostomus & Leo Papa in suis de Pentecoste Sermonibus, & alij, in eo quòd apertè asserunt ac supponunt, veterem Pentecosten fuisse figuram nouæ; & in veteri quidem promulgatam esse Legem Moysaicam; in noua verò Euangelicam; vtique etiam supponunt tamquam verissimum atque indubitatum, quòd quemadmodum nos in nostra Pentecoste recolimus gratiam promulgatæ Legis Euangelicæ; ita & Hebræi in sua recolerent beneficium acceptæ Legis Moysaicæ; alioquin (vt benè ait Cardinalis Bellarminus Controuersia 7. lib. 3. cap. 13.) periret pulcherrima hæc nostræ Pentecostes figura. Denique in Kalendario Hebræorum, quod Latinè edidit in suis Psalmorum Commentariis Genebrardus, expressè ponitur die 6. mensis Siuan, qui erat anni Sacri tertius, *Dies Pentecostes in memoriam datæ Legis.* quod sanè arguit extitisse antiquam de hac re Hebræorum traditionem. Quod attinet ad festum Tubarum, tametsi Toletus non improbabilem putet communem opinionem, quòd scilicet institutum fuerit ob liberationem Isaac: tamen magis probare videtur alteram, quam dicit esse SS. Basilij & Theodoreti super illa verba Psalm. 80. *Buccinate in Neomenia tuba.* nimirum, fuisse institutum propter illam vocem buccinæ, quæ audiebatur, quando data fuit Lex Moysaica. Verùm Toletus (vt ipsemet ibidem fatetur) in hanc posteriorem sententiam magis inclinat, quia putat Pentecosten non fuisse institutam ob memoriam datæ Legis. At nos, qui oppositum probauimus, meritò in priorem potiùs inclinare debemus: præsertim cùm festum hoc Tubarum prima die septimi mensis celebrari soleret, (vt ex ipso Hebræorum Kalendario patet) ille autem buccinæ sonitus die sexta mensis tertij auditus fuerit; & nulla possit rationabilis assignari causa, cur hæc tantùm solemnitas præter ritum aliarum, in aliud tempus transferri debuerit. Præterquam quòd non videtur credibile, quòd propter dictum tubæ sonum sollemnitas quotannis celebranda fuerit instituta, & propter Legem olim datam (quæ res multò maioris recognitionis ac perpetuæ memoriæ

moriæ digna erat) nihil tale, si Toletum sequamur, inueniatur sancitum. Porrò SS. Basilius & Theodoretus locis citatis, non tam de hoc particulari Festo, quàm de vniuersali tubatum vsu loqui videntur; quòd scilicet in Lege veteri fuerint introductus, vt homines admonerentur sonitus buccinæ olim mirabiliter in monte Sinai auditi. Denique de festo Expiationis seu Propitiationis (vtroque enim vocabulo nuncupatur Leuit. cap. 23. vers. 27. & 28. quòd in eo specialiter niti deberent, vt & peccatorum suorum veniam impetrarent, & Deum sibi propitium redderent) tametsi videatur institutum, vt sollemniter orarent pro totius populi peccatis semel in anno, quemadmodum exprimitur Leuit. cap. 16. in fine: hoc tamen nihil obstat opinioni communi; quia vel ex hoc quòd Festum istud statutum fuit debere celebrari die decimo mensis septimi, in quo constat veterem illam expiationem adorationis vituli (vt nos sub anno mundi 2544. num. 57. probauimus) fuisse promulgatam; proculdubiò, vt ibidem diximus, insinuatur, eamdē festiuitatem ideò fuisse institutam, vt in ea specialiter propitiationem illam patribus eorum olim factam deuotè recolerent, ac pro ea debitas gratiarū actiones Deo exoluerent; & pariter ex hac recordatione & occasione sibi ipsis quoque consulerent, nimirum ieiuniis, orationibus, sacrificiis, aliisque eiusmodi ritibus eodem die à Lege statutis operam dantes, vt vniuersalem etiam omnium illius anni peccatorum suorum expiationem ac propitiationem obtinerent. Sed iam tempus est, vt sublatis hisce narrationis nostræ obstaculis, ad eamdem prosequendam accedamus.

A VESPERA AD VESPERAM CELEBRANDAE.

41. Commune item fuit omnibus Hebræorum festiuitatibus, quòd à vespera ad vesperam celebrandæ erant, vt præcipitur Leuit. cap. 23. vers. 32. vbi illud *à vespera vsque ad vesperam*, non est annectendum (vt plura habent exemplaria) verbis antecedentibus, quæ loquuntur specialiter de festo Expiationis, tamquam si illud Festum tantummodò à vespera vsque ad vesperam esset celebrandum: sed à superiori clausula punctis est separandum, & littera maiuscula inchoandum, quemadmodum videre est in codicibus Vulgatæ editionis Romæ anno salutis 1593. impressis, quos sequimur; cum quibus concordant Textus LXX. Interpretum & Paraphrastis Chaldaicæ, in Bibliis Regiis excusi. Datur itaque ibi (obiter occasione sumpta à festo Expiationis) regula vniuersalis, in Festorum sollemnitatibus obseruanda; vt scilicet à vespera præcedentis diei inchoari deberent, & in proxima sequenti vespera terminari: ac per hoc tacitæ quodammodò occurritur obiectioni, Cur Scriptura ibidem præcipiat festum Expiationis esse incipiendum die nona mensis septimi, cùm paulò antè, hoc est vers. 27. dixisset, eamdem festiuitatem incidere in diem eiusdem mensis decimam: Quia nimirum omnia Festa à vespera vsque ad vesperam celebranda erant. Quæ regula etiam nunc in sancta Ecclesia, quoad diuina Officia recitanda, obseruari solet: non propter vetus illud præceptum, quod antiquatum omnino esse nemo dubitat; sed quoniam sic posteà sancitum fuit in Decretalibus c. 1. de Ferijs. Quamquam non vbique tempus Vesperatum ita præcisè ab ortu stellæ Veneris, quam Hesperum vocant, incipere soleant Christi cultores, vt solebant Hebræi; sed communiter multò anteà, nimirum ab expleta circiter hora prima post meridiem.

SPECIALIBVS SACRIFICIIS HONORANDAE.

42. Sanè veteres Hebræorum festiuitates singulæ particularibus quibusdam sacrificijs, & oblationibus, ac cærimonijs in Lege determinatis celebrandæ erant; de quibus vide Leuitici cap. 23. & Numer. cap. 28. & 29. Et si quando duæ pluresue vno eodemque die concurrerent, puta Neomenia & dies Tubarum, quæ semper eodem incidebant die, & nonnumquam etiam Sabbatum; tunc singula sacrificia, singulis illis diebus festis assignata, eodem die, præter Iuge sacrificium, matutinum videlicet & vespertinum, quod nulla die prætermitti poterat, immolanda erant; vt ex citato Num. cap. 28. vers. 23. & 30. & cap. 29. pluribus in locis euidenter colligi potest, & in Kalendario paulò superius notato expressum est. Licet autem, vt diximus, omnia Hebræorum Festa antiquitus instituta, proprijs tum sacrificijs tum obseruationibus celebranda essent; non tamen in omnibus ac singulis iubebantur Hebræi absolutè ab omni opere, siue ab operibus seruilibus abstinere: sed tantummodò in quibusdam diebus sollemnioribus. Et quidem in Sabbato, quia simpliciter ab omnibus operibus cessare mandatum fuerat Leuit. cap. 23. vers. 3. propterea etiam quæ ad cibos pertinebant prohibita esse intelligebantur; vnde neque ignem pro victu accendere, neque vllos parare cibos licebat in die Sabbati; sed id facere cogebantur die præcedenti, quæ propterea Parasceue, hoc est Præparatio, & Ante Sabbatum, dicebatur. Eamdem simpliciter cessationem ab omni prorsus opere etiam in die Expiationis fuisse præceptam, credidit Ribera lib. 5. de Templo cap. 5. num. 3. secutus Abulensem super Leuit. cap. 23. quæst. 7. Et ratio est, inquit, quia

QVANDO AB OPERIBVS SERVILIBVS ABSTINENDVM.

RIBERAE OPINIO REIICITVR.

quia in eodem Leuit. capite verſ.30. dicitur: *Animo quæ operis quippiam fecerit in die illo*, (& loquitur de feſto Expiationis) *delebo eam de populo ſuo*. Ex quibus verbis infert citatus Auctor, quòd verſ.28.citati capitis, vbi de eadem ſollemnitate dictum fuerat, *Omne opus ſeruile non facietis in tempore diei huius*, obliterandum ſit illud *ſeruile*, tamquam redundans. Sed quoniam in Vulgata editione num. præcedenti à nobis citata, quæ meritò reliquas omnes auctoritate præcellit, non ſolùm loco Leuit. proximè adducto, ſed etiam Numer.cap.29. verſ.7. vbi de eadem ſollemnitate eadem verba repetuntur, vtrobique habetur illa particula *ſeruile*; idcircò tutius videtur aſſerere, Hebræos in Sabbatis dumtaxat à ciborum præparatione ceſſare iuſſos eſſe; & conſequenter, vbi in Leuitico de die Expiationis ſubiungitur; *Anima quæ operis quippiam fecerit*; & poſt pauca, *Nihil ergo operis facietis in eo*; debere intelligi de operibus ſeruilibus non neceſſarijs, quemadmodum ibidem paulò ſuperiùs indicatum fuerat illis verbis: *Omne opus ſeruile non facietis in tempore diei huius*. multò namque conuenientius videtur ſacram Scripturam rationabiliter exponere, quàm corrigere codices eius audere. Igitur, vt dictum eſt, in Sabbatis tantùm ab omni opere, etiam ad cibi apparatum neceſſario, abſtinere tenebantur Hebræi: in prima verò & ſeptima die Azymorum, ab alijs dumtaxat operibus ſeruilibus (his quæ ad cibum pertinent exceptis) vt ſignanter exprimitur Exodi cap.12.verſ.16. & eodem modo in die Pentecoſtes, Tubarum, Expiationis, ac in die prima & octaua Tabernaculorum, quando fiebat Cœtus atque Collecta. At in Neomenijs, & alijs Azymorum & Tabernaculorum diebus, nullum de abſtinendo ab operibus ſeruilibus præceptum habebant; ſed tantummodò tenebantur ſacrificia cærimoniaſque illis diebus ſtatutas adimplere.

FESTA PRAECIPVA QVAE, ET QVID IN IPSIS AGERE TENERENTVR.

43. Illud prætereà inter memoratas intererat Feſtiuitates, quòd aliquæ, videlicet tres, inter ceteras omnes erant celeberrimæ, ſcilicet Paſcha, Pentecoſtes, & Scenopegia, quæ erat feſtiuitas Tabernaculorum: itaut in hiſce ſollemnitatibus, & non in aliis, omne maſculinum (vt præcipitur Exod.cap.23.verſ.17.& clariùs Deuter.cap.16.v.16.) teneretur apparere in conſpectu Domini, id eſt, vbi eſſet Tabernaculum ſiue templum Domini; & ibidem in die Paſchatis immolare Phaſe. (etenim ne alibi facerent Phaſe, cauetur in eodem Deuter. cap. verſ.5.) In alijs verò duobus Feſtis, ſicut & in primo, aliquid pro viribus offerre Domino, quemadmodum Deuter.cap.citato verſ.16.vſque ad 18. præceperat idem Dominus, prohibens ne quiſquam appareret ante Dominum vacuus. Huc accedit, quòd ex priſcis Hebræorum ſollemnitatibus aliquæ vno die naturali, hoc eſt viginti quattuor horarum ſpatio complebantur; puta Sabbatum, Neomenia, Pentecoſtes, dies Tubarum, & Expiationis: aliquæ verò pluribus, nempe Scenopegia, & Paſcha, cum diebus Azymorum coniunctum. quòd enim illi cum Paſchæ feſto comprehenderentur, liquidò colligitur ex Euangelio Marci cap.14. verſ.1. vbi dicitur: *Erat autem Paſcha, & Azyma poſt biduum.* & apertiùs Lucæ cap.22. verſ.1. vbi legimus: *Appropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha.* & verſ.7. *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* & Actorum cap.12.verſ.3. vbi dicitur, quòd quando Herodes apprehendit Petrum, erant dies Azymorum: & verſ. ſequenti ſubiungitur: *Volens poſt Paſcha producere eum populo.* id eſt poſt dies Azymorum. Ratio autem memoratæ ſollemnitatum differentiæ hæc aſſignari ſolet, quòd illæ ſollemnitates, quæ fiebant in memoriam alicuius beneficij vno die collati, ſeu rei vnica die geſtæ, vnico pariter die abſoluebantur: quæ verò plurimis, ſeptenario dierum numero, qui in Sacro eloquio pro vniuerſitate accipi ſolet, celebrari debebant; propereà, quia populus ille triginta diebus (vt ſub anno præcedenti num.31. monſtratum eſt) azymis alitus fuerat, & per quadraginta annos in tentorijs habitauerat; ſeptem diebus durabant feſtiuitates Azymorum & Tabernaculorum; reliquæ verò ſingulæ vno tantùm die. Item inter ſe diſſidebant prædictæ ſollemnitates, quòd aliquæ erant ſimplices, & quibuſdam diebus ferialibus intermedijs ab inuicem ſeparatæ, vt Sabbata, Neomeniæ, dies Tubarum, & Expiationis: aliquæ ſimul iunctæ & connexæ, vt Paſcha cum diebus Azymorum, & Primitiarum, & Collectæ: hæc enim quattuor ſollemnitates partim erant inter ſe mixtę, partim altera poſt alteram continuatæ: quandoquidem menſe primo, quartadecima die menſis ad veſperam, Paſcha Domini erat; quemadmodum dicitur Leuit. cap.23.verſ.5. & Deuter.cap.16.verſ.6. Et quintadecima die menſis huius, ſollemnitas Azymorum, Leuit. cap. citato verſ.6. Altera autem dies Azymorum, quę erat decimaſexta dicti menſis, ſimul erat dies Primitiarum; in qua, vt ibidem verſ.10. 11.& 15. legimus, offerri debebant Domino manipuli ſpicarum primitiæ meſſis, quandoque quidem frugum temporanearum, quandoque verò ſerotinarum, vt ſub anno mundi

QVAE VNICO DIE, ET QVAE PLVRIBVS AGERANTVR.

QVAEDAM SEIVNCTA, QVAEDAM ALIIS COPVLATA.

mundi 2544. num. 10. dictum est; quas fruges igni torrere consueuerant, vt traditur Leuit. cap. 2. vers. 14. & apud Iosephum 3. Antiq. cap. 10. In septimo item die Azymorum fiebat quędam hominum coadunatio, quæ dicebatur Cœtus seu Collecta, cuius fit mentio Deuter. cap. 16. vers. 8. Ecce quot Festa cum Paschali sollemnitate copulabantur. Similiter dies Pentecostes continebat aliam Primitiarum sollemnitatem, cuius fit mentio Numer. cap. 28. vers. 26. In hac primitiuorum die offerebantur primitiæ messis triticeæ, vt expresse habemus Exod. cap. 34. vers. 22. & fortassis aliarum quoque frugum serotinarum, vt videtur posse colligi Numer. cap. 28. vers. 28. vbi supponitur, Leuitas de vniuersis primitias accepisse. Et prętereà duo panes primitiarum, de quibus præcipitur Leuit. cap. 23. vers. 17. In diebus quoque Tabernaculorum, qui erant septem, adiungebatur octauus, qui & ipse dicebatur dies Cœtus seu Collectę, eratque sollemnis: Leuit. cap. 23. vers. 36. & Numer. cap. 29. vers. 35. Quare duplex fuit apud Hebręos celebritas Cœtus siue Collectæ: altera quæ fiebat in septima die Azymorum, altera immediate post septem dies Tabernaculorum: fortassis, vt sic bis in anno simul collecti & coadunati coram Domino, gratias agerent pro collectis frugibus temporaneis & serotinis: vel (vt alijs magis placet) vt prima vice, septima scilicet die Azymorum, in vnum congregati, gratias Deo rependerent, quòd (ex quo sparsim per turmas de Ægypto exierant, ita exigente magna illa festinatione qua ab Ægyptijs exire compellebantur, quam festinationem Azymorum comestione recolebant) eos posteà Dominus in vnum collectos, per Mare rubrum mirabiliter traduxisset: altera verò vice, videlicet octaua Tabernaculorum die, vt pariter vnanimes Deo debitas gratiarum actiones exoluerent, quòd post quadraginta annorum peregrinationē in deserto, quam septem diebus præcedentibus in tabernaculis habitantes rememorauerant, omnes tandem in Terra promissionis incolumes congregasset. Vtrùm autem quemadmodum posteà Apostolorum temporibus in Ecclesijs Christianorum Gentilium colligi solebant per vnam Sabbati eleēmosynæ Ierosolymam transmittendæ pro pauperibus fratribus ibidem sustentandis, vt patet 1. ad Corinth. cap. 16. vers. 1. & 2. vbi Apostolus mandat, de collectis eodem modo esse faciendum in Corinthiorum Ecclesijs, sicuti ipse ordinauerat Ecclesijs Galatiæ: ita etiam olim apud Hebræos in illismet diebus Cœtus, & non in alijs, fierent quoque (vt multi crediderunt) nummorum collectæ, pro expensis in Tabernaculo templóve faciendis; vsque adhuc exploratum non habemus: nisi quòd Cardinalis Toletus super Ioannis cap. 7. Annot. 2. titulo De Collectis, id sine vlla hæsitatione affirmat, quamuis nulla veteris Testamenti Patrúmve testimonia de hac re proferat. Et hæc de Hebręorum Festiuitatibus sint dicta.

DIES COETVS ET PRIMITIARVM DVPLICES, ET CVR.

DE IEIVNII DIEBVS.

44. Quoniam verò Festis diebus annexi admodum esse videntur dies Ieiuniorum, vtpote qui & ipsi aliquam habeant sollemnitatem, & sæpè Festa præcedere soleant, ad animos pro illis deuotiùs celebrandis præparandos; videretur hîc etiam de sollemnioribus Hebręorum Ieiunijs aliquid subiungendum. Verùm quia non solùm in Leuitico, sed in alijs quoque Sacris libris, pauca admodum de ipsis habentur: ex quo inferri potest, non plura olim Hebræis indicta fuisse Ieiunia, & plurima illa quæ nunc ab ipsis obseruari dicuntur, (paucis dumtaxat exceptis) potiùs ab ipsorum Rabbinis, & posterioribus valdè temporibus introducta fuisse, quàm olim à Deo instituta: propterea hîc tantummodò ea, quæ in Sacris libris notata reperiuntur, breuiter commemorabimus. Qui verò de alijs quoque curiosiùs edoceri exoptauerit, videre poterit Kalendarium Hebraicum, quod Genebrardus Latinum fecit, & cum suis in Psalmos Commentarijs edidit: ibi enim omnia diligenter collecta, proprijsque mensibus ac diebus adnotata inueniet, adiunctis etiam breuiter causis, cur singula fuerint instituta. Quæ ergo in sacris Scripturis memorantur ieiunia, non semper explicitè Ieiunij, sed interdum etiam Animorum afflictionis vocabulo significata fuisse, colligi potest ex Leuit. cap. 16. vers. 29. & cap. 23. vers. 27. 29. & 32. & Numer. c. 29. vers. 7. quibus in locis loquitur Scriptura de die Expiationis; in qua, vt ibidem tradunt Expositores, etiam ieiunij præceptum à Deo datum fuerat. Quamquam autem eadem Scriptura sacra frequenter memoret, plurimos extraordinariè varijs de causis ieiunasse, & nonnumquam item, ob ingruentes calamitates communiter prædicata indictáque pro tunc fuisse ieiunia: nescio tamen an vmquam de vllo alio sollemni & ordinario meminerit, præterquam de illis quattuor, quos paucis perstringit Zacharias cap. 8. vers. 19. dicens: *Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in sollemnitates præclaras.* Nam etsi Ieremiæ cap. 36. vers. 9. legimus, prædicatum fuisse ieiunium in mense nono anni quinti Regis Ioakim: non

satis

satis tamen exploratum videtur, vtrùm illud fuerit ordinarium, & quotannis prædicari solitum; an verò extraordinarium, atque ex particulari aliqua tunc occurrente causa prædicatum. Licet enim videri possit fuisse ordinarium, quia in præfato Hebræorum Kalendario, *Ieiunium, ob combustum à Rege Ioakim volumen, quod Baruch dictante Ieremia conscripserat*, reperitur notatum die septima mensis Casleu, qui erat Anni sacri mensis nonus: nihilominùs, si ieiunium in dicto Kalendario notatum, expressa ibidem de causa fieri consueuerat; proculdubiò oportet, quòd ante memoratum Regis Ioakim annum non fuerit in vsu, sed quòd posteà à Rabbinis fuerit institutum. Quin etiam addimus, quòd Ieiunium illud de quo Ieremias vbi suprà loquitur, asseritque memorato mense annoque fuisse prædicatum, non videtur potuisse prædicari ob dicti voluminis combustionem: quandoquidem ex continuato Sacri textus ordine apparet, dictum volumen eodem quidem anno ac mense fuisse combustum, sed post illius ieiunij prædicationem. Quod si ita est, vtique oportet illud alia de causa nobis incognita tunc fuisse prædicatum; nec tamen propterea sequitur, quòd fuerit annuum & ordinarium, tamquam olim à Deo institutum: quia si sic esset, fuisset etiam cum sua pariter causa in dicto Hebræorum Kalendario registratum. Quod verò attinet ad Ieiunia loco Zachariæ citato memorata, B. Hieronymus veteres secutus Hebræos, exponit has ob causas fuisse instituta; videlicet Ieiunium quarti mensis, quoniam tunc Moyses de monte descendens, visa populi in cultu vituli idololatria, confregit tabulas Legis quas à Domino acceperat. Ieiunium quinti mensis, quia tunc Hebræi propter seditionem inter ipsos concitatam, prohibiti sunt rectà ire in Terram promissionis, sed circumducti sunt quadraginta annis per desertum: & quia eodem posteà etiam mense Ierusalem templumque à Chaldæis (vt sub anno mundi 3447. num. 1. dicemus) exusta sunt. Ieiunium mensis septimi, propter cædem Godoliæ, quæ fuit Hebræis valde perniciosa. quamquam fortè meliùs dici posset, ob diem Expiationis, quem cum ieiunio, vt dictum est, celebrabant die decimo mensis septimi. Denique Ieiunium mensis decimi, quoniam Ezechiel & qui cum eo erant in Babylone captiui, in tali mense audierunt, templum vrbemque fuisse desolata. Neque verò est quòd B. Hieronymo hac in parte minùs credendum quis putet, quòd aliquos habuerit contradictores; quandoquidem etiam strenuum habuit defensorem Riberam super loco Zachariæ paulò suprà citato: & præterea eadem B. Hieronymi sententia comprobari potest, de quarto quidem mense, ex his quæ nos sub anno mundi 2544. num. 48. diximus: de alijs verò tribus, ex his quæ infrà suis locis dicemus. Aduertendum verò est, Hebræos Ieiunium decimi mensis, quod die quinto institui debuerat (tali enim die, vt patet Ezechielis cap. 33. vers. 21. qui erant captiui in Babylone nuntium acceperunt de Ierosolymorum templique subuersione) in suo Kalendario, nescio quam ob rem, prætcrijsse, & eius loco alterum alia de causa in decimo eiusdem mensis die posuisse; quòd nimirum tunc Nabuchodonosor Ierosolymam (vt 4. Reg. cap. vlt. vers. 1. traditur) obsidere cœpisset. Insuper ipsi Hebræorum Rabbini, in dictis quarti & quinti mensis Ieiunijs notandis, non rectam videntur dierum rationem inijsse: siquidem Ieiunium quarti ob fractas Legis tabulas, posuerunt in decimoseptimo dicti mensis die, cùm debuissent illud ponere in vigesimoquinto, quo die confractas fuisse tabulas, ex his quæ sub anno numeroque proximè citatis diximus, perspicuè colligitur. Item Ieiunium quinti, quòd prohibiti fuissent Hebræi rectà de Cadesbarne in proximam transire Terram promissionis, ponunt die nono, cùm id die circiter illius mensis vigesimosexto contigisse, ex infrà num. 65. dicendis constare posfit. Sed non mirum est, Rabbinos in huiusmodi diebus aliquando hallucinari; cùm in annis quoque totam ferè ipsorum Chronologiam valdè mendosam esse certissimum sit, quemadmodum in Procemio huius Operis num. 8. ostensum est. Cæterùm, hæc Ieiunia nos in nostro Hebræorum Kalendario, quod suprà num. 27. vsque ad 39. positum fuit, singula proprijs locis adnotare maluimus.

REDARGVVNTVR QVAEDAM RABBINORVM POSITIONES.

45. Veniamus nunc ad legales immunditias & pollutiones, earumdemque expiationes seu purificationes, de quibus etiam hoc loco agere proposueramus. Oportet autem ante omnia recolere, quòd, vt optimè docet B. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 4. Dei cultus, siue spiritualis, qui consistit in deuotione mentis ad ipsum; siue corporalis, qui in quibusdam actibus humanis exterioribus ad Dei honorem directis positus esse videtur; quales olim erant, sacrificia facere, sanctificata comedere, sancta, hoc est munda tangere, ire ad templum, & cetera huiusmodi, poterat legalibus quibusdam obstaculis impediri: nam à cultu spirituali impediebant peccata, nempe idololatria, homicidium, adulterium, incestus, & similia; quæ proculdubiò animam maculant: & ab istis pollu-

DE LEGALIBVS IMMVNDITIIS, ET EARVM EXPIATIONIBVS.

tionibus spiritualibus purificabantur homines illo sacrificij genere, quod Pro peccato diximus appellari, & vel pro peccato multitudinis, vel particularium offerri consueuerat: non quòd sacrificia illa carnalia ex se ipsis virtutem haberent expiandi peccata; sed quia significabant expiationem peccatorum, quæ fieri debebat in Passione Christi, cuius participes erant etiam illi, qui sub veteri Testamento degebant, protestantes fidem Redemptoris in illorum sacrificiorum figuris. A corporali verò siue exteriori cultu, impediebant olim legales quædam immunditiæ, seu veluti quædam irregularitates, quæ principaliter quidem contrahebantur in hominibus, consequenter autem in alijs quoque rebus, ad ipsorum hominum vel diuini cultus vsum pertinentibus; puta in animalibus, in vestimentis, in domibus, & in vasis. Itaque dupliciter homines huiuscemodi immunditias seu irregularitates contrahere poterant: Vno modo, quotiescumque in se habèrent aliquid corruptum, vel corruptioni expositum; vnde quia mors est quædam corruptio, omnia cadauera reputabantur immunda: & item omnes leprosi, quoniam lepra ex corruptis humoribus erumpit: & similiter omnes mulieres sanguinis fluxu laborantes, siue ex aliqua infirmitate, siue naturaliter, vt fit temporibus menstruis, & partus: eadem ratione omnes viri seminis fluxum patientes, vel ob infirmitatem, quam gonorrhœam vocant, vel ob nocturnam pollutionem, aut coitum: nam omnis huiuscemodi humiditas, prædictis modis ab homine egrediens, immundam quamdam habet infectionem. Altero modo legalis immunditia contrahebatur per contactum rerum immundarum; puta cuiuscumque cadaueris; item leprosi hominis, aut vestis, aut domus; item ex contactu alicuius vasis immundi; (quòd enim vasa quædam reputari deberent immunda, patet Leuit. cap. 9. vers. 32. & Num. cap. 19. vers. 15.) item per comestionem animalium immundorum; pro quibus discernendis dantur regulæ Leuit. c. 11. per totum, & Deuter. cap. 14. vers. 3. vsque ad 21. item ob esum sanguinis, & consequenter suffocatorum; quoniam in ipsis à carne sanguis non est separatus. Extat de sanguine generalis prohibitio Genes. cap. 9. vers. 4. Leuit. cap. 7. vers. 26. & fusiùs cap. 17. vers. 10. vsque ad 15. & Deuter. cap. 12. vers. 23. & sequentibus, & Actorum cap. 15. vers. 20. & 29. & cap. 21. vers. 25. Et quidem Leuit. cap. 17. vers. 13. & loco Deuter. adducto signanter quoque præcipitur, vt animalium sanguinem in terram effunderent quasi aquam. ex quo patet, ibidem etiam implicitè prohiberi suffocata; locis verò Actorum citatis, explicitè eadem suffocata vetita fuisse declarantur. Contrahebatur item legalis immunditia ex comestione adipis boum, ouium, & caprarum; nam id vetitum erat Leuit. c. 7. vers. 23. & 25. Denique abstinebant quoque Hebræi ab esu neruorum, non omnium, sed illorum qui femora animalium cum spina dorsi coniungunt; quoniam huiusmodi neruus læsus fuerat ab Angelo in Iacob, quando luctauit cum eo, vt legimus Genes. cap. 32. vers. 25. & 32. Sed nescio an esus talis nerui legalem induceret immunditiam, quia id nulla erat Lege vetitum, sed voluntaria tantum religione ac reuerentia introductum: quamquam dici possit, quòd vetus consuetudo transierit in legem. Neque verò solùm homines ex contactu rei immundæ polluebantur, sed aliæ quoque res: siquidem Leuit. cap. 7. vers. 19. dicitur: *Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur.* & cap. 11. vers. 32. *Super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur.* & ibidem vers. 35. non solùm vestes & vasa, omniaque in eis contenta; sed & clibani, & chytropodes siue foci, vel potiùs tripodes quidam lutei, ad sustinendos lebetes aliaque eiusmodi vasa super prunas parata, si quid immundum super eis ceciderit, destrui iubentur ob contractam immunditiam: & Numer. cap. 19. vers. 22. vniuersaliter pronuntiatur: *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet.* Reatus verò pœnáve, quam incurrebant se huiusmodi immunditijs polluentes, & qui polluti nihilominùs ab actibus vetitis non abstinebant, (intellige, nisi priùs fuissent expiati, vt declaratur Numer. cap. 19. vers. 20.) colligi potest Leuit. cap. 7. vers. 21. & 27. vbi dicitur, quòd qui comederit adipem vel sanguinem, peribit de populo suo, & vers. 20. eadem infligitur pœna quouis modo pollutis, qui carnes pacificorum comedere ausi fuerint. Cur autem Deus in Lege illa veteri memoratas induxerit prohibitiones seu irregularitates, optimè explicat B. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 4. & art. 6. ad 1. vbi singularum causas litterales, morales, figuralesque adducit. Ceterùm, pollutiones primo modo contractæ, quia maiores erant, non certis solùm lustrationibus, sed & quibusdam sacrificijs expiandæ erant; vt patet Leuit. cap. 12. 14. & 15. vbi ritus expiandi puerperas, leprosos, viros seminifluos, & mulieres menstruosas traduntur. Quæ autem secundo modo contrahebantur, nimirum ex solo contactu rerum immundarum, quoniam minores erant, faciliori ritu purificabantur, videlicet per solam aquæ lustrationis aspersionem; quæ

LEGALES IMMVNDITIAE DVPLICITER CONTRAHEBANTVR.

POENA IMMVNDORVM

DE EORVM EXPIATIONIBVS.

aqua

aqua quomodo ex commixtione cinerum vaccæ rufæ fieret,& quibus ritibus,accuratè describitur Num. cap. 19. per totum, & exponitur à B. Thoma quæst. citata art. 5. ad 5. Verùm quia in hisce purificationibus procurandis multi siue per negligentiam, siue per ignorantiam delinquebant; ne talibus vinculis perpetuò irretiti permanerent, fiebant semel in anno (nempe in festo Expiationis, quod die decima mensis septimi celebrabatur) quædam sacrificia, ritu quodam speciali instituta, ad expianda peccata, purificandasque omnes sacerdotum & totius populi pollutiones, vt habetur Leuit. cap. 16. per totum. Et huius pariter ritus rationes, tum litterales tum figurales, diligenter valde explicat idem sanctus Doctor ibidem ad 6. Sed iam tempus est vt ad historiæ cursum redeamus.

46. Per hæc tempora, nimirum quando dabantur à Domino Moysi præcepta in Leuitico contenta, arbitror accidisse memorabilem illam blasphemi lapidationem, quæ describitur Leuit. cap. 24. vers. 10. vsque ad finem capitis. Puto autem eam ibi inter illas leges obiter quodammodò fuisse interpositam; quòd tunc improuisò contigerit, quando Moyses scribebat præceptum à Domino acceptum, De panibus propositionis per singula Sabbata renouandis: id enim etiam indicant illa loci citati verba: *Ecce autem egressus filius mulieris*, &c. quæ nimirum rem veluti inopinatam, & tunc derepentè exortam insinuare videntur. DE BLASPHEMI LAPIDATIONE.

47. Per eadem quoque tempora, nimirum circa medietatem primi mensis anni secundi ab exitu Israëlitarum de Ægypto, vt num. 49. probabitur, oportet acta esse ea, quæ per anticipationis figuram describuntur in toto Exodi cap. 18. videlicet, De Iethro Moysi socero: qui cùm audisset quòd Dominus eduxerat generum suum cum vniuerso Hebræorum populo de terra Ægypti, venit ad eum cum Sephora vxore, & duobus filiis ipsius Moysi, in desertum, vbi castrametatus erat iuxta montem Dei. Ex quo perspicuè infertur, verissimum esse quod nos sub anno mundi 2544. num. 3. diximus, nempe Moysen, quando missus à Domino de Madian in Ægyptum, cum vxore sua & filiis proficiscebatur, ab Angelo perterritum, remisisse vxorem & filios ad socerum suum, vt hisce domesticis solutus impedimentis, expeditiùs Domini mandata exequi posset. Nam quod Exod. cap. 4. vers. 26. Scriptura reticuit, id Exod. cap. 18. vers. 2. explicauit, dicens: *Tulit Sephoram vxorem Moysi quam remiserat, & duos filios eius.* &c. Porrò, vt primùm audiuit de aduentu soceri sui Moyses, egressus est in occursum eius, & honorificè susceptum introduxit in tabernaculum suum, narrauitque ei omnia mirabilia, quæ fecerat Dominus Pharaoni & vniuersæ terræ Ægypti, vt inde Israëlitas educeret. Quam obrem lætatus Iethro est valde, & benedixit Domino Deo Israël; ac deinde obtulit ei holocausta & hostias pro gratiarum actione. Altera verò die, videns Iethro Moysen à manè vsque ad vesperam in diiudicandis populi quæstionibus plus iusto occupatum, optimum ei consilium dedit, vt scilicet constitueret Tribunos & Centuriones, Quinquagenarios & Decanos, qui faciliora iudicarent, grauiora autem dumtaxat ad ipsum referrent. Placuit ergo Moysi consilium, nec distulit illud executioni mandare. Eximium certè humilitatis ac prudentiæ indicium: quòd scilicet tantæ sapientiæ vir, post tot tamque admirabiles cælitus habitas reuelationes, ethnici etiam hominis consilium non sit aspernatus. Vtique non ignorabat iste Sanctus, Deum quandoque viros præstantis ingenij ac sublimioris status, per alios inferioris conditionis & scientiæ, ritè docere consueuisse: vt (quemadmodum dicebat Apostolus) sublimitas sit virtutis Dei; id est, vt omnes intelligant recta consilia, sicuti & cetera bona à Deo esse, qui per quoscumque mauult, ea dare ac proferre potest. Quo factum est, vt non ineptè postcà apud Gentiles versus ille vice Prouerbij admodum celebratus sit, quem Græcè refert A. Gellius Noctium lib. 2. cap. 6. & Latinè sic redditur:

IETHRO CUM SEPHORA ET FILIIS VENIUNT AD MOYSEN.

MOYSES OCCURRIT SOCERO SUO, QUEM HONORIFICE EXCIPIT.

ET EIUSDEM CONSILIO ACQUIESCIT.

Sæpè etiam est olitor valdè opportuna locutus.

48. Verùm enimuerò, quia pro certo supponendum videtur, præfatum Iethro de terra sua Madian, & non aliunde, ad Moysen properasse; posset forsitan hic aliquis dubitare, quomodo, qui habitabat inter Madianitas Moabitis finitimos, & consequenter à monte Sinai valdè remotos, potuerit audire de aduentu Moysi ad dictum montem, & adducere ei vxorem & filios de terra tam longinqua, ad quam posteà Israëliticus populus non nisi multo tempore peruenire valuit? Huic tacitæ obiectioni vt occurramus, dicere possumus, admodum probabile esse, quòd eo tempore quo Moyses morabatur in Sinai, & multò etiam antè, terra Madian magis se extenderet versus Ægyptum, & ideò fines eius non valdè distarent à monte Sinai: nam & quando Moyses pascebat gregem soceri sui in terra Madian, ducebat illum (vt dicitur Exod. cap. 3. TOLLITUR OBIECTIO.

vers. 1.) ad montem Dei Horeb, quem nos sub proximè præcedenti anno mundi num. 34 ostendimus eumdem esse cum Sinai. Ratio autem assertæ vicinitatis est; quia tunc, & donec superuixit Iob, omnes Idumæi, vel maior ipsorum pars, adhuc incolebant regionem monti Galaad proximam (vt nos sub anno mundi 2319. num. 7. ostendimus) & needum venerant ad illum montem Seir, qui inter duo maria, Mortuum scilicet & Rubrum, erat positus; aut si quidam ipsorum sese iam illuc transtulerant, modicam sanè partem illius regionis obtinebant. Quare maior eiusdem regionis ad dictum Sinai montem vergentis pars, quæ postmodum Idumæa dicta est, prius ad Madianitas pertinuisse creditur. Post aliquot verò annos, Idumæi de Galaad omnino pulsi, & in memorata regione recepti, deincepsque admodum aucti, dilatauerunt ibi valde fines suos: quandoquidem exterminatis inde Horrhæis, vt obiter dicitur Deuter. cap. 2. vers. 22. non solùm incoluerunt pro eis montem Hor & loca ei proxima; sed etiam partem regionis Madianitarum occuparunt, vt colligi potest ex cap. Genes. 36. vers. 35. vbi post recensitos aliquot Reges posteritatis Esau, apertè traditur, quòd Adad, qui secundus post obitum S. Iob regnauit in Idumæa, percussit Madian in regione Moab. hoc est, (quemadmodum ibidem exponit Abulensis) vicit Madianitas etiam, postquam ad proximos pro auxilio Moabitas confugerant. Et tunc credibile est, quòd idem Adad ablatam à Madianitis partem terræ ipsorum vergentem ad montem Sinai, eamdem adiunxerit Idumææ, relictaque sit Madianitis altera tantum pars, quæ Moabitis conterinina erat, & à monte Sinai longiùs distabat, ad quam postea Israëlitæ, non nisi post mortem Aaron, videlicet anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, peruenire potuerunt; quia prius coacti fuerant circuire montem Seir longo tempore, vt expresse dicitur Deuter. cap. 2. vers. 1. Credimus tamen, priscam illam Madianitarum terram, in qua olim habitabat Iethro, non adeò fuisse propinquam monti Sinai, quin duæ vel etiam tres dietæ intercederent: certum namque est, quòd olim pastores procul admodum solebant interdum ducere greges suos, in regionibus præsertim aridis, vt pascua eis inuenirent. vnde Genes. cap. 30. vers. 36. Laban in Mesopotamia dicitur separasse gregem suum, & posuisse spatium itineris dierum trium inter gregem varium, & vnicolorem. & cap. 31. vers. 19. & 22. legimus, eumdem Laban iuisse ad tondendas oues, & non nisi die tertio habuisse nuntium de fuga Iacob generi sui. & cap. 37. vers. 12. vsque ad 15. habemus, quòd filij Iacob de valle Hebron pergerent ad pascendos greges suos vsque in Sichimis, & inde in Dothain, quæ loca ab Hebron non minùs dissita fuisse videntur.

QVANDO VENERIT IETHRO AD MOYSEN.

49. Dixi, hæc contigisse circa medietatem primi mensis anni secundi ab exitu, hoc est vno circiter mense, aut paulo plus, antequam proficiscerentur Israëlitæ de monte Sinai; quod ex his quæ consequenter subiungemus, manifestum fiet. Et primò, certum est ex citato Exodi capite 18. quòd Iethro non venit ad Moysen in Raphidim, (vt prima fronte ex continuatione eorum, quæ in præcedenti capite narrata fuerant, videtur indicari) sed in Sinai: dicitur enim vers. 5. venisse Iethro ad Moysen, vbi erat castrametatus iuxta montem Dei; quo montis nomine proculdubiò significatur mons Sinai, vbi data fuerat Lex: nam idem mons iisdem penè verbis denotatur Num. cap. 10. vers. 33. vbi, quando describitur profectio populi de duodecima mansione facta in Sinai, dicuntur Israëlitæ *profecti de monte Domini*, siue (vt habet editio LXX. Interpretum) *de monte Dei*. Vnde patet, aduentum istum Iethro ad Moysen, ibi per anticipationem, vt dictum est, fuisse narratum. Deinde, quòd Iethro non venerit ad Moysen ante datam Legem, imò nec ante decimam diem mensis septimi, quando descendit Moyses de monte, portans secundas Legis tabulas, probat Abulensis super Exod. cap. 18. quæst. 2. multis argumentis. Et reuerà, si quis diligenter attendat quæ nos sub anno præcedenti à num. 37. ad 58. diximus; inueniet, Moysen, ex quo Israëlitæ tentoria fixerant in Sinai, vsquequò ipse descendit secundò cum tabulis de monte, semper adeò fuisse occupatum, partim in frequenti ascensu & descensu de monte, quando vicem gerebat internuntij inter Deum & populum, partim in ipso monte, quando bis mansit ibi cum Domino quadraginta diebus continuis; vt non videatur tunc vacare potuisse aut in socero suscipiendo, com itterque eum tractando, ac detinendo; aut in audiendis ac dijudicandis tota die populi quæstionibus, præsertim leuioribus; aut in exquirendis constituendisq; super populum Tribunis, Centurionibus, Quinquagenarijs, ac Decanis. Præterea, si ante vel non multò post secundū Moysis descensum cum tabulis de monte Sinai, venisset Iethro ad Moysen, oporteret ipsum posteà cum Moyse ad minus septem mensium spatio mansisse; siquidem certum est, quòd quando Moyses die

die vigesima mensis secundi anni secundi volebat cum populo proficisci de Sinai, inuitauit socerum suum vt & ipse secum veniret ad Terram promissionis, vt patet Numer. cap. 10. vers. 29. vsque ad 33. Atqui non est verisimile, quòd Iethro, qui satis magnam creditur domi habuisse familiam, & greges plurimos, tamdiu à propria domo abesse potuerit. Denique ex Deuter. cap. 1. vers. 6. vsque ad 18. apertè colligitur, Moysen constituisse prædictos Tribunos & Centuriones, non multò antequam populus de duodecima statione discederet. sic enim ibi legimus: *Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb* (hoc est Sinai, vt sub anno mundi 2544. num. 34. probauimus) *dicens: Sufficit vobis quòd in hoc monte mansistis, reuertimini, & venite ad montem Amorrhæorum.* & post pauca, videlicet vers. 9. subditur: *Dixiq; vobis illo in tempore: Non possum solus sustinere vos,* &c. deinde vers. 15. sequitur: *Tuliq; de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos.* ac demum vers. 19. narratur profectio populi de duodecima mansione, illis verbis: *Profecti autem de Horeb, transiuimus per eremum terribilem & maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi.* Ex quibus omnibus perspicue infertur, non potuisse Iethro venire ad Moysen, nisi vno circiter mense, vel paulò plus, antequam discederet populus de Sinai.

50. Nec obstat prædictis, quòd Exod. cap. 18. vers. 12. legimus, ipsum Iethro obtulisse holocausta & hostias Domino: vnde infert Caietanus, oportere eumdem Iethro venisse ad Moysen priusquam consecrati essent Aaron & filij eius, & Altare holocausti, alioqui, inquit, non fuissent externum Sacerdotem immolare Domino coram Tabernaculo fœderis. Non, inquã, hoc obstat: quia si Hebræi, vt honorarent socerum Moysi Sacerdotem, iam conuersum ad Dominum, permiserunt ipsum offerre Hebraico more sacrificia Domino; non est valdè mirandum: scimus enim obseruantias legales tunc, & toto tempore quo fuit populus in deserto, nondum plenè in vsu fuisse; sed faciebat vnusquisque quod ei rectum videbatur, vt expresè habemus Deuter. cap. 12. vers. 8. Vel etiam dici potest, quòd Iethro non per seipsum, vt vult Caietanus, sed per Sacerdotes Domini, Aaronem scilicet & filios eius, obtulerit sacrificia Domino; quod etiam magis placet Oleastro. Non etiam obstat his quæ suprà diximus, quòd ille, quem Moyses inuitauit vt secum pergeret ad Terram promissionis, non Iethro appellatur, sed Hobab filius Raguel, nec dicitur socer, sed cognatus Moysi, vt patet Numer. cap. 10. vers. 29. vnde videtur esse alter ab illo: non, inquam, obstat; quia socer Moysi erat trinominis: ille enim qui tam in editione Vulgata quàm in LXX. Interpretibus Exod. cap. 2. vers. 18. vocatur Raguel, idem Exod. cap. 3. vers. 1. & cap. 4. vers. 18. & cap. 18. vers. 1. 6. 9. & 11. dicitur Iethro, siue (quod idem est) à LXX. Interpretibus Iothor: & Numer. cap. 10. vers. 29. appellatur Hobab. Et si singula hæc loca diligentiùs perpendere volueris, procul dubiò inuenies, Scripturam sacram in singulis de vno eodemque homine, sub diuersis tamen nominibus, agere; eo modo quo Principem Apostolorum quandoque vocat Pettum, quandoque Simonem, & quandoque Bar-Iona. Nec refert quòd aliquando dicatur socer, aliquando cognatus Moysi: quia reverà erat socer; dederat enim Sephotam filiam suam Moysi in vxorem. Quando autem dicitur cognatus, non specificè & propriè est accipiendum, ac si non patet, sed frater Sephoræ fuisset; sed generaliter & impropriè, quatenus deriuatur à cognatione, quæ sese extendit etiam ad affines. Quandoquidem ille met, qui in Vulgata editione Exod. cap. 3. vers. 1. & cap. 4. vers. 18. dicitur socer Moysi; idem deinde in cap. 18. vers. 1. 6. 7. 8. & 11. & Numer. cap. 10. vers. 29. appellatur cognatus eiusdem Moysi: & idem met, qui in editione Vulgata locis proximè citatis dicitur cognatus, in Textu LXX. Interpretum semper nuncupatur socer. Vnus ergo erat, non plures. Nec mireris quòd Hobab Numer. loco citato dicatur filius Raguel; quia non inconuenit, quòd qui triplici nomine, Iethro, Hobab, & Raguel appellabatur, filius alterius Raguelis fuerit, sicuti Tobias iunior Tobiæ senioris, & alij multi: nam & notum est, quòd cognati S. Ioannis Baptistæ, iuxta morem illorum temporum, volebant vocare eum nomine patris sui, Zachariam. Atque hîc obiter non videtur prætereundum, quòd iste socer Moysi non modò trinominis, vt dictum est, sed & (vt ita dixerim) quadrinominis à nonnullis fuisse creditur; quòd insuper appellatus quoque fuerit Cinæus: sed hoc non nomen proprium fuit cognati Moysi, sed cognomen, commune ei & omnibus de familia sua, qui Cinæi dicebantur, quòd à quodam Cini nomen originemque duxissent, de quibus dicemus infrà sub anno mundi 2583. num. 23.

TOLLVNTVR OBIECTA.

IETHRO SOCER MOYSI QVOT QVIBVSQVE NOMINIBVS IN SCRIPTVRIS MEMORATVR.

51. Die prima mensis secundi anni secundi ab exitu de Ægypto, appropinquante iam tempore exeundi de Sinai, Moyses vocatis ad se de mandato Domini Aarone &

RECENSENTVR APTI AD PVGNAM PRIMA VICE.


ASSIGNANTVR LOCA TRIBVBVS IN CIRCVITV TABERNACVLI.

duodecim Principibus tribuum Israel, quorum nomina recensentur Numer.cap. 1. v. 5. vt instrueret exercitum aduersus hostes, qui ipsis in via superuenire possent; cœpit cum eis nominatim recensere aptos ad pugnam, à viginti annis & supra; & inuenta sunt sexcenta tria millia quingenta quinquaginta, præter Leuitas: Num.cap. citato per totum. Deinde, quia adhuc assignata non erant loca stabilia singulis tribubus in circuitu Tabernaculi: ne deinceps in mansionibus faciendis aliqua oriretur confusio, sed scirent singulæ tribus ad quam partem Tabernaculi erigere tentoria sua deberent; distinxit duodecim tribus in quatuor castra, habentia singula tres tribus sub vnico insigniori vexillo. Prima appellauit castra Iudæ: secunda, Ruben: tertia Ephraim: quarta, Dan. Sub primo vexillo cum tribu Iuda, erant tribus Issachar & Zabulon: sub secundo cum Ruben, erant Simeon & Gad: sub tertio cum Ephraim, Manasses & Beniamin: demum sub quarto cum Dan, Aser & Nephthalim. Priora castra collocauit ad Orientalem Tabernaculi partem: secunda, ad Meridiem: tertia, ad Occidentem: quarta, ad Septemtrionem; Num. cap. 2. per totum: vbi etiam numerus virorum, & capita seu principes singularum tribuum sigillatim recensentur. Voluit tamen, vt inter singula castra & Tabernaculum intercederet tantum spatij, quod sufficeret pro castrametatione Leuitarum, quemadmodum traditur Numer.cap. 1. vers. 53. Quod si quis quærat, quisnam locus assignatus fuerit Ægyptijs, qui secuti fuerant Hebræos; dicimus eos inter Israelitas fuisse commixtos, & vnumquemque ipsorum adhæsisse illis, qui causa fuerant conuersionis eius ad Iudaismum. Numerarunt quoque Moyses & Aaron, iubente Domino, seorsum à ceteris filijs Israel Leuitas masculini generis, ab vno mense & supra, qui inuenti sunt viginti duo millia; quos in tres partes distinxerunt, iuxta triplicem ipsius Leui progeniem, videlicet in Caathitas, Gersonitas, & Meraritas: posueruntque omnes immediatè circa Tabernaculum: nimirum Caathitas ad Meridiem, Gersonitas ad Occidentem, Meraritas ad Septemtrionem; Orientalem verò partem pro ipso Moyse ac Sacerdotibus reseruarunt: Numer. cap. 3. Hæc omnia, qui hîc subijcitur castrametationis typus, clariùs demonstrabit. Cui subijciemus alterum exercitus ordinatim per desertum proficiscentis, ad dilucidationem eorum quæ consequenter dicenda sunt.

RECENSENTVR LEVITÆ, EISQVE LOCVS ASSIGNATVR.

52. Die

TYPVS CASTRAMETATIONIS IN DESERTO
PER MOYSEN PRÆSCRIPTÆ.



EXERCITVS HEBRÆORVM

ORDINATE, VT MOYSES PRÆCEPERAT, PER DESERTVM PROCEDENTIS

ORTHOGRAPHIA.



52. Die decimaquarta dicti mensis, Moyses, consulto prius Domino super his, qui ob immunditiam non poruerant facere Phase cum aliis mense primo, instit eos illud facere mense secundo, iisdem ritibus, quibus illud fecerant alij mense præcedenti: Numer. cap. 9. vers. 6. vsque ad 15. Quo exacto, cœpit Moyses disponere quæ ad ordinatè proficiscendum opus erant: & primò quidem, præcipiente Domino, iussit fieri duas tubas argenteas ductiles, quibus clangerent Sacerdotes tempore proficiscendi, & in aliis occasionibus: deinde disposuit ordinem totius populi in proficiscendo; vt scilicet primi ante omnes, tamquam belli capita, pergerent per turmas suas sub principe suo filij Iuda, & post ipsos eodem modo filij Issachar & Zabulon, qui constituebant prima castra: insequerentur postmodum secunda, videlicet tribus Ruben, & Simeon, & Gad. Probabile autem est, quòd inter duo hæc prima castra, turmatim incederent senes, mulieres, cum paruulis, famulis, gregibus, & armentis ad bina eadem castra pertinentibus, tamquam tutiori loco positi. & similiter alia huiusmodi ceterarum sex tribuum, inter duo posteriora castra. Post bina verò priora sequebantur Leuitæ portantes Tabernaculum, & vasa eius distributa singulis ipsorum ordinibus, prout suprà num. 8. dictum est. Post Leuitas, alia duo castra, videlicet Ephraim & Dan, eodem ordine; ita vt Leuitæ in medio totius processionis incederent, exceptis paucis illis de familia Caath, quibus assignatum fuerat onus defendi Arcam: hi namque ante omnem populum cum ipsa proficiscebantur sub columna nubis, quæ semper perpendiculariter super Arcam mouebatur. Vnde, quod priùs attribuebatur nubi in qua Angelus Domini esse credebatur, nimirum dirigere viam populo, & prouidere loca castrorum; nunc meritò attribui cœpit Arcæ, de qua Deum loqui minimè dubitabant, quem ductorem protectoremque habere gaudebant. Et proptereà non in medio castrorum, sed ante omnia castra portabatur Arca, quòd nulla indigeret protectione, sed ipsa magis, vel potiùs Deus in ipsa, populum protegeret dirigeretque. Sanè cum Arca, præter Leuitas qui eam portarent, debuisse proficisci etiam Moysen, & Sacerdotes, Aaron scilicet & filios eius, admodum credibile est, vt pluribus rationibus probat Abulensis super Numer. cap. 10. quæst. 68. Et hæc omnia colliguntur ex cap. Numer. 10. & dilucidè magis videri poterunt in ordinati exercitus orthographia num. præcedenti posita.

FACIVNT PHASE IN MENSE SECVNDO QVI IMPEDITI FVERANT IN PRIMO. TVBAE ARGENTEAE. ORDO POPVLI IN PROFICISCENDO PER DESERTVM.

53. Die vigesima eiusdem mensis secundi anni secundi ab exitu de Ægypto, eleuata est nubes de Tabernaculo fœderis, quod erat signum proficiscendi, vt patet Exod. cap. vlt. vers. 34. & Numer. cap. 9. vers. 17. vsque ad finem capitis. Hoc vt vidit populus, confestim omnes sublatis tabernaculis suis, sese ad iter agendum præparabant. Similiter & Sacerdotes, inuoluentes vasa sanctuarij, prout eis à Domino præceptum fuerat, tradiderunt ea Caathitis ferenda, & ceteri pariter Leuitæ, deponentes Tabernaculum fœderis, componebant omnia in plaustris, & ita exire cœperunt, his modis & formis, atque eo prorsus ordine, qui eis à Deo per Muysen præscriptus fuerat, præcedente omnem exercitum Arca Domini; quam cùm eleuare inciperent, dicebat Moyses: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua:* Numer. cap. 10. vers. 35. Eodem tempore inuitauit sedulò Moyses Hobab filium Raguelis Madianitam, cognatum suum, (quem suprà num. 50. probauimus fuisse eumdem cum Iethro, ipsius Moysis socero) vt pergeret secum, multa bona ei pollicitus: sed ille recusauit, vt subobscurè insinuatur Numer. cap. 10. vers. 30. & apertè traditur per anticipationem Exod. cap. 18. in fine illis verbis: *Dimisitque cognatum suum, qui reuersus abiit in terram suam.* Et hæc sunt, quæ de cap. Num. 10. desumpsimus.

PROFICISCITVR POPVLVS DE MONTE SINAI.

SOCER MOYSI INVITATVS, RECVSAT IRE CVM EO.

54. Ceterùm, Hebræi profecti de monte Domini, hoc est de Sinai, seu (quod idem est) de Horeb, ibant rectò tramite ad Terram promissionis, prout præceperat eis Dominus in Horeb, quemadmodum dicitur Deuter. cap. 1. vers. 6. vsque ad 10. transeuntesque per eremum terribilem & maximam, vt ibidem traditur vers. 19. tandem ad Cadesbarne, in confinio terræ Chanaan (vt ex sequentibus constabit) existentem, peruenerunt itinere vndecim dierum, vt colligitur Deuter. capitulo citato, vers. 2. & nos paulò infrà demonstrabimus (demptis tamen plurimis diebus, quos in quibusdam mansionibus intermediis traduxerunt, vt ex his, quæ deinceps dicemus, manifestum fiet.) Quare credimus hallucinari Abulensem, qui exponens illa verba citati capitis, *Vndecim diebus de Horeb per viam montis Seir vsque ad Cadesbarne*; sub finem quæstionis 3. ait: Moysen dicere voluisse, quòd à campestribus Moab, vbi ipse Moyses morabatur quando tradebat populo Deuteronomium, vsque ad montem Sinai, vndecim tantùm dietæ intercedebant; quamuis ipsi per varios circuitus ducti, longè plures fecerint.

ITINERE VNDECIM DIERVM TENDIT AD TERRAM PROMISSIONIS.

LOCVS DEVTER. EXPONITVR, ET REFELLITVR EXPOSITIO ABVLENSIS.

rint. Fallitur inquam Abulensis: nam si Geographorum tabulis credimus, multò breuior est via, quæ ducit de Bersabee ad montem Dei Horeb, quàm quæ de Horeb ad campestria Moab. Igitur si Elias (quemadmodum legimus lib. 3. Regum cap. 19. vers. 3. vsque ad 9.) ambulauit quadraginta & vno diebus de Bersabee vsque ad montem Dei Horeb; qui fieri potest, vt ab eodem Horeb ad campestria Moab, vndecim dumtaxat dierum iter intercederet? Sed dices, Eliam tunc, quoniam fugiebat à facie Iezabel, non recto itinere ambulasse, ne à lictoribus eius comprehenderetur; sed huc atque illuc, quocumque eum ferebat voluntas, vt ibidem innuitur, per varios circuitus ad Horeb peruenisse. Concedo: sed tamen non est verisimile, ipsum tantopere viam suam elongasse, ad locum minùs vndecim communibus dietis distantem, non nisi per plusquam quadraginta peruenire potuerit. Quòd si ponamus, vndecim saltem diętas extrinsse ab Horeb ad Bersabee existentem in finibus Australibus terræ Chanaan; proculdubiò oportet plures ponere ab Horeb ad campestria Moab existentia prope Iordanem, qui erat terminus Orientalis eiusdem terræ Chanaan: constat enim Horeb fuisse ad Austrum respectu terræ Chanaan. Deinde si ad verba Sacri textus attendamus, manifestum est, quòd non ab Horeb ad campestria Moab, sed ab Horeb vsque ad Cadesbarne, ponunt iter vndecim dierum. Quare cum Textus ipse apertè indicet, populum itinere vndecim dierum venisse de Horeb in Cadesbarne; non est quòd ab ipso alios sensus extorquere moliamur. Sed dicet aliquis: Ad quid ibi docere, quòd ab Horeb ad Cadesbarne populus venerit vndecim diebus? Respondeo, id obiter fuisse factum: quod quidem non est nouum aut inusitatum in Scripturis sacris: solent enim interdum aliqua alibi transponere, & quædam alicubi non benè expressa, aut omnino prætermissa, alibi supplere, obiterque aliis rebus interponere. Possem hic plura exempla proferre, sed paucis contentus ero. Sæpius in Pentateucho mentionem fecerat Moyses de Heuæis, & tamen non nisi Deuteronomij cap. 2. vers. 23. quodammodò præter rem, interserit eos à Cappadocibus fuisse pulsos. Similiter pluries nominauerat vrbem Hebron, & nihilominùs numquam nisi Numer. cap. 13. vers. 23. addidit, ipsam septem annis ante Thanim Ægypti vrbem fuisse conditam. Et 4. Regum cap. 9. vers. 29. legimus: ***Anno vndecimo Ioram filij Achab, regnauit Ochozias super Iudam.*** Quæ verba neque cum præcedentibus, neque cum sequentibus vllam habere videntur connexionem, sed per recapitulationem (vt aiunt) ibi quodammodò accidētaliter intexta, vt nos infrà sub anno mundi 3149. num. 1. probabimus. Simile est illud quod habemus in Euangelio Ioannis cap. 18. vers. 24. ***Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.*** quæ verba ibidem per recapitulationem obiter interiecta esse, probant Iansenius in sua Concordia Euangelica, & Toletus in Ioannem. Plurima huiusmodi alia inuenient, in sacris Scripturis vel mediocriter versati, quæ hìc recensere superfluum videtur, cùm ex his satis constare possit, nemini mirum videri debere, si hic quoque distantia ab Horeb ad Cadesbarne, quodammodò obiter inserta fuerit: quamquam Caietanus etiam huius interpositionis causam adferat particularem, dicens, Rationi consentaneum fuisse, vt descripto loco in quo Moyses Legem populo iterauit, ad quem locum à monte Sinai longis admodum itineribus, & non nisi triginta nouem ferè annorum spatio peruenerant; etiam describeretur breuitas viæ, quam confecerant à Sinai ad Cadesbarne, quæ erat iuncta terræ Chanaan: vt vel hinc perpendere possent Israëlitæ, quàm magnam iacturam fecissent, quando de Cadesbarne, anno secundo sui exitus de Ægypto, ad terram Chanaan, quam tunc habebant proximam, insano timore correpti ascendere recusarunt. Igitur pro certo supponentes, quemadmodum dicebamus, filios Israël de Sinai ad Cadesbarne vndecim diebus itineris peruenisse; quæ interim contigerint, tradere prosequamur.

Scriptura interdum quædam obiter interponit.

☞ 55. Die vigesimatertia eiusdem mensis secundi, triduo itinerantes, peruenerunt ad quamdam solitudinem pertinentem ad desertum Pharan, feceruntque decimamtertiam mansionem in quodam illius loco, qui priùs à Moyse, vt paulò pòst dicetur, nuncupatus fuit Incensio, posteà verò Sepulchra concupiscentiæ, Numer. cap. 10. vers. 12. & 33. & cap. 33. vers. 16. ibi namque primò diutiùs recubuit nubes, quod erat castrametandi signum, Exod. cap. vlt. vers. 34. & Numer. cap. 9. vers. 17. vsque ad 23. Cumque deponeretur Arca, dicebat Moyses: ***Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israël,*** Numer. cap. 10. vers. 36. In hac mansione, duo grauia peccata commisit populus, propter quæ debitas à Domino accepit punitiones. Primum fuit grauis quædam murmuratio contra Dominum pro labore itineris. Festinabat Dominus educere illos de eremo illa aspera, & quantocyùs perducere ad terminos Terræ promissionis; ipsi verò

De mansione 13. Incensio. Sepulchra concupiscentiæ.

Quinta populi murmuratio.

verò ingrati murmurare cœperunt. Quamobrem iratus Dominus, percussit incendio extremam castrorum partem. Veriti ergo ne flamma magis ac magis dilataretur, omnesque consumeret, clamauerunt ad Moysen; quo orante, extinctus est ignis; & proptereà vocauit tunc Moyses nomen loci illius, *Incensio*; quòd incensus fuisset contra eos ignis Domini Numer. cap. 11. vers. 3. Alterum peccatum fuit, altera ingratitudo, videlicet notabile quoddam cibi cælestis fastidium, & inordinata nimis concupiscentia carnalium aliorumque ciborum sensualium, in illa præsertim tam sterili eremo: quæ quidem exorbitantia, licet in Ægyptiis cœperit; quia tamen Hebræi non solùm illos compescere, atque ab hac stultitia remouere non curarunt, sed potiùs cum illis flere & contristari non erubuerunt, nauseantes man, tamquam cibum leuissimum & ingratū, & flagrantes desiderio carnium ac piscium, aliorumq; ciborum, quos comedebant in Ægypto: displicuit hoc valdè etiam ipsi Moysi, qui videns se populo satisfacere non posse, tædio affectus super adeò molesta illius populi gubernatione, cœpit clamare ad Dominum: ille verò, vt seruo suo aliqua saltem ex parte onus alleuaret, iussit illum deligere ac describere septuaginta senes valde probatos de Israël, & congregare eos ad Tabernaculū fœderis: velle enim partiri cum eis spiritum ipsius Moysi, vt essent ei veluti coadiutores in administratione ac regimine populi, & possent illum subleuare in causis grauibus, quę referebantur ad ipsum Moysen; nam leuiores referri solebant ad Tribunos, & Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos, vt suprà num. 47. dictum est. Insuper promisit Dominus Moysi, se daturum populo carnes ad satietatem, non vno die tantùm, sed pro integro mense. Itaque cùm retulisset Moyses verba Domini populo, delegissetque septuaginta senes, ac descendens Dominus per nubem circa Tabernaculum, dedisset eis de spiritu Moysi, illicò omnes prophetare cœperunt; non tantùm ij qui tunc ibi aderant, sed & alij duo, nomine Eldad & Medad; qui licet & ipsi in dicto numero descripti essent, non tamen, nescio qua de causa, venerant cum aliis ad Tabernaculum. Quo exemplo apposite vtuntur nonnulli, ad redarguendum hæreticos quosdam, negantes S. Thomam & item S. Matthiam Apostolos, accepisse à Domino facultatem remittendi peccata, eò quòd non essent cum aliis Apostolis, quando dedit illis Christus talem potestatem, vt patet Ioan. cap. 20. vers. 23. siquidem sufficit quòd ipsi quoque essent de numero & collegio Apostolico; nec requirebatur præsentia corporalis coram eo, qui vnico intuitu omnia videt, præterita, præsentia, & futura. Propterea, cùm nuntiatum esset Moysi, quòd Eldad & Medad prophetarent in castris; non solùm noluit (quemadmodum suggerebat ei Iosue) eos prohibere, sed magis zelum ipsius Iosue, tamquam indiscretum, prudenter redarguit. Ceterùm, Dominus memor promissionis suæ, eodemmet die, atque item altero, arreptas vento coturnices detulit per circuitum castrorum tanta copia, vt nemo minùs ex ipsis quàm decem coros sibi congregauerit, ac siccauerit, vt ad multos dies sibi sufficerent. Sed nec immemor Dominus vindictæ in delinquentes; sub finem illius mensis, cùm iam carnibus ad satietatem saturati essent, & adhuc illæ hærerent dentibus ipsorum; ecce furor Domini percussit eos plaga magna nimis: vt proptereà Moyses, qui priùs vocauerat locum illum *Incensio*, mox eumdem *Sepulchra concupiscentiæ* voluerit appellari, quòd ibidem sepelissent eos, qui carnes tam inordinate appetiuerant: Numer. cap. 11. per totum. De hac secunda mirabili coturnicum prouisione (nam prima facta fuerat in octaua mansione, vt sub præcedenti anno mundi num. 31. ostendimus) dicitur in Psalm. 77. vers. 26. *Transtulit Austrum de cælo, & induxit in virtute sua Africum. Et pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos: & occidit pingues eorum, & electos Israel impedinit.* Causa autem huius diuinæ punitionis creditur fuisse; quia ipsi non ad ordinarium victum necessaria petierunt, neque vt naturali cuidam appetitui vescendi carnibus satisfacerent: quandoquidem ipsis etiam communes non deerant carnes; secum enim ducebant multos pecorum armentorumque greges, ex quibus agnos, arietes, hœdos, vitulosque sumere, occidere, & sine culpa comedere poterant: sed concupierunt exquisitiores ciborum delicias, vt possent gulæ plus iusto indulgere, & opiparè epulari, ad satietatem edentes etiam coturnicum & eiusmodi volatilium carnes gustu suauiores. Quod fuit vitium gulæ maximum; præsertim ratione circumstantiarum, loci, temporis, & modi quo dictas carnes appetiuerunt, nimirum murmurantes, flentes, man nauseantes, & mundanas delicias in deserto & in peregrinatione tanta cum anxie-

EIVSDEM CONCVPISCENTIA CARNIVM, QVAE FVIT SEXTA MVRMVRATIO.

ELIGVNTVR 70. SENES TANQVAM MOYSI CONSILIARII, QVI STATIM PROPHETARE COEPERVNT.

SECVNDA COTVRNICVM LARGITIO CARLITVS INDVLTA POPVLO.

PVNITIO EORVM QVI CARNES APPETIVERANT.

tate atque importunitate quærentes. Propterea mirum non est, si eos Dominus corporali multorum morte puniuit, & occidit pingues eorum, id est, eos qui se magis eiusmodi crapula impinguauerant; vt scilicet per hanc, quæ in ipsis præcesserat, figuram nos intelligeremus, huiusmodi gulæ vitium meritò inter peccata mortifera computari, quòd non solum corpus multis variisque infirmitatibus notabiliter lædat, ac citius interimat; verùm etiam animæ ipsi valde sit noxium. Corpus enim quod talibus epulis studiosè repletur, grauat animam, mentis aciem hebetat ne ad cælestia desideria eleuari valet, & denique paulatim spiritum omnino extinguit.

DE ELDAD ET MEDAD, QVOD NON FVERINT FRATRES MOYSI.

¶ 56. Quoniā autem hic mentionem fecimus de Eldad & Medad, ac reliquis septuaginta senibus, necessarium videtur, antequā progrediamur, priùs tesellere quorumdam erroneam opinionem, dicentium, eosdem Eldad & Medad fuisse fratres, non tamen vterinos, ipsius Moysi: deinde videre, num magistratus ille septuaginta senum deinceps perdurauerit apud Hebræos vsque ad Herodis tempora, vt quidam prodiderunt. Et quidem, quod spectat ad Eldad & Medad, qui putant ipsos fuisse fratres Moysi, adducunt pro se B. Hieronymum in Quæstionibus Hebraicis 1. Paralip. ita scribentem: *Traditur autem, Moysen post acceptam Legem patri innuxisse, vt matrem suam dimitteret, eò quòd illius amita esset: fuit enim filia Leui; post cuius dissidium, duxisse aliam vxorem Amram; ex qua suscepit duos filios hos, Eldad & Medad.* hæc S. Hieronymus. Verumenimuerò, his non obstantibus, dicimus fieri nullo modo posse, vt prædicti Eldad & Medad fratres fuerint Moysi: nam sub anno mundi 2464. num. 3. ostendimus, B. Hieronymum loco citato (si tamen ille liber ab ipso fuit conscriptus) non propriam, sed quorumdam Hebræorum retulisse sententiam; quod etiam patet ex illo loquendi modo: *Traditur autem,* &c. & item ibidem probauimus, matrem Moysi nequaquam fuisse veram naturalemque Leui filiam, neque amitam mariti sui Amram: sed fuisse eius patruelem, hoc est filiam fratris Caath, qui fuerat pater ipsius Amram; & consequenter, non fuisse necessarium vt Amram illam dimitteret post latam Legem, quæ huiuscemodi coniugia non prohibet, vt videre est Leuit. cap. 18. Sed & si daremus, ipsum Amram post datam Legem dimisisse vxorem suam Iochabed, ex qua genuerat Moysen, & eius loco duxisse aliam; non tamen fieri posset, vt prædicti Eldad & Medad fuerint fratres Moysi: nam illi ab ipso Moyse conscripti fuerunt inter septuaginta senes, sub finem anni primi à Lege lata, quo tempore vix nati, nedum senes, & ad tam graue ministerium idonei esse potuerunt. Et præterea non est verisimile, quòd Iosue eos à Moyse prohiberi, ne prophetarent, procurare vmquam ausus esset, si illi fuissent fratres Moysi. Denique non modò concedendum non est, Amram, posteaquam lata fuit Lex, dimisisse vxorem suam, aliamque duxisse, atque ex ea filios procreasse; sed neque admittere debemus, ipsum Amram tunc fuisse superstitem: quandoquidem sub anno mundi 2386. num. 2. probauimus, Amram natum esse anno quinquagesimo octauo introitus Israëlis in Ægyptum; & consequenter, decessisse sub finem anni eiusdem introitus centesimi nonagesimi quarti: certum est enim, ipsum vixisse tantummodò annis centum triginta septem, vt patet Exod. cap. 6. vers. 20. ergo si obiit ante exitum de Ægypto, non potuit superesse post datam Legem.

DE MAGISTRATV 70. SENVM.

57. Quod verò attinet ad prædictum Magistratum septuaginta senum hoc tempore ab ipso Moyse, Dei monitu, constitutum: sciendum est, quòd Paulus Burgensis super Numer. cap. 11. & Galatinus lib. 4. de Arcanis fidei, & Ioan. Annius in suo Breuiatio temporum, Philoni adscripto, vt refert Pererius in lib. de Benedictionibus duodecim Patriarcharum, num. 83. putant omnes hosce septuaginta senes fuisse electos de tribu Iuda, asseruntque hoc idem seniorum Collegium, (quod Ioannes Mirandulanus arbitratur fuisse quale nunc est Collegium Cardinalium) ab Hebræis vocari Sanedrim; ac penes ipsum, vsque ad Herodis Ascalonitæ tempora, mansisse supremam auctoritatem in his quæ pertinebant ad vniuersam Legem Moysi; siue Moralia essent, siue Cæremonialia, vel etiam Iudicialia: quippe quòd ipsi soli veram altioremque Scripturæ sacræ intelligentiam, per secretas quasdam ac successiuas traditiones acciperent: vnde & ipsorum scientia, dicebatur Cabalistica, siue Cabala; quod verbum inquiunt significare receptionem: adduntque, omnem ab hoc Collegio auctoritatem, paulò ante Christi ortum, fuisse à prædicto Herode sublatam; & tunc impletam esse Prophetiam Patriarchæ Iacob de Christo: *Non auferetur sceptrum de Iuda,* &c. At verò Abulensis super Numer. cap. 11. quæst. 29. existimat, hunc Magistratum eumdem esse cum illo Pontificis Senatu, cuius meminit Iosephus lib. 4. Antiq. cap. 3. vbi ait: *Quòd si Iudices, qui in singulis oppidis constituti erant, nescirent de negotio sibi delato pronuntiare, deberent inte-*

integram causam relegare in Vrbe sancta, hoc est in Ierusalem, ad Pontificem, qui cum Propheta & Senatu decerneret. Et hoc videtur Iosephus sumpsisse ex Deuter. cap. 17. vers. 8. vbi simile quid à Moyse præcipitur. Putat quoque Abulensis, prædictum Magistratum mansisse etiam post memoratum Herodem: nam Matthæi cap. 26. vers. 59. & cap. 27. vers. 1. & Marc. cap. 14. vers. 55. & cap. 15. vers. 1. & Luc. cap. 22. vers. 66. legimus, extitisse tempore Passionis Christi Concilium quoddam Ierosolymis, in quo conuenire solebant Sacerdotes, & Scribæ, ac Seniores populi, quibus omnibus præerat Pontifex, seu summus Sacerdos. Quòd autem Concilium illud magnam haberet auctoritatem, inde fit clarum, quòd Marci cap. 14. vers. 64. de his qui erant in eo, legimus: *Qui omnes condemnauerunt eum* (id est Iesum) *esse reum mortis*. Sed si hoc Concilium, idem erat cum illo septuaginta senum Magistratu; dicere possumus, ipsum perdurasse etiam post obitum Christi: siquidem de eodem quoque fit mentio Actorum cap. 4. vers. 15. & cap. 6. vers. 12. Et probabile admodum est, quòd perseuerauerit vsque ad interitum ciuitatis; & consequenter, quòd non fuerit ab Herode sublatum. Verùm quidquid de hoc sit; illud omnino falsum puto, quòd omnes illi septuaginta senes essent de tribu Iuda: nam si ex illis aliqui erant Sacerdotes, & omnium caput erat Pontifex; proculdubiò certum est, quòd non erant omnes de tribu Iuda; præsertim cùm soleret Moyses in huiusmodi electionibus, ad pacem in vniuerso populo conseruandam, semper deligere aliquos ex singulis tribubus, vt patet Num. cap. 13. quando elegit exploratores terræ Chanaan; & quando, consulente Iethro socero eius, elegit Tribunos, & Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos de cuncto Israël, vt dicitur Exod. cap. 18. vers. 25. & ratio dictat, eodem quoque modo factam esse electionem septuaginta senum; nec potest probari contrarium. Falsum item existimo, quòd dictus Magistratus semper eodem modo perseuerauerit vsque ad Herodem, vel vsque ad desolationem Ierusalem à Romanis factam, quantum ad numerum, & qualitatem, ac supremam illorum virorum auctoritatem: nam neque ex Scriptura sacra, neque ex probatis Historiis probari potest, perpetuò extitisse in populo Hebraico Magistratum septuaginta senum, ita vt neque plures neque pauciores esse possent, qui omnes haberent spiritum propheticum, & supremam in populo potestatem. Quin potiùs oppositum perspicuè colligi posse videtur: nam suprema potestas tempore Iudicum, apud ipsos Iudices; Regum verò, penes ipsos Reges erat: & temporibus Iudæ Machabæi, scimus nullum in illo populo extitisse Prophetam, vt apertè colligitur 1. Machab. cap. 4. vers. 46. vbi dicitur, quòd reposuerunt lapides altaris profanati, donec veniret Propheta qui responderet de eis. Ceterùm illud valdè probabile crediderim, post Moysen apud Hebræos semper, aut ferè semper, extitisse imaginem quamdam illius Magistratus, quem iubente Deo Moyses constituerat; qui Magistratus cum Pontifice responderet dè quæstionibus Legis, quemadmodum colligi potest ex citato Deuter. cap. 17. & huoc temporum iniuria labefactatum, aut fortè penè abolitum, videtur restituisse Iosaphat Rex Iuda, vt describitur 2. Paralip. cap. 19. vers. 8. vsque ad 11. Credimus tamen, quòd prædictus Magistratus non semper fuerit septuaginta virorum, neque prophetico spiritu afflatorum: sed pro diuersa temporum vicissitudine variatus, & quandoque maioris, quandoque verò minoris in populo auctoritatis. Nunc ad id vnde digressi sumus reuertamur.

58. In hac tertiadecima mansione necesse est populum plus vno mense moratum esse: nam & per mensem integrum comedit carnes, vt patet Numer. cap. 11. vers. 20. & paulò antè in eodem loco, murmurauerat pro labore itineris, & propterea incendio percussus fuerat; & deinde iterùm murmurauit pro carnibus, & ferè biduo coturnices congregauit; & post esum illarum, denuò maiori plaga punitus fuit: vnde videtur ibidem ad minus mansisse diebus quattuor supra mensem vnum, hoc est in summa, diebus circiter triginta tribus. Igitur QVANDIV POPVLVS IN 13. MANSIONE SIT COMMORATVS.

59. Die circiter vigesimasexta mensis tertij, de Sepulchris concupiscentiæ egressi sunt, & die circiter prima mensis quarti, (nimirum quattuor dierum itinere, vt infrà num. 61. probabimus) peruenerunt in Haseroth, Numer. cap. 11. in fine, & cap. 33. vers. 17. vbi fixerunt tentoria, feceruntque decimamquartam mansionem: & quemadmodum in præcedenti mansione, quia propter populi murmurationem promiserat Dominus alere eos carnibus vno mense, oportuit populum ibidem manere integro mense, & aliquid ampliùs; ita hic, quoniam Maria soror Moysi, cùm de fratre murmuraret, percussa est lepra septem diebus, quibus iubente Domino à cunctis separata mansit extra castra, necesse quodammodò fuit, populum toto illo tempore morari in MANSIO 14.

CVR MARIA DE MOYSE FRATRE MVRMVRAVERIT.

Haseroth. Quòd si quis quærat, quænam fuerit Mariæ occasio murmurandi de fratre, (quidquid Rabbini nimis carnaliter & indecorè comminiscantur, quos benè redarguit Abulensis super Numer. cap. 12. quæst. 8.) probabiliùs cum eodem Auctore credimus fuisse talem: Viderat Sephora, quæ & quanta mirabilia fecerat Dominus per manum viri sui Moysi, visaque est propterea de primatu velle cum Maria sorore eiusdem Moysi contendere; sæpius cum ea extollens virum suum, quòd præsertim tam familiariter cum Deo loqueretur; quæ erat dignitas maxima: econtrariò Maria, indignè ferens sibi illam præferri, cœpit vehementiùs detrahere fratri suo Moysi, ac eius excellentiam quantum poterat diminuere; dicens, Deum similiter sibi (erat enim & ipsa Prophetis, vt patet Exod. cap. 15. vers. 20.) & alteri fratri suo Aaroni locutum esse, ac Moysi; & propterea (quod ad hoc spectat) nihil esse, quòd illi cedere deberet, nedum vxori suæ; præsertim cùm illa non esset de populo Israëlitico, sed Æthiopissa; quod per modum conuitij dictum videtur, quia nimirum terra Madian & finitimæ regiones Æthiopibus refertæ essent: inde enim creditur posterioribus temporibus venisse Zara Æthiops cum exercitu suo contra Asa Regem Iuda, vt describitur 2. Paralip. cap. 14. vers. 9. & sequentibus, & nos infrà sub anno mundi 3093. num. 2. ostendemus. Porrò Dominus videns, quòd Aaron muliebres huiuscemodi contentiones non solùm vt debebat compescere non curauerat, sed magis fouere visus fuerat, & fauere sorori suæ, comprobans eius dictum, quòd scilicet eodem modo Deus & sibi & Mariæ locutus esset ac Moysi, & per hoc quodammodò videbatur sese illamque æquare fratri; ex alia verò parte idem Deus delectatus humilitate Moysi, qui vt erat omnium mitissimus & humillimus corde, nihil prorsus pro se dicere auderet; dixit ad eum, & ad Aaron ac Mariam, vt tres simul quantocyus ad Tabernaculum fœderis egrederentur; ibique ipsis audientibus, cùm declarasset se peculiari quodam ac longè altiori modo loqui solere cum Moyse quàm cum aliis Prophetis, & idcircò ipsum cunctis aliis esse præferendum; acriter increpauit Aaronem & Mariam, quòd ei detrahere ausi essent, falsò affirmantes quòd simili modo etiam cum ipsis locutus esset Deus, vt cum Moyse consueuerat: & his dictis, iratus confestim de Tabernaculo, cum nube quæ eius præsentiam indicabat, ab eis recessit; statimque Maria inuenta est plena lepræ. Quod vt vidit Aaron, perterritus ac pœnitentia ductus obsecrare cœpit Moysen, vt oraret pro ipsis Dominum, vt dimitteret eis hanc culpam, & sanare dignaretur sororem suam; qui protinus orans, obtinuit eis veniam; ita tamen, vt Maria, quæ multò grauiùs peccauerat, & fortasse molesta fuerat Aaroni vt causam suam defenderet, maneret separata septem diebus extra castra, antequam reuocaretur. Et ita factum est, populusque non est motus de loco illo, donec, adepta sanitate, Maria reuocata est ad castra: Numer. cap. 12. per totum.

DEVS PRÆFERT MOYSEN ALIIS PROPHETIS.

PVNIT MARIAM LEPRA.

DE 15. MANSIONE.

☞ 60. Die circiter nona mensis quarti, quemadmodum ex prædictis infertur, recesserunt filij Israël de Haseroth, ambulaueruntque quattuor diebus (vt paulò inferiùs num. proximo ostendemus) per desertum: & die decimatertia eiusdem mensis venerunt in desertum Pharan, Numer. cap. 13. vers. 1. id est in loco illius deserti, qui dicebatur Rethma: sic enim specialiter exprimitur in Catalogo Mansionum, Numer. cap. 33. vers. 18. vbi asseritur, quòd *de Haseroth venerunt in Rethma*, quæ fuit decima quinta mansio.

DE CADESBARNE, QVOD FVERIT PROXIMA RETHMÆ, VEL EADEM CVM EA.

61. Non longè ab hac mansione sitam fuisse Cadesbarne, satis apertè insinuari videtur Numer. cap. 13. vers. 1. vsque ad 4. ex modo loquendi, quem ibidem Scriptura tenet, dicens: *Profectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan: ibique locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Mitte viros, qui considerent terram Chanaan*, &c. & post pauca, nimirum vers. 4. subditur: *Fecit Moyses quod Dominus imperauerat, de deserto Pharan mittens principes viros*, &c. & subsequenter tota huius missionis historia subtexitur. Atqui hos viros de Cadesbarne fuisse missos, apertè dicitur Deuter. cap. 1. vers. 19. & Iosue cap. 14. vers. 7. ergo Rethma & Cadesbarne aut eumdem locum diuersimodè appellatum significabant, aut erant duo loca inuicem proxima. Ab hac opinione non alienus fuisse videtur B. Hieronymus, qui in Epistola 127. ad Fabiolam de 42. Mansionibus, vbi agit de mansione decimaquinta in Rethma, inter recensendum ea, quæ inclusiuè ab hac mansione ad trigesimamsecundam facta sunt, primò ponit missionem exploratorum; per hoc insinuans, illos de Rethma, vel de loco ei proximo fuisse missos. Hoc si verum est, (vt credimus) oportet populum, qui tribus diebus venerat de Sinai ad Sepulchra concupiscentiæ, quattuor diebus inde in Haseroth venisse, & totidem de Haseroth in Rethma, vt suprà num. 59. & 61. supposuimus: quandoquidem iam

iam num. 54. probatum est, eumdem populum de Horeb vsque ad Cadesbarne, vndecim dierum itinere peruenisse. Illud prætereà eamdem comprobat positionem, quòd conueniat etiam tempus aduentus populi in Rethma, cum eo in quo ex alijs Scripturæ locis colligimus eum peruenisse in Cadesbarne. Nam diximus venisse filios Israel in Rethma, die circiter decimatertia mensis quarti anni secundi ab exitu de Ægypto: & eodem tempore eos venisse in Cadesbarne, colligi potest ex pluribus Scripturæ locis inuicem collatis, nam certum est, quòd quando populus venit ad torrentem Zared, vt dicitur Numer. cap. 21. vers. 12. tunc agebatur annus quadragesimus ab exitu de Ægypto: siquidem iam paulò ante obierat Aaron in monte Hor, vt ibidem in calce præcedentis capitis describitur. Si ergo verum est, vt traditur Deuter. cap. 2. vers. 14. fluxisse triginta & octo annos ab exitu populi de Cadesbarne ad transitum dicti torrentis; vtique consequitur, populum venisse in Cadesbarne, & inde memoratos misisse exploratores, anno secundo exitus de Ægypto. Quòd autem ijdem mense eiusdem anni quarto missi fuerint, manifestè colligitur Numer. cap. 13. vers. 21. vbi expresse traditur, quòd quando missi sunt dicti exploratores, erat tempus in quo præcoquæ vuæ vesci possunt; quod in calidioribus illis regionibus circa medietatem mensis Hebræorum quarti, qui partim nostro respondet Iunio, partim Iulio, contingere posse, nemo est qui dubitet. Ex his ergo coniecturis & conuenientijs, satis probabiliter possumus, mansionem populi factam in Cadesbarne, cuius meminit Moyses Deut. cap. 1. eamdem fuisse cum decimaquinta, quam idem Moyses Numer. cap. 33. vers. 18. dicit factam in Rethma. Neque verò quisquam miretur, quòd in Catalogo mansionum capite Numer. proximè citato nulla prorsus Cadesbarne mentio habeatur: quia hinc fit manifestum, quòd ibi sub alio nomine fuerit recensita, & consequenter, sub nomine Rethma, vt iam probatum est; nulla enim mansio ibi prætermissa fuit. Scimus autem, consueuisse Scripturam sacram personas & loca nonnumquam communi vocabulo designare, nonnumquam proprio; & quæ plura propria habent nomina, aliquando vno ex illis, aliquando altero. Sic socer Moysi aliquando communiori vocabulo dicitur cognatus eius, & Cinæus; aliquando propriè nuncupatur Iethro, aliquando Hobab, aliquando Raguel, vt num. 51. ostendimus. Sic mons Sinai, qui etiam propriè Horeb dicebatur, interdum genericè vocatur Mons Dei, siue Mons Domini; interdum vno ex propriis nominibus, puta Sinai, vt frequenter in Leuitici ac Num. libris; interdum Horeb, vt ferè semper in libro Deuteronomij. Sic etiam hæc mansio decimaquinta, quandoque nomine generico Deserti Pharan notata reperitur, vt Numer. cap. 13. vers. 1. quandoque specifico Rethmæ vocabulo, vt Numer. cap. 33. vers. 18. & quandoque item alio speciali nomine, Cadesbarne appellari solet, vt non semel Deuter. cap. 1.

QVANDO POPVLVS VENERIT IN CADESBARNE SIVE IN RETHMA.

MANSIO IN CADESBARNE ET IN RETHMA, EADEM EST.

62. Sed posteaquam hic de Cadesbarne mentionem fecimus, sciendum est, iuxta saniorem Doctorum sententiam, eam fuisse valdè diuersam ab illa Cades, in qua dicitur Numer. cap. 20. vers. 1. obijsse Maria soror Moysi. Nam, vt dictum est, in Cadesbarne fecit populus mansionem decimamquintam; in Cades verò, vt patet Numer. cap. 33. vers. 36. trigesimam tertiam. In Cadesbarne venerunt circa medietatem mensis quarti anni secundi ab exitu Ægyptiaco, vt iam sæpiùs dictum est: in Cadès verò, mense primo anni quadragesimi, vt sub anno mundi 2583. num. 1. probabimus. Prætereà certum est ex supradictis, de Cadesbarne missos fuisse exploratores, & posteà contigisse omnia, quæ narrantur à Numer. cap. 13. vsque ad 20. atqui in ipso vigesimi capitis initio dicitur, quòd post prædicta venit populus in Cades; ergo non eadem est Cades & Cadesbarne. His adde, quòd quando filij Israel in Cadesbarne, auditis quæ retulerant exploratores de terra Chanaan, nimirum vrbes esse valdè munitas, & homines de genere giganteo, admodum robustos & fortes, desperarunt se posse obtinere terram illam; & murmurantes contra Dominum, volebant redire in Ægyptum; scimus tunc Deum contra ipsos iratum, iussisse vt reuerterentur in solitudinem per viam quæ ducebat ad Mare rubrum, vt dicitur Numer. cap. 14. vers. 25. & sequentibus; & insuper prædixisse ac iurasse, (quemadmodum traditur Deuter. cap. 1. vers. 34. vbi eadem historia repetitur) quòd omnes qui murmurauerant morituri erant in illa solitudine, ac filij eorum vagaturi erant in illo deserto quadraginta annis, id est vsque ad complementum quadraginta annorum ab exitu de Ægypto. oportet igitur eos vagatos esse pænè toto illo tempore in ea solitudine, quæ protendebatur à Cadesbarne ad Mare rubrum, à quo non longè aberat Cades; siquidem Asiongaber, quæ erat in littore Maris rubri, vt patet 3. Reg. cap. 9. vers. 26. vna tantùm mansione distabat à Cades, quemadmodum traditur Numer. cap. 33. vers. 36. ergo valdè remotæ erant ab inuicem Cadesbarne &

CADESBARNE VALDE DIFFERT A CADES.

Cades. Idem argumentum confirmari potest ex Deuter.cap.2.vers.1.vbi dicitur, quòd profecti inde (hoc est de Cadesbarne, cuius meminerat in calce capitis præcedentis) venerunt in solitudinem, quæ ducit ad Mare rubrum, & circumierunt montem Seir longo tempore: & paulò post, videlicet vers.7. prosequitur dicens, eos transiisse solitudinem hanc magnam per quadraginta annos; insinuans, magnam horum partem in circumiendo montem Seir fuisse consumptam. & ibidem continuò subiungitur: *Cumq; transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, & de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab.* Sed certum est, quòd de Asiongaber primò venerunt in Cades, vt patet ex Catalogo mansionum iam sæpius allegato; ergo Cades longè admodum distabat à Cadesbarne.

63. Verum hîc suspicari quis posset, populum, post egressum de Cadesbarne, vbi decimamquintam fecerat mansionem, per longas illas circuitiones iterum tandem rediisse in Cadesbarne, ibique fecisse etiam trigesimamtertiam; & consequenter, eamdem esse Cadesbarne & Cades; sic enim videntur sensisse Abulensis & Andreas Masius in Iosue, & alij multi. Sed neque hoc concedi potest: quia certum est, Cadesbarne extitisse in confinio Australi terræ Chanaan, vt patet Num.cap.34. vers.4. & Iosue cap.15.vers.3. vbi ponitur in sorte tribus Iuda: at Cades longè aberat à terra Chanaan: erat enim posita in extremis finibus Idumææ ad Austrum vergentibus, vt clarè habemus Num c.20. vers.16. non valdè procul à Mari rubro; siquidem, vt dictum est, vnius tantùm mansionis itinere de Mari rubro, id est de Asiongaber in eius littore existente, venerunt in Cades: videtur autem naturaliter fieri nullo modo posse, vt tantus populus, nulla intermedia mansione, potuerit de Mari rubro redire in Cadesbarne: quandoquidem à Mari rubro ad confinia terræ Chanaan, valdè magna intercedit distantia. Præterea, de Cadesbarne poterat ascendere populus in terram Chanaan, absque vllo transitu per Idumæam; dictum est enim, ipsam Cadesbarne recenseri inter fines Iudææ; & de his qui missi sunt de Cadesbarne ad explorandam terram Chanaan, nihil dicitur, quòd transierint per Idumæam. Quin etiam ipse populus, quando contra præceptum Domini voluit de Cadesbarne ascendere in terram Chanaan, neque transitum petiisse ab Idumæis, neque cum ipsis, sed tantummodò cum Amalecitis, & Chananæis, & Amorrhæis infeliciter pugnasse traditur Numer.cap.14.in fine, & Deuter.cap.1.prope finem: econuersò autem, de Cades non poterant proficisci in terram Chanaan, nisi transeundo per Idumæam, nimirum, vel per mediam Idumæam, si volebant ingredi in terram Chanaan à parte eius Australi, per viam magis rectam & breuem; vel per fines Orientales ipsius Idumææ, si longiori via volebant intrare in Chanaan, à parte eius Orientali, sicuti postea fecerunt, quando de Cades, cum misissent nuntios ad Regem Edom, vt concederet eis transitum per terram suam (hoc est per mediam Idumæam) quemadmodum describitur Numer. cap.20. vers.14. illeque noluisset acquiescere, vt ibidem vers.18.& 20. exprimitur; coacti propterea sunt longiori via transire per terminos eius Orientales, pecunia cibos ab eisdem Idumæis ementes, vt narratur Deuter.c.2.vers.4. & sequentibus, & colligi potest Numer.cap.20.vers.22. vbi dicitur, quòd de Cades venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom. & deinde oportuit eos etiam transitum facere per Moabitarum Ammonitarumque fines, vt tandem transuadato Iordane, ingrederentur terram Chanaan à latere eius Orientali, vt infrà suo loco dicemus. Ex his ergo fit manifestum, ipsam Cadesbarne non modò diuersam fuisse à Cades; sed etiam, tametsi ambæ essent in finibus Idumææ, alteram ab altera fuisse admodum distantem, & inuicem quodammodò penitus oppositas: quandoquidem respectu Idumææ, Cadesbarne respiciebat ad Occidentem, & aliquatenus etiam ad Septentrionem; Cades autem contrà ad Austrum, & nonnihil quoque ad Orientem, vt in tabella Mansionum, infrà sub anno mundi 2583. num. 16. inserenda, videri poterit. Redeamus nunc ad historiam.

REFELLITVR OPINIO ABVLENSIS ET MASII.

64. Circa medietatem ergo dicti mensis quarti anni secundi ab exitu de Ægypto, vt dicebamus, misit Moyses de Cadesbarne exploratores, ad considerandam terram Chanaan, & habitatores eius: quæ historia fusius describitur Numer. cap.13.& 14. & breuiter repetitur Deuter. cap.1. vers.20. vsque ad finem capitis, & tangitur item Iosue cap.14. vers.6. Porrò qui missi sunt, fuerunt duodecim viri de optimatibus populi, & singuli de singulis tribubus Israel electi; inter quos fuit etiam Osee, quem Moyses mutato nomine vocauit Iosue. Profecti sunt ergo isti ad Meridiem, id est à termino Australi terræ Chanaan, qui erat Cadesbarne, contra Aquilonem, vsque ad introitum Emath, qui erat terminus Aquilonaris eiusdem: & perambulantes primò plagam magis

MITTVNTVR EXPLORATORES IN TERRAM CHANAAN.

magis Orientalem, deinde redeuntes per partem Occidentalem vsque ad eamdem Cadesbarne, quadraginta diebus lustrauerunt totam terram Chanaan.

REDEVNT EXPLORATORES AD CASTRA.

56. Die autem circiter vigesimasexta mensis quinti eiusdem anni secundi ab exitu de Ægypto, nimirum post memoratos quadraginta dies, cùm venissent exploratores ad Moysen & Aaron, conuocata confestim omni multitudine, ostenderunt fructus terræ Chanaan quos secum attulerant; & terram quidem valdè commendabant, tamquam reuerà fertilissimam & vberrimam, vt ex allatis fructibus, qui optimi erant, apertissimè constare poterat: verumtamen omnes, præter Iosue & Caleb, retulerunt eamdem terram esse penitus inexpugnabilem; exaggerantes vrbium eius amplitudines ac munitiones, & virorum fortitudinem ac proceritatem; quibus comparari, dicebant, veluti locustæ videbamur: Numer. cap. 13. vers. 26. vsque ad finem capitis. Hæc & huiusmodi alia perorantes atque amplificantes vt audiuit populus, abiecta protinus omni spe, & omnino desperans rebus suis, in lamentis ac luctu iacere, vociferari, cunctaque querelis implere cœpit aduersus Moysen & Aaron. Et alij quidem sibimetipsis suisque interitum imprecabantur in illa solitudine, ne Chananæorum gladiis interirent, ac ne filij vxoresque suæ ab illis in seruitutem redigerentur. Alij quærebant sibi constituere ducem, ac redire in Ægyptum. Alij in furorem versi, tentabant lapidibus opprimere Calebum & Iosue, qui tumultum sedare quantum poterant moliebantur.

SEPTIMA POPVLI MVRMVRATIO.

Itaque cùm in hac pessima populi seditione, ingens quoque murmur exortum esset contra Dominum, ecce apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israël, minitatusque est Dominus delere omnes pestilentia; verumtamen oratione Moysi flexus, iustam mitigauit distulitque vltionem. Quin etiam opportunè admodum eos monuit, vt in crastinum mouerent castra, & reuerterentur in solitudinem per viam Maris rubri, ne Amalecitæ & Chananæi, qui tum non procul aberant, impetu facto, derepentè in ipsos irruerent. Interim tamen prædixit Deus Moysi, neminem illorum qui numerati fuerant à viginti annis & supra, & viderant maiestatem eius in columna nubis & ignis, & signa quæ fecerat in Ægypto & in solitudine, & nihilominùs decies, id est (vt exponit Abulensis) multoties aduersus ipsum murmurauerant, inobedienterque se gesserant, visurum Terram promissionis, duobus dumtaxat, videlicet Iosue & Calebo, exceptis. Et insuper præcepit Moysi, vt increparet populum de querimoniis contra ipsum Dominum temerè effutitis, & vt prædiceret palamque faceret, murmuratoribus vtique, quæ sibiipsis imprecati fuerant, euentura; nimirum omnes qui numerati fuerant à viginti annis & supra, proculdubiò in illa solitudine interituros: filios autem ipsorum, quos ab hostibus fore capiendos conquesti fuerant, in terram, quæ eorum patribus displicuerat, ingressuros; nõn quidem breui, sed multo pòst tempore: velle etenim eos priùs, in pœnam transgressionis parentum suorum, errabundos circumduci per desertum quadraginta annis, vt vel sic portarent fornicationem patrum suorum: Numer. cap. 14. vers. 1. vsque ad 36. & Deuter. cap. 1. vers. 20. vsque ad 42. vbi tametsi nulla iurisiurandi mentio habeatur, attamen quòd Dominus tunc etiam iurauerit velle murmuratores à viginti annis & supra perdere in deserto, habemus in Psalm. 105. vers. 26. illis verbis: *Et eleuauit* (supple, Deus) *manum suam* (id est, sublata manu sua iurauit) *super eos, vt prosterneret eos in deserto*. Quòd verò eiusmodi manus eleuatio esset iurandi actus, iam sub anno mundi 2118. num. 10. ostensum est. significabant autem diuina hæc iuramenta determinationes quasdam Deo irreuocabiles. Ex dictis ergo non obscurè indicatur, omnes illos qui Numer. cap. 1. numerati fuerant, & ibidem vers. 46. inuenti sexcenta tria millia quingenti & quinquaginta, fuisse participes dictæ murmurationis, præter Iosue & Caleb: alioqui frustrà facta videretur ista exceptio; quia certum erat, eos non modò non murmurasse, sed aliorum murmurationes compescere studuisse. Et consequenter patet, nullum eorum qui numerati fuerant (duobus illis tantùm exceptis) posteà in Terram promissionis esse ingressum: quod & comprobant illa Ecclesiastici cap. 46. vers. 10. verba, quæ de iisdem Iosue & Calebo sic habent: *A periculo liberati sunt à numero sexcentorum millium peditum, inducere illos in hereditatem*, &c. tametsi ibidem Scriptura sacra more suo vsurpauerit numerum perfectum pro imperfecto. Porrò, in dicto numero certum est non fuisse comprehensos senes, neque mulieres, neque minores viginti annis, quòd hi non apti essent ad prælium; neque item vllos Leuitici generis, quoniam de ipsis legimus Numer. cap. 1. vers. 47. quòd quando memorata populi dinumeratio facta est, ipsi Leuitæ, Domino sic præcipiente, non sunt numerati cum filiis Israël. Et tamen probabile admodum sit, plures quoque ex his omnibus in prædicto numero non conten-

IRATVS DOMINVS CONTRA POPVLVM, MOYSI ORATIONE PLACATVR.

PRAEDICIT MOYSI MVRMVRATORES IN DESERTO INTERITVROS.

PRAECIPIT EI, VT HAEC INDICET POPVLO.

tis murmurasse, ac propterea in eisdem solitudinibus interiisse: siquidem ille in deserto interitus, eorum scilicet qui naturaliter supra illos quadraginta annos viuere potuissent, videtur fuisse pœna quædam vniuersè iis omnibus, qui ibidem murmurauerant, diuinitus inflicta. In quorum numero, vt probatum est, constat extitisse omnes illos (præter Iosue & Caleb) qui à viginti annis & supra recensiti fuerant. Quot verò etiam ex aliis perierint, Scriptura sacra non exprimit.

QVOMODO HEBRAEI 40. ANNIS PER DESERTVM CIRCVMDVCENDI DICANTVR.

5 66. Oportet autem hic aduertere, illud *quadraginta annis* esse accipiendum, perinde ac si dictum esset *propè quadraginta annis*: quandoquidem constat, populum non plus quadraginta annis ab exitu de Ægypto mansisse in deserto, quemadmodum nos sub anno mundi 2583. num. 34. probabimus. Quare ab ista murmuratione ad introitum in terram Chanaan, necesse est fluxisse tantummodò annos triginta octo & menses circiter septem: & consequenter, vel ad illa verba *quadraginta annis* subaudire oportet, computatis scilicet duobus ferè annis iam in deserto traductis; vel dicere, hìc accipi numerum perfectum pro imperfecto, vt aliàs fieri consueuisse, sub anno mundi 1659. num. 2. ostensum est. Sed neque hìc tantùm isti triginta octo anni & menses septem, in sensu iam exposito, appellantur anni quadraginta; verùm etiam apud Prophetam Amos cap. eius 5. vers. 25. vbi illud quoque adiicitur, quòd intra hos quadraginta annos sic acceptos, Israëlitæ in deserto non obtulerunt sacrificia Domino, sed idolis. Ponam hìc verba Prophetæ, vt quod dicimus, clariùs innotescat: *Numquid* (in persona Domini inquit) *hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israël? & portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum sidus dei vestri, quæ fecistis vobis*. Quem locum citat B. Stephanus Actorum cap. 7. vers. 42. vbi cum præmisisset, quòd Israëlitæ fecerant vitulum, & obtulerant hostias simulacro, & lætabantur in operibus manuum suarum, subiungit: *Conuertit autem Deus, & tradidit eos seruire militiæ cæli, sicut scriptum est in libro Prophetarum: Numquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus dei vestri Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas*. Ex quibus locis duo inferri posse videntur: Alterum est, prædictos quadraginta annos (quemadmodum dictum est) necessariò esse accipiendos pro prædictis triginta octo annis & septem mensibus, qui à reditu exploratorum in Cadesbarne vsque ad introitum Israëlis in terram Chanaan computantur; alioqui non posset vera reperiri sententia Prophetæ dicentis: *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis?* quasi dicat, Non. Et tamen, nisi hos quadraginta annos à memorato exploratorum reditu supputemus, falsa erit sententia: quandoquidem certum est, quòd antequam Israëlitæ venissent in Cadesbarne, nimirùm quando morabantur in Sinai, plures obtulerunt in deserto hostias Domino in Altaris dedicatione, & Sacerdotum ac Leuitarum consecratione, vt nos suprà num. 2. & 3. diximus. Quin etiam aliquanto antea, nimirum die insequenti post acceptam in monte Sinai Legem, scimus Moysen ministerio iuuenum sollemnes obtulisse hostias Domino, quemadmodum sub anno præcedenti num. 44. diximus: non enim plenè satisfacit illa S. Hieronymi expositio super loco Amos citato, quæ habet, Israëlitas ex quo adorauerunt vitulum aureum; omnia quæ in deserto fecerunt sacrificia, non Deo, sed idolis fecisse: & quæ legimus ipsos ibidem Domino obtulisse, non voluntate, sed metu pœnarum (visa nimirum interfectione eorum qui propter idola corruerant) fecisse, Dominum autem non ea quæ offerentur, sed voluntatem respicere offerentium. Non (inquam) hæc expositio, licet à multis recepta, sustineri posse videtur: quandoquidem, tametsi negari non possit, plures in illo populo fuisse idololatriç deditos; certum tamen est, plures quoque alios veri Dei fuisse cultores. Neque probari potest, quòd quæ legimus eos posteà communiter obtulisse sacrificia Domino, puta quando in Sinai fecerunt secundum Phase iuxta omnes cærimonias eius, vt dicitur Numer. cap. 9. à vers. 1. vsque ad 15. & item quando paulò antè fecerant, vt dictum est, consecrationem Sacerdotum & Leuitarum; quòd ea non animo colendi Deum, sed solùm timore pœnæ fecerint: præsertim cùm sacrificia ab ipsis eodem ferè tempore in consecratione Altaris oblata constet fuisse Deo gratissima. Id enim ipsemet declarauit signo illo admirabili & omnibus conspicuo, quod describitur Leuit. cap. 9. in fine, illis verbis: *Et ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum & adipes, qui erant super altare. Quod cùm vidissent turbæ, laudauerunt Dominum ruentes in facies suas*. Sic ibi. Perspicuè ergo, ni fallor, apparet, memoratum Prophetæ & S. Stephani dictum, quòd scilicet Israëlitæ in deserto nulla obtulerint sacrificia Domino, si vniuersaliter (vt verba ipsa indicant) accipiatur, nullatenus posse intelligi de toto illo tem-

tempore quo fuerunt in deserto; sed de illo tantùm, quod fluxit à murmuratione ipsorum facta in Cadesbarne. ex quo enim reuersi sunt exploratores in Cadesbarne, vsque ad introitum populi in terram Chanaan, numquam legimus Israëlitas vlla in deserto obtulisse sacrificia Domino. Et totum hoc tempus intermedium rectè dici potest fuisse quadraginta annorum, eo modo quo suprà expositum est. Alterum quod ex citatis eiusdem Prophetæ & Actorum locis (posteaquam in ea nunc incidimus) inferendum dicebamus, est; quòd tametsi Moyses nusquam in Exod. Leuit. Numer. ac Deuter. libris prodiderit, Israëlitas in deserto adorasse militiam cæli, & idolum Moloch; id tamen vtique factum fuisse, proculdubiò tenendum est: quia quod Scriptura sacra in libris Moysi præteriit, in allegatis posteà Amos Actorumque locis supplere voluit; sicuti aliàs solet quædam propriis omissa locis, alibi quodammodò obiter narrare: quemadmodum iam non semel aliàs adnotauimus; & deinceps quoque, vbi occurrerit, adnotare non omittemus. Quando autem & vbi Israëlitæ in deserto, post exitum de Cadesbarne, adorauerint militiam cæli & idolum Moloch, certò demonstrare non possumus; nisi quòd, licet id etiam in aliis mansionibus facere potuerint, admodum tamen probabile videtur, hoc præsertim accidisse in postrema ipsorum mansione, quando à Madianitarum, Moabitarum, atque Ammonitarum mulieribus decepti fuerunt: tunc enim legimus Numer. cap. 25. vers. 2. quòd illæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, & illi comederunt, & adorauerunt deos earum; inter quos vtique credendum est fuisse etiam Moloch (erat quippe Moloch deus Ammonitarum, vt ter repetitum habemus 3. Reg. cap. 11. vers. 5. 7. & 33.) & militiam cæli, hoc est, alia quoque idola referentia astra cæli, Solem, Lunam, & Stellas: ac propterea Moysen in eadem postrema mansione speciatim monuisse eos (Deuter. cap. 4. vers. 19.) vt custodirent animas suas, ne forte adorarent Solem, & Lunam, & omnia astra cæli. & cap. 17. vers. 3. vsque ad 6. iussit lapidibus obruendos esse omnes, qui deinceps reperti fuissent seruire diis alienis, & adorare eos, Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli. hoc enim idem est, ac illud quod prius dixerat: *Omnia astra cæli*. Quo præcepto non obstante, posterioribus quoq; temporibus hæc ab Hebræis diuino honore fuisse culta, colligi potest ex pluribus aliis Scripturæ locis, nempe 4. Reg. cap. 17. vers. 16. & cap. 21. vers. 3. & cap. 23. vers. 4. 5. & 11. & 2. Paralip. cap. 33. vers. 3. & Ierem. cap. 19. vers. 13. & Sophon. cap. 1. vers. 5. Ceterùm de idolo Moloch, & horribili quo colebatur ritu, opportunius sub anno mundi 3406. num. 2. agemus. Nunc ad historiæ seriem reuertamur.

QVANDO HEBRAEI IN DESERTO ADORAVERINT IDOLVM MOLOCH, ET MILITIAM CAELI.

67. Eodem (vt arbitror) die, exploratores, qui sinistra sua relatione murmurare fecerant populum, subitanea morte percussi, in ipsomet conspectu Domini omnes interierunt, præter Iosue & Caleb filium Iephone, qui ceteris reluctantes, murmur populi compescere conati fuerant: Numer. cap. 14. vers. 36. vsque ad 39. Dicitur autem iste Caleb, filius Iephone, ad differentiam alterius Caleb, qui fuerat filius Hesron filij Phares filij Iuda, cuius fit mentio 1. Paralip. cap. 2. vbi vers. 9. vocatur Calubi; vers. autem 18. 24. & 42. appellatur Caleb: iste enim filius Hesron, natus est anno circiter quadragesimo ab ingressu Israëlis in Ægyptum, vt bene colligit Abulensis super ea pite citato quæst. 9. filius autem Iephone, ortus est anno circiter trigesimo octauo ante exitum populi de Ægypto; qui concurrit cum anno centesimo septuagesimo octauo à prædicto ingressu, vt patet in tabulis: erat quippe iste Caleb annorum quadraginta; quando anno secundo exitus, missus est ad explorandam terram Chanaan, vt ipsemet fatetur, Iosue cap. 14. vers. 7. Sanè filij Israel, videntes terribilem vltionem quam exercuerat Dominus aduersus detractores terræ Chanaan, & insuper audientes infaustas admodum eiusdem Domini prædictiones, suprà num. 65. relatas, & ipsis à Moyse intimatas; fleuerunt vehementer tota nocte: verumtamen primo manè surgentes, voluerunt ascendere ad Terram promissionis inuito Moyse, & quantum poterat illis reluctante, ac prædicente ruinam; cumque sine ipso Moyse, & sine Arca Domini in proximum ascendissent montem, ab Amalecitis, Chananæis, atque Amorrhæis percussi fugatique sunt. Et quoniam præceperat eis Dominus vt postridie mouerent castra, ipsi verò tanta clade accepta manserunt in Cadesbarne multo tempore, vt dicitur Deuter. cap. 1. in fine, id est diebus multis; nec eos de hac re Scriptura sacra reprehendit: cogimur suspicari, illos non voluntariè, sed necessitate cogente (vt scilicet plurimi in illo prælio grauiter sauciati curari possent) ibidem permansisse. Ceterùm, ob maximam hanc Hebræorum seditionem & calamitatem, apud ipsos posteà institutum fuisse ieiunium mensis quinti, ex his quæ superiùs num. 44. dicta sunt, satis constare posse videtur.

EXPLORATORES SVBITANEA MORTE INTEREVNT.

DE DVPLICI CALEB.

FILII ISRAEL PLORANT, ET INVITO MOYSE PVGNANTES PERCVTIVNTVR.

68. Eodem anno secundo exitus de Ægypto, sub finem mensis septimi, egressus est

 popu-

POPVLVS EGREDITVR DE CADESBARNE, SIVE DE RETHMA, VBI FECERAT 15. MANSIONEM.

populus de Rethma seu de Cadesbarne, vt colligi potest ex Deuter. cap. 2. vers. 14. vbi habemus, quòd rempus quo ambulauerunt Israelitæ de Cadesbarne vsque ad torrentem Zareth, fuit triginta & octo annorum: nos autem infrà sub anno mundi 2583. num. 10. probabimus, populum peruenisse ad dictum torrentem, illumque transuadasse sub finem septimi mensis anni quadragesimi ab exitu de Ægyptu. Ex quo duo hic videntur posse inferri: Alterum est, toto cælo, vt aiunt, aberrare Hebræorum Rabbinos, nempe Rabbi Abenazra & Rabbi Salomonem, apud Abulensem super Deuter. cap. 1. quæst. 12. relatos; quorum primus putat populum triginta octo annis continuis mansisse in Cadesbarne, secundus verò, annis decem & nouem: hos namque euidenter redarguit Sacer textus Deuteronomij proxime citatus. Alterum est, ex dictis consequi, quòd à reditu exploratorum de terra Chanaan, ad exitum populi de Cadesbarne, fluxerunt ferè duo menses, intra quos benè potuit Moyses fecisse tertiam illam cum Domino quadragesimam, quam sub anno mundi 2544. num. 56. poni posse probauimus. Profecti igitur de Cadesbarne, siue de Rethma, vbi decimamquintam fecerant mansionem, reuersi sunt in solitudinem, quæ ducebat ad Mare rubrum, Deuter. cap. 1. in fine, & cap. 2. in principio, quemadmodum eis præceperat Dominus Numer. cap. 14. vers. 25. & circuierunt montem Seir longo tempore, hoc est triginta octo ferè annorum interuallo, siue vsquequò discesserunt de monte Hor: tunc enim relictis Idumæorum finibus, direxerunt iter ad desertum Moab, vt suo loco dicetur.

SANCTVS IOB MORITVR.

69. Sub finem eiusdem anni secundi ab exitu Israel de Ægypto, oportet obiisse sanctum Iob: hoc siquidem tempore (vt apparet in tabulis) complentur ducenti decem & septem anni, quibus ipsum vixisse, nos sub anno mundi 2399. num. 1. ostendimus. Dixi, Sanctum Iob; quia eundem Sanctum ac Beatum appellat Scriptura sacra, Tobiæ cap. 2. vers. 12. & 15.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2546. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 3.

IDVMAEI DE MONTE GALAAD AB AMORRHAEIS PVLSI.

1. Anno proximo (vt arbitror) id est non multò post obitum dicti sancti Iob, credimus Idumæos posteros Esau, ab Amorrhæis omnino de monte Galaad ac de regionibus illi proximis, in quibus à tempore ipsius Esau habitauerant, fuisse pulsos; ac sese recepisse, deincepsque habitasse in montibus, inter Mare mortuum & Mare rubrum positis; quemadmodum nos sub anno mundi 2319. num. 7. diximus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2547. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 4.

CECROPS REX ATHENIENSIVM MORITVR.

1. Anno vitæ Moysi octogesimo quarto (vt patet in tabulis) necesse est mortuum esse Cecropem, primum Atheniensium Regem; siquidem ipse regnare cœperat anno vitæ Moysi trigesimoquinto, vt sub anno mundi 2498. num. 1. dictum est; & regnauit annis quinquaginta, vt videre est apud Eusebium in Chronicis. Et huic opinioni consonant, quæ tradit S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. initio capitis 11. dicens, quòd *Moyses eduxit populum Dei de Aegypto, nouissimo tempore Cecropis Atheniensium Regis, id est circa postremos regni eius annos, cùm apud Assyrios regnaret Ascades.*

GRAECORVM DII QVO TEMPORE VIXERINT.

2. Post Cecropem (inquit Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi de externis Moysi tempore gestis agit) dij Græcorum nati feruntur, ante bellum Troianum annis suprà trecentis. Quamquam autem idem Auctor ibidem post pauca subiungat, deorum istorum sæculum ideò non satis definitè annotari posse, quia trecentis hisce annis multi fuerunt Saturni, Ioues, Mercurij, Apollines, & quidem omnes illustres: attamen infrà, vbi agit de profanis ætate Aod, ponit ætatem prædictorum deorum, Iudicum temporibus incidisse, non longè scilicet ante bellum Thebanum & Troianum. idque eo probat argumento, quòd ipsorum deorum sæculo, quo terras deseruerant, idem bellum gestum Historiæ profanæ tradant, deorum liberis in eo occisis: (prædictos enim deos ex hominibus natos esse, probat ibidem testimonijs tum Herodoti lib. 1. tum Ciceronis lib. 1. Tusculanarum quæstionum.) & confirmari potest ex eo quod suprà dixerat, nempe, quia Saturnus, qui ex dijs antiquioribus fuit, non nisi centum annis ante prædictum bellum, in Italia regnauit. Sed esto, Iudicum Hebraicorum tempestate potissimum

annum plurimos ex dijs Græcorum floruisse, non tamen constat, nullos anteà ijs multò antiquiores extitisse: quin potiùs ex his, quæ nos sub annis mundi 2092. num. 1. & 2498. num. 1. adduximus, videtur planè oppositum posse colligi. Quod & comprobari item potest ex Arnobio, qui lib. 2. Contra gentes (vt citatus ibidem refert Genebrardus) *A dijs ad Romam conditam*, ait, *mille propè anni, & ad Christum, mille septingenti numerantur*. Quod si verum est, vtique oportet deos cœpisse plus centum sexaginta annis ante hunc mundi annum 2547. de quo hîc agimus, quemadmodum facile in tabulis supputari ac dignosci potest.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2548. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 5.

1. ANNO quinto exitus Hebræorum de Ægypto, vt notat Eusebius in Chronicis, institutus fuit Athenis Areopagus ille, cuius fit mentio Actorum c. 17. vers. 19. Fuit autem primò Areopagus aliquamdiu quidam iudicij locus, in quo conueniebant Iudices & Legum Doctores, ad agendas terminandásque causas capitales seu iudiciales, vt colligi potest tum ex Plinio, qui lib. 7. cap. 56. ait, iudicium capitis primum in Areopago fuisse actum: tum ex B. Augustino lib. 18. de Ciuit. cap. 10. vbi ex Varrone de ipsius Areopagi denominatione plura disserit. Posterioribus verò temporibus videtur idem iste locus etiam veluti insignis quidam conuentus & schola Philosophorum aliorumque eruditissimorum virorum ac sapientum extitisse, in qua de scientiarum quoque dogmatibus disseri ac diiudicari solebat, vt ex cap. Actorum citato vers. 18. videtur posse colligi, vbi traditur, quòd quidam Stoici & Epicurei Philosophi, cupientes scire quænam esset doctrina quam prædicabat Apostolus, quamque ipsi nouam atque inauditam censebant, duxerunt illum ad Areopagum: ipse verò stans in medio Areopagi, luculentam apud illos sapientes habuit concionem, qua nonnullos conuertit ad fidem Christi; inter quos fuit magnum illud S. Ecclesiæ lumen, Dionysius Areopagita, qui posteà verbo atque exemplo, & insuper scriptis pæne diuinis, ac demum illustri martyrio eamdem Ecclesiam maximè exornauit. Quamquam de Areopago tutiùs dici possit, quòd etiam Apostoli tempore fuerit iudicij locus, & quòd ibidem Apostolus non tamquam ad conciónandum, seu veluti in schola, de noua sua doctrina disserendum, sed potiùs ad causam pro se dicendam, rationemque prædicationis suæ reddendam, fuerit adductus, vt planè indicare videntur illa verba ibidem vers. 19. posita: *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt*, &c.

DE AREOPAGO, ET QVANDO ATHENIS INSTITVTVS.

2. Intereà Hebræi, propter peccata quæ fecerant in Cadesbarne, per illas Arabiæ solitudines, Deo ita disponente, hùc atque illud ambulantes atque vagantes, fecerunt illas mansiones, quæ ordinatim recensentur Numer. cap. 33. vers. 19. vsque ad 37. videlicet mansionem decimamsextam, in Remmon Phares; decimamseptimam, in Lemna; decimam octauam, in Ressa; decimamnonam, in Ceelatha; vigesimam, in monte Sepher; vigesimamprimam, in Arada; vigesimamsecundam, in Maceloth; vigesimamtertiam, in Thahat; vigesimamquartam, in Thare; vigesimamquintam, in Methca; vigesimamsextam, in Hesmona; vigesimamseptimam, in Moseroth; vigesimamoctauam, in Beneiaacan; vigesimamnonam, in monte Gadgad; trigesimam, in Ietebatha; trigesimamprimam, in Hebrona; trigesimamsecundam, in Asiongaber, quæ erat iuxta Ailath, in littore Maris rubri, vt dicitur 3. Regum cap. 9. vers. 26. & lib. 2. Paralip. cap. 8. vers. 17. Ex quo deducitur, prædictas mansiones omnes fuisse in solitudine illa, quæ ducebat à Cadesbarne ad Mare rubrum, vt dicitur Deut. cap. 2. vers. 1. & in nostro Mansionum typo sub anno mundi 2583. num. 17. videri poterit. Quòd verò hæ decem & octo mansiones, à Rethma ad Asiongaber inclusiuè, in deserto Pharan continerentur, tradit B. Hieronymus ad Fabiolam, Mansione 15. Aduertendum tamen hîc est, quòd illa duo loca, in quibus ex cap. Numer. 33. diximus factas fuisse mansiones vigesimamnonam & trigesimam, nimirum Gadgad & Ietebatha, valdè erant diuersa ab illis eiusdem nominis, quæ memorantur Deuter. cap. 10. vers. 7. siquidem priora, erant in deserto Pharan, à latere Occidentali Idumææ: hæc autem ab Orientali, non longè à Mari rubro: ad illa peruenit populus ante obitum Mariæ & Aaronis, ad hæc autem, post. Insinuari quoque videtur in Sacro textu hæc diuersitas: nam primus Gadgad dicitur fuisse mons, secundus autem nequaquam: item prima Ietebatha, sine vlla additione notatur; secunda autem dicitur fuisse in terra aquarum atque

MANSIONES 17. FACTAE IN ARABIAE SOLITVDINIBVS A CADESBARNE AD MARE RVBRVM.

atque torrentium, quia nimirum erat prope mare; quod non potest conuenire priori existenti in deserto Pharan, admodum arenoso & sicco.

QVAE IN PRAENOTATIS MANSIONIBVS SINT GESTA.

LIBAMINA CVM VICTIMIS OFFERRI MANDANTVR.

PRIMITIAE DOMINO OFFERENDAE.

QVAE SACRIFICIA PRO PECCATIS FACIENDA.

SABBATI VIOLATOR LAPIDIBVS OBRVITVR.

FIMBRIAE HYACINTHINAE CVR GESTARI PRAECEPTAE.

3. Puro autem, in prænotatis solitudinibus interim acta esse omnia, quæ Numer. cap. 15. & quattuor sequentibus traduntur: quæ quoniam Scriptura sacra per proprias mansiones non distribuit, nec eis propria assignat tempora; idcircò nos quoque ea hîc seorsum breuiter adnotabimus, eo ordine quo in præfatis capitibus tradita inueniuntur. Quòd enim in memoratis mansionibus fuerint gesta, etiam affirmat B. Hieronymus loco proximè allegato. Primò igitur dat Dominus per manum Moysi populo præcepta quædam Cærimonialia, obseruanda quando peruenerit & habitauerit in terra Chanaan; docens quomodo, quandocumque offerre voluerint hostias Domino, siue pacificas, siue in holocaustum, & siue ad exoluenda vota Domino facta, siue sponte & ex propria deuotione, siue item quæ in sollemnitatibus offerri præceptæ erant, semper cum victimis quædam etiam offerre deberent libamenta; nimirum similæ oleo conspersæ, & vini. Et ibidem statuitur conueniens horum mensura, iuxta qualitatem victimarum offerendarum. Item præcipiens, vt de cibis quos posteà comederint in Terra promissionis, semper prius separent dentque primitias Domino, hoc est Sacerdotibus Domini, tam de frugibus in area collectis, quàm de pulmentis in mensa apponendis. Insuper mandans ac decernens, quænam sacrificia offerenda sint pro peccatis siue inobseruantiis quas tum per ignorantiam errorémve committi contigerit, tum etiam per superbiam & contemptum. Per hæc quoque circiter tempora, quando scilicet dabat eis Dominus memorata præcepta, cùm essent filij Israël in solitudine, vt expressè notatur Numer. cap. 15. vers. 32. accidit, vt quidam inuentus sit colligens ligna in die Sabbati, in quo cessatio ab omni opere obseruanda erat: qui cùm ad Moysen fuisset delatus, illeque super hac re Dominum consuluisset; responsum accepit Moyses, vt diuini præcepti transgressor lapidibus extra castra à multitudine opprimeretur; atque ita factum est. Ex citatis autem Numer. verbis, *Cùm essent filij Israël in solitudine*, colligitur comprobaturque quod diximus, nimirum omnia Moysi gesta hactenus in hoc numero relata, & quæ infrà vsque ad annum mundi 2571. referenda erunt, contigisse non in Cadesbarne (vt nonnulli perperàm existimarunt) sed in posterioribus mansionibus per illam solitudinem factis. Addidit deinde Dominus per Moysen aliud præceptum Israëlitis, videlicet, vt facerent sibi fimbrias, ponentes in angulis palliorum vittas hyacinthinas; quas frequenter videntes, recordarentur cælestium mandatorum, reuocarentque oculos & cogitationes suas à varus mundi distractionibus, ad exactam mandatorum Dei obseruantiam. Et hæc sunt quæ habentur Numer. cap. 15.

SEDITIO CORE, DATHAN, ET ABIRON DESCRIBITVR.

4. Sequitur famosa illa seditio Core & Dathan atque Abiron cum socijs, aduersus Moysen & Aaron pro Sacerdotio & primatu. Horrendum profectò exemplum, ijs præsertim, qui ex præsumptione spiritus, sese per ambitionem ad Ecclesiasticas ingerunt dignitates, contra præceptum Apostoli ad Hebræos cap. 5. vers. 4. exclamantis: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Fuit ergo seditio Core & sociorum eius, eiusmodi: Erat Core Leuita inter posteros Caath honorabilis, qui non contentus ministerio sibi à Deo per Moysen assignato, volebat sibi quoque Sacerdotium vindicare. quamobrem conspiratione facta cum Dathan & Abiron & Hon, primarijs inter Rubenitas, qui & ipsi primatum ambiebant in populo, & item, cum ducentis quinquaginta ex proceribus filiorum Israel, qui in negotijs grauioribus deliberandis, ad Concilium nominatim aduocari consueuerant: venit ipse stipatus hisce ducentis quinquaginta viris ad Moysen & Aaron, cœpitque arroganter exprobrare, quòd sufficere eis poterat, æquales haberi cum ceteris; neque par esse vt velint cunctis præesse, alter tamquam omnium Princeps, alter verò vt summus Sacerdos: quandoquidem non magis ipsis, quàm alijs, Deus Legem dederat, ceteraque beneficia multa contulerat. Sane Moyses, qui certus erat non à seipso, sed à Deo accepisse prælationem; & non affectu cognationis, sed Deo mandante consecrasse Aaronem fratrem suum in summum Sacerdotem; hæc audiens, protinus cecidit in faciem suam, orans Dominum, vt ei quid facto opus esset indicaret, paratus ad nutum eiusdem Domini (quemadmodum posteà fecit Samuel) renuntiare prælationi, & constituere in populo Principem ac Pontificem, quos eligeret Dominus. Verùm longè diuersa erat voluntas Domini: qui cùm benè nosceret humilitatem serui sui ac rectitudinem cordis, & econuersò, arrogantiam & superbiam Core ac sociorum

eius;

eius; edocuit tacitus Moysen de omnibus quæ per ipsum facturus erat. Surgens ergo Moyses, dixit Core, vt in crastinum ipse & qui eum sequebantur parati essent venire cum thuribulis suis, & (quod erat munus Sacerdotale) offerre incensum Domino; idem quoque facturum ex altera parte Aaronem, vt ostendat Dominus à quonam velit huiuscemodi officium exerceri: sed neque omisit in hac occasione eumdem Core, grauiter modesteque corrigere, quòd non vocatus talem dignitatem affectaret. Misit deinde Moyses, qui vocarent Dathan & Abiron, vt eos etiam paternè admoneret, ne & ipsi contra Dei voluntatem sese extollerent. Verumtamen illi nimia tumentes arrogantia, non modò venire contempserunt; sed nec parcere linguæ à detractionibus & subsannationibus contra Moysen potuerunt. Quamobrem iustè iratus Moyses, orauit Dominum ne eorum vota sacrificiáve susciperet. Postridie autem, stantibus Moyse & Aaron ad ostium Tabernaculi fœderis, cùm ibidem, iuxta co[illegible]tum, ducenti quoque illi quinquaginta proceres conuenissent; concurrissetque simul magna hominum multitudo, ab eisdem, maximè verò à præcipuis dictæ seditionis auctoribus contra Moysen & Aaron commota, admodumque concitata: ecce apparuit cunctis videntibus gloria Domini dicentis Moysi & Aaroni: *Separamini de medio congregationis huius, vt eos repentè disperdam.* Qui ceciderunt proni in facies suas, orantes Dominum vt parceret multitudini. Deinde Moyses, relictis ibi Aarone & illis ducentis quinquaginta viris, abijt iubente Domino ad Dathan & Abiron, sequentibus eum senioribus Israel; nimirum septuaginta illis, quibus dederat Dominus de spiritu Moysi: quò cùm peruenisset, dixit turbæ vt recederet à tabernaculis hominum impiorum, & nihil eorum tangeret, sed obseruaret imminentem eis vltionem: & si quidem illos Dominus communi quadam & non insolita castigatione plecteret, scirent se non esse missum à Deo; sin autem nouo atque horrendo miraculo deuoraret eos terra; certi essent, illos contra omne ius fasque seditionem illam excitasse, ac blasphemasse Deum. Quibus dictis, repente aperta est terra sub pedibus eorum, & absorbuit eos cùm tabernaculis, & omnibus ad se pertinentibus, circumstante atque inspectante omni Israele, atque à clamore pereuntium fugiente, ne ipsum quoque terra deglutiret. Et quod hic dictum est de Datban & Abiron, accipiendum quoque est euenisse Hon, & item ipsi Core, qui & ipse creditur nuluisse venire ad ostium Tabernaculi eum aliis ducentis quinquaginta, sed mansisse in tabernaculo suo, quemadmodum fecerant Dathan & Abiron; atque ibidem in illo admirabili terræ hiatu fuisse sepultum, vt apertè traditur Numer. cap. 26. vers. 10. vbi etiam subiungitur, tunc factum fuisse grande miraculum, *vt Core pereunte, filij illius non perirent*, ad differentiam Dathan & Abiron, qui (vt dictum est) cum liberis, & vxoribus, & omni substantia eorum ad inferos descenderunt. Aliud quoque portentum eodem tempore accidit ad ostium Tabernaculi fœderis, vbi relictus fuerat Aaron: nam vt primùm ducenti illi quinquaginta proceres ausi sunt accipere de Altari holocautomatum prunas, vt ponerent eas in thuribulis suis, offerrentque thymiama Domino: egressus derepente mirabiliter ignis ab Altari, interfecit eos. Quod vt audiuit Moyses, præcepit Eleazaro Sacerdoti, vt colligeret ducenta illa thuribula ænea, producere tque ea in laminas, quas Altari affigeret, in memoriam filijs Israel, ne quis non Sacerdos incensum deinceps offerre auderet. Exorta deinde est sequenti die alia murmuratio & seditio multitudinis aduersus Moysen & Aaron, quasi ipsi occidissent populum Domini; adeoque increuit tumultus, vt ab impetu ac furore insurgentium aduersus eos, coacti sint fugere in Tabernaculum fœderis: vbi apparuit iterùm gloria Domini protegens eos, & mittens validum in populo incendium, quo cuncti deleti essent, nisi protinus Aaron iubente Moyse cucurrisset in medio multitudinis, atque inter mortuos ac viuentes stans, obtulisset thymiama Domino, orassetque pro eis: tunc enim cessauit plaga, interfectis tamen priùs quattuordecim millibus hominum ac septingentis, absque his qui perierant in seditione Core. Et hæc sunt, quæ per occasionem dictæ seditionis acta describuntur Numer. cap. 16. per totum; & breuiter tanguntur in Psal. 105. vers. 16. 17. & 18. illis verbis: *Et irritauerunt Moysen in castris*, (subaudi, &) *Aaron Sanctum Domini. Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron. Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.*

HORRENDVS SEDITIOSORVM INTERITVS

OCTAVA POPVLI MVRMVRATIO, ET EIVS PVNITIO.

5. Alio item postea signo placuit Domino sacerdotium Aaronis, eiusdemque electionem tamquam diuinitus factam, confirmare; vt nemo deinceps eam ampliùs in dubium vocare posset, aut cum tanto vitæ discrimine illud sibi vsurpare attentaret. Iussit ergo Moysen accipere à singulis principibus tribuum Israel singulas virgas, proprijs notatas nominibus, nimirum duodecim; & insuper virgam Aaronis pro tribu Leui,

AARON IN PONTIFICATV CONFIRMATVR SIGNO VIRGAE EIVS, QVAE MIRABILITER FLORVIT.

Leui, quæ erat tertiadecima; ponereque eas coram Domino in Tabernaculo testimonij: die verò sequenti easdem proferre, & quam floruisse viderent, scirent signum esse certissimum diuinæ electionis illius, qui in ea scriptus esset, in summum Sacerdotem. Quod cùm factum fuisset, ceteris in pristino statu suo remanentibus, sola Aaronis virga inuenta est germinasse, ac turgentibus gemmis emisisse flores, qui dilatatis folijs in amygdalas iam deformati videbantur: quæ causa fuit, vt tunc omnes acquiescerent. Nihilominùs ad perpetuam facti memoriam, & vt hoc visibili signo, etiam futuris temporibus, querimoniæ contra Aaronem & posteros eius pro Sacerdotio penitus tolli possent; præcepit Dominus, virgam illam Aaronis quæ mirabiliter floruerat, iugiter in Tabernaculo testimonij esse asseruandam, quod per Moysen protinus executioni mandatum fuit: Num. cap. 17.

6. Quoniam autem in calce capitis Numer. proximè allegati satis modestè conquesti fuerant filij Israel apud Moysen, quòd iam perierat maxima ipsorum multitudo; & iam experimento didicerant, quòd omnes qui ad Tabernaculum testimonij accedebant, moriebantur; & per hoc tacitè (non enim liberiùs loqui audebant, tantis calamitatibus paulò antè propter ipsorum murmurationes percussi) requirere videbantur, aliquo modo prouidendum esse, ne paulatim omnes interirent: propterea volens Dominus tanto huic malo in posterum prospicere, maluit id per Aaronem & eius filios præstare; vt quorum occasione tot principes populi ob inuidentiam perierant, eos deinde eidem multitudini magis gratos redderet. Itaque quia ipsi Aaroni primò, tamquam summo Sacerdoti, & deinde filijs suis Sacerdotibus minoribus, ac demum etiam vniuersæ domui patris sui Leui, hoc est cunctis Leuitis, commiserat Dominus curam Sanctuarij sui, & omnium ad cultum Dei pertinentium, iuxta ministeriorum distributionem aliàs factam: nunc commendat ipsis respectiuè diligentem rerum omnium custodiam & administrationem; mandans inprimis Aaroni ac filijs eius, vt officia Sacerdotalia intra Sanctuarium & circa Altare holocausti accuratè exerceant, & Leuitarum opera vtantur; quibus item præcipit ad iussa Sacerdotum præstò esse, & excubare in custodia Sanctuarij, & in omnibus operibus Tabernaculi; ita tamen, vt ad vasa Sanctuarij, & ad Altare non accedant, ne moriantur. Atque hæc omnia vt diligentiùs peragantur, & consequatur optata populi præseruatio ab interitu; declarat Dominus, ipsum Aaronem & filios eius & Leuitas, non autem alios de populo, deinceps fore puniendos; pro iniquitatibus seu transgressionibus quas fieri acciderit circa Sanctuarium; puta, si quis ipsorum incuria illicitè ad ipsum accesserit; si illud, vel aliquid eius tetigerit; si ministerium aliquod in ipso exercere præsumpserit; aut quid aliud vetitum ibidem perpetrarum fuerit: ad ipsos namque spectare eiusmodi omnia prohibere, ne indignatio aliqua vel plaga oriatur in populo. Et insuper admonuit Aaronem, quòd ipse & filij eius subituri essent punitionem pro peccatis, quæ in officio Sacerdotali ipsorum culpa committi contigisset: Numer. cap. 18. vers. 1. vsque ad 8.

CVR DECLARAVERIT DOMINVS, DEINCEPS PVNITVM IRI SACERDOTES ET LEVITAS PRO TRANSGRESSIONIBVS POPVLI CIRCA TABERNACVLVM.

7. Post officia oneraque Sacerdotibus ac Leuitis iniuncta, admodumque commendata, vt in rerum temporalium cura minùs solliciti, diligentiùs diuinis seruitiis incumbere possent, decreuit Dominus, ipsos nullam partem possessionemve in terra Chanaan inter alias tribus habituros; sed ipsum Dominum fore ipsorum sortem hereditatemque in medio filiorum Israël. Pro ipsorum ergo victu, stipendia eis temporalia erant assignanda. Itaque primò Sacerdotibus iure perpetuo attribuit omnia, quæ sanctificantur Domino; videlicet vota, & oblationes, & sacrificia quæ Pro peccato dicebantur, & Sacerdotales hostiarum pacificarum partes, nimirum pectuscula & armos dextros: hac tamen lege, vt mares tantùm de familia Sacerdotum his vesci possent. Et præterea omnes frugum aliarumque rerum primitias; & has non filij dumtaxat, sed & filiæ pariter Sacerdotum (nisi legali aliqua detinerentur immunditia) edere poterant. His adde (quæ ad primitias reducebantur) primogenita omnia, quæ sibi Deus in exitu populi de Ægypto (Exod. cap. 13. vers. 2. & 12. vsque ad 16. & cap. 34. vers. 19. & 20.) reseruauerat; siue hominum, siue aliorum animalium, tam mundorum quàm immundorum; taxauitque pretium quinque siclorum argenteorum, quibus post mensem à natiuitate singula hominum primogenita redimi oporteret: nam animalia immunda communi pretio æstimanda erant, aut cum mundis commutanda, iuxta illud locis proximè citatis notatum: *Primogenitum asini mutabis oue; quòd si non redemeris, interficies*. Munda verò nullatenus redimenda esse statuit, sed ipsamet Domino consecranda. Leuitis autem pro temporali mercede ministeriorum suorum, in perpetuum assignauit decimas omnium rerum ab vniuerso Israële soluendas: eo tamen modo & forma,

DE SACERDOTVM LEVITARVMQVE STIPENDIIS.

& forma, quæ infrà num. 10. explicabitur. Numer. cap. 18. versic. 8. vsque ad finem capitis.

8. Verùm, quoniam de his quæ sanctificabantur Domino, & templi ministris ab eodem Domino iure perpetuò tradita fuerunt, aliàs quoque nonnumquam mentionem facere occurret; ad maiorem ipsorum intelligentiam, operæpretium duximus, nonnulla hîc de eisdem præmittere; tum in vniuersum, tum etiam sigillatim, prout opus fuerit. Et primò quidem sciendum est, omnia quæ offerebantur Domino, in duplici fuisse differentia. Quædam enim erant purè voluntaria, & ex mera dabantur deuotione; de qua re assiduè meminit Scriptura, nempe Leuitici, cap. 7. vers. 16. & cap. 22. vers. 21. & cap. 23. versic. 38. & Numer. cap. 15. vers. 3. & 4. Reg. cap. 12. vers. 4. & alibi sæpiùs. Alia erant Lege sancita; cuiusmodi decimæ, primitiæ, & quæcumque ex voto debebantur; quibus adiici potest exactio quædam dimidij sicli per singula virorum capita, de qua paulò infrà mentionem faciemus. Etenim de soluendis decimis, præceptum habebant diuinum Israëlitæ Leuitici cap. vltimo, vers. 30. huiusmodi: *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur*; & paulò post: *Bouis, & ouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino*. Similiter de primitiis, Exodi cap. 23. vers. 19. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui*. Et de vtrisque simul, legimus Exod. cap. 22. vers. 29. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere*. vbi etiam inter primitias primogenita computans, Scriptura subiungit: *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi*. Et quòd idem intelligendum sit de primogenitis cunctorum pecorum & animalium, apertè colligitur Exod. cap. 13. vers. 2. & 12. vsque ad 16. & cap. 34. vers. 19. & 20. & Numer. cap. 18. vers. 15. De votis quoque soluendis extabat lex Deuter. cap. 23. vers. 21. in hæc verba: *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Denique Exod. cap. 30. vers. 11. præceperat Dominus Moysi, dicens: *Quando tuleris summam filiorum Israel, iuxta numerum, dabunt singuli pretium prò animabus suis Domino*: & post pauca, *Hoc*, inquit, *dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli*. & paucis interpositis: *Diues non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet*. Sed quoniam ibidem subiungitur: *Susceptamq́, pecuniam, quæ collata est à filiis Israël, trades in vsus Tabernaculi testimonij*. ex quo patet, eam non ministris, sed potiùs fabricæ, aut aliis templi vsibus fuisse destinatam, vt etiam sub anno mundi 3172. num. 2. dicemus: propterea hoc loco de hac pecunia nihil aliud dicendum videtur.

OBLATIONES VOLUNTARIÆ.
LEGALES.
DE DECIMIS.
DE PRIMITIIS.
DE VOTIS.
DE DIMIDIO SICLO A SINGULIS SOLVENDO.

9. De primitiis verò scire oportet, tria ipsarum fuisse genera, vt benè notat Abulensis super Leuitici cap. 23. Primum erat oblatio illa manipulorum, quæ præcipitur in eodem Leuitici capitulo vers. 10. Quod tamen præceptum, vt ibidem citatus Auctor ait, non erat generale, ita vt obligaret omnes ac singulos, ad portandos Sacerdoti dictos spicarum manipulos die secunda Azymorum; sed sufficiebat, vt de manipulis qui pro personarum deuotione deferebantur, Sacerdos vnum eleuaret coram Domino, ritu Leuitici cap. 2. vers. 14. vsque ad finem capitis descripto; ceteros verò, siue pauci siue plures essent, pro se retineret. Dicebantur autem illi manipuli, primitiæ messis, quia primi & adhuc virentes de segetibus collecti erant; & dies dictæ oblationis, dies primitiarum nuncupabatur; & ante eam nemini licebat quidquam de nouis segetibus comedere, neque panem, neque polentam, neque pultes, quemadmodum expressè traditur Leuitici cap. 23. vers. 14. Alterum genus primitiarum, erant duo illi panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ cocti, qui de singulis Israëlitarum habitaculis in festo Pentecostes Sacerdotibus dari debebant, iuxta præceptum Leuitici cap. citato vers. 17. traditum; de quibus panibus nihil prorsus coram Tabernaculo fœderis offerebatur, sed toti cedebant in vsus Sacerdotum; quia, vt traditur Leuitici cap. 2. vers. 11. omnis oblatio quæ offerebatur Domino, sine fermento esse debebat. Porrò hoc præceptum de prædictis panibus offerendis, obligabat omnes; ita vt singulæ domus siue habitacula filiorum Israël, tenerentur tali tempore dare Sacerdotibus prædictos panes. Tertium denique genus primitiarum erat; eisdem Sacerdotibus dare quotannis de omnibus terræ frugibus, puta hordeo, frumento, vino, & oleo, ceterisque quibuscumque, partem quamdam, non maiorem quadragesima, nec minorem sexagesima; quam partem, hos inter terminos, offerentium arbitrio metiri consueuerant, vt testatur B. Hieronymus super Ezechielis cap. 45. De primogenitis autem Domino consecrandis ac pretio redimendis, vide Exod. cap. 13. vers. 12. vsque ad 16. & cap. 34. vers. 19. & 20. & Numer. cap. 3. vers. 12. & 13. & 40. vsque ad finem capitis, vbi etiam tra-

DE PRIMITIARUM GENERIBUS.

traditur, quomodo iubente Domino primogeniti filiorum Israël, qui inuenti sunt excedere numerum Leuitarum, redempti fuerunt quinque siclis argenti per singula capita; & tradita est eiusmodi pecunia Aaroni & filiis eius. De ipsis quoque primogenitis prædicto pretio redimendis disertè agitur Num.cap.18.vers.15. vsque ad 18.

DECIMARVM GENERA. 10. Quod verò attinet ad decimas, sciendum est, tria partier vel etiam quattuor apud Hebræos fuisse decimarum genera, vt ex Sacris libris apparet. Prima decima fuit, quam de mandato Domini ceteræ tribus, Leuiticæ tribui quotannis pendere tenebantur; de qua Num.cap.18.agitur à vers.20.ad 25. Altera, quam vnusquisque singulis annis penes se seruare iussus fuerat, Deuter. cap. 14.vers.22.vsq; ad 28.vt eam posteà comederet, non in propriis oppidis; id enim prohibetur ibidem cap. 12.vers.17.sed coram Domino, vt præcipitur versic. proximo, & cum Leuitis; nimirum hisce tribus anni temporibus, quibus singuli tenebantur conuenire ad Tabernaculum fœderis, siue ad templum. Tertia demum decima, illa erat, quam tertio quoque anno singuli separare debebant propriis in domibus, posteà cum Leuitis, & proselytis, & pupillis, ac viduis, pauperibus communicandam; quemadmodum præceperat Dominus Deuter.cap.14. vers.28. De hac meminisse libet Tobiæ cap.1. vers.7. dicens, quòd ipse Tobias *in anno tertio proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.* Itaque Leuitæ, tametsi omnium trium prædictarum decimarum aliquo modo, vt dictum est, participes essent,

QVOMODO DISPERTIRI SOLERINT. prima tamen potissimùm sustentabantur; quæ primò quidem inter omnes posteros Leui æquis portionibus, tam eos qui communiter Leuitæ dicebantur, quàm qui Sacerdotes erant, diuidebatur, vt colligi potest 2.Esdr.cap.10. vers. 38. & clariùs ex Iosepho 4.Antiq.cap.4. & ex B.Hieronymo super Ezechiel. cap.45. Deinde ipsi Leuitæ ex sua portione decimam partem, hoc est decimam decimæ, Aaroni persoluere tenebantur, vt præcipitur Num.cap.18. vers.26. videlicet summo Sacerdoti. Et hæc dici potest quarta species decimarum. Posterioribus verò temporibus tenebantur Hebræi, omnes decimas ad Gazophylacium deferre in domo thesauri, vt traditur Esdræ loco citato: nimirum inter Leuitas & Sacerdotes priùs dispertiendas, & mox decimæ decimarum inter ipsum Pontificem ac reliquos Sacerdotes distribuendæ erant, vt ex Iosepho & B.Hieronymo locis proximè adductis, & in eiusdem S. Doctoris epistola 126. ad Fabiolam colligitur, qui asserunt, Leuitas consueuisse decimas decimarum dare non Pontifici tantùm, sed etiam Sacerdotibus. Et hinc patet, Sacerdotes, tamquam Leuitis digniores, largiùs etiam, vt par erat, fuisse prouisos: quandoquidem præter partem decimarum, quas aliæ tribus tribui Leuiticæ pendebant, aliam quoque ab ipsis Leuitis, nempe decimam decimarum accipiebant: & insuper à populo primitias, vota, & spontaneas oblationes, & sacrificiorum partes illis assignatas, & in summa, quidquid Domino sanctificabatur à filijs Israel, vt patet Numer. cap.5.vers.9. & cap.18. vers.8. vsque ad 20. Vnde illud etiam rationi consentaneum videtur credere, ex prædictis omnibus, Pontifici, tamquam omniũ digniori, portiones saltem duplices pro sua dignitate tuenda dari consueuisse, quamquam id neque ex Scriptura sacra, neque ex Iosepho habeamus.

DE VOTIS. 11. Restaret hîc aliquid dicere de votis, quæ de anima, hoc est de vita propria aut filiorum fieri poterant; vt Nazaræi, qui se ad tempus, vel in perpetuum, Deo deuouebant: item de animalibus mundis vel immundis; de domo, vel de agro, aut eius fructibus, & huiusmodi, vt videre est in toto postremo Leuit. capite. Sed quia ibidem quoque sigillatim de singulis, quo modo reddi aut redimi possent, accuratè traditur; satius visum est, Lectorem ad eum locum remittere. Et hæc hactenus de Sacerdotum Leuitarumque stipendijs ac redditibus, loco possessionum quas posteà ceteræ tribus in terra Chanaan acceperunt. Nam de vrbibus earumque suburbijs, eisdem Dei ministris postmodum assignatis, loco magis congruo, nempe sub anno mundi 2591. num.7. & 8. agendum erit. Nunc ad historiam redeamus.

DE AQVA LVSTRANDA, ET EIVS VSV. ☞ 12. Post hæc docuit Dominus Moysen & Aaronem ritum aquæ Lustrationis seu expiationis faciendæ, cum cineribus vitulæ seu vaccæ rufæ immolatæ ac combustæ extra castra; & item vsum eius, ad mundandos sanctificandosque legalibus quibusdam immunditijs inquinatos. Quæ quia fusiùs describuntur in toto Numer.cap.19. libenter Lectorem ad illum locum ablegamus; & item ad B.Thom. 1.2.q.102. art.5. ad 5. vbi eamdem cæremoniam optimè exponit. Huius etiam cineris meminit Apostolus ad Hebræos cap.9.vers.13. hisce verbis: *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis,* &c. Hæc sunt memorabilia, quæ in populo Israëlitico post eius egressum de Cadesbarne vsque ad initium anni quadragesimi ab exitu de Ægypto, acta fuisse reperimus.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2571. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 27.

I. INTRA memoratum quoque tempus, hoc est anno circiter vigesimoseptimo ab exitu Israelis de Ægypto, necesse est quòd Naasson anno vitæ suæ quinquagesimo octauo, vt appatet in tabulis, genuerit Salmon. Nam licet in genealogia Saluatoris Matthæi cap. 1. vers. 4. id sine vlla temporis notatione proferatur; potest tamen inferri ex his, quæ nos sub anno mundi 2748. dicemus: ibi enim num. 3. probabimus necessarium esse, quòd prædictus Salmon fuerit quattuordecim circiter annorum, quando circa initia anni primi introitus Israelis in Terram promissionis, qui erat quadragesimus primus à dicto exitu, ipse Salmon duxit Raab in vxorem. Quot verò annis Naasson post genitum Salmonem superuixerit, certò definire non possumus; tametsi credamus ipsum mortuum esse in deserto, antequam populus peruenerit in Terram promissionis. Cùm enim ipse Naasson fuerit inter eos, qui anno secundo exitus de Ægypto recensiti sunt à viginti annis & supra, vt expressè traditur Num. cap. 1. vers. 7. proculdubiò oportet ipsum in deserto obiisse, iuxta sententiam Domini ibidem cap. 14. vers. 29. latam in hæc verba: ***Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis in Terram, super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun.***

NAASSON GENVIT SALMON.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2575. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 32.

I. ANNO vitæ Moysi centesimo duodecimo propè expleto defunctus est Ascades Assyriorum Rex, post exactos regni sui annos quadraginta, vt scribit Eusebius in Chronicis. Vbi notandum est, quòd confictus ab Annio Berosus, in isto Ascada, qui fuit à Nino Assyriorum Rex XVI. à Nemrod verò, vt ipse putat, XVIII. finem facit recensendi Reges Assyriorum, reliquos autem ipse Annius & eius asseclæ mutuantur ex Manethone Ægyptio, & Metasthene Persa; tamquam si reverà Berosus nullam de Regibus, qui post Ascadam in regno Assyriorum extiterunt, mentionem fecerit. Quod etiam comprobant ex Metasthene Anniano, qui apertè testatur se Historiam suam exordiri, vbi Berosus ipse desietat; & proinde prædictis decem & octo Regibus à Beroso commemoratis, ipse quattuordecim alios posteriores adiungit. Sed id talsum esse, vel ex ipso Metasthene Anniano conuincitur; qui cùm triginta & octo Reges Assyriorum à Saturno ad Sardanapalum enumerasset, & cuique proprios regni annos subdidisset, in his omnibus se Berosum sequi, & eius verba describere profitetur. Ecce quomodo supposititij isti Auctores sibi ipsis inuicem aduersantur, & Ioannis Annij, qui eos edidit, imposturam ipsimet produnt. Sed hos, obsecro, omittamus. Certe ex Iosepho lib. 1. Contra Appionem, scimus, verum legitimumque Berosum ab ipso citatum commemorasse Reges longè memoratis posteriores; nimirum Nabuchodonosor Nabolassari filiū, & ceteros qui post ipsum regnarunt vsque ad Cyrum Regem Persarum, ergo multò magis potuit meminisse eorum, qui à præfato Ascada ad Sardanapalum in Assyria regnauerunt. Non igitur Berosus Annianus verus est, sed fictitius & falsus.

ASCADAS ASSYRIORVM REX MORITVR. BEROSVS ANNIANVS ET METASTHENES SVPPOSITITII ESSE CONVINCVNTVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2576. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 33.

I. ANNO proximè sequenti regnauit apud Assyrios Amyntas, fuitque Rex Assyriorum decimusseptimus, vt ibidem notat Eusebius. Et addit, quòd anno huius Regis primo, Dardanus condidit Dardaniam; cuius incolæ posteà ab alio ipsorum Rege, cui nomen fuit Tros, Troiani sunt nuncupari. Aduertendum verò est, quòd S. Cyrillus Alexandrinus circa initia libri 1. Contra Iulianum, ponit, Dardanum ædificasse Dardaniam, non anno vitæ Moysi 113. vt facit Eusebius; sed anno eiusdem Moysi 120. & tamen concordat cum Eusebio dicens, id accidisse regnantibus apud Assyrios Amynta, apud Ægyptios Ramesse, qui etiam vocabatur Ægyptus, & apud Argiuos Sthenelo siue Steleno. Quamobrem puto Cyrilli codicem fuisse corruptum, & pro anno Moysi 120. debere corrigi, vt dicat 113. Nam anno Moysi 120. non Stelenum sed Danaum Argis regnasse habemus in eodem Eusebij Chronico.

AMYNTAS REGNAT IN ASSYRIA. DARDANVS DARDANIAM CONDIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2582. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 39.

DE MANSIONE 32.

1. CIRCA postremos anni trigesimi noni ab exitu de Ægypto menses, (vt sub anno mundi proximo num. 1. probabitur) credimus Israelitas, post multas valdeque molestas in illis solitudinibus circuitiones, secus Occidentale montis Seir latus factas, tandem relicto monte venisse per viam campestrem in Elath, siue Ailath; & illo præterito consedisse, fecisseque trigesimam secundam mansionem in Asiongaber, in littore Maris rubri existentem: & ibi (quòd iam perierat maxima pars eorum qui in Cadesbarne murmurauerant) Dominum dixisse Moysi, satis esse quòd in pœnam dictæ murmurationis populus circumisset montem Seir tam longo tempore, tantoque labore; & hactenus semper ad Austrum Orientemque perrexisset, elongando se iugiter à terra Chanaan, quæ erat eis ad Aquilonem; ac proinde præcepisse ei, vt deinceps verso itinere irent ad Aquilonem, redeuntque versus Terram promissionis. Et quoniam transituri erant per terminos filiorum Esau, voluit etiam vt Moyses præmoneret populum, ne vllo modo auderet pugnare cum illis; quia nihil omnino de terra illorum daturus erat ei: quin potiùs mandauit, vt transeundo nihil damni eis inferret, sed sibi cibos ab ipsis pecunia compararet. Et hæc sunt quæ traduntur Deuter. cap. 2. vers. 2. vsque ad 7. Quòd si quis suspicetur, hæc non in Asiongaber, sed in aliqua præcedentium mansionum dicta fuisse, propter ea quæ ibidem subiungit Moyses, dicens: *Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, & de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit ad desertum Moab.* ex quibus verbis quodammodò videtur, quòd post prædicta venerint in Asiongaber: Dicimus, fieri non posse, vt antequam venissent in Asiongaber, præceperit eis Dominus ire ad Aquilonem; quia oporteret fateri, Moysen populumque noluisse obedire Deo; nam certum est, quòd de Cadesbarne vsque ad Mare rubrum in Asiongaber, semper ibant ad Austrum, nonnihil interdum flectentes ad Orientem: ab Asiongaber autem, recedendo à Mari ad Cades, tunc primùm cœperunt progredi contra Aquilonem; ergo signum est, id eis ibi fuisse imperatum. Deinde certum quoque est, & ab alijs item Scriptoribus obseruatum, quòd Scriptura sacra, vt sæpè aliàs adnotauimus, præsertim verò Moyses in libro Deuteronomij, non semper refert quæ antè acciderant, seruato temporum ordine; sed prout ei Spiritus sanctus suggerebat, habito respectu ad alia ibidem intenta; non ignorans, quòd ipse ordo temporum ex alijs eius locis colligi poterat. Quare non mirum est, si in proximè citatis verbis, *Cumque transissemus*, &c. summatim repetit aliqua priùs facta, vt posteà ad vlteriora progrediatur. repetit (inquam) quòd relicto monte Seir venerunt in Elath, & in Asiongaber, vt posteà transuolet ad narrandum, quòd profecti sunt ad iter ducens ad desertum Moab; nihil curans de his quæ interim acta sunt, nimirum quòd de Asiongaber primò venerint in Cades, posteà iterùm declinantes ad Mare, venerint in montem Hor, circuierintque partem Idumææ in latere eius Orientali, ac demum illam relinquentes, direxerint iter suum per viam quæ ducebat ad desertum Moab: quoniam omnia hæc fusiùs ordinatimque narrata fuerant Numer. cap. 20. per totum, & 21. vers. 4. & breuiter recapitulata cap. 33. vers. 35. & sequentibus.

DEVTERONOMII LOCVS EXPLICATVR.

ELATH ET ASIONGABER OLIM NON FVISSE IDVMÆORVM.

2. Ceterùm ex quo hîc mentionem fecimus de Elath & de Asiongaber, arbitror hæc loca tunc temporis non fuisse filiorum Esau; quia ipsi tunc tantummodò dicuntur habitasse in monte Seir, non autem in planitie, quæ sese inde extendebat ad Mare; vt videtur posse colligi ex memoratis Deuter. verbis, quibus indicatur, quòd filij Esau habitabant in Seir, & quòd illis pertransitis venit populus in Asiongaber; & consequenter insinuatur, eosdem Idumæos non habitasse in Asiongaber. Item quia in Asiongaber, vt dictum est, prædictum fuerat Israelitis, quòd posteà transituri erant per terminos Idumæorum; ergo signum est, quòd tunc non erant in Idumæa. Et denique Num. cap. 20. vers. 16. & 22. dicuntur Cades & Hor fuisse in finibus Idumæorum; quæ tamen erant procul à Mari intra terram; vnde consequitur, Idumæam tunc temporis non sese extendisse vsque ad Mare, vbi erant Elath & Asiongaber. Nec refert quòd 3. Reg. cap. 9. vers. 26. & 2. Paralip. cap. 8. vers. 17. dicantur Ailath & Asiongaber esse in terra Edom; quia fieri potest, quòd Idumæi posterioribus aucti temporibus, protulerint deinde fines suos vsque ad Mare,

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2583. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 40.

DE MANSIONE 33.

1. ANNO quadragesimo ab exitu populi de Ægypto, vt paulò pòst probabitur, de Asiongaber venerunt filij Israel mense primo in desertum Zin; vel (vt habet editio Vulgata) in desertum Sin; in locum qui dicebatur Cades: Num. cap. 20. vers. 1. & cap. 33. vers. 36. & Deuter. cap. 2. vers. 8. qui locus alio nomine dicebatur Beroth filiorum Iacan, vt legimus Deuter. cap. 10. vers. 6. Diximus autem sub anno mundi 2544. num. 31. hoc desertum valde diuersum remotumque fuisse ab eo eiusdem nominis, in quo facta fuerat sexta mansio: & sub anno mundi 2545. num. 62. probauimus, istam quoque Cades non eamdem esse cum ea, quæ dicitur Cadesbarne; licet & hæc quandoque (puta Numer. cap. 13. vers. 27.) simpliciter Cades nuncupetur; sed has fuisse inter se admodum diuersas ac distantes. Porrò, quòd dictum est populum venisse in Cades anno quadragesimo, licet loco Numer. cap. 20. superiùs allegato non exprimatur, sed solùm quòd eò venerunt filij Israel mense primo; nihilominùs, mensem istum fuisse anni quadragesimi, satis probabiliter creditur: nam cùm in prioribus capitibus nullius alterius anni facta sit mentio, nisi in cap. 14. de quadraginta illis annis, quibus prædixerat Dominus Israelitas in solitudine vagaturos; ratio dictat, quòd ille primus mensis, cuius ibidem meminit Scriptura in principio capitis vigesimi, debeat intelligi fuisse primus anni quadragesimi priùs commemorati. Sed & hoc idem adhuc efficaciùs probant Caietanus super loco Numer. citato, & alij hac ratione; quòd in mansione immediatè sequenti, quæ est trigesima quarta, facta in monte Hor, mortuus est Aaron, anno exitus quadragesimo, mense quinto, prima die mensis, vt expressum habemus Numer. cap. 33. vers. 38. ergo verisimile admodum est, ad hanc mansionem, quæ in ordine est trigesima tertia, populum appulisse in mense primo eiusdem anni quadragesimi; & ex consequenti, in anno trigesimo nono eumdem populum peruenisse ad præcedentem mansionem, hoc est trigesimam secundam, factam in Asiongaber, quemadmodum sub anno mundi 2582. num. 1. hîc probandum supposuimus.

LOCVS NVMER EXPONITVR.

MARIAE SORORIS MOYSI OBITVS.

2. In Cades faciente populo trigesimam tertiam mansionem, hæc gesta esse comperimus: Primò, ibi mortua est Maria soror Moysi, & sepulta in eodem loco, Numer. cap. 20. vers. 1. Vnde si verum est, ipsam fuisse septem dumtaxat annis ipso Moyse seniorem, quemadmodum sub anno mundi 2457. num. 1. ostendimus, cùm ex loco Numer. adducto appareat eam obiisse circa initia anni quadragesimi ab exitu Ægyptiaco, id est anno ferè vno ante obitum Moysi, quem eodem anno propè desinente mortuum esse, infrà suo loco dicemus, consequitur, eamdem decessisse annos natam circiter centum viginti sex. Posteà, murmurante iterùm populo ob aquæ indigentiam, & seditione aduersus Moysen & Aaron concitata, confestim ambo in Tabernaculum fœderis ingressi, ibique prostrati, orabant Dominum vt dignaretur prouidere multitudini; qui exaudiuit eos: perrexitque Moyses præcipiente Domino, & bis percussit virga petram coram populo, statimque ex ea fluxerunt aquæ largissimæ, biberuntque populus & iumenta eius ad satietatem. Et hæc fuit secunda aquæ eductio de petra; nam prima, facta fuerat mansione vndecima in Raphidim, vt sub anno mundi 2544. num. 53. dictum est. Quoniam autem ante istam aquæ eductionem Moyses & Aaron nonnihil in fide titubauerant, vt planè indicant verba illa Domini, Numer. cap. 20. vers. 12. *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel*, &c. Quamquam credibilius videtur, eos non de potestate, sed magis de voluntate Domini, propter incredulitatem populi, dubitasse; tunc præsertim, quando ad primam petræ percussionem viderunt non fluxisse aquas. Itaque quia non simpliciter & absolutè, vt par erat, crediderant verbis Domini, qui dixerat eis: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas*; proptereà prædixit Dominus, eos non introducturos populum in terram quam daturus erat ei; & exinde hæc appellata fuit Aqua contradictionis, Numer. cap. 20. vers. 2. vsque ad 14. Puto autem Dominum adeò grauiter tulisse castigasseque hanc Moysi & Aaronis hæsitationem, quoniam iam aliàs sæpiùs in huiusmodi occasionibus experti fuerant diuinam miserationem ac prouidentiam, & insuper aliud quoque prorsus huic simile miraculum viderant; ac proinde nihil omnino vereri debebant, nec tantisper de diuina promissione ac prouidentia dubitare.

NONA POPVLI MVRMVRATIO IN DESERTO.

SECVNDA AQVAE EDVCTIO DE PETRA.

CVR MOYSES ET AARON AD AQVAM CONTRADICTIONIS A DOMINO REPREHENSI, AC POSTEA CASTIGATI.

3. Post hæc, volens Moyses recto itinere quantocyùs properare cum populo suo ad terram Chanaan, de Cades misit nuntios ad Regem Edom, postulans vt liberum eis

EDOM NEGAT ISRAELITIS TRANSITUM. præberet transitum per terram suam, promittensque se nullum ipsi damnum allaturum; sed si quid ab ipso acciperet, pecunia, sine vllo pretij litigio, cumulate satisfacturum: at ille non modò deprecantibus acquiescere noluit, verum etiam cum exercitu obuiam venit Israëli, vt impediret ei transitum. Quamobrem populus, vtpote cui præceperat per Moysen Dominus, ne pugnaret cum Idumæis, coactus est declinare ab eis: 5 Numer. cap. 20. vers. 14. vsque ad 22. & Iudic. cap. 11. vers. 17. Sed hîc occurrit dubitatio, Quomodo verum sit quòd Idumæi negauerint transitum Israëli, cùm Deuter. cap. 2. vers. 4. dixerit Dominus Moysi: *Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos; videte ergo diligenter ne moueamini contra eos*, &c. & post pauca præcipit, vt cibos aquamque pecunia ab eis emerent. quin etiam ibidem vers. 8. subditur, quòd filij Israël, cùm transissent filios Esau, venerunt de Elath & de Asiongaber, ad iter quod ducit ad desertum Moab: ergo videtur Rex Idumæus eis transitum concessisse. Sed quid de hoc ambigimus? cùm id aperte traditum habeamus in eodem Deuteronomij capite vers. 29. vbi cùm misisset Moyses nuntios ad Sehon Regem Hesebon, petens transitum per terram suam; post pauca subiungitur: *Sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir; & Moabitæ, qui morantur in Ar*, &c.

DVBITATIO

ABVLENSIS RESPONSIO REFELLITVR. Quid ergo dicemus? Respondet Abulensis, quòd Rex Edom aliquando concessit, aliquando negauit. Et quidem ex sacra Scriptura quodammodò vtrumque fateri necesse est: verumtamen si quis exactiùs percontetur quando concesserit, & quando negauerit, & quid præcesserit; concessióne, an prohibitio? idem Auctor super Deut. cap. 2. sub finem quæstionis 7. dicit, quòd licet à principio Idumæi negauerint transitum Israëli, vt ipse colligit ex allegato Numer. cap. 20. *& ideò* (inquit) *coactus est Israël circuire montem Seir longo tempore: tamen post circuitum dicti montis, Deo mandante, iterùm deuenit ad eos, qui permiserunt eum transire per terram suam*. sic Abulensis. Pro cuius responsione bene intelligenda, tria ad eius mentem supponere oportet. Primò, quòd Cades eadem esset cum Cadesbarne, quod ipse alibi non semel affirmat. Deinde, quòd bis venerit populus in Cades, feceritque ibi mansionem decimamquintam & trigesimamtertiam. Tertiò demum, quòd illa legatio missa ad Regem Edum, & illa transitus prohibitio, quæ describitur Numer. cap. 20. facta fuerit à principio, hoc est quando faciebat populus mansionem decimamquintam in Cadesbarne, siue in Cades, quam ipse pro eodem loco reputat; tunc enim nondum circuierat montem Seir: sed negante sibi Edom transitum, coactus posteà est (inquit) populus circuire montem Seir. Verumenimuerò nos satis superque sub anno mundi 2545. num. 62. & 63. demonstrauimus, vrbem Cades fuisse valdè diuersam ac distantem à Cadesbarne, & semel duntaxat Israëlem venisse in Cades, vt comprobari etiam potest ex ipso mansionum Catalogo, qui habetur Numer. cap. 33. Præterea ex cap. Numer. 20. satis manifestè apparet, legationem illam, & transitus prohibitionem, factam fuisse non in mansione decimaquinta, sed trigesimatertia, quando iam Israëlitæ circuierant montem Seir. Quare tota ruit Abulensis assertio ac responsio. Neque verò etiam dicere possumus, Regem Edom nuntiis de Cades, hoc est de trigesimatertia mansione missis, primò negasse transitum, posteà verò concessisse: nam hoc euidenter repugnare videretur locis Numer. ac Iudicum citatis, vbi apertè traditur, Regem Idumæum semper perstitisse in negando transitum Israëli, & insuper cum instructo exercitu venisse contra eum, & denique quòd diuertit ab eo Israel. Nec post eius discessum, in libro Numer. vbi tota hæc historia describitur, vsquam legimus, Idumæos pœnituisse, postéave, quod priùs negauerant, concessisse: quin potius, non videtur Israel, ex quo diuertit ab eis, postmodum ampliùs tali concessione eguisse; quoniam, vt dictum est, inde posteà venerunt ad iter, quod ducebat ad desertum Moab. Itaque quidquid alij dixerint, credimus multò meliùs propositam solui posse dubitationem, si dixerimus, (quemadmodum sub anno mundi 2545. num. 63. tetigimus) semel tantummodò Moysen petiisse transitum ab Idumæis; idque tunc quando faciebat populus trigesimamtertiam mansionem in Cades, & eodem tempore Regem Edom negasse transitum, quem nuntij petebant per mediam Idumæam, vel saltem per eam partem quæ cum Moabitis terminabat, vt possent compendiosiori via intrare in terram Chanaan, per partem eius Australem; (hæc enim erat Israelis intentio:) concessisse autem, vt terram ipsorum, quæ cum deserto terminabat, circuire, & per extremitates eius pertransire possent. Cuius rei euidens signum est, quòd posteà permiserunt eos de Cades ire, & moram facere in monte Hor, qui pariter ad Idumæorum fines pertinebat, vt patet Numer. cap. 20. vers. 22. & clariùs Deuter. cap. 2. vers. 12. & 22. Et hoc est quod prædixerat Dominus Deuteron.

AVCTORIS RESPONSIO AD PROPOSITAM DVBITATIONEM.

cap. 2.

cap. 2. verſ. 4. dicens: *Tranſibitis per terminos* (hoc eſt fines) *fratrum veſtrorum filiorum Eſau, & timebunt vos*. ideò namque noluerunt Idumæi quòd Iſraelitæ tranſirent per mediam terram ipſorum, quia timebant ab eis: & idem fecerunt Moabitæ, vt ſuo loco dicemus; & de vtriſque traditur Iudic. cap. 11. verſ. 18. vbi de Iſraële dicitur: *Et circuiuit ex latere* (nimirum Auſtrali & Orientali) *terram Edom, & terram Moab, venitque contra Orientalem plagam terræ Moab*. Et ſic patet, quomodo Idumæi negarunt Iſraëlitis tranſitum per terram ſuam, & quomodo permiſerunt eos tranſire per extremitates eiuſdem terræ, præbentes eis iuſto pretio alimenta in Cades & in monte Hor, & fortè etiam in aliis locis ad ditionem ſuam pertinentibus.

4. Poſt repulſam à Rege Edom habitam, Moyſes abbreuiare cupiens populo quantum poſſet iter ad Terram promiſſionis, miſit de Cades ad Regem Moab, vt ex quo non poterat per Idumæam, ſaltem poſſet per Moabitidem, aliquanto licet longiori via, ad eam peruenire (Iudic. cap. 11. verſ. 17. vſque ad 19.) qui & ipſe tunc per mediam terram ſuam tranſitum præbere contempſit. Quamobrem coactus eſt Iſrael circuire, vt dictum eſt, ex latere, primò reſiduum terræ Edom, pergendo de Cades ad montem Hor, & deinde ſucceſſiuè ad Salmona, & ad Phuon, & ad Oboth, & demum ad Ieabarim, quæ erat in finibus Moabitarum, vt dicitur Num. cap. 33. verſ. 44. hoc eſt, vbi definebant fines Idumæorum, & incipiebant confinia Moabitarum; & exinde, Moabitis pariter conſentientibus, ipſorum quoq; terram circumdare, ambiendo fines eius Orientales. Fuit autem hæc particularis quædam diuini iudicij diſpoſitio, quemadmodum obiter indicatur 2. Paralip. cap. 20. verſ. 10. vt neque Idumæi neque Moabitæ conceſſerint Iſraëli tranſitum, quem petebat, per terras ſuas; vt ſic (in pœnam fortè etiam poſtremæ illius murmurationis in Cades factæ) cogeretur elongare viam, & maiori ſuo labore ac tempore ad Iordanem pergere, atque eo tranſmiſſo ingredi in Terram promiſſionis à parte eius Orientali, ſicuti poſteà factum fuit.

MOAB NEGAT ISRAELI TRANSITVM.

ISRAEL CIRCVIT TERRAM EDOM ET MOAB ORIENTALEM.

5. Eodem anno, ab exitu, quadrageſimo, ſub finem (vt arbitror) menſis quarti, egreſſus Iſrael de Cades, venit in montem Hor, à quo denominati fuerant Horrhæi populi, qui olim incoluerant dictum montem, quos poſteà expulerant deleuerantque filij Eſau, & terram eorum iure belli acquiſitam poſſidebant, vt traditur Deuter. cap. 2. verſ. 12. & 22. Erat autem iſte mons Hor in finibus terræ Edom (intellige Auſtralibus atque Orientalibus) Numer. cap. 20. verſ. 22. Et hæc fuit manſio trigeſimaquarta: Numer. loco proximè citato, & cap. 33. verſ. 37. vbi etiam ſubiungitur, quòd menſe eiuſdem anni quinto, prima die menſis, Aaron cum eſſet annorum centum viginti trium, iubente Domino mortuus eſt in dicto monte; & (vt dicitur Deuter. cap. 10. verſ. 6.) pro eo, Sacerdotio functus eſt Eleazar filius eius. Credimus autem cum Abulenſe ſuper Deuter. cap. citato, quæſt. 3. locum illum dicti montis particularem, in quo defunctus eſt Aaron, proprio nomine nuncupatum eſſe Moſera: ſiquidem Scriptura ſacra ibi dicit, Aaronem deceſſiſſe in Moſera. Valdè ergo hallucinantur quidam Hebræorum Rabbini, qui perperàm exiſtimantes eumdem locum fuiſſe Moſera, & Moſeroth, vbi (quemadmodum ſub anno mundi 2548. num. 2. diximus) facta fuit manſio vigeſimaſeptima; putauerunt in eadem manſione vigeſimaſeptima, non autem in trigeſimaquarta, mortuum eſſe Aaronem: quod quam abſurdum ſit, ex ſupradictis, & ex his quæ in toto Numer. cap. 20. traduntur, conijci poteſt. Porrò ipſius Aaronis obitus ibidem à verſ. 23. vſque ad finem capitis accuratius deſcribitur, vbi etiam tangitur cauſa, cur eum Dominus mori voluerit ante ingreſſum populi in Terram promiſſionis; nimirum quia incredulus fuerat verbis Dei ad Aquas contradictionis: & additur, quòd priuſquam moreretur, duxit eum Moyſes iubente Domino in montem Hor, exuitque eum ibi veſtibus Sacerdotalibus coram omni multitudine, quibus continuò induit Eleazarum filium eius; & quòd Aarone in ſupercilio montis mortuo, planxit eum omnis Iſrael triginta diebus, hoc eſt vſque ad illius menſis finem. Ceterùm, ornamenta Sacerdotalia, ampliſſimaque priuilegia, quibus à Deo per Moyſen inſignitus ac decoratus fuerat Aaron, breuiter eleganterque recenſentur in præclaro illo huius viri encomio, quod habetur Eccleſiaſtici cap. 45. verſ. 7. vſque ad 28. Quod quidem hîc referre non grauabor, vt cum Apoſtolo 2. ad Corinth. 3. verſ. 7. & ſequentibus, ex comparatione dignitatis ac ſplendoris olim collati Sacerdotio Aaronico vmbratili ac temporali, arguere poſſimus Sacerdotij regalis & æterni ipſius Chriſti & Vicariorum eius quanta ſit dignitas, maieſtas, & gloria, & conſequenter, ad debitam ipſis obedientiam, obſeruantiam, ac reuerentiam præſtandam magis magiſque incendamur. *Excelſum* (inquit Eccleſiaſticus loco citato) *fecit Aaron fratrem eius, & ſimilem ſibi de tribu*

MANSIO 34

AARON MORITVR.

AARONIS ENCOMIVM EX LIBRO ECCLESIASTICI.

Leui: statuit ei testamentum æternum, id est pactum Sacerdotij quodammodò æternum, vel quia duraturum erat in eius stirpe toto tempore Legis Moysaicæ, vel quia significabat præfigurabatque Sacerdotium Christi, quod veraciter erat æternum. *Et dedit illi Sacerdotium gentis* (subaudi, suæ) *& beatificauit illum in gloria, & circumcinxit eum zona gloriæ, & induit eum stolam gloriæ*, (hoc est, gloriosam,) *& coronauit eum in vasis virtutis*, nimirum ornamentis, auctoritatem eius potestatemque præmonstrantibus, quæ successiuè sigillatim recensentur. *Circumpedes, & femoralia, & humerale posuit ei, & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo in memoriam filiis gentis suæ. Stolam sanctam, auro, & hyacintho, & purpura, opus textile, viri sapientis, iudicio & veritate præditi: torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarij sculptis, in memoriam secundùm numerum tribuum Israel. Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis* (hoc est nomine sancto tetragrammaton) *& gloria honoris: opus virtutis, & desideria oculorum ornata. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia vsque ad originem. Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantùm filij ipsius soli, & nepotes eius per omne tempus. Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidie. Compleuit Moyses manus eius, & vnxit illum oleo sancto. Factum est illi in testamentum æternum, & semini eius sicut dies cæli, fungi Sacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum suum in nomine eius. Ipsum elegit ab omni viuente, offerre sacrificium Deo, incensum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo: & dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis iudiciorum, docere Iacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israel. Quia contra illum steterunt alieni, & propter inuidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan & Abiron, & congregatio Core in iracundia. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & consumpti sunt in impetu iracundiæ. Fecit illis monstra, & consumpsit illos in flamma ignis. Et addidit Aaron gloriam, & dedit illi hereditatem, & primitias frugum terræ diuisit illi. Panem ipsis in primis parauit in satietatem: nam & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi & semini eius. Ceterùm in terra gentes non hereditabit, & pars non est illi in gente: ipse est enim pars eius, & hereditas.* hucusque Ecclesiasticus.

AARON PRIMVS MOYSAICAE LEGIS PONTIFEX, QVOT ANNIS PONTIFICATVM GESSERIT.

6. Fuit ergo Aaron primus Moysaicæ Legis Sacerdos, gessitque summum Sacerdotium seu Pontificatum in populo Israëlitico annis triginta & octo, & mensibus quattuor. Siquidem, vt sub anno mundi 2545. num. 2. dictum est, consecratus à Moyse fuit, iubente Domino, ineunte anno secundo exitus Israëlis de Ægypto; & mortuus est (vt num. præcedenti diximus) initio quinti mensis anni eiusdem exitus quadragesimi. Quamquam autem summorum Sacerdotum seu Pontificum successio, ab Aaron vsque ad Iosedec, qui (vt dicitur 1. Paralip. 6. vers. 15.) translatus fuit in Babylonem, recenseri videtur ibidem à vers. 3. vsque ad 16. & quæ ducitur à Iosue filio dicti Iosedec, vsque ad Ieddoa siue Iaddum, qui Alexandro Magno Ierosolymam venienti dicitur occurrisse, describitur 2. Esdr. cap. 12. vers. 10. & 11. & qui post dictum Ieddoa successerunt, vsque ad Ioannem Hircanum, in cuius Sacerdotij Principatusque initio sacra desinit Machabæorum Historia; partim ex ipsis Machabæorum libris, partim ex Iosepho colligi possunt: nihilominùs, loco Paralipomenon citato, Aaronis potiùs genealogia seu posteritas per Eleazari lineam recensetur, quàm vera continuataque summorum Sacerdotum successio. Constat enim, eam non in sola neque in omni eiusdem Eleazari posteritate semper mansisse, sed interdum quoque ad sobolem fratris sui Ithamar, cuius loco Paralip. proximè adducto nullus memoratur, transisse, quemadmodum nos sub anno mundi 2900. num. 2. probabimus. Et præterea in eodem Paralip. loco nulla fit mentio Ioiadæ, neque filij eius Zachariæ, neque aliorum, quos constat fuisse Pontifices, vt nos pleniùs sub anno mundi 3020. num. 14. ostendemus. Quare cùm (vt ibidem magis patebit) neque omnia summorum Sacerdotum nomina ex sacris Scripturis haberi posse videantur; & multò minùs sciri queat, quot quisque annis Sacerdotio functus sit, (præter paucos qui propriis locis notabuntur,) mirari nemo debebit; si posthac nostra hæc temporum ratio non per Pontificum, vtpote incertos, sed per Ducum Regumque annos, qui ferè omnes in Sacro eloquio signati inueniuntur, potissimùm deducenda erit.

PONTIFICVM SVCCESSIO IN SACRIS LIBRIS NON ITA EXPRESSA SICVTI DVCVM REGVMQVE.

ELEAZAR SVCCEDIT AARONI IN PONTIFICATV.

7. Post Aaronis itaque obitum, successit continuò ei in Pontificatu Eleazar filius eius natu maior, quemadmodum suprà num. 5. dictum est, & signanter quoque traditur Deut. cap. 10. vers. 6. Igitur ab hoc tempore numerandi sunt anni Pontificatus dicti Eleazar, vt notatum est in tabulis. Ceterùm, populo in eadem mansione adhuc commorante, Arad Rex Chananæus, qui non procul à monte Hor habitabat ad Meridiem,

ridiem, audiens venisse Israelem, velleque transire per fines suos, ac propterea misisse exploratores ad recognoscendam viam; confestim coacto exercitu, venit obuiàm ei per exploratorum viam, & impetu in eum facto, partaque victoria, duxit ex eo prædas. At Israël resumptis viribus, fusisque curam Domino precibus, vouit (si ipso fauente hostes superaret) se deleturum vrbes eorum: atque ita rursum cum illis congressus, victor euasit; & excursione facta per totam terram illam, incendit subuertitque vniuersas vrbes eius; & vocauit nomen loci illius Horma, id est Anathema: Numer. cap. 21. vers. 1. vsque ad 4. Forte autem Dominus (quem nulla cordium secreta latere possunt) viderat, quòd Israelitæ omnes, vel saltem eorum plurimi, vt primùm audierunt, se iam Regi Chananæorum appropinquasse, tam longo fessi itinere, ac laboris impatientes, de illius terra acquirenda pariterque inhabitanda stultè cogitare ac deliberare cœpissent, & ideò permisit eos prius à dicto Rege inuadi ac superari, vt simul & hanc eorum audaciam ac temeritatem retunderet castigaretque, vel hinc ipsi intelligerent, illam non esse terram eis cælitus repromissam, & in qua conquiescere deberent. Itaque hac eruditus plaga Israel, illicò, vt dictum est, vouit (si de illo Rege victoriam reportaret) vrbes eius omnes subuertere, & ab ipsis tamquam à Deo anathematizatis, protinus abscedere, iterque suum alacriter prosequi; quòd & posteà peregit, vt num. sequenti dicemus.

ARAD PRAELIO VICIT HEBRAEOS, QVI MOX OMNES VRBES EIVS SVBVERTVNT.

Ceterùm, quis fuerit iste Rex, & num Arad, nomen eius proprium esset, an terræ gentisve ei subditę, adhuc incompertú habeo. Quamquam certum sit, inter filios Chanaan connumerari etiam Aradium, à quo prodiere Aradij populi, qui olim quamdam Phœniciæ insulam incoluerunt, Aradumq; appellarunt, vt sub anno mundi 1931. num. 40. diximus: neque absurdum videatur suspicari eosdem Aradios aliquando magis auctos quàm insula illa capere posset, emisisse inde plurimos, qui sibi alias sedes quærerent; eosque diuersis peragratis regionibus, in hac tandem consedisse, ac nomen suæ gentis retinentes, terram quoque istam Arad nuncupasse. Ad quod credendum, præter proprium gentis terræque nomen, illud quoque suadere videtur, quòd iste populus Chananæus vocatur Numer. cap. citato vers. 1. & 3. vbi hæc historia describitur. Sed quidquid sit, certè necessarium est fateri, hos Chananæos, qui parebant regi Arad, non fuisse contiguos reliquis Chananæorum Regibus ac regnis existentibus in terra Israelitis repromissa, sed omnino ab eis seiunctos: (media quippe erat ex parte regio filiorum Esau, & ex parte terra Moabitarum, necnon (vt arbitror) Madianitarum, qui ex Numer. cap. 22. vers. 1. vsque ad 8. videntur cum Moabitis admodum fuisse coniuncti) alioquin, si terra Regis Arad fuisset vnita terræ Chanaan; vtique potuissent Israelitæ, subuersis vrbibus Arad, eas non deserere, sed retinere, quemadmodum posteà possederunt terram Sehon & Og Regem Amorrhæorum, quoniam solo Iordanis alueo distermінabatur à terra Chanaan; vel si voti causa eam incolere vetabantur, profectò inde in terram à Domino eis promissam sine vllo impedimento intrare potuissent.

DE REGE ARAD CHANANAEO.

8. Atqui econtrariò ipsi, ea regione prorsus derelicta, cum iam eis Idumæi Moabitæque transitum denegassent, & Deus prohibuisset ne pugnarent cum illis, *profecti sunt de monte Hor, per viam* (inquit Scriptura) *qua ducit ad Mare rubrum*. Quæ verba Antonius Fonseca Lusitanus, in suis Annotationibus ad marginem super Commentaria Caietani libri Numer. cap. 21. sic exponit, ac si dictum esset, *Per viam qua habet à latere Mare rubrum*. sed verba Sacri textus, meo iudicio, non sic sunt extorquenda; quandoquidem mons Hor & finitimæ eius regiones, habent Mare rubrum non solùm à Meridie, sed etiam ab Oriente; vt colligi aliquo modo potest Deuter. cap. 1. vers. 1. & videre est in magis probatis Chorographorum Tabulis. Igitur absolute dicendum est, quòd Israelitæ de monte Hor profecti sunt primò aliquantulùm per viam quæ ducebat ad Mare rubrum, Orientem versus; posteà nonnihil ad læuam flecti cœperunt, contra Aquilonem, vt circuirent terram Edom; Numer. cap. citato vers. 4. feceruntque trigesimam quintam mansionem in Salmona; Numer. cap. 33. vers. 41. Qui locus alio nomine dicebatur Gadgad, vt colligitur Deuter. cap. 10. vers. 7. & erat valdè diuersus ac remotus ab eo eiusdem nominis, in quo priùs fecerant mansionem vigesimamnonam. Fecerunt deinde trigesimam sextam in Phuon; qui loco Deuter. proximè adducto appellatur etiam Ietebatha, & Terra aquarum atque torrentium; quòd fortè non procul admodum esset à mari, in quo dicti torrentes exonerari solebant, & nonnumquam ob maris inundationes regurgitare. Porrò in hac mansione considerans populus, quòd in prædicto circuitu viam sanè multùm elongare cogebatur, nimio cœpit tædio affici ob itineris laborem, & murmurare contra Dominum & Moysen. Quam-

MANSIO 35.

MANSIO 36

DECIMA POPVLI MVRMVRATIO.

ET EIVS PVNITIO. SERPENTIS AENEI ERECTIO. Quamobrem ab ignitis percussi serpētibus, plurimi moriebantur: sed erecto pet Moysen, iubente Domino, serpente æneo, in eum aspicientes sanabantur: Numer. cap. 21. vers. 4. vsque ad 10. Quæ præclara fuit figura Christi in Cruce exaltandi, vt ipsemet testatur in Euangelio Ioanois cap. 3. vers. 14. Dixi, prædicta contigisse in trigesima sexta mansione facta in Phuon: quia licet id Scriprura sacra non exprimat, satis tamen aperte insinuare videtur loco Numer. proxime allegato, vbi post allegatam serpentum
MANSIO 37 plagam, continuò subiungit, quòd inde profecti Israelitæ castrametati sunt in Oboth, quæ fuit mansiu trigesimaseptima, vt dinumerari potest in mansionum Catalogo Numer. cap. 33. ergo serpentum percussio contigit in præcedenti mansione, hoc est in
MANSIO 38. Phuon. De Oboth posteà egressi, fecerunt trigesimam octauam mansiunem in Ieabarim, quæ erat in finibus Moabitarum, vt dicitur Numer. cap. 33. vers. 44. *& in solitudine, quæ respicit Moab contra Orientalem plagam*: Numer. cap. 21. vers. 11. vel (vt habet textus LXX. Interpretum) quæ erat *in deserto, quod est in conspectu Moab ad Orientem solis*. quæ versio clariùs consonat cum his quæ dicuntur Iudic. cap. 11. vers. 18. videlicet, quòd quia Moabitæ negauerant Israeli transitum per medium terræ suæ, ipse circuiuit ex latere terram Moab, venitque ad Orientalem plagam eius. Porrò de Ieabarim venerunt in Dibongad, vbi fecerunt trigesimam nonam mansionem; dein quadragesimam in Helmondeblathaim, & quadragesimam primam in montibus Abarim; ac postremam, quæ fuit quadragesima secunda, in campestribus Moab, vt in mansionum Catalogo iam sæpius citato apparet, & infrà suis locis dicemus.

9. Sed quid dicemus, quòd Numer. cap. 21. vers. 12. vbi hæc eadem historia fusiùs narratur, nulla fit mentio neque ipsius Dibungad, neque Helmondeblathaim, neque montium Abarim; sed loco istorum memorantur alia loca, quæ à prædictis omnino di-
RESPONSIO. uersa esse videntur? Respondeo, vt sub anno mundi 2544. num. 31. tetigimus, & clariùs sub anno 2545. num. 61. declaratum est, mansionum loca in Sacris libris aliquando quidem nominibus regionum generalibus designari, puta, in Deserto Ethan, Sin, Pharan, & similibus; aliquando autem nominibus locorum proprijs, vt, in Elim, quæ erat in Deserto Ethan; in Rethma, existente in Deserto Pharan; in Cades, posita in Deserto Sin, & huiusmodi alia. Quare non mirum est, si Numer. cap. 21. & 33. eadem loca diuersis vocabulis significantur: nam quando in cap. 21. dicitur, populum de Ieabarim venisse ad torrentem Zared; cùm hunc torrentem per multa loca transire credibile sit, ideò in cap. 33. pressiùs explicatur, eumdem populum venisse in Dibongad, hoc est, accessisse ad dictum torrentem in eo loco qui dicebatur Dibongad. Et cùm cap. 21. subditur, Israelem relicto torrente Zared, castrametatum contra Arnon, tacito loci vocabulo particulari dictæ castrametationis; oportet fateri illum fuisse appellatum Helmondeblathaim; siquidem in c. 33. dicitur, quòd de Dibongad venerunt in Helmundeblathaim: contrà verò, quod cap. 33. communiori termino traditur, mansionem quadragesimam primam fuisse factam in montibus Abarim; in cap. 21. versic. 20. specialiùs describitur illis verbis, *in vertice montis Phasga*; qui mons proculdubiò computabatur inter montes Abarim, vt infrà num. 13. ostendemus. Tria autem illa loca, quæ cap. 21. vers. 19. memorantur, videlicet, Matthana, & Nahaliel, & Bamoth, non sunt inter mansiones computanda, sed horum ea tantùm de causa mentio facta est, quòd populus de quadragesima mansione pergens ad quadragesimam primam, in transitu eadem loca lustrauerit.

☞ 10. Itaque eodem anno quadragesimo exitus de Ægypto, sub finem (vt paulò pòst probabitur) mensis septimi, venerunt Israëlitæ (quemadmodum suprà num. 8. dictum
MANSIO 39. est) de Ieabarim ad torrentem Zared, ibique fecerunt trigesimam nonam mansionem in loco qui dicebatur Dibongad. Et tunc, quando scilicet transierunt dictū torrentem, complebatur annus trigesimus octauus, ex quo profecti erant de Cadesbarne, vt exprimitur Deuter. cap. 2. vers. 14. vbi etiam assignatur causa tam longi temporis in itinere illo consumpti: *Donec*, inquit, *consumeretur omnis generatio hominum bellatorum* (id est eorum qui recensiti fuerant à viginti annis & supra apti ad bellum) *de castris, sicut iurauerat Dominus; cuius manus fuit aduersum eos, vt interirent de castrorum medio*. nimirum quia desperauerant consequi terram eis à Domino promissam. Credimus verò, dictam mansionem & dicti torrentis transitum contigisse sub finem septimi mensis anni quadragesimi ab exitu; quia (sicuti suprà num. 5. dictum est) quintum mensem in luctu Aaronis consumpserunt, sextum autem ac fermè septimum, in duplici illa pugna aduersus Chananæos Aradios, & in vrbium ipsorum subuersione, atque etiam in itineribus & mora contracta in prædictis quattuor mansionibus, inter montem Hor ac torrentem

Zared

Zared factis: non enim minori temporis interuallo omnia hæc agi potuisse credendum est.

11. Eodem anno quadragesimo, mense octauo circiter inchoante, filij Israel de Dibongad, relicto torrente Zared, venerunt castrametatique sunt in Helmondeblathaim: Numer. cap. 33. vers. 46. Et hæc fuit mansio quadragesima. Erat autem Helmondeblathaim, vt arbitror, non ciuitatis aut pagi nomen, sed loci cuiusdam in deserto existentis, qui respiciebat contra Arnon, vt colligitur Numer. cap. 21. vers. 13. vbi dicitur, quòd relinquentes torrentem Zared, castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi. Neque huic loco repugnant ea quæ posteà retulit Iephte Iudic. cap. 11. vers. 18. illis verbis: *Et castrametatus est trans Arnon, nec voluit intrare terminos Moab*. quia illud, *trans Arnon*, accipi debet respectu regionis in qua loquebatur Iephte, quæ erat terra Galaad: habebat siquidem torrens Arnon prædicta castra ad Meridiem, terram verò Galaad ad Aquilonem. Et ad illud quod ibidem sequitur, Israëlem noluisse intrare terminos Moabitarum, subaudire oportet, sine licentia ipsorum, vt benè ibi exponit Abulensis. Et verba illa quæ in eodem Sacro textu subiunguntur, *Arnon quippe confinium est terræ Moab*, non sunt accipienda, tamquam velint innuere, quòd inter Israëlitarũ castra, & terram Moab tunc medius esset torrens Arnon: nam Israëlitæ tunc habebant dictum torrentem coram ipsis, Moabitidem autem ad læuam; potuissentque (si Moabitis placuisset) in eam ingredi, absque transitu torrentis. Sed volunt illa verba illic obiter interposita significare, quòd Arnon erat confinium terræ Moab; quia ibi in illa sua prominentia diuidebat Moabitas ab Amorrhæis, vt clariùs dictum fuerat Numer. cap. 21. vers. 13. Porrò memoratum desertum appellabatur solitudo Cademoth: de illa enim misit Moyses nuntios ad Sehon Regem Amorrhæorum, antequam transuadato torrente Arnon, intraret in terram ipsorum, vt dicitur Deuter. cap. 2. vers. 26. Ex dictis ergo apparet, quòd Israëlitæ, ex quo (vt suprà num. 3. & 4. dictum est) de Cades miserant legationes ad Reges Edom & Moab, illique noluerant concedere eis transitum per medias regiones suas, hactenus eas ad Orientem circuierunt: nunc verò, quando scilicet ad quadragesimam mansionem ventum est, quia non poterant ingredi terram Amorrhæorum, nisi transirent per Ar vrbem Moabitarum, ac territorium eius; nec volebant id moliri ipsis inuitis; (alioqui oportuisset, contra præceptum Domini, pugnare aduersus eos:) proptereà ab eisdem Moabitis petierunt, vt saltem per angustum illum terræ ipsorum eis transire liceret; idque impetrarunt. Et hoc absque dubio hîc supponere oportet; quia licet in Numer. libro non exprimatur, apertè tamen colligitur Deuter. cap. 2. vers. 29. & quòd transituri essent per terminos Moabitarum, iam prædixerat Moysi Dominus ibidem vers. 18. quin etiam ipsos re ipsa transisse per regionem Moabitidem, aperte traditur Numer. cap. 21. vers. 20. vbi dicitur, eos venisse in Bamoth, quæ erat vallis in regione Moab.

12. In hac mansione quadragesima hæc acta sunt. Primò, quoniam transitus proximi torrentis erat, tanto præsertim populo, admodum difficilis, propter multas rupes & scopulos qui viam arctabant, ac varios in calles, eosdemque tortuosos & asperos diuidebant; vt populum ab huiuscemodi timore liberaret, Moyses inter loquendum hac de re cum Principibus populi, reuocauit eis in memoriam quemdam propheticum sermonem, qui reperiebatur in quodam libro magnæ tunc auctoritatis, cuius erat titulus: Liber bellorum Domini. in quo inter cetera, hæc scripta habebatur sententia: *Sicut fecit* (supple, Dominus) *in Mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon*: Numer. cap. 21. vers. 14. vbi vel ponitur numerus pluralis pro singulari, vt aliàs non semel, & econuersò, in Sacris libris fieri solet; vel (vt magis reor) indicatur, quòd ille torrens ibi plures habebat alueos. Est autem huius prophetiæ sensus; quòd quemadmodum fecerat Dominus Hebræos, mirandum in modum omni difficultate sublata, transire Mare rubrum: ità facturus erat in transitu torrentis Arnon, cuncta mirabiliter obstacula impedimentaque remouendo, & aspera in vias planas faciendo. Vnde oportet miraculum aliquod in transitu dicti torrentis ad fauorem Israëlitarum accidisse; siue quia illæ rupes subito terræmotu ceciderint, viamque satis planam latamque reddiderint: siue (vt quidam dicunt) etiam Amorrhæos ibidem in insidiis latitantes oppresserint, & cadauera ipsorum à fluuij aquis, sicut olim Ægyptiorum inter vndas Rubri maris deferri visa fuerint, siue quid aliud simile euenerit: non enim quidquam certi, in re præsertim in Sacro eloquio præterita, affirmare possumus. Ceterùm prædictus Liber bello-

MANSIO 40.

DVO SCRIPTVRAE LOCA CONCILIANTVR.

LOCVS IVDICVM EXPONITVR.

DE MIRACVLO QVOD ACCIDIT IN TRANSITV TORRENTIS ARNON.

LIBRI SACRI OLIM DEPERDITI.

bellorum Domini, iniuria temporum posteà deperditus est, sicuti & alij plures, qui in Scripturis sacris memorantur, & nunc minimè reperiuntur. Eiusmodi sunt Liber Iustorum, cuius fit mentio Iosu. cap. 10. vers. 13. & 2. Reg. cap. 1. vers. 18. & libri Nathan prophetæ, qui scripsit gesta Dauidis (vt dicitur 1. Paralip. cap. 29. vers. 29. & acta Salomonis, quemadmodum traditur 2. Paralip. cap. 9. vers. 29. & libri Gad Videntis, qui & ipse scripsit gesta Dauidis, vt patet 1. Paralip. cap. 29. v. 29. & libri Ahiæ Silonitis, in quibus habebantur acta Salomonis, vt dicitur 2. Paralip. cap. 9. vers. 29. & libri Addo Videntis, qui pariter res à Salomone gestas scriptis mandauit in visione quam edidit contra Ieroboam filium Nabat, cuius fit mentio 2. Paralip. cap. 9. vers. 29. & gesta quoque Roboam filij Salomonis, ibidem cap. 12. vers. 15. & acta Abiæ filij Roboam, cap. 13. vers. 22. & libri Semeiæ, qui conscripsit opera dicti Roboam, vt notatum habetur 2. Paralip. cap. 12. vers. 15. & libri Iehu filij Hanani, qui digessit gesta Iosaphat Regis Iuda in libros Regum Israel, vt expressè traditur 2. Paralip. cap. 20. vers. 34. Præterea liber Isaiæ filij Amos Prophetæ, quem scripsit de gestis Oziæ regis Iuda, vt traditur 2. Paralip. cap. 26. vers. 22. item liber sermonum Hozai, qui scripsit orationem & exauditionem Regis Manasse, & cuncta peccata quæ prius fecerat, vt traditur 2. Paralip. 33. vers. 19. & item liber, Descriptiones Ieremiæ Prophetæ, inscriptus, cuius meminit liber 2. Machab. initio capitis 2. & etiam alij eiusdem Prophetæ libri, de quibus nos sub anno mundi 3448. num. 6. agemus. Horum omnium scripta hactenus memorata, temporum iniuria perierunt, & cum ipsis alij quoque libri, qui sine vllo Auctoris nomine in Regum & Paralipomenon codicibus citari solent. Eiusmodi sunt Liber verborum dierum Salomonis, qui citatur 3. Reg. cap. 11. vers. 41. & Liber verborum dierum Regum Israel, qui allegatur 3. Regum cap. 14. vers. 19. & alibi in eodem ac sequenti libro sæpius. & Liber sermonum dierum Regum Iuda, cuius etiam 3. Reg. cap. 14. vers. 29. & aliàs in eodem ac sequenti libro frequens mentio habetur. Et item Liber Regum Israel & Iuda, siue Iuda & Israel (vtroque enim modo allegari solent 1. Paralip. cap. 9. vers. 1. & 2. Paralip. multis in locis.) & denique Liber ille Regum, qui absolutè & sine vlla specificatione citatur 2. Paralip. cap. 24. in fine; & fortè idem est cum eo, qui ibidem suprà cap. 20. vers. 34. dicitur scriptus a Iehu filio Hanani. Quidquid sit, certum est, hunc librum Regum, & alios superiùs sine Auctoris nomine memoratos, omnino esse diuersos ab illis, quos nunc sub eodem Regum titulo, in sacro Canone habemus (quemadmodum nos sub anno mundi 3610. num. 25. demonstrabimus) & consequenter inter deperditos esse computandos. His adde multos ex libris Salomonis, videlicet librum trium millium Parabolarum, & quinque millia carminum; & libros de Plantis, de Iumentis, de Volucribus, de Reptilibus, & de Piscibus, quos ipsum scripsisse traditur 3. Reg. cap. 4. vers. 32. & sequenti. Et denique librum Enoch ab Adam septimi, quem citat Iudas Apostolus in sua Catholica vers. 14. quos omnes cum aliis constat iam à multis retrò sæculis non reperiri, aut si qui sub hisce titulis habentur, non esse legitimos.

PRÆCIPIT DOMINUS ISRAELI NE PUGNET CUM AMMONITIS.

PRÆDICIT EIDEM SE DATURUM TERRAM AMORRHÆORUM.

13. In eadem mansione populo commorante, vt colligitur Deuter. cap. 2. vers. 18. & 24. post mortem omnium pugnatorum, vt ibidem vers. 16. dictum fuerat, hoc est omnium qui ad bella recensiti fuerant à viginti annis & supra, prænuntiauit Dominus Moysi, quòd esset transiturus terminos Moabitarum, & transmisso torrente Arnon, venturus ad vrbem nomine Ar, quæ quidem quia non longè aberat à terra Ammonitarum, præcepit ne vllo modo pugnaret cum eis; siquidem terram illam olim à gigantibus inhabitatam, ipsis expulsis, dederat eisdem Ammonitis filiis Lot. Deinde prædixit se daturum Israeli terram Amorrhæorum, & exinde immissurum eisdem atque etiam cunctis finitimis nationibus maximum in aduentu eius timorem ac tremorem; & propterea præcepit, vt confidenter dimicaret cum ipsis Amorrhæis. Igitur Moyses præuidens illos ex diuina dispensatione sibi transitum negaturos, vt honestam etiam coram hominibus præliandi occasionem arriperet, misit de solitudine Cademoth, in qua tunc erant castra, nuntios ad Sehon Regem Amorrhæorum habitantem in Hesebon, postulans vt populo transitum daret per terram suam: quo renuente, præcepit Dominus Moysi, vt confestim transirent torrentem Arnon, ingrederenturque & inciperent possidere terram Amorrhæorum; iterùm promittens se illam eis certissimè daturum. Quæ omnia habentur Deuter. cap. 2. vers. 16. vsque ad 32. & Numer. cap. 21. vers. 21. & Iudic. cap. 11. vers. 19. Itaque

14. Die, vt arbitror, circiter octaua prædicti mensis octaui, egressus Israel de quadrage-

dragesima mansione, pertransitoque feliciter (Deo nimirum, vt suprà num. 12. dictum est, mirabiliter adiuuante) torrente Arnon, ingressus est terram Amorrhæorum; ac primò quidem, cùm deuenisset ad quamdam solitudinem omnino omnis aquæ expertem, miro quodam modo ostendit Dominus Moysi locum, in quo principes multitudinis conuocati, non sarculis ac ligonibus, sed baculis dumtaxat quos habebant in manibus, terram excauantes, inuenerunt aquas ad populi indigentiam opportunas. Quamobrem cœperunt canere Domino pro gratiarum actione carmen, cuius initium est: *Ascendat puteus*, &c. Deinde progredientes venerunt in solitudinem Matthana, & inde in Nahaliel, posteà in Bamoth, quæ erat vallis existens in regione Moab, vnde ascenderunt in verticem montis Phasga, Numer. cap. 21. vers. 13. vsque ad 21. & fecerunt quadragesimam primam mansionem, vt dicitur Numer. cap. 33. vers. 47. in montibus Abarim; qui licet aliquando omnes & toti pertinerent ad terram Moab: posteà tamen quàm Amorrhæi partem regionis Moabitarum occuparunt, distinguebant ferè totum latus Australe ipsorum Amorrhæorum, ab Aquilonari Moabitarum, excepta aliqua dicti lateris portione ad Orientem vergente, in qua prominebat torrens Arnon in finibus Amorrhæorum, separabatque ibi eos à Moabitis, vt dicitur Numer. cap. 21. vers. 13. & videre est delineatum in Tabella inferiùs num. 17. ponenda. In reliqua autem parte, quæ respiciebat ad Occidentem, terminabant has duas nationes dicti montes, ita vt pars ipsorum quæ descendebat ad Aquilonem, vbi nunc Israelitæ castra posuerant, pertineret ad Amorrhæos; altera verò, quæ respiciebat contra Austrum, ad Moabitas. Et inter montes Abarim computabantur Phasga, Phogor, Nebo, & si qui erant alij, aliis nominibus nuncupati, vt de Nebo colligitur Deuter. cap. 32. vers. 49. de Phasga, Numer. cap. 23. vers. 14. de vtroque, Deuter. cap. vlt. vers. 1. de Phogor, Numer. cap. 23. vers. 28.

ISRAELI INGREDITVR TERRAM AMORRHAEORVM

PRO AQVA INVENTA CANIT CARMEN DOMINO.

MANSIO 41.

DE FINIBVS AMORRHAEORVM ET MOABITARVM.

15. Ceterùm, locus in quo Israelitæ castra fixerunt, maximè tunc opportunus videbatur, eò quòd esset valdè tutus; non solùm quia vallatus erat, & in altissimo loco positus; sed etiam quoniam habebat à Meridie & ab Oriente Moabitas, à quibus, tamquam ab amicis, nihil timendum erat; & ab Occasu Mare mortuum, & Iordanem in illud influentem (nam Deuter. cap. 3. vers. 17. habemus, dictum Mare, quod ibi falsissimum appellatur, habuisse ad Orientem radices montis Phasga) ita vt ab Aquilone tantùm, vbi sese extendebat terra Sehon Regis Amorrhæorum, tutari castra oporteret. His ergo castris, ad custodiam senum, paruulorum, ac mulierum, benè compositis ac munitis, Moyses cum exercitu progrediebatur. Intereà autem Sehon, congregatis vndique bellatoribus suis, vt audiuit quòd Israelitæ iam ingressi erant terram suam, venit obuiàm illis cum manu forti; & commisso prælio in quodam loco qui dicebatur Iasa, contritus est ab eis; ceciditque ipse, & filij eius, & omnis populus qui cum ipso venerat. Hebræi verò tam grandi parta victoria, confestim properare cœperunt ad ciuitates regni eius, quas ob cladem proximè acceptam timore perterritas facillimè omnes in potestatem redegerunt, & cunctis vtriusque sexus & cuiusuis ætatis sine vlla miseratione interfectis, possederunt omnem terram, ab Ar vsque Galaad, siue à torrente Arnon vsque ad torrentem Iaboc; exceptis dumtaxat vrbibus Ammonitarum, in finibus regni Sehon existentibus; quas, vt præceperat Dominus, omnino intactas reliquerunt. De Amorrhæis autem tulerunt prædam multam valdè, iumentorum, armentorum, & spolia omnis generis. Neque his contenti, missis quoque exploratoribus in regnum Og, qui regnabat super alios Amorrhæos magis Aquilonares, ascenderunt per viam ducentem ad Basan, quæ erat potior primariaque regni eius pars; quibus cùm occurrisset Og Rex cum omni populo suo in quodam loco, qui ab vrbe eiusdem nominis proxima denominabatur Edrai; protinus inito certamine, cæsus est Og cum filiis suis ac toto exercitu suo. Et successiuè postmodum captæ sunt omnes vrbes eius, interemptis cunctis habitatoribus earum, sicuti factum fuerat in regno Sehon: Numer. cap. 21. vers. 23. vsque ad finem capitis, & Deuter. cap. 2. vers. 32. vsque ad finem, & cap. 3. vers. 1. vsque ad 13. & Iudic. cap. 11. vers. 21. vsque ad 24. Atque hoc pacto tota illa regio, quæ olim primò ab Emim, & Zuzim siue Zomzommim populis de genere Giganteo culta fuit, vt traditur Deuter. cap. 2. versic. 10. & 20. quos percussit Chodorlahomor, & Reges qui cum eo venerant, Genes. cap. 14. vers. 5. & deinde tradita fuit Moabitis & Ammonitis, quemadmodum dicitur locis Deuter. citatis; & ex parte etiam filiis Esau, vt nos sub anno mundi 2319. num. 7. ostendimus: posteà autem ab Amorrhæis fuerat occupata, vt dicitur Numer. cap. 21. vers. 25. vsque ad 32. & colli-

ISRAELITAE CASTRA FIGVNT IN LOCO VALDE TVTO ET OPPORTVNO.

FELICITER PVGNANT CVM SEHON REGE AMORRHAEORVM

OCCVPANT OMNES VRBES EIVS.

VICTO QVOQVE ALIO REGE AMORRHAEO, CAPIVNT CVNCTAS VRBES EIVS.

REGIO AMORRHAEORVM QVOTIES ET A QVIBVS OCCVPATA.

colligitur etiam Iudic. cap. 11. vers. 12. & sequentibus: nunc tandem ad Hebræos deuenit; qui vt infrà num. 24. dicemus, eam Rubenitis, Gaditisque, & dimidiæ tribui Manasse possidendam tradiderunt.

DE 42. POSTREMAQVE MANSIONE.

16. His itaque fortiter gestis, mouerunt castra filij Israel; & de montibus Abarim descendentes, fecerunt quadragesimam secundam eamdemque postremam mansionem in campestribus Moab, vbi trans Iordanem Iericho sita erat: Numer. cap. 22. vers. 1. & cap. 33. vers. 48. id est in loco, qui directè respiciebat contra vrbem Iericho trans Iordanem positam. Dicuntur autem hic campestria Moab, non quòd tunc essent, sed quia quondam fuerant ditionis Moabitarum, & nihilominus etiam, posteaquam ea Amorrhæi occupauerant, pristinum nomen retinebant. Sanè licet populus ibidem ad plura loca sese extenderet, nimirum à Bethsimoth vsque ad Abelsitim, in planioribus locis (aliàs) Moabitarum, vt dicitur Numer. cap. 33. vers. 49. videtur tamen maior ac nobilior populi pars habitasse in Settim, vt colligitur Numer. cap. 25. vers. 1. vbi apertè dicitur, quòd populus tunc morabatur in Settim, & Iosue cap. 2. versic. 1. vbi habemus, quòd de Settim misit Iosue exploratores in Iericho, & de nullo alio loco legimus exisse populum, quando venit ad Iordanem, nisi de Settim, vt expresse traditur Iosue cap. 3. vers. 1. Putat autem Abulensis, eumdem fuisse locum qui locis allegatis dicitur Settim, cum eo, qui Numer. cap. 33. vers. 49. appellatur Abelsitim.

17. Verùm, antequam ad ea quæ in hac vltima mansione gesta sunt, deueniamus, vt omnium mansionum, quæ ab Ægypto ad Iordanem factæ sunt, ordinem situmque hactenus ex Scriptura sacra descriptum, clariùs intueri possimus; operæpretium duximus, easdem hic in tabella delineatas veluti ante oculos ponere, rudiori quidem schemate, & sine iustis omnino Geographiæ mensuris; quippe quæ ex Sacris libris adamussim haberi non possint: sed tamen tali orthographia, quæ ad Scripturæ sacræ loca hactenus in hoc genere allegata clarius capienda, non mediocriter (ni fallor) iuuare poterit.

18. In

TABVLA XXXXII. MANSIONVM POPVLI ISRAELITICI IN DESERTO.

Septentrio
Meridies
Occidens.
Oriens.
MARE MEDITERRANEVM.
ÆGYPTVS
Nilus fluuius
TERRA PHILISTHINORVM
PARS TERRÆ CHANAAN
MARE RVBRVM.
MARE MORTVVM
AMALECITÆ
IDVMÆA
MADIANITÆ
ARABIA

DE GESTIS IN POSTREMA MANSIONE.

BALAC CONDVCIT BALAAM ARIOLVM, VT MALEDICAT ISRAELI.

18. In eadem vltima mansione facta in campestribus Moab, ad quam c tedibile est populum circa medietatem noni mensis peruenisse, multa eademque valdè memorabilia gesta sunt. Et primò quidem, videns Balac Rex Moabitarum, Israelitas tam facilè superasse duos Reges Amotrhæorum adeò potentes, ac cæsis omnibus, terras ipsorum occupasse; aduertensque populum suum ab illis admodum formidare, ne ipsum quoque eodem modo delerent: conuocauit principes Madianitarum, qui creduntur vel etiam ipsi fuisse aliquo modo eidem Regi Balac subditi; vel quemadmodum erant regione coniuncti, ita etiam amicitia confœderati. Cumque super hac re cōsuluissent, & manifestè viderent se Israeli viribus impates esse, atque armis, illius potentiæ resistere nullo modo posse: statuit Rex, de Madianitarum consilio, ad ariolos confugere, si quo modo posset ipsis mediantibus aut percutere populum Israeliticum, aut de confinio suo longiùs encete. Audiuit autem reperiri vnum insignem valdeque famosum, nomine Balaam, ex Bosot, vt dicitur 2. Petri cap. 2. vers. 15. qui tunc habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, Numer. cap. 22. vers. 5. hoc est trans flumen Euphraten, quod non longè aberat à terra Ammonitarum, videlicet in vrbe Aram, in Mesopotamia Syriæ existentem, vt clariùs exprimitur Numer. cap. 23. vers. 7. & Deuter. cap. 23. vers. 4. ex quo Deuter. loco insuper manifestè colligitur, etiam Ammonitas, quorum versiculo præcedenti meminerat, conspiratse cum Moabitis in conductione Balaam, vt maledicetet Israeli. Ad hunc ergo Balaam cum Balac aliquot de Moabitarum Madianitarumque optimatibus misisset, isque à Deo admonitus eosdem vacuos remisisset; denuò Rex multò plures ac nobiliores misit, multis pollicitationibus rogans vt veniret ad maledicendum populo Israel: qui iterùm consulto Domino, ire permissus est; ea tamen lege, vt nihil aliud, quàm quod ei præciperet Dominus, facere dicereve audetet. Cùm ergo itet, & fortè auaritiæ stimulis sollicitatus, de diuino præcepto, si opus esset, transgrediendo cogitaret; ecce Angelus Domini districto gladio stetit coram asina cui Balaam insidebat, quæ petterrita auertebat se ab itinere, illo contrà quantum poterat verberibus & omni conatu eam teuocare adnitente. Denique fessa

ASINA BALAAM MIRABILITER LOQVITVR.

cecidit, & dum ampliùs à suo domino verbetaretur, mirabiliter Deo concedente locuta est, & conquesta quòd immeritò cæderetur. Et tunc, Deo oculos eius aperiente, vidit Balaam Angelum se increpantem, atque iterantem ei præceptum anteà datum, nimirum, ne quidquam faceret loqueretúrve, quàm quod eidem à Domino mandatum esset. Quibus auditis, prosecutus est Balaam itet suum, ac demum à Rege Moa-

BALAAM BENEDICIT POPVLO ISRAEL, ET MVLTA ALIA DE ALIIS POPVLIS VATICINATVR.

bitarum honorificè exceptus, & postridie ductus ad excelsa Baal, vnde populus Israel videri poterat, post immolatas victimas coram Rege & principibus; assumpta parabola, loco maledictionis, cœpit benedicere populo Israel. Et idem fecit secundò, ductus in verticem montis Phasga; ac tertiò, in cacumen montis Phogor; semper excusans se, quòd aliud non posset loqui, nisi quod suggerebat ei Dominus. Verumtamen vt vidit Regem iratum, veritus ne sine honore, vel potiùs cum ignominia remitteretur; promisit se ad suos non rediturum, nisi priùs daret Regi consilium valdè opportunum. Atque ita, posteaquam vaticinando multa raptim tetigisset de Aduentu Christi, de interitu Amalecitatum & Cinæorum, de Romanorum victoriis aduersus Assyrios & Hebtæos, ac demum de ipsius Romani Imperij ruina; reuersus est in locum suum: Nu-

IN SVO REDITV DAT REGI BALAC CONSILIVM ADVERSVS ISRAELITAS.

met. cap. 22. 23. & 24. per totum. Fuit autem consilium, quod abiens Balaam reliquit Regi, valdè diabolicum; vt scilicet per blandas Moabitarum Madianitarumque mulierum suasiones & consuetudines, curaret induci Israëlitas ad conuiuia, ad crapulas, saltationes, fornicationes, atque idololatriam; sic enim proculdubiò amissuros gratiam Dei sui, & consequentet omnem fortitudinem suam; atque ita, & non aliter, à Moabitis superari expellive posse. Quod quidem consilium licet capitibus Numer. citatis non exprimatur, colligitur tamen haud obscurè ex multis aliis Scripturæ locis, nimirum Numer. cap. 25. vers. 1. & 18. & magis apertè cap. 31. vers. 16. vbi de Madianitis mulieribus dicitur: *Nónne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel, ad suggestionem Balaam; & præuaricari vos fecerunt in Domino, super peccato Phogor?* & adhuc clariùs Apocal. cap. 2. vers. 14. vbi traditur quòd *Balaam docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari.* Quòd autem id fecerit Balaam ex auaritia, testantur princeps Apostolorum Petrus, & Iudas Apostolus, quorum primus in secunda sua Epistola cap. 2. vers. 15. de ipso ait: *Qui mercedem iniquitatis amauit.* & altet in sua Catholica vers. 11. apertè insinuat, eumdem mercede effusum ettasse.

19. Placuit ergo consilium illud exectabile Regi, simulque Moabitis Madianitisque principibus, qui omnes vnanimiter illud quamprimùm experiri, atque in vsum induci

duci curarunt. Filij autem Israel, mulierum deliniti blanditiis, ac diuinum exuti timorem, non solum cum illis ludere ac fornicari, sed etiam, quod peius erat, illorum deos colere, ac sacris illorum initiari non erubuerunt: creuissentque in immensum rum præuaricatio, quæ iam valde Deum ad iracundiam prouocauerat; tum etiam mortalitas, quam propreteà Dominus in populum immiserat; nisi tam graui malo protinus occurrissent Moyses & Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis: quorum primus iubente Domino præcepit principibus ac iudicibus populi, vt diligenter inquirerent, ac sine vlla miseratione, personarúmve acceptione, suspenderent in patibulis eos qui initiati erant Beelphegor, hoc est, qui sese deuouerant, seu dedicauerant, vel consecrauerant cultui cuiusdam idoli, quod dicebatur Beelphegor, seu Beelphogor, id est, vt dicitur Num. cap.25. vers. 18. idolum Phogor: Bel siquidem erat nomen idoli Babyloniorum & Assyriorum, quod posteà apud alias etiam nationes, præsertim Orientales, coli cœpit, & pro varietate linguarum ac locorum diuersimodè nuncupari, quemadmodum sub anno mundi 1997. num.2. diximus. Hîc autem dicitur Beelphogor, quia idolum Belis, hoc est statua eius, colebatur in quodam fano posito in monte Phogor; quod fanum non multùm distabat à castris Hebræorum, vt colligitur Deuter. cap.3. in fine, vbi Moyses de postrema hac mansione verba faciens, ait: *Mansimúsque in valle contra fanum Phogor*. & idem ferè repetitum habemus cap.4. vers.46. & cap. vlt. vers.6. dicitur, quòd Moyses, qui mortuus erat in vertice montis Phasga, sepultus fuit in valle contra Phogor. De hoc idolo dicit Auctor Glossæ ordinariæ, quòd quamdam turpitudinis speciem repræsentabat, & præcipuè colebatur à mulieribus. Puto autem cultum istum in eo fuisse positum, vt mulieres illuc conuenientes, de carnibus idolò oblatis in honorem eius, cum viris lætanter ederent, & post epulas, cum eisdem fornicationes exercerent: siquidem ad hoc ibidem lupanaria extitisse, manifestè colligitur Numer. cap.25. vers. 8. vbi etiam describitur, quid fecerit præfatus Phinees, vt auerteret iram Domini à populo Israel. Hic namque cùm vidisset ducem Zambri, de tribu Simeon, cum Cozbi filia principis Madianitarum introëuntem lupanar cum maximo fratrum suorum scandalo, confestim sancto commotus zelo, illos insecutus, ambos in genitalibus pugione confodit. Quod illustre factum vsqueadeò placuit Domino, vt statim illud coram Moyse admodum commendauerit, protestatusque sit, ab ipso Phinees tum scelus populi fuisse expiatum: in cuius rei signum illicò cessauit memorata illa mortalitas, quæ tunc in eodem populo admodum grassabatur. Et addidit Dominus Moysi, vt nuntiaret ipsi Phinees, quòd proptereà statuerat illi testamentum pacis, vt esset illi & semini eius Sacerdotij dignitas in æternum. Quod sæpiùs ad laudem dicti Phinees in Scripturis sacris repetitum habemus, nimirum Numer. cap.25. vers.12. & in Psal.105. vers.30. & Ecclesiastici cap.45. vers.30. & 1. Machab. cap.2. vers. 54.

ISRAELITAE PER MVLIERES AD IDOLA COLENDA INDVCVNTVR.

ILLVSTRE FACTVM PHINEES SACERDOTIS.

20. Verùm hîc, antequam vlteriùs progrediamur, silentio prætereundum non est, quòd B. Petrus Damiani lib.1. epistola 6. quæ est ad Nicolaum Romanum Pontificem huius nominis II. scribit Deum voluisse vt deinceps ipse Phinees, in præmium præclari huius facinoris, viueret vsque ad finem mundi; putatque ipsum Phinees fuisse eumdem, qui posteà dictus est Elias. Ponam hîc ad verbum totam eius sententiam, vt vnusquisque intelligat, quibus fundamentis paradoxum hoc fulcire nitatur. Ibi namque exponens illa Numer. cap.25. vers.12. verba, quæ sic habent, *Ecce da ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quàm semini eius pactum Sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel*, sic ait: *Pacem quippe Dominus illi sui fœderis dedit, quia sedata omni carnis molestia, viuere illum vsque in finem mundi in paradisi amœnitate constituit. Ipse siquidem est, nisi fallar, Elias propheta, qui videlicet igneis equis & curru, Elisea suspiciente, est translatus in cælum. Vnde me quisquis mentiri autumat, diuinæ Legis interpretem Hieronymum, qui hoc in Hebraicarũ Quæstionum* (subaudi, in 1. Paralip.) *libro testatur, potiùs reprehendat. Porrò autem & tempore Dauid Regis hic Phinees superesse, ac sacerdotale officium gerere, perspicuè reperitur, dicente Scriptura* (nimirum 1. Paralip. cap.9. vers.19. & 20.) *Hi sunt, inquit, Coritæ super opera ministerij, custodes vestibulorum tabernaculi: & familiæ earum per vices castrorum Domini custodientes introitum. Phinees autem filius Eleazari, erat dux earum coram Domino.*] *Cui nimirum Phinees nomen est à parentibus inditum, Elias verò agnomen est accidens per euentum. Elias siquidem interpretatur Deus Dominus; quod ex hac sibi occasione impositum fuisse creditur, quia cùm legationis officia fungeretur missus ab Israelitico populo ad duas & semis tribus, Ruben videlicet, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, quæ enormis magnitudinis altare construxerant,*

AN IDEM FVERIT PHINEES ET ELIAS.

hoc ab eis responsum excusationis accepit: Fortissimus, inquiunt, Deus Dominus, ipse nouit si prauaricationis animo hoc altare construximus. Ab his itaque rationem reddentium verbis, Elias nuncupatus asseritur, qui Phinees eatenus dicebatur, vt illorum responsum, huius videatur esse vocabulum. Hactenus B. Petri Damiani verba. Cuius opinio nequaquam videtur recipienda: quia si vera esset, certè qui Phinees Eliæque vitam scripserunt, aliquid saltem de hac re tetigissent. Atqui neque S. Epiphanius in historia de Prophetarum vita & interitu, vbi de Eliæ Prophetæ vita agit, neque S. Isidorus in libro de Vita & morte Sanctorum, vbi de Phinees, & item vbi de Elia disserit; neque alij quos viderim, quidquam vel modicum, quòd idem fuerit Phinees & Elias, indicarunt. immò S. Isidorus apertè de singulis seorsum, tamquam de viris inter se & tempore & professione diuersis egisse videtur. Et præterea scimus, Eliam 3. Reg. cap. 17. vers. 1. & alibi non semel in Sacro eloquio vocari Thesbitem, hoc est, vt declarat S. Epiphanius, ex Thesbis è continente Arabum: de Phinees autem, quòd vmquam habitauerit in Thesbis, nullibi reperimus scriptum. Neque verò locus libri Paralip. à B. Petro Damiani adductus, si benè intelligatur, eius opinionem confirmat; quin potiùs illam omnino destruit. Non enim loquitur de his qui viuebant temporibus Moysi, neque de his qui supererant tempore Dauidis, vt ipse B. Petrus Damiani, nescio quomodo deceptus, existimauit; sed de his qui redierant de Babylonica captiuitate, vt ibidem probat Abulensis ex initio illius capitis, vbi id conceptis verbis exprimitur. Quare ille Phinees filius Eleazari, qui ibidem dicitur fuisse Dux Coritarum, valdè diuersus fuit ab eo qui fuerat Aaronis nepos: siquidem iste erat Sacerdos, ille Leuita; iste de progenie Aaronis, ille de familia Core, quem fuisse Leuitam patet Numer. cap. 16. vbi etiam eius, ob affectatum Sacerdotium, interitus describitur; & cap. 26. vers. 10. additur, quòd illo pereunte, filij eius mirabiliter præseruati sunt. Primus Phinees fuit vniuersalis Dux & princeps omnium Ducum familiarum Leuiticarum, vt apertè colligitur Num. cap. 3. vers. 32. & cap. 8. vers. 19. Alter autem particularis Dux familiæ Coritarum, vt benè probat Abulensis super 1. Paralip. cap. 9. quæst. 11. His adde, quòd Phinees Aaronis nepos vixit temporibus Moysi, Iosue, & seniorum, qui Othonielem primum Hebræorum Ducem præcesserant; qui verò in citato Paralipom. capitulo memoratur, post reditum Babylonicæ captiuitatis. Vnde euidenter consequitur, etiam Eleazarum dicti Phinees patrem longè fuisse diuersum ab eo, qui fuerat Aaronis filius. Non enim mirum videri debet, posse reperiri duos eiusdem nominis filios, diuersis præsertim sæculis natos, quorum patres in alio pariter nomine conueniant, quandoquidem alia huiusmodi exempla peti poterunt ex his quæ nos sub annis mundi 3208. num. 4. & 3322. num. 5. dicemus. Si ergo Phinees qui de captiuitate Babylonica rediit, idem fuisset qui nepos fuerat Aaronis, oporteret ab obitu Eleazari filij Aaronis, & patris dicti Phinees, vsque ad reditum populi de Babylone, vel saltem vsque ad Eliæ raptum, nullum alium extitisse apud Hebræos summum Sacerdotem, nisi ipsum Phinees; siquidem ab Aarone vsque ad dictum raptum, vel etiam vsque ad dictum reditum, nusquam legimus vllum Pontificem, nisi per mortem, Pontificatu fuisse priuatum; vno dumtaxat Abiathar excepto, ob causam sub anno mundi 3020. num. 13. afferendam. Atqui ab ipso Phinees, tertio post Aaronem Pontifice ad raptum Eliæ, immò ad reditum Iudæorum de Babylone & deinceps, plurimos sanè alios successiuè Pontifices extitisse, tum ex sacris Scripturis, tum ex Iosepho aliisque Auctoribus, qui eorum indices texuerunt, certissimum est, vt etiam ex his, quæ nos suprà num. 8. diximus, & infrà sub anno mundi 2900. num. 2. & 3. & item sub anno 2974. num. 9. & 3020. num. 15. & 16. dicemus, manifestum fieri poterit. Sed & illud quoque euidens est, quòd si Phinees idem cum Elia fuisset, vtique non potuisset recenseri inter eos qui de Babylonica captiuitate redierunt: constat enim Eliam multis anteà sæculis in cælum fuisse translatum. Denique si Phinees loco Paralip. adducto memoratus, fuit Leuita de familia Core, & eiusdem caput, vt iam probatum est: proculdubiò non potuit esse Elias, quem S. Isidorus vbi suprà, Sacerdotem; & S. Epiphanius, de tribu Aaronis, quod in idem incidit, fuisse testantur. Ergo luce meridiana fit clarius, eumdem Phinees & ab Aaronis nepote, & ab Elia omnino fuisse diuersum. Meritò igitur Origenes tomo 7. in Ioannem, vbi & ipse obiter huius meminit opinionis, quòd scilicet Phinees idem fuerit cum Elia, quæ etiam fuerat veterum quorumdam Hebræorum: *Nescio* (inquit) *vnde veluti in apocryphis moti Hebræi tradant Phinees illum, qui etiam Eleazari filius, ipsum esse Eliam.* Quamquam ibidem ipse Origenes fallatur subiungens, ipsum Phinees proculdubiò produxisse vitam vsque ad multos Iudices: quemadmodum nos sub anno mundi 2594. num. 3.

B. PETRI DAMIANI OPINIO REFELLITVR.

num. 3. manifestè ostendemus. Neque verò prædictis officit B. Hieronymi auctoritas in libro Quæstionum Hebraicarum in Paralip. in contrarium adducta, vbi de Phinees ibidem memorato ait: *Hic monstratur Phinees adhuc eo tempore viuere.* Quoniam vel ille liber falsò ipsi S. Hieronymo tribuitur, vt nonnulli suspicati sunt: vel necesse est dicere, S. Doctorem quædam in eo libro non ex propria, sed aliorum sententiam retulisse, cuiusmodi etiam videntur esse ea, quæ ibidem traduntur de matre Moysi, quòd fuerit amita viri sui, & quòd Moyses post Legem latam mandauerit patri vt eam dimitteret, & quòd ipse postmodum de alia genuerit Eldad & Medad fratres Moysi, licet non vterinos. Quæ omnia nos sub an. mun. 2545. num. 56. demonstrauimus sustineri nullo modo posse. Itaque relicta B. Petri Damiani opinione superiùs commemorata, nostram prosequamur historiam.

21. De numero autem eorum, qui in memorata Hæbræorum plaga (siue pestilentia fuerit, siue aliud exitiale morbi genus, aut quid aliud supra naturā; id namque Scriptura sacra non exprimit) perierunt, dubium esse potest, quia Numer. cap. 25. vers. 9. dicuntur interiisse viginti quattuor millia hominum: 1. autem ad Corinth. cap. 10. vers. 8. de iisdem fornicatoribus legimus; *Et ceciderunt vna die viginti tria millia.* Verumtamen ista diuersitas sic facilè videtur posse conciliari: Vel enim defunctorum numerus reuerà fuit quodammodò medius inter duas illas summas; ad quod indicandum, Scriptura tali vsa est diuersitate, vsurpans nimirum numeros perfectos pro imperfectis, quemadmodum aliàs eam facere consueuisse, nos sub anno mundi 1659. num. 2. probauimus. Vel si mortuorum numerum præcisè protulit, eos tantummodò Apostolus notauit, qui in illa plaga vnico die ceciderunt: non enim frustrà addidit, *vna die*, Moyses autem vniuersaliter, & sine illa vnius diei circumstantia loquens, voluit simul comprehendere omnes, qui propter illam populi fornicationem quomodolibet mortui sunt, includendo etiam illos, qui ea de causa in patibulis suspensi, vel aliter occisi fuerant, prout Moyses mandauerat Numer. cap. citato vers. 5. dicens: *Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor*; vel eos quoque, qui in dicta plaga die præcedente perierant. Fieri enim potest, quod illa saltem biduo perdurauerit; & quoniam primo die non cessatum est à scelere, meritò postridie multò acrius debacchata fuerit. Non est etiam hic prætereundum, quòd Hebræi putant, in prænarrata fornicatorum plaga cecidisse magnam partem tribus Simeonis. Quæ opinio valdè rationabilis est; tum quia, cùm ex eadem tribu esset ille Dux Zambri, qui cum scorto Madianitide à Phinees occisus fuerat; verisimile admodum fit, illam tribum magna ex parte secutam esse dicti Principis exemplum: tum etiam quia in priori censu populi, qui actus fuerat anno secundo exitus de Ægypto, & describitur Numer. cap. 1. in tribu Simeonis recensiti inueniuntur 59300. apti ad pugnam, vt patet ibidem vers. 23. In altero autem censu, anno hoc quadragesimo eiusdem exitus, & paulò post dictam fornicationem acto, qui narratur Numer. cap. 26. & cuius nos num. proximo mentionem faciemus, disertè traditur, quòd omnis numerus pugnatorum dictæ tribus fuit 22200. Probabile ergo est, vt diximus, hanc tantam eiusdem tribus imminutionem, maiori saltem ex parte, occasione dictæ fornicationis plagæque accidisse. Ex eo autem tempore præcepit Dominus Moysi, vt hostiliter se gereret contra Madianitas, eò quòd induxissent Israëlitas ad cultum idoli Phogor, Num. cap. 25. per totum. Qui quando & quomodo tantum scelus haud impunitum reliquerit, nos infrà num. 25. & 26. dicemus. Quòd autem Hebræi eodem tempore, quo mulierum suasu coluerunt Beelphegor, etiam coluerint idolum Moloch, & militiam cæli, hoc est simulacra Mercurij, Iouis, Veneris, &c. iam sub anno mundi 2545. num. 66. probauimus.

DVORVM SACRAE SCRIPTVRAE LOCORVM CONCILIATIO.

22. Occisis fornicatoribus, quoniam breui volebat Dominus introducere Israëlitas in Terram eis repromissam, & oportebat ipsos multis præliis illam subiicere, ac eamdem posteà conuenienter inter singulas tribus familiasque dispertiri; propterea opportunum videbatur, priùs dinumerare populum ad bella idoneum. Præcepit ergo Dominus Moysi & Eleazaro summo Sacerdoti, vt recensitis omnibus, tollerent summam filiorum Israel à viginti annis & supra; quod cùm fecissent, inuenta sunt sexcenta millia, & mille septingenti triginta, præter Leuitarum viginti tria millia, generis masculini, ab vno mense & supra, qui seorsum ab aliis numerati sunt, & inter Israëlitas minimè computati, quia inter ipsos terra non erat diuidenda. Et in hac secunda Israëlitarum dinumeratione facta anno quadragesimo exitus de Ægypto, quæ distinctè accurateque describitur Numer. cap. 26. per totum, ne vnus quidem extitit eorum qui primo recensiti fuerant, anno scilicet secundo dicti exitus, & descripti inueniuntur Num. cap. 1.

RECENSENTVR SECVNDO APTI AD PVGNAM

LEGES TERRAE PROMISSIONIS DIVIDENDAS.

FILIAE SALPHAAD OBTINENT NON PRAETERIRI IN DISTRIBVTIONE TERRAE.

LEX VT DEFVNCTI HEREDITAS TRANSEAT AD PROXIMIORES.

præter Iosue & Caleb, quemadmodum prædixerat Dominus, Num. cap. 14. verſ. 30. Quoniam autem facta hac Iſraelitarum deſcriptione, præſcripſit Dominus Moyſi vniuerſales quaſdam terræ diuidendæ leges; vt ſcilicet ſorte inter tribus & familias fieret partitio; vt pluribus maiores poſſeſſiones, paucioribus verò minores traderentur; & vt non aliis quàm nominatim recenſitis, inter quos nullæ erant feminæ, diſtribui terra deberet; propterea quinque filiæ Salphaad, qui fuerat abnepos Manaſſe filij Ioſeph, & ſine filiis maſculis deceſſerat, venerunt ad oſtium Tabernaculi fœderis, coram Moyſe & Eleazaro & cunctis Principibus, poſtulantes ne præterirentur in diſtributione terræ; ſed vt daretur eis poſſeſſio inter patris ipſarum cognatos: quarum occaſione Moyſes, conſulto Domino, promulgauit legem de ſucceſſione feminarum deficientibus maſculis; & vt feminis quoque non exiſtentibus, ſuccederent defuncti fratres; & ſi fratres non habuerint, hereditas tranſiret ad patruos; & in ſumma ad proximiores: Num. cap. 27. verſ. 1. vſque ad 12.

MOYSES NON OBTINET POSSE INGREDI TERRAM PROMISSIONIS

23. Quando autem Dominus Num. cap. citato, verſ. 6. dixit Moyſi: *Da eis* (hoc eſt, filiabus Salphaad) *poſſeßionem inter cognatos patris ſui*; credunt aliqui, Moyſen occaſionem arripuiſſe precandi Dominum, vt liceret ei tranſire Iordanem, & ingredi Terram illam optimam Iſraeli promiſſam. Quod cùm feciſſet, vt ipſemet refert Deuter. cap. 3. verſ. 23. non exaudiuit eum Dominus; ſed iratus præcepit ei, ne ampliùs ipſum de hac re interpellare auderet: quin potiùs aſcenderet in montem Abarim, hoc eſt in vnum de montibus Abarim, vt inde, tamquam de eminentiſſimo loco, vndique circumſpiciens, contemplaretur vniuerſam terram Chanaan, quam daturus erat Dominus Iſraeli; & ea inſpecta, ibi moreretur, quemadmodum mortuus erat Aaron frater eius in monte Hor; vt adimpleretur quod prædixerat Dominus Num. cap. 20. verſ. 12. videlicet quòd neuter ipſorum ingreſſurus erat Terram promiſſionis; quoniã in Cades ad Aquas contradictionis in fide titubauerant. Audiens igitur Moyſes, in proximo eſſe diem mortis ſuæ, veluti de ſe parum, de populo autem valdè ſolicitus, miro charitatis affectu erga illum, cuius cauſa iram Domini promeruerat, iterùm precatus eſt Dominum, vt priùs prouidere dignaretur idoneum Ducem, qui populum in omnibus benè dirigere ac gubernare poſſet. Placuit iſta deprecatio in oculis Domini, qui continuò docuit eum quomodo conſtituere deberet Ioſue Ducem populi, & quæ ei præcepta dare. Ipſe verò Moyſes adamuſſim cuncta exequi non diſtulit, ſed accerſito Ioſue filio Nun, ſtatuit eum coram Eleazaro ſummo Sacerdote, & coram omni multitudine; impoſitiſque capiti eius manibus, deſignauit elegitque eum in Principem ſuper populum Domini; deditque ei præcepta, quæ ipſe à Domino acceperat, inter quæ illud præcipuum fuit, vt in omnibus quæ agenda eſſent, conſuleret per Eleazarum Sacerdotem Dominum, & ad eius verbum cuncta faceret ipſe, & omnis populus eius. Deinde corroborauit eum, prædicens, quòd ipſe proculdubiò præceſſurus erat populum, & introducturus illum in Terram eis promiſſam, & diuiſurus eam illis; & propterea ne timeret Reges terræ Chanaan, ſed confideret in Domino, qui certiſſimè pugnaturus erat pro eo, & facturus Regibus illis, quemadmodũ nouiſſimè fecerat duobus Regibus Amorrhæorum. Et hæc omnia partim tradita inuenies Num. cap. 27. verſ. 12. vſque ad finem capitis, partim Deut. cap. 31. verſ. 7. vſque ad 9. vbi licet quæ poſtremo loco retulimus, ante ſuperiùs narrata referantur, per anticipationis figuram id factum fuiſſe fateri neceſſe eſt; alioqui ſequeretur abſurdum, videlicet quòd iuſſionem Domini ipſa eius executio præceſſiſſet.

IOSVE SVBSTITVITVR MOYSI IN PRINCIPATV.

PRAECEPTA QVAEDAM CAERIMONIALIA PER MOYSEN DATA IN VLTIMA MANSIONE.

24. His peractis, dedit etiam Dominus per Moyſen alia quædam præcepta cærimonialia populo, quæ in Leuitico vel prætermiſſa, vel non adeò clarè explicata fuerant. Sunt autem hæc veluti catalogus quidam ſacrificiorum, oblationum, ac cærimoniarum, quæ per annum ſingulis diebus & in ſingulis ſollemnitatibus fieri deberent; & hæc omnia dilucidè traduntur in toto Num. cap. 28. & 29. In trigeſimo autem capite adduntur quædam alia præcepta pertinentia ad vota ac iuramenta perſonarum, præſertim aliis ſubditarum; puta vxorum, & filiorum ac filiarum in ætate adhuc puellari exiſtentium. Quòd autem memorata præcepta in hac poſtrema populi manſione data fuerint, ſatis apertè indicatur in calce libri Numer. illis verbis: *Hæc ſunt mandata atque iudicia, quæ mandauit Dominus per manum Moyſi ad filios Iſrael, in campeſtribus Moab ſuper Iordanem contra Iericho.*

ISRAELITAE DEI MONITV PARANT BELLVM CONTRA MADIANITAS.

25. Promulgatis hiſce legibus, Moyſes cùm præpararet ſe (quemadmodum credibile eſt) ad aſcenſum montis, vt Domini iuſſionem impleret, ibique moreretur; monitus fuit à Domino, vt priùs vlciſceretur populum de Madianitis: qui confeſtim iuſſit

armari

armari duodecim mille viros, mille scilicet de singulis tribubus, quos mitteret contra Madianitas. Sed priùs creditur misisse ad domum soceri sui, quæ erat in terra Madian, rogans Cinæos ne tardarent omnes venire ad se, priusquam bellum eos perurgeret. Et tunc oportet eos venisse ad Moysen: siquidem Iudicum cap. 1. vers. 16. legimus, filios Cinæi cognati Moysi ascendisse de Ciuitate palmarum, cum filiis Iuda, in desertum sortis eius, quod est ad Meridiem Arad. Ex quibus verbis patet, Cinæos ingressos esse cum filiis Israel in terram Chanaan, & habitasse aliquamdiu in Iericho, quæ dicebatur Ciuitas palmarum, hoc est in agro eius; (ciuitas enim à Iosue destructa fuerat:) postea verò inde transisse in sortem tribus Iudæ, ad Meridiem, non procul à terra Amalecitarum. Idem comprobari potest ex 1. Reg. cap. 15. vers. 6. vbi describitur, quòd Rex Saul missus à Deo ad perdendos Amalecitas, cùm intellexisset aliquos de Cinæis ex vicinitate loci transtulisse domicilia sua de regione tribus Iudæ ad terram Amalecitarum, dixit Cinæo: *Abite, recedite, atque descendite ab Amalec, ne fortè inuoluam te cum eo.* Legimus item Iudic. cap. 4. vers. 11. quòd *Haber Cinæus recesserat quondam à ceteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysi,* (quos diximus primò habitasse in tribu Iuda) *& tetenderat tabernacula vsque ad vallem quæ vocatur Sennim, iuxta Cedes.* erat autem Cedes in tribu Nephthali, vt patet Iosue cap. 19. vers. 37. Ex quibus omnibus manifestum est, vt diximus, Cinæos venisse in terram Chanaan cum filiis Israel. Quòd autem ante hunc annum ab exitu de Ægypto quadragesimum, & alia aliqua de causa seu occasione, non autem ob eam quam prædiximus, iunxerint se Cinæi Hebræis, probari non potest: nam licet Exod. cap. 18. habeamus, quòd morante populo in Sinai, venit ad Moysen Iethro socer eius, cum vxore & filiis ipsius Moysi; & hoc accidisse anno secundo dicti exitus, nos sub anno mundi 2545. num. 49. & 50. demonstrauerimus; attamen, nulla omnino ibi fit mentio filiorum dicti Iethro. vnde probabile admodum est, eos tunc nequaquam venisse cum patre suo, aut si qui ipsorum venerunt, cum eodem pariter ad terram suam rediisse, præsertim cùm etiam Num. cap. 10. vers. 29. vbi traditur, quòd Moyses inuitauit rogauitque socerum suum, vt secum proficisceretur ad terram Hebræis promissam, ille que recusauit, & maluit redire in terram suam Madian: nullum prorsus verbum fit de filiis suis, nec quòd ibi tunc cum patre essent, nec quòd cum Moyse ipsi remanserint, aut ab eo inuitati fuerint, quin etiam nusquam legimus, nec probari vllo modo potest, quòd posteà alia de causa ad eumdem Moysen sponte & non inuitati venerint. Nam quod aliqui dicunt, vel potius imaginantur, eos venisse statim ac mortuus est Iethro, quem aiunt præ senectute patriam suam relinquere renuisse, quando inuitauit eum Moyses; sed tamen præcepisse filiis suis, vt post ipsius mortem non differrent se transferre ad Israelitas, qui proculdubiò in gratiam Moysi benefacere eis minime recusassent: obscura & incerta res est, & potiùs probanda, quàm asserenda videtur: vt omittam, quòd quemadmodum ignoratur tempus mortis Iethro, ita & aduentus posterorum eius ad Hebræos. Illa item quorumdam opinio, quæ habet, eosdem Hebræos, in bello quod iubente Moyse gesserunt aduersus Madianitas, fecisse misericordiam cum domo dicti Iethro sacerdotis Madian, eò quòd fuisset socer Moysi, licet aliquam habere videatur probabilitatem, non tamen recipienda videtur, tamquam quodammodò aduersa Scripturæ sacræ, quæ Numer. cap. 31. vbi dictum bellum describitur, vers. 17. asserit, Hebræos nemini, præterquam mulieribus virginibus, parcere iussos esse. Quare ex omnibus opinionibus multò probabilior videtur illa, quam suprà retulimus, nimirum Cinæos tunc ad Moysen venisse, quando eos ad se ipse accersit, ne in bello, quod contra Madianitas parabat, interirent. Quo fortè exemplo commonitus posteà Saul, etiam ipse antequam expeditionem susciperet aduersus Amalecitas, Cinæos præmonendos curauit, vt ab Amalecitis recederent, ne cum ipsis perirent.

MOYSES CREDITVR PRIVS REVOCASSE DE MADIAN CINAEOS SOCERI SVI COGNATOS.

26. Posteaquam igitur vocati venerunt Cinæi ad castra Israelitarum, misit Moyses Phinees filium Eleazari Sacerdotis cum exercitu quem instruxerat, in terram Madian: qui cum Madianitis adeò feliciter pugnauit, vt ne vnus quidem de suis desideratus fit: de hostibus autem interfecerit omnes masculos, paruulis dumtaxat exceptis, & quinque Reges seu Principes ipsorum, & ipsum quoque Balaam ariolum, quem necesse est credere, ad preces fortè Madianitarum, venisse ad habitandum in terra eorum. Vrbibus deinde ac viculis igne consumptis, mulieres, & paruulos, ac pecora omnia, omnemque supellectilem abstulerunt Israelitæ. Quibus ad castra redeuntibus, cùm obuiàm processissent Moyses & Eleazar, & omnes Principes Synagogæ, iratus Moyses quòd feminas reseruassent, cùm ipsæ decepissent populum ad suggestionem Balaam:

PHINEES FELICITER PVGNAT CVM MADIANITIS.

MVLIERES CVR IVSSAE OCCIDI.

PRAEDAE EXPIATIO AC DIVISIO.

Balaam : iussit illicò eas omnes (præter puellas virgines) cum paruulis maribus quos reseruauerant, interfici. Deinde præcepit his qui pugnauerant, vt septem diebus manerent extra castra, donec ipsi omnisque præda, modo ibidem exposito, expiarentur. Ac demum, vt omnem prædam animatam, videlicet puellarum, ouium, boum, asinorum, & huiusmodi diuiderent in duas partes æquales, quarum alteram distribuerent his qui pugnauerant, alteram verò inter reliquam multitudinem. & vt de qualibet illarum duarum partium separarent primitias Domino, hoc modo: De parte pugnatorum, vnam animam de singulis quingentis, tam in puellis, quàm in gregibus cuiuscumque generis, dandam Eleazaro Sacerdoti, qui daret aliis quoque Sacerdotibus partes suas. De parte verò reliquæ multitudinis, quinquagesimum caput, tam de puellis, quàm aliorum animantium. & hæc distributa sunt inter Leuitas, qui custodiebant Tabernaculum fœderis. Principes autem exercitus, pio quodam moti spiritu, sponte obtulerunt Domino omne aurum in præda illa inuentum, pro gratiarum actione, quòd ne vnus quidem de filiis Israel in eo bello cecidisset; atque illud Moyses & Eleazar accipientes, in Tabernaculum testimonij intulerunt: Numer cap. 31. per totum. Sed hîc quæret fortasse aliquis, cur Deus vltionem sumi voluerit de Madianitis tantùm, non etiam de Moabitis & Ammonitis, qui pariter contra Israëlem (vt suprà num. 17. & 18. dictum est) deliquisse videbantur. Ad hoc responderi potest, duplici de causa id esse factum: Primò, quoniam Madianitæ magis erant culpabiles, quippe qui primarij fuerant auctores suasoresque Regi Balac, vt accerseret Balaam ariolum, ad maledicendum Israeli; & vt iuxta pessimum illius consilium iuberet prostitui mulieres Israelitis, quæ eos ad fornicationes, tum corporales tum spirituales, allicerent; & propterea ipsi Madianitæ citiùs grauiusque puniti fuerunt. Deinde etiam, quia placuit Deo propter Lot seruum suum, cuius Moabitæ Ammonitæque filij ac posteri erant, differre mitigareque eis vltionem, quam postea eisdem intulit Deuter. cap. 23. vers. 3. vbi mandauit per Moysen Israeli, vt excluderet ab Ecclesia Ammonitas & Moabitas, etiam post decimam generationem, & vsque in perpetuum, ac numquam cum eis pacem haberet: *quia* (inquit) *noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quando egressi estis de Aegypto: & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi*, &c.

CVR MADIANITAE TANTVM A IVDAEIS IVSSI SINT INTERFICI.

RVBENITAE, ET GADITAE, ET DIMIDIA MANASSENSIVM PARS, OBTINENT PARTES SVAS TRANS IORDANEM.

27. Post hæc filij Ruben & Gad, quibus postmodum adiuncta est dimidia tribus Manasse, cùm aduertissent, quòd terra duorum Regum Amorrhæorum, quam illis interfectis iam Israelitæ occupauerant, valdè esset apposita animalibus alendis, quibus ipsi admodum abundabant; venientes ad Moysen petierunt dari sibi eam in possessionem, renuntiantes (si ea ipsis traderetur) omni iuri suo, quod sibi competere posset in Terra Israeli repromissa, quæ tunc ipsis & reliquo populo erat trans Iordanem. Et post multa tandem obtinuerunt intentum, hac conditione, vt ipsi, transito Iordane, primi procederent pugnarentque contra Chananæos, donec subiecta esset Israeli omnis terra Chanaan: Numer. cap. 32. vers. 1. vsque ad 33. Diuisit itaque Moyses dictis tribubus omnem terram quæ fuerat Sehon Regis Hesebon, & Og Regis Basan, vt ibidem subditur, & aliquanto fusius repetitur Deuter. cap. 3. vers. 12. vsque ad 18. & Iosu. cap. 13. vers. 8. vsque ad finem capitis; & continuò, de licentia ipsius Moysi, vnusquisque in sortibus sibi assignatis fabricare cœpit caulas pecoribus suis, & stabula iumentis, & aliquas ex vrbibus Amorrhæorum, quas paulò antè vastauerant, aliqualiter reficere ac instruire, pro mulieribus & paruulis suis, vt tutò in illis permanere possent, donec ipsi de bello reuerterentur, & interim expediti ac sine vllo impedimento præcedere fratres suos, & bella Domini fortiter gerere valerent, quemadmodum Moysi promiserant Num. cap. 32. vers. 33. vsque ad finem capitis. Et quia ibidem vers. 41. subditur, quòd *Iair filius Manasse abiit, & occupauit vicos eius, quos appellauit Hauoth Iair, id est Villas Iair*; & idem repetitum habemus Deuter. cap. 3. vers. 14. & tangitur etiam Iosue cap. 13. vers. 30. notandum est, quòd iste Iair non est idem cum eo, de quo agitur Iudic. cap. 10. vers. 3. licet ibi de ipso quoque dicatur, quòd ipsius ciuitates ex nomine eius sunt appellatæ Hauoth Iair, id est Oppida Iair, vt nos sub anno mundi 2827. num. 1. probabimus; sed credimus fuisse illum, cuius fit mentio 1. Paralip. cap. 2. vers. 21. qui (vt ibidem dicitur) fuit filius Segub filij Hesron filij Phares filij Iuda: nam de eodem Iair ibidem subiungitur, quòd possedit viginti tres ciuitates in terra Galaad; & benè potuit ad hæc vsque tempora peruenisse; quandoquidem, vt ibidem legimus, sexaginta annorum erat Hesron quando duxit vxorem filiam Machir, ex qua potuit multò pòst, nimirum anno eius octogesimo quinto, gignere Segub, qui eodem circiter ætatis suæ

MOYSES DIVIDIT TERRAM AMORRHAEORVM DICTIS TRIBVBVS.

DIFFERENTIA INTER DVOS IAIR IN SCRIPTVRA NOMINATOS.

anno

anno potuit procreare hunc Iair, quem hoc tempore pariter oportet fuisse annorum ad minus octoginta quinque; iste enim numerus ter ductus, facit summam annorum ducentorum quinquaginta quinque, quos ab ortu ipsius Hesron ad hunc vsque annum fluxisse apparet in tabulis. Nec quisquam miretur, quòd tam serò generare potuerint; quandoquidem illis temporibus homines ad centum & triginta ætatis annos perueniebant, & ampliùs, vt patet de Caath, qui vixit annos centum triginta tres; & Amram, centum triginta septem: Exod.cap.6.vers.18.& 20. Erantque in senectute sua admodum robusti & fortes, vt de seipso testabatur Caleb, Iosue cap.14.vers.10.dicens: ***Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum; illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum.*** Sed dicet aliquis: Quomodo iste Iair locis citatis dicitur filius Manasse, hoc est nepos, nimirum filius Machir filij Manasse, si, vt diximus, fuit filius Segub, qui fuit pronepos Iudæ? quomodo regnum Og datum fuit dimidiæ tribui Manasse, si partem eius habuit Iair de tribu Iuda? Ad hoc dicimus, necessarium esse fateri cum Abulense super 1.Paralip.cap.2. quæst. 10. & 11. quòd Segub & tota eius posteritas adoptata fuerit à Machir filio Manasse, eò quòd Hesron genuisset ipsum Segub ex filia ipsius Machir, quemadmodum loco Paralip. citato traditur: & propterea ibi, licet agatur de posteris Iuda, nihilominùs vers. 23. subiungitur: ***Omnes isti*** (nempe Segub & Iair, quos recensuerat, & posteri eorum) ***filij Machir patris Galaad.*** id est, deinceps vi memoratæ adoptionis reputati sunt inter filios Machir, & consequenter in tribu Manasse: necdum enim tunc lata erat lex prohibens viros ac mulieres extra propriam tribum nubere, de qua nos infra num. 29. agemus. QVOMODO IVDA RABNEPOS POTVIT APPELLARI FILIVS MANASSE.

28. Sub finem mensis decimi, diuisa terra, quæ fuerat duorum Regum Amorrhæorum duabus tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse; instruxit per Moysen Dominus populum de his, quæ transiro Iordane agere deberent: & ante omnia præcepit, vt antequam terram illam possiderent, occiderent omnes habitantes in ea, nimirum Chananæos: alioqui, inquit, erunt vobis aduersarij, ***& quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.*** Iussit pariter vt cuncta idola destruerent, statuas titulosque comminuerent, & excelsa omnia deuastantes, terram à cunctis illorum contaminationibus mundatam, posteà inter se diuiderent, iuxta regulas Numer.cap.26. vers.53. traditas, & cap.33. vers.54. repetitas. Deinde præfiniuit eis terminos terræ Chanaan, quam eis traditurus erat possidendam; terminos inquam Australes, Occidentales, Aquilonares, & Orientales. Australes ita describuntur Numer. cap.34. vers.3. vsque ad 6. & aliquantò accuratius Iosue cap.15. vers. 1. vsque ad 5. nimirum ducta linea ab Australi extremitate Maris mortui, quod & salsissimum appellatur; siue (quod in idem incidit) ab ea parte solitudinis Sin, quæ tangit terminos Idumææ Orientales; quæ linea per quemdam circuitum ascendat ad quemdam locum eminentem, qui dicebatur Ascensus Scorpionis; mox descendat ad alium locum nomine Senna, siue Sina; posteà iterùm saliat ad Cadesbarne, descendatque in Esron, & rursum ascendat in villam vocabulo Adar, circuiens Carcaa; ac inde pertranseat in Asemona per gyrum, perueniatque ad torrentem Ægypti, vsque ad mare Mediterraneum. hi sunt fines Meridionales terræ Chanaan. Occidentalis verò eius plaga, tota terminabatur ab eo tractu maris Mediterranei, qui à dicto Ægypti fluuio ad montem Libanum excurrebat; (Mediterraneum namque Scriptura vocat mare magnum, & Libanum, montem altissimum, respectu montium terræ Chanaan, & lacuum quos Hebræi vocant maria.) Sanè pro termino Aquilonari ponitur linea ducta ab ora maris Mediterranei ad montem Libanum ei proximum, & inde in Emath; posteà vsque ad terminos Sedada, & tandem vsque ad Zephrona, & villam Eman. Denique confinia Orientalia describuntur progrediendo à prædicta villa Eman ad Sephama; & inde descendendo in Rebla contra fontem Daphnim, mox ad mare Cenereth, quod est Galilææ, ad partem eius quæ respicit contra Orientem, continuando progressum secus littus dicti maris, vsque ad Iordanem ab ipso prodeuntem, deinde secus ipsum Iordanem vsque ad Mare salsissimum; & denique, vsque ad extremitatem dicti maris Australem. CVR CHANANÆI AB HEBRÆIS OCCIDI IVSSI SINT. CHANANÆORVM IDOLA DESTRVI MANDANTVR. TERMINI TERRÆ CHANAAM PRÆFINIVNTVR. AVSTRALES. OCCIDENTALES. AQVILONARES. ORIENTALES.

29. Quoniam autem tota longitudo terræ Chanaan hic & alibi non semel ponitur, ab introitu Emath vsque ad torrentem Ægypti, & quisnam esset iste torrens Ægypti, iam sub anno mundi 2118. num. 14. dictum fuit; videndum modò est, quidnam per introitum Emath intelligere debeamus; & cur Aquilonaris terminus, qui Genes. cap.15. vers. 18. extenditur vsque ad Euphraten, nunc tantummodò vsque ad Emath DE INTROITV EMATH.

pro-

protrahatur. Dicimus ergo (quidquid alij senserint) quòd ex B. Hieronymo pluribus in locis, nimirum in Traditionibus Hebraicis in Genes. cap. 10. & in lib. de Locis Hebraicis, vocabulo Emath, *In Isaia Damasci ciuitas*, &c. & super Amos cap. 6. in principio, & super Zacharia cap. 9. & in Epistola 129. ad Dardanum, duplex erat Emath, alia quæ dicebatur Emath Rabba, quod idem sonat ac si diceretur Emath magna, quæ posteà ab Antiocho Rege huius nominis primo, ex nomine eius appellata est Antiochia, quam Iosephus de Bello Iudaico lib. 3. cap. 1. dicit fuisse Metropolim Syriæ, ac tertium locum obtinuisse inter omnes vrbes quæ in Romano orbe sunt; & hæc est, in qua primò Apostolorum discipuli vocati sunt Christiani, vt dicitur Actorum cap. 11. vers. 26. & propterea in ea primùm B. Petrus, primus Christi Vicarius, Episcopatum septennio tenuit. Altera est respectu prioris parua, quæ absolutè & sine vlla additione dicitur Emath. Vtriusque meminit Amos cap. 6. videlicet primæ, vers. 2. alterius, in fine capitis, quæ posteà ab Antiocho Epiphane dicta est Epiphania. His possumus addere tertiam Emath, quæ erat in tribu Nephthalim, vt patet Iosu. cap. 19. vers. 35. Sanè Emath, quæ ponitur pro termino Aquilonari terræ Chanaan, non fuit ex tribus enumeratis prima, quæ longè admodùm à finibus Chananææ aberat; neque tertia, quæ intra ipsam continebatur; sed secunda, quæ erat in Syria Damasci, vt tradit B. Hieronymus loco de Locis Hebraicis proximè citato. videlicet, vt arbitror, inter Damascum & Chananæam, quemadmodum colligi potest Ierem. cap. 49. vers. 23. ex illis verbis: *Ad Damascum: Confusa est Emath & Arphad.* & clariùs ex 2. Reg. cap. 8. vers. 9. & 1. Paralip. cap. 18. vers. 9. vbi fit mentio Thou regis Emath, qui misit legatos ad Dauid, vt congratularetur ei de victoria quam tulerat de Adarezer Rege Soba regionis Emath, vt dicitur in cap. Paralip. citato, vers. 3. ex quo patet, Emath non vrbis tantùm nomen extitisse; sed etiam regionis, agro Damasceno proximæ. Vnde quod sæpè in Sacro eloquio legimus, *Ab introitu Emath*, non pro vrbe, sed pro regione accipiendum videtur; ac si diceretur: Ab introitu regionis Emath. Quæ regio (vt ait B. Hieronymus super initia capitis 6. Amos superiùs allegati) postmodum etiam Reblatha dicta est, ex nomine fortassis, vt arbitror, vrbis Reblathæ in eadem regione Emath existentis, vt satis clarè traditur 4. Reg. cap. 25. vers. 21. vbi de viris, quos Nabuzardan duxit ad Nabuchodonosor in Reblatha, dicitur, quòd interfecit eos Rex Babylonis in Reblatha, in terra Emath, & item Ierem. cap. 29. vers. 5. vbi dicitur, quòd Chaldæi comprehensum Sedeciam adduxerunt ad Nabuchodonosor Regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath, qui occidit filios Sedeciæ in oculis eius, & oculos quoque Sedeciæ eruit.

CVR MOYSES NON EXTENDERIT TERMINVM TERRAE CHANAAN AQVILONAREM VSQVE AD EVPHRATEN.

30. Dicamus nunc aliquid de eo quod secundo loco proposueramus; nimirum, cur Moyses Num. cap. 34. vers. 8. extenderit lineam Aquilonarem terræ Chanaan tantummodò ad Emath, & non magis vsque ad Euphraten, sicut promiserat Dominus Abrahæ Genes. cap. 15. in fine. Certè admodum conuenienter id factum esse quisque intelliget, si meminerit Deum omnia promissa sua debitis temporibus implere consueuisse, & verissimum esse quod de Sapientia legimus, Sapientiæ cap. 8. vers. 1. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Enimuerò præuidebat Deus, semen Abrahæ aliquando talia habiturum incrementa, vt vsque ad Euphraten dominari potens foret; & ideò promisit Abrahæ daturum semini eius terram vsque ad Euphraten; quod etiam suo tempore præstitit, vt paulò pòst dicemus. Nunc autem, quia Israëlitæ in Terram promissionis ingressuri, non tam multi erant, vt tantæ terræ amplitudinem occupare possent; aliquantò angustiores eis terminos præfiniuit; non quidem priorem retractans promissionem; nam & eamdem posteà confirmauit Iosue cap. 1. vers. 4. sed præsenti, atque etiam ad multos annos, ipsorum statui consulens (vt sub anno mundi 2591. num. 5. ex ipsamet sacra Scriptura declarabimus) eam terræ longitudinem inter eos distribuendam designauit, quæ ipsis & posteris eorum abundè admodum sufficere posset, donec veniret tempus dilatandi imperium suum vsque ad Euphraten, quod postmodum regnante in Israël Dauide fieri cœpisse, manifestè traditur 2. Reg. cap. 8. vers. 3. & 1. Paralip. cap. 18. vers. 3. idque adhuc perfectiùs firmiúsque factum fuisset, si populus ille cum suis Regibus in Dei cultu, quantum ab ipsis Deus exigebat expectabatque, profecissent. Quoniam autem econuersò temporibus Salomonis, qui, & ipse dominabatur vsque ad Euphraten, vt apertè dicitur 2. Paralip. cap. 9. vers. 26. cœperunt ad idola defluere; propterea non permisit Dominus Israëlitas diu dominari vsque ad Euphraten, neque vt, Syris prorsus exterminatis, extendere possent colonias suas vltra introitum Emath. Quare mirum est, si etiam regnante Salomone vsque ad Euphra-

Euphraten, ponuntur termini Israelitarum à Dan vsque Bersabee, & ab introitu Emath vsque ad Riuum Ægypti. Legimus enim 3. Reg. cap. 4. vers. 25. Iudam & Israelem habitasse *absque timore vllo à Dan vsque Bersabee cunctis diebus Salomonis*. & cap. 8. vers. 65. dicitur Salomon fecisse festiuitatem cum toto Israele, *ab introitu Emath vsque ad Riuum Aegypti*. Quamuis enim Dauid & Salomon imperarent Syris, & ab eis tributa acciperent; non tamen eos vnquam de sedibus suis expulerunt, neque Israelitarum colonias ad ipsorum vrbes inhabitandas transmiserunt; & propterea non opus fuit Hebræis duplicare ciuitates refugij, quemadmodum præceperat eis Dominus Deuter. cap. 19. vers. 8. illis verbis: *Cùm autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est (si tamen custodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, & supradictarum trium vrbium numerum duplicabis*. Non, inquam, opus fuit duplicare dictas vrbes, quia plena illa dilatatio sub conditione promissa fuerat, qua imperfectè seruata, imperfectè etiam iusto Dei iudicio impleta promissio fuit.

31. Præfinitis terminis terræ Chanaan, eligit Moyses nominatim, ac determinat & promulgat, qui eam inter nouem tribus & dimidiam diuidere debeant: nam aliæ duæ tribus & dimidia iam ab ipso Moyse possessionem suam acceperant trans Iordanem, Numer. cap. 34. vers. 13. vsque ad finem capitis. Deinde præcepit Moyses filiis Israel, vt cùm fuisset diuisa inter ipsos terra, darent Leuitis quadraginta octo vrbes, ad ipsorum habitationem; & suburbana item, à muris sese ex omni parte ad mille passus, hoc est cubitis duobus millibus extendentia, pro pascuis pecorum iumentorumque suorum. Quæ vrbes à singulis tribubus, habita ratione hereditatum suarum, separari deberent; ita vt ab his, quæ plus haberent, plures essent auferendæ, & quæ minus, pauciores. Item ex hisce quadraginta octo vrbibus, sex ad refugia fugitiuorum deputandas statuit; nimirum tres eis, & alias tres trans Iordanem; quas voluit esse tamquam asyla quædam, ad quæ confugere possent, qui non animo deliberato, sed in rixa vel casu aliquo homicidium perpetrassent, siue aduenæ essent, siue indigenæ; & ibi tutò morari, donec Pontifex pro tempore existens superuiueret; illo autem defuncto, ad propria impunè reuerti valerent. Et subsequenter tulit quasdam leges, ad homicidia tum diiudicanda, tum etiam punienda pertinentes: inter quas illud præcipuè cauetur, ne ad vnius testimonium vllus condemnetur. Numer. cap. 35. per totum. Postremò, occasione cuiusdam petitionis sibi factæ à principibus familiarum Galaad filij Machir, tribus Manasse, super possessione assignata filiabus Salphaad; statuit, ne vir accipiat vxorem, aut femina virum, nisi de tribu sua, vt hereditates permanerent in familiis, hoc est in tribubus, & non confunderetur Sortium distributio. Ex qua dictæ legis ratione infertur, ipsam non comprehendisse Leuitas; qui cùm nullas haberent possessiones, & nullius essent capaces hereditatis, poterant pro libito dare filias suas viris, & accipere filiis suis vxores de quauis alia tribu. Aliæ autem tribus id facere prohibebantur, quia tametsi femina aliqua habuisset fratres aut filios quibus debebatur successio; tamen si nuberet viro alterius tribus, potuisset illis defunctis repetere hereditatem, eamque transferre in tribum viri sui, & sic secuta esset possessionum confusio; ad quam vitandam lata lex ista fuit: Num. cap. vltimo.

PRAEFINIVNTVR QVI TERRAM CHANAAN ISRAELITIS DIVISVRI ERANT.

IVBENTVR SEPARARI CIVITATES, ET SVBVRBANA LEVITIS.

ITEM CIVITATES REFVGII.

LEGES PRO HOMICIDIO DIIVDICANDO, ET PVNIENDO.

CVR PROHIBENTVR FEMINAE AC VIRI NVBERE EXTRA PROPRIAM TRIBVM.

32. Eodem anno quadragesimo ab exitu, mense vndecimo, prima die mensis, vt videre est Deuter. cap. 1. vers. 3. cœpit Moyses Legem, quam hactenus in aliquot itineris stationibus per partes populo denuntiauerat, nunc denuò in campis Moab prope Iordanem, antequam moreretur, latiùs repetere, & clariùs explicatam in volumen redigere, quod Deuteronomium inscripsit, hoc est Legis iterationem, quemadmodum interpretatur S. Augustinus lib. 1. de Mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 35. Differt autem à Leuitico Deuteronomium, quòd licet in vtroque Legalia aliàs concisim populo tradita, simul collecta esse videantur; tamen Leuiticus Cærimonialia præcipuè continet, quæ ad Leuitici generis ordinem, peculiariter diuino cultui mancipatum, magis pertinere videbantur, (quandoquidem illius temporis cultus, populo illi carnali præscriptus, ferè totus erat exterior, & in externis quibusdam cærimoniis positus.) propterea liber ille, Leuiticus prænotatur, quemadmodum sub anno mundi 2545. num. 11. & 12. dictum est. Deuteronomij verò liber, tametsi cærimonias etiam vniuersaliter, & quasdam item particulares complectatur; magis tamen ac principaliùs Moralia ac Iudicialia præcepta continere videtur, & consequenter, ad internum Dei cultum ab omnibus & singulis Deo inprimis exhibendum, & præterea etiam ad Rempublicam

DE LIBRO DEVTERONOMII.

optimè instituendam, ciuilemque statum ritè gubernandum ac custodiendum, magis deseruire videbatur: ideò non specialiter Leuitis Sacerdotibúsve directus fuit, sed communiter omnibus, maximeque Regibus & Principibus, qui sunt veluti Reipublicæ capita. Vnde Deuter. cap. 17. vers. 18. præcipitur, vt Rex qui pro tempore fuerit, *postquam sederit in solio Regni sui, describat sibi Deuteronomium Legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, & leget, illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cærimonias eius, quæ in Lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse, & filij eius, super Israel.* Et cap. 31. vers. 10. præcipitur Sacerdotibus, vt septimo quoque anno, qui erat remissionis, & Sabbaticus, in conuentu vniuersæ multitudinis, qui fieri solebat ad festum Tabernaculorum, legerent librum hunc coram omnibus vtriusque sexus atque ætatis: *Vt*, inquit, *audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantq́; omnes sermones Legis huius.*

LEX RECITATA CORAM POPVLO.

33. Sanè ista Legis explanatio, quæ describitur à capite Deuter. 1. vsque ad 31. creditur recitata coram omni populo per partes, interpolatis vicibus; ita vt hæc recitatio toto ferè illo mense vndecimo perdurauerit. Nam sub finem illius mensis, expleta Deuteronomij prædicatione, tradidit Moyses volumen eius quod scripserat, Sacerdotibus, præcipiens vt illud reponerent asseruarentque ad latus Arcæ fœderis Domini. Et consequenter disponens se ad mortem, quam sibi proximam esse intelligebat, animauit populum ne timeret Reges Chananæos, denuò pollicitus Deum facturum eis, sicut fecerat duobus Regibus Amorrhæorum. Deinde accersito Iosue filio Nun, quem vt iusserat Dominus Num. cap. 27. vers. 18. iam sibi in Principatu successorem delegerat, ipsum quoque, tamquam Ducem populi, coram omni Israele excitare, corroborare, atque animare non destitit illis verbis: *Confortare, & esto robustus: tu enim introduces populum istum in Terram quam daturum se patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam sorte diuides. Et Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te, noli timere.* Mox, Deo præcipiente, perrexerunt Moyses & Iosue ad Tabernaculum fœderis, vbi statim apparuit columna nubis, de qua locutus est Dominus Moysi, prædicens, quòd post obitum eius, populus à diuino cultu recedens, ad idola reuersurus erat, multisque propterea malis ac calamitatibus à Deo affligendus. Scripsit ergo Moyses dictante Domino Canticum illud quod incipit: *Audite cæli quæ loquor*, &c. & conuocatis coram se, Iosue Duce designato & cunctis maioribus natu atque Doctoribus, recitauit illud cunctis audientibus, iussitque deinceps addisci communiter ac decantari à filiis Israel per generationes suas, vt posteà, aduenientibus malis à Domino prænuntiatis, Canticum illud esset in testimonium illis, quòd iustè mala illa propter præuaricationes suas perpeti meruissent: Deuter. cap. 31. per totum, & cap. 32. vsque ad vers. 48.

LEGIS VOLVMEN ASSERVATVR AD LATVS ARCÆ FOEDERIS.

MOYSES DISPONENS SE AD MORTEM, ANIMAT SVCCESSOREM.

CVR SCRIPSERIT ET DECANTARI IVSSERIT CANTICVM, AVDITE CÆLI QVÆ LOQVOR, ETC.

BENEDICIT TRIBVBVS ISRAEL.

34. His expletis, Moyses monitus à Domino vt montem moriturus ascenderet, prius benedixit singulis tribubus Israel benedictionibus propriis, quæ habentur in toto Deuter. cap. 33. excepta tamen tribu Simeonis, quam ideò credimus fuisse præteritam, quia non multò antea Princeps illius, nomine Zambri, fornicatus erat cum Cozbi filia Principis Madianitæ, cum magno totius populi scandalo ac iactura, necnon Dei ac aliorum Israelis Principum indignatione, vt suprà num. 19. dictum est. Postremò Moyses, expletis benedictionibus, de campestribus Moab ascendit ad montes Abarim; cumque venisset super montem Nebo, & in vertice Phasga, qui erat locus eminentissimus contra Iericho, inde circumspecta considerataque omni Terra promissionis, prout præceperat ei Dominus Numer. cap. 27. vers. 12. & Deuter. cap. 3. vers. 27. & cap. 32. vers. 49. ibidem mortuus est, in calce (vt num. insequenti probabitur) dicti mensis vndecimi, cùm esset annorum centum viginti; & sepeliuit eum Dominus in valle terræ Moab, contra Phogor; ita vt nemo posteà cognoscere potuerit locum sepulturæ eius; fleuitque eum omnis Israel in campestribus Moab triginta diebus, hoc est toto mense illius anni duodecimo: Deuter. cap. vlt. vers. 1. vsque ad 9. Et tunc (Moyse nimirum moriente) facta fuit altercatio illa Michaëlis Archangeli cum diabolo de Moysi corpore, quæ memoratur in Epistola Catholica Iudæ Apostoli vers. 9. quia nimirum (vt ibidem exponit Lyranus) diabolus volebat manifestare Iudæis vbinam esset corpus Moysi, vt eos tamquam satis ad idololatriam pronos, ad illud pro Deo adorandum induceret; at Michael (tunc Princeps Synagogæ Hebræorum, vt colligitur Danielis capite 10. versic. 13. & clarius in fine capitis, & in principio

DE OBITV ET SEPVLTVRA MOYSI, ET PLANCTV POPVLI.

ALTERCATIO MICHAELIS ARCHANGELI CVM DIABOLO DE MOYSI CORPORE.

cipio capitis 12.) prohibuit eum illis verbis : *Imperet tibi Dominus*, &c.

35. Non me latet, Auctorem Chronologiæ maioris Hebræorum, quæ Seder Olam rabba inscribitur, cap. 10. asserere, Moysen natum esse die septima mensis Adar, qui erat Anni sacri duodecimus, & eadem die post centum viginti annos è vita abiisse: quod etiam comprobare nititur Andreas Masius super Iosue cap. 1. authoritate Talmudicorum, vbi de Sponsalibus agunt. Hoc si verum esset, vtique oporteret luctum Moysi, qui diebus triginta continuis perdurauit, non nisi sexta aut septima die mensis primi, qui dicebatur Nisan, fuisse expletum, & die septima vel octaua ipsum Iosue misisse exploratores in Iericho. Non enim missi sunt ante expletum Moysi luctum; quandoquidem ex Deuter. cap. vlt. vers. 8. & 9. apparet, dictum Iosue suum non prius exercere cœpisse Principatum. Sed hæc opinio non videtur posse cum Sacro textu conuenire, qui Iosue cap. 4. vers. 19. expresse ponit, populum transisse Iordanem die decima dicti mensis primi. Vnde sequeretur, eumdem transitum contigisse post duos aut tres dumtaxat dies à prædicta exploratorum missione. Atqui tam in editione Vulgata quàm LXX. Interpretum, Iosue cap. 2. vers. 16. & 22. patet, dictos exploratores in suo reditu de Iericho, mansisse in monte tribus diebus absconditos, ne in manus appatitorum regis Iericho, à quibus ad necem conquirebantur, inciderent; & deinde venerunt ad Iosue in Settim, qui audita ipsorum relatione, mouit inde castra de nocte consurgens, vt dicitur in tertij capitis initio, venitque ipse & omnes filij Israel ad Iordanem, vbi morati sunt tres dies; quibus euolutis (inquit Scriptura) hoc est sequenti die, transierunt Iordanem, vt ex ibidem consequentibus colligitur. Igitur manifestum est, quòd ab exploratorum missione ad dictum Iordanis transitum, interfluxerunt saltem sex vel septem dies, & consequenter nonnisi decimaquarta vel decimaquinta die primi mensis fieri potuisset dictus transitus: quod omnimodis refragatur his, quæ loco Iosue adducto dicuntur de transitu populi facto die decima mensis primi. Propterea reiiciendam putamus memoratam Hebræorum opinionem; præsertim cùm, eodem Masio vbi suprà teste, ipsi etiam Talmudici de die excessus Moysi inter se dissentiant, multique eum, non mense Adar, qui proximè præcedit ipsum Nisan, sed in mense Sebeth, qui ante Adar est, è vita migrasse putent. Ponamus ergo, Moysen, vt diximus, vel in fine mensis vndecimi, vel in principio duodecimi obiisse: sic enim omnia fient consona, vt ex his quæ sub anno mundi proximo num. 7. & sequentibus dicemus, manifestum erit.

HEBRÆORUM OPINIO DE DIE OBITVS MOYSI REFUTATVR.

36. Ex eo autem quod suprà num. 34. dictum est, Moysen fuisse centum viginti annorum quando mortuus est, (vt etiam expresse traditur Deuter. cap. vlt. vers. 7. & ipsemet Moyses paulò ante obitum suum coram vniuerso populo contestatus fuerat cap. 31. vers. 2.) inferri potest, Israelitas ab exitu ipsorum de Ægypto peregrinatos esse per desertum annis quadraginta, & non amplius. Quod sic colligi potest. Nam si Moyses octoginta erat annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem vt dimitteret populum, quemadmodum conceptis verbis habemus Exod. cap. 7. vers. 7. & vterque hoc eodem anno ab exitu quadragesimo mortuus est, nimirum Aaron mense dicti anni quinto, die prima mensis, cùm ipse esset annorum centum viginti trium, vt dicitur Num. cap. 33. vers. 38. Moyses verò in fine mensis vndecimi eiusdem anni, cùm esset annorum centum viginti, vt suprà dictum est: & post obitum luctumque eiusdem Moysi, videlicet mense Nisan, qui erat primus Anni sacri, paulò antè inchoato, ingressus est populus in Terram promissionis, vt numero præcedenti probauimus: profectò necesse est, ab exitu de Ægypto ad dictum introitum in terram Chanaan, non plus quadraginta annis interfluxisse; sed potiùs ad anni quadragesimi complementum defuisse dies quinque: quandoquidem die decimaquinta mensis Nisan exierant Israelitæ de Ægypto, quemadmodum sub anno mundi 2544. num. 20. ostendimus; & anno, vt diximus, quadragesimo, die eiusdem mensis decima, ascenderunt de Iordane, & ingressi sunt in terram Chanaan. Vnde inferri potest, non esse in hac parte recipiendam lectionem LXX. Interpretum Iosue cap. 5. quæ habet, populum quadraginta duobus annis conuersatum esse in deserto; licet sic quoque referat locum illum S. Augustinus quæst. 6. in Iosue. Nam præterquam quòd manifestè repugnat rationi ex alijs Scripturæ sacræ locis adductæ; aduersatur etiam lectioni Hebraicæ & Latinæ Vulgatæ, & Paraphrasi Chaldaicæ, vt videre est in Bibliis Regiis; quin etiam illi eorumdem LXX. Interpretum lectioni, quæ in iisdem Bibliis Regis habetur, omnes enim citati codices, in eodem Iosue loco, pro *annis quadraginta duobus*, habent *quadraginta*. & huic lectioni concordant plures alij sacræ Scripturæ loci, nimirum Exod.

ISRAELITAE NON AMPLIVS QUADRAGINTA ANNIS PERMANSISSE IN DESERTO.

cap. 16. verſ. 35. vbi dicitur, quòd *filij Iſrael comederunt man quadraginta annis, donec tangerent fines terræ Chanaan*: & idem aliis quoque verbis refertur Iudith cap. 5. verſ. 15. Præterea Numer. cap. 32. verſ. 13. legimus, Dominum circumduxiſſe Iſraelitas per deſertum annis quadraginta; & idipſum repetitur Deuter. cap. 8. verſ. 2. & cap. 29. verſ. 5. & Amos cap. 2. verſ. 10. Inſuper habemus Deuter. cap. 2. verſ. 7. quòd Iſrael tranſiuit ſolitudinem magnam per annos quadraginta. Item 2. Eſdr. cap. 9. verſic. 21. legimus: *Quadraginta annis paviſti eos in deſerto, nihilq́; eis defuit*. In Pſalmo quoque 94. verſ. 10. *Quadraginta annis* (inquit Dominus) *offenſus fui generationi huic*. quod & repetit Apoſtolus ad Hebr. cap. 3. verſ. 10. Vix enim de Ægypto exierant, quando ad Mare rubrum murmurare cœperunt contra Dominum: & idem deinceps ex qualibet occaſione faciebant. Vnde etiam Actorum cap. 13. verſ. 18. benè dicebat Apoſtolus, quòd Deus *per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto*. & denique cap. 7. verſ. 36. aſſerebat S. Stephanus, quòd Deus fecit prodigia in deſerto annis quadraginta. Ex quibus locis omnibus luce meridiana clariùs apparet, Iſraelitas quadraginta tantùm annos moratos eſſe in deſerto. Nec valet argumentum huic aſſertioni contrarium, quod quidam ex Num. cap. 14. verſ. 33. deſumunt, dicentes, ibi Deum anno ſecundo exitus de Ægypto dixiſſe Hebræis: *Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram*. & poſt pauca, idem confirmans, *Et quadraginta annis*, inquit, *recipietis iniquitates veſtras*. Si ergo (arguunt) à dicto tempore manſerunt Iſraelitæ in deſerto annis quadraginta, profectò neceſſe eſt eos ab exitu de Ægypto moram in deſerto traxiſſe per annos ferè quadraginta duos. Non, inquam, valet hoc argumentum; quia reuerà poſt illam Domini ſententiam contra filios Iſrael latam, ipſi non annos quadraginta errauerunt per illas ſolitudines; ſed tantummodò annos triginta octo & menſes circiter ſeptem, vt ex temporum ſerie hactenus notata colligi poteſt, & clariùs videre eſt in tabulis: Scriptura autem ſacra loco Num. citato, vſurpans numerum perfectum pro imperfecto, appellauit eos quadraginta, quemadmodum à nobis ſub anno mundi 2545. num. 66. probatum eſt. Quòd ſi quis adhuc replicet: Cur non potiùs hæc expoſitio applicanda eſt ceteris Scripturæ locis ſuprà alligatis, accipiendo illos quadraginta annos pro quadraginta duobus, ſicuti communiter dicimus ſeptuaginta Interpretes, licet fuerint ſeptuaginta duo? Ad hoc reſpondemus, quòd regula vſurpandi numerum perfectum pro imperfecto, nullatenus poteſt dictis Scripturæ locis adaptari, propter argumentum ſuperiùs deductum ab ætate Moyſi & Aaronis, quando locuti ſunt ad Pharaonem, & quando vterque vita functus eſt: quod quidem argumentum euidenter probat, Hebræos non plus quadraginta annis in deſerto morari potuiſſe. & nos iam ſub anno mundi 131. num. 4. vſque ad 8. multis demonſtrauimus, textum LXX. Interpretum, vbicumque in numeris à Vulgato differt, cenſeri fuiſſe corruptum.

37. Sed vt ad Moyſen noſtra redeat narratio, ex his quæ de ipſo hactenus dicta ſunt apparet, totam eius vitæ ſeriem æqualiter in tres annorum quadragenas fuiſſe tripartitam, in quibus ſingulis plura circa ipſum memorabilia euenerunt. Nam in prima, vix natus ſanctus iſte vir, ab impiiſſimo illo Pharaonis edicto de pueris Hebræorum in flumen demergendis, mirabiliter præſeruatus fuit. Deinde in aula regia regiè enutritus ac educatus, liberalibus quoque Ægyptiorum diſciplinis apprimè inſtructus atque inſtitutus, tandem generosè aulam regiam vltrò reliquit; magis eligens affligi cum populo Dei, quàm regiis frui deliciis, maioreſque diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti, vt reſtatur Apoſtolus ad Hebr. cap. 11. verſ. 25. hoc eſt, magis eligens, in typum Chriſti venturi, multa pati pro populo ſuo, vt eum de Ægyptiaca ſeruitute liberaret, quàm regiis ipſe affluens deliciis, relinquere in tribulationibus fratres. Denique, in ſignum quòd eum elegiſſet Dominus, per quem gentem ſuam ab Ægyptiorum oppreſſionibus liberam faceret, non timuit Ægyptium occidere, vt iniuriam Hebræo iniuſtè illatam vlciſceretur. Quamobrem coactus poſteà fuit ad terram Madianitarum aufugere, & ibidem multo tempore pauperem vitam ducere, vt conſequenter dicemus. Secundam ætatis ſuæ quadragenam traduxit totam in regione Madian, vbi Sephoram, filiam Iethro Sacerdotis Madian, duxit vxorem, & ex ea duos filios genuit, Gerſen ſcilicet & Eliezer; & ibidem creditur ſcripſiſſe ſacram Geneſim, vt Hebræos ad veſtigia maiorum ſuorum, Abraham, Iſaac, & Iacob ſequenda prouocaret, eoſque pariter conſolaretur, redigendo ipſis ad memoriam diuinas de illorum ſemine ab Ægyptiaca ſeruitute liberando repromiſſiones, eiſdem patribus ſuis factas, ac iureiurando confirmatas. Sunt etiam qui in eadem terra Madian librum Iob ab eodem

VITA MOYSI IN TRES ANNORVM QVADRAGENAS PARTITA. QVAE IN PRIMA EVENERINT.

LOCVS APOSTOLI EXPLICATVR.

QVID EGERIT IN SECVNDA.

eodem Moyse conscriptum putent: quamuis probabilius videatur, id factum fuisse post eductum iam de Ægypto Israelem, vt nos sub anno mundi 2503. num. 3. ostendimus. Denique diuina illa rubi ardentis & minimè deficientis visione in monte Horeb dignatus, inde ad Pharaonem à Deo missus fuit, vt cum illo de Israele à se dimittendo ageret. In tertia autem eademque postrema annorum vitæ suæ quadragena, cùm in signis mirabilibus magnisque portentis Israeliticum populum de Ægypto eduxisset, diuinasque Leges ab ipsomet Deo acceptas docuisset, eumdem populum toto reliquo vitæ suæ tempore rexit, duxitque per desertum, vt iret ad Terram promissionis: quo tempore Moyses non modò librum Iob, & fortè etiam librum Genesim scripsisse creditur, vt sub anno mundi 2503. n. 3. ostendimus; sed etiam scripsit alios quattuor Pentateuchi libros, videlicet, Exodi, Leuitici, Numerorū, & Deuteronomij. Nam quemadmodum ex sub anno mundi 2545. num. 10. dictis apparet librum Leuit. scriptum ab ipso esse in Sinai, mense 1. anni 2. ab exitu populi de Ægypto; & ex his quæ sub hoc anno mundi 2583. num. 32. diximus, constat Deuteronomium ab eodem fuisse scriptum in postrema populi mansione facta in campestribus Moab, mense vltimo vitæ ipsius Moysi; ita credendum est, cetera quæ in aliis duobus eius libris, nempe Exodi & Numerorū continentur, scripta fuisse in deserto sigillatim, prout ea ibidem agi contigerat. Demum Moyses deuictis deletisque Amorrhæis, & populo ad Chananææ fines feliciter perducto, suffectoque sibi Iosue in Ducem, gloriosè diem suum clausit. Cuius celeberrimi viri, simul & præstantissimi Prophetæ, ac primi Israelitarum Ducis, sanctitas quanta fuerit, optimè declarat breuis illa quidem, sed valdè præclara eius laudatio, quæ habetur Ecclesiastici cap. 45. vers. 1. in hæc verba: *Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est; similem illum fecit in gloria sanctorum* (subaudi Patriarcharum, Abraham, Isaac, & Iacob) *& magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit* (hoc est, monstrosas portentosasque populi seditiones sedauit, plagasque sanauit) *glorificauit eum in conspectu Regum, & iussit illi coram populo suo* (nimirùm quando loquebatur ei de columna nubis, cunctis eamdem columnam videntibus, vt sub anno mundi 2544. nu. 52. dictū est) *& ostendit illi gloriam suam. In fide ipsius* (ergaDeum) *& lenitate* (erga proximū) *sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne; audiuit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem, & dedit illi coràm præcepta, & legem vitæ & disciplinæ, docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israel.* hactenus verba Ecclesiastici. Quibus adde, si placet, ea quæ Spiritus sanctus, primarius sacræ Scripturæ auctor, siue per ipsum Iosue Moysi successorem (vt putant Hebræi) siue, vt alij sentiunt, per Esdram, in calce Deuteronomij adiici voluit. Sunt autem hæc: *Et non surrexit vltrà Propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Aegypti, Pharaoni & omnibus seruis suis, vniuersæ terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel.* hæc ibi.

QVID IN TERTIA. LIBRI AB EO SCRIPTI, QVANDO ET VBI. MOYSI LAVDATIO APVD ECCLESIASTICVM. EX ADIECTIS IN CALCE DEVTERONOMII.

38. Verùm præter ea quæ ex Sacro eloquio dicta sunt, plura etiam de Moyse tradiderunt Iosephus & Philo, præcipui Iudæorum Scriptores; ille in suis Antiquitatum libris, præsertim 2. 3. & 4. & lib. 2. Contra Apionem, & alibi: hic verò in his tribus quos de Vita Moysi inscripsit, & in alio item cui titulus est, de Decalogo. Quin etiam antiquissimi Ethnicorum in suis scriptis tanti viri mentionem facere non neglexerunt, licet in multis (vt solent) à veritate in Sacris libris tradita discordent. Quamquam autem nonnulli (nescio num ex falsa relatione decepti, an propria acti malitia, vel potiùs dæmone inprimis suggerente, vt salutaria tanti viri monita, & aliorum sanctorum, quorum gesta ipse commemorat, Gentibus exosa facerent) quædam indigna eidem Moysi eiusque populo perperàm falsoque adscribere non sunt veriti; vt Manethon Ægyptiacæ historiæ Scriptor, qui Moysen vnum ex Heliopolitanis Sacerdotibus facit, illuc ob lepram fugatum; cuius mendacia redarguuntur à Iosepho sub finem libri 1. Contra Apionem: & Trogus Pompeius apud Iustinum lib. 36. qui de Moyse ait, quòd cùm scabiem Ægyptij & pruriginem paterentur, responso moniti, eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt: & quòd Dux exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit; quæ repetentes armis Ægyptij, domum redire tempestatibus compulsi sunt: & item Iudæos, quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eadem causa inuisi apud incolas forent, caoisse ne cum exteris communicarent. Plura eiusmodi alia eleganter mentitur Cornelius Tacitus lib. Annalium 21. vbi agit de Iudæis, & plurimos quoque alios Auctores sibi consentire asserit; nimirum sibi similes, ac veræ religioni aduersantes.

EX IOSEPHO ET PHILONE. CVR QVIDAM GENTILIVM INDIGNA DE MOYSE SCRIPSERINT.

GENTILIVM AVCTORES QVI HONORIFICE DE MOYSE LOCVTI SVNT.

39. Verumtamen non desunt alij Gentilium Scriptores, præcipuè Græci, qui honorificè admodum de ipso Moyse locuti sunt; nempe Clearchus Peripateticus, Megasthenes, Numenius Pythagoricus, & alij à Iosepho in libris Contra Apionem, & ab Eusebio de Præparatione Euangelica lib. 9. cap. 3. specialiter relati, quorum Numenius asseruit, Platonem atque Pythagoram Moysis dogmata fuisse sectatos; & nihil aliud esse Platonem, quàm Moysen Attica lingua loquentem. His adde Eupolemum & Artapanum, qui (eodem Eusebio cap. 4. citati eius libri referente) aiunt, Moysen Ægyptiis litteras tradidisse, aliaque ibidem commemorata ad commune bonum instituisse; & propter Sacrarum litterarum interpretationem, Mercurium appellatum, indéque factum esse, vt ab ipsis quasi Deus coleretur. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulianum attestatur, Moysen Græcorum Historicis fuisse notissimum, aliaque ipsorum de ipso Moyse illustria profert testimonia, nempe Polemonis, & Ptolemæi Mendesij, & Hellanici, & Philocori, Castorisque, ac præsertim Diodoti asserentis eumdem Moysen virum magnæ mentis, & vitæ celeberrimum, etiam Deum fuisse nuncupatum. Demetrius quoque Phalereus, & ipse Peripateticus, Moysis libros coram Philadelpho Ægypti Rege plurimùm commendauit; & eius suasu Rex eosdem & reliquos Iudæorum Sacros libros à LXX. Interpretibus in Græcum sermonem verti, atque in Bibliotheca sua toto orbe celeberrima reponi curauit, vt in Aristææ Historia legimus, non procul ab initio. Libet hîc etiam ad verbum adferre, quæ de ipso Moyse scriptum reliquit Strabo, Geographiæ suæ lib. 16. *Moyses*, inquit, *vnus ex Aegyptiis Sacerdotibus, cùm partem quamdam regionis haberet, ac molestè ferret præsentem statum, inde huc* (hoc est in Iudæam) *commigrauit, multis eum comitantibus, quibus diuina curæ erant. Affirmabat enim docebátque Aegyptios non rectè sentire, qui bestiarum ac pecorum imagines Deo tribuerent; itemq; Afros & Græcos, qui diis hominum figuram affingerent. Id verò solum esse Deum, quod nos, & terram ac mare continet, quod cælum & mundum, & rerum omnium naturam appellamus. Cuius profectò imaginem, nemo sanæ mentis, alicuius earum rerum quæ penes nos sunt, similem audeat effingere. Proinde omni simulacrorum effictione repudiata, dignum ei templum ac delubrum constituendum, ac sine aliqua figura colendum. Qui castè ac iustè viuunt, eis bona somnia offerri. Debere itaque & pro se & pro aliis dormire in templo, & à Deo subinde aliquid doni atque iudicij expectare, ceteris nihil sperandum. Talia Moyses dicens hominibus bonis fidem fecit, inq; ea loca deduxit, vbi nunc condita sunt Ierosolyma, quæ facilè obtinuit*, & post pauca: *Interim loco armorum sacra & Deum prætendebat, cui se dicebat sedem quærere, & eiusmodi cultum & sacrificia traditurum pollicebatur, quo nec impensa, nec furoribus, neque re vlla absurda cultores perturbarent. Hæc ille cùm suis probasset, non contemnendum est adeptus imperium. Facilè enim Gentes omnes finitimæ, tanto proposito spe, & huiusmodi consuetudine ductæ, se adiunxerunt.* hactenus Strabo. Cui possumus Diodorum Siculum attexere, penes quem quantæ existimationis fuerit Moyses, vel ex eo colligi potest, quòd libro Rerum Antiquarum secundo, sub finem capitis 5. eumdem inter priscos ac primarios variarum Gentium Legislatores connumerat, & ait, quòd apud Iudæos Moyses ab Iao, quem Deum vocant, acceptas leges præseferebat.

EXPONITVR DICTVM ORIGENIS DE MOYSE.

40. Ex his omnibus inferri posset, hallucinari Origenem Homilia 1. in Cantica Canticorum, vbi ait, neminem Græcorum, aut vllam Gentilium litterarum Historiam, ante Christi aduentum, Moysis meminisse. Nisi fortè ibi Origenes, Moysi nomine, (quemadmodum fit Actorum cap. 15. versic. 21.) libros eius intelligi maluit; alludens ad dictum Ptolemæi Regis, qui audita Lege Moysis, valdè admiratus Legislatoris mentem, dixit ad Demetrium: Quare tanti operis nullus Historiographorum aut Poëtarum aggressus est mentionem facere? Cui ille: Quia ista Lex est sacrosancta, & diuinitus lata; tum quia nonnulli aggressi, diuina plaga territi, ab instituto destiterunt. Atque illicò exempla subiungit de Theopompo Historico, & Theodecte Tragico Poëta; quorum alter cùm vellet in suam Historiam, alter verò in quamdam suam fabulam, quædam ex dicta Lege inserere: ille, Dei prouidentia, sanitatem, hic visum amisit, donec vterque, agnita audaciæ ac temeritatis suæ culpa, facti attentati pœnituit. Quæ latiùs narrat Aristæas sub citatæ Historiæ suæ finem. Alias item, cur libri Moysis numquam aut rarò ab Ethnicis Scriptoribus allegati inueniantur, causas addit Genebrardus libro suæ Chronologiæ primo; vbi etiam Moysen Poëtis omnibus præluxisse demonstrat. Denique Iosephus in Procemio librorum Antiquitatum, ipsum Moysen ante omnes Græciæ deos, eorumque ætates extitisse ait. (quod tamen probari non

CVR DE LEGE MOYSAICA GENTILES NON MEMINERINT.

ALIAE MOYSI LAVDES EI AB ALIIS AVCTORIBVS ATTRIBVTAE.

non posse, colligi potest ex his, quæ nos sub annis mundi 2092. num. 1. & sub anno 2438. num. 2. diximus;) & libro 2. Contra Apionem, cunctis mundi Legislatoribus Moysen vetustiorem facit. Et Eusebius lib. 10. de Præparatione Euangelica cap. 3. & in Præfatione sui Chronici, & item nouissimè Pererius in Præfatione Commentariorum suorum in Genes. & in cap. 2. Exod. disput. 3. pluribus probant, Moysen Lino, Orpheo, Musæo, Homero, Pythagoræ, Anaxagoræ, Democrate, Hippocrate, Socrate, Platone, Aristotele, aliisque vel Theologicæ, vel Philosophicæ, vel Astrologicæ, vel Poëticæ, vel Oratoriæ, vel Medicæ, vel Historicæ facultatis laude inter Græcos maxime celebratis, multò fuisse antiquiorem; & in summa, omnium quorum nunc extant scripta, vel quorum nomen in Gentilium scriptis proditum sit, primum fuisse Theologum, Philosophum, Poëtam, & Historicum. Et hæc de Moyse dicta sufficiant.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2584. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 41.

1 ANNO ab exitu Israëlis de Ægypto quadragesimo primo inchoante, Iosue filius Nun, qui, vt dicitur Num. cap. 13. vers. 9. erat de tribu Ephraim, exercere cœpit Principatum in populo Israel, loco Moysi; & repletus est spiritu sapientiæ; quia Moyses posuerat super eum manus suas: & obedierunt ei filij Israel, feceruntque sicut præceperat Dominus Moysi, Deuter. cap. vlt. vers. 9. Oportet autem hunc annum cœpisse à mense Nisan, qui erat primus Anni sacri, vt sub anno mundi 2544. num. 12. dictum est: nam Iosue cap. 4. vers. 19. dicitur populus ascendisse de Iordane decima die mensis primi: & cap. 3. vers. 15. legimus, quòd quando populus transiuit Iordanem, erat tempus messis: messem autem frugum temporanearum vel etiam serotinarum in illis regionibus incipere quodammodò consueuisse in mense Nisan, iam sub anno mundi proximè adducto num. 10. probauimus. Quamquam non semper eodem modo id euenire consueuerat, propter festum Paschatis, quod (iuxta sub dicto mundi anno num. 10. declarata) quandoque nonnihil præcedebat, quandoque subsequebatur Æquinoctium vernale. Nam quando incidebat quindecim ferè diebus post dictum Æquinoctium (vt in hoc ipso, de quo nunc agimus, anno euenisse credimus) tunc proculdubiò segetes circa medietatem dicti mensis primi vt plurimùm maturæ erant & aridæ, ac reuerà messis incipiebat. Quando autem Pascha præcedebat tredecim pænè diebus ipsum Æquinoctium, tunc quoque quodammodò, & minùs propriè, primus mensis dicebatur tempus messis: tum quia, licet tunc spicæ adhuc essent virides, & nondum prorsus aptæ ad messem, tamen cogebantur, pro manipulis die decimasexta eiusdem mensis (vt præcipitur Leuit. cap. 23. vers. 10.) offerendis, tunc primùm falcem mittere in segetem; vt colligitur Deuter. cap. 16. vers. 9. & eo casu tenebantur spicas priùs igni torrere quàm deferre ad Sacerdotes, quemadmodum sub anno mundi 2545. num. 43. ex Iosepho diximus, & expressè traditur Leuit. cap. 2. vers. 14. Tum etiam, quia tunc messis erat valdè proxima: solebat enim reuerà incipere vel sub finem mensis primi, vel circa initia secundi. Etenim rationi consonum est credere, quòd si spicæ secunda Azymorum die maturitati adeò appropinquabant, vt ad ignem aliquantulùm tostæ, suauiter edi possent; vtique etiam post dies quindecim, in illis præsertim regionibus valdè calidis, maturæ prorsus essent ad messem, quæ deinceps perdurabat saltem vsque ad initia mensis tertij, id est, vsque ad Pentecosten, in qua secundùm Legem offerendi erant panes primitiarum, quemadmodum præcipitur cap. Leuitici 23. versic. 15. vsque ad 18. Fieri etiam potest, vt messis frugum serotinarum quandoque ob temporum varietates, non nisi circa festum Pentecostes inciperet, quemadmodum supponere videtur S. Ioan. Chrysostomus initio Homil. 4. in Acta, dicens: *Quæ est hac Pentecoste? cùm falx mittenda esset in messem, cùm fructus essent colligendi*, &c. Igitur, vt diximus, ab hoc primo mense Anni Hebræorum sacri, initium sumpsit annus primus principatus Iosue, qui pariter fuit primus annus ab introitu Israelitarum in Terram promissionis, vt videre est etiam in tabulis.

INITIVM PRINCIPATVS IOSVE.

INCHOANTE MENSE NISAN.

2. Ab hoc eodem anno, annos remissionis, quos vocant Sabbaticos, & item Iubileorum dinumerandos esse, præceperat Dominus Leuit. cap. 25. vers. 2. & sequentibus. Quod & colligi potest ex Deuter. cap. 31. vers. 10. vbi Moyses, paulò antequam ipse moreretur, populusque terram Chanaan ingrederetur, indicauit annum remissionis

SABBATICI, ET IVBILEORVM ANNI VNDE NVMERANDI.

siue Sabbaticum, post septem ab eo tempore annos fore celebrandum, id est, septimo anno introitus populi in Terram promissionis. Vnde miror, Eusebium in Chronicis supponere, Hebræos à creatione mundi Iubileos supputari consueuisse, & Iubileum quadragesimum primum ab anno vitæ Abrahæ quinquagesimo primo exordiri. Nam etsi constet aliqua ex his, quæ posteà in Lege præcepta sunt, prius quoque in vsu fuisse, vt patet de circumcisione Genes. cap. 17. vers. 10. & Leuit. cap. 12. vers. 3. & de suscitando fratris defuncti semine Genes. cap. 38. vers. 8. & Deuter. cap. 25. vers. 5. attamen de obseruantia annorum remissionis, nihil tale ex Sacris libris probare possumus. Et quidem si annorum Sabbaticorum Iubileorumque ritus semper apud Hebræos, vel ab orbe condito, vel saltem ab ipsorum introitu in terram Chanaan, iugiter fuisset in vsu, magnum profectò adiumentum afferret ad rationem temporum ritè dimetiendam, certiusque comprobandam. Nam quemadmodum apud Græcos, Olympiades, quarum vnaquæque quattuor annorum spatio distendebatur, & apud Romanos olim Lustra, quæ singula quinque annos continebant; & si quæ penes ceteras nationes aliæ eiusmodi temporum mensuræ vsitatæ fuerunt; ad ipsa tempora faciliùs accuratiusque dimetienda, plurimùm contulisse certissimum est: quemadmodum apud nos etiam nunc Indictiones, quæ ex quodam numerorum circuitu, ab vno vsque ad quindecim semper deinceps repetito, resultant, & quarum frequens admodum est vsus in Diplomatibus, & scripturis publicis, plurimùm conferunt ad fidem annorum à Christo nato faciendam roborandamque: ita etiā apud Hebræos illa temporum partitio per annos septenarios & quinquagenarios, valdè admodum priscorum illam temporum seriem cognitionemque illustraret, si inquam iugiter obseruata fuisset: sed id non facit; quoniam illa, sicut & aliæ multæ legales obseruantiæ, tum propter frequentem Israëlitarum ad idola declinationem; tum ob bella & captiuitates quæ illis contigerunt, & aliquando item ob Legis ignorantiam, ac ipsorum negligentiam, vel sæpissimè relicta intermissáve fuit, vel fortè etiam ferè numquam ante Babylonicam captiuitatem vsu retenta. Quod videtur prænuntiatum fuisse Leuit. cap. 26. vers. 34. vbi legimus: *Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ; quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit, & requiescet in sabbatis solitudinis suæ, eò quod non requieuerit in sabbatis vestris quando habitabatis in ea.* & est ac si dictum fuisset: Quando propter peccata vestra ducti eritis in terram hostilem, hoc est in Babylonem captiui; tunc terra Israel sabbatizabit & requiescet, & quodammodò complacebit sibi de solitudine & quiete sua. quare hoc? quia (inquit) vos quando habitabatis in ea, propter inobedientiam & auaritiam vestram non permisistis eam in Sabbaticis ac Iubileorum annis requiescere, quemadmodum vobis mandatum fuerat. Et hoc idem colligi ac confirmari potest ex 2. Paralip. cap. vlt. vers. 21. vbi fit mentio Babylonicæ seruitutis duraturæ, donec *celebraret terra sabbata sua*. & statim subiungitur, quòd tunc ipsa terra Israel *egit sabbatum cunctis diebus desolationis suæ, vsque dum complerentur septuaginta anni*, id est, quòd toto illo septuaginta annorum tempore mansit inculta: nam licet Nabuzardan reliquisset in Iudæa pauperes vinitores & agricolas qui exercerent terram, tamen non multò pòst occisō ipsorum Præfecto Godolia, fugerunt omnes in Ægyptum; vt videre est 4. Reg. cap. vlt. vers. 22. & 25. & tunc terra illa sine vllo prorsus cultore relicta est. Videtur ergo ex dictis quodammodò colligi posse, præfatum terræ Sabbatismum, quòd per annos septuaginta continuos perdurasse dicitur, fuisse etiam à Deo permissum, in supplementum, pro Sabbaticis à Iubileorum annis sine Sabbatismo anteà transactis. Quod si ita est, possumus insuper satis probabiliter colligere, ex decem & septem Iubileis, & centum viginti tribus annis Sabbaticis, qui (vt in fine tabularum Quintæ mundi ætatis apparet) ante captiuitatem Babylonicam celebrari debuerant, septuaginta sparsim annos, sine cessatione à cultura terræ, fuisse prætermissos: non quidem, vt arbitror, omnes successiuè, sed interpolatis vicibus, prout ferebant tempora, in quibus quandoque magis, quandoque minùs vigere videbatur Dei cultus, aut idolorum seruitus; eosque posteà in iugi illa septuaginta annorum captiuitate fuisse suppleros.

RATIONI TEMPORVM PLVRIMVM CONDVCERENT, SI SEMPER FVISSENT IN VSV.

EORVMDEM OBSERVANTIA SAEPIVS INTERMISSA.

3. Itaque si non iugiter viguit Iubileorum annorumque Sabbaticorum obseruatio, non mirum est si rarò admodum, nempe bis tantùm, eiusdem actualis obseruantiæ Scriptura sacra meminerit, nimirum semel Ieremiæ cap. 34. vers. 9. vsque ad 17. & iterùm 1. Machab. cap. 6. vers. 53. Et similiter, si Iosephus ter duntaxat (quòd ipse obseruauerim) videlicet 12. Antiq. cap. 14. & lib. 13. cap. 15. & lib. 14. cap. 28. illius mentionem fecerit, vt nos sigillatim sub annis mundi 3444. num. 8. & 3892. num. 4. & 3920. num. 1.

CVR IN SACRIS LIBRIS, ET APVD IOSEPHVM RARO COMMEMORATA.

num. 1. & 4018. num. 2. adnotabimus. Iubilei autem actu celebrati, nusquam (quod ego aduerterim) neque Scriptura sacra neque Iosephus expressè meminerunt: nisi quòd Iosue cap. 6. vers. 4. & 13. obiter fit mentio de septem buccinis, *quarum*, inquit, *vsus est in Iubileo*. Quibus verbis videtur non obscurè insinuari, ipsius Iubilei obseruantiam fuisse vsu receptam, saltem à temporibus Iosue, vsque ad tempus, quo liber & gesta eius postmodum siue à Samuele, siue ab aliquo alio, (vt sub annis mundi 2590. num. 4. & 2593. num. 3. probabimus) fuere conscripta: ad quod tempus memorata libri Iosue verba necessariò sunt referenda. Nam quæ ibidem narrantur, gesta sunt anno hoc primo introitus Israelis in terram Chanaan, quemadmodum infrà num. 12. patebit: quo tempore proculdubiò non poterant dictæ buccinæ in vsu esse pro anno Iubilei, quandoquidem certum est, primum Iubilei annum fuisse à memorato introitu quinquagesimum, vt numero præcedenti ostensum est. Igitur, quamuis clarum sit, ab eiusmodi Sabbaticis Iubileorumque annis parum adiumenti ad sacram Chronologiam confirmandam posse desumi; nihilominus, ne quidquam prætermissum videatur, quod ad sacrorum temporum rationem quoquomodò pertinuisse videri possit, ab hoc eodem anno primo introitus Israelitarum in Terram promissionis, Æram in nostris tabulis deducendam duximus; ex qua facile erit, omnes & singulos Sabbaticos Iubileorumque annos propriis temporibus locisque assignare, ibidemque notatos adinuenire; non quos Hebræi semper obseruauerint; sed quos, ad formam Moysaicæ Legis, obseruare debuissent. Neque id omnino erit superfluum atque inutile: quandoquidem nostram quoque temporum rationem hisce Annalibus initam, nonnihil illustrare ac confirmare poterit, si (vt res ipsa docebit) paucos illos remissionis annos, in sacra Scriptura & apud Iosephum (vt diximus) memoratos, ab ordine aliorum, qui in eadem Æra notati sunt, non discrepare, sed cum ipsorum continuata serie adamussim conuenire, ac propriis locis competere comperiemus.

AERA ANNORVM SABBATICORVM AB HOC ANNO DEDVCENDA.

¶ 4. Sed hic, postea quam de Sabbaticis Iubileorumque annis agere cœpimus, dicamus aliquid de ratione qua putari consueuerant; deinde, quonam anni tempore incipere completique solerent; & demum, quænam in ipsis obseruanda essent: ad hæc enim tria capita videntur posse reduci ferè omnia ad ipsos pertinentia. Quod attinet ad primum, Tribus modis Sabbatici Iubileorumque anni videntur potuisse computari: Vno modo, ita vt annus Iubileus semper coincideret cum septimo anno Sabbatico, diceretur que quinquagesimus, computato præcedentis Iubilei anno, quemadmodum dies Dominicus dicitur octauus, computato præcedentis Dominicæ die. Altero modo, ita septimus annus Sabbaticus, qui erat quadragesimus nonus, semper transferri soleret in annum sequentem, qui erat quinquagesimus & Iubileus, & consequenter, annus quinquagesimus septimus semper esset primus annus Sabbaticus post Iubileum; ac sic singulæ annorum centuriæ, quattuordecim præcisè annos Sabbaticos complecterentur, &, verbi gratia, septem Iubilei, hoc est anni trecenti quinquaginta, quadraginta nouem dumtaxat annos Sabbaticos continerent. Tertio denique modo, ita vt iugiter anni Sabbatici per annorum hebdomadas, & anni Iubilei seorsum per singulos annos quinquagenarios computarentur, atque hoc pacto septem Iubilei non quadraginta nouem, sed quinquaginta annos Sabbaticos complecterentur. Primus modus non leues patitur difficultates; nam sic annus quinquagesimus semper bis in supputatione assumeretur; & partitio temporum per Iubileos, non esset per annos quinquagenarios, sed per quadragenarios ac nouenarios, quod à communi sensu videtur valdè alienum. Deinde ista computandi ratio videtur aduersari Scripturæ sacræ, quæ manifestè distinguit annum quadragesimum nonum ab anno Iubilei, quem dicit esse quinquagesimum. Nam Leuit. cap. 25. cùm vers. 8. dixisset: *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem.* post pauca, videlicet vers. 10. subiungit: *Sanctificabisque annum quinquagesimum*, &c. *ipse est enim Iubileus.* vnde patet, non annum quadragesimum nonum, sed quinquagesimum fuisse annum Iubilei. Idem colligitur ex eodem Leuitici capite, vbi cùm vers. 4. præcepisset Hebræis Dominus, ne in anno septimo, qui erat Sabbaticus, agros sererent vineasve putarent; posteà vers. 11. iubet idem esse obseruandum in anno Iubilei: quòd si annus Iubilei semper incidisset in annum Sabbaticum, superflua profectò fuisset huius præcepti repetitio: ex hac ergo noua quietis indictione apparet (inquit Caietanus) annum Iubilei non fuisse septimum septimæ annorum hebdomadæ annum, hoc est quadragesimum nonum, sed ab exacto præcedenti Iubileo quinquagesimum. Contra secundum supputandi modum faciunt tria loca Iosephi superius num. 3. citata, in quibus

QVOT MODIS SABBATICI IVBILEORVMQVE ANNI SVPPVTARI POSSINT.

EXPENDITVR PRIMVS SVPPVTANDI MODVS.

EXPENDITVR SECVNDVS.

fit

fit mentio de tribus annis Sabbaticis, diuersis temporibus celebratis; & constat (vt in nostris tabulis supputari potest) à primo anno Sabbatico ad secundum qui ibidem memorantur, fluxisse annos vigintiocto; & à secundo ad tertium, annos nonaginta octo, qui omnes per septem diuisi nihil relinquunt. Ex quo fit manifestum, quòd anni Sabbatici semper eodem modo per integras annorum hebdomadas computabantur, nulla Iubileorum habita ratione: non igitur, verbi gratia, septem Iubilei, hoc est anni trecenti quinquaginta, quadraginta nouem tantummodò annos Sabbaticos continebant, sed quinquaginta. Restat itaque tertius computandi modus, quem putamus fuisse legitimum, & olim vsitatum, vt ex citatis Iosephi locis satis euidenter comprobari potest. Et hinc infertur, aliud esse metiri tempora per annos Sabbaticos, hoc est per annorum hebdomadas; & aliud per Iubileos, id est per annos quinquagenarios. Nam licet in septimo quoque Iubileo, qui trecentesimo quinquagesimo quoque anno incidebat, semper ipse Iubileus coincideret cum anno Sabbatico, de cetero numquam talis concursus occurrebat; quia primus Iubileus incidebat in primo anno, qui immediatè sequebatur ad septimum annum Sabbaticum; & secundus in secundo anno, post decimumquartum annum Sabbaticum; & tertius in tertio, post vigesimum primum annum Sabbaticum; & sic de aliis vsque ad septimum Iubileum, qui, vt dictum est, concurrebat cum quinquagesimo anno Sabbatico. Et deinde rursus ordine repetito, eodem modo in secundo, & in reliquis Iubileorum septenniis, quemadmodum successiuè in nostris tabulis adnotatum videri poterit. Vnde consequitur, Hebræos aliquando debuisse frequentiùs cessare à cultura terræ, quàm septimo quoque anno, nimirum quando annus Iubileus incidebat intra duos annos Sabbaticos: tunc siquidem octo annorum spatio, tres anni erant sabbatizandi; videlicet primus & octauus, qui erant Sabbatici; & vnus ex medius, qui erat Iubileus. Neque obstat quod dicitur Exod. cap. 23. vers. 10. & Leuitici cap. 25. vers. 3. *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesq; fructus eius, septimo autem anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini; agrum non seres, & vineam non putabis.* nam hoc intelligi debet ordinariè, nō autem quando inter duos annos Sabbaticos incideret Iubileus. Siquidem de anno Iubilei simile præceptum, nimirum sabbatizandi, dedit Dominus ibidem vers. 11. Non item his quæ dicta sunt officit, quòd neque in Sacris libris, neque apud Iosephum aut Philonem, aliósve ex antiquis, qui de rebus Iudaicis scripsere, reperiatur, Hebræos vmquam vel duobus annis coutinuis, vel tribus interpolatè, intra vnicum (vt ita dixerim) octennium sabbatizasse: quia quemadmodum suprà num. 2. probatum est, rarissimè Hebræi hanc annorum Sabbaticorum Iubileorumque legem obseruarunt, & fieri potest, vt fortasse numquam bis aut ter vnico octennio à cultura terræ cessare voluerint; ideoque nulla de hoc à Scriptoribus facta sit mentio.

REFVTATIS PRIMIS DVOBVS RECIPITVR TERTIVS.

A VERE AN AB AVTVMNO INCHOARI SOLERENT ANNI REMISSIONIS.

5. Ad id quod secundo loco discutiendum proposueramus, Primò quidem videtur dicendum, Sabbaticos Iubileorumque annos non ab Autumno, sed à Vere fuisse inchoandos: nam Iosephus 1. Antiq. cap. 4. ait Moysen ordinasse, vt Nisan, qui erat primus mensis verni temporis, esset exordium anni in his quæ ad rem diuinam pertinerent; atqui obseruatio annorum Iubilei & Sabbaticorum, qui erant veluti quidam anni festiui, proculdubiò ad rem diuinam pertinebant; ergo iuxta morem Anni sacri, à Nisan initiū sumere debebant, & ad ipsum terminari. Præterea Leuitici cap. 25. v. 20. promisit Dominus, pro anno septimo dare in anno sexto fructus triplicatos, dicens: *Quòd si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo* (subdit) *benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum; seretísque anno octauo, & comedetis veteres fruges vsque ad nonum annum; donec noua nascantur, edetis vetera.* hucusque verba Sacri textus. Ad quid igitur, obsecro, pro vnius anni Sabbatismo promittit Dominus dare fructus trium annorum? nam si annus Sabbaticus inchoari debuisset ab Autumno; nónne satis fuisset promittere ac dare anno sexto fructus duorum annorum, hoc est pro anno septimo & octauo? Ita est profectò; siquidem expleto anno septimo qui erat Sabbaticus, statim potuissent serere fructus suos inchoante anno octauo; & eosdem sub finem eiusdem met anni colligere. Ex illa ergo promissione fructuum trium annorum, videtur posse inferri, annos Sabbaticos non ab autumnali, sed à verno tempore inchoari debuisse: ac propterea necessarium fuisse, vt possent sabbatizare totum annum septimum, quòd Dominus promitteret dare eis in Autumno anni sexti tantam fructuum vbertatem, quæ sufficere posset pro reliqua medietate eiusdem anni sexti, & pro toto anno septimo & octauo, & pro prima medietate anni noni, nimirum vsque ad primam messem vindemiamque in Au-

Autumno anni noni colligendam; & ratio est, quia in Autumno anni sexti, post collectionem fructuum, non opus erat serere agros, vincásve putare, quoniam in anno septimo prohibebantur metere aut vindemiare: & quia in eodem quoque anno septimo non poterant serere aut colere terram, nihil remanebat in octauo anno metendum aut vindemiandum, nisi sponte nata, quæ vers. 5. & 11. citati capitis, meti aut vindemiari vetita erant, sed ad quotidianos tantùm necessariósque vsus, præcipuè pauperum, à quocumque paulatim colligi permittebantur. Igitur post elapsum annum septimum, tempus ordinarium serendi nouas fruges, & colendi vineas, non incidebat nisi in Autumno anni octaui: & tempus easdem colligendi, nisi appropinquante Autumno anni noni, & consequenter oportebat eos edere de fructibus anni sexti, ferè vsque ad medietatem anni noni. His tamen non obstátibus, Iosephus Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum in cap. De primo anno Sabbatico, eumdem ab Autumno auspicandum censet; & Caietanus super Leuitici cap. 25. idem sentit de anno Iubilei, quòd scilicet inciperet ab anno, vt ipse ait, agriculturæ, hoc est à tempore arandi ac seminandi terram, nempe ab Autumno. Pererius quoque lib. 1. in Genes. vbi disputat, An mundus verno tempore fuerit conditus; vtrosque nimirum tum Sabbaticos tum Iubileorum annos (idem enim de vtrisque iudicium ferri debet) ab Autumno exordiendos esse affirmat. Quibus aliisque eamdem sententiam sequentibus, nos quoque assentiri cogimur; non propter rationem Pererij, ne scilicet (vt ipse ait) fruges & prouentus terræ sexti anni, quæ mense Nisan in Palæstina maturæ ad messem non erant, prorsus perirent. Quia dato quòd dicti anni à Vere cœpissent, Hebræi post messem anni sexti non seuissent; non quia tunc id vetitum esset, sed quia frustrà quodammodò id fecissent: quandoquidem anno sequenti prohibebantur metere fructus ex satione prouenientes. Verùm ad prædictorum Auctorum opinionem sequendam, duæ potissimùm rationes me mouent. Altera est, quòd Leuit. cap. citato vers. 9. præcipit Dominus, vt mense septimo anni quadragesimi noni decima die mensis clangerent buccinis in vniuersa terra Israel, pro Iubilei denuntiatione: non enim assentire possum Abulensi & aliis dicentibus clangorem illum fuisse institutum ad lætitiam Iubilei post sex menses incepturi exprimendam; siquidem nimis præpropera videretur fuisse ista denuntiatio: sed magis reor, dictum clangorem fuisse veluti sollemnem quamdam proclamationem Iubilei, tunc primùm vel proximè incipientis, nimirum post festum Scenopegiæ, quod in exitu anni communis incidebat, vt patet Exod. cap. 23. vers. 16. & die decimaquinta eiusdem mensis celebrabatur, in recognitionem frugum de area & de torculari collectarum, vt colligi potest Deuter. cap. 16. versic. 13. tunc etenim probabile est, quòd, reconditis fructibus anni præcedentis, inciperent annos Iubilei & Sabbaticos. Altera ratio est, quia si isti anni à mense Nisan cœpissent, sequeretur, Dominum debuisse aliquando dare Hebræis in vno anno fructus quinque annorum; idque quotiescumque annus Iubileus incidisset duobus annis ante vel post annum Sabbaticum: nam, verbi gratia, si propter annum Sabbaticum, qui erat septimus, non nisi prope Autumnum anni noni poterant metere aut vindemiare, vt paulò antè probatum est; vtique si in ipso anno nono incidisset Iubileus, non potuissent metere & vindemiare, nisi in Autumno anni vndecimi; & sic ab Autumno anni sexti vsque ad Autumnum anni vndecimi, nimirum quinque annorum interuallo, necesse fuisset eos viuere de fructibus anni sexti, & de sponte natis: atqui numquam Dominus promisit dare vno anno fructus pro annis quinque, sed tantummodò pro tribus, vt suprà probatum est. Insuper post duos annos iterùm debuissent cessare à cultura terræ, propter alterum annum Sabbaticum in anno decimoquarto superuenientem, & expectare nouos fructus vsque ad tertium annum; quod Hebræis visum esset nimis durum, satísque probabiliter vereri potuissent, ne si terra illa tam sæpè diuque inculta relinqueretur, tandem sterilis aut minùs fecunda reddi posset: præsertim vineæ, quæ nisi putentur & colantur, labruscas reddunt. Sed quid dicemus ad ea quæ in contrarium adduximus? Ad dictum Iosephi respondere possumus, quòd tametsi regulariter illud verum sit, nihilominùs fallit quandoque ista regula: nam constat, Scripturam sacram interdum particulari quadam de causa, & fortasse ea quam nos sub anno mundi 2544. num. 13. adduximus, metiri festum Scenopegiæ seu Tabernaculorum (quod proculdubiò ad rem diuinam pertinebat) iuxta morem Anni communis, non autem sacri, vt patet Exod. cap. 23. vers. 16. vbi dictam sollemnitatem dicit esse celebrandam in exitu anni. Et ne quis hæsitaret de quo anno intelligeret, communine an sacro; protinus subiungit: ***Quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.*** per hoc significans annum communem, qui post colle-

ANNI SABBATICI ET IVBILEORVM AB AVTVMNO INCIPIENDI.

SOLVVNTVR IN CONTRARIVM ADDVCTA.

collectionem omnium fructuum terræ, in Autumno desinebat inchoabatque. Et idem (licet aliis verbis) traditur in eiusdem libri cap. 34. vers. 22. vbi de eodem festo dicitur: *Et sollemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*. Non igitur mirum videri debet, quòd eadem Scriptura sacra etiam annos Iubileorum atque Sabbaticos pariter ad rem diuinam pertinentes, ad formam mensuramque anni communis metiri voluerit, necessitate præsertim quodammodò cogente, ob causas à nobis superiùs allegatas. Ad locum Leuitici superiùs adductum, vbi promittit Dominus pro Sabbatismo anni septimi dare in anno sexto fructus trium annorum: dicimus eiusmodi promissionem non de quolibet anno Sabbatico esse accipiendam; sed de illo tantùm, qui immediatè ante vel post Iubileum incidebat: tunc enim duo anni successiuè erant sabbatizandi, & fructus in tertij anni initio serendi, non nisi sub eius finem colligi poterant. Et hæc illius loci intelligentia inde etiam confirmari potest, quòd promissio illa in Sacro textu non reperitur facta vbi agitur solùm de anno Sabbatico, sed posteaquam cœptum est agi etiam de Iubileo, vt patet in littera: ex quo videtur insinuari, eam ad vtrumque esse referendam, eo modo quo dictum est.

OBSERVANDA IN ANNIS REMISSIONIS.

6. Tertium caput suprà propositum, erat de his quæ in horum annorum, qui etiam Anni remissionis dicebantur, celebratione potissimùm obseruari debebant. Et videntur ea, quæ in singulis annis Sabbaticis fieri præcepta erant, ad quattuor reduci posse: videlicet Primò, vt non sererent terram, neque fruges meterent, vineásve putarent vindemiarentque, neque arborum fructus semel omnino colligerent; sed quæ sponte gigneret humus, in gratiam pauperum toto illo anno omnibus essent communia; ita vt vnusquisque, siue indigena siue aduena, tam liber quàm seruus, & tam alienus quàm fundi dominus, liberè posset his vesci; & paulatim ad victum quotidianum quæ opus essent colligere, & iumenta pecoraque sua ad quorumcumque pascua ducere. Et hæc omnia colliguntur ex Exod. cap. 23. vers. 11. & Leuit. cap. 25. vers. 4. vsque ad 9. Secundò, vt in eodem anno dimitterent seruos (si quos haberent ex Hebræis) liberos, quemadmodum præcipitur Exod. cap. 21. vers. 2. & sequentibus. Dixi, ex Hebræis: quia alienigenas seruos retinere poterant ac possidere in perpetuum, vt patet Leuit. cap. 25. vers. 44. vsque ad 47. Tertiò, vt remitterent debitoribus Hebræis debita, aduenis autem remittere non tenebantur: sic enim Deuter. cap. 15. vers. 1. legimus: *Septimo anno facies remissionem*. & post pauca sequitur: *Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit; quia annus remissionis est Domini. A peregrino & aduena exiges; ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem*. Qualiter autem hæc debitorũ seruorumque remissio facienda esset, consule citatum Leuit. caput, vbi multa in hoc genere constituuntur. Quartò demum, vt in ipsius anni septimi festiuitate Tabernaculorum, quæ celebrari incipiebat die decimaquinta mensis septimi, & ad quam conuenire tenebatur omnis Israel, legi deberet Lex Moysaica, id est liber Deuteronomij, coram omnibus vtriusque sexus & cuiussuis ætatis, quemadmodum præceperat Moyses Deuter. cap. 31. vers. 10. vsque ad 14. Porrò annus Iubilei super omnes Sabbaticos erat celeberrimus, & perfectioris remissionis. Nam etsi, quod attinet ad terræ Sabbatismum, nulla videatur inter eos fuisse differentia, vt patet conferenti præceptum de cessatione à rusticis operibus in anno Sabbatico, quod traditur Leuit. cap. 25. vers. 4. cum eo quod similiter de anno Iubilei ibidem vers. 11. iisdem penè verbis repetitum habemus: attamen quoad alia, maior in anno Iubilei fiebat remissio; quandoquidem in Sabbatico non redibant res immobiles iam venditæ ad venditorem, nisi eas pretio redimeret: in anno autem Iubilei sine pretio redibant agri & possessiones alienatæ ad pristinos dominos, vt præcipitur in eodem Leuit. cap. vers. 10. vsque ad 17. Quod ea potissimùm de causa statutum fuisse creditur, ne sortes atque hereditates singulis tribubus distributæ ac assignatæ, inter se vmquam permisceri confundive possent. Alienatio autem sub conditionibus Leuit. cap. 25. vers. 14. vsque ad 17. contentis, quæ ad temporalem fructuum potiùs quàm fundorum distractionem reduci videtur, permissa fuit in gratiam pauperum, vel eorum quos ad inopiam deuenire contingeret; vt scilicet propriæ possent egestati consulere. Item fieri poterat, vt in anno Sabbatico aliquis seruus Hebræus non manumitteretur, quia ipse nollet relinquere vxorem sibi à domino traditam, & filios ex ea genitos; vt in casu qui excipitur Exod. cap. 21. vers. 5. Qui tamen seruus in anno Iubilei, cum vxore & filiis liberi omnino dimitti debebant, si Riberæ credimus, qui lib. 5. de Templo cap. 24. num. 4. ait, quòd illa verba, quæ habentur loco Exod. citato vers. 6. *Et erit ei seruus in sæculum*. interpretari debent, ac si dictum esset: Et erit ei seruus vsque ad annum Iubilei. quia (inquit) vox Hebraica

IN QUIBUS CONUENIRET AC DIFFERRET CELEBRITAS IUBILEI ET ANNI SABBATICI.

braica *Holam*, quemadmodum notat B. Hieronymus in Epistola ad Galat. cap. 1. super illud, *Vt nos eriperet de præsenti sæculo nequam*. si scribatur sine littera vau, vt fit loco Exodi allegato, significat annum quinquagesimum; quando verò cum illa scribitur, vt in dicta Epistola, significat sæculum siue æternitatem. Prætereà, ad ostendendum quòd annus Iubilei esset (quemadmodum reverà erat) longè celebrior & sanctior annis Sabbaticis, iussit Dominus Leuit. cap. 25. vers. 9. vt sub finem anni quadragesimi noni, in festo Propitiationis, publicè sollemniterque tubarum clangore instantem Iubilei annum denuntiarent proclamarentque in vniuersa terra Israel; vt omnes sese accingerent ad sollemnitatem celebrandam, & ad legales remissionis gratias consequendas: quæ res extraordinariam excitare solebat in populis, maximè verò pauperibus, lætitiam. Et hæc proclamatio non fiebat in annis Sabbaticis, tamquam minùs sollemnibus. Erant autem istæ tubæ seu buccinæ (vt colligi potest Iosue cap. 6. vers. 6. & 13.) numero septem, & ex argento, in hunc præcipuè Iubilei vsum de mandato Moysi in deserto fabricatæ. Ceterùm, de anni Iubilei legibus, vide Iosephum 3. Antiq. cap. 10. in fine.

LOQVITVR PRIMO DOMINVS AD IOSVE.

7. Redeamus nunc ad historiam, & videamus quæ gesserit Iosue in primis sex annis sui principatus, pro adipiscenda subigendaq; Terra promissionis, quemadmodum describitur à capite 1. libri Iosue vsque ad 14. Igitur prima die mensis Nisan (vt ex sequentibus manifestum fiet) locutus est Dominus ad Iosue, præcepitque ei, vt transmisso Iordane cum omni populo suo transiret ad Chananæos, promittens se daturum eis omnem terram ad quam pergerent possidendam, intra tamen fines aliàs descriptos; nimirum à deserto Ægypti vsque ad montem Libanum (quæ erat longitudo terræ Chanaan) & aliquando etiam vsque ad Euphraten; & (quæ erat latitudo eius) à loco in quo tunc morabantur prope Iordanem, vsque ad mare Mediterraneum; idque tanta facilitate ac felicitate, vt nullus ei resistere valeret toto tempore vitæ suæ. Insuper promisit Dominus se ipsi Iosue in omnibus affuturum, quemadmodum cum Moyse fecerat, & numquam eum derelicturum: propterea non semel excitat, hortaturque ipsum, vt excusso de corde suo omni timore, viriliter agat, recolatque se esse à Deo electum, qui terram Israëli promissam non solùm vi capiat, sed etiam eamdem populo distribuat. Vt autem optimè ab ipso omnia dirigantur, & cuncta eidem prosperè cedant; grauiter ipsum monet, vt super omnia, Legem à Moyse latam diligenter custodire, & nullatenus ab ea declinare satagat; atque hac de causa volumen eius iugiter ad manus habere, illamque meditari die ac nocte curet: Iosue cap. 1. vers. 1. vsque ad 10. Hæc atque eiusmodi monita salutis, si omnes & singuli populorum Rectores hoc exemplo sibi quoque à Domino dari intelligerent, eaque accuratiùs, vt par esset, exequi studerent, profectò multò meliùs & cum ipsis, & nobiscum pariter ageretur.

MITTVNTVR EXPLORATORES IN IERICHO.

8. Eadem die necesse est ipsum Iosue clàm misisse duos exploratores in Iericho: qui ad illius vrbis Regem delati, & ab eo diligenter conquisiti, Dei prouidentia inueniri minimè potuerunt; quoniam eos Rahab meretrix, cælitus inspirata, absconderat in domo sua, & regiis apparitoribus persuaserat, vt extra ciuitatem abeuntes insequerentur. Interim verò eosdem, de metu ciuitatis ac de communi animorum consternatione edoctos, cùm adiurasset pro salute domus suæ, accepissetque ab eis funiculum coccineum, ad fenestram domus suæ pro signo appendendum, illos occultè per muros vrbis demissos in pace dimisit: qui de consilio ipsius Rahab ad montana pergentes, latitarunt ibi tribus diebus, atque ita inquitentium indagatione delusa, tandem incolumes die quinta mensis ad vesperum redierunt ad Iosue, narraueruntque ei omnia quæ sibi acciderant; & quòd præ nimio timore prostrata erat ciuitas, ita vt facile esset eam occupare. Quæ omnia non secundùm naturalem historiæ ordinem, sed per figuram recapitulationis, frequenter in Sacris libris vsitatam, descripta esse in cap. 2. Iosue, necessariò fateri debemus; ne cum B. Augustino quæst. 2. in Iosue, & Petro Comestore cap. 2. in Historia Iosue, cogamur dicere, quòd idem Iosue, qui erat Propheta, & cui paulò antè Dominus assistentiam suam pollicitus fuerat, humano ductus consilio errauerit, prædicens populum post tres dies transiturum Iordanem. Quam opinionem alij Doctores non immeritò, vt arbitror, admittere renuunt.

QVANDO DENVNTIATVS SIT POPVLO TRANSITVS IORDANIS POST DIEM TERTIVM FVTVRVS.

9. Igitur, non die prima mensis antequam missi essent exploratores, sed sequenti die post reditum ipsorum, quæ erat sexta eiusdem primi mensis, Iosue, audita eorumdem relatione, mandauit Principibus, vt transeuntes per medium castrorum, iuberent populum parare sibi cibaria, quoniam post diem tertium transituri erant Iordanem, & in-

& ingressuri Terram promissionis. Præcepit item Rubenitis & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse, vt iuxta promissionem ipsorum Moysi factam, relictis in terra possessionis sibi iam assignatæ mulieribus & paruulis ac gregibus suis, ipsi armati atque expediti transire deberent primi, & præcedere fratres suos ad bella quæ gerenda erant, donec terra Chanaan ab ipsis subacta fuisset; qui promptis animis omnes sese obtulerunt paratі, ad obediendum in omnibus ipsi Iosue, sicuti fecerant Moysi, Iosue cap. 1. vers. 10. vsque ad finem capitis. In crastinum ergo Iosue ante lucem consurgens, mouit castra, venitque cum populo, breui itinere, ad Iordanem, hoc est prope Iordanem, nempe in loco qui saltem ad bis mille cubitos aberat à Iordane, vt necessariò colligitur Iosue cap. 3. vers. 4. & in dicto loco triduo moratus est, (computata nimirum die sexta qua de Settim venerat ad Iordanem, vtpote non tota, sed modica tantùm eius parte in itinere illo insumpta) intra quod triduum, credibile est ipsum Iosue à Domino fuisse edoctum de his omnibus quæ agenda erant in transitu Iordanis, quæ breuiter commemorantur Iosue cap. 3.

VENIT POPVLVS PROPE IORDANEM, IBIQVE TRIDVO MANET.

LOQVITVR SECVNDO DOMINVS IPSI IOSVE

10. Euolutis ergo tribus illis diebus, quos prædixerat Iosue, hoc est, die mensis nona, summo manè (vt arbitror) dixit Dominus ad Iosue: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel.* qui probè intelligens consilium Domini, prædixit exiccatum iri à Domino mirabiliter Iordanem, quà populus eum erat transiturus; iussitque Sacerdotes præire populum cum Arca Domini, itinere cubitorum bis mille, id est passuum mille, (vt colligitur Numer. cap. 35. vers. 5. vbi bis mille cubiti, mille passibus æquipatantur) & vt starent in medio Iordanis cum Arca Domini, donec vniuersus populus ipsum pertransisset. Populo autem præcepit, ne in via appropinquarent Arcæ, sed eam præeuntem, viamque monstrantem, de longè aspicientes sequerentur; & vt pararent duodecim viros, singulos de singulis tribubus, qui sibi præstò essent. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis post Arcam Domini. Statim autem ac Sacerdotes, qui portabant eam, cœperunt pedibus attingere aquas Iordanis; quæ superiores erant, mirandum in modum steterunt valdè intumescentes instar montis, qui procul admodum videri poterat: inferiores verò ad Mare solitudinis decurrentes, reliquerunt alueum siccum: quem ingressi Sacerdotes vsque ad medium, ibidem morati sunt cum Arca, donec populus transiret. Cunctis verò transgressis, misit Iosue duodecim viros quos elegerant, vt singuli tollerent in humeris suis singulos lapides de medio Iordanis vbi steterat Arca Domini, collocandos in loco vbi primò posteà figerent tabernacula, in monimentum posteris suis, siccati à Deo fluminis ad transitum populi sui. Fuit autem hoc miraculum eò illustrius, quòd, vt diximus, factum est tempore messis, quando vt dicitur Ecclesiastici cap. 24. vers. 36. solebat Iordanis admodum intumescere; quod etiam hoc eodem anno contigisse, apertè traditur Iosue c. 3. vers. 15. Alios quoque duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alueo, vbi steterant Sacerdotes cum Arca Domini; quos Scriptura ait esse ibi vsque in præsentem diem; vt denotet aliud miraculum à Deo factum, quòd neque posteà maximus ille decrescentium aquarum cumulus, neque aliarum inundationum impetus, dimouere illos potuerit. His peractis, cùm transisset omnis populus Iordanem, transiuit etiam Arca Domini, præcipiente Iosue Sacerdotibus, vt eam de Iordanis alueo deferrent, qui vt primùm pedibus aridam humum calcare cœperunt, cœperunt quoque Iordanis aquæ, quæ priùs mirabiliter erectæ stabant, deinceps per alueum suum defluere sicut anteà consueuerant. Quæ omnia traduntur Iosue cap. 3. & 4.

IORDANIS IN TRANSITV POPVLI MIRABILITER EXICCATVR.

INGREDITVR ISRAEL TERRAM PROMISSIONIS.

11. Die proxima (quæ erat decima eiusdem mensis primi, quemadmodum expressum habemus Iosue cap. 4. vers. 19.) ascenderunt filij Israël de Iordane, sequentes Arcam Domini, quam præferebant Sacerdotes, vt colligitur cap. proximè citato vers. 11. Filij quoque Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, armati, quadraginta millia pugnatorum, per turmas & cuneos præcedebant reliquum populum, incedentes per plana atque campestria vrbis Iericho, vt ibidem per anticipationem dictum fuerat; ac demum castrametati sunt in agro vrbis Iericho, qui respiciebat contra Orientalem plagam ipsius. qui locus postmodum, ex causa paulò pòst assignanda, dictus est Galgala. Atque hoc pacto, post quadraginta annos itineris ab exitu de Ægypto, introduxit Dominus Israëlitas in terram patribus eorum toties repromissam, in multis signis ac prodigiis, prout suis locis hucusque retulimus. Inter quæ illud quoque non videtur prætermittendum, quòd tam longo temporum interuallo, quo per desertum circumducti fuerunt, non sunt attrita vestimenta eorum, nec calceamenta pedum vetustate consumpta, vt testatur Scriptura sacra Deuter. cap. 29. vers. 5. & 2. Esdr. cap. 9. vers. 21. vbi legi-

legimus: *Quadraginta annis pauisti eos in deserto, nihilque eis defuit* (intellige, quod ad vitam necessarium esset) *vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non sunt attriti.* (Scriptura ibi sumit contentum pro continente, pedes inquam pro calceis.) Ceterùm in Galgalis hæc acta sunt; Primò, iussit Iosue ibidem collocari duodecim illos lapides, quos de Iordanis alueo sumpserant, vt essent memoriale filiis Israel, & posteris eorum, quòd siccasset Dominus fluuium ad transitum populi, quemadmodum anteà siccauerat aquas Maris rubri, atque ita tum ipsi, tum etiam ceteri omnes terrarum populi mirabilia hæc audientes, addiscerent diuinam omnipotentiam omni tempore pertimescere: Iosue cap. 4. vers. 19. vsque ad finem. Hos lapides vsque ad sua tempora ibidem permansisse asserit B. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, & ab ipsamet Paula in Galgalis visos fuisse testatur. Iussit posteà Iosue, Domino mandante, circumcidi cultris lapideis populum qui natus erat in deserto; siquidem per totos quadraginta itineris annos nemo circumcisus fuerat. *Excusabatur autē* (inquit S. Thomas par. 3. q. 70. art. 4. ad 3.) *Hebraicus populus in deserto prætermittens circumcisionis mandatum; tum quia nesciebat quando mouenda essent castra; tum quia, vt Io. Damascenus dicit, non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere tunc, quando seorsum ab aliis populis soli per desertum ambulabant. Et tamen, vt ait S. Augustinus quæst. 6. in Iosue, inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant circumcisionem.* hactenus S. Thomas. Sanè peracta in Galgalis populi circumcisione, dixit Dominus ad Iosue: *Hodie abstuli opprobrium Aegypti à vobis.* Ideoque vocatum est nomen loci illius Galgala, quod ablationem significare perhibent: Iosue cap. 5. vers. 2. vsque ad 10.

QVAE ACTA SINT IN GALGALIS.

POPVLVS CIRCVMCIDITVR.

GALGALAE ETYMOLOGIA.

12. Porrò iste locus, qui dictus est Galgala, deinceps multo tempore apud Israëlitas valdè celebris fuit, non solùm ob ea quæ diximus de duodecim illis lapidibus ab alueo Iordanis mirabiliter exiccato sublatis, & ad perpetuam rei memoriam in dicto loco collocatis, & de vniuersali illa totius ferè populi circumcisione ibi facta; sed etiam propter alia memorabilia, quæ posteà ibidem contigisse nos infrà suis locis narrabimus, videlicet, de prima triticei panis aliarumque terræ frugum comestione post esum mannæ per annos quadraginta continuatum; item de tertio Paschate ibi celebrato, quod fuit primum in Terra promissionis factum; & prætereà de illius Angeli apparitione, qui dixit ad Iosue: *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas sanctus est.* Quæ verba, vtpote cælitus reuelata, haud immeritò sanctitatis opinionem eidem loco auxisse proculdubiò credendum est: vt fortassis hac de causa populus castra cum Tabernaculo testimonij (licet ob rationem sub anno mundi 2591. n. 1. adducendam, adhuc inuoluto & non erecto) non alibi transferenda, sed in Galgalis, tamquam in loco sancto & sub Dei protectione posito, per aliquot annos retinenda & custodienda curauerit, donec ipse sibi Chananæam subiiceret; & post multa tempora, quandò scilicet coram vniuersa Israele innouatum est regnum Saulis, magna illa celebritas, iubente Samuele, non vsquā alibi quàm in Galgalis, potissimum ob loci sanctitatem, facta sit. Verumenimuerò posterioribus deinde temporibus inuidia diaboli factum est, vt (quemadmodum tradit S. Hieronymus super Osee cap. 4) aduersæ religionis in loco celebri error inoleuerit, id est, vt ob loci celebritatem cœperint peruersi homines diabolico acti spiritu, ibi multa idola colere, ita vt vbi abundauerat sanctus veri Dei cultus, posteà abominabilis superabundauerit idololatria. Est enim hoc proprium diaboli, vt semper Deo aduersari, & diuinos honores quantum potest ab illo auertere, & sibi vsurpare, atque vbicumque diuinum cultum magis vigere aduertit, illic maiores abusus ac peiores abominationes sensim introducere moliatur. Et quia in locis Deo dicatis, præsertim insignioribus, ipse potissimùm coli exoptat, iuxta illud quod de eius primogenito, hoc est, de Antichristo, dicebat Apostolus 2. ad Thessalon. cap. 2. vers. 4. *Qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* propterea quæ in mundo sanctiora sunt loca, ea in primis ad maiorem sui gloriam, & Dei iniuriam, bonorumque perniciem polluere, profanare, & vt sibi magis quàm Deo deseruiant, per sui similes efficere numquam destitit. Possent hic plurima adduci exempla; sed quia res admodum clara est, vno tantùm aut altero ex illustrioribus contenti erimus. Recolat prudens Lector venerabilem illum locum, in quo olim Iacob cùm vidisset admirabilem illam scalam pertingentem à terra vsque ad cælum, & Angelos Dei ascendentes ac descendentes, & Dominum innixum scalæ, confirmantem sibi promissiones auo suo Abrahæ primò factas, de semine eius multiplicando, de tradenda ei terra Chanaan, & (quod caput est omnium) de benedicendis in eo cunctis terræ tribubus, statim dixit:

GALGALA PRIVS SANCTITATE CELEBRIS.

MOX FACTA EST IDOLOLATRARVM SENTINA.

Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Quàm terribilis est locus iste! non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cæli. & ideò appellauit nomen loci illius Bethel, hoc est domus Dei: Genes. cap. 28. vers. 12. & sequentibus. Nónne hunc locum sancti Patriarchæ præconio adeò celebratum, ac Dei præsentiâ sanctificatum, posteà diabolus per sacrilegum illum Ieroboamum primum Israelis Regem, ita ex sacro profanum reddidit, vt meritò deinde non ampliùs Bethel, sed Bethauen, hoc est (vt exponit S. Hieronymus super Osee cap. 4.) domus idoli dicta sit? Sed & templum Ierosolymitanum à Deo electum & sanctificatum, de quo 2. Paralip. cap. 7. vers. 12. Dominus dicebat: *Et elegi locum istum mihi in domum sacrificij*. & vers. 16. *Elegi enim & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*. nónne mox (Deo permittente propter peccata populi) per aliquot impios Iudæ Reges non semel profanatum fuit, & deinde per Antiochum Epiphanem impiissimum Syriæ Regem versum est in templum diaboli, in quo iugiter impia sacrificia per aliquot annos idolis offerebantur? Idem diximus contigisse Galgalæ. Quare non mirum est, si Osee cap. 4. vers. 15. Dominus præcipiebat Hebræis, *Nolite* (inquiens) *ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethauen*. Ratio verò cur Dominus non minùs prohibuerit ne irent in Galgala, quàm ne ascenderent in Bethauen vbi adorabatur vitulus aureus, colligi potest ex eiusdem Prophetæ cap. 9. vers. 15. vbi de idololatris loquens, ait: *Omnes nequitia eorum in Galgal*. ac si dicere voluisset, quòd iam tum Galgal, non secùs ac Bethauen, facta erat veluti sentina omnium idololatrarum. & cap. 12. vers. 11. dicitur, quòd *erant in Galgal bobus immolantes*, id est (vt ibi explicat S. Hieronymus) idololatræ, qui non diis boues, sed bobus sacrificia immolabant. Porrò quod diximus factum fuisse in Galgalis, nimirum, vbi aliquando viguerat veri Dei cultus, posteà diaboli inuidiâ culta fuisse idola; dicendum quoque est de Bersabee, in qua (vt sub anno mundi 2144. num. 3. dicebamus) olim Abraham summi rerum Conditoris cultum prædicabat: nam ibidem posteà temporibus Amos Prophetæ coli etiam idola consueuisse, iam nos sub anno mundi proximè adducto docuimus. Redeamus ad historiam.

TERTIVM PASCHA AB ISRAELITIS CELEBRATVM.

13. Die verò decimaquarta eiusdem mensis primi, fecerunt filij Israel Phase ad vesperam in campestribus Iericho: quod fuit tertium. Nam primum fecerant in exitu de Ægypto; alterum in Sinai anno secundo exitus, quemadmodum sub anno mundi 2544. num. 20. & sub anno 2545. num. 9. dictum est: posteà verò nullum aliud Phase legimus fuisse celebratum, nisi hoc quod fecerunt in Galgalis. Altera autem die quæ erat decimaquinta mensis, nimirum in illamet die, in qua ante annos præcisè quadraginta exierant de Ægypto, tamquam realem, vt dicitur, Chananææ possessionem capientes, cœperunt edere de frugibus terræ ipsius, panes azymos, & polentam illius anni; erat enim tunc, vt diximus, tempus messis: statimque ac comederunt de frugibus terræ Chanaan, cessauit manna, nec deinceps ampliùs vsi sunt cibo illo filij Israel: Iosue cap. 5. vers. 10. vsque ad 13. Ex quo patet, ipsos non annis quadraginta integris, sed vno mense minùs, comedisse man: siquidem illud à Domino dari cœperat non in ipso exitu populi de Ægypto, die scilicet decimaquinta mensis primi; sed die decimaquinta mensis secundi eiusdem exitus, quando nimirum defecit farina, quam de Ægypto tulerant, vt nos sub anno mundi 2544. num. 31. adnotauimus: cessauit autem pluere de cælo man, vt diximus, die decimaquinta mensis primi huius anni, de quo nunc agimus, qui erat quadragesimus primus a dicto exitu, & primus ab ingressu Israelis in terram Chanaan, vt patet in tabulis. Intereà exiuit fama aduentus Hebræorum in vniuersam terram Chanaan: & cùm audissent cuncti Reges qui illam & finitimas ei regiones incolebant, quòd Israelitæ non solùm iam ingressi essent in eam, sed etiam quòd ad transitum ipsorum siccasset Dominus fluenta Iordanis; perterriti sunt valdè, ac veluti de propria salute desperantes, verebantur, præsagiebantque, atque expectabant quæ posteà eis euenerunt; nimirum ciuitatum suarum vastationem, bonorum omnium spoliationem, & denique extremum gentis suæ interitum. Et hoc est quod prophetico spiritu Moyses in suo Cantico, quod habetur Exod. cap. 15. prædixerat, imprecatusque fuerat versic. 14. dicens: *Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui*, &c.

CESSAT MANNA.

CHANANÆI AVDITO HEBRÆORVM ADVENTV VALDE PERTERRITI.

14. Die, vt probabile est, eiusdem mensis circiter vigesima, cùm iam conualuissent (vt dicitur Iosue cap. 6. vers. 6.) qui circumcisi fuerant, accidit, vt existens Iosue extra

castra

castra in agro Iericho, hoc est in Galgalis, videret virum stricto gladio contra se stantem: ad quem cùm accessisset, & cognouisset esse Angelum Domini, illicò cadens pronus in terram, adorauit; & cùm ad eius imperium soluisset calceamenta de pedibus suis, ab eodem plenè edoctus fuit de modo quo capienda esset vrbs Iericho. Itaque protinus, finita visione, præcepit Iosue Sacerdotibus, vt tollerent Arcam fœderis Domini, & septem alij ex ipsis cum septem Iubileorum buccinis incederentes ante Arcam clangerent. Populo autem mandauit, vt armati omnes bellatores præcederent Arcam Domini, reliquum verò vulgus eam sequeretur; & vt taciti, ita vt neque clamor, neque verbum vllum inter ipsos audiretur, accederent ad ciuitatem, (erat autem vrbs adeò benè clausa & munita, vt nemo posset in eam ingredi vel egredi:) & denique, vt clangentibus tubis circuirent eam semel; mox redirent ad castra, quæ inde non longè aberant. Quod cùm quotidie sex diebus continuis fecissent; die septimo, diluculo consurgentes, & à Iosue de omnibus quæ ventura erant præmoniti, iterùm non semel tantùm, vt anteà, sed sex vicibus circuierunt ciuitatem; deinde proclamauit Iosue traditam esse à Domino ciuitatem, & omnia quæ in ea essent, (præter Rahab meretricem, & ad eam pertinentia) in exterminium & anathema filiis Israel; & propterea grauiter & sub interminatione diuinæ vindictæ præcepit, ne quisquam de rebus illis quidquam sibi assumere auderet, sed reliquis omnibus consumptis, quidquid auri, argenti, æris ue aut ferri reperirent, Domino consecrarent. In septimo autem ciuitatis circuitu, ad tubarum clangorem cùm, iubente Iosue, ingens quoque totius exercitus vociferatio accessisset, ecce (ò prodigium, ò miraculum!) muri ciuitatis illicò vndequaque corruerunt; ascendentesque vnusquisque per locum contra se positum, & apertum, ceperunt ciuitatem; & cuncta exterminantes, occiderunt non homines tantùm vtriusque sexus, & cuiuscumque ætatis, sed & iumenta ac pecora omnia, & ipsam quoque vrbem incendentes subuerterunt; ablato dumtaxat omni auro, argento, ære, & ferro, quæ in ærario Domini sunt reposita: educta inde dumtaxat Rahab meretrice sospite cum omnibus in domo sua existentibus; quæ posteà cum omni domo patris sui, & cuncta substantia eorum, Iosue concedente, eò quòd exploratores ipsa seruasset, læta vixit, habitauitque inter filios Israel. Et tunc Iosue maledixit viro, qui ipsam deinceps vrbem Iericho reædificare vmquam ausus esset; imprecans mortem primogenito, ac nouissimo filiorum eius, Iosue cap. 5. vers. 8. vsque ad finem, & cap. 6. per totum. Sanè ista maledictio, vel potiùs prophetica Iosue prænuntiatio, impleta fuit in diebus Achab Regis Israel, quemadmodum traditur 3. Reg. cap. 16. in fine; & nos sub anno mundi 3124. num. 2. dicemus. Et his actis, credimus Israelitas ad castra rediisse in Galgalis.

LOQVITVR TERTIO DOMINVS IOSVE PER ANGELVM.

MODVS QVO MIRABILITER CAPTA EST IERICHO.

15. Eodem anno, oportet Salmon filium Naasson duxisse Rahab meretricem in vxorem, cùm essent ambo annorum dumtaxat quattuordecim, vt sub anno mundi 2571. num. 1. terigimus, & ex his quæ infrà sub anno mundi 2748. num. 3. 4. & 5. dicemus, apparebit. Quòd si alicui fortè, non immeritò, durum videatur, ipsam Rahab quattuordecim tantùm fuisse annorum, cùm appelletur meretrix; & tanta (quæ Iosue cap. 2. narrantur, & nos suprà num. 8. breuiter retulimus) cum Israeliticis exploratoribus agere ausa sit, quæ in huiusce ætatis adolescentula, minùs verisimilia videri possunt: meminerit, facilè fieri potuisse, quòd paucis dumtaxat antè mensibus ipsa scortari cœperit; & quòd secum habuerit (vt solet, lenocinij causa, huiuscemodi feminarum genus) vel propriam matrem, vel aliam vetulam astutamque mulierem, quæ ipsam de hisce omnibus, vt ipsarum saluti consuleret, instruere curauerit. Nam alioqui necessarium videtur ponere, ipsam Rahab eiusque virum Salmon hoc tempore non prouectioris fuisse ætatis, si volumus saluare numerum earum generationum, quæ inter dictos coniugatos & ortum Dauidis in genealogia Saluatoris recensentur; quemadmodum ex his, quæ sub anno mundi numerisque proxime citatis dicenda erunt, quilibet intelligere poterit. Diximus Rahab fuisse meretricem, quia id apertè testatur sacra Scriptura Iosue cap. 2. vers. 1. & cap. 6. vers. 22. & 25. & ad Hebræos cap. 11. vers. 31. & in Epistola Catholica S. Iacobi cap. 2. vers. 25. & idem sentiunt præcipui S. Ecclesiæ Doctores; nimirum SS. Hieronymus in Procemio Commentariorum suorum in Osee ad Pamachium, & Chrysostomus Homil. 5. de Pœnitentia, Augustinus quæst. 2. in Iosue, Ambrosius lib. 2. de Virginibus, & alij. Vnde quod quidam aiunt, verbum Hebraicum *zonah*, Latinè & meretricem significare, & cauponariam, seu ciborum venditricem, nihil obstat; cùm & meretrix simul esse potuerit, & cauponaria; & magis sequenda sit versio editionis Vulgatæ, quæ semper locis citatis vocat eam meretri-

SALMON DVCIT RAHAB IN VXOREM.

RAHAB FVIT MERETRICEM.

rerricem, quàm Pagnini, qui vertit caupónariam. Et hinc manifestum est, falli Lyranum, & Titelmanum, & alios, qui putauerunt eam non fuisse meretricem, contra tot expresse sacræ Scripturæ texrus, & tot SS. Doctorum, quos citauimus, auctoritatem. Nec mirari quisquam debet, quòd Salmon, diuino vt creditur instinctu, meretricem duxerit: id enim factum putamus, vt in ipso Christi desponsatio cum Gentilitate, quæ spiritualiter cum idolis fornicata fuerat, præsignaretur: quandoquidem scimus, quòd posteà Dominus ad tale quid præfigurandum, præcepit Osee, vt & ipse meretricem duceret: Osee cap. 1. vers. 2. & 3. Ex his ergo inferri potest, Salmonem in dicto actu non peccasse. Nam licet Deuter. cap. 7. vers. 3. cautum esset, ne Hebræi cum Chananæis connubia sociarent; certum tamen est, quòd illa Lex intelligenda erat de Chananæis in idololatria permanere volentibus, vt planè indicant illa verba, quæ ibidem subiunguntur: *Quia seducet filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiat diis alienis:* non autem de his qui ad Iudaismum conuerti vellent, aut iam conuersi essent, qualis fuit Rahab, quæ præterquàm quòd de Hebræis erat valdè benè merita, etiam ipsorum religionem susceperat, apertè confitens, Deum ipsorum esse verum Deum in cælo sursum, & in terra deorsum, vt patet Iosue cap. 2. vers. 11. Ac deinceps mutata religione, mores quoque & vitam emendauit suam, casteque in matrimonio vixit. nusquam enim posteà ipsam Scriptura reprehendit de matrimoniali castitate violata.

CVR ISRAELITAE A VIRIS HAI FVGATI.

16. Post hæc misit Iosue viros qui explorarent vrbem Hai existentem iuxta Bethauen, ad Orientalem plagam oppidi Bethel; de quorum consilio cùm misisset Iosue tantummodò tria millia pugnatorum ad capiendam ciuitatem, percussi à viris vrbis Hai, ceciderunt ex ipsis triginta sex, ceteri verò turpiter fugientes, ad castra reuersi sunt. Quæ res valdè admodum perterrefecit populum, & ipsum quoque Iosue: qui statim scissis vestibus pronus cecidit ante Arcam Domini, & omnes senes Israel cum eo, vsque ad vesperam, habentes capita sua puluere conspersa. cumque orasset ad Dominum Iosue, audiuit ab eo, plagæ causam fuisse, quòd aliquis de populo clàm tulerat de anathemate vrbis Iericho: nec posse Israëlem prævalere hostibus suis, donec de medio tolleretur qui huius erat reus sceleris. Itaque, iubente Domino, applicuit Iosue Israëlem, & datis sortibus per tribus primò, deinde per familias, & domus, & singulos domus viros; inuentus est Acham filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare, de tribu Iuda; qui, fassus est se abscondisse ducentus argenti siclos, & auream regulam, & pallium coccineum; quæ omnia contra præceptum Domini concupierat abstuleratque. Iussit igitur Iosue adferri ablata, & filios ac filias, omnemque substantiam eius, & lapidauit eos populus; & cuncta quæ illius erant, prout præceperat Dominus, igne consumpta sunt: sicque auersus est furor Domini ab eis: Iosue cap. 7. per totum.

LOQVITVR QVARTO DOMINVS IOSVE.

ACHAM PRO ABLATO ANATHEMATE LAPIDATVR, ET EXVRITVR CVM OMNI DOMO SVA.

VRBS HAI CAPTA ET INCENSA.

17. His peractis, Iosue, Domino imperante, ascendit cum omni exercitu suo ad oppidum Hai; & positis post ciuitatem insidiis, ipse & qui cum eo erant fugam simulantes, Regem Hai cum omni populo suo contra se properantem, longiùs à ciuitate trahentes detinuerunt, donec qui à tergo ciuitatis latitabant, eamdem ingressi succenderunt. Vt primùm autem vidit Iosue fumum de vrbe ascendentem, acriter aggressus est hostes cognita fraude perterritos; contra quos etiam illi, qui incenderant ciuitatem, egressi pugnare cœperunt; atque ita ex vtraque parte percussi, ne vnus quidem effugere potuit. Itaque interfectis omnibus, nimirum duodecim millibus viris Hai, & suspenso Rege eius in patibulo, & vrbe incensa, Israelitæ prædam, de licentia Domini, inter se diuiserunt: Iosue cap. 8. vers. 1. vsque ad 3.

MOYSAICAE LEGIS ACCEPTATIONEM POPVLVS SOLLEMNI RITV RATAM FACIT.

18. Post captam ac direptam subuersamque vrbem Hai, Iosue memor mandati quod acceperat populus à Moyse, Deuter. cap. 11. vers. 29. & cap. 27. ac 28. de diuinæ Legis acceptatione sollemniter confirmanda in monte Hebal & Garizim, cum proclamatione coram populo, benedictionum illam obseruantibus, & maledictionum eamdem transgredientibus, appositarum; & in summa, ad formam citatis locis traditam: bonam hanc nactus occasionem, quòd scilicet aduertisset tunc maximè populum benè affectum esse erga Deum, & memorem beneficiorum eius, quæ nuper ipsis præstiterat, tot tamq; mirabilia in gratiam ipsorum perpetrando ad Iordanem, in Iericho, & in Hai. Arrepta (inquam) temporis opportunitate, conuocauit omnem multitudinem, tam Hebræorum quàm aduenarum, qui cum ipsis venerant de Ægypto, & eorum qui posteà sese eis quomodolibet adiunxerant, puta Cinæorum, de quibus sub anno mundi 2583. num. 22. dictum est, & Ierichuntinorum, qui cum Rahab meretrice in domo eius saluati fuerant; & si qui alij similiter ad Iudaismum conuersi, inter Hebræos morabantur: omnes, inquam, viros ac mulieres, cuiuscumque ætatis, ad Legis

gis obseruantiam obligatos, aduocauit Iosue de Galgalis ad montem Hebal, in quadam planitie inter duo eiusdem montis iuga existentem, quorum alterum ex ipso montis nomine Hebal, alterum verò Garizim dicebatur. Et diuiso populo pro medietate, posuit Ruben, Gad, & Aser, Zabulon, Dan, & Nephthali, secus montem Hebal alteram verò medietatem, nimirum Simeon, Leui, Iudam, Issachar, Ioseph & Beniamin, secus montem Garizim; aduenis indistinctè inter auctores conuersionis suæ existentibus. In medio autem dictæ conuallis ad modum theatri naturaliter conformatæ, Iosue cum Sacerdotibus altari (ad normam Exod. cap. 20. vers. 24. & Deuteron. cap. 27. vers. 5. traditam) de lapidibus impolitis ædificato, obtulit super eo holocausta & victimas pacificas Domino. Deinde iussit ibidem erigi ingentes lapides, & super eos prius calce læuigatos scribi Deuteronomium Moysi. Atque hos quidem lapides fuisse duodecim, pro numero tribuum Israel, satis probabiliter inde conijcit Masius, quòd Moyses huius cærimoniæ præmonstrator, totidem ad radices montis Sinai statuerat, quando Legem scriptam populo erat recitaturus; quemadmodum nos sub anno mundi 2544. num. 44. tradidimus. Post hæc, benedixit Iosue populo, illa, vt probabile est, benedictione, quam docuerat Dominus Moysen, Numer. cap. 6. in fine, dicens: *Loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Postremò mandauit Iosue Leuitis, vt clara & alta voce, quæ à populo exaudiri posset, pronuntiarent singulas maledictiones locis Deuteronomij citatis registratas, & in fine vniuscuiusque, qui erant ad latus montis Hebal, omnes vna voce responderent: Amen. & deinde eodem modo benedictiones; ad quarum singulas, qui erant ex parte montis Garizim, pariter approbantes, responderent: Amen. Atque ita adamussim, vt præceperat Moyses, Iosue procurante, denuò instaurata, stabilita, confirmata ratificataque fuit ab vniuersa multitudine Moysaicæ Legis acceptatio; illius inquam Legis quæ ibidem pariter ad totius populi commodum dilucidè patenterque in lapidibus descripta fuerat: Iosue cap. 8. per totum. Et his expletis, oportet ipsum Iosue cum vniuerso populo rediisse ad castra in Galgalis, vt colligi potest cap. eiusdem libri 9. vers. 6. & cap. 10. vers. 6. & 43.

19. Vt autem auditum est & vulgatum in terra Chanaan, quòd Hebræi iam cepissent duas vrbes Chananæorum, Iericho scilicet & Hai, & omnes habitatores earum cum suis Regibus occidissent: cuncti reges Chananæi cis Iordanem, vbi tunc etiam erant Israelitæ, existentes, tam qui in montanis regnabant, quàm qui in campestribus & in littore maris Mediterranei, & prope montem Libanum, omnes inquam cum suis populis Hethæis, Amorrhæis, Pherezæis, Heuæis, Iebusæis, & ceteris, per litteras & nuntios, vt benè notat Abulensis, conspirarunt, vt pariter congregati pugnarent aduersus Iosue & Israelem: Iosue cap. 9. vers. 1. & 2. Sed, Deo ad fauorem Hebræorum ita disponente, nescio qua particulari de causa, vel quonam impedimento distenti, huius conspirationis executionem aliquamdiu distulerunt; nisi fortè, quia qui longiùs aberant, tamquam à periculo magis remoti, vt fit, segniores fuerunt; quod sæpenumerò accidit iis, qui non nisi ex propria præsentique vtilitate res metiri solent. Interim autem Gabaonitæ, quibus tamquam Israeli vicinioribus, meritò magis timendum erat, vt rebus suis quantocyùs consulerent, miserunt ad Iosue in Galgalis legatos, qui callidè simulantes se de regione admodum remota venire, petentes pacem, & inire fœdus cum populo Israel, ita prudenter se gesserunt, vt quod præcipuè quærebant, ac sibi ciuibusq; suis maximè exoptabant, nimirum saltem vitæ securitatem, ab ipso Iosue iurata principum pollicitatione firmatam obtinuerint. At verò detecta triduo pòst fraude, & cognita vrbium ipsorum vicinitate, Iosue, audita eorumdem excusatione, quòd scilicet timore compulsi, vt animabus suis prospicerent, ita cum eo agere coacti fuerant; recepit quidem eos in deditionem, & vitam iureiurando promissam eisdem conseruandam statuit: verumtamen, vt murmur populi compesceret, in pœnam deceptionis eos ad ligna cædenda, aquasque Israelitarum vicè in domum Domini comportandas, perpetuo famulatu condemnauit: Iosue cap. 9. per totum. Et hi sunt, qui posteà Nathinæi appellati fuerunt, quorum nos sub anno mundi 2545. num. 13. & latiùs num. 15. meminimus.

REGES CHANANÆI CONSPIRANT CONTRA ISRAELITAS.

GABAONITAE AB ISRAELITIS CALLIDE PACEM IMPETRANT.

DE NATHINÆORVM INSTITVTIONE.

20. Hæc cùm audisset Adonisedec Rex Ierusalem, scilicet Hebræos non solùm cepisse subuertisseque duas Chananææ vrbes, Iericho & Hai (quod anteà cognouerat) sed etiam nouissimè in deditionem accepisse Gabaonitas & vrbes eorum, videlicet Gabaon, quæ erat primaria, & Caphita, & Beroth, & Cariathiarim (istæ enim vrbes

non valdè distabant ab Ierusalem, vt colligi potest Iosue cap. 18. vers. 14. & 25. & sequentibus, vbi prædictæ vrbes cum vrbe Ierusalem ponuntur in tribu Beniamin, excepta Cariathiarim, quæ licet esset in tribu Iuda; erat tamen in confinio Beniamin; quemadmodum econuersò Ierusalem, licet esset in tribu Beniamin, erat tamen confinis tribui Iuda (proptereà sibi suisque timens Adonisedec, iuxta illud quod posteà Lyricus Poëta Epistolarum lib. 1. epistola ad Lollium eleganter metro cecinit, inquiens:

Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet. cogitauit appropinquans, si posset, incendium extinguere. Itaque conuocatis in auxilium quattuor aliis Regibus, nempe Oham Rege Hebron, & Pharam Rege Ierimoth, & Iaphia Rege Lachis, & Dabir Rege Eglon, cœpit oppugnare Gabaon. At verò Iosue admonitus rogatusque à Gabaonitis, assumpto fortissimorum virorum exercitu, & cum eo tota nocte ascendens de Galgalis, vbi reliquerat qui castra gentemque imbellem custodirent; derepentè hostes aggressus, irruit aduersus prædictos quinque Reges; & dissipatis eorum exercitibus, solutaque obsidione, persecutus est illos vsque Maceda; vbi cùm audisset latitare dictos Reges in quadam spelunca, præcepit aduolui saxa ingentia ad os speluncæ, & relicta ibi custodia, iussit exercitum persequi fugientes, donec ad internecionem consumerentur. Qua in pugna, duo mirabilia fecit Dominus ad Israelitarum fauorem. Primò namque pluit magnos crebrosque lapides de cælo super hostes Israel; ita vt plures fuerint quos interfecit illa horribilis grando, quæ ventis glomerata magno impetu super eos agebatur; quàm quos vorauit Israelitarum gladius. Alterum, idque multò mirabilius, quòd ad imperium Iosue steterunt Sol & Luna in medio cæli, spatio vnius diei, donec vlcisceretur se Israel de inimicis suis: *Obediente* (inquit Scriptura) *Domino voci hominis, & pugnante pro Israel*. Dicitur autem Deus obedisse voci hominis; quia (vt benè locum istum exponit Card. Bellarminus in libello de Ascensione mentis in Deum Gradu 11.) fecit vt voci hominis dicta obedirent luminaria. Nam non propriè illis locutus est Iosue, qui vtique sciebat, ipsa mandatum suum audire non posse; sed precatus est Dominus, & subinde tamquam ex ipsius Domini mandato dixit: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon*. & sic dicitur Deus obedisse voci hominis, id est, exaudisse orationem Iosue, & fecisse vt dicta luminaria obedirent voci hominis. Sæpè enim in Sacro eloquio dicitur Dominus facere ea, quorum causa est vt fiant. sicuti quando Genes. cap. 22. vers. 12. dixit ad Abraham: *Nunc cognoui quòd times Deum*, id est; Nunc feci vt cognosceretur à te & ab aliis, quòd verè timeas Deum. Tale portentum aliàs item accidisse in gratiam vnius ex posteris Selæ filij Iudæ, iam sub anno mundi 2300. num. 1. adnotatum est; & aliud item in signum Ezechiæ Regi Iuda, sub anno mundi 3322. num. 6. dicemus. His quodam modo contrarium, sed non minùs admirandum prodigium accidit tempore passionis Christi, quando (vt nos sub anno mundi 4084. num. 22. dicemus) *facta sunt tenebræ super vniuersam terram*. Tunc enim Luna, quæ erat maximè distans à Sole, non quidem mirabiliter stetit; sed rapidissimo cursu, sub sole mirabiliter cucurrit, vt tenebras in terra faceret. Et post tres horas, eadem mirabili velocitate, illicò ad locum vnde venerat, rediit; quemadmodum se obseruasse tradit S. Dionysius Areopagita in Epistola ad Polycarpum. Purrò priora duo quæ retulimus mirabilia ad fauorem ipsius Iosue facta, honorificè etiam memorantur Ecclesiastici cap. 46. versic. 5. illis verbis: *An non in iracundia eius impeditus est Sol* (nimirum à cursu suo) *& vna dies facta est quasi duo? Inuocauit Altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis, virtutis valdè fortis*. hæc citatus liber. Postremò, cùm reuersus esset populus ad castra bellatorum, quæ posuerat Iosue prope Maceda, recordatus quinque Regum, quos in spelunca concluserat; iussit eos Iosue adduci coram se, & colla eorum, toto exercitu inspectante, principum pedibus calcari; mox eosdem in patibulis suspendi, ac demum occumbente Sole deponi, atque in eadem spelunca, in qua latitauerant, proiici, & os speluncæ saxis ingentibus obstrui: Iosue cap. 10. v. 1. vsque ad 28. Verùm quòd attinet ad tria illa, quæ in Sole diximus accidisse portenta; sciendum est, illud inter ipsa differe, quòd in primo & secundo Sol stetisse dicitur; in tertio autem, retrocessisse. Item, quòd viuente innominato illo Selæ postero, num Sol paruùm multúmve steterit, scire non possumus, Scriptura sacra nihil indicante, nisi quòd ipse stare fecit Solem: 1. Paralip. cap. 4. vers. 21. Temporibus autem Ezechiæ, constat diem decem horarum spatio fuisse productum: siquidem 4. Reg. cap. 20. vers. 11. & Isaiæ cap. 38. vers. 8. legimus, vmbram in horologio (subintellige solari) Achaz decem lineis seu gradibus retrocessisse. At verò imperante Iosue, oportet aliquanto lon-

IOSVE PRO GABAONITIS FELICITER PVGNAT CONTRA QVINQVE REGES.

MIRABILIS GRANDO DESCENDIT SVPER HOSTES ISRAELIS.

IOSVE SOLIS AC LVNAE CVRSVM MIRABILITER SISTIT.

longiori tempore Solem à suo cursu fuisse impeditum ac firmatum: nam Iosue cap. 10. vers. 13. expressè traditur, quòd non fuit anteà nec posteà tam longa dies. Et ibidem paulò suprà iam dictum fuerat: ***Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere*** (hoc est, motum suum retinuit) ***spatio vnius diei.*** Quod etiam confirmant citata Ecclesiastici verba, attestantia diem illum factum esse quasi duo. Ex quibus omnibus planè elicitur, mendum, nescio quo modo, apud Ludouicum Granatensem, in Introductionis suæ ad Symbolum parte 3. dialogo 4. vltra medium, irrepsisse, vbi ait, quòd Iosue Solem in medio cæli trium horarum spatio stare fecit. Herodotus lib. 2. aliquanto ante finem, aliàs in Sole eiusmodi prodigia visa esse narrat, dicens, Quater Solem præter consuetudinem fuisse ortum: bis quidem illinc exortum vbi nunc occidit; bis autem vnde nunc oritur, illic occidisse; nec tamen sub hæc aliquid in Ægypto esse im mutatum: non ea quæ è flumine ipsis proueniunt, non ea quæ circa morbos, aut quæ circa mortes eueniunt. Hæc ille. Sed vtrùm huic Auctori, qui multa fabulosa in suis Historiis (vt nos sub anno mundi 3456. num. 3. probabimus) intexere solet, hac in re plena fides adhiberi debeat, iudicium sit prudentis Lectoris. Redeamus ad institutum.

21. Occisis hisce Regibus, & contritis eorum exercitibus, conuertit se Iosue ad oppugnandas vrbes, ad quas nonnullos ex fuga euasisse intellexerat; opportunum ducens eas quantocyùs inuadere, priusquam se colligerent, nimirum certus, eas tunc tantâ fuorum clade admodum esse perterritas, atque ideò ad resistendum minùs audaces. Itaque primò aggressus Macedam, tamquam sibi magis proximam, eam vnico die expugnauit, & omnes cum Rege eius interfecit. De Maceda postmodum transiuit cum omni exercitu suo in Lebna, & oppugnabat eam: quam cùm tradidisset Dominus in manu Israel, interemerunt Regem eius, & omnes in ea habitantes, nemine penitus reseruato. Duxit deinde copias in Lachis, quam biduo oppugnatam cepit, percussitque omnes quos repertt in ea. Et insuper interfecit Horam Regem Gazer cum omni pupulo suo, qui venerant in auxilium Lachis. Quibus delens, venit Iosue in Eglon, & circumdata vrbe, vno die expugnauit eam; & occisis cunctis habitatoribus eius, ascendit in Hebron; & capta vrbe, cunctisque oppidis regionis illius, omnes quos reperit, gladio peremit: mox reuersus in Dabir, fecit similiter, vastata vrbe, & ad solitudinem tota illa regione redacta: Iosue cap. 10. vers. 28. vsque ad 40. Et quod hîc dicitur de expugnatione Hebron & Dabir, per recapitulationem repetitum habemus cap. 11. vers. 21. vbi additur, quòd idem Iosue interfecit Enacim de montanis Hebron & Dabir, &c. & post pauca subiungitur, quòd ipse Iosue nullum de stirpe Enacim reliquit in terra filiorum Israel, exceptis his qui in Gaza, Geth, & Azoto relicti sunt: siquidem hæ ciuitates, viuente Iosue, ab Israelitis non fuerunt expugnatæ: & credendum est, ad has transfugisse tres illos de stirpe Enacim, quos posteà interfecit Caleb, vt infrà sub anno mundi 2590. num. 4. dicemus. ***Percussit ergo Iosue***, pugnante Deo pro Israel, ***omnem terram montanam, & meridianam, atque campestrem, & Asedoth cum Regibus suis, à Cadesbarne vsque Gazam; & omnem terram Gosen vsque Gabaon; vniuersosque Reges, & regiones eorum, vno impetu cepit, atque vastauit:*** Iosue cap. 10. vers. 40. vsque ad finem capitis. Quæ postrema verba, nimirum ***vno impetu***, non ita accipienda sunt, ac si breuitatem temporis, quo hæc omnia acta sunt, importare velint: quandoquidem capite sequenti vers. 18. legimus, quòd ***multo tempore pugnauit Iosue contra Reges istos***. Et loquitur ibi vniuersaliter, & breuiter repetendo, de omnibus Regibus terræ Chanaan non tantùm Aquilonaribus, de quibus paulò pòst dicemus; sed etiam de Australibus, quorum hucusque meminimus, vt planè indicant illa verba, quæ ibidem subiunguntur: ***Non fuit ciuitas quæ se traderet filiis Israel, præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon***, &c. certum est autem, quòd Gabaon magis ad Australes Chananæorum ciuitates pertinebat. Præterea, non videtur credibile, neque fieri potuisse, vt tot vrbes, atque adeò inter se distantes, vnico impetu ab eodem duce exercituque capi potuerint. Quare illud, ***vno impetu***, vel hyperbolicè dictum est; vel idem significat, ac si diceretur, Eodem impetu, hoc est, eadem virtute, eadem vi atque strenuitate; vel etiam, vt alij interpretantur, vnica & quodammodò continuata excursione seu expeditione, sine vlla vllu in loco longioris moræ interpolatione. Et his gestis reuersus est Iosue cum omni exercitu ad locum castrorum in Galgala, vt habetur Iosue cap. 10. in fine.

EXPVGNAT PERMVLTAS CHANANÆORVM VRBES, VIDELICET MACEDAM, LEBNAM, LACHIS, GAZER, EGLON, HEBRON, DABIR.

VERBA LIBRI IOSVE EXPLICANTVR.

22. Post hæc Iabin Rex Asor, quæ erat ciuitas munitissima, & principatum tenens inter omnes alias vrbes & regna illius regionis, cùm audisset quæ fortiter gesserat Iosue in tota Meridionali plaga terræ Chanaan, misit ad omnes Reges Aquilonares in cun-

ctis

ctis Chananææ regionibus, tam montanis quàm campestribus, & ad mare Mediterraneum, & ad lacum Cenereth, qui posteà Mare Galilææ dictus est, habitantes; & vsque ad radices montis Hermon in terra Maspha; & in summa, omnes qui tunc superetant in tota terra Chanaan Reges, iuxta conspirationem inter ipsos anteà factam, congregauit in vnum, cum curribus & equitibus, & propè infinita militum multitudine, ad aquas Merom, vt pugnarent contra Israel. Quæ audiens Iosue, confortatus à Domino, venit cum omni exercitu suo aduersus memoratam Chananæorum multitudinem, & continuò irruit super eos; tradiditque illos Dominus in manus Israel, qui percussit eos plaga magna, & fugientes persecutus est vsque ad terminos Aquilonares terræ Chanaan, videlicet vsque ad Sidonem magnam in littore Mediterranei existentem, & vsque ad aquas Maserephoth, campumque Maspha, qui erat ad Orientalem illius partem; & occisis omnibus, equos quoque ipsorum subneruauit, currusque combussit, quemadmodum præceperat Dominus. Reuersus deinde, cepit Asor, & Regem eius cum populo suo interfecit; & omnes per circuitum ciuitates, Regesque ipsarum, vi captos percussit atque deleuit: omnem verò prædam vrbium prædictarum Israelitæ inter se diuiserunt: Iosue cap. 11. vers. 1. vsque ad 19. atque hoc pacto totam terram Chanaan subdiderunt sibi, cunctis habitatoribus interfectis (sicuti præceperat eis Dominus Deuter. cap. 7. vers. 2. & cap. 25. in fine) præter Gabaonitas, quos, vt suprà num. 17. dictum est, in deditionem receperant. Vnde patet, Iosue cap. 11. vers. 19. non esse legendum, vt plurima habent exemplaria, *Non fuit ciuitas quæ se non traderet filiis Israel, præter Heuæum qui habitabat in Gabaon*: sed oportet legere (vt habet editio Vulgata Romæ anno salutis 1593. edita) *Non fuit ciuitas quæ se traderet, &c.* alioqui non benè possent illa verba cohærere cum sequentibus: nam continuò subditur, *Omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.* hucusque Sacer textus. Ex quo manifestè infertur, quòd si reliquæ vrbes bellando captæ sunt, ergo non se vltrò tradiderunt; & consequenter non possumus dicere, alias vrbes sese tradidisse Israeli, præter Gabaon; cùm econtratiò constet, solos Gabaonitas sese dedisse in potestatem Hebræorum, ceteras verò Chananæorum vrbes omnes ab Hebræis vi captas subuersasque fuisse, vt suprà dictum est; & attestatur catalogus Regum sub Iosue occisorum, qui habetur Iosue cap. 12. vers. 7. vsque ad finem. Ceterùm, subacta à filiis Israel vniuersa terra Chanaan, cessatum esse à præliis, expressè traditur Iosue cap. 11. in fine.

IOSVE PVGNAT FELICITER CONTRA CHANANAEOS.

ET OMNEM TERRAM CHANAAN SIBI SVBIGIT.

QVAEDAM IOSVE EXEMPLARIA QVOMODO CORRIGENDA.

¶ 23. Sed antequam progrediamur, liceat obsecro nobis hîc tantisper immorari, & intueri diuinam in tradenda Hebræis terra Chanaan rerum dispositionem, & modum ordinemque procedendi, humanæ imbecillitati subleuandæ ac prouehendæ valdè accommodatum. Nam quis nesciat, potuisse illicò Deum (si ita expediens fuisset) vno, vt sic dixerim, temporis momento cunctos exterminare Chananæos, & terram eorum omnino vacuam liberamque Israëlitis possidendam relinquere? Placuit nihilominus Domino id paulatim & per aliquot incrementa præstare: nimirum, vt per crebras Chananæorum clades quotidie augescentes, illos ad pœnitentiam prouocaret; & per successiuas Hebræorum victorias, manifesto Dei auxilio partas, eosdem ad ipsius Dei amorem cultumque ipsis præstitutum, magis magisque inflammaret. Non vnica igitur congressione Chananæos Dominus propria regione spoliauit, & Hebræos promissa hereditate donauit: sed quemadmodum aquila prouocat ad volandum pullos suos, sic complacuit Domino ad præliandum erudire populum suum, & ad maiores indies progressiones faciendas excitare atque animare. Proptereà priùs aduersus singulares quosdam Reges ipsum dimicare fecit, quibus sigillatim superatis, eumdem contra plures simul collectos bellare feliciter voluit; & denique ei de reliquis omnibus Chananæorum Regibus in vnum conglobatis, vno prælio gloriosam valdè contulit victoriam. Volens per hoc cunctis innotescere, quòd & impios Deus non sine clementia punit, (lento etenim gradu diuina procedit ira) & pios, non nisi per multos labores diuino fauore directos, de virtute in virtutem progredientes, ad perfectionis statum perducit, ac per quosdam veluti saltus exaltare solet. Quod etiam quodammodò indicare voluisse videtur Apostolus ad Rom. cap. 8. vers. 30. illis verbis: *Quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Vtinam quod cum Hebræis illis typicè actum est (*hæc* enim, vt dicitur 1. ad Corinth. cap. 10. vers. 11. *in figura contingebant illis*) id nobiscum spiritualiter agatur; vt per multos vitæ præsentis agones, & per crebras de nostris vitiis ac de maligno humani generis hoste

CVR DEVS NON VNICO PRAELIO SED MVLTIS CHANANAEOS AB HEBRAEIS CONTERI VOLVERIT.

hoſte victorias, illam viuentium terram, hoc eſt cæleſtem hereditatem, nobis Dei gratia repromiſſam, ipſo adiuuante conſequi valeamus.

24. Ceterùm Ioſue, cùm aduerſus Chananæorum Reges populoſque multo tempore decertaſſet, vt dicitur Ioſue cap. 11. verſ. 18. id eſt ſex circiter annorum interuallo, quemadmodum nos ſub anno mundi 2590. num. 1. oſtendemus; eſſetque ſenex, nimirum iam ingreſſus centeſimum ſeptimum vitæ annum, vt apparet in tabulis; accepit à Domino præceptum de diuidenda terra, quæ erat cis Iordanem, nouem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe: Ioſue cap. 13. verſ. 1. vſque ad 8. nam tribui Ruben & Gad, & alteri dimidiæ tribui Manaſſe, iam Moyſes aſſignauerat poſſeſſionem trans Iordanem, quemadmodum ſub anno mundi 2583. num. 24. dictum eſt. Sed antequam de diſtributione à Ioſue facta aliquid dicamus; quoniam de prænotatis Hebræorum victoriis, ac de ipſa terræ diuiſione vniuerſaliter breuiterque meminit Pſalm. 77. illis verbis: *Et eiecit à facie eorum gentes, & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.* & S. Lucas Actorum cap. 13. verſ. 19. referens verba S. Pauli dicentis: *Et deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum.* videndum eſt, quid ſeptem gentium ſignificatione accipiendum ſit. Nam licet ſeptenario numero (vt ſcribit B. Gregorius Homil. 33. in Euangelia) nonnumquam in Sacro eloquio vniuerſitas deſignetur, ideoque per ſeptem illas gentes, viderentur quodammodò poſſe intelligi omnes illæ nationes, quæ ex progenie Chanaan, cui maledixerat Noë, deſcendetunt, ab Iſraëlitis fuiſſe deſtructas: attamen quia conſtat, Hebræos, vt etiam aſſerunt Euſebius & B. Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis, numquam potuiſſe exterminare Sidonios, qui à Sidone primogenito ipſius Chanaan exorti erant, quemadmodum ſub anno mundi 1931. num. 34. diximus; habitabantque (vt colligitur Ioſue cap. 19. verſ. 28.) in confinio tribus Aſer: neque vſpiam legimus, quòd Hebræi deſtruxerint Aracæos, Sinæos, & Amathæos, qui pariter erant de ſtirpe Chanaan, vt à nobis loco citato oſtenſum eſt: idcircò neceſſe videtur fateri, vel per ſeptem illas gentes vniuerſaliter accipiendas eſſe, non omnes nationes ex Chanaan progenitas, ſed omnes illas, quæ habitabant terram Iſraelitis à Domino promiſſam: vel tantummodò illas ſeptem, quæ commemorantur Deuter. cap. 7. verſ. 1. & Ioſue cap. 3. verſ. 10. & cap. vlt. verſ. 11. nempe Chananæos, Hethæos, Heuæos, Pherezæos, Gergeſæos, Amorrhæos, & Iebuſæos, tamquam inter ceteros Chananææ habitatores primatum tenentes; de quibus ſingulis ſub anno mundi proximè allegato egimus à num. 34. vſque ad 43. vbi etiam, videlicet num. 42. diximus, Chananæorum vocabulo (quod aliàs nomen eſt genericum, & commune cunctis nationibus à Chanaan propagatis) neceſſariò debere accipi vnam particularem & præcipuam gentem ab aliis diſtinctam, quæ ab aliquo alio filio Chanaan innominato progenita ſit, & ſpeciali aliqua de cauſa, nobis occulta, ab ipſo Chanaan denominata fuerit: niſi fortè Chananæorum nomine quis mallet accipere Philiſthæos, vt fieri videtur Ioſue cap. 13. verſ. 3. vbi hæc habentur: *A fluuio turbido qui irrigat Aegyptum, vſque ad terminos Accaron contra Aquilonem; terra Chanaan, quæ in quinque Regulos Philiſthiim diuiditur, Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos, & Accaronitas.* Verùm iſti potiùs Chamæi dicêdi eſſent, eò quòd non de Chanaan, ſed de Cham, ex filio eius Meſraim, eos eſſe exortos, nos ſub anno mundi paulò antè citato num. 32. probauerimus: vnde loco Ioſue proximè adducto non ipſi appellantur Chananæi, ſed terra quam ipſi habitabant, dicitur terra Chanaan; nimirum quia eam priùs incoluerant Heuæi, qui inde poſteà à Philiſthæis, quos Scriptura ſacra Cappadoces appellat, pulſi fuerant, vt dicitur Deuter. cap. 2. verſ. 23.

IOSVE ACCIPIT PRAECEPTVM DE TERRA ISRAELITIS DIVIDENDA.

DE SEPTEM GENTIBVS IN TERRA CHANAAN AB ISRAELE DESTRVCTIS.

5

AB ORBE CONDITO ANNVS 2589.	QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 46.

1 SVB finem anni ſexti introitus Hebræorum in terram Chanaan, vt primùm (ſubacta terra) ceſſatum eſt à præliis, antequam cœpiſſet fieri terræ diuiſio, quam ſequenti anno factam eſſe paulò pòſt oſtendemus; credimus Iſraelitas ante omnia ſepelire voluiſſe in Sichem oſſa Ioſephi, quę de Ægypto aſportauerant, vt notatur Ioſue cap. vlt. verſ. 32. ibique exequias ritu tunc temporis vſitato, ac ſollemni admodum pompa celebraſſe. Nam licet neque loco Ioſue citato, neque alibi in Sacro eloquio dictæ humationis exequiarúmve tempus notatum inueniatur: probabile tamen videtur, huiuſcemodi pietatis officium, ad quod etiam iureiurando adſtricti fuerant, ſtatim

DE HVMATIONE OSSIVM IOSEPHI, QVANDO ET VBI FACTA.

poſt

post terrę acquisitionem, non fuisse neglectum aut dilatum; sed cõmuni omnium con-
sensu & magna animorum promptitudine fuisse pręstitum. Puto etiam eadem Iosephi
ossa in ea Sichimorum agri parte condita esse, vbi erat prædium illud, quod olim ante
partem dederat Iacob eidem filio suo Ioseph, vt habemus Genes. cap. 48. in fine, & in
Euangelio Ioan. cap. 4. vers. 5. Solebant enim veteres suorum cadauera in suismet pos-
sessioiubus humare. Nec refert, quòd tunc nondum facta esset terræ diuisio, & conse-
quẽter adhuc incertũ esset, cui tribui Sichem obuenire posset: quia, vt benè notat Ma-
sius in calce Commentariorum suorum in Iosue, licet Iosephi posteris alia regio obti-
gisset, nihilominùs hunc etiam illi agrum omnimodis habuissent, tamquam ipsis ante
sortes vi testamenti paterni debitum. Credibile item est, (vt multis placet, & colligi po-
test Actorum cap. 7. vers. 16. & ex B. Hieronymo in Epistola 101. ad Pammachium De

DE SEPVLTVRA FRATRVM IOSEPHI.

optimo genere interptetandi) Israelitas eodem quoque tempore ibidem, hoc est in Si-
chem, simul sepelisse ossa reliquorũ duodecim Patriarcharum, quę pariter à filiis Israel
in exitu de Aegypto asportata fuisse, sub anno mundi 2544. nu. 20. diximus. Nam licet
Iosephus 2. Antiq. in calce capitis 4. scriptum reliquerit, illa in Hebron fuisse condita:
attamẽ cum Pererio super Genes. cap. 23. satis rationabiliter putamus, priùs humata in
Sichem, posteà verò de Sichem in Hebron esse trãslata: nec propterea desiisse etiam de-
inceps in honore haberi primum eorum sepulchrum, quod diximus fuisse in Sichem,
& vsq; ad tempora B. Hieronymi (vt ipsemet vbi suprà asserit) honorabarur: non qui-
dem quòd ibi etiam tunc illa corpora condita essent, quemadmodum idem S. Doctor
credidisse videtur; sed quòd aliquamdiu ibidem permansissent. Sic nunc quoque Me-
diolani videmus apud S. Eustorgium coli sepulturam sanctorum trium Magorum, qui
ad Christum infantem in Bethleem adorandum stella duce venerunt: tametsi constet
eorumdem corpora inde Coloniam posteà fuisse translata.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2590. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 47.

DIVISIO TERRAE PROMISSAE QVANDO FIERI COEPERIT.

1 ANNO septimo ab introitu Israelitarum In terram Chanaan, circa medieta-
tem mensis quarti, oportet cœptam esse diuisionem terræ cis Iordanem, no-
uem tribubus & dimidiæ à Iosue factam: nam, vt legimus Iosue cap. 14. vers. 6.
vsque ad finem capitis, Caleb annos natus octogintaquinque, post annos quadragin-
taquinque ex quo à Moyse missus fuerat de Cadesbarne ad explorandam terram, ac-
cessit cum filiis Iuda ad Iosue in Galgalis, petiitque & obtinuit ab eo Hebron in pos-
sessionem. Oportet autem hos annos quadragintaquinque expletos esse circa medie-
tatem mensis quarti huius anni septimi eiusdẽ introitus: nam sub anno mundi 2545.
num. 64. diximus missos fuisse dictos explotatotes circa medietatem quarti mensis
anni secundi ab exiru de Ægypto; & tunc erat Caleb annorum quadraginta, vt ipse-
met testarur capite Iosue citato vers. 7. Vnde illud quod ex hoc Scripturæ loco colli-
git Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 11. videlicet, ipsum Iosue septem
insumpsisse annos in subiicienda terra Chanaan; saluari non potest, nisi accipiendo
septem annos incompletos, nimlrum quòd sex annis & tribus circiter mensibus cum
dimidio illam subiecerit. Quamquam ego potiùs crediderim, sex ferè annis eam
fuisse subiugatam, & quattuor postremos menses vsque ad tempus memoratæ petitio-
nis à Calebo factæ, partim in exequiis duodecim Patriarcharum, de quibus sub anno
mundi præcedente num. 1. egimus; partim in reducendo exercitu in Galgalis, & tot
Regum tantarumq; vrbium spoliis ad castra comportandis; & partim item in tam in-
5 genti præda inter ipsos diuidenda, fuisse insumptos. Fallitut itaque Iosephus lib. 5.
Antiq. cap. 1. vbi ait diuisionem terræ cœptam esse exacto quinto anno post transmis-
sum Iordanem. Enimuerò Iosepho imposuit diuina illa comminatio, vel potiùs sen-
tentia ab eodem non benè petcepta, quæ lata fuetat Num. cap. 14. vers. 33. & sequen-
tibus, contra Israëlitas, in pœnam pessimæ illius murmurationis quæ facta est in Ca-
desbarne, quando (vt patet ex his quæ sub anno mun. 2545. num. 65. dicta sunt) iam
transierat annus vnus & menses ferè quinque ab exitu de Ægypto: tunc enim dixit
Dominus populo: *Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta.* & post pauca: *Et
quadraginta annis recipietis iniquitates vestras.* Si enim reuerà ab hac condemnatione
ad introitum Israëlis in terram Chanaan, transissent anni quadraginta integri; procul-
dubiò sequeretur, terræ diuisionem cœpisse post quinque annos à transmisso Iordane,
& insuper item consequeretur, Israëlem mansisse in deserto annis ferè quadraginta
duobus.

duobus. At nos ſub anno mundi 2583. num.36.ex pluribus Scripturæ locis demonſtrauimus,populum non niſi quadraginta præcisè annis moratum eſſe in deſerto: & loco Numer.citato,vbi dicitur filios Iſrael vagaturos annis quadraginta in deſerto, Scripturam ſactam,vt aliàs non ſemel, vſurpaſſe numerum perfectum pro imperfecto,nimirum quadraginta pro trigintanouem incompletis. Itaque certiſſimum eſt,diuiſionem terræ cœptam eſſe anno ſeptimo principatus Ioſue,qui paritet erat ſeptimus ab introitu Iſraëlis in terram Chanaan, vt videre eſt in tabulis, id eſt, quaſi poſt quadringentos quinquaginta annos ab electione patrũ populi Iſraëlitici, vt dicitur Actorum cap.13.verſ.17.& 20. hoc eſt ab electione ſeminis Abrahæ in filio ſuo Iſaac. Vnde Gloſſa ordinaria ſuper Actorum loco citato, & Lyranus ibidem, & Naclantus in lib. Arcanorum Chriſti,vbi agit de Quarta mundi ætate, & alij permulti, dicunt prædictos quadringentos quinquaginta annos numerandos eſſe ab ortu ipſius Iſaac. Quamuis etiam numerari meritò poſſint ab eiectione Iſmaëlis: tunc enim videtur facta viſibilis quædam reprobatio & electio patrum ex ſemine Abrahami,quando diuiſo ſemine eiectus eſt de paterna domo Iſmael,& in ea retentus fuit Iſaac, de quo iam prædictum fuerat Geneſ. cap. 17. verſ. 19. *Vocabiſq; nomen eius Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum,& ſemini eius poſt eum.* & verſ.21. *Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac.* & cap.21.verſ.12. *Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Siue igitur ab ortu Iſaac,ſiue ab eiecto Iſmaële ad diuiſionem terræ,inuenies plus minúſve quaſi quadringentos quinquaginta annos: nam ab ortu Iſaac, numerantur quadringenti quinquaginta duo; ab eiecto autem Iſmaële,quadringenti quadraginta ſeptem, vt patet in tabulis.

DE DIVISIONE TERRAE TRIBVS VICIBVS PERACTA.

DE PRIMA.

2. Vt autem hîc aliquid in vniuerſum de ipſa terræ Chanaan diuiſione dicamus,de qua integrum libellum ſcripſit Arias Montanus in ſuo Apparatu Bibliorum Regiorum,ſub titulo Caleb,hoc eſt,de Terræ promiſſæ partitione: ſciendum eſt, non totam ſimul,neque vno eodemque tempore continuato; ſed interpolatè tribus vicibus fuiſſe peractam. Nam cùm adhuc viueret Moyſes,& caſtra Hebræorum eſſent in campeſtribus Moab,anno ſcilicet quadrageſimo exitus de Ægypto,deuictis duobus Amorrhæorum Regibus,Sehon videlicet Rege Heſebon,& Og Rege Baſan; terra eorum, quæ tota erat trans Iordanem,ab ipſomet Moyſe deſignata traditáque fuit duabus tribubus,Ruben & Gad,& dimidiæ tribui Manaſſe, quemadmodum ſub anno mundi 2583.num.27. dictum eſt;& hæc fuit prima diuiſio. Altera facta eſt hoc eodem anno ſeptimo introitus populi in terram Chanaan,ab ipſo Ioſue, qui cùm Reges & regna Chananæorum cis Iordanem exiſtentia peremiſſet ſubiugaſſetque,cœpit,Domino præcipiente,terram eorum diuidere. Viſum eſt autem ei priùs rudiori quodam modo aſſignare poſſeſſionem tribui Iuda,& filiis Ioſeph,nimirum tribui Ephraim, & alteri medietati tribus Manaſſe: hi namque dignitate, viribus, atq; hominum multitudine ceteras tribus antecellere videbantur,vt colligi poteſt Num. cap. 26. vbi ſingulæ recenſentur. Porrò filiis Iuda obtigit Auſtralis pars totius terræ Chanaan; quæ verò filiis Ioſeph data eſt,Aquilonaris quidem erat reſpectu poſſeſſionis Iudæ, ſed ferè in medio totius terræ Chanaan,vt infrà ſub anno mundi 2591.num.1. patebit.

DE SECVNDA.

DE TERTIA.

3. De tertia partitione reliquis ſeptem tribubus facta, quando cœpta abſolutáque fuerit,non facile eſt determinare, quoniam de hac re nihil certi habemus in ſactis Scripturis. Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap.11. putat terram ſeptem annis eſſe ſubiectam,& ſeptem aliis à Ioſue fuiſſe diuiſam, idque probat tribus ſuppoſitionibus. Prima eſt,quòd Iſraëlitæ manſerint in Terra promiſſionis præcisè octingentis quinquaginta annis,qui faciunt ſeptemdecim Iubileos. Secunda ſuppoſitio eſt, quòd ille annus decimuſquartus à ſubuerſa Ieroſolyma, in quo Ezechiel vidit longam illam viſionem,quæ deſcribitur Ezechielis cap.40.& ſequentibus,fuerit annus Iubilei. Tertia demum,quòd tota hæc terræ diuiſio à Ioſue facta fuerit in Galgalis. Ponam hîc verba ipſius,quæ ſic habent: *Si quæras* (inquit) *vnde liqueat, quòd ſeptem aliis annis terram ſortitò diuiſerint,priuſquam inciperent numerare decimas,& annos remiſſionum,& Iubileos: reſpondetur,Ex eo quòd octingentis quinquaginta conſederunt Iſraëlitæ in ſua terra, ab eo die quo in illam ingreſſi ſunt, donec ex ea ſunt eiecti,per integros & plenos Iubileos ſeptemdecim. Et quidem id declarat Ezechiel: Vigeſimoquinto anno* (inquit) *exilij noſtri, in exordio anni,decima menſis, quartodecimo anno poſtquam percuſſa eſt ciuitas, facta eſt ſuper me manus Domini.*] *quod ipſi dictum eſt initio Iubilei. At* (inquies) *ſi ſeptemdecim Iubilei pleni perfectiq; extiterunt; quo pacto redundarunt anni quattuordecim? Nempè quattuordecim hi anni ſunt,quos tranſegerunt Iſraëlitæ in Galgal; ſeptem quibus ſubegerunt terram, & ſeptem quibus eamdem diuiſerunt: poſteà enim congregata eſt omnis multitudo Iſrael in*

REFVTANTVR DICTA AVCTORIS CHRONOLOGIAE MAIORIS HEBRAEORVM

Silo; atque tum cœptum est numerare decimas, remissionis annos, & Iubileos. hæc ille. Qui profectò multa gratis asserit, & incerta pro certis, & falsum pro vero supponere non erubescit. Nam vnde colligat, Hebræos mansisse in terra sua octingentis quinquaginta dumtaxat annis, nescio; præsertim cùm ex nostris tabulis, ab ingressu populi in terram Chanaan ad captiuitatem Babylonicam, liquidò colligantur ferè octingenti sexaginta tres: & ex Scriptura sacra probari non potest, annum prædictæ visionis factæ Ezechieli incidisse in anno Iubilei. Et præterea incertum quoque est, & probari non potest, Israëlitas cœpisse numerare Iubileos remissionisque annos, ab anno decimoquarto introitus ipsorum in terram Chanaan; quin potiùs ex his quæ nos sub anno mundi 2584. num. 2. diximus, apparet, eosdem ab anno primo dicti introitus debuisse numerari. Et denique certissimum est, tertiam eamdemque postremam terræ diuisionem non fuisse factam in Galgalis, quemadmodum ipse supponit, sed in Silo. Ibi enim Iosue increpauit reliquas septem tribus, quòd eousque de terra ipsis diuidenda non curassent: & inde missi sunt, qui eam circumeuntes lustrarent ac describerent. Quibus in Silo reuersis, ibidem coram Domino datis sortibus facta est partitio, vt paret legenti cap. 18. Iosue à vers. 1. vsque ad 11. Quare non est quòd de assertis hîc ab isto Auctore curandum sit. Masius super cap. Iosue 18. tametsi non videatur præfati Auctoris opinionem probare, nihilominus putat ab inchoata secunda diuisione cessarum esse longo tempore, nempe annis propè septem, priusquam cœpta sit tertia in Silo; & quasdam huius cessationis causas adfert: Nimirum (inquit) diutino bello fessus populus, cùm collocatis vtrimque Iudæis & Iosephitis, quasi præsidiis, sibi tutus videretur; otio se dedit: & communem illam in castris statiuis vitam potiorem duxit, quàm vt peculiarium possessionum gratia nouas tursus molestias subire luberet. Facilè enim existimabat, reliquos passim hostes, etsi bellum non esse facturi viderentur, tamen de suis sedibus nisi per vim depulsum non iri & eliminatum. Et hanc insuper socordiam atque ignauiam mirificè fouebant (vt est credibile) mille commoditates, quas sibi in tam diutina statione omnes comparauerant. Hanc igitur segnitiem atque desidiam vt castigaret Imperator, prudenter aliò mouenda esse castra putauit, aut dissipanda potiùs, & quemquam ad suas possessiones extrudendum. hæc Masius. Sed ego eius sententiæ subscribere minimè possum: Primò, quia clarum est, postremã partitionem septem tribubus fuisse factam ab ipso Iosue, post translationem Tabernaculi fœderis de Galgalis in Silo, vt iam probatum est. Atqui sub anno mundi 2591. num. 12. probabimus ipsum Iosue mortuum esse anno decimo sui Principatus exacto: non ergo potuit ipse diuidere terram anno decimoquarto. Deinde, quia licet illa increpatio, *Vsquequò marcetis ignauia?* &c. quæ habetur cap. 18. vers. 3. quoquomodò videatur posse indicare, illos aliquamdiu præ ignauia non curasse sibi proprias assignari possessiones; non tamen inde fit consequens, neque videtur verisimile, quòd septem annorum spatio, aut ipsi in tali vecordia ac desidia perseuerauerint, aut Iosue iam senex prouectæq; ætatis, vt dicitur cap. 13. vers. 1. tanto tempore distulerit eos increpare, & sollicitare ad id peragendum, quod ei Dominus ibidem imperauerat: præsertim cùm, etiam si vno dumtaxat anno in tali socordia perstitissent, iure meritoque ab ipso reprehendi metuissent; quippe qui statim post assignatas Iudæis ac Iosephitis possessiones, vel saltem non multò pòst, sibi quoque dari partes suas non solum petere sed etiam contendere debuissent. Denique, si per annos septem præfatæ septem tribubus non curassent sibi assignari vrbes à Chananæis acceptas, easq; inhabitare; proculdubiò Chananæi qui (vt numero proximo probabitur) remanserant, easdem denuò occupassent, oportuissetque illas posteà rursus ab Hebræis multo labore expugnari. Itaque longè probabilius videtur, supponere, quòd post secundam partitionem, propter reliquarum tribuum negligentiam, dilata fit tantummodò per annum circiter vnum tertia terræ partitio; de qua nos sub anno mundi proximo num. 1. agemus.

MASII OPINIO REFELLITVR.

4. Eodem tempore quo data est hereditas tribui Iuda, morabantur Enacim in Hebron, vt apertè dicitur Iof. cap. 14. vers. 12. ibi enim legimus, quòd in partitione terræ, quando Caleb petijt à Iosue partem suam, dixit: *Da mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ atque munitæ; si fortè sit Dominus mecũ, & potuero delere eos,* (intellige Enacinos) *sicut promisit mihi.* & deinde prosequitur Sacer textus: *Benedixitq; ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem,* &c. Vnde necessarium videtur fateri, quòd post captas à Iosue vrbes Hebron & Dabir, & ab eodem occisos in hisce vrbibus & locis gigantes de stirpe Enacim, vt sub anno mundi 2584. num. 20. dictum est, aliqui ex his, qui tum transfugerant ad vrbes Philisthinorum proximiores, & euaserant gladium Iosue, posteà, quando intellexerunt quòd ipse Iosue

QVOD GIGANTES ETIAM TEMPORE DIVISIONIS TERRAE ESSENT IN HEBRON

Iosue totusque Israel occupatus erat in bello gerendo contra Reges Aquilonares terræ Chanaan, & in vrbibus eorum euertendis, reuersi sint ad habitandas reficiendasque prædictas vrbes, & præsertim ipsam Hebron. Nam si Iosue iam ceperat Hebron, & interfecerat Regem eius, & non reliquit vllum de stirpe Enacim in terra filiorũ Israel, præter eos qui in Gaza, Geth, & Azoto relicti sunt; vt dicitur Iosue cap. 10. vers. 36. & sequentibus, & cap. 11. vers. 21. & cap. 12. vers. 10. tempore autem distributionis terræ, adhuc erant Enacim in Hebron & vrbibus ac montanis eius; vtique concedere oportet, aliquos priùs de manu Iosue transfugisse, posteà verò ad proprias vrbes occupandas remeasse, quemadmodum nos sub anno mundi proximè citato tetigimus. Idem confirman potest ex Iosue cap. 15. vers. 13. & sequentibus, vbi dicitur, quòd posteaquam dedit Iosue Hebron Caleb filio Iephone, ipse deleuit ex ea tres gigantes de stirpe Enac, ibidem nominatim recensitos: quamquam arbitror, id multò post Iosue obitum contigisse, vt sub anno mundi 2594. num. 2. fusiùs ostendemus; quoniam eadem historia de Hebron à Caleb expugnata, de occisis in ea tribus illis gigantibus, & de promissa dataque filia sua Axa expugnatori vrbis Dabir, qui posteà fuit Othoniel nepos eius, iisdem pænè verbis reperta legitur Iudic. cap. 1. vers. 10. & sequentibus, inter alia ibidem relata, quæ tunc (videlicet post mortem Iosue) tribus Iuda, duce ipso Calebo, contra Chananæos fortiter gessit, vt partem terræ sibi assignatam, & ab illis occupatam, recuperaret. Vnde hic obiter inferri potest, librum Iosue non ab ipso Iosue, sed post mortem eius ab aliquo alio (eodem fortè circiter tempore, quo liber Iudicum) fuisse conscriptum: siquidem in eo etiam quædam post obitum Iosue facta narrantur, vt dictum est: & comprobari item potest ex eo, quòd Iosue c. 19. vers. 47. memoratur occupatio & subuersio vrbis Lesem, quæ & Lais, à Danitis facta; quæ proculdubiò cõtigit post mortem Iosue, quando scilicet non erat Dux siue Rex in Israël, vt apertè dicitur Iudic. c. 18. vers. 1. in quo toto capite prædicta pugna & vrbis occupatio describitur. Ceterũ, nemini mirũ videri debet, quòd in sorte tribus Iudæ, aliquot vrbes priùs à Iosue expugnatæ, denuò a Chananæis captæ tentæque essent: quandoquidem id quoque in sortibus aliarum tribuum contigisse, ex Iudic. cap. 1. colligi, ac ferè de singulis exempla proferri possent. LIBRVM IOSVE AB ALIQVO ALIO POST EIVS MORTEM FVISSE CONSCRIPTVM.

5. Eodem anno memorati introitus septimo, ex his quæ sub anno mundi 2584. n. 2. diximus, consequitur, filios Israel celebrasse, vel celebrare debuisse primum annum remissionis siue Sabbaticum. Nec refert quòd Abulensis super Leuitici cap. 25. & alij nonnulli existimauerint, Hebræos cœpisse metiri annos remissionis & Iubileos ab eo tempore quo ipsi cœperunt pacificè possidere Terram promissionis: nimirum, vt ipsi credunt, ab anno sui introitus decimoquarto: quoniam si benè perpendantur Scripturæ loca, quę sub anno mundi proximè adducto citauimus, proculdubiò videtur inde magis posse inferri, quòd tenerentur dinumerare prædictos annos ab ingressu, quàm à pacifica terræ illius possessione. præterquam quòd pacifica terræ possessio, necessaria quidem erat celebrationi & obseruantiæ anni Sabbatici; non autem exordio metiendi annos eius. Atqui Hebræos hoc anno septimo pacificè terram illam possedisse, vel illud apertè declarat, quòd eamdem mense quarto eiusdem Anni sacri, vt dictum est, inter se diuiserunt; annus autem Sabbaticus ab Autumno, hoc est à mense septimo, vt sub anno mundi 2584. num. 5. probatum est, incipiebat: vnde benè potuissent illũ, si voluissent, celebrare. Sed vtcumque sese res habuerit, nolumus in hoc diutiùs immorari: quandoquidem, etiam si quis maluerit alteram mordicus defendere, quàm nostram sequi opinionem, nihil pænè aliud efficiet, quàm quòd de numero annorum Sabbaticorum, vnum aut alterum excipiendum esse contendet; quod ipsorum ordini, & temporum rationi à nobis initæ, nihil incommodi adferre potest, & nostræ sententiæ non omnino aduersatur: iam enim sub anno mundi paulò antè allegato num. 2. ostendimus, Hebręos non valdè accuratos fuisse huius præcepti obseruatores, quin etiam rarò admodum huiuscemodi annorum obseruantiam in vsum induxisse. DE PRIMO ANNO SABBATICO.

6. Eodem anno ab introitu Israelis in terram Chanaan septimo, mense pariter eius septimo, eo scilicet tempore, quo celebrabatur festiuitas Tabernaculorum, oportet legi cœptam fuisse Legem Domini, vniuerso audiente populo, quemadmodum præceptum fuerat Deuter. cap. 31. vers. 10. & nos sub annis mundi 2583. num. 32. & 2584. num. 6. præmonuimus. Quod quidem laudabile institutum, ad eruditionem populi, aliquamdiu posteà singulis septennijs obseruatum fuisse credibile est: tametsi deinde, siue ob bella ac seruitutes, quæ eidem populo superuenerunt, siue alijs de causis intermissum creditur; ita vt temporibus Iosaphat pij Regis, necessarium fuerit mittere quosdam Principes cum Sacerdotibus & Leuitis, qui habentes librum Legis Domini, circuirent cunctas vrbes Iuda, & erudirent populum, vt traditur 2. Paralip. cap. 17. vers. 7. vsque ad LEX INCIPIT RECITARI CORAM VNIVERSO POPVLO CELEBRANTE FESTVM SCENOPEGIAE.

ad 10. & mortuo Iosaphat, paulatim mox denuò res eò negligentiæ & obliuionis deuenerit, vt ipsius quoque Legis volumen aliquo tempore deperditum remanserit, donec, Iosia regnante, casu inuentum est in templo, dum instauraretur, ab Helcia summo Sacerdote, vt describitur 4. Reg. cap. 22. vers. 8.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2591.	QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 48.

IOSVE TRANSFERT CASTRA DE GALGALIS IN SILO.

1. ANNO introitus populi in terram Chanaan octauo (quemadmodum ex his, quæ sub anno præcedenti num. 3. ad finem diximus, inferri potest) Iosue transtulit castra Israel de Galgalis in Silo, hoc est in tribum suam: erat enim Silo in sorte Ephraim, nimirum sita ad Septemtrionem vrbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendebat ad Sichimam, & ad Meridiem oppidi Lebona: Iudicum cap. vlt. vers. 19. Ibi ergo, nimirum in Silo, tunc primùm fixerunt Tabernaculum testimonij, quod neque in Galgalis, neque vllo alio in loco terræ Chanaan priùs erectum fixumque fuisse vsquam legimus: sed neque priùs tali erectione opus fuisse videtur, eò quòd Iosue cum vniuerso penè populo in bellis contra Chananæos gerendis, & in terra eorum sibi subiicienda, atque ex parte etiam diuidenda hactenus fuerit occupatus. Hunc itaque primum locum elegit Deus in Terra promissionis, in quo sacrificia aliaque ad diuinum cultum pertinentia fieri exercerique voluit. Et exinde cœperunt præcepta cærimonialia à Deo per Moysen data, obligare Israelitas ad ipsorum obseruantiam, vt colligi potest ex his, quæ traduntur Deuter. cap. 12. vers. 5. vsque ad 15. Porrò Iosue, post erectum Tabernaculum, cultumque Dei aliquo modo initiatum, cupiens priusquam moreretur (erat enim valdè senex) perficere opus sibi à Deo demandatum, partitionem scilicet totius terræ Chanaan; conuocata multitudine, increpauit ignauiam septem illarum tribuum, quæ proprias nondum acceperant neque procurauerant hereditates, iussitque ternos viros de singulis tribubus deligi, qui terram hactenus non distributam lustrantes diligenter considerarent, describerentque prout ipsis visum esset, ita tamen, vt relinquerent tribum Iuda in parte Australi, & filios Ioseph in Aquilonari eis assignata, mediam autem inter ipsos (subintellige, simul cum reliqua adhuc magis Aquilonari quàm illa quæ filiis Ioseph obtigerat) in septem partes distribuerent: ac deinde redeuntes, distributionem ab ipsis factam in scriptis referrent ad ipsum Iosue, qui cum aliis quos elegerat Dominus Numer. cap. 34. vers. 17. vsque ad finem capitis, super ea consulere ac deliberare posset, & post approbationem sortes dare: Iosue cap. 18. vers. 1. vsque ad 9. Oportet autem hîc subintelligere, quòd prædicti ad reliquam terram describendam & in septem partes dispertiendam delegati, in sui muneris executione aduerterint, eam esse angustiorem, quàm vt ex ea tot partes constitui possent: contrà verò illam quæ Iudæis data fuerat, esse, pro vna tribu nimis latam atque expansam: & proptereà operæpretium duxerint, de ea quoque portionem quamdam Australem describere, quæ pro vna parte sufficeret. Et hæc est, quæ posteà obtigit tribui Simeonis. Et insuper alias quasdam Iudæ vrbes describere, alteri parti nimis modicæ applicandas, quæ postmodum obuenit tribui Dan, vt infrà num. 4. dicemus.

IN SILO PRIMVM ERIGITVR TABERNACVLVM TESTIMONII.

PRAECEPTORVM CAERIMONIALIVM OBLIGATIO QVANDO COEPERIT.

IOSVE MITTIT QVI DESCRIBANT TERRAM SEPTEM RELIQVIS TRIBVBVS DISTRIBVENDAM.

DIVISIO TERRAE ABSOLVITVR.

2. Mense eiusdem anni septimo (si Iosepho credimus lib. 5. Antiq. cap. 1. qui tamen ibidem, sicuti & aliàs sæpè, quædam à Sacro textu admodum diuersa asserere non veretur, vt conferenti liquere poterit,) qui missi fuerant, peragrata descriptaque terra, redierunt in Silo; vbi ab ipso Iosue, & aliis ad hoc electis, omnibus consideratis accuratèque discussis, exactiori quodam modo quàm anteà, facta est tribuum partitio. Et datis sortibus coram Domino inter septem tribus, prima sors quæ de vrna fuit extracta, obtigit tribui Beniamin; secunda, tribui Simeon; tertia, tribui Zabulon; quarta, tribui Issachar; quinta, tribui Aser; sexta, tribui Nephthalim; septima, tribui Dan: Iosue c. 18. & 19. Porrò termini vrbesque Beniamitarum recensentur cap. 18. vers. 11. vsque ad finem capitis: Simeonitarum verò, cap. 19. vers. 1. vsque ad 10. & 1. Paralip. c. 4. vers. 24. vsque ad finem: reliquarum autem quinque tribuum successiuè in dicto Iosue cap. 19. vers. 10. vsque ad finem capitis. Atque hoc pacto expleta absolutaque fuit diuisio totius terræ Chanaan duodecim tribubus, iuxta numerum filiorum Israel: nam pro filiis Leui, qui non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum ceteris data est possessio, vt dicitur Numer. cap. 26. vers. 62. quia possessio eorum erat Dominus, quemadmodum legimus Deuter. cap. 10. vers. 9. in eorum successerunt locum filij Ioseph in duas diuisi tribus, Manasse & Ephraim, Ios. cap. 14. vers. 4. iuxta decretum quod fecerat Iacob, Genes. cap. 48. vers. 5. quando morti proximus, adoptauit sibi in filios Ephraim & Manasse, de ipsis dicens: *Mei erunt, & sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Et ita constitutæ

ſtitutæ ſunt duodecim tribus Iſrael, præter tribum Leui. Facta igitur fuit memorata terræ diuiſio, vt dicitur Ioſue cap. 14. verſ. 1. ab Eleazaro Sacerdote & Ioſue filio Nun, tum alijs decem tribuum principibus Numer. cap. 34. verſ. 16. recenſitis: inter quos nullus nominatur de tribu Ruben & de tribu Gad, quia duæ illæ tribus iam acceperant poſſeſſiones ſuas trans Iordanem. Locus autem dictæ diuiſionis dicitur fuiſſe in Silo, coram Domino, ad oſtium Tabernaculi teſtimonij: Ioſue cap. 19. in fine. Quibus peractis dederunt filij Iſrael ipſi Ioſue poſſeſſionem in medio ſui, vrbem quam poſtulauit nomine Thamnath Saraa in monte Ephraim; qui illam reædificauit, & deinceps habitauit in ea: Ioſue cap. 19. verſ. 49. Eodem quoque tempore credimus, Hebræos memores largæ illius oblationis quam olim fecerat Moyſes Iethro ſocero ſuo, ſi vellet ſecum pergere in Chananæam, nimirum dandi ei quidquid optimum eſſet ex opibus quas Dominus daturus erat Iſraëli, vt habetur Numer. cap. 10. verſ. 32. hanc humanitatem ac beneficentiam oſtendiſſe erga Cinæos poſteros dicti Iethro, vt darent eis optionem habitandi vbicumque eis magis placeret inter filios Iſrael; illoſque pro tunc elegiſſe ſibi domicilia in Iericho, quæ erat in ſorte Beniamin, & Deuter. cap. 34. verſ. 3. dicitur ciuitas Palmarum, hoc eſt, in agro eius, qui erat omnium fertiliſſimus: nam ipſa vrbs à Ioſue iam fundirus deſtructa fuerat. Quòd autem ibi habitauerint Cinæi, apertè colligitur Iudic. cap. 1. verſ. 16. vbi dicitur quòd poſteà aſcenderunt de ciuitate Palmarum, & tranſtulerunt ſe in ſortem Iudæ, vt nos ſub anno mundi 2594. num. 7. dicemus.

POSSESSIO IOSVE VBI.

CINÆORVM HABITATIO VBI.

¶ 3. Vt autem poſitionis dictarum ſortium aliquam ſaltem cognitionem habeamus, quando omnino exactam habere non poſſumus, propter nimis vetuſta vrbium terminorumque vocabula, quæ magnam in diſcernendis ſortium finibus pariunt obſcuritatem: ſcire oportet, quòd (vt aliàs diximus) tota terra Chanaan cis Iordanem in ſua longitudine ab Auſtro ad Aquilonem, ſeſe extendebat ab Ægypti confinio vſque ad montem Libanum: in latitudine verò, ab Oriente in Occidentem, claudebatur duabus lineis, quarum Occidentalis excurrebat ſecus Mediterranei maris litus, Orientalis autem ab initio Iordanis vſque ad Meridionalem Maris mortui linguam. Porrò tribus Iuda ſortita eſt partem ſuam in plaga magis Auſtrali, habuitque totam terræ latitudinem, nimirum à Mari mortuo ad Mediterraneum; contra Aquilonem verò protendebatur vſque ad Ieruſalem excluſiuè; quamquam in medio ſui, contra Auſtrum, vt mox dicemus, data eſt hereditas tribui Simeon. Poſt Iudam contra Aquilonem, data eſt poſſeſſio duabus tribubus, videlicet filiis Dan & Beniamin, iſtis ad Orientem, illis Occidentem verſus. Deinde magis adhuc prugrediendo ad Aquilonem, ſequebatur hereditas Ephraim, quæ à Iordane ad Mediterraneum excurrebat. Tribui Ephraim immediatè ſuccedebat media tribus Manaſſe. Poſteà vlteriùs tendendo contra Aquilonem, reperiebantur à dextris quidem Iſſachar, à læua autem Aſer; quibus Aquilonaris erat immediatè ſors Zabulon, Zabuloni verò Nephthalim. At verò trans Iordanem, ab Aquilone eundo contra Auſtrum, primò occurrebat altera medietas tribus Manaſſe, deinde Gad, poſtremò Ruben. Hæc eſt diſpoſitio duodecim tribuum Iſrael in terra Chanaan; quæ vt meliùs perciperetur, in mentem venerat, aliquam ex his quæ circumferuntur eiuſmodi diuiſionis tabulam hîc inſerere: ſed quoniam illæ vel ſacræ Scripturæ non prorſus conformes, vel nimis confuſæ videbantur, eò quòd illarum auctores non ſolam terræ partitionem à Ioſue olim factam, nec ſolas vrbes in Scripturis ſacris eo tempore memoratas, ſed alias quoque multas ædificatas, & multa alia quæ poſtmodum variata ſunt, in illis ſimul repræſentare voluerunt: propterea ne magis ingenia confundi contingeret, illis omiſſis, opportunius viſum eſt, hoc loco clarioris doctrinæ gratia nouam tabellam ponere, licet rudiori quodam modo à nobis delineatam; quæ tantummodò eum dictæ diuiſionis ſtatum aliquo modo referat, quem ſuperiùs deſcripſimus, & qui ipſius Ioſue temporibus extitiſſe, in Sacris libris traditur; quemadmodum ex infrà quoque dicendis comprobari poterit. Pepercimus autem vrbes tribuum in Ioſue cap. 15. vſque ad 20. nominatim recenſitas, propriis locis in tabella ſignare; tum quòd ſingularum ſitus & diſtantiæ ex Sacris libris plenè haberi poſſe non videantur; & pluri mæ ex vetuſtioribus, apud alios quoque Auctores, vbinam fuerint, traditum non reperiatur; tum etiam, quia tametſi Ioſue cap. 15. ad centum quadraginta propè vrbes tribus Iudæ recenſitæ inueniantur; nihilominùs Scriptura ſacra, in capitibus ibidem ſubſequentibus, vbi de aliarum tribuum ciuitatibus agit, paucas admodum, & ferè illas tantùm memorat, quæ in circuitu ſingularum tribuum, & quaſi earum fines terminíve eſſe videbantur: tum denique, quia ad id quod nos hîc intendimus, ſatis eſſe poſſit, tribuum tantummodò partitiones, ſortiumque ipſarum poſitiones quibuſdam veluti inter ſe funiculis diſtinctas, præ oculis habere, vt in ſubiecta figura intueri licet.

DE POSITIONE TERRAE CHANAAN. ET SINGVLARVM TRIBVVM.

SORS TRIBVS IVDAE, SIMEONIS, DAN, BENIAMIN, EPHRAIM, MEDIAE TRIBVS MANASSE, ISSACHAR, ASER, ZABVLON, NEPHTHALIM, ALTERIVS MEDIETATIS TRIBVS MANASSE, GAD, RVBEN.

TERRÆ CHANAAN
INTER XII. TRIBVS ISRAEL
DISTRIBVTÆ
ORTHOGRAPHIA.

4. Quòd autem nostra hæc tribuum Israel descripta distinctio ac situatio sacræ Scripturæ sit consona, probari potest Inductione. Nam de duabus tribubus, Ruben & Gad, & dimidia tribu Manasse, manifestum est eas sortitas esse terram trans Iordanem, quæ fuerat Sehon & Og, duorum Regum Amorrhæorum: id enim ex aliquot Scripturæ locis sub anno mundi 2583. num. 25. demonstrauimus: & Deuter. cap. 3. vers. 12. vsque ad 18. apertè traditur, mediæ tribui Manasse datam fuisse dimidiam partem montis Galaad magis Aquilonarem; nimirum quæ à torrente Ieboc excurrebat vsque ad terminos Gessuri & Machati, & in qua erat regio Argob & Basan, aliàs regni Og. Reliquis verò duabus tribubus assignatam traditamque fuisse reliquam medietatem dicti montis, quæ ad Austrum tendit, à dicto Ieboc vsque ad torrentem Arnon; positis Rubenitis ad latus Australe, quod respicit torrentem Arnon, Gaditis verò in latere vergente ad Ieboc. Quòd autem sors Iudæ fuerit cis Iordanem, essetque pars magis Australis totius terræ Chanaan, inde fit clarum, quòd termini Australes ipsius Iudæ, qui describuntur Iosue cap. 15. vers. 1. vsq; ad 5. iidem prorsus inueniuntur cum finibus Australibus totius terræ Chanaan, Numer. cap. 34. vers. 3. vsque ad 6. descriptis. De tribu Simeon, quòd in medio siue in funiculo possessionis Iudæ acceperit hereditatem, apertè traditur Iosue cap. 19. vers. 2. & 9. Vbi obiter nota, quòd in littera vidẽtur numerari quattuordecim ciuitates; & tamen ibidem in summa dicuntur fuisse tantummodò tredecim; quia nimirum Bersabee & Sabee sunt veluti nomina synonyma; & vbi dicitur, *Bersabee & Sabee*, debet accipi, ac si dictum esset, *Bersabee, quæ & Sabee*: vel (vt exponit Auctor Concordantiæ Bibliorum in verbo Bersabee, vbi eadem Iosue verba refert) *Bersabee*, inquit, *id est, Sabee*. Et hoc idem colligi potest ex 1. Paralip. cap. 4. vers. 28. vsque ad 32. vbi Scriptura sacra easdem tredecim ciuitates iterùm nominatim recenset, omissa Sabee, tamquam Bersabee nomine comprehensa. Quòd etiam Simeon sortitus sit hereditatem in medio Iudæ, confirmari potest ex aliquot vrbium eius nominibus ibidem recensitis, puta Bersabee, Siceleg, & aliarum, quæ pariter recensitæ fuerant in catalogo vrbium Iudæ; Iosue cap. 15. vers. 26. 28. & 31. Hoc autem diuina prouidentia factum est, quia hereditas Iudæ admodum lata erat respectu ceterarum, vt Iosue cap. 19. vers. 9. innuitur; & numerus Simeonitarum minor erat aliarum cunctarum tribuum, vt colligi potest Numer. cap. 26. vbi singulæ tribus recensentur; ideò opportunè eis obtigit parua portio, à tribu Iudæ resecata. Porrò tribum Beniamin possedisse terram existentem inter filios Iuda & filios Ioseph, expressè habemus Iosue cap. 18. vers. 11. vbi etiam ponitur Iordanis pro termino ipsorum Beniamitarum, (intellige Orientali.) Tribum quoque Dan fuisse positam in confinio tribus Iudæ, & ad plagam quæ respiciebat ad mare Mediterraneum; colligi potest ex Iosue cap. 19. vers. 41. vbi intra terminos possessionis eius numerantur vrbes quædam, nempe Themna siue Thamna, Sara siue Saraa, Esthaol, & aliæ, quæ priùs in catalogo sortis Iudæ, Iosue cap. 15. vers. 33. & 57. recensitæ fuerant, eò quòd aliquæ illarum erant in confinio vtriusque tribus positæ, & aliquæ priùs erant assignatæ tribui Iudæ, sed deinde in postrema partitione detractæ ab ea sunt, & sorti, quæ posteà obtigit tribui Dan, applicatæ; cuiusmodi sunt Saraa & Esthaol; quæ quòd postmodum fuerint vrbes sortis Dan, patet Iudic. cap. 16. in fine, vbi Samson, qui erat de tribu Dan, dicitur sepultus inter Saraa & Esthaol, in sepulchro patris sui Manue; & cap. 18. vers. 2. dicuntur filij Dan misisse quinque viros de Saraa & Esthaol, vt explorarent terram; qui vers. 8. dicuntur reuersi in Saraa & Esthaol: & vers. 11. de eisdem vrbibus sexcenti viri cognationis Dan profecti referuntur. Quòd autem sors tribus Dan non solùm esset in confinio tribus Iuda, sed etiam in parte Occidentali, ac sese extenderet prope Mediterraneum; manifestè infertur ex Iosue cap. 19. vers. 46. vbi dicitur, quòd terminus eius (nimirum Occidentalis) respiciebat Ioppen, quæ proculdubiò in littore Mediterranei maris erat posita. Igitur, vt dictum est, tribus Beniamin ad Orientem, & Dan ad Occidentem, ambæ erant inter Iudæos & Iosephitas, habebantque Iudæos ad Austrum, & filios Ioseph ad Aquilonem. De ipsis autem Iosephitis, hoc est de tribu Ephraim, & dimidia tribu Manasse, legimus Iosue cap. 17. vers. 10. quòd possessio Ephraim erat ab Austro, & Manasse ab Aquilone, & vtramque tribum claudebat mare, (intellige, ab Occidente Mediterraneum) & iungebantur sibi in tribu Aser ab Aquilone, & in tribu Issachar ab Oriente. Ephraim autem etiam ex parte excurrebat vsque ad Iordanem, vt colligitur Iosue cap. 16. vers. 1. Quòd si quis quærat; Si Ephraim pertingebat à Mediterraneo ad Iordanem, eratque ei ab Aquilone ipsa tribus Manasse; quî fieri poterat, vt Ephraim & Manasse iungerent in tribu Aser ab Aquilone? Respondeo, quòd Ephraim

QVOD MEMORATA TRIBVVM POSITIO CVM SACRA SCRIPTVRA CONSENTIAT.

SITVS TRIBVVM RVBEN ET GAD, ET DIMIDIAE TRIBVS MANASSE.

SORTIS IVDAE.

SIMEONIS.

BENIAMITARVM.

DANITARVM.

IOSEPHITARVM.

raim habebat etiã ciuitates in medio vrbium Manasse, vt apertè traditur Iosue cap. 16. vers. 9. & cap. 17. vers. 9. id est, habebat portionem quamdam suæ hereditatis, quæ ingrediebatur sortem Manasse, secus illum alueum torrentis Cison, qui fluit ad mare Mediterraneum; & ita in ea parte, Ephraim diuidebat Manassem, quemadmodum in delineatione expressum est, & sic vterque contingebat ab Aquilone fines Aser Australes. Quomodo autem iungerentur in Issachar ab Oriente, facilius erit in tabella delineatum intueri, quàm verbis exprimere. Tribum verò Aser habuisse terminos suos Occidentales in finibus Tyri & Sidonis, & ab Aquilone tribum Zabulon, satis apertè colligitur Iosue cap. 19. vers. 27. vsq; ad 30. quin etiam ipsam Sidonem aliquomodò pertinuisse ad eamdem tribum Aser, videtur colligi posse Iudicum cap. 1. vers. 31. & ipsum Aser habitasse in littore maris, apertè traditur in eiusdem libri cap. 5. vers. 17. Siue quia, vt dictum est, etiam ipsa Sidoniorum regio, quæ maritima erat, in Aseris sorte comprehenderetur, siue potiùs, quia, etiam seclusa Sidoniorum terra, quam constat ab Aseritis numquam fuisse possessam, certum est quòd exitus terræ dicti Aser pertingebant ad mare, in Achziba, vt expressè habemus Iosue cap. 19. vers. 29. Erat autem Achziba, teste B. Hieronymo de locis Hebraicis, quæ postmodum Dippa dicta fuit, in nono milliario à Ptolemaida euntibus Tyrum, in littore nimirum Mediterranei, non longè à promontorio Albo. Hanc Iosephus lib. 1. de Bello cap. 11. vocat Ecdippon; Plinius verò lib. 5. cap. 19. & Ptolemæus Geographiæ libro 5. Tabula Asiæ quarta Ecdippam.

ASERITARVM.

ISSACHARITARVM.

5. Porrò sortem Issachar sese extendisse Orientem versus vsque ad Iordanem, & item ab eadem parte Orientali (subaudi, non procul à Iordane) fuisse contiguam sortibus Ephraim & Manasse, traditur Iosue cap. 17. vers. 10. & cap. 19. vers. 22. De tribu autem Zabulon, quoniam termini eius, Iosue cap. 19. vers. 10. vsque ad 17. nominibus peruetustis subobscurè indicantur, non facilè definiri posse videtur, num tota esset Australis, an Aquilonaris, respectu Aseritarum; & vtrùm à mari Galilææ vsque ad Mediterranei littora, vt quidam existimarunt, excurreret, an non. Nobis magis placet, Aseritas ex vna parte fuisse Zabulonitis multò magis Australes, ex alia verò ferè æquales, vt in tabella nostra delineatum videri potest. Et ratio est, quia, si Scriptura sacra quandoq; ait, quòd terra Aser, vt dictum est, habebat ab Aquilone tribũ Zabulon; & quandoque, quòd tangebat terram Nephthalim ad Occidentem, quemadmodum paulò pòst ostendemus: vtique oportet, quòd eadem terra Aser alicubi haberet Zabulonitas ad Aquilonem, alicubi verò ipsa contra Aquilonem non minùs ascenderet quàm terra Zabulon, quæ ibidem pariter erat confinis terræ Nephthalim: & consequenter, quòd funiculus Zabulonitarum non pertingeret vsque ad mare Mediterraneum; sed inter ipsum mare & terminos Zabulonis Occidentales, media esset pars sortis Aser, vel etiam regio Sidoniorum, vt in tabella expressum est. Ceterùm, quoniam in Iacobi prophetia Genes. cap. 49. vers. 13. legimus: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium, pertingens vsque ad Sidonem.* Quæ verba manifestè videntur exprimere loca habitationis Zabulonitarum, non autem (vt exponit Masius) loca negotiationis ipsorum: & præterea, quia Matthæi cap. 4. vers. 13. traditur, Capharnaum vrbem in littore maris Galilææ positam extitisse in finibus Zabulon & Nephthalim; profectò ex hisce duobus Scripturæ locis videtur quidem posse colligi, Zabulonios habitasse in littore maris Galilææ; sed non necessariò inferri, quòd ipsorum sors porrecta esset vsq; ad mare Sidoniorum, neque omnino vsque ad fines Orientales ipsorum, cùm illud *pertingens vsque ad Sidonem*, rectè etiam videatur posse accipi, ac si diceretur, *pertingens ferè vsque ad regionem Sidonis:* alioqui quomodo terra Nephthalim (quæ magis erat Aquilonaris quàm terra Zabulon) potuisset attingere terram Aser ab Occidente? & tamen id apertè asseritur Iosue cap. 19. vers. 34. Denique, quòd etiã sors tribus Nephthalim haberet confinia sua ad mare Galilææ, ex loco Matthæi proximè adducto deduci potest; & confirmari ex Iosue cap. 19. vers. 35. vbi inter vrbes eius connumeratur quoq; Cenereth, quæ posita erat in littore dicti Maris; & ab ea olim illud denominabatur mare Cenereth, sicuti posteà, temporibus Tiberij Cæsaris, mare Tiberiadis dictum fuit, eò quòd Herodes eamdem vrbem, in honorem dicti Imperatoris, Tiberiam appellasset. Proptereà, id quod de tribu Nephthalim Deuter. cap. 33. vers. 23. legimus: *Mare & Meridiem possidebit.* rectè, iuxta Lyranum & alios, de mari Galilææ potest accipi: nam & Abulensis ibidem exponit, *id est, à Meridie habebit mare Galilæa.* Cui expositioni fauet etiam Chaldaica Paraphrasis, quæ eo loci exprimit *mare Genesar*, vt videre est in Bibliis Regiis. Est autem idem mare Genesar siue Genesareth, quod mare Galilææ.

ZABVLONITARVM.

NEPHTHALITARVM.

Galilææ. Protendebantur verò confinia Nephthalim secus Iordanem, vbi colligitur Iosue cap. 19. vers. 33. intellige, supra mare Galilææ contra Aquilonem, vsque ad eam regionem, quæ posteà a Danitis occupata fuit. Ad Meridiem autem, termini Nephthalim pro maiori parte contingebant Zabulonitas, & terram Aseritarum ad Occidentem, vt cap. Iosue citato vers. 34. exprimitur. Quomodo autem (vt ibidem subiungitur) terminus Nephthalitarum pertransiret etiam in Iuda ad Iordanem contra ortum solis, vix capi potest, præsertim cùm inter Nephthalitas & Iudæos plurimæ tribus essent interpositæ; ita vt illi, quod attinet ad eorum hereditates, inuicem se contingere nullo modo possent. Nisi fortè illud *Iuda*, ibi non tribum Iudaicam, sed vrbem aliquam, vel locum sic appellatum significet, qui ad Orientalem Nephthali plagam tunc esset positus. Verumtamen de hoc nihil certi asserere possumus. Certè in LXX. Interpretum editione, nulla ibidem Iudæ mentio reperitur: cur verò in Vulgata positum sit, hactenus incompertum habemus.

6. Ceterùm, in præfata nostra diuisionis terræ Chanaan descriptione, duo sunt aduertenda. Alterum est, eam non semper posteà eo prorsus modo quo à Iosue præfinita fuerat, perseuerasse; sed procedentibus temporibus nonnihil, vt fit in rebus humanis, fuisse variatam: nam clarum est, Danitas mox alias sibi sedes quæsiuisse, vt tangitur Iosue cap. 19. vers. 47. & latè describitur Iudic. cap. 18. per totum. & Simeonitas Dauidis vel potius Roboami temporibus à Iudæis pulsos (vt præcipui Hebræorum Rabbini opinantur) aliò transmigrasse; vel regnante Ezechia, tamquam emissis coloniis, ad vberiora pascua profectos esse, vt colligitur 1. Paralip. cap. 4. vers. 39. Scimus etiam quòd Ierusalem, quæ in possessione Beniamitarum continebatur, posteà in sorte Iudæorum reputata fuit, quoniam Iebusæos in ea habitantes, quos priùs neque Iudæi, vt dicitur Iosue cap. 15. in fine, neque Beniamitæ, vt habetur Iudic. cap. 1. vers. 21. superare potuerant; demum Dauid Iudæus inde expulit. & Siceleg, quæ in parte Simeonis concesserat, mox pariter in partem Iudæ redacta fuit. Alterum est, quòd non omnis terra singulis tribubus assignata, statim ab ipsis acquisita possessaque fuit: nam de Iuda legimus Iudic. cap. 1. vers. 19. *Nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant*. Et de Ephraim Iosue cap. 16. in fine, & Iudic. cap. 1. vers. 29. dicitur: quòd *non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer*. De Manasse item Iosue cap. 17. versic. 12. hæc habentur: *Nec potuerunt filij Manasse has ciuitates subuertere, sed cæpit Chananæus habitare in terra sua*. & Iudic. cap. 1. vers. 27. *Manasses quoque non deleuit Bethsan, & Thanac cum viculis suis, & habitatores Dor, & Ieblaam, & Mageddo cum viculis suis, cæpitque Chananæus habitare cum eis*. Et filiis Ioseph conquerentibus quòd terra eis data, esset angusta; respondit Iosue dicens: *Si populus multus es, ascende in siluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi & Raphaim*, Iosue cap. 17. vers. 15. De Beniamin verò sic dicitur Iudic. cap. 1. vers. 21. *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non deleuerunt filij Beniamin, habitauítque Iebusæus cum filiis Beniamin in Ierusalem*. De aliis etiam tribubus ibidem vers. 30. legimus: *Zabulon non deleuit habitatores Cetron, & Naalol; sed habitauit Chananæus in medio eius, factúsque est ei tributarius. Aser quoque non deleuit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob: habitauítque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. Nephthali quoque non deleuit habitatores Bethsames, & Bethanath; & habitauit inter Chananæum habitatorem terræ, fuerúntque ei Bethsamitæ & Bethanitæ tributarij. Arctauítque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum vt ad planiora descenderent*. Item Iosue cap. 13. vers. 13. legimus: *Noluerúntque disperdere filij Israel Gessuri & Machati, & habitauerunt in medio Israël vsque in præsentem diem*. Præterea Iudic. cap. 3. vers. 3. & 5. recensentur gentes relictæ a Domino in terra Chanaan; nimirum Philisthiim, Sidonij, Chananæi, Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, Heuæi, & Iebusæi, in quorum medio habitauerunt filij Israël.

MEMORATA TERRAE PARTITIO MOX NONNIHIL MVTATA.

SINGVLAS TRIBVS NON STATIM POSSIDERE POTVISSE TOTAM TERRAM IPSIS ASSIGNATAM.

7. Causa autem cur reliquerit Dominus has gentes inter filios Israël, fuit quadruplex. Primam tetigit Angelus Iudic. cap. 2. vers. 2. Quia nimirum Hebræi, contra præceptum Domini quod habetur Numer. cap. 33. vers. 51. & Deuter. cap. 7. vers. 1. vsque ad 6. inierunt fœdus cum Chananæis. *Propterea* (inquit ibi Angelus) *nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam*. Simile quid legitur in eodem Iudic. cap. 2. vers. 20. vsque ad finem capitis. Altera causa indicatur Exod. cap. 23. vers. 29. illis verbis: *Non eiciam eos à facie tua anno vno*, (id est in prioribus annis ab adepta terræ possessione, vsurpato videlicet numero singulari pro plurali) *ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ: paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram*. Et idem ferè habetur Deuter. cap. 7. vers. 22.

CVR RELIQVERIT DOMINVS CHANANAEOS INTER ISRAELITAS.

vers. 22. Ac si dicere voluisset: Terra Chanaan multò latior est, quàm vt à vobis tota inhabitari colive queat; cùm non tam multi sitis, qui eam replere valeatis. Quamobrem, si statim in ingressu vestro ego dispetderem omnes illas gentes, quæ nunc eam incolunt; proculdubiò terra illa remaneret magna ex parte deserta, augereturque in ea multitudo ferarum, quæ vobis non parum molesta ac noxia esset: propterea gentes illas paulatim eiiciam, ad incrementi vestri proportionem; ita vt quantum vos indies multiplicari contigerit, ac dilatari oportuerit, tantum illos sensim à vobis exterminari permittam. Tertia causa proditur Iudic. cap. 3. vers. 1. *Vt scilicet erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananaorum; vt postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem praliandi.* Quibus verbis apertè insinuatur, Dominum reliquisse hostes Israeli, non vt ei malefaceret; sed magis vt eum ad maiora bona proueheret, atque ab eo impedimenta maioris boni consequendi amoueret; nimirum, vt hac ratione occasiones valdè salutares eisdem daret, perniciosa à filiis suis otia arcendi, & exercendi eos ad prælia, gloriosasque victorias de hostibus reportandas. Vide quanta fuerit Dei benignitas ac prouidentia erga populum illum adhuc carnalem, & disce non minora ab eodem sperare, in his præsertim quæ ad spiritum pertinent; vt intelligas, non otiosè, etiam post spiritualem regenerationem & veram in Deum conuersionem, in nobis relictum esse fomitem peccati, variasque tentationes; vt earum punctionibus excitati, acriùs prouocemur ad cōtinuam luctam aduersus principes tenebrarum, & aduersus carnem & sanguinem, hoc est proprias cōcupiscentias, quæ militant in membris nostris; & denique ad vitia prauasque consuetudines, quarum typum illæ gentes in populo Israelitico gerebant, de cordibus nostris, Deo bene iuuante, exterminandas. Quarta demum causa, cap. Iudicum citato vers. 4. subiungitur illis verbis: *Dimisitque eos* (subaudi Chananæos) *vt in ipsis experiretur Israelem vtrùm audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.* id est, vt sic apertiùs se proderent inter Israelitas, quinam verè in diuino cultu & Moysaicæ Legis obseruantia essent stabiles, & qui inconstantes & leui corde, ac facilè ex Chananæorum consuetudine ad idola colenda defluerent. Simile illud est quod dicebat Apostolus 1. ad Cor. cap. 11. vers. 19. *Oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Prima ergo causa cur non deleuerit Dominus de terra Chanaan ad introitum Israelis omnes gentes in ea priùs existentes, fuit quidem, vt dictum est, Hebræorum præuaricatio: sed pius Dominus, *qui* (vt dicebat S. Augustinus Enchiridij cap. 27.) *melius iudicauit de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere.* dictæ Israelitarum transgressionis pœnam vertit eis in bonum; vt scilicet terra illa non remaneret magna ex parte inculta & inhabitata, ferisque magno cum Hebræorum detrimento obnoxia. Et item, vt in eis erudiret exerceretque Israelem ad prælia; ab eisdemque otia, malorum omnium incentiua, tolleret. Et denique, vt per hoc manifesti fierent, qui ex Hebræis Deo veraciter adhærerent; & qui ab eo facilè auerti se sinerent, vt paulò antè latiùs explicatum est.

DE SEX REFVGII CIVITATIBVS.

8. Diuisa duodecim tribubus Terra promissionis, Iosue in eodem loco, nempe in Silo manens, separauit constituitque iubente Domino sex refugij ciuitates, quæ essent iis qui casu aliquo proximum percussissent, veluti Asyla quædam, ad quæ tutò confugere possent, & ibidem impunè morari, donec causa esset cognita, quemadmodum iusserat Dominus Moysi Numer. cap. 35. vers. 9. & sequentibus. Fuerunt autem istæ vrbes, ad commoditatem vniuersi populi, delectæ, tres citra Iordanem, locis opportuuioribus; vna videlicet nomine Cedes, in tribu Nephthalim; altera vocabulo Hebron, in tribu Iuda; quæ duæ tribus penè erant in extremitatibus terræ Chanaan positæ; tertia verò Sichem, in tribu Ephraim; quæ in medio ferè totius Chananææ locata erat. Et similiter aliæ tres ciuitates trans Iordanem; illæ nimirum, quas constituerat Moyses Deuter. cap. 4. vers. 41. vsque ad 44. videlicet Bosor, in tribu Ruben; & Ramoth, in tribu Gad; & Golan siue Gaulun, in tribu Manasse: Iosue cap. 20. per totum; vbi etiam ponuntur quædam circumstantiæ, quibus discerni possent, quinam tali priuilegio gaudere deberent.

CIVITATES 48. LEVITIS ASSIGNATAE.

9. His constitutis, Iosue ad petitionem principum familiarum Leui eidem in Silo factam, iussit separari ab omnibus tribubus Israel quadraginta duas vrbes cum suburbanis suis, quas simul cum prædictis sex refugij ciuitatibus, (quæ faciunt summam quadraginta octo vrbium) sorte distribuit vniuersæ tribui Leui, prout præceperat Dominus per Moysen, Num. cap. 35. vers. 2. vsque ad 9. Erant autem familiæ Leuiticæ tres primariæ iuxta numerum filiorum Leui, qui fuerunt Gerson, Caath, & Merari, à

quibus

quibus prodierunt familiæ Gersonitarum, Caathitarum, & Meraritarum, vt dicitur Num.cap. 26. verſ. 57. Aaron verò fuerat de familia Caath, vt patet ibidem verſ. 59. & 1.Paralip. cap. 6. verſ. 3. Igitur prima ſors egreſſa eſt in familiam Caath filiorum Aaron Sacerdoris; & propterea ipſis filiis Aaron, qui omnes erant Sacerdotes, ante omnia datæ ſunt tredecim ciuitates de tribubus Iuda, Simeon, & Beniamin. Et in hoc quoque diuina eluxit prouidentia, diſponens vt Sacerdotibus, magna ſaltem ex parte, obuenirent vrbes non valdè remotæ à Ieruſalem, in qua poſteà conſtruendum erat templum, vt commodiùs deinde præſtò eſſe poſſent in eo ſacra facere. Reliquis verò filiis Caath inferioris gradus (ſic enim Scriptura ſacra loquitur) id eſt, qui non erant de ſtirpe ipſius Aaron, & conſequenter non erant Sacerdotes, ſed tantummodò Leuitæ, aſſignatæ fuerunt vrbes decem, acceptæ à tribubus Ephraim, Dan, & dimidia tribu Manaſſe cis Iordanem. Gerſonitis poſteà diſtributæ ſunt aliæ vrbes tredecim, de tribubus Iſſachar, Aſer, Nephthalim, & altera medietate tribus Manaſſe exiſtente in Baſan trans Iordanem. Poſtremò, Meraritis applicatæ ſunt vrbes duodecim, in tribubus Ruben, Gad, & Zabulon, Ioſue cap. 21. verſ. 1. vſque ad 41. & ibidem quoque nominatim recenſentur ſingula prædictarum omnino vrbium nomina. Atque hæc fuit portio, non modica ſanè, quin pótiùs copioſa valdè & optima filiorum Leui, ſi numerum & qualitates ceterarum vrbium, quæ ſingulis aliis tribubus obtigerunt, attendamus. Cur autem tribus Leui non fuerit ab aliis ſegregata, ſicut & reliquæ ab inuicem; duplex ratio aſſignari ſolet: Vna eſt, quoniam cùm tribus Leuiticæ munus eſſet, erudire populum in his quę ad Dei cultum pertinerent, quemadmodum nos ſub anno mundi 2545. num. 18. probauimus, vt id commodiùs præſtare poſſent, neceſſarium quodammodò fuit eos ſparſim inter alias tribus fuiſſe diſtributos. Altera, vt Iacobi prophetia adimpleretur, Geneſ. cap. 49. verſ. 5. deſcripta, vbi de ipſius Leui & Simeonis poſteritate vaticinans, ait: ***Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.*** Quomodo autem etiam filij Simeon diuiſi ſint in Iſrael, aliàs dicendum erit.

CAATHITIS FILIIS AARON CIVITATES 13.

RELIQVIS CAATHITIS VRBES 10.

GERSONITIS VRBES 13.

MERARITIS VRBES 12.

CVR TRIBVS LEVI NON FVIT AB ALIIS SEGREGATA.

10. Nunc, quod attinet ad ciuitates Leuitis attributas, aduertere oportet, nihil ipſos Leuitas de ditione ipſarum accepiſſe, niſi tantummodò ſuburbana, quę foris ab vnaquaque ciuitatis parte bis mille cubitorum, hoc eſt mille paſſuum ſpatio dumtaxat tendebantur; vrbes namque ad habitandum, ſuburbia verò ad pecora iumentaque ſua paſcenda data ſunt, quemadmodum exprimitur Num. cap. 35. verſ. 2. vſque ad 6. reliqui verò dictarum vrbium agri illis tribubus remanſerút, in quibus dictæ ciuitates erant ſitæ. Etenim Leuitis præceptum fuerat Num. cap. 18. verſ. 20. vt nihil in Terra promiſſionis poſſiderent, nec partem haberent inter filios Iſrael, quoniam Dominus ipſe pars & hereditas ipſorum erat. Ad victum autem & ſuſtentationem ipſorum, vt ibidem ſubiungitur, dedit eis Dominus omnes decimas Iſraelis, pro ſtipendio miniſterij quo ei in Tabernaculo fœderis deſeruiebant; præcepitque eis, vt decimarum eſſent oblatione contenti. De quibus ſanè decimis ſatis ſuperque pro inſtituti noſtri ratione, ſub anno mundi 2548. num. 10. dictum eſt.

LEVITIS NVLLAE POSSESSIONES, SED DECIMAE TANTVM ASSIGNATAE.

11. Abſolutis omnibus, quæ circa partitionem terræ duodecim tribubus, & diſtributionem vrbium tribui Leuiticæ, quæ erat tertiadecima, factam pertinebant; videns Ioſue, quòd Deus iam tradidiſſet Iſraeli omnem terram, quam ſe traditurum olim iurauerat; & quòd iam pacificè illam poſſiderent; vocatis ad ſe Rubenitis, Gaditis, & dimidia tribu Manaſſe, commendauit eos, quòd opere impleſſent quæ promiſerant Moyſi, quando aſſignauit eis partes trans Iordanem; nimirum quòd hactenus multò tempore fortiterque bellaſſent pro fratribus ſuis. Deinde dimiſit eos cum benedictione Domini, & cum argento & auro, ære & ferro, veſteque multiplici, vt irent in pace, vnuſquiſque ad tabernacula ſua; præcipiens eis, vt memores eſſent Domini Dei ſui, & ambularent in omnibus viis eius, cuſtodientes præcepta, quæ per Moyſen dederat eis; & in ſumma, vt diligerent Deum, eique perpetuò deſeruirent in toto corde ſuo. De cetero, monuit eos, ex quo ſpoliis valdè opimis onuſti redibant ad ſedes ſuas, ne recuſarent diuidere prædam cum fratribus ſuis, qui domi ad cuſtodiendas res familiares remanſerant. Contigit autem, vt redeuntes, cùm perueniſſent ad Iordanem, vnanimes ædificarent altare immenſæ magnitudinis. Quamobrem ſuſpicantes reliquæ tribus, illos defeciſſe à cultu Domini Dei ſui, cogitabant dimicare contra eos; ſed miſſa legatione, cùm audiſſent non iniuſtas magni illius ædificij cauſas, & quòd altare illud non extructum fuerat ad holocauſta victimáſve ſuper eo offerendas, ſed tantummodò, vt illud eſſet in teſtimonium poſteris, quòd licet ſeorſum ab aliis trans Iordanem habitarent, nihilominùs ipſi quoque haberent partem in Domino, & ius veniendi ad Tabernaculum

IOSVE DIMITTIT RVBENITAS, GADITAS, ET DIMIDIAM TRIBVM MANASSE IN TERRAM ALIAS IPSIS A MOYSE ASSIGNATAM.

CVR DICTAE TRIBVS AD IORDANEM EREXERINT ALTARE.

lum Domini, & ufferendi super Altare in eo existente holocausta & hostias Domino, sicut & illi qui cis Iordanem habitabant: hæc, inquam, cùm audissent qui ab Israele missi fuerant, accepta satisfactione, acquieuerunt omnes, & redierunt cum pace singuli ad possessiones suas; Iosue cap. 21. vers. 41. vsque ad finem, & cap. 22. per totum. Ceterùm, quanta à promissionibus Abrahę factis populo suo Deus beneficia hucusque contulerit, breui compendio, per modum laudis repetita, pius Lector inueniet in toto Psalmo 104. vbi post multa deuotè enumerata, sanctus Propheta rem tandem Psalmumque concludit illis verbis: *Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt: vt custodiant iustificationes eius, & legem eius exquirant.* Quod quia neutiquam fuit præstitum, propterea idem B. Psaltes ibidem in proximo Psalmo prosequitur commemorare, quanta quoque hactenus & deinceps fuerit eiusdem populi ingratitudo, multis sanè interim & frequentibus manifestata præuaricationibus ibidem recensitis; ob quas variis item tribulationibus paternisquę castigationibus ab eodem Domino affligi promeruit. Et denique in Psalmo 106. consequenter pluribus ostendit, quanta nihilominus fuerit erga eumdem populum diuina bonitas, quæ non semel atque iterùm ac tertiò, sed semper & quotiescumque filij Israel verè conuersi sunt ad Dominum, exaudiuit eos, & de cunctis eorum calamitatibus clementer eripuit, vt proximis Iudicum præcipuè temporibus manifestè intueri licebit.

QVANTA FVERIT DIVINA BENEFICENTIA ERGA POPVLVM SVVM, ET ECONVERSO EIVSDEM POPVLI INGRATITVDO.

12. Quoniam autem quæ sequuntur in gestis Iosue, paulò ante eius obitum acta esse, ex infrà sub anno mundi 2593. num. 1. & sequentibus dicendis apparebit, vt eadem sub anno proprio collocare possimus, necessarium priùs est disquirere ac determinare, quot annis à subacta terra Chanaan superuixerit Iosue, seu quot annis imperauerit Israeli: id enim hactenus apud Scriptores valdè perplexum fuit; & si benè discussum ac decisum fuerit, non solùm facile erit determinare, quàm longum fuerit illud tempus, quod Iosue cap. 23. in principio capitis indefinitè pronuntiatur fluxisse à subiugatis Chananæis ad ea quæ ibidem subiunguntur: sed etiam, quod admodum optabile est, multa ad sacram Chronologiam pertinentia adhuc valdè obscura, dilucidari poterunt, & multi aliorum Scriptorum errores detegi & vitari, quemadmodum ex dicendis, Deo fauente, planum fiet. Sciendum igitur primò est, varias admodum de annis Principatus Iosue Scriptorum fuisse sententias: nam Iosephus lib. 5. Antiq. cap. 1. prope finem, dicit Iosue populo præfuisse annis vigintiquinque; Auctor Chronologię maioris Hebręorum cap. 12. annis vigintiocto; Eusebius in Chronico, annis vigintiseptem; Andreas Masius super versu 31. postremi capitis Iosue, ait, Iosue Ducatū perdurasse, vel vt habet citata Hebræorum Chronologia, annos vigintiocto; vel vt ipse putat, annus vigintisex; Maimonius ibidem à Masio allegatus, numerat eiusdem Iosue Ducatus annos quatuordecim; Io. Lucidus lib. 2. de Emendatione temporum cap. 8. annos decem & septem; Caietanus super cap. Actorum 13. annos decem (tribuit enim Moysi & Iosue simul annos quinquaginta.) Hæc opinionum tanta varietas ortum habuit, vt arbitror, ex diuersimoda ratione computandi annos ab exitu Israel de Ægypto ad prima Templi fundamenta decursos, vt mox ostendemus. Solent autem ista tempora in vniuersum dupliciter supputari: Vno modo, dinumerando annos singulis Iudicibus attributos seorsùm ab annis Interregnorum seu seruitutum, qui in lib. Iudicum inueniuntur expressi. Altero modo, omissis Interregnorum annis, tamquam in annis Iudicum comprehensis. Et iste secundus supputandi modus videtur magis congruere cum his quæ dicuntur 3. Reg. cap. 6. vers. 1. vbi expresse asseritur, quòd Salomon iecit fundamenta Templi anno quadringentesimo octogesimo, ex quo exierat populus de Ægypto. quæ annorum subductio necessariò supponere videtur, annos Interregnorum nequaquam annis Iudicum fuisse additos, sed in ipsis inclusos, vt mox patebit. Quamquam neque omnes Auctores in alterutro supputandi modo semper vniformes extitetunt, vt infrà videbimus; vnde non mirum est, si etiam in assignandis Principatui Iosue annis tam varij inueniantur.

DE ANNIS PRINCIPATVS IOSVE VARIAE SENTENTIAE.

ANNI AB EXITV DE AEGYPTO AD TEMPLI FVNDAMENTA DIVERSIMODE PVTATI.

13. Primum supputandi modum secutus est Iosephus, qui 8. Antiq. cap. 2. non longè ab initio capitis (vt videre est in codicibus eius incorruptis) colligit, ab exitu ad fundationem Templi, summam annorum quingentorum nonaginta duorum. Dixi, In codicibus incorruptis: quia ipsemet Iosephus, idem implicitè repetens 10. Antiq. cap. 11. non procul à principio, ait, Templum fuisse incensum post annos quadringentos septuaginta ex quo extrui cœperat; & ab egressu populi de Ægypto, annis mille ac sexaginta duobus: à quibus si excipias annos quadringentos septuaginta status Templi, vtique remanebunt ex Iosephi sententia, à dicto exitu ad initium fabricæ eiusdem Tem-pli,

PRIMA SVPPVTANDI RATIO.

pli, vt diximus, anni quingenti nonaginta duo. Vnde patet, falsos esse illos Iosephi codices, quos secutus est Abulensis super cap.6. lib. 3.Reg. quæst.4. qui 8.Antiq. cap.2. habent, Templi fabricam fuisse inchoatam post annos sexcentos duodecim ab exitu Ægyptiaco; & pariter alios Iosephi codices ex versione Rufini, qui eodem loco dicunt, eamdem fabricam cœpisse post annos quingentos & duos: & hos secuti sunt Carthusianus super loco Reg. proximè citato, & Hugo Cardinalis ibidem, & Sabellicus Enneadis 1.lib.9. non aduertentes eiusmodi codices vel ab aliquo de industria fuisse corruptos, vel librariorum incuria deprauatos: alioqui, vt probauimus, secum ipse pugnaret Iosephus. Aduertendum verò est, eumdem Iosephum recessisse à Textu sacro in anno vno: nam præter annos aliorum Iudicum, numerat etiam aunum ferè vnum ipsius Samgar. Nonnulli autem, annum illum incompletum ipsius Samgar, in illis annis octoginta Aod includendum putant, vt nos sub anno mundi 2720.num.1.dicemus; quod certè Sacro textui magis consentaneum videtur. Propterea Iosephus collegit ab exitu ad Templum annos quingentos nonaginta duos, alij autem quingentos nonaginta vnum: sed hoc parum refert; non enim in tanta annorum summa, de vnius anni differentia curandum est. Alteram supputandi rationem inierunt ferè omnes præcipui Scriptores Catholici, & plurimi item Hebræorum, secuti exemplum Scripturæ sacræ loco Reg. superiùs citato. Verumenimuerò, in colligenda illa quadringentorum octoginta annorum summa diuersimodè procedentes, & multi à recto tramite deuiantes, in varios errores absurditatesque inciderunt. Quamobrem probare non possumus modum, quem tenuit Abulensis super cap.3.Iudic. quæst.12. & super cap.1. Ruth, quæst.3. tum quia sine causa annos Principatus Iosue comprehendi putat in annis quadraginta Ducatus Othonielis; tum etiam, quia decem & octo annos afflictionis, quam populus inter Iair & Iephte (vt ipse asserit) ab Ammonitis perpessus est, connumerandos putat, reliqua verò Interregna nequaquam; cùm tamen nulla maior ratio habenda sit de his quàm de alijs, nec ipse aliam de hac re causam adducat, nisi *quia* (inquit) *si prædicti anni decem & octo non computentur, non poterit compleri summa quadringentorum octoginta annorum in Sacro eloquio notata*: quasi pro summa hac adinuenienda, nulla commodior iniri ratio posset. Iisdem ferè de causis admittere non possumus computum Masij in postremo Iosu. capite iam citato, quoniam numerat duo Interregna, nimirum illud Seniorum post obitum Iosue, quod dicit fuisse duorum vel quattuor annorum; & aliud in quo seruierunt Israelitæ Regi Mesopotamiæ octo annis; cetera verò Interregna prætenit. Et item, quia dinumerare omittit viginti annos Samsonis, quem non iudicasse Israelem existimat, contra expressum Scripturæ sacræ textum, Iudic. cap.15. vers.20. Superuacaneum puto, reliquos huiuscemodi supputationum modos variè ab aliis adinuentos, & pro libito suo ad proprios ipsorum sensus accommodatos, hic sigillatim recensere ac confutare; præsertim cùm ex vno alteróve exemplo cetera discere liceat. propterea ne longiores simus, ad vlteriora procedendum erit.

ALTERA SVPPVTANDI RATIO.

REFELLITVR ABVLENSIS SVPPVTATIO.

ITEM ALIA MASII.

14. Quoniam igitur (vt dicebamus) in vtraque supputandi ratione non omnes eamdem viam tenuerunt, neque omnes item prædictorum annorum supputatores, tum sacræ Scripturæ tum Iosephi codices emendatiores habuerunt; hinc factum est, vt in assignandis Præfecturæ annis trium illorum Iudicum, quorum tempora in Sacris libris minimè notata reperiuntur, nimirum Iosue, Samgar, & Samuelis, non omnes conuenerint. Nos ergo, vt in re tam varia, obscura, & controuersa, quod nobis tùm rationi tum sacræ Scripturæ magis consentaneum videtur, profetamus, dicimus, quòd ex quo communior opinio est, Præfectutam ipsius Samgar minus vno anno perdurasse, eamque in octoginta illis Ducatus Aod annis esse includendam: & item, quia licet in Veteri Testamento nulla fiat determinatio annorum Principatus Samuelis & Saulis; tamen in Nouo, videlicet Actorum cap.13. vers.21. in illis quadraginta annis, qui ibidem tribuuntur Sauli, comprehenduntur etiam anni Præfecturæ Samuelis, vt nos sub anno mundi 2979.num.10. fusiùs probabimus: & prætereà, quoniam, si sequamur probatos codices, in vtroque memorato subducendi modo non videntur (secluso tempore Ducatus Iosue) ad prædictas annorum summas conficiendas deficere, nisi tantummodò anni decem & septem, vt ex subiectis supputationibus manifestè apparebit: propterea Ducatui ipsius Iosue non plusquam septemdecim annos assignandos esse censemus. Quamquam duplicitet possunt isti anni, Præfecturæ ipsius Iosue attribui: Vno modo, vt intelligamus, ipsum Iosue toto illo tempore vixisse in suo Principatu, illud autem longum tempus indeterminatum, in quo post mortem Iosue superuixerunt Seniores Israel, & populus seruiuit Domino, quemadmodum dicitur Iosue cap.vlt. vers.31. &

AVCTORIS SENTENTIA

Iudic.cap.2.verſ.7. intelligatur in annis Ducatus Othonielis debere comprehendi. Altero modo, vt ſeptemdecim illi anni, inter Præfecturam Ioſue & tempus Seniorum ſint diſpertiendi; ita vt decem tantummodò primis annis ſuperfuerit Ioſue, ſeptem verò reliquis ſuperuixerint prædicti Seniores; & nihilominus omnes illi decem & ſeptem anni tribuantur Ducatui ipſius Ioſue, eò quòd illi Seniores, qui fuerant conſiliarij eius, & participes regiminis illius, illo mortuo, idem regimen ſine Duce continuarunt. Et hoc nobis longè magis placet; tum quia regimen Seniorum conuenientiùs tribui debet Principatui Ioſue, qui & ipſe erat ſenior, quàm Ducatui Othonielis, qui fuit omnibus illis valdè iunior; tum etiam, quia Ioſue cap.13.verſ.1. ſatis clarè inſinuari videtur, ipſum Ioſue iam propè ad extremam peruenisse ſenectam, priuſquam diuideret terram; ibi enim ſic legimus: *Ioſue ſenex, prouectaq; ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuiſti, & longæuus es, terraq; latiſſima derelicta eſt, quæ necdum ſorte diuiſa eſt*, &c. deinde verſ.7. ſubditur: *Et nunc diuide terram*, & quæ ſequuntur. quaſi diceret: Noli ampliùs differre diuiſionem terræ, quia iam valde ſenex es, & conſequenter pauci admodum adhuc tibi reſtant vitæ anni. Quare multò probabilius credendum eſt, quòd Ioſue, qui ſeptimo ſui Principatus anno, vt dictum eſt, cœpit diuidere terram, poſt illius diuiſionem tres tantummodò annos ſuperuixerit, quàm decem; & per conſequens, quòd præfuerit populo decem dumtaxat annis, vt ſentiunt Caietanus & Naclantus locis ſuprà citatis, & alij; quàm decem & ſeptem, vt crediderunt Io. Lucidus & alij. Ad Ioſephum autem & alios, qui multò plures Ducatui Ioſue annos aſſignarunt, dicimus primò, poſſe nos ſatis rationabiliter ſuſpicari, vel Ioſephi textum, vbi dicit, Ioſue populo imperaſſe annis viginti quinque, eſſe corruptum; vel eumdem Ioſephũ in recenſendis aliorum Iudicum Interregnorumque annis, non omnino ſecutum fuiſſe Sacrum textum; ſed, neſcio quomodo, octo annos minus ſubduxiſſe, eoſque, vt ſuppleret, ipſius Ioſue Principatui addidiſſe, ſicuti etiam (vt notat Lucidus vbi ſuprà) Euſebium feciſſe comperimus: nam cùm in ſerie Iudicum prætermiſiſſet Ahialon, qui & Aelom, quem in ſuo LXX. Interpretum codice non inuenerat, ob idque prædictam quadringentorum octoginta annorum ſummam 3.Reg. cap.6. collectam conficere nõ poſſet; decem illos Principatus Aelom annos à ſe prætermiſſos Ducatui Ioſue addidit, eumque non decem & ſeptem, ſed viginti ſeptem annis imperaſſe ſcriptum reliquit. Idem credimus contigiſſe aliis Scriptoribus, qui in ſuis ſupputationibus, vel Sacrorum codicum deprauatione, vel aliquo alio errore decepti, quot annos in ſumma minus inuenerunt, tot ipſius Ioſue Ducatui addendos putarunt. Atque ita propoſitæ difficultati ſatisfactum ſit; ſi tamen ad maiorem dictorum euidentiam, vtrumque ſupputandi modum hactenus à nobis ſæpiùs memoratum, hîc ex Sacro textu collectum ſeorſum deſcribere, & quiſnam eorum legitimus ſit, determinare non neglexerimus.

RECTA PRIORIS SVPPVTATIONIS INEVNDA RATIO.

15. *Prima ſupputatio, in qua annis Iudicum, Interregnorum quoque ſeu ſeruitutum anni adduntur.*

Moyſes (vt ſub anno mun.2583.num.34.probauimus) præfuit populo annis	40.
Ioſue	
Seniores.	
Interregnum, in quo Iſraelitæ ſeruierunt Regi Meſopotamiæ (Iudic.capit.3.verſ.8.) fuit annorum	8.
Othoniel (vt patet Iudic.cap.3.verſ.11.) rexit populum annis	40.
Interregnum quod accidit, quando ſeruierunt Regi Moabitarum, cuius fit mentio Iudic.cap.3.verſ.14. perdurauit annos	18.
Aod, computato vno circiter anno Ducatus Samgar, vt habetur in calce citati capitis, iudicauit Iſraelem annos	80.
Tempus quo ſeruierunt Regi Chanaan (Iudic.cap.4.verſ.3.) fuit annorum	20.
Præfectura Debboræ & Barac (Iudic.cap.5.verſ.32.) perſeuerauit annis	40.
Seruitus ſub dominio Madianitarum (Iudic.cap.6.verſ.1.) fuit annorum	7.
Ducatus Gedeonis (Iudic.cap.8.verſ.28.) annorum	40.
Ducatus Abimelech (Iudic.cap.9.verſ.22.) annorum	3.
Ducatus Tholæ (Iudic.cap.10.verſ.2.) annorum	23.
Ducatus Iair (ibidem verſ.3.) annorum	22.
Interregnum ſub ſeruitute Philiſthinorum & Ammonitarum (Iudic. cap.10. verſ.8.) fuit annorum	18.

Prin-

Principatus	Iephte (Iudic.cap.12.verſ.7) annorum	6.
	Abeſan (ibidem verſ.9.) annorum	7.
	Ahialon (ibidem verſ. 11.) annorum	10.
	Abdon (ibidem verſ.14.) annorum	8.
Aliud Interregnum ſub Philiſthæis (Iudic.cap.13.verſ.1.) annorum		40.
Præfectura	Samſonis (Iudic.cap.15.in fine) annorum	20.
	Heli (1.Reg.cap.4.verſ.18.) annorum	40.
	Samuelis & Saulis (Actorum cap.13. verſ.21.) annorum	40.
Regnum	Dauidis (2.Reg.cap.5.verſ.4.& 1.Paralip.cap.3.verſ.4.) annorum	40.
	Salomonis (3.Reg.cap.6.verſ.37.) annorum	4.
	In ſumma an.	574.
Quibus ſi adiicias annos		17.

videlicet decem Ducatus Ioſue, & ſeptem regiminis Seniorum, in propriis lineis de induſtria prætermiſſos, reſultabit ſumma annorum 591.

16. *Altera ſupputatio, in qua Interregna in Iudicum annis includi cenſentur.*

ALTERA SVPPVTATIO PROPONITVR.

Moyſes præfuit annos	40.
Ioſue	
Seniores	
Othoniel, in cuius Principatu includuntur anni octo ſeruitutis ſub Rege Meſopotamiæ, annos	40.
Aod, computatis annis decem & octo ſeruitutis, quæ contigit ſub Rege Moabitarum, & anno incompleto Samgar, annos	80.
Debbora & Barac, comprehenſis annis viginti quibus ſeruierunt Iſraelitæ Regi Chanaan, annos	40.
Gedeon cum Interregno ſeptem annorum ſub Madianitis, annos	40.
Abimelech, annos	3.
Thola, annos	23.
Iair, computata ſeruitute decem & octo annorum ſub Philiſthæis & Ammonitis, annos	22.
Iephte, annos	6.
Abeſan, annos	7.
Ahialon, annos	10.
Abdon, annos	8.
Samſon, in cuius & præcedentium quattuor Iudicum temporibus computanda eſt ſeruitus quadraginta annorum ſub Philiſthæis tranſacta, iudicauit Iſraelem annos	20.
Heli, annos	40.
Samuel & Saul, annos	40.
Dauid, annos	40.
Salomon, annos	4.
In ſumma an.	463.
His adde annos	17.

decem videlicet ipſius Ioſue, & ſeptem memoratorum Seniorum, ſuis locis vltrò prætermiſſos, & inuenies ſummam annorum 480.

Ecce quomodo, vt dicebamus, ex vtraque ſubductione ritè collecta, neceſſariò infertur, ipſi Ioſue & Senioribus dandos eſſe ſeptemdecim annos, nimirum decem Ducatui Ioſue, & ſeptem regimini Seniorum, vt ſuprà dictum eſt; quamuis nihil horum Scriptura ſacra expreſſerit.

17. Verùm dicet hîc aliquis, Ergóne vtraque ſupputandi ratio probanda eſt? Nequaquam. cùm enim tantum inter eas interſit, vt differentia ſit centum & vndecim annorum; profectò neceſſe eſt alteram ipſarum eſſe falſam. Quænam igitur ea eſt? Dicimus,

PRIOREM SVPPVTATIONEM ESSE REIICIENDAM, ALTERAM VERO RECIPIENDAM.

Dicimus, confidenterque asserimus, priorem omnino esse reiiciendam, tamquam erroneam, & ex Sacro quidem textu, sed malè percepto, desumptam, ac non sine magno sacræ Chronologiæ detrimento concinnatam. Alteram autem esse verissimam, & ab omnibus sine vlla hæsitatione acceptandam; tum quia communior est, & in ipsomet Sacro textu expressa: tum quia Interregnorum seu seruitutum tempora in annis Iudicum contineri, probant Hebraicæ Traditiones, Eusebio teste in Chronico, & Petro Comestore in Historia libri Iudic. cap. 5. & sentiunt Lyranus & Carthusianus super Iudic. cap. 3. & super 3. Reg. cap. 6. item Hugo Cardinalis super loco Iudicum citato, & ibidem Abulensis quæst. 12. Eiusdem sententiæ sunt & Genebrardus libr. 1. suæ Chronologiæ pag. 38. & 39. & alij multi, Naclantus quoq; in libro Arcanorum Christi, vbi agit de Quarta mundi ætate, non solùm eamdem sequitur opinionem, sed etiā ait eam comprobari consensu ferè omnium, nedum Scripturam sacram exponentium, verùm etiam Philonis, Eusebij, Bedæ, Isidori, & aliorum tempora ex Sacris libris computantium. Idem confirmari potest ex ipsamet sacra Scriptura Iudic. cap. 4. verss. 4. vbi cùm dixisset, filios Israel à Iabin Rege Chanaan & Sisara principe exercitus eius, per viginti annos vehementer fuisse oppressos, protinus subdit, quòd *in illa tempore*, id est durante illa seruitute, *Debbora iudicabat populum*. & apertiùs cap. 15. in fine dicitur, quòd *Samson iudicauit Israel viginti annis in diebus Philisthiim*, hoc est quando Philisthæi dominabantur Hebræis, vt in eodem capite verss. 11. apertiùs expressum fuerat, vbi Iudæi dixerant Samsoni: *Nescis quòd Philisthiim imperent nobis?* & cap. 14. verss. 4. vbi legimus, quòd *eo tempore Philisthiim dominabantur Israeli*. Huc accedit, quòd si Interregnorum seu seruiturum tempora annis Iudicum addenda essent, vt fit in priori supputatione, proculdubiò fateri necesse esset, ab introitu Israëlis in terram Chanaan ad natiuitatem Dauidis, fluxisse annos quadringentos septuaginta septem; quibus si adiunxeris annos saltem quattuordecim vitæ Rahab (non enim minor esse poterat, cùm iam ex tunc esset meretrix, vt patet Iosue cap. 2. verss. 1.) fient ab ortu Rahab ad ortum Dauidis, anni quadringenti nonaginta & vnus. Atqui videtur impossibile tot annos posse dispertiri inter quattuor illas generationes, quæ habentur Matthæi cap. 1. illis verbis: *Salmon autem genuit Booz de Rahab, Booz autem genuit Obed ex Ruth, Obed autem genuit Iesse, Iesse autem genuit Dauid Regem*. siquidem oporteret ipsum Salmon fuisse centum viginti duorum annorum & ampliùs, quando genuit Booz; & reliquos tres eiusdem fuisse ætatis, quando genuerunt; & (quod maius est) sequeretur, ipsam quoque Rahab annos ætatis suæ centesimo vigesimo secundo, vel etiam aliquantò pòst, de viro sibi coætaneo concepisse, ac peperisse ipsum Booz; quod prorsus videtur incredibile. Non esse autem ponendos plures Booz, (vt nonnulli faciunt) inter Salmon & Obed, infrà sub anno mundi 2748. num. 4. probabitur. Hinc ergo infertur, primam de qua hîc agimus supputationem esse omnino falsam. Denique idipsum magis patet; quia si ab exitu ad Templum fluxissent anni quingenti nonaginta & vnus, vt prior continet supputatio; vtique dicere oporteret (quod nefas esset) Scripturam sacram errasse 3. Reg. cap. 6. verss. 1. vbi disertis verbis asserit, Templum fundatum fuisse quadringentesimo octogesimo anno, ex quo Israel de Ægypto exierat.

MELCHIORIS CANI OBIECTA DILVVNTVR.

18. Sed, quid dicemus ad ea, quæ Melchior Canus lib. 11. Locorum Theologicorum cap. 5. in responsione ad argumentationem 12. tam diffusè disputat contra prædictum numerum quadringentorum octoginta annorum? ibi namque demonstrare contendit, textū 3. Reg. cap. 6. verss. 1. iam citatum, vel errore Scriptorum fuisse immutatum; vel illius libri Auctorem non curasse ibi exprimere verum numerum annorum, qui fluxerant ab exitu Israel de Ægypto ad initium ædificationis Templi: sed de industria computasse in illa summa quadringentorum octoginta annorum, tantummodò annos Iudicum & Regum, relictis Interregnorum temporibus. Respondeo, nullam posse rationabilem subesse suspicionem, quòd textus ille fuerit immutatus: quia ipsemet Canus loco citato fatetur, quòd cuncta exemplaria sacra, Latina scilicet, Græca, & Hebraica, & vniuersi illius loci Expositores, vno omnium consensu prædictum textum numerumque confirmant; vnde nullatenus in hoc recipi posse videntur quidam LXX. Interpretum codices, qui ibidem pro anno *quadringentesimo & octogesimo*, legunt, *quadragesima & quadringentesima*; quæ lectio rum sententiæ Cani, tum nostræ & communi omnibus modis aduersatur. Sed neque valdè operosum erit, cetera Cani argumenta dissoluere. Nam ad auctoritates Iosephi & Sabellici, quos ait longè plures annos posuisse ab exitu de Ægypto ad fundationem Templi Salomonis, breuiter

breuiter dicimus, longè maiorem fidem habendam esse sacræ Scripturæ, quàm quibusuis aliis Scriptoribus. Ad illam verò rationem, quam desumit ab illis quadringentis quinquaginta annis, quorum fit mentio Actorum c. 13, vers. 20. respondemus, argumentum illud fundatum esse super interpretatione illius loci facta ab Erasmo & Pagnino, quæ valdè diuersa est ab ea quam legimus in editione Vulgata: nam hæc terminat illos quadringentos quinquaginta annos ad diuisionem terræ Chanaan; illa verò perperàm numerat eos à diuisione terræ, ad Samuelem. Cùm igitur certum sit, sequédam potiùs esse editionem Vulgatam, quæ sine dubio maioris est auctoritatis; cessat Cani argumentatio, tamquam ex Textu minùs probato deducta. Quod autem obiicit Canus, eos qui nostram communemque sententiam sequuntur in hac quadringentorum octoginta annorum supputatione, quædam absurda protulisse; hoc non negamus: sed aliud est dicere, prædictum numerum non esse verum; & aliud, ab aliquibus non ritè fuisse deductum, quod nos quoque suprà num. 11. reprehendimus, & quomodo rectè ac sine vlla absurditate deduci possit, indicauimus. Neque verò irridendi sunt, qui omnia Interregna in annis Iudicum includenda esse affirmant; quandoquidem nititur antiquissimæ Hebræorum traditioni, de qua Eusebius, grauis Auctor, in Chronico fidem facit: neque par est de tanto Auctore suspicari, quòd non fideliter huiuscemodi traditiones allegauerit, ne ipse primus rei absurdæ auctor haberetur; vt ei perperàm imponit Canus, præsertim cùm eædem traditiones admodum consentaneæ sint cum ipsamet sacra Scriptura, ex qua non obscurè elici potest, prædicta Interregna in annis Iudicum debere comprehendi, quemadmodum nos suprà numero 15. demonstrauimus. Aliud verò argumentũ desumptum à trecentis illis annis, quibus Iudic. cap. 11. vers. 26. dicuntur filij Israel possedisse terram Galaad; potest bellè aduersus ipsum Canum retorqueri. Nam licet à deuicto Sehon Rege Amorrhæorum ad tempora Iephte, (seclusis Interregnorum temporibus) non inueniantur trecenti anni, sed tantummodò ducenti sexaginta septem, vt in nostris tabulis dinumerari potest: tamen neque etiam si ipsa Interregna computentur, resultabunt præcisè anni trecenti, sed multò plures, nimirum trecenti triginta septem. Quare argumentum inde deductum, simpliciter consideratum, non magis pugnat contra nostram quàm contra Cani sententiam: si verò accuratiùs ille locus perpendatur, magis fauet nobis quàm Cano: siquidem ibi creditur Iephte, quando respondens Ammonitis dixit, Israëlitas possedisse terram Galaad trecentis annis, non curasse tunc exprimere præcisum numerum, sed per exaggerationem, vt fit, in fauorem propriæ causæ, dixisse aliquid amplius, & vsurpasse numerum perfectum pro imperfecto; quia tametsi adhuc trecenti non essent, ad trecentesimum tamen iam accedere incipiebant: quòd si reuerà tunc Israel iam possedisset terram Galaad plusquam trecentis annis, nimirum trecentis triginta septem; non contentus fuisset Iephte dicere trecentis, sed dixisset quadringentis annis, vel saltem trecentis quinquaginta. Simile quid legimus in Euangelio Ioan. cap. 8. vers. 56. fecisse Iudæos, quando altercantes cum Christo, dixerunt ei: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* sufficere enim eis poterat dicere, *Triginta quinque*, vel *Quadraginta annos nondum habes.* & tamen exaggerantes dixerunt, *Quinquaginta.* Puto etiam falli Canum in eo quòd asserit, Samuelem in illis viginti annis, quibus mansit Arca Domini in Cariathiarim, non fuisse Iudicem populi, sed tantummodò Prophetam: quia hoc posito, necessarium esset, inter Principatum Heli & Samuelis, ponere aliud Interregnum, de quo tamen neque in Sacris libris, neque alibi vllà fit mentio. Et hæc ad sacram horum temporum Chronologiam à Iosepho & eius asseclis non modicum labefactatam, in pristinum restituendam, magisque confirmandam, dicta sufficiant. Redeamus ad historiam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2593. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 50.

1 Anno introitus Israëlitarum in terram Chanaan decimo (quemadmodum ex his, quæ sub anno mundi 2591. num. 12. dicta sunt, & ex infrà dicendis inferri potest) circa medietatem (vt arbitror) anni, res valdè mirabilis accidit in populo Israel: nimirum apparuit Angelus Domini in forma humana ascendens de Galgalis vsque ad quemdam locum, qui posteà ab euentu, vt dicemus, nomen sortitus est: quod vt vulgatum fuit, statim ad eum conuenit populus cum Principe suo Iosue. Ad quos loqui cœpit Angelus ex persona Domini, cunctis audientibus. Et cùm obiurgasset MIRABILIS ANGELI APPARITIO ARGVENTIS POPVLVM.

gasset eos, quòd post tot tantaque beneficia à Deo accepta, post adeptam possessionem Terræ patribus eorum promissæ, contra præceptum Domini iniissent fœdus cum Chananæis; illicò subiunxit: *Quamobrem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam*. Quæ audientes Israelitæ, partim dolentes pro culpa, partim prænuntiatam timentes vltionem, in planctum erumpere cœperunt; vnde posteà locus ille, Locus flentium appellatus est; nec vbi esset, adhuc compertum habemus. Vt autem disparuit Angelus, ibidem immolatis hostiis, & à Iosue dimissi, *abierunt vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam*; id est, inde hac intentione discesserunt, vt rupto fœdere cum Chananæis, illos à se reiicerent, ac singuli regiones sibi assignatas, ac magnâ ex parte hactenus possessas, plenè obtinere curarent. Et hæc sunt, quæ per recapitulationem breuiter describuntur Iudicum cap. 2. vers. 1. vsque ad 7. vbi etiam, paucis interpositis, recapitulatur obitus Iosue, tamquam non multò post prædicta subsecutus. Ex quibus omnibus colligi posse videtur, memoratam obiurgationem paucis mensibus ante mortem Iosue, vt dicebamus, contigisse; quando scilicet singulæ tribus, post acceptas & aliquamdiu possessas hereditates, non curauerant Chananæos à se omnino expellere, sed pacificè inter eos habitare iam cœperant.

2. Sub finem eiusdem anni, euoluto scilicet iam multo tempore postquam pacem dederat Dominus Israeli, id est à subiecta terra Chanaan, & inchoata diuisione eius, annis ferè quattuor, vt ex suprà anno mundi 2590. num. 1. dictis consequitur; Iosue cùm esset adeò decrepitus, vt se morti proximum crederet, vocauit ad se cunctos seniores ac Principes populi, vt eis, sicuti par erat, antequam moreretur, monita salutis daret. Breuiter itaque priùs commemoratis aliquot beneficiis Domini, qualiter nimirum eis subdidisset Chananæorum nationes, & terram earum ipsis sorte distribuisset; hortatus est eos, vt sollicitè custodirent omnia quæ scripta erant in Lege Moysi, & præcipuè aduerterent, ne vmquam iurarent in nomine deorum Gentium, aut illis vllum cultum adhiberent, sed seruire iugiter Domino, ipsumque super omnia diligere studerent; & hoc agentes non dubitarent, quin potiùs pro certo haberent, ipsum Dominum pugnaturum pro ipsis contra reliquos Chananæos, donec disperderet illos. Sin autem voluissent Gentium illarum errores sequi, & cum eis miscere connubia: sine dubio expectarent à Domino easdem Gentes non modò non esse delendas, sed potiùs diuina permissione ipsis adeò infestas ac noxias fore reddendas, vt eis in foueam, laqueum, & offendiculum, ac veluti sudes in oculis essent futuræ. Hæc & huiusmodi quæ locutus est eis Iosue, vt arctiùs in audientium cordibus imprimerentur, ac diutiùs permanerent, conclusit sermonem suum, rogans eos vt memores essent, se morti proximum hæc eis prædixisse; certoque scirent, Deum non minùs in memoratis comminationibus fulminandis, quàm in bonis promissis conferendis, esse veracem: & propterea, quemadmodum in Terra patribus eorum repromissa eis tradita, experimento didicerant Domini fidelitatem; ita eamdem certissimis experimentis probaturos, in eiusdem terræ quam acceperant amissione, & aliorum perpessione malorum, quæ eis ineuitabiliter euentura erant, si à Dei obedientia recessissent: Iosue cap. 23. per totum.

IOSVE SENEX MONITA SALVTIS DAT PRINCIPIBVS HEBRAEORVM.

3. Quoniam autem contigit post hæc ipsum Iosue aliquantò ampliùs superuiuere quàm crediderat, non contentus paterna monitione iam facta, operæpretium duxit, conuocare etiam omnes tribus Israel in Sichem, & ad exemplum prædecessoris ac magistri sui Moysi, longiorem coram eis postremamque habere concionem. Igitur congregatis omnibus, cœpit Iosue, repetens ab origine eductionem Abrahæ de terra Chaldæorum, & multiplicationem seminis eius ex Isaac & Iacob, deinceps recensere plurima potioraque beneficia Domini, per singulas temporum successiones facta, vsquequò tandem peruenit ad postrema, tamquam ex persona ipsius Domini dicens: *Dedique vobis terram in qua non laborastis, & vrbes quas non ædificastis, vt habitaretis in eis: vineas & oliueta, quæ non plantastis*. Deinde iterùm cœpit hortari eos, vt in animum inducerent timere Dominum, & perfecto corde seruire ei soli, & auferre à se deos alienos. Quòd si hoc graue videatur, dat eis optionem, vt declarent se, & eligant cui seruire malint. Quibus respondentibus, se omnino velle seruire Domino, à quo tot tantaque beneficia acceperant; vt exploraret Iosue, num ex corde ita respondissent, subiunxit: *Non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis*, &c. Cui populus: *Nequaquam ita vt loqueris, erit, sed Domino seruiemus*. Videns ergo Iosue populum benè affectum atque dispositum, iussit

CONVOCAT POPVLVM IN SICHEM, ET FOEDVS PERCVTIT CVM DOMINO.

iussit eos auferre à se deos alienos, percussitque fœdus cum Domino, proponens populo præcepta atque iudicia quæ obseruare debebant, & sponsam ab eo obedientiam offerens Domino. Quod vt factum est, scripsit Iosue, ad æternam rei memoriam, in volumine Legis Domini totam hanc actionem; & insuper, in signum ac monimentum posteris icti cum Domino fœderis, erexit ibi sub quercu lapidem grandem; atque his actis dimisit populum, singulos in possessionem suam: Iosue cap. vlt. vers. 1. vsque ad 29.

IOSVE OBITVS.

4. Ipse autem Iosue, muneris sui functionibus gloriosè expletis, nimirum Israëlitis ad destinatam sedem Iordane siccato perductis, & Palæstina, victis cæsisque incolis, tributim Hebræis diuisa, paulò pòst, nempe eodemmet anno circiter delinente, exacto scilicet sui Principatus decennio, vt sub anno mundi 2591. num. 12. probatum est, vitæ verò expletis annis centum ac decem, mortuus est, & sepultus in monte Ephraim, in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, à Septemtrionali parte montis Gaas: Iosue cap. vlt. vers. 29. & Iudic. cap. 2. vers. 8. Huius eximiæ laudes celebrantur Ecclesiastici cap. 46. vers. 1. vsque ad 11. Visum est autem hîc ipsa Ecclesiastici verba intexere, quòd egregia quæque ipsius Iosue gesta breuiter perstricta contineant, quæ sic habent: *Fortis in bello Iesus Naue, successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei* (id est, sicut nomen sortitus est magnum, quod Saluatorem significat; ita in præstanda populo salute egregiam sanè operam nauauit) *expugnare insurgentes hostes, vt consequeretur hereditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas*, (nimirum vt fecit contra habitatores Hai, Iosue cap. 8. vers. 18. 19. & 26.) *& iactando contra ciuitates* (subaudi Chananæorum) *rhomphaas? Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit*, (hoc est, in potestatem eius reduxit, siue redegit.) *An non in iracundia eius impeditus est Sol, & vna dies facta est quasi duo? Inuocauit Altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valdè fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios, vt cognoscant gentes potentiam eius, quia cōtra Deum pugnare non est facile. Et secutus est à tergo potentis* (id est, ductum Dei potentis:) *& in diebus Moysi, misericordiam fecit ipse & Caleb filius Iephone, stare contra hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ. Et ipsi duo constituti, à periculo liberati sunt à numero sexcentorum millium peditum inducere illos in hereditatem, & in terram quæ manat lac & mel.* hactenus verba Ecclesiastici.

EIVS LAVDES EX ECCLESIASTICO.

LIBER IOSVE QVANDO SCRIPTVS.

5. Ceterùm ex memoratis verbis, quæ habentur Iosue cap. vlt. versic. 26. videlicet: *Scripsit quoque* (supple, Iosue) *omnia verba hæc in volumine Legis*. Arias Montanus ibidem, & Io. Driedo lib. 1. de Dogmatibus Ecclesiasticis cap. 1. colligunt, librum, Iosue inscriptum, ab ipsomet Iosue fuisse conscriptum. Idem sensisse videtur S. Isidorus lib. 6. Originum cap. 2. ex Hebræorum opinione in suo Talmude, quā reiicit Andreas Masius in Præfatione Commentariorum suorum in Iosue. Sed procul dubiò memorati Auctores falluntur: nam illa verba conuenientiùs accipi debent de fœdere inito in Sichem, quod registratum fuisse dicitur in volumine Legis, vt sentiunt Caietanus & Abulensis. Sed & S. Theodoretus à Sixto Senense lib. 1. suæ Bibliothecæ sanctæ citatus, putat librum Iosue, longè post tempora ipsius, ab aliquo alio fuisse collectum ex quodam libro antiquo, cui titulus erat, Liber iustorum, & in eodem Iosue cap. 10. vers. 13. allegatur. Abulensis verò, licet super cap. 15. Iosue in expositione textus post quæst. 4. dixerit Samuelem fuisse auctorem libri Iosue; tamen super cap. 1. Iudic. indeterminatè dicit, aliquem alium, ipso Iosue multò posteriorem, scripsisse librum illum; quod & nos credimus, tum propter ea quæ sub anno mundi 2590. num. 4. obiter adnotauimus, quæ etiam vsui esse poterunt ad ea, quæ infrà sub anno mundi 2594. num. 5. dicenda sunt de expugnatione vrbis Dabit, & num. 10. tum etiam quia Auctor lib. Iosue cap. 6. v. 4. & 13. memorat *septem buccinas, quarum*, inquit, *vsus est in Iubileo*. Oportet igitur dictum librum fuisse conscriptum post plures iam transactos Iubileos; non enim ex vno aut altero actu, sed ex pluribus fieri debuit ille vsus. Quòd autem ab anno primo introitus Israelis in terra Chanaan, dinumerandi essent Sabbatici Iubileorumque anni, iam sub anno mundi 2584. num. 2. probatum est. Eamdem sententiam, nempe quòd Iosue non fuerit scriptor suæ historiæ, aliis quoque argumentis tuetur Masius, non solùm loco eius citato, sed etiam super Iosue cap. 10. vers. 13. & super cap. 19. vers. 28. & 47.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2594. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 51.

DE INTERREGNO REGIMINIS SENIORVM.

1. ANNO immediatè sequenti post mortem Iosue, cœpit Interregnum sub regimine Seniorum, de quo fit mentio Iosue cap. vlt. vers. 31. & Iudic. c. 2. vers. 7. Quibus in locis legimus, quòd filij Israel post mortem Iosue seruierunt Domino longo tempore, nimirum donec vixerunt Seniores, qui viderant omnia opera Domini quæ fecerat cum Israel. Quot verò annos complexum sit prædictum longum tempus, in Scripturis sacris expressum non habemus; quo fit vt alij plurium annorum, alij pauciorum, illud faciant: sed ex his quæ nos sub anno mundi 2591. num. 14. diximus, infertur, fuisse septem annorum. Quo in tempore *non erat Rex in Israel, & vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat*, vt expresse traditur Iudic. cap. 17. vers. 6. & cap. 18. vers. 1. & cap. 21. in fine. Quæ verba vniuersaliter sunt accipienda; hoc est, non solùm de Rege propriè accepto, sed etiam de Iudice, siue Duce, Principe, aut Rectore, qui posset delinquentes punire. Sic etiam vsurpatur nomen Regis Iudic. cap. 9. vers. 22. vbi dicitur, Abimelech regnasse super Israel, hoc est iudicasse Israelem; & Matthæi cap. 2. vers. 22. dicitur, quòd Archelaus regnabat in Iudæa; cùm tamen reverà numquam Regis titulum à Cæsare obtinere potuerit, vt suo loco dicetur.

QVOT ANNIS PERDVRAVERIT.

QVAE INTERIM GESTA.

ELEAZARI PONTIFICIS OBITVS.

2. Quæ autem intra hoc septennij tempus gesta sint, breuiter tanguntur sub finem libri Iosue, & in toto cap. 1. lib. Iudic. vbi inter alia primò notatur mors Eleazari summi Sacerdotis; ex quo videtur quoquomodò insinuari, quòd non multò post mortem Iosue obierit. Deinde describitur, quòd considerantes filij Israel, id est vniuersæ tribus Israeliticæ, necessarium fore ante omnia, sufficere aliquem Ducem loco Iosue, qui in omnem belli euentum omni populo imperare, acies dirigere, & reliqua ad bella gerenda spectantia prouidere, disponere, atque ordinare posset: consuluerunt Dominum (vtique, vt creditur, quemadmodum imperauerat Moyses Numer. cap. 27. vers. 21. per summum Sacerdotem, qui tum fortè erat, non Eleazar, sed filius eius Phinees) cuinam hoc munus demandare deberent: & acceperunt diuinum responsum, vt Iudam constituerent belli Ducem. Non, vt quidam opinati sunt, totam tribum Iuda, sed, vt probabilius puto, Principem tribus Iuda, qui tunc erat Caleb, vt patet Num. cap. 34. vers. 19. & hoc comprobari potest ex Iudic. cap. 1. vers. 12. vbi Caleb, tamquam primarius belli Dux, proponit edictum in hæc verba: *Qui percusserit Cariathsepher, & vastauerit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* & suprà vers. 10. dictum fuerat, quòd *pergens Iudas contra Chananæum qui habitabat in Hebron, percussit Sesai, & Ahiman, & Tholmai*; quos ab ipso Caleb interfectos fuisse legimus ibidem vers. 20. & Iosue cap. 15. v. 14. vbi eadem historia per recapitulationem descripta ponitur. Neque huic sententiæ obstat, quòd tunc Caleb esset valdè senex, videlicet propè nonagenarius, & consequenter videretur ad belligerandum minùs aptus: quia erat robustæ admodum habitudinis, vt ipsemet quinquennio antè protestatus fuerat, Iosue cap. 14. vers. 10. dicens, quòd licet eo tempore octoginta quinque esset annorum, erat tamen sic valens, sicuti quando quadraginta quinque annos natus, ad explorandam Chananæam missus fuerat. Et præterea scimus quòd Iosue, quando factus est Dux populi, multò senior erat ipso Caleb, nimirum centenarius, vt patet in tabulis; & tamen multa bella postmodum gessit. Quod mirari nemo debet: supremi namque bellorum Duces, non proprij corporis, sed animi viribus pugnare consueuerunt. Patet igitur, quòd locis Iudicum citatis, pro Iuda, accipere debemus non tribum Iuda, sed Caleb Principem tribus Iuda. Et in eodem sensu accipiendum puto, quod dicitur Iudic. cap. 20. vers. 18. vbi cùm reliquæ tribus in vnum collectæ interrogassent Dominum, quis in ipsorum exercitu constituendus esset princeps contra filios Beniamin; respondit Dominus: *Iudas sit Dux vester.* hoc est, non vniuersa tribus, sed Princeps qui tunc erat tribus Iudæ. Ex quo inferri potest, quòd illo tempore, de quo agitur cap. Iudic. proximè citato, vel iam mortuus erat Caleb, vel præ extrema senectute ad bellum iam redditus erat omnino inhabilis: alioqui non opus fuisset noua Ducis electione. Est etiam rationi valdè consona memorata expositio: nam cùm singulæ tribus singulos haberent Principes, vt sæpiùs Scriptura sacra testatur; proculdubiò, quotiescumque vna tribus appellatur Dux belli, deber intelligi de Duce illius tribus: alioqui oporteret admittere, quòd omnes illius tribus essent Duces belli; & consequenter irrationabile esset, plures ponere Duces inter se minimè subordinatos. Sed neque prædictis officit, quòd Caleb non numeretur inter Iudices populi,

CALEB DVX BELLI CONSTITVTVS.

CVR INTER IVDICES POPVLI NON SIT CONNVMERATVS.

populi; quia Principatus ei demandatus fuit tantummodò in his quæ pertinerent ad belli administrationem, vt paret ex initio libri Iudicum, & ideò nusquam legitur de eo, quòd iudicauerit Israelem, sed potius oppositum, nempe quòd in toto hoc tempore, de quo nunc agimus, videlicet ab obitu Iosue ad mortem Seniorum, non erat Rex neque Iudex in Israel, & vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat, vt numero præcedenti dictum est. Denique vnius tribus appellatione, nonnumquam in Sacro eloquio debere accipi non proprie ipsam tribum, sed per Synecdochen, Principem aliquem de illa tribu, colligi etiam potest ex 2. Reg. cap. 7. vers. 7. vbi Dominus per Nathan Prophetam dicit Dauidi: *Numquid loquens locutus sum ad vnam de tribubus Israël, cui præcepi vt pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?* Ibi enim sacri Expositores per vnam de tribubus Israel, non ipsam tribum, sed aliquem totius populi Israelitici Rectorem intelligunt de vna tribu assumptũ; tum quia ibidem Chaldaica Paraphrasis habet: *Num verbum locutus sum ad quempiam ex tribubus Israel, quem iusserim pascere populum meum, dicendo: Quare,* &c. & Sacer textus 1. Paralip. cap. 17. vers. 6. vbi hoc idem repetitur, ait: *Numquid locutus sum saltem vni Iudicum Israel, quibus præceperam vt pascerent populum meum, & dixi: Quare,* &c. tum etiam quia nusquam reperiunt, Dominum præcepisse alicui tribui, vt pasceret, hoc est regeret ac gubernaret alias tribus, sed commisisse quibusdam particularibus viris ex aliqua tribu pro tempore electis, puta Moysi, Aaroni, Iosue, Othonieli, aliisque Iudicibus ac Regibus. Nisi forte memoratũ Scripturæ locum quis exponendum putaret de vniuersa tribu Leuitica, cuius officium erat pascere populum Israeliticum spiritualiter, nempe docendo quæ ad Dei cultum pertinerent. Verùm hæc expositio (prætetquam quòd valde dissidet à communi ceterorum Expositorum sententia, & ab allegata Paraphrasi, &, quod magis vrget, à citato textu Paralip.) non omnino etiam videtur adaptari posse dicto textui 2. Regum, in quo non de pascuis spiritualibus agi videtur, sed magis de temporali regimine, per quod scimus Deum aliquando voluisse, vt materialia sibi templa construerentur; quemadmodum patet de Salomone, Herode, & aliis. Et hîc quoque ex allegatis Sacri textus verbis obiter nota, quòd Principes à Deo præpositi populi sunt, vt sint tamquam pastores, qui sedulam ipsorum curam gerant, non tamquam lupi, qui nihil aliud auent, nisi vt ex eorum carnibus ipsi pascantur. Ceterùm, si cupis scire quanta sit inter pastores ouium & populorum Rectores similitudo atque proportio, consule Philonem lib. 1. de Vita Moysis, non longè ab initio.

QVOT ANNIS ELEAZAR PONTIFICATVM GESSERIT POST AARONEM PATREM.

PHINEES ELEAZARO SVCCEDIT.

QVAMDIV IN EA DIGNITATE VIXERIT.

3. Sanè, cùm ex his quæ circa initia numeri præcedentis diximus, probabile admodum fiat, Eleazarum summum Sacerdotem hoc citciter anno decessisse, si id verum est, vtique oportet ipsum annos dumtaxat fermè duodecim in Pontificatu exegisse, vt planum facile fieri poterit in tabulis. Verùm quia certum est, quòd ei in eadem dignitate proximè successit filius eius Phinees, iuxta diuinam pollicitationem ipsi tunc factam, quando vt dicitur 1. Machab. cap. 2. vers. 54. zelando zelum Dei, Iudæum cum Madianitide scortantem pugione confodit, quemadmodum descriptum fuerat Num. cap. 25. vers. 7. vsque ad 14. & nos sub anno mundi 2583. num. 19. retulimus: si quis quærat, quot nam annis ipse Phinees & singuli successores ac posteri eius Pontificatum tenuerint; dicimus, id certò sciri non posse; tum quia nusquam in Sacris libris illud notatum reperitur; tum etiam, quoniam, quod attinet ad ipsum Phinees, probanda vllo modo non est illatio illa Sigonij, qui (lib. 5. de Repub. Hebræorum cap. 2. vbi nomina seriemque Pontificum recenset) ex illis Iudic. cap. 20. vers. 27. verbis, *Eo tempore ibi erat Arca fœderis Dei, & Phinees filius Eleazari filij Aaron præpositus domus*, subinfert, dicens: Ex hoc apparet, dictum Phinees vixisse vsque ad tempora Samsonis Iudicis. & paucis interpositis ait, quòd Scriptura eiusdem Phinees ætatem producit vsque ad tempora Heli. Sed fallitur proculdubiò Sigonius; tum quia bellum illud reliquarum tribuum aduersus tribum Beniamin, quod capite Iudic. citato post historiam Samsonis, cui proximè in Iudicatu successit Heli, describitur, & in quo fit mentio dicti Phinees, non gestum fuit temporibus Samsonis, aut Heli, aut alterius Iudicis, sed tempore Seniorum ante Othonielem, qui primus numeratur inter Iudices; quando scilicet non erat Rex neque Dux in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat: vt nos infrà num. 14. pluribus demonstrabimus. Denique, si poneremus ipsum Phinees peruenisse ad postrema Samsonis, vel prima Heli tempora; sequeretur, dictum Phinees gessisse Pontificatum per annos plusquam trecentos; (quod certè videtur incredibile:) totidem enim numerantur ab hoc anno ad obitum Samsonis, vt recenseri potest in tabulis. Ex his quoque elicitur, decipi Origenem tomo 7. in Ioannem, vbi de

SIGONII OPINIO REPELLITVR.

isto

isto Phinees verba faciens, ait: *Qui absque dubio produxit vitam vsque ad multos Iudices, sicuti legimus in libro Iudicum.* sic ille. Vides quàm facile decipiuntur, qui minus accuratam operam in ratione temporum probè callenda nauant. Quod verò spectat ad posteros dicti Phinees, tametsi constet, (quemadmodum sub anno mundi 2900. num. 2. declarabitur) Pontificatum de stirpe Eleazar filij Aaron posteà fuisse translatum ad Heli posterum Ithamar fratris dicti Eleazar, vt colligunt tam Hebræi quàm Catholici Doctores ex 3. Reg. cap. 2. vers. 27. & expressè tradit Iosephus in calce lib. 5. Antiq. & lib. 8. cap. 1. non tamen omnino certum videtur, quando iste transitus acciderit; quoniam Iosephus locis citatis sibimet non constat: in priori enim loco dicit, Pontificatum post Ozi filium Bocci, filij Abisue, filij Phinees, filij Eleazar, transisse ad Heli primum Pontificem de familia Ithamar: loco autem posteriùs adducto, inter Phineenses Eleazari posteros, qui priuatam vitam egerunt eo tempore quo stetit Pontificatus in domo Ithamar, ponit Bocci, & quinque alios eius posteros, vsque ad Sadoc, in quem posteà rediit summum Sacerdotium ad familiam Eleazar. Ex qua posteriori positione sequeretur, Phinees, & filium eius Abisue, successiuè Pontificatum tenuisse per annos amplius quàm trecentos, qui, vt diximus, fluxerunt à tempore quo creditur obiisse Eleazar pater dicti Phinees, vsque ad initia Principatus Heli; quod non est verisimile. Quare, si placet priorem potius Iosephi sententiam sequi, tamquam posteriore multò probabiliorem; possumus dictos annos trecentos inter ipsum Phinees, & filium eius Abisue, & nepotem Bocci, & pronepotem Ozi, commodiùs distribuere; & ponere, singulos tenuisse Pontificatum annis circiter septuaginta quinque, vel saltem septuaginta, si fortè (quod non est improbabile) ipse Heli Pontificatum suscepit tenuitque per annos viginti priusquam Iudex etiam populi fuerit destinatus & electus.

POSTERI PHINEES QVAMDIV PONTIFICATVM SVCCESSIVE TENVERINT.

QVATTVOR BELLA AB ISRAELITIS, DVCE CALEB GESTA. PRIMVM CONTRA ADONIBEZEC

4. Constituto itaque in Israele, vt dictum est, belli Duce, consequenter deinde in eodem 1. Iudicum capite summatim recensentur aliquot bella, ab Israelitis suscepta ac feliciter confecta; quorum quattuor priora ad sortem tribus Iudæ magis pertinuisse videntur, reliqua ad alias. Primum ergo bellum gestum fuit in Bezec. erat autem Bezec ciuitas illa, in qua deinde post multa tempora Saul congregauit exercitum, quò suppetias ferret viris Iabes Galaad ab Ammonitarum exercitu obsessis, vt traditur 1. Reg. cap. 11. vers. 8. Sanè in hoc primo prælio Iudæi à Simeonitis adiuti, occiderunt de Chananæis & Pherezæis decem millia virorum, & fugientem Adonibezec comprehendentes viuum, atque amputatis ei manuum ac pedum summitatibus, sicuti ipse aliàs fecerat septuaginta Regibus à se victis, quos sic mutilatos coëgerat micas colligere sub mensa sua, adduxerunt eum in Ierusalem, ibique mortuus est: Iudic. cap. 1. vers. 7. Et quia ibidem Sacer textus continuò subiungit expugnationem ipsius Ierusalem, (quod fuit alterum prælium) necesse est prædicta verba, *Adduxeruntque eum in Ierusalem*, vel per recapitulationis figuram fuisse dicta; vt sit sensus, quod priùs tenuerint eum in exercitu suo captiuum, & posteà cùm cepissent Ierusalem, adduxerint illum in eam, vbi & mortuus est: vel oportet priùs expugnatam fuisse Ierusalem quàm vrbem Bezec; sed per dictam recapitulationis figuram, posteriùs narratam. Quidquid sit, constat hæc fuisse priora duo prælia post mortem Iosue à Iudæis gesta, alterum in Bezec, & in Ierusalem alterum.

BELLVM ALTERVM CONTRA IERVSALEM.

TERTIVM BELLVM IN MONTANIS MERIDIONALIBVS.

5. Sequitur tertium bellum, quod posteà iidem Iudæi gesserunt contra Chananæos qui habitabant in montanis, & ad Meridiem in campestribus. In quo bello, vt capite citato legimus, Caleb primò cepit Hebron, quæ olim dicebatur Cariath Arbe, & deleuit ex ea tres gigantes de stirpe Enac progenitos. Inde abiit in Dabir, quæ olim vocabatur Cariathsepher, id est Ciuitas litterarum; siue quia ibi essent Scholæ scientiarum, siue quia in ea primùm in illis regionibus inuentæ fuissent litteræ seu characteres, quibus illæ Chananæorum gentes vti solebant, vt aiunt Lyranus & alij: ibique Caleb publicari iussit huiusmodi edictum: *Qui percusserit Cariathsepher, dabo ei Axam filiam meam vxorem.* Erat autem in illo exercitu Othoniel filius Cenez, frater Caleb minor, hoc est (quidquid cõtradicat Abulensis super Iosue cap. 15. quæst. 7.) nepos eius: dicitur enim *frater* more Hebraico, & *minor*, ad denotandum quòd ipse Othoniel erat nepos dicti Caleb, non autem contrà. Cùm ergo Othoniel, audito Ducis edicto, cepisset Dabir, dedit ei Caleb Axam in vxorem, quæ posteà obtinuit à patre fontes seu aquæductus superiores & inferiores, ad irrigandos agros eidem in dotem datos. Quoniam autem hæc eadem historia descripta legitur non solùm Iudic. cap. 1. vers. 10. vsque ad 16. sed etiam Iosue cap. 15. vers. 16. vsque ad 20. non immeritò a quibusdam dubitatum fuit de tempore, quo hæc & eiusmodi alia, quæ in dicto Iudic.

OTHONIEL NEPOS CALEB FIT EIVS GENER.

QVANDO HAEC HISTORIA SIT GESTA.

dic.cap.describuntur,acta sint; verùm Iosue adhuc viuente,an post mortem eius. Nam etsi Auctor libri Iudic.in suo exordio satis apertè videatur indicare,se velle describere ea quæ gesta sunt post obitum Iosue, ac propterea incipiat ab electione Ducis belli, quæ vtique supponit iam defunctum fuisse ipsum Iosue; ac deinceps prosequatur narrare ea, quæ sub illo Duce electo acta fuere: attamen in oppositum, Iosue cap. 10. vers.36.vsque ad 40.manifestè asseritur,ipsum Iosue cepisse Hebron & Dabir, & Reges earum,& non dimisisse in eis vllas reliquias.& cap.11.vers.21. legitur, quòd *illo tempore venit Iosue,& interfecit Enacim de montanis Hebron & Dabir:* & quòd *non reliquit vllum de stirpe Enacim in terra filiorum Israel,præterquam in ciuitatibus Gaza, Geth, & Azoto.* & cap.12.vers.10.& 13.inter alios Reges à Iosue occisos, connumerantur Rex Hebron,& Rex Dabir, & Rex Ierusalem. Et demum cap.15. vt dictum est, iisdem ferè verbis quibus in cap.1.Iudic.describitur,quòd Caleb cepit Hebron, & deleuit ex ea tres de posteris Enac; & proposuit dare Axam filiam suam vxorem ei qui cepisset Dabir; & quòd Othoniel,capta vrbe Dabir,duxit eamdem Axam,&c. Ex quibus omnibus alij arbitrati sunt,hæc accidisse dum adhuc viueret Iosue, meritoque ei fuisse attributa,non quia eadem ipse actualiter gesserit; sed quia sub Ducatu eius, & ipso mandante acta fuerint. His tamen non obstantibus,quod attinet ad memoratam Caleb,Othonielis,& Axæ historiam,quæ vtrobique,in libris scilicet Iosue & Iudic. descripta est: dicimus,quòd si vera esset opinio superiùs relata, eorum qui tenent librum Iosue ab ipsomet fuisse conscriptum; sine dubio fateri oporteret, dictam historiam, & occisionem trium filiorum Enac,Iosue temporibus contigisse: alioqui, quomodo ipse potuisset scribere res post obitum suum gestas? Cùm autem verior altera sit opinio dicentium,Librum Iosue inscriptum, multo tēpore post mortem eius ab alio fuisse conscriptum,quemadmodum nos pluribus argumentis sub mundi annis 2590. num.4. & 2593.num.5.comprobauimus: vtiq; multò probabilius videtur dicendum, res in ea historia contentas,sicuti & alia in cap.1.Iudic.narrata, accidisse post obitum Iosue,& post constitutum Caleb supremum belli Ducem: tum quia, nisi Caleb tunc fuisset in ea dignitate constitutus,nō potuisset illud edictum facere, tum etiam,(quod magis vrget) quia illa historia in libro Iosue veluti obiter interposita est; in libro autem Iudic.appositè continuatur ad præcedentia, quæ ex initio eiusdem libri constat acta esse post obitum Iosue.

6. Nec huic sententiæ quidquam obstat, quòd in prænotato cap.11. Iosue dictum sit, eumdem Iosue interfecisse Enacim,&c.quia benè potuit Iosue plurimos, vel etiam omnes stirpis Enacim occidisse,quos reperit in Hebron & in Dabir,& reliquos fugasse in Gazam,Geth,& Azoto; qui posteà,ipso Iosue in aliis bellis occupato, potuerunt ad easdem vrbes redire,easque denuò occupare;quemadmodum sub annis mundi 2584. num.20.& 2590.num.4.diximus. Illud namque certissimum puto, Hebron & Dabir,plurimasque alias Chananæorum vrbes,non semel ab Israëlitis fuisse captas. Nam quòd captæ incensæque fuerint viuente ac belligerante Iosue, satis loca libri Iosue superiùs citata demonstrant: quòd verò illæ etiam, postquam decessit Iosue, iterùm à Caleb oppugnatæ atque expugnatæ sint, docet liber Iudic.cap.1. Et ratio quoque ipsa suadet,Israëlitas Iosue temporibus expugnasse omnes ferè munitiores Chananæorum vrbes,Regesque earum cum exercitibus suis percussisse, vt latè traditur in libro Iosue; alioqui non potuissent Hebræi pacificè sibi sumere ac inter se diuidere totam terram Chanaan. Verumtamen,quia ob causas à nobis sub anno mundi 2591.num.7. allatas,permisit posteà Deus Chananæos, licet iam valdè humiliatos ac debilitatos, paulatim redire ad plures ex vrbibus suis ab Hebræis subuersas atque vastatas, illasque sensim instaurare atque inhabitare; propterea,succedentibus posteà temporibus, crescente Hebræorum numero,cùm dilatari indigerent, coacti denuò sunt easdem vrbes expugnare,&Chananæos delere,aut sibi tributarios reddere,prout magis opportunum eis videbatur. Et hoc est quod summatim describitur Iudic.cap.1. Et sic tolli possunt multæ difficultates, cuiusmodi sunt: Cur opus fuerit Iudæis, post mortem Iosue iterùm expugnare Hebron,& Dabir,& Ierusalem; & Iosephitis capere Bethel; & quomodo Manassenses non potuerint delere Bethsan,& Thanac,& Dor, & Ieblaam, & Mageddo; & quomodo potuit Chananæus habitare in Gazer, & in Aphec, vt in cap. Iudic.citato legimus; & item, Qui fieri potest,vt Rex Asor, temporibus Debboræ & Barac opprimere valuerit Israëlem per annos viginti, vt traditur Iudic. cap.4. si vrbs Asor vastata,& Reges prædictarum vrbium extincti à Iosue perhibentur, Iosue cap.12. & terræ ipsorum inter Iudæos distributæ iam fuerant? Hæc, & si quæ sunt alia eiusmodi

DILVVNTVR OBIECTIONES.

modi dubia, per superiùs dicta facilè dilui ac conciliari poterunt.

CINAEI DE IERICHO SEDE TRANSFERVNT IN SORTEM TRIBVS IVDAE.

7. Per hæc quoque tempora, filij Cinæi cognati Moysi, qui hactenus cum Beniamitis habitauerant in ciuitate Palmarum, hoc est in Iericho, seu in territorio aut vicu-lis eius, (nam ciuitas ipsa iam à Iosue funditus euersa fuerat) inde profecti, sese suaque omnia transtulerunt in desertum sortis Iudæ, quod erat ad Meridiem Arad: Iudic. cap. 1. vers. 16. id est, vt benè notat Abulensis, in desertum, cuius pars quædam Meridiana respiciebat Arad; alioqui sequeretur, ipsam terrã Arad fuisse in terra Chanaan, quod falsum est: nam terra Regis Arad, quam deleuit Moyses Numer. cap. 21. erat Meridiana respectu terræ Chanaan, vt ibidem vers. 1. dicitur. Et quamuis Rex ille esset Chananæus genere, vt ibidem traditur; non tamen terra illa quam possidebat, erat pars terræ Chanaan; alioqui illam Hebræi tamquam ad se pertinentem occisis eius habitatoribus non deseruissent: sed neque erat immediatè iuncta terræ Chanaan, sed media erat inter eas Idumæa, & propterea Israëlitæ tunc petierunt transitum ab Idumæis, & illo non obtento, circuierunt terram eorum ab Oriente, quemadmodum sub anno mundi 2583. num. 6. & 7. dictum est. Itaq; Cinæi de terra Beniamitarum transtulerunt se in sortem Iudæ, & habitauerunt cum Iudæis in parte Meridiana deserti, quod proximum erat Amalecitis, ad quos posteà aliqui ipsorum transmeatunt, & vnus ex eis Haber nomine, à ceteris discedens, sese cum familia sua contulit in tribum Nephthalim iuxta Cedes, vt sub anno mundi 2583. num. 23. diximus.

QVARTVM BELLVM IN SEPHAATH.

8. Quartum bellum fuit illud, quod filij Iuda cum filiis Simeon gesserunt aduersus Chananæum, qui habitabat in Sephaath; quo percusso, & vrbe omnino deleta, filij Iuda ceperunt tres Philisthinorum vrbes primarias, nimirum Gazam, Ascalonem, & Accaron, cum territoriis suis; intellige Gazam veterem, quæ, vt ait Strabo lib. 16. distabat à mari Mediterraneo stadiis septem, eratq; in confinio Meridionali sortis Iudæ:

DE GAZA NOVA ET VETERE.

nam Gaza noua dicitur fuisse constructa tẽporibus Constantini Magni, in littore eiusdem maris. Porrò dictæ tres vrbes neque à Iosue, neque ab Hebræis priùs vmquam captæ fuerant, vt manifestè colligitur Iudic. c. 3. vers. 3. vbi inter Gentes, quas Dominus reliquisse dicitur in terra Chanaan, vt erudiret in eis Israëlem, connumerantur etiam quinque Satrapiæ Philisthinorum; in quas proculdubiò erant Gazæi, Ascalonitæ, & Accaronitæ, vt patet Iosue cap. 13. vers. 3. Illi ergo relicti sunt vsque ad hoc tempus, quando scilicet capti sunt à Iuda, hoc est à Caleb, Principe tribus Iuda: de quo etiam dicitur, quòd ipse montana possedit; sed non potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. & quòd ex quo deleuerat tres filios Enac, pacificè possedit Hebron: Iudic. cap. 1. vers. 17. vsque ad 21.

DVBIA QVAEDAM EXCITANTVR.

9. Sed illud mirabile est quod ibidem subiungitur, *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non deleuerunt filij Beniamin; habitauitq́, Iebusæus cum filiis Beniamin, vsque in præsentem diem.* Ex quibus verbis videtur posse inferri, Beniamitas pugnasse cum Iebusæis, sed omnino præualere non potuisse: illud enim indicant illa verba, *non deleuerunt.* Sed si Ierusalem (vt ex Iudic. cap. 1. vers. 8. patet) iam capta incensaque fuerat à Iudæis: quomodo hic subditur, Iebusæos habitasse in ea cum Beniamitis? & cur non magis cum Iudæis, qui eam ceperant? sicuti per recapitulationis figuram dicitur Iosue cap. 15. in fine, vbi quod hic de Beniamitis dictum est, idem prorsus de Iudæis legimus in hæc verba: *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere; habitauitq́, Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem, vsque in præsentem diem.* Sed quomodo non potuerunt filij Iuda delere Iebusæum habitatorem Ierusalem, si ipsam ciuitatem expugnarunt, incendioque tradiderunt? Rursus quæri potest, cur Iudæi ceperint Ierusalem, atque in ea habitauerint, cùm illa ad ipsos nullatenus pertineret: erat enim in sorte Beniamin, non Iudæ. Hæc & his similia, quæ prima fronte nequaquam inter se cohærere posse videntur, facilè conciliari poterunt, si dixerimus, Ierusalem positam

SOLVVNTVR.

quidem fuisse in confinio tribus Iudæ & Beniamin, sed tamen reverà pertinuisse solùm ad tribum Beniamin: nam funiculus sortis Iudæ transibat ex latere Iebusæi, id est Ierusalem, Meridiano, vt dicitur Iosue cap. 15. vers. 8. vnde proculdubiò relinquebat ipsam Ierusalem extra sortem Iudæ ad Aquilonem ipsius, & consequenter in sorte Beniamin; & propterea meritò numeratur inter vrbes Beniamitarum Iosue cap. 18. vers. 28. Inter vrbes verò Iudæorum nequaquam ponitur. Verùm quia Iebusæi habitantes in Ierusalem, erant viri fortissimi; vtique credendum est, Beniamitas non ausos esse solos dimicare cum eis, sed simul cum Iudæis oppugnasse Ierosolymam; & planiorem quidẽ ac debiliorem vrbis partem expugnasse, eminentiorem verò magisque munitam, quam etiam alio nomine appellabant Arcem Sion, numquam capere potuisse, vsque ad tem-

pora

pora Dauidis, qui posteà eam expugnauit, ac ex nomine suo vocauit Ciuitatem Dauid, vt traditur 2. Reg. cap. 5. vers. 6. & 1. Paralip. cap. 11. vers. 5. Non mirum est igitur, si tam de Iudæis quàm de Beniamitis Scriptura testatur, quòd non potuerunt delere Iebusæum habitatorem Ierusalem, sed habitauerunt cum eo in Ierusalem. Neque suspicari debemus, Iudæos sine consensu Beniamitarum inuasisse aut habitasse Ierosolymam: non enim probabile est, eos aut vim inferre voluisse fratribus suis, aut tam citò confundere partitionem terræ Chanaan, à Iosue factam; sed (vt diximus) par est credere, Beniamitas vltrò concessisse Iudæis, vt secum habitarét in Ierusalem, siue quia sine ipsis capi non poterat, siue etiam fortassis, quia sine ipsorum auxilio teneri defendique non posset. Dicuntur autem Iebusæi habitasse cum Iudæis & cum Beniamitis in Ierusalem, non quia promiscuè mixtimve simul omnes habitarent; sed quia Iebusæi manebant in arce, quæ ipsa quoque erat pars vrbis; Iudæi autem & Beniamitæ in inferiori vrbis parte, vt dictum est. Eodem modo post multa tempora, nimirum regnante Antiocho Epiphane, Iudas Machabæus cepit Ierosolymam à Gentibus occupatam, & tamen deinceps in arce Sion manserunt Gentiles vsque ad tempora Principatus Simonis fratris dicti Iudæ, vt ex his quæ nos sub annis mundi 3890. num. 2. & 3892. num. 1. & 2. & 3913. num. 1. dicemus, manifestum fiet.

10. Sed hic obiter non videtur prætereundum, quòd ex quo diximus haberi tum in calce capitis 15. Iosue, tum Iudic. cap. 1. vers. 21. Iudæos & Beniamitas habitasse cum Iebusæis in Ierusalem vsque in præsentem diem: ex hisce postremis verbis, *vsque in præsentem diem*, videtur perspicuè colligi posse, vtrosque hos libros, Iosue scilicet & Iudicum, fuisse conscriptos multò postquam gestæ fuerant res in ipsis contentæ; non tamen post captam à Dauide arcem Sion; alioqui illa verba vera esse non possent. Quòd si quis dixerit, illud *vsque in præsentem diem*, non à propriis librorum Auctoribus, sed multo pòst tempore ab aliquo alio fuisse adiectum: dicimus Primò, de hoc nihil omnino constare. Deinde, si tale quid suspicari possemus, certè de nullo alio quàm de Esdra probabilius id credi posse videretur; siquidem ipse, diuino actus Spiritu, Sacros libros, suo tempore iam dispersos ac penè deperditos, vndique conquisiuit, collegit, & corruptos emendauit, restituit, ordinauitque; vt suo loco dicemus. Atqui patet, Esdram talia verba addere non potuisse; quippe qui longè post Dauidis tempora floruit, quando vix vlla Iebusæorum in Ierusalem memoria habebatur. Idcircò tutius videtur dicendum, libros illos vel à Samuele, vt sentit Abulensis; vel ab aliquo alio circa eiusdem Samuelis tempora fuisse compilatos; siue ex libro Iustorum, qui citatur Iosue cap. 10. vers. 13. vt putat B. Theodoretus; siue ex aliis veterum monumentis, vt nos sub anno mundi 2593. num. 5. tetigimus. LIBRI IOSVE ET IVDICVM QVANDO CONSCRIPTI.

☞ 11. Diximus hucusque de bellis quæ gessit tribus Iuda cum Chananæis, partim adiuta à tribu Simeon, & partim iuncta cum tribu Beniamin. Porrò de his quæ gesta sunt ab aliis tribubus, breuiter agitur in eodem Iudic. cap. 1. vers. 22. vsque ad finem capitis, vbi legimus, quòd cùm Iosephitæ ascendissent in Bethel, quæ antequam à Iacob, ob mirabilis illius scalæ visionem ibi habitam, sic appellata fuisset, prius Luza vocabatur, ubsederunt eam; ac demum à quodam illius ciuitatis viro directi, ceperunt vrbem, & percusserunt eam in ore gladij: hominem autem illum qui eis aditum monstrauerat, illæsum cum tota cognatione sua dimiserunt. Ille verò relicta terra Chanaan, perrexit in Hetthim, ædificataque ibi ciuitate, antiquum patriæ suæ nomen indidit ei, appellauitque eam Luzam. Reliquæ autem tribus nihil memorabile per hæc circiter tempora gesserunt: sed cùm non possent delere Chananæos, qui in fortibus suis remanserant, pacificè habitabant cum eis. At verò tribus Dan, ab Amorrhæis terras sibi assignatas magna ex parte occupantibus, arctioribus terminis continebatur; quod fuit in causa, vt pars Danitarum alias sibi sedes, procul valdè à suis contribulibus, quæsierit atque occupauerit, vt infrà num. 15. dicemus. Quando autem Israëlitæ numero aucti animoque magis confortati sunt (nimirum post mortem Seniorum, vt ex infrà dicendis apparebit) cùm facilè possent delere Chananæos, prout præceperat eis Dominus Numer. cap. 33. vers. 51. & Deuter. cap. 7. vers. 1. vsque ad 6. noluerunt id facere; sed maluerunt permittere vt inter ipsos habitarent, eisque tributa penderent. Quare non mirum est, si posteà fuerunt ipsis in laqueum, & in foueam, & offendiculum, & tamquam sudes in oculis, quemadmodum ad vnguem prædixerant eis Moyses locis citatis, & Iosue in libro ex eius nomine inscripto cap. 23. vers. 13. siquidem illi sensim perduxerunt Israelitas ad cultum idolorum suorum: & hæc fuit causa, propter quam iratus Dominus permisit eos deinceps sæpius ab eisdem Chananæis aliisque fini-

IOSEPHITAE OCCVPANT BETHEL.

RELIQVAE TRIBVS NIHIL MEMORABILE GESSERVNT.

ISRAELITAE NVMERO ET VIRIBVS AVCTI, QVIA NON DELEVERVNT CHANANAEOS, AB IPSIS MVLTA PASSI SVNT.

finitimis populis in seruitutem redigi, ac vehementer affligi: tametsi quando redibant ad pœnitentiam, mittebat eis Iudices & saluatores, qui eruerent ac liberarent eos de manibus inimicorum suorum, vt infrà suis locis dicetur.

12. Per hæc circiter tempora, videlicet non multò postquam, distributa priùs terra Chanaan singulis tribubus Israël, obierat Iosue, & postrema quædam Israëlitarũ bella, paulò antè narrata, contra Chananæos feliciter confecta fuerant, Terraque promissionis à filiis Israel pacificè iam habitari ac possideri cœperat; satis probabiliter, vt infrà ostendemus, credi potest, cœpisse ædificari ædes illas quodammodò sacras, quæ postmodum Synagogæ appellatæ sunt. Nam etsi Synagoga propriè idem sit quod congregatio, & Moysi temporibus significaret congregationem siue ecclesiam Israëlitarum, vt Exod. cap. 34. vers. 31. & Num. cap. 4. vers. 34. & cap. 16. vers. 2. & alibi non semel colligi potest. (dixi, Israëlitarum, quia licet Christianorum quoque adunatio, Ecclesia dicatur, numquam tamen Synagogæ nomen recepit; quòd ex quo Iudæi Messiam recipere recusarunt, in malam potiùs partem accipi consueuerit.) Et quamuis item ex allegatis aliisque Scripturæ sacræ locis etiam manifestũ sit, quòd Synagoga non solùm pro totius Israëlitici populi conuentu, vt Num. cap. 27. vers. 20. & Ecclesiastici cap. 50. vers. 15. accipiebatur; sed etiam interdum cum aliqua limitatione, vt in Psal. 81. vers. 1. pro conuentu aliquo bonorum, interdum verò malorum vsurpari soleat, vt in Psal. 85. vers. 14. & Ecclesiastici cap. 3. vers. 30. & cap. 16. vers. 7. & cap. 21. vers. 10. & Apocalyps. cap. 2. & 3. vers. 9. Attamen nemini dubium est, idem Synagogæ vocabulum (sicut apud nos, Ecclesiæ) posteà translatum fuisse ad significanda particularia quædam ædificia, specialiter exstructa & deputata, vt in ipsis plurimi ad orandum ac verbum Dei audiendum singulis sabbatis conuenirent; quemadmodum ex multis SS. Euangelistarum Actorumque locis, quæ hic breuitatis causa prætereo, constare potest. Cum enim olim Tabernaculi, Arcæque, ac posteà Templi locus, qui solus sacrificiis aliisque eiusmodi diuinis cultibus potissimùm destinatus erat, & ad quem ter tantùm in anno statis temporibus omnes masculi conuenire tenebantur, tanto populo minùs esset commodus, quàm vt ad ipsum frequentiùs pro Lege Dei ritè addiscenda, precibusque coram Deo fundendis, omnes & plurimi de longinquo accedere possent; propterea oportuit, huius rei gratia, quædam veluti Oratoria Scholásve quibusdam in locis ad populi commodum ædificare; & hæ Synagogæ dictæ sunt.

De Synagogarum origine.

Synagogae vocabulum quid significet.

13. Quando autem ista Synagogarum introductio originem habuerit, non omnino exploratum certumque est. Sigunius lib. 2. de Repub. Hebræorum cap. 8. putat, eas non nisi Babylonico in exilio primùm construi cœpisse. Contrà verò Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 16. Annotatione 2. cum quibusdam Rabbinis, existimat, Iudicum tempore circiter incipiente, quando scilicet Terra promissionis pacificè ab Hebræis habitari cœpta est, huiusmodi quoque loca sacra domósve, in quibus ad orandum, lectiones concionesque sacras audiendas, aliaque negotia religionis pertractanda, populus sese recipere posset, erigi cœpisse; ac deinceps paulatim fuisse multiplicatas; & has significari à Dauide in Psal. 25. vers. 12. illis verbis: ***In Ecclesiis benedicam te Domine.*** & in Psalm. 67. vers. 27. ***In Ecclesiis benedicite Deo Domino.*** & à Salomone Ecclesiastici cap. 24. vers. 2. ***Et in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum.*** Putat quoq; eamdem Synagogarum antiquitatem insinuari Actorum cap. 15. vers. 21. vbi dicitur: ***Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne sabbatum legitur.*** Et certè illa verba, ***à temporibus antiquis***, non potius ea tantùm tempora quæ post Babylonicam fluxerant captiuitatem, quàm etiam multa eorum quæ præcesserant, comprehendisse videntur. Porrò ex hisce duabus opinionibus, licet neutra sit ex toto improbabilis, videtur tamen prima minorem præseferre probabilitatem; vtpote quæ nullo stabili fundamento, sed sola quadam haud improbabili coniectura niti videatur: quòd scilicet qui tunc templo carerent, in quo orare possent ac docere, locum aliquem siue ædem vice templi extruere sibi tunc primùm curauerint. Altera autem opinio longè probabilior est: tum quia non videtur credibile, quòd ante Babylonicam captiuitatem, per tot annorum centurias, numerosissimus ille populus longè lateque diffusus, vno tantùm in loco, videlicet vbi priùs stabat Tabernaculum, & posteà in Templo dumtaxat, quod in toto Hebraismo vnicum erat, & consequenter non facilè ab omnibus adiri frequentarique poterat, de Lege aliisque ad salutem necessariis edoceri consueuerit: tum etiam, quia de opposito constare videtur. Nam præter ea quæ Dauidis Salomonisque tempore ex Psalmis & Ecclesiastico testimonia adduximus, legimus quoque 2. Paralip. cap. 17. quòd Iosaphat Rex Iuda, cùm esset valdè pius,

Duplex de Synagogarum origine opinio.

Prima Sigonii, altera Cardinalis Toleti.

Secunda probabilior.

pius, mittere solebat per singulas ciuitates, qui populos in Lege Dei instruerent; quod proculdubiò credendum est, in ædibus ad id specialiter deputatis, nempe in Synagogis, præstari consueuisse. Sed & ipsi Leuitæ in toto Israel, non videntur munus suum docendi populum commodè absque Synagogis obire potuisse. Quin etiam multò antea, videlicet Iudicum temporibus, erant loca quędam à ceteris segregata, in quibus Prophetæ, de his quæ ad Legis intelligentiam obseruantiamque spectabant, inter se, & interdum coram aliis disserebant, (& hoc tunc temporis dicebatur *prophetare*) quemadmodum ex his, quę nos sub anno mundi 2545. num. 14. diximus, colligi potest. Denique Iudic. cap. 20. vers. 1. fit mentio cuiusdam loci in Maspha existentis, (subaudi, in ea quæ erat in tribu Beniamin) vbi Israelitæ conuenisse dicuntur, qui locus ibidem conceptis verbis appellatur Ecclesia populi Dei. Quibus verbis non videtur aliud posse significari, quàm domus aliqua Deo dicata, & longè diuersa ab ea, in qua erat Tabernaculum fœderis, & Arca Dei: siquidem hæc non in Maspha, sed in Silo tunc manebant, vt ibidem vers. 18. manifestè apparet. Et hinc colligunt Rabbini, & cum ipsis Toletus, dictam Ecclesiam populi Dei in Maspha tunc existentem, & iam rum, licet non multò antea ędificatam, fuisse primam omnium Synagogam, & ceteris antiquiorem; ideoque locum illum, post eum in quo stabat Tabernaculum & Templum, in magna veneratione fuisse apud Hebræos, vt propterea mirum non sit, si non illa vice tantùm, sed & aliàs quoque pro temporum occasionumque opportunitate, ille populus in Maspha conuenire solitus erat, vt probari potest ex Iudic. cap. 11. vers. 11. & 1. Reg. cap. 7. vers. 5. & cap. 10. vers. 17. & 1. Machab. cap. 3. vers. 46. vbi etiam subiungitur, quòd *locus orationis erat in Maspha antè in Israel.* hoc est, ab antiquo tempore. PRIMA OMNIVM SYNAGOGA.

14. Posterioribus verò temporibus, aucta nimirum valde Legis Moysaicæ obseruantia, & populo pariter admodum multiplicato, ac etiam in varias mundi partes dissem inato, eousque multiplicatæ sunt Synagogæ, vt Christi Apostolorumque tempestate, non in singulis pænè ipsius Iudææ ciuitatibus tantùm, verùm etiam in aliis orbis regionibus, vbicumque plures Iudæi habitabant, extructas quoque fuisse Synagogas, ex multis SS. Euangelistarum Actorumque locis, quæ hic adferre nimis longum esset, probari facilè possit; sed & in ipsamet Ierosolyma, excidij eius tempore, ad quadringentas octoginta Synagogas extitisse, tradunt citati Auctores, Sigonius, ac Toletus, & item ex Rabbi Manahem Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi de rebus sub Ioachim summo Sacerdote gestis agit. Sanè dictarum Synagogarum vsus triplex fuisse perhibetur. Primus idemque præcipuus erat, erudiendi populum de his quæ in Lege & Prophetis habebantur, vnde & prima functio versabatur in lectione Legis & Prophetarum: & post lectionem, qui doctiores erant, vel ex officio, vel inuitati, obscuriora quæque interpretabantur explicabantque, & concionem pariter sermonémve exhortationis habebant ad plebem, quemadmodum apertè colligitur Actorum cap. 13. vers. 15. Alter Synagogarum vsus erat orandi, vt fit etiam hodie apud nos in Scholis doctrinæ Christianæ, singulis diebus festis, vbi post doctrinam recitantur Litaniæ aut aliæ preces, & laudes item Deo à pueris & puellis dulciter suauiterque decantantur. Tertius demum, qui fortè circa postrema tempora introductus videtur, erat castigare quosdam à Legis doctrina pertinaciter aberrantes: nam vt ait Glossa interlinearis super Matthæi cap. 10. vers. 17. *Ille correctionis erat locus.* Et hæc quidem correctio quandoque eiusdem loci interdictione fiebat, iuxta illud Ioan. cap. 16. vers. 2. *Absque Synagogis facient vos.* interdum verò etiā flagellis, Matthæi loco proximè allegato: *Et in Synagogis suis flagellabunt vos.* Ceterùm, sicut in templo Pontifices & Sacerdotes, ad quos sacrificia facere, thus cremare, & alia ibidem pro officij sui functione præstare pertinebat, primatū tenebant: ita in Synagogis, quæ (vt diximus) erant veluti scholæ quędam Ecclesiasticæ, præsidebant Scribæ & Pharisæi, qui cùm essent in Lege doctissimi, munus habebant instruendi populum: vnde de ipsis benè dicebat Dominus Matthęi cap. 23. vers. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite, &c.* vbi B. Hieronymus, *Per cathedram*, ait, *doctrinam Legis ostendit.* Qui verò istis præerant, dicebantur Archisynagogi, siue Principes Synagogæ. Sed iam tempus est, vt ad historiæ ordinem prosequendum redeamus. SYNAGOGARVM MVLTIPLICATIO SYNAGOGARVM VSVS.

15. Ad hæc eadem quoque tempora pertinent illæ tres historiæ, quæ per recapitulationis figuram describuntur Iudic. cap. 17. & deinceps vsque ad finem libri, quemadmodum numero sequenti probabitur. Prima ergo fuit, de viro quodam nomine Micha, qui habitabat in monte Ephraim, fecitque sibi idolum argenteum, & ephod, & theraphim, id est vestem sacerdotalem; quæ posuit in ædicula, quam Deo separauerat HISTORIAE TRES. PRIMA. IDOLI MICHAE.

SECVNDA, DANITARVM, QVI NOVAS SIBI SEDES QVÆSIERVNT ET OCCVPARVNT.

ac dicauerat in domo sua; & insuper mercede conduxit Leuitam, qui ibidem sacerdotio fungeretur. Altera est de filiis Dan, qui licet ius sortis suæ iam accepissent, nondum tamen plenam liberamque eius possessionem adhuc accipere potuerant; (sic enim exponendus est textus Iudic. cap. 18. vers. 1. ne omnino contrarius sit his quæ dicta sunt Iosue cap. 19. vers. 40. & sequentibus) quoniam angustiauerat eos Amorrhæus in monte, nec sinebat eos ad planiora descendere, vt dicitur Iudic. cap. 1. vers. 34. & propterea alias sibi sedes quærere compulsi, præmissis exploratoribus ascenderunt sexcenti viri ex eis armati de Saraa & Esthaol: cumque transissent ad montem Ephraim, abstulerunt de domo Michæ idolum ac Sacerdotem; & vt venerunt in Lais, ex improuiso aggressi ciuitatem nihil de hac re suspicantem, ceperunt eam, & occisis habitatoribus eius manserunt ibi, vocantes eam ex nomine patris sui Dan. Erat autem hæc ciuitas, quæ Iosue cap. 19. vers. 47. appellatur Lesem, Iudic. verò cap. 18. vbi hæc historia traditur, Lais, in regione Rohob, vt dicitur ibidem vers. 28. non procul ab vno ex fontibus Iordanis, in confinio Aquilonari totius terræ Chanaan, ad radices montis Libani: vnde quando Scriptura metiri vult longitudinem ipsius terræ Chanaan, dicere solet, *A Dan vsque Bersabee*, vt patet Iudic. cap. 20. vers. 1. & alibi sæpè. Et hæc est illa ciuitas, quæ posteà temporibus Tiberij Cæsaris, à Philippo Herodis Ascalonitæ filio, & Tetrarcha Ituræ ac Trachonitidis regionis, cuius fit mentio Luc. cap. 3. vers. 1. instaurata & aucta, in honorem ipsius Tiberij Cæsaris, Cæsarea appellata est: & ad differentiam alterius Cæsareæ, quæ ab Herode patre eius in littore Mediterranei fuerat ædificata, Cæsarea Philippi dicta est. Et hæc memoratur in Euangelio Matthæi cap. 16. vers. 13. & Marc. cap. 8. vers. 27. De eadem vrbe vide plura apud Abulensem super Matthæi cap. 16. quæst. 35.

TERTIA, DE BELLO INTER BENIAMITAS ET RELIQVAS TRIBVS ISRAEL.

16. Tertia demum historia ad hæc tempora pertinens, est illa quæ in postremis tribus Iudic. capitibus describitur, de vxore cuiusdam Leuitæ violenter oppressa, & illusa à filiis belial tribus Beniamin. Propter quod scelus, exortum est sæuum illud bellum inter Israelem & Beniamitas, in quo bello tribus Beniamin, post tres victorias successiuè de aliis tribubus partas, ipsa tandem penè extincta est. Item, de iureiurando quo se astrinxerant filij Israel, ne darent filias suas vxores reliquis filiorum Beniamin, quod iurisiurandi vinculum ceteræ tribus in odium Beniamitatum, diuinæ Legi prohibenti ne qua mulier extra tribum suam nuberet, super se addiderant. Et denique, quomodò posteà sine Legis ac iuramenti transgressione prouisum sit de vxoribus Israeliticis, his paucis qui in bello superfuerant de tribu Beniamin. Quòd autem memoratæ tres historiæ acciderint inter obitum Iosue & Seniorum, patet, quia in cap. 17. vbi agitur de idolo Michæ, vers. 6. dicitur, quòd *in diebus illis non erat Rex in Israel; sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* & idem legimus in principio cap. 18. in quo describitur ascensus filiorum Dan in Lais: & in fine libri Iudicum, vbi concluditur narratio belli gesti contra filios Beniamin, eadem quoque verba repetuntur: & præterea Iosephus 5. Antiq. cap. 2. hæc quæ suprà retulimus, refert ad tempora quæ fluxerunt inter mortem Iosue & Ducatum Othonielis. Iosephum etiam sequuntur Auctor Historiæ Scholasticæ in lib. Iudic. cap. 22. & alij plures. Sed &, quod attinet ad historiam tertio loco memoratam, idem confirmari potest duobus aliis argumentis ex eademmet Historia sacra desumptis: Alterum est, quia Iudic. cap. 19. vers. 29. legimus, Leuitam illum tanta affectum iniuria, non ad Iudicem aliquem, qui eam vindicaret, confugisse; sed cadauer violatæ vxoris, quæ in ea iniuria mortua erat, in partes duodecim sectum, ad omnes terminos Israel transmisisse, vt vel sic patratum facinus cunctis innotesceret; & in commune, quid facto opus esset, decerneretur. Cur hoc? nisi quia tum non erat Rex siue Rector in Israel, qui talia punire delicta posset. Propterea præfatus Leuita coram omni multitudine, quæ, viso tali spectaculo, in Maspha protinus congregata est, reos criminis accusauit, vt patet cap. eiusdem lib. 20. vers. 4. vsque ad 8. Alterum est, quia posteaquam vniuersus populus sanciuit, eosdem facinorosos omnino esse plectendos, & intellexit id, nisi suscepto aduersus Beniamitas bello, fieri non posse; consuluit (vt ibidem vers. 18. subjungitur) in Silo Dominum de belli Duce constituendo, eo prorsus modo quo fecerat, quando mortuo Iosue non erat Rex in Israel, vt videre est in principio libri Iudicum. Signum est ergo, quòd tempore memorati belli nullus erat supremam habens auctoritatem in populo Israel.

QVOD TRES MEMORATÆ HISTORIÆ PER HÆC TEMPORA SINT GESTÆ.

1 Anno post defunctum Moysen, siue ab introitu Israelis in terram Chanaan, decimooctauo, elapsis videlicet septem annis ab obitu Iosue, defunctis vniuersis Senioribus Israel, qui viderant mirabilia Domini; surrexerunt alij nescientes Dominum, qui ex Chananæorum, quibuscum habitabant, consuetudine, paulatim primò, deinde passim ac publicè cum ipsis miscere connubia, & ad colenda ipsorum idola declinare cœperunt. Quamobrem iratus Dominus, tradidit postea eos sæpius in manus hostium, qui eos valde affligebant atque opprimebant. & quidem certis temporibus suscitabat eis Dominus Iudices, per quos liberabat eos; sed Iudicibus defunctis, ad cultum idolorum reuertebantur, & peiora prioribus perpetrabant, vt dicitur Iudic. cap. 2. vers. 10. vsque ad 5. capitis tertij, & nos deinceps sigillatim ostendemus. Porrò hanc Hebræorum Deique mutuam sæpiusque repetitam vicissitudinem præuaricandi, puniendi, resipiscendi, ac miserédi, paucis quidem, sed enucleatiùs expressit in Psal. 105. Regius Propheta, dicens: *Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalū. Et immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan. Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinuentionibus suis. Et iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hereditatem suam. Et tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum qui oderunt eos, & tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum; sæpe liberauit eos. Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo, & humiliati sunt in iniquitatibus suis. Et vidit cùm tribularentur, & audiuit orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundùm multitudinem misericordiæ suæ. Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.* hactenus verba Prophetæ. Prima ergo punitio & calamitas eis à Domino inflicta, fuit, quando cùm fecissent malum in conspectu Domini, seruientes Baalim & Astaroth, traditi sunt in seruitutem Regis Mesopotamiæ, cui nomen erat Chusan Rasathaim, octo annis; quemadmodùm traditur Iudic. cap. 3. vers. 5. vsque ad 12. de qua tandem seruitute Othoniel, qui primus inter Iudices recenseri solet, resipiscentem populum in libertatem vindicauit, vt ibidem vers. 9. exprimitur illis verbis: *Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos Othoniel,* &c. & post pauca: *Fuitq́, in eo Spiritus Domini, & iudicauit Israel, egressusq́, est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chusan Rasathaim Regem Syriæ, & oppressit eum.* Erat autem Othoniel de tribu Iuda, vt colligitur 1. Paralip. cap. 4. vers. 13. qui cùm iudicasset Israelem vsque ad finem vitæ suæ, *quieuit* (inquit Scriptura loco Iudic. citato) *terra quadraginta annis.*

PRIMA POPULI PRÆVARICATIO, ORTAM SERVIERVNT REGI MESOPOTAMIÆ ANNIS 8.

OTHONIEL PRIMVS HEBRÆORVM IVDEX ANNIS 40 COMPVTATIS OCTO PRÆDICTÆ SERVITVTIS.

2. Sed quoniam hæc & eiusmodi verba, *quieuit terra tot annis*, aliquoties in libro Iudicum repetita, multipliciter accipi posse videntur; de legitima ipsorum intelligentia aliquid hoc loco differere necessarium est. etenim non bene intellecta, plurimùm sacræ Chronologię officerent. Et primò quidem, apparet esse accipienda præcisè solùm de illo tempore, quo cessatum est à præliis; quatenus scilicet distinguitur ab idololatriæ, seruitutum, & præliorum temporibus: nam iste est sensus, quem prima fronte dicta verba videntur exprimere. quid enim eo in loco sibi vult terram quiescere, nisi à præliis? præsertim cùm illud ipsum in calce capitis 3. Iudic. conceptis verbis expressum reperiatur in aliquot Sacris exemplaribus, licet non correctioribus. Igitur idem videtur esse, terram tot annis quieuisse, ac si diceretur, populum illum tot annis in summa pace ac tranquillitate, sine vlla hostium incursione ac perturbatione, mansisse. Sed si hoc posuerimus, rursus omnino necesse est ea quæ sub anno mundi 2591. num. 12. & sequentibus diximus; nimirum, ab exitu Israelis de Ægypto ad inchoatam templi Salomonis ædificationem, inueniri annos quadringentos octoginta, quemadmodum expressè testatur Scriptura 3. Reg. cap. 6. vers. 1. Nam non annos dumtaxat quadringentos octoginta; quin etiam neque tantummodò quingentos nonaginta duos, vt Iosephus credidit; sed plusquam sexcentos, intra memoratos terminos fluxisse oporteret, eosque incertos & indeterminabiles: quoniam etsi in Sacro eloquio anni seruitutum expressi reperiuntur, non tamen durationes idololatriæ, ob quam sæpius in seruitutem redigi meruerunt; neque item tempora, quæ inter obitum vnius Iudicis & reditum populi ad idololatriam transierunt; sed neque etiam tempora, quibus contra hostes bellatum est. Vnde tota ferè horum

EXPLICANTVR VERBA IVDIC.

PRIMA EXPOSITIO REFELLITVR.

rum temporum chronologia confunderetur, ac prorsus interiret. Præterea obstant quoque illa verba, quæ Iudic. cap. 8. vers. 28. habetur: ***Sed quieuit terra per quadraginta annos quibus Gedeon præfuit.*** non ergo quibus cessatũ est à prælijs: nam clarum est, Gedeonem præfuisse populo, etiam toto illo tempore quo bellum gerebat contra Madianitas; alioqui non potuisset clangere buccina, & mittere nuntios ad plures tribus, & conuocare populos vt se sequerẽtur ad bellum, quemadmodum fecisse legitur Iud. cap. 6. vers. 34. & item pariter præfuisse Israeli toto tempore, quo deuictis Madianitis superuixit, vt ex loco Iudic. cap. 8. superiùs citato patet. Nec refert, quòd ibidẽ vers. 22. parta de Madianitis victoria, dixerint ei omnes filij Israel: ***Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui; quia liberasti nos,*** &c. quibus verbis videntur fecisse eum Iudicem post deuictos hostes; sed non ita est: non enim tunc volebant eum facere Iudicem, sed Dominum absolutum, id est Regem, ita vt ius Regni eius etiam transiret ad posteros suos; & hoc ipse recusauit, dicens: ***Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus; sed dominabitur vobis Dominus.*** Manifestum est ergo, ipsum non recusasse Iudicis dignitatem & præfecturam, quam tenuit quadraginta annis; sed dominium absolutum, quod solis debebatur Regibus. Itaque si Gedeon præfuit populo annis quadraginta, computatis belli ac pacis temporibus; idem videtur posse dici de aliis Iudicibus: & consequenter apparet, quòd illa verba, ***Et quieuit terra tot annis,*** non possunt nec debent accipi pro solo illo tempore quo cessatum est à præliis.

3. Quòd si quis ex præcitato textu Iudic. cap. 8. vers. 28. deducendum putet, intentionem sacræ Scripturæ esse, per verba de quibus modò agimus, explicare tantummodò numerum annorum, quos singuli Iudices in sua præfectura exegerunt: dicimus, neque hoc posse omnino subsistere. etenim si diligenter attendamus quæ traduntur in libro Iudicum, perfectò videbimus obscurum relinqui, num singuli Iudices, à Iosue seu ab obitu Seniorum vsque ad Abimelech, statim post mortem præcedentium constitui solerent, nec ne: & videtur potiùs colligi posse, quòd non. nam de Othoniele nullibi legimus, quòd iudicauerit populum illicò post defunctos Seniores, quorum temporibus Israëlitæ iugiter seruierunt Domino, vt Scriptura testatur Iosue cap. vlt. vers. 31. sed post illa tempora, in quibus filij Israel ad idololatriam iam declinauerant; & item, posteaquam ob eamdem idololatriam iam seruierant Regi Mesopotamiæ seu Syriæ octo annis, vt dicitur Iudic. cap. 3. vers. 8. tunc enim (quemadmodum ibidem subditur) ***clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem,*** videlicet Othonielem, ***& liberauit eos.*** Ecce quòd Othoniel non nisi post prædictos seruitutis annos populo præfuisse indicatur. Idem possumus colligere ex eodem Iudic. cap. vers. 12. vbi post descriptam Othonielis mortem adiungitur: ***Addiderunt autem filij Israel facere malum in conspectu Domini; qui confortauit aduersus eos Eglon Regem Moab,*** &c. & post pauca, videlicet vers. 14. sequitur: ***Seruieruntq́; filij Israel Eglon Regi Moab decem & octo annis; & posteà clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod,*** &c. Vides quòd etiam huius Iudicis suscitatio dicitur facta post aliud decursum idololatriæ tempus indeterminatum, & item post alios decem & octo seruitutis annos. Idem ergo videtur etiam dici posse de aliis Iudicibus. Et consequenter, si dixerimus, verba illa, ***Quieuit terra tot annis,*** significare annos præfecturæ cuiusque Iudicis; eadem prorsus absurda & inconuenientia sequi necesse erit, quæ præcedenti numero retulimus; nimirum sacræ Chronologiæ confusionem, & Sacri textus 3. Reg. cap. 6. vers. 1. falsitatem: quandoquidem summæ annorum ibidem expressæ addere oportebit alios annos, inter obitum prioris Iudicis & subsequentis creationem decursos, quos Scriptura sacra indecisos relinquit.

ALTERA ITEM EXPOSITIO REIICITVR.

4. Non defuerunt qui opinati sunt, Scripturam sacram in prædictis verbis (vt aliàs quandoq;) vsurpare numeros quos vocant cardinales pro ordinalibus: dicuntur autem, vt isti aiunt, numeri cardinales, qui propriè communiterque numeri appellantur; puta, vnus, duo, tres, & reliqui similes: ordinales verò, qui magis ordinem significant; veluti cum dicimus, primus, secundus, tertius, &c. Putant igitur, quòd vbi dicitur, ***Quieuit terrà quadraginta*** vel ***octoginta annos,*** idem sit ac si diceretur, eam quieuisse à præliis quadragesimo vel octogesimo anno, à tempore nimirum suprà notato. Sed neque ista expositio videtur hoc loco posse defendi. Primò, quia certum est, bella illa ab eorum initio non tamdiu perdurasse: nam Rex Mesopotamiæ exacto anno octauo superatus est; & Rex Moab, decimo octauo; & Iabin Rex Chanaan, vigesimo; & Madianitæ, septimo oppressi humiliatiq́ue fuerunt. Deinde constat, Iudices non statim post reportatum de hostibus triumphum obiisse: & tamen ex Sacro textu apparet, eosdem

TERTIA ITEM EXPOSITIO REFVTATVR.

dem Iudices in fine illorum annorum quibus dicitur terra quieuisse, defunctos esse. Denique, non semper locis citatis Scriptura dicit, terram quieuisse tot annis; sed, per tot annos: sic enim habet editio Vulgata Iudic. cap. 5. in fine, & cap. 8. verſ. 28. cui loquendi modo prædicta expositio nullatenus adaptari posse videtur.

5. Itaque ad tollendas omnes eiusmodi difficultates, multò melius dicendum est (vt ferè omnes Expositores & Catholici Doctores, quorum aliquot sub anno mun. 2591. num. 17. citauimus, sensisse videntur) Auctorem libri Iudicum illis verbis quater repetitis, *Quieuit terra tot annis*, vel *per tot annos*, procul dubiò tria simul indicare voluisse: Primò, præcisum annorum numerum, qui ab vna populi præuaricatione ad aliá, seu (quod in idem recidit) ab obitu præcedentis Iudicis ad obitum subsequentis, intercesserat; nulla habita ratione, quòd posterior Iudex statim, aut multò pòst delectus fuerit: hoc enim exprimere, ad continuandam chronologiam non videbatur necessarium, illud autem ad seriem temporum colligendam, scire omnino oportebat. Secundò, quòd in dicto annorú numero etiam idololatriæ, seruitutis, & belli tempora comprehendebantur, vt iam dictum est, & infrà ostendemus. Tertiò, quòd Israëlitæ maiorem, vel magnam saltem illius temporis partem, in summa pace ac tranquillitate traduxerunt: non enim in Scripturis sacris nouum est, aliquando totum pro parte vsurpari consueuisse. Illustre habemus huius rei exemplum Gen. cap. 15. verſ. 13. vbi prædicit Dominus Abrahamo, semen eius peregrinum futurum, & subiectum afflictumq; iri quadringentis annis; cùm tamen satis constet, peregrinationem, subiectionem atque afflictionem ibidem prædictas, non totos illos quadringentos annos continuasse, sed intra illud tempus Israëlitas interpolatis vicibus graues aliquot admodumque molestas peregrinationes ac plurium annorum subiectiones afflictionesque sustinuisse, vt sub anno mundi 2118. num. 16. dictum est. Patet igitur, quòd quando Iudic. cap. 3. verſ. 11. post descripta hæc omnia, nimitum declinationem populi ad cultú idolorum, seruitutem octo annorum Regi Syriæ, bellum cum eo ab Othoniele gestum, & tandem dicti Regis oppressionem, subiungitur, *Quieuitq; terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel*, non vult dicere, Othonielem decessisse statim ac oppressit Regem Syriæ; sed post illos quadraginta annos, vtiq; computandos ab initio priùs memoratæ præuaricationis, seu (quod idem est) à morte Seniorum, qui post obitum Iosue erant simul veluti Duces & Rectores populi, eumq; donec superstites fuerunt, in vero Dei cultu continuerant. Et consequenter, ex eisdem Scripturæ verbis perspicuè datur intelligi, prænarrata omnia, nempe idololatriam, seruitutem, Iudicis suscitationem, bellum, & si quid aliud eiusmodi est, intra illos quadraginta annos contigisse: & nihilominùs terram illis quadraginta annis quieuisse, hoc est, Israëlitas magnam illius temporis partem in pace traduxisse, quod est dicere, à præliis cessasse; id enim ibi significare videtur verbum illud *quieuisse*, quemadmodum Genes. cap. 2. verſ. 2. dicitur Deus die septima requieuisse, id est cessasse ab illo opere. & Isaiæ cap. 1. verſ. 16. *Quiescite* (inquit) *agere peruersè*. hoc est, cessate. & Apocalypſ. cap. 4. verſ. 8. de quattuor illis animalibus legimus: *Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus*, &c. id est, non cessabant. Similiter in citato Iudic. cap. 3. verſ. 30. vbi post descriptam alteram populi præuaricationem, alteramque seruitutem decem & octo annorum factam Regi Moab; item eiusdem Regis occisionem, & bellum contra Moabitas Aod Duce feliciter gestum; cùm deinde subditur, *Et quieuit terra octoginta annis*. vtique debemus subintelligere, à fine prædictorum quadraginta annorum, in quo obierat Othoniel; seu (quod idem est) ab initio secundæ præuaricationis numerandos; & per consequens, memoratam populi præuaricationem, seruitutem, Regis interfectionem, & Moabitarum cladem, acta esse intra illos octoginta annos, quos sub anno mundi 2720. num. 1. dicemus, non multò post mortem Aod, hoc est in obitu Samgar, fuisse terminatos. & sic de reliquis temporibus ac Iudicibus, vsque ad defunctum Gedeonem: nam deinceps Iudicum initia anniq́ue magis clarè tradi videntur.

QVARTA DEMVM EXPOSITIO RECIPITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2616. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 73.

1. ANNO ab introitu Israëlis in terram Chanaan trigesimo tertio, & regni Amynthæ Regis Assyriorum quadragesimo primo, qui iuxta Eusebij computum concurrunt cum anno sexto, iuxta nostrum verò (vt patet in tabulis) cum anno decimosexto Othonielis, primi post Iosue Iudicis Hebræorum, creditur condita à Sisy-

CORINTHUS QVANDO CONDITA. pho fuisse Corinthus, Ephira priùs dicta, vt tradit Eusebius in Chronicis. Vrbs in Achaia olim ditissima, in medio fere Isthmi Peloponnesiaci posita, cuius memoria etiam post illius interitum multis nominibus fuit celeberrima, sed præcipuè, tum propter æs illud Corinthium inde appellatum, quod ex auro, argento, aliisque metallis mira quadam commixtione in eiusdem vrbis incendio simul fusis, inopinato casu conflatum est, & apud Romanos posteà magno in pretio fuit, cuius meminit Plinius lib. 34. cap. 2. tum verò maximè, ob sacras Apostoli Epistolas ad Corinthios scriptas, quæ etiamnunc in sacro Bibliorum volumine registratæ habentur. RATIO DIFFERENTIAE INTER EVSEBIVM ET AVCTOREM. Ratio autem differentię decem annorum inter Eusebij supputationem & nostrã, quæ perseuerabit vsque ad finem Ducatus Abesan, inde orta est, quòd Eusebius in colligenda quadringentorum octoginta annorum summa, ab exitu de Ægypto ad fundationem templi Salomonis, secutus codicem LXX. Interpretum, quem præ manibus habebat antiquum, sed in hac parte diminutum, prętermisit decem annos Ducatus Ahialon, quos posteà, vt prędictam summam conficeret, Ducatui Iosue addidit, vt nos sub anno mundi 2591. num. 14. demonstrauimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2614. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 77.

AMYNTHAE REGIS ASSYRIORVM OBITVS. 1 Anno dicti introitus trigesimo septimo, qui secundùm Eusebium in Chronicis coincidit cum anno Ducatus Othonielis decimo, iuxta nostrũ verò computum, cum anno eiusdem Othonielis vigesimo, mortuus est Amynthas Rex Assyriorum, cùm regnasset annis quadraginta quinque, vt loco citato testatur Eusebius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2621. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 78.

BELOTHVS REGNAT IN ASSYRIA. 1 Anno qui proximè sequebatur circiter inchoante, regnauit in Assyria Belothus, fuitque Rex Assyriorum decimusoctauus, vt ibidem Eusebius. Huius Regis anno primo, aiunt Cadmum ex Phœnicia in Græciam detulisse quasdam litteras seu characteres, qui ibidem recepti, in vsum deinde inducti sunt; quibus posteà alij alios addiderunt, donec Alphabetum Græcum tandem completum est. Fuit autem Cadmus Agenoris Phœnicum Regis filius, qui ad recuperandam Europam sororem à Ioue raptam, missus à patre ea conditione, vt sine ipsa redire non auderet, venit in Græciam; & cùm videret se iussa patris implere non posse, statuit ibidem permanere. CADMVS IN BOEOTIA THEBAS CONDIDIT. Itaque in Bœotia consedens, ibi Thebas condidit; quæ vrbs à suo conditore aliquando etiam Thebes Cadmea appellata est, iuxta illud Propertij lib. 1. Elegia 7.

Dum tibi Cadmeæ dicuntur Pontice Thebæ.

Verùm posteà a Zetho & Amphione Cadmus regno pulsus, ad Illyrios cum vxore Hermiones se contulisse fertur; vbi ambos, deorum miseratione, in serpentes conuersos esse fabulantur, relictis quinque filiabus; ex quarum prima, nomine Semele, Iupiter Bacchum genuisse traditur. Porrò prædictæ vrbis incolæ, qui communiter Thebani sunt appellati, succedentibus temporibus vsque adeò creuerunt, præsertim viuente Epaminunda strenuo ipsorum Duce, vt etiam Lacedæmoniis, alioquin valdè potentibus, aliquando præualere potuerint, vt videre est apud Xenophontem, Rerum Græcarũ lib. 7.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2633. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 90.

PRIMVS IVBILEVS. 1 Anno Præfecturæ Othonielis, vel meliùs, à morte Seniorum trigesimo tertio, incidit primus Iubileus, iuxta ea quæ sub anno mundi 2584. num. 3. diximus: iste enim est annus quinquagesimus ab introitu filiorum Israel in terram Chanaan, vt patet in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2640. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 97.

OTHONIEL PRIMVS HEBRAEORVM IVDEX MORITVR. 1 Anno quadragesimo à morte Seniorum desinente, iuxta superiùs exposita, mortuus est Othoniel filius Cenez, qui primus post Iosue iudicauit Israelem: Iudic. cap. 3. vers. 10. & 11. Cui successit Aod ambidexter, & Eglonis interfector, quemadmodum sub anno proximo dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2641. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 98.

1 AB anno proximo incipiunt numerari anni Ducatus Aod, computatis nimirum secundæ Hebræorum præuaricationis & seruitutis ac belli annis: nam cùm addidissent filij Israel facere malum in conspectu Domini, confortauit aduersus eos Eglon Regem Moab, qui conductis etiam secum Ammonitis & Amalecitis, percussit Israelem, & possedit vrbem Palmarum, hoc est Iericho, coëgitque Israelitas seruire sibi decem & octo annis: quibus elapsis, cùm clamassent ad Dominum, misericordia motus, excitauit eis saluatorem nomine Aod, filium Gera, filij Iemini, id est de tribu Beniamin. Hic erat ambidexter, feceratque sibi gladium ancipitem. Missus deinde ab Israele ad Regem cum muneribus; his oblatis, rediit paulò pòst callidè ad Regem, & interfecit eum, ac fugit in montem Ephraim, vbi cecinit buccina: conuocatisque ad se Israelitis, misit occupare vada Iordanis, ne quis effugere posset, & aggressus Moabitas cis Iordanè existentes, percussit eos, occisis circiter decem millibus virorum fortium; atque hoc pacto humiliauit Moabitas sub manu Israel: Iudic. cap. 3. vers. 11. vsque ad 30. Et quoniam ibidem continuò subiungitur, ***Et quieuit terra octoginta annis.*** ex his, iuxta sub anno mundi 2601. num. 5. declarata, datur intelligi, ipsum Aod post subiugatos Moabitas iudicasse Israelem vsque ad annum octogesimũ ab obitu Othonielis: & eodem anno circiter inchoante (vt sub anno mundi 2720. num. 1. dicemus) è vita excessisse: nam illicò sequitur, ***Post Aod fuit Samgar,*** &c.

AOD S. HEBRAEORVM IVDEX ANNIS PAENE 80. SECVNDA POPVLI PRAEVARICATIO IN TERRA CHANAAN, OB QVAM SERVIVIT REGI MOAB, PER ANNOS 18.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2645. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 102.

1 ANNO ab introitu Israel in Terram promissionis sexagesimo secundo, qui iuxta Eusebij computum concurrit cum trigesimo quinto Othonielis, iuxta nostrum autem cum quinto Ducatus Aod, mortuus est Belothus Rex Assyriorum, post exactos regni annos viginti quinque, vt notat Eusebius in Chronicis.

BELOTHVS REX ASSYRIORVM MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2646. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 103.

1 ANNO insequente circiter ineunte, regnauit super Assyrios Bellepares ipsorum Rex decimusnonus, vt ibidem tradit Eusebius.

REGNAT IN ASSYRIA BELLEPARES.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2665. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 121.

1 ANNO ab ingressu Israëlis in terram Chanaan octogesimo primo, credimus quòd Salmon, anno vitæ suæ, vt apparet in tabulis, nonagesimo quinto, de Rahab genuerit Booz, quemadmodum dicitur Matthæi cap. 1. vers. 5. Quòd autem hoc anno genitus sit Booz, constare poterit ex his quæ sub anno mundi 2748. num. 3. dicemus. Quot autem annis ab ortu Booz superuixerit pater eius Salmon, incertum est.

SALMON GENVIT BOOZ.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2675. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 132.

1 ANNO memorati introitus nonagesimo secundo, qui secundùm Eusebium incidit in annum vigesimum quintum Ducatus Aod, secundùm nostras verò tabulas, in annum eiusdem Aod trigesimum quintum, mortuus est Bellepates, exactis in regno annis triginta, vt scribit Eusebius in Chronicis.

BELLEPARES REX ASSYRIORVM MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2676. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 133.

1 ANNO immediatè succedente, regnauit in Assyria Lamprides Rex Assyriorum vigesimus: Eusebius vbi suprà.

LAMPRIDES REGNAT IN ASSYRIA.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2683. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 140.

IVBILEVS SECVNDVS.

1 ANNO quadragesimo tertio Ducatus Aod, siue à defuncto Othoniele, contigit secundus Iubileus: erat etiam annus centesimus ab introitu Israëlitarum in Terram promissionis, vt patet in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2707. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 164.

LAMPRIDES REX ASSYRIORVM MORITVR.

1 ANNO dicti introitus centesimo vigesimo quarto, qui secundùm Eusebium concurrit cum anno quinquagesimo septimo Ducatus Aod, iuxta verò supputationem nostram, cum anno eiusdem Aod sexagesimo septimo: cessit è vita Lamprides Assyriorum Rex, cùm regnasset annos triginta duos, vt apparet ex Eusebio in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2708. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 165.

SOSARES REGNAT IN ASSYRIA.

1 ANNO proximo ineunte regnauit in Assyria Sosares Rex Assyriorum vigesimus primus, vt notauit Eusebius loco citato.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2720. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 177.

SAMGAR TERTIVS HEBRÆORVM IVDEX PER ALIQVOT MENSES.

1 ANNO centesimo trigesimo septimo introitus Israelis in terram Chanaan, qui fuit Ducatus Aod, vel potiùs à morte Othonielis annus octogesimus, circa initia anni, vt sub anno mundi 2641. num. 1. dictum est, & paulò pòst cõfirmabitur, mortuus est Aod secundus ab Othoniele Hebræorum Dux siue Iudex, cui immediatè successit Samgar, de quo nihil aliud legimus, nisi quòd percussit de Philisthæis sexcentos viros vomere, & ipse quoque defendit Israel: Iudic. cap. 3. in fine. ex quo apparet, ipsum fuisse virum fortissimum, ac defendisse Israelitas à Philisthinorum incursionibus. Et quoniam Scriptura sacra, breui ipsius Samgar facta mentione, ad alia progreditur, neque tempus quo iudicauerit Israelem exprimere curauit, omnium quæ post ipsum facta sunt, tamquam post mortem Aod, in ipso capitis 4. initio, gesta prosequitur; propterea communis Doctorum sententia est, quemadmodum etiam testatur Abulensis super Iudic. cap. 3. quæst. 31. dictum Samgar per aliquot dumtaxat menses populo præfuisse. quod etiam apertè asserit Iosephus in calce capitis 5. lib. 5. Antiq. dicens, ipsum Samgar vix toto vertente anno vitam finisse. Et licet idem Iosephus in colligenda annorum summa, quæ fluxit ab exitu populi de Ægypto ad prima Templi fundamenta, vt nos sub anno mundi 2591. num. 13. notauimus, videatur computasse annum Præfecturæ Samgar seorsum ab annis aliorum Iudicum: attamen multò meliùs, & ad Sacri textus seriem sensumque longè accommodatiùs, Catholici Doctores eumdem annum in illis octoginta Aod annis computandum esse censuerũt; vnde Historia Scholastica lib. Iudicum cap. 6. cùm dixisset, Aod mortuum esse octogesimo anno, subdit, Samgar quoque eodem anno vitam compleuisse; perspicuè insinuans, Aod mortuum esse circa initia illius anni octogesimi, Samgar verò in fine. Et huic Debbora Prophetis successit. Qua imperante, Barac dux exercitus insignem de hostibus victoriam reportauit, vt consequenter narrabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2721. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 178.

DEBBORA ET BARAC QVARTO LOCO IVDICANT POPVLVM ANNIS 40.

1 POST mortem Aod & Samgar, elapsis nimirum octoginta annis ab obitu Othonielis, à quo incipiunt numerari anni, qui tribuuntur Principatui Debboræ & Barac, præuaricari tertiò cœperunt Israelitæ: ideoque tradidit eos Dominus in manum Iabin Regis Chanaan, qui tunc temporis regnabat in Asor; & oppressit eos vehe-

vehementer per annos viginti: quibus compleri incipientibus, conuersi ad pœnitentiam Hebræi, clamauerunt ad Dominum. Erat autem eo tempore Debbora Prophetis, vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum ad se venientem, sub palma in monte Ephraim. Hæc quodam die, prophetico acta spiritu, accersito Barac filio Abinoëm, de tribu Nephthalim, iussit eum cogere exercitum decem millium pugnatorum, de filiis Nephthalim & Zabulon, (erant enim illæ duæ tribus inter se finitimæ) & vt eos duceret in montem Thabor, prope torrentem Cison; prædicens ei à Domino victoriam de Sisara principe exercitus Iabin; quæ mox eodem prorsus modo, quo Debbora prænuntiauerat, subsecuta est. Nam & exercitus Sisaræ profligatus est, & ipse Sisara fugiens, admodum lassus peruenit ad tabernaculum Iahel vxoris Haber Cinæi, non procul ab vrbe Cedes; quæ primò quidem ipsum benignè excepit, posteà verò callidè interfecit; dormienti namque clauum malleo percutiens in tempora eius defixit, ac non multò pòst, Baraco illum insequenti mortuum demonstrauit; sicque ad vnguem impleta est prophetia Debboræ, quæ Baraco, præ timore recusanti ire ad illud bellum nisi secum pergeret Prophetissa, illa eidem respondens dixerat: *Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria* (hoc est, occisio Sisaræ Principis) *non reputabitur tibi; quia in manu mulieris* (hoc est prædictæ Iahel) *tradetur Sisara.* Atque hoc pacto humiliauit Deus Iabin Regem Chanaan coram filiis Israel, qui deinceps quotidie magis præualebant dicto Regi, donec tandem eum perderent. Cecinit autem post victoriam Debbora canticum Domino, & quieuit terra per annos quadraginta, intellige ab obitu Samgar, iuxta superiùs explicata. Et hæc omnia Iudicum cap. 4. & 5. fusiùs tradita habentur.

TERTIA POPVLI PRAEVARICATIO, ET SERVITVS 20 ANNORVM REGI IABIN.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2722. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 179.

1 ANNO circiter proximo, qui erat Ducatus Debboræ & Barac secundus, oportet cœpisse regnum Italiæ sub primo eius Rege Iano, si verum est quod tradit Eusebius in Chronicis, nimirum quinque Reges, videlicet Ianum, Saturnum, Picum, Faunum & Latinum successiuè per annos centum quinquaginta, ante Æneam, in Italia regnasse. Etenim hinc ad primum regni Æneæ annum, totidem anni computantur, vt dinumerari potest in tabulis.

REGNI ITALIAE ORIGO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2727. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 184.

1 ANNO introitus Hebræorum in Terram promissionis centesimo quadragesimo quarto, qui secundùm Eusebium coincidit cum anno septuagesimo septimo Ducatus Aod; iuxta verò nostrum computum, cum anno septimo Ducatus Debboræ & Barac; decessit Sosares Assyriorum Rex, cùm regnasset annos viginti, vt testatum reliquit Eusebius in Chronicis.

SOSARES REX ASSYRIORVM MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2728. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 185.

1 ANNO proximo circiter ineunte, regnauit super Assyrios Lampares Rex ipsorum vigesimus secundus, vt est apud eumdem Eusebium ibidem.

REGNAT IN ASSYRIA LAMPARES.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2733. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 190.

1 ANNO ab obitu Samgar decimotertio, oportet incidisse tertium Iubileum, quandoquidem ille erat annus centesimus quinquagesimus ab ingressu Israëlitarum in terram Chanaan, vt manifestè videri potest in tabulis.

IVBILEVS TERTIVS.

DE TEMPORE HISTORIAE LIBRI RVTH QVATTVOR OPINIONES.

1 ANNO circiter vigesimo octauo ab obitu Samgar, credimus cœpisse historiam libri Ruth: tametsi non ignoramus, quattuor extitisse de eius tempore Doctorum opiniones. Nam quia in initio libri Ruth satis obscurè notatur tempus illis verbis, ***In diebus vnius Iudicis, quando Iudices præerant***, &c. neque ibi exprimitur, quis fuerit ille Iudex; quidam arbitrati sunt fuisse Aod, alij Barac, vel Gedeonem, nonnulli Abesan, & aliqui etiam Heli. Prima opinio fuit Auctoris Chronologiæ maioris Hebræorum, qui cap. 12. ait, Historiam Ruth accidisse in diebus Eglon Regis Moab, quem interfecit Aod. Et hinc fortè quidam deduxerunt, ipsam Ruth, quoniam Moabitis erat, fuisse filiam prædicti Regis Eglon; quod tamen probare non possunt: quin potiùs ex Scriptura sacra videtur oppositum satis manifestè colligi posse: nam ex cap. 1. lib. Ruth certum est, Elimelech socerum Ruth fuisse Iudæum, & in terra Moab aliquamdiu moram traxisse, tamquam alienigenam & pauperem: etenim ad declinandam famem, recesserat de patria sua Bethleem Iudæ. vnde non fit verisimile, quòd Rex Moab voluisset dare filiam suam in vxorem filio viri aduenæ & pauperis. Et hoc idem magis confirmatur; quia adhuc minùs probabile est, quòd mortuo viro ipsius Ruth, nomine Mahalon, vt dicitur Ruth cap. vlt. vers. 10. pater eius Rex, vel eius mater Regina, permisissent filiam suam valdè iuuenem ire cum socru sua pauperrima in Israel, hoc est in terram alienam, ibique adeò pauperem vitam agere, vt cogeretur pro victu suo tota die per agros errare, ad colligendas spicas à messoribus relictas. Et prætereà, ex infrà num. 6. dicendis manifestum fiet, tempora ipsius Ruth nullo modo conuenire posse cum temporibus dicti Eglon Regis Moab. Addit etiam prædictus Chronologiæ Hebræorum Auctor loco citato, quòd Elimelech maritus Noëmi, & socer Ruth, fuit frater Salmonis, qui genuerat Booz de Rahab, de quo posteà natus est Obed ex Ruth; sed de hoc in Sacro eloquio nihil habemus, & consequenter nihil certi astruere possumus. Secunda opinio est Abulensis super cap. 1. Matthæi quæst. 14. vbi diffusè admodum disputat contra Lyranum, ponentem tres Booz inter Salmon & Obed; de qua re infrà num. 4. agemus. Tertia fuit plurium Hebræorum, & Genebrardi in sua Chronologia; fueratque priùs etiam Abulensis super cap. 1. Ruth quæst. 2. qui posteà super Matthæi capite citato sententiam mutauit. Quarta demum opinio est Iosephi 5. Antiq. cap. 11. quem sequitur Petrus Comestor in Historia Scholastica libri Ruth; & eamdem supponere visus est Lyranus super Matthæi cap. 1.

QVOD RVTH NON FVERIT FILIA EGLON REGIS MOAB.

PRIMA OPINIO REFVTATVR.

2. Verumenimuerò, ex prædictis quattuor positionibus, prima & postrema videntur facilè atque euidenter posse reiici. Nam vt à prima exordiamur, constat, quòd à morte Aod ad natiuitatem Dauidis fluxerunt anni ducenti triginta, vt liquidò colligi potest in tabulis: atqui à peregrinatione Elimelech in terram Moab, quæ ponitur contigisse temporibus Aod, ad natiuitatem Dauidis, non possunt colligi tot anni; siquidem illa peregrinatio perdurauit annis decem tantùm, vt patet Ruth cap. 1. vers. 5. post quos ipsa Ruth venit cum socru sua in Bethleem Iuda, & nupsit ipsi Booz, atque ex eo genuit filium nomine Obed, qui posteà genuit Isai, qui & Iesse, patrem Dauidis. vnde etiam supposito quòd dicta peregrinatio cœpisset anno postremo Ducatus Aod, terminassetque anno decimo Ducatus Barac; si Obed, (vt credimus) natus est anno primo reditus Noëmi in Bethleem, qui (vt diximus) erat annus decimus Præfecturæ Barac; oporteret ipsum Obed fuisse centum decem annorum quando genuit Isai, & pariter ipsum Isai centesimo decimo vitæ suæ anno genuisse Dauidem; quod non est credibile, illis præsertim temporibus, in quibus vix reperiebantur qui ad eam ætatem peruenire, nedum in ea filios procreare possent. Quòd si dixeris, Booz quidem anno circiter decimo Ducatus Barac duxisse Ruth in vxorem, sed non nisi post plures annos genuisse Obed: dico id fieri non potuisse; quia Booz tunc erat valdè senex, nimirum nonaginta quinque annorum, vt necessariò infertur ex his quæ infrà num. 3. dicemus, & videre est in tabulis; quare si non genuit anno vitæ suæ nonagesimo quinto, minùs verisimile est quòd post plures annos genuerit. Sed & si daremus, ipsum Booz centenarium genuisse Obed; oporteret quòd posteà, tum Obed, tum Isai, vterq; post centesimum septimum vitæ annum genuisset; quod adhuc magis à credulitate alienum videtur. Quarta verò opinio duabus suppositionibus euidenter refellitur. Primum suppositum est, Ab initio Ducatus Heli ad ortum Dauidis, intersunt tantummodò anni

QVARTA OPINIO REFELLITVR.

quin-

quinquaginta, vt in eisdem tabulis apparet, & sic etiam euidenter colligi potest: Etenim Dauid triginta erat annorum, quando mortuo Saule regnare cepit in Hebron, vt dicitur 2. Reg. cap. 5. vers. 4. restabant igitur ante ortum Dauidis decem dumtaxat anni, ex illis quadraginta qui simul tribuuntur Samueli & Sauli; qui decem anni iuncti cum quadraginta Ducatus Heli, faciunt quinquaginta. Alterum suppositum sit, quòd temporibus Saul, quando Goliath exprobrabat agminibus Israel, Isai pater Dauidis iam erat senex & grandæuus inter viros, vt expresse traditur 1. Reg. cap. 17. vers. 12. ergo ad minùs tunc sexaginta erat annorum, alioqui non potuisset dici senex & grandæuus: necesse est igitur, ipsum Isai fuisse saltem octo & triginta annorum quando genuit Dauidem: erat enim Dauid viginti duorum circiter annorum, quando monomachiam iniit cum Goliath, ipsumque occidit, vt sub anno mundi 2971. num. 1. dicetur. His duobus suppositis, si de quinquaginta annis, quos diximus fluxisse ab exordio Præfecturæ Heli ad ortum Dauidis, excipias triginta octo annos vitæ Isai, & decem peregrinationis Noëmi in terram Moab, & propè vnum à reditu Noëmi in Bethleem ad natiuitatem Obed; proculdubiò remanebit vnus dumtaxat annus inter natiuitatem Obed, & ortum filij eius Isai. Ecce quomodo ex recta temporum supputatione, apertissimè ruunt extremæ istæ positiones, prima scilicet & quarta.

3. Examinemus modò reliquas duas, nimirum secundam & tertiam; quæ etiam ipsæ non carent difficultate. Et quidem quod attinet ad secundam, non facilè videtur admittenda; quoniam oporteret simul etiam concedere rem dictu audituque mirabilem; nempe, Salmon anno vitæ suæ nonagesimo quinto ex Rahab eiusdem ætatis genuisse Obed. probatur sequela: Nam cùm certum sit ex Matthæi cap. 1. vers. 5. quòd Salmon genuit Booz de Rahab, & Booz genuit Obed ex Ruth, & Obed genuit Iesse, Iesse autem genuit Dauid regem; si Rahab mater Booz, fuit illa quæ abscondit in domo sua exploratores à Iosue missos in Iericho, vt communiter creditur; (de nulla enim alia Rahab in Scripturis sacris fit mentio:) necesse est ipsam tunc saltem quattuordecim circiter annorum extitisse: erat quippe meretrix, vt dicitur Iosue cap. 2. vers. 1. Supponamus ipsum quoque Salmon eiusdem ferè tunc ætatis fuisse: non enim minor esse poterat. Porrò ab ingressu Israëlis in terram Chanaan ad natiuitatem Dauidis, computantur anni trecenti sexaginta sex, vt habetur in tabulis, & etiam sic probari potest. Nam si de annis quadringentis octoginta, quos diximus fluxisse ab exitu 480
populi de Aegypto ad templi Salomonis fundationem, excipiamus quadraginta an- *excipe* 40
nos peregrinationis eiusdem populi in deserto, remanebunt anni quadringenti qua- *restant* 440
draginta, ab introitu Israëlis in terram Chanaan ad eamdem templi fundationem: &
si rursus de hac summa annorum quadringentorum quadraginta, detraxerimus annos *ab his* 440
septuaginta vitæ Dauidis, nempe quadraginta regni, & triginta quos iam natus erat *excipe* 70
quando in Hebron primò factus est Rex, & prætereà quattuor Salomonis; quarto 4
namque anno regni sui fundamenta templi iecit; certè à memorato introitu ad ortum *restant* 366
Dauidis remanebunt anni trecenti sexaginta sex, vt dictum fuit: quibus si addideri- *his* 366
mus alios quattuordecim annos vitæ Rahab & viri eius Salmon; proculdubiò ab ortu *adde* 14
istorum ad ortum Dauidis, colligentur anni trecenti octoginta, dispertiendi inter quat- *fiunt* 380
tuor tantùm generationes, videlicet Salmon, Booz, Obed, & Isai: & sic necesse erit ponere, quòd Salmon esset annorum nonaginta quinque quando genuit Booz, & Booz totidem quandò genuit Obed, & similiter Obed quando genuit Isai, & Isai quando genuit Dauidem; quandoquidem nonaginta quinque anni quater ducti, faciunt prædictam trecentorum octoginta annorum summam. Et quot vni eorum detrahere volueris, totidem necesse erit alij vel aliis addere; & fateri, quosdam ipsorum in prouectiori adhuc ætate genuisse. Ecce quomodo ad euitandas sequelas minùs credibiles, necessarium erit concedere, Salmonem nonaginta quinque annorum, de Rahab eiusdem ætatis, filium procreasse. Nam de aliis non est adeò mirandum: scimus enim Booz de Ruth (quæ, vt colligitur Ruth cap. 3. vers. 10. & cap. 4. vers. 12. erat valdè iuuenis) genuisse, quod faciliùs euenire potest; & idem quodammodò credere possumus de Obed & Isai, quòd scilicet ipsi in suo senio de iunioribus feminis genuerint, cùm non constet de opposito. Neque verò prorsus admirationem tollit exemplum Saræ, quæ nonagenaria de Abrahamo centenario concepit, ac peperit Isaac; quia illis temporibus homines diutiùs viuere solebant; & consequenter tardiùs generare poterant: & nihilominùs Sara nonaginta dumtaxat erat annorum, Rahab verò nonaginta quinque: & prætereà conceptio Isaac fuit quodammodò miraculosa, ideoque valdè celebrata; hæc autem nequaquam. Sed nec attendenda est responsio Abulensis di-

SECVNDA OPINIO EXAMINATVR.

centis, mirum fuisse quòd Sara conceperit; non, quia esset nonagenaria, sed quoniam iam ei cessauerant fieri muliebria: clarum namque est, etiam multò ante illam ætatem, in feminis posteriorum temporum muliebria communiter cessare consueuisse.

DE TERTIA OPINIONE. 4. Dicamus nunc aliquid de tertia opinione, & posteà quid sentiendum sit, aperiemus. Videtur prima fronte tertia opinio satis plana: nam cùm ponat, famem illam, cuius fit mentio in principio libri Ruth, & profectionem Elimelech ac Noëmi de Bethleem Iuda in terram Moab, contigisse anno circiter vltimo Præfecturæ Abesan; necesse etiam est, vt ponat, reditum Noëmi in Bethleem incidisse anno postremo Ducatus Ahialon, qui præfuit Israëli annis decem; totidem enim mansit Noëmi in terra Moab. Porrò ab anno primo Abdon, qui ipsi Ahialon successerat, in quo ponunt natum esse Obed, vsque ad ortum Dauidis, colliguntur anni septuaginta octo, vt computari potest in tabulis, qui anni benè dispertiri possunt inter Obed & Isai, posito quòd Obed quadraginta esset annorum quando genuit Isai, & Isai triginta octo quando genuit Dauidem, vt suprà numero 2. dictum est. Sed adhuc insurgit maxima difficultas, Quomodo scilicet Booz de Salmon & Rahab natus, potuit gignere Obed ex Ruth anno primo Ducatus Abdon, si ab anno primo Abdon ad introitum Israëlis in terram Chanaan, ex tabulis colliguntur anni ducenti octoginta octo; & tempore dicti introitus iam Salmon & Rahab, quemadmodum suprà numero 3. probatum est, quatuordecim ad minus erant annorum, qui iuncti cum illis ducentis octoginta octo, faciunt summam annorum trecentorum duorum, ab ortu Salmon & Rahab ad ortum Obed ipsorum nepotis: oporteret enim vtrumque, Salmon scilicet & Rahab, anno vitæ suæ centesimo quinquagesimo primo genuisse filium suum Booz; & pariter ipsum Booz fuisse annorum centum quinquaginta & vnius quando genuit Obed; quod prorsus videtur incredibile. Huic difficultati vt occurrant Lyranus & Genebrardus, aliique nonnulli, dixerunt, quòd ille Booz quem genuit Salmon de Rahab, non fuit ille qui genuit Obed ex Ruth, sed fuerunt tres eiusdem nominis Booz; primus, Salmonis & Rahab filius, alter, ipsorum nepos, tertius, pronepos; & iste vltimus (inquiunt) genuit Obed ex Ruth, duos verò intermedios præteriit Scriptura, quemadmodum in genealogia Christi tres illos Reges, inter Ioram & Oziam. Verùm ista responsio nullatenus admittenda est; quandoquidem constat, vt sæpè aliàs docuimus, sacram Scripturam, quod alicubi consultò præterit, id alibi vel obiter supplere consueuisse; vt patet etiam in exemplo proposito: nam tres illi Reges, quos prætermisit sanctus Matthæus, non sunt prætereiti in libris Regum & Paralipomenon. At vbi Scriptura sacra semper eodem modo loquitur, valdè periculosum est, ne dicam temerarium, aliquid ei addere; præsertim cùm id vetitum sit Deuteronomij cap. 4. vers. 2. Vnde cùm ipsa Scriptura sacra numquam mentionem faciat nisi de vno tantùm Booz inter Salmon & Obed, vt patet vbicumque ipsa de eiusmodi generationibus meminit, nimirum Matthæi cap. 1. vers. 5. Lucæ cap. 3. vers. 32. item in calce libri Ruth, & 1. Paralipom. cap. 2. vers. 11. quibus in locis semper idem iisdem penè verbis repetitum habemus, videlicet quòd *Salmon genuit Booz de Rahab, & Booz genuit Obed ex Ruth*; neque vllo alio prorsus in loco quidquam innuitur, alium inter ipsos medium extitisse: profectò sine vlla hæsitatione credere debemus rem ita esse, prout in Sacro eloquio toties expressa reperitur; nempe vnum eumdemque Booz & habuisse patrem nomine Salmon, & filium vocabulo Obed: alioqui omnes sacræ genealogiæ redderentur incertæ, possetque meritò quiuis suspicari, aliquos in ipsis medios fuisse prætereitos. Eadem responsione redargui potest opinio Siluestri Steiet Leouallæ, qui in suis de Genealogia Christi libris, præter tres Booz, etiam tres Salmon, sine vllo sacrarum Scripturarum fundamento ponere non dubitauit.

SECVNDAM AVCTOR RECIPIT OPINIONEM. 5. Itaque, vt tandem rem absoluamus; dicimus quòd historia libri Ruth, omnibus circumspectis, sub nullo alio Iudice rectiùs poni posse videtur, quàm sub Barac; quemadmodum in secundæ opinionis examine superiùs num. 3. dictum est: ceteræ enim opiniones, vt probatum fuit, cum ratione temporum conuenire nullo modo possunt, magis autem rectæ rationi reluctatur, audere aliquid addere Scripturæ sacræ, & sine vlla veteri traditione aut Ecclesiastica auctoritate ponere tres Booz, contra tot expressos eiusdem Scripturæ textus sibi inuicem adstipulantes; quàm concedere, aliquando contingere potuisse, vt senex quinque ac nonaginta annorum de eiusdem ætatis vxore filium genuerit; præsertim cùm certum sit, nonnumquam, licet raro, quædam præter ordinarium naturæ cursum accidere; quæ tametsi miranda admodum videantur, non tamen falsa sunt, aut incredibilia: nam si (quemadmodum sub anno mundi 1656. num. 3.

num. 3. & sequentibus, retulimus) plurimi, etiam post Caroli Magni Imperatoris tempora inuenti sunt, qui trecentis annis & ampliùs vixerunt; quis dubitet accidere potuisse, vt prisco illo tépore, quando vt plurimùm homines diutiùs multò quàm posterioribus temporibus viuere consueuerant, Salmon aliique nonnulli tamdiu vixerint, vt etiam nonagesimo quinto ætatis suæ anno generare potuerint? Item, si in Tertia mundi ætate Abraham anno circiter vitæ suæ centesimo quadragesimo duxit vxorem Ceturam, ex qua posteà sex filios procreauit, vt nos sub anno mundi 2179. num. 2. & 3. diximus: & Iacob annum agens centesimum septimum, genuit filium nomine Beniamin, quemadmodum sub anno mundi 2305. num. 1. dictum est; & de Aser filio dicti Iacob legimus Deuter. cap. 33. vers. 25. *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.* Si, inquam, hæc & alia mirabilia aliàs contigisse certissimùm est; quid miramur, quòd in hac Quarta mundi ætate, videlicet circa annum mundi 2646. potuerit Salmon nonaginta quinque annorum natus gignere filium suum Booz? præsertim cùm ipsiusmet Salmon temporibus, Caleb cùm octoginta quinque esset annorum, de seipso testatum reliquerit, quòd tunc se sentiebat adeò fortem ac robustum, sicuti olim erat, quando quadragenarius ad explorandam terram missus fuerat, vt patet Iosue cap. 14. vers. 10. & Ecclesiastici cap. 46. vers. 11. de eodem legimus: *Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, & vsque in senectutem permansit illi virtus*, subaudi, præter ordinarium naturæ cursum valida: alioqui id ibidem pro re admodum singulari non fuisset adnotatum. Et denique si constat, quosdam nonnumquam consuetum generandi tempus notabiliter præuenisse, vt sub anno mundi 3285. num. 1. dicemus; non erit etiam incredibile, aliquando feminam aliquam, etiam post ordinariam concipiendi ætatem, concipere potuisse.

6. Dicamus igitur, quòd anno ab obitu Samgar circiter vigesimo octauo, vt superiùs num. 1. notauimus, sub Iudice Barac facta est fames in terra Israel, ob quam Elimelech cum vxore sua Noëmi & duobus filijs, Mahalon scilicet & Chelion, peregrinati sunt de Bethleem Iuda ad terram Moab; ibique mortuu Elimelech, filij eius acceperunt vxores Moabitidas, quarum vna vocabatur Orpha, altera Ruth, & manserunt ibi decem annis; & filij Elimelech ambo mortui sunt, mansitque Noëmi orbata duobus filiis & marito, Ruth cap. 1. vers. 1. vsque ad 6. Vtrùm autem prædictus Elimelech sit ille vir innominatus, de quo in genealogia Selæ 1. Paralip. cap. 4. vers. 22. dicitur, *Qui stare fecit Solem*, &c. vt sentiunt ibidem Rabanus, & Glossa ordinaria, & alij plures illius loci Expositores; non facile est demonstrare, propter ea quæ differit Abulensis super dicto Paralip. capite quæst. 18. Nos verò nihil aliud habemus, quod his quæ sub anno mundi 2300. num. 1. de hac re diximus, hîc addere possimus. DE FAME QVAE CONTIGIT NOEMI TEMPORIBVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2757. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 214.

1 ANNO introitus filiorum Israel in terram Chanaan centesimo septuagesimo quarto, qui secundùm Eusebium concurrit cum anno Ducatus Debboræ & Barac vigesimo septimo, iuxta verò supputationem nostram, cum anno eorumdem Iudicum trigesimo septimo, mortuus est Lampares Assyriorum Rex, expletis regni sui annis triginta, vt tradit Eusebius in Chronicis. LAMPARES ASSYRIORVM REX MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2758. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 215.

1 ANNO qui proximè sequebatur circiter inchoante, regnauit Pannias in Assyria; fuitque Rex Assyriorum vigesimus tertius, vt ibidem Eusebius. REGNAT PANNIAS IN ASSYRIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2759. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 216.

1 EXACTIS decem peregrinationis suæ annis, hoc est anno Principatus Debboræ & Barac pænultimo, Noëmi orbata viro & filiis, mœrens reuersa est de terra Moabitarum, vt rediret in patriam suam cum duabus nuribus suis; quas cùm obnixè rogasset vt redirent ad populum suum, Orpha reuersa est; Ruth verò discedere noluit à socru sua, sed venit cum ea in Bethleem Iuda. Cùm autem quadam RVTH MOABITIS VENIT CVM SOCRV SVA IN TERRAM ISRAEL.

die, de licentia ipsius Noëmi, exisset Ruth ad legendas spicas à messoribus præteritas, contigit eam venisse ad agrum Booz viri valdè diuitis, inuenitq; gratiam in oculis eius; ita vt ipsemet Booz, sciens eam esse mulierem honestate ac virtute conspicuam, commendauerit eam messoribus ac puellis suis, iusseritque eam cum illis cibum sumere, & ne ad alios agros declinaret. Quod cùm illa nuntiasset socrui suæ; de consilio ipsius reuersa est Ruth altera die in agrum Booz, recubuitque ad pedes ipsius dormientis: qui expergefactus remisit eam grano onustam, pollicitusque est iure propinquitatis (erat enim consanguineus Elimelech) accipere eam vxorem, quod non multò pòst re ipsa compleuit; & illa sub finem (vt creditur) eiusdem anni, peperit ei, licet grandæuo, (erat namque tunc quinque ac nonaginta annos natus) filium, quem appellarunt Obed, qui postea fuit auus Dauidis. Quæ latiùs explicata traduntur Ruth cap. 1. verf. 6. vsque ad finem libri. Igitur, vt diximus,

BOOZ DVCIT RVTH IN VXOREM

2. Sub finem eiusdem anni, oportet quòd Booz anno vitæ suæ nonagesimo quinto propè expleto (vt videre est in tabulis) genuerit Obed ex Ruth, quemadmodum necessariò colligitur ex his, quæ sub anno mundi 2748. numero 3. dicta sunt. Quare annus primus vitæ Obed ferè totus concurrit cum anno sequenti, vt notatum est in eisdem tabulis.

BOOZ GENVIT OBED EX RVTH.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2760. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 217.

1 SVB finem anni quadragesimi ab obitu Samgar, oportet (quemadmodum ex prædictis infertur) mortuos esse Debboram & Barac, quos post victoriam de Chananæis habitam, nihil aliud memorabile gessisse credimus; & propterea Scriptura sacra, post descriptum Canticum Debboræ, statim Iudic. cap. 6. aggreditur narrare quartam populi præuaricationem; quod euidens est argumentum, iam tunc defunctos fuisse priores Iudices: siquidem de Israelitis, Iudic. cap. 2. vers. 19. dicitur, quòd *postquam mortuus esset Iudex, reuertebantur* (subintellige, ad cultum idolorum,) *& multò faciebant peiora.* Quod hucusque saltem obseruarũ fuisse credimus; nam posterioribus temporibus, nonnunquam etiam adhuc viuente Iudice ad idololatriam Hebræos declinasse, infrà sub annis mundi 2831. num. 1. & 2860. num. 1. & 2. apparebit.

DEBBORA ET BARAC MORIVNTVR.

QVARTA POPVLI PRÆVARICATIO, ET SERVITVS ANNORVM SEPTEM MADIANITIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2761. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 218.

1 ANNO proximo post obitum Debboræ & Barac, inchoari debent anni qui tribuuntur Præfecturæ Gedeonis. Fuit autem Gedeon de tribu Manasse, vt patet Iudic. cap. 6. vers. 15. & iudicauit Israelem per annos quadraginta, vt subditur cap. 8. vers. 28. eumdemque de iugo Madianitarum liberauit. Nam cùm iam quartò populus ad idola declinasset, ideoque tradidisset eum Dominus in manu Madian septem annis; demum ad pœnitentiam reuersus, meruit à Domino per ipsum Gedeonem liberari. Quomodo autem Gedeon priùs ab Angelo fuerit salutatus, & iubente Domino euerterit aram Baal, propterеáque deinceps dictus sit Ierobaal; & item quo signo, nimirum roris ac velleris, confirmatus, missusque à Deo fuerit contra Madian; & qualiter diuino actus spiritu conuocauerit exercitum, electósque probauerit ad aquas, ac cum trecentis dumtaxat viris, lampadibus tubisque armaris, hostium castra noctu quàm tumultuosissimè aggressus, Madianitas Amalecitis iunctos profligauerit, principesque eorum, Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana interfecerit; & se de viris Sochoth & Phanuel vindicauerit, eò quòd sibi exercituique suo commeatum præbere recusauerant; & denique quomodo parta tandem victoria, populoque suo in libertatem vindicato, de hostium exuuiis inaures aureas ab eodem populo obtinuerit, feceritque ex eis ephod, in quod posteà fornicati sunt filij Israel; fusiùs traditum quiuis videre poterit Iudic. cap. 6. 7. & 8. per totum. Ceterùm hîc obiter adnotandum videtur, communiter credi, trecentos illos, qui non curuati commodè aquas biberant, sed manu ad os proiiciente eas lambuerant, fuisse viros totius exercitus fortiores, vtpote qui propriis commoditatibus minùs dediti esse viderentur: & tamen econuersò Iosephus 5. Antiq. cap. 8. oppositum asserit, narrans, Deum mandasse Gedeoni vt exercitum duceret ad flumen, & quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet; quotquot autem trepidè ac tumultuariè potum sumerent, existimaret eos ignauia ac metu hostium sic facere: & nihilominùs, vt sciret rem totam pendere ab ipsius Dei auxilio, iussit ipsum cum solis trecen-

DE GEDEONE HEBRÆORVM IVDICE V. PER AN. 40. COMPVTATIS 7 PRÆDICTÆ SERVITVTIS.

trecentis viris, qui cum perturbatione aquam sumpserant, hostem inuadere. Quod & factum est, & vim diuinæ virtutis euidentius declarauit.

AB ORBE CONDITO · ANNVS 2783. | QVARTAE MVNDI AETAT. ANNVS 240.

1 ANNVS Præfecturæ Gedeonis vigesimus tertius fuit Iubilei quarti annus; erat quippe ducentesimus ab ingressu Israelis in terram Chanaan, vt videre est in tabulis. IVBILEVS QVARTVS.

2. Eodem anno conditam fuisse Tyrum, inclytam olim Phœniciæ vrbem, nimirum ducentis quadraginta annis ante templum Salomonis, tradunt Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 2. & Eusebius in Chronicis ex ipso Iosepho. TYRVS QVANDO CONDITA

AB ORBE CONDITO ANNVS 2800. | QVARTAE MVNDI AETAT. ANNVS 257.

1 DESINENTE anno Ducatus sui quadragesimo, Gedeon mortuus est, relictis septuaginta filijs, quos de pluribus vxoribus & vna concubina procreauerat; & sepultus est in Ephra, in sepulchro Ioas patris sui: Iudic. cap. 8. vers. 30. vsque ad 33. GEDEONIS OBITVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2801. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 258.

1 ANNO insequenti, Israelitæ quintò recesserunt à Domino, nec fecerunt misericordiam cum domo Gedeonis: etenim cùm, ipso mortuo, Abimelech filius eius ex ancilla, occidisset omnes fratres suos legitimos, præter Ioatham natu minimum, qui clàm aufugerat; non modò causam ipsius Ioatham adeò iustam susceperunt vindicauerúntve, sed hostem eius Abimelech sibi Regem seu Ducem constituere non sunt veriti. Quod videns Ioatham, quadam die stans in vertice montis Garizim, proposita parabola plantarum de Rege super se constituendo deliberantium, exprobrauit Sichimitis ingratitudinem, imprecatusque est eis & ipsi quoque Abimelech interitum; & exaudiuit eum Dominus, venitque super eos maledictio Ioatham, vt latè describitur in toto Iudic. cap 9. & nos infrà suis locis dicemus. ISRAELITAS QVINTO RECEDVNT A DOMINO. ABIMELECH HEBRAEORVM IVDEX SEXTVS ANNIS TRIBVS

AB ORBE CONDITO ANNVS 2802. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 259.

1 ANNO introitus Israelitarum in Terram eis promissam ducentesimo decimonono, qui secundùm Eusebium fuit annus trigesimus secundus Præfecturæ Gedeonis, iuxta verò computú, quem nos hîc & in tabulis sequimur, coincidit cum anno secundo Principatus Abimelech, mortuus est Pannias Rex Assyriorum, traductis in regno annis quadraginta quinque, vt scribit Eusebius in Chronicis. PANNIAS ASSYRIORVM REX MORITVR

2. Eodem (vt arbitror) anno, iustus malorum atque iniuriarum vindex Dominus, immisit spiritum pessimum discordiarum inter Abimelech & Sichimitas; qui cùm rebellassent, tandem ab ipso victi interfectique fuerunt, & vrbs eorum funditus euersa est, ac ne germen in ea oriretur, sale seminata: Iudic. cap. 8. vers. 22. vsque ad 50. SICHEM AB ABIMELECHO FVNDITVS EVERSA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2803. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 260.

1 ANNO qui proximè sequebatur circiter ineunte, regnauit in Assyria Sosarmus Rex Assyriorum vigesimus quartus, vt vbi suprà scribit Eusebius. REGNAT IN ASSYRIA SOSARMVS.

2. Eodem, vt reor, anno ad finem appropinquante, Abimelech, dum oppugnare nititur oppidum Thebes, infeliciter admodum, per manum mulieris fragmen molæ desuper iacientis, pæne interfectus est; qui adhuc animam agens, præcepit armigero suo vt eum percuteret, ne diceretur quòd à femina fuisset occisus; qui iussa perficiens, interemit eum, cùm regnasset tribus annis: Iudicum cap. 9. vers. 22. & vers. 50. vsque ad finem capitis. ABIMELECH INTERFICITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2804. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 261.

THOLA DVX SEVS IVDEX HEBRAEORVM SEPTIMVS ANNIS 23.

1 POST Abimelech surrexit in Israel Dux nomine Thola, de tribu Issachar, qui habitauit in Samir montis Ephraim; & cùm iudicasset Israëlem viginti tribus annis, mortuus est: Iudicum cap. 10. versic. 1. & 2. Vbi ex illis verbis, *in Samir montis Ephraim*, videtur insinuari fuisse aliam Samir in Israel, ad cuius distinctionem additum sit *montis Ephraim*. Sub hoc Iudice, seu in toto hoc vigiuti trium annorum tempore quid actum sit, Scriptura sacra non refert, fortè quia nihil memorabile accidente.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2821. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 278.

SOSARMVS REX ASSYRIORVM MORITVR.

1 ANNO introitus Israelis in terram Chanaan centesimo trigesimo octauo, qui secundùm Eusebium concurrit cum anno octauo Ducatus Tholæ, secundùm vero nostram supputationem, cum decimooctauo; defunctus est Sosarmos, cùm regnasset in Assyria annis decem & nouem, vt est apud Eusebium in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2822. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 279.

MITREVS REGNAT IN ASSYRIA.

1 ANNO proximo inchoante, regnauit super Assyrios Mitreus Rex ipsorum vigesimus quintus, vt ibidem Eusebius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2826. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 283.

THOLAE OBITVS.

1 ANNO post occisum Abimelech vigesimo tertio desinente, oportet mortuum esse Tholam: siquidem ipse iudicauit Israelem annis dumtaxat viginti tribus, vt sub anno mundi 2804. num. 1. dictum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2827. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 284.

DE IAIR OCTAVO HEBRAEORVM IVDICE ANNIS 22.

QVOD ISTE SIT DIVERSVS AB ALIO IAIR.

1. ANNO insequente circiter ineunte, prædicto Tholæ successit Iair Galaadites, qui iudicauit Israëlem per annos viginti duos; habuitque triginta filios principes triginta ciuitatum in terra Galaad, quæ ex nomine eius Hauoth Iair, id est oppida Iair, sunt appellatæ: Iudic. cap. 10. vers. 3. & 4. Vbi aduertendum est, quòd iste Iair valdè diuersus est ab eo, cuius fit mentio Numer. cap. 32. vers. 41. & Deuter. cap. 3. vers. 14. & Iosue cap. 13. vers. 30. & 1. Paralip. cap. 2. vers. 21. nam ille fuit filius Segub filij Hesron, ex filia Machir filij Manasse, vt apertè dicitur loco Paralip. citato: & fuit ex his, qui sub Moyse percusserunt Sehon & Og Reges Amorrhæorum, & quibus ipse Moyses dedit terram Basan, quæ fuerat Regis Og, & partem montis Galaad in possessionem, vt ex locis Numer. Deuter. & Iosue citatis apparet: iste verò Iair, qui Tholæ successit, longè posterior illo fuit; etenim ab eo tempore, quo primus Iair accepit possessionem à Moyse, ad Præfecturam huius Iair, fluxerunt plusquam ducenti & quadraginta anni, vt manifestè colligi potest ex tabulis. Vnde cùm de priori Iair, Numer. cap. paulò antè adducto vers. 41. dicatur, quòd tempore Moysi occupauit vicos terræ Galaad, hoc est (vt clariùs explicatur loco Paralip. allegato) viginti tres ciuitates; proculdubiò innuitur, ipsum Iair tunc non fuisse puerum, sed in ætate virili iam constitutum, vt pura annorum circiter triginta; & consequenter, si ille idem esset cum eo de quo nunc agimus, oporteret ipsum fuisse trecentorum propè annorum, quando factus est Iudex; quod non est credibile, illis præsertim temporibus, in quibus vita hominum vix ad centum viginti annos produci consueuerat. Credimus tamen istum Iair, qui post Tholam iudicauit Israëlem, ex cognatione seu linea prioris illius Iair prodiisse, nomenque & oppida illius hereditario iure possedisse, auxisseque; & in-

& insuper ipsorum fortè oppidorum nomenclaturam, temporum vetustate iam pænè abolitam, ex proprio nomine renouasse; & hoc esse quòd dicitur, triginta ciuitates, quibus singulis singuli filij eius præerant, ex nomine ipsius appellatas esse Hauoth Iair. Ceterùm, si verum est, hunc Iair à priori illo Iair originem duxisse; oportet etiam fateri, istum quoque, licet reuerâ dici posset fuisse de tribu Iuda, quia descêdit ab Hesron, qui fuerat nepos Iudæ; nihilominùs ipsum, vniuersámque familiam eius, dici reputatamque fuisse de tribu Manasse; quoniam olim Machir filius Manasse adoptauerat sibi in filium Segub patrem prioris Iair, & omnes posteros eius, eò quòd ex filia ipsius Machir progeniti essent, vt sub anno mundi 2583. num. 25. docuimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2831. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 288.

1 Anno Ducatus Iair circiter quinto incipiente, vt paulò pòst probabitur, oportet cœpisse sextam illam Hebræorum præuaricationem, quæ describitur Iudic. cap. 10. vers. 5. vsque ad finem capitis, vbi legimus, quòd filij Israel veteribus peccatis noua iungentes, ad idola quoque declinare cœperunt; quamobrem traditi sunt in manu Philisthinorum & filiorum Ammon; à quibus cùm vehementer per annos decem & octo fuissent oppressi, tandem ex illa graui diuturnaque vexatione resipiscentes, clamauerunt ad Dominum; qui primò illos audire renuit, quòd aliàs non semel de manu hostium ab ipso erepti, nihilominùs eum deserere non erubuissent. Verumtamen, vt vidit eos proiecisse de finibus suis deos alienos, atque in sua precatione ac veri Dei cultu perseuerantes; misericordia motus, liberauit eos per manum Iephte Galaaditæ, quemadmodum infrà sub anno mundi 2849. num. 3. dicemus. Sanè quod paulò antè, & item sub anno mundi 2591. num. 14. diximus, tempora prædictæ Hebræorum præuaricationis, & afflictionis per annos decem & octo toleratæ, includenda esse in annis Ducatus Iair, non autem Iephte, necessariò videtur admittendum; quoniam constat Iudic. cap. 12. vers. 7. ipsum Iephte annis dumtaxat sex iudicasse populum; & ex his quæ habentur in toto cap. 11. satis probabiliter indicatur, ipsum Iephte anno sui Principatus primo vicisse Ammonitas, & Israëlem de manu ipsorum liberasse.

ISRAELITAE SEXTO AD IDOLA DECLINANT, DE IDQVE TRADVNTVR IN MANV PHILISTHINORVM ET AMMONITARVM ANNIS 18.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2833. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 290.

1 Anno Præfecturæ dicti Iair septimo, necesse est incidisse quintum Iubileum; nam iste annus coincidit cum anno ducentesimo quinquagesimo ab introitu Israëlis in terram Chanaan, vt videre est in tabulis.

IVBILEVS QVINTVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2842. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 299.

1 Anno Ducatus Iair decimosexto, natus est Heli, qui postea fuit Iudex populi & Sacerdos, quemadmodum sub anno mundi 2900. num. 1. dicemus: quod inde fit clarum, quia (vt dignosci potest in tabulis) hinc ad tempus mortis eiusdem Heli, colliguntur nonaginta & octo anni, quibus ipsum vixisse constat ex 1. Reg. cap. 4. vers. 15.

ORTVS HELI, QVI POSTEA FVIT SACERDOS ET IVDEX.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2848. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 305.

1 Svb finem anni vigesimi secundi Ducatus sui, Iair mortuus est, & sepultus in quodam loco, qui olim dicebatur Camon: Iudic. cap. 10. vers. 5. Nec quidquam ab eo gestum Scriptura sacra commemorat, quòd fortè nihil memoria dignum egerit.

IAIR OBITVS.

2. Eodem quoque anno circiter desinente, qui fuit ducentesimus sexagesimus quintus ab ingressu Israel in Terram promissionis, & concurrit iuxta Eusebij computum, cum anno Ducatus Iair decimotertio; iuxta nostrum verò, cum vigesimo secundo; mortuus est Mitreus Assyriorum Rex, exactis regni annis viginti septem, vt notat Eusebius

MITREVS REX ASSYRIORVM MORITVR.

sebius in Chronicis. Vbi aduertendum est, quòd iste annus Mitrei postremus, vt diximus, in Eusebij Chronico concurrit cum anno Principatus Iair decimotertio; quia ipse Eusebius, secutus (vt arbitror) deprauatos quosdam LXX. Interpretum codices, numerauit annos Ducatus Tholæ duos dumtaxat & viginti: si enim fecisset eos viginti tres, quemadmodum omnes Sacri textus magis probati habent Iudic. cap. 10. vers. 2. habent; proculdubiò annus præfati Mitrei postremus ibidem concurrisset non cum decimotertio, sed cum duodecimo Principatus dicti Iair, vt in ipsis Chronicis experiri quisque poterit. Ex hoc ergo errore deinceps, in eisdem Eusebij codicibus, emanauit in singulis annorum concurrentiis Regum Assyriorum cum annis Iudicum Hebræorum, vnius anni transpositio, vsque ad annum quintum regni Ioram Regis Iuda: & propterea, inter Eusebij supputationem & nostram in hisce concurrentiis, vsque ad finem Ducatus Abesan, quem Eusebius vocat Hesebon, reperietur differentia vndecim annorum; vnius quidem, ob prædictam vnius anni transpositionem; & insuper aliorum decem, propter alteram decem annorum translationem, de qua sub anno mundi 2616. num. 1. egimus. Post prædicti verò Abesan tempora, vsque ad quintum annum regni Ioram filij Iosaphat Regis Iuda, vnius tantùm anni differentia remanebit. Exinde autem in alijs quoque differt Eusebij Chronologia à nostra, propter ea quæ suis locis, ac præcipuè sub anno mundi 3234. num. 1. adnotabimus.

CVR AVCTOR IN RATIONE TEMPORVM AB EVSEBIO RECESSERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2849.	QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 306.

DE IEPHTE NONO HEBRÆORVM DVCE VEL IVDICE ANNIS 6.

1 ANNO proximo circiter ineunte, post obitum Iair, electus fuit Princeps populi Iephte Galaadites; qui, quòd de meretrice natus esset, à fratribus legitimis eiectus fuerat, habitabatque in terra Tob, quæ creditur fuisse regio quædam particularis ipsius terræ Galaad; vbi, quoniam strenuus vir erat atque fortissimus, quorumdam virorum latrocinantium caput fuerat constitutus: nunc verò à maioribus natu Galaad rogatus, vt prò ipsis pugnaret contra Ammonitas terram ipsorum inuadentes, hac lege consensit, si deuictis Ammonitis, ipsum in Principem totius populi reciperent. Quod & factum est, vt traditur Iudic. cap. 11. vers. 1. vsque ad 12.

TAVTANES REGNAT IN ASSYRIA.

DE BELLO TROIANO.

2. Per idem tempus, iuxta nostrum computum in tabulis exaratum, regnare cœpit in Assyria Tautanes siue Theutamus, Rex Assyriorum vigesimus sextus; licet eius regni exordium, (ob causas à nobis sub anno præcedenti num. 2. commemoratas) apud Eusebium in Chronicis reperiatur positum in anno decimoquarto Ducatus Iair. Sub hoc Assyriorum Rege bellum Troianum fuisse gestum, testatur Diodorus Siculus Rerum antiquarum lib. 3. cap. 6. his verbis: *Theutamo in Asia regnante, qui vigesimus à Nino atque Semiramide descendit, Agamemnonem tradunt aduersus Troiam cum Græcis bellum mouisse, cùm Assyrij ampliùs mille annis Asiæ imperassent. Cùm verò Priamus bello oppressus, ab Rege Theutamo præsidium, vtpote Assyrijs subditus, per legatos postulasset; ille decem millia Æthiopum, totidemq; Susianos, cum ducentis curribus, duce Memnone, ad Troiam misit.* Hucusque Diodorus. Cuius tamen in verbis obseruare licet duplex in Chronologia erratum; alterum in Regum numero, & in annorum summis alterum; nam & in altero quidem deficit, in altero autem redundat: ponit enim hunc Theutamum fuisse à Nino vigesimum Regem, quemadmodum & paulò antè ex Ctesia ait, ab eodem Nino ad Sardanapalum successisse triginta Reges; quod & initio capitis septimi confirmat dicens, Sardanapalum fuisse trigesimum, vltimumque Assyriorum Regem: cùm tamen constet, ab Eusebio in Chronicis, & ab alijs item Auctoribus, ante Theutamum nominatim recenseri viginti quinque Assyriorum Reges; ipsumq; propterea Theutamum fuisse non vigesimum, sed vigesimum sextum; Sardanapalum verò non trigesimum, vt etiam putat Diodorus, sed trigesimum sextum. Addit deinde idem Diodorus, bellum Troianum cœpisse, cùm iam Assyrij ampliùs mille annis Asiæ imperarent. Atqui ab initio Monarchiæ Assyriorum ad obitum Theutami, non plures octingentis sexaginta quinque annis inueniuntur, vt patet in tabulis. Sed & ex recta annorum totius regni Assyriorum subductione vsque ad mortem Sardanapali, non annos mille trecentos, vt ponit Diodorus, sed tantummodò mille ducentos decem & nouem fluxisse, in eisdem tabulis reperies. Quòd autem etiam eodem Theutamo in Asia regnante, & currente anno regni eius vigesimo quarto, Troia fuerit capta, nos infrà sub anno mundi 2872. num. 2. ex Eusebij Chronicis ostendemus.

DVPLEX DIODORI IN CHRONOLOGIA ERRATVM.

3. Eodem anno primo Iephte, nimirum statim ac constitutus fuit Israelitici populi Prin-

Princeps coram Domino in Maſpha, miſit legatos ad Regem Ammonitarum, qui cum eo expoſtularent, cùm terram Iſraelitarum vaſtare molitetur. Quibus cùm ille reſpondiſſet, ſe non alienam, ſed propriam ab Iſraelitis olim vſurpatam terram recuperare velle: per eoſdem replicauit Iephte, terras illas non eſſe Ammonitarum, ſed Hebræorum: vtpote qui eas iamdudum ab Amorrhæis iure belli aquiſitas, per annos iam trecentos pacificè poſſederant. Hoc autem tamquam per modum amplificationis dictum intelligi debet, vt ſub anno mundi 2591. num. 16. docuimus, ac ſi diceretur, per annos ferè trecentos: nam reverà, ab extremo anno vitæ Moyſi, in quo Hebræi pulſis Amorrhæis terram illam aquiſierant, vſque ad annum primum Ducatus Iephte, computantur tantummodò ducenti ſexaginta ſex anni; vt ex tabulis facilè colligi poteſt. Dixit verò, per annos trecentos, vſurpans numerum perfectum pro imperfecto, & magis trecentos quàm ducentos, quia verus numerus trecentis magis quàm ducentis appropinquabat. Vt autem vidit Iephte, quòd Rex Ammonitarum veritati ac rationi noluiſſet acquieſcere; confeſtim, diuino actus ſpiritu, mouit exercitum contra filios Ammon; & emiſſo voto offerendi in holocauſtum Domino, quem primò poſt victoriam de domo ſua obuium habuiſſet, audacter inuaſit hoſtes, ac percuſſit plaga magna valdè, abſtulitque ab eis viginti ciuitates, & humiliauit eos. Cùm autem reuertenti de prælio occurriſſet ei ante omnes vnigenita filia ſua, ingemuit, recolens votum quod vouerat; nihilominùs indulto deprecanti duorum menſium ſpatio, poſteà eamdem Domino immolauit. Quamobrem inoleuit deinceps conſuetudo in Iſrael, vt mulieres ſingulis quibuſque annis conuenirent ad celebrandum filiæ Iephte planctum, per quatuor dies continuos: Iudic. cap. 11. verſ. 12. vſque ad finem capitis.

IEPHTE POST LEGATIONES REGI AMMONITARVM TRANSMISSAS CVM EO FELICITER PVGNAT.

LIBERAT ISRAELEM DE PRAECEDENTI SERVITVTE 18 ANNORVM.

IMMOLAT VNICAM FILIAM DOMINO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2850. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 307.

1 ANNO, vt arbitror, ſubſequente, ſeditio grauis exorta eſt virorum Ephraim contra Iephte; quam cùm ipſe, vt moliebatur, compeſcere non potuiſſet, quin potiùs videret eos paratos ad conſurgendum contra ſe in prælium, coacto Galaaditarum exercitu pugnauit cum eis, & parta victoria occupauerunt Galaaditæ vada Iordanis, & paſſim ad ea fugientes comprehendebant, atque ex cuiuſdam vocis pronunciatione conuictos, quòd eſſent Ephrathæi, interficiebant: ſicque ceciderunt de Ephraimitis ad quadragintaduo millia virorum: Iudic. cap. 12. verſ. 1. vſque ad 8.

VICTIS EPHRATHAEIS, ETIAM FVGIENTES INTERFICIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2854. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT ANNVS 311.

1 ANNO Principatus ſui ſexto deſinente, Iephte mortuus eſt, & ſepultus in ciuitate ſua Galaad: Iudic. cap. 12. verſ. 7. Quòd ſi quis percontetur de qua tribu fuerit; dicimus, non eſſe omnino certum: nam Caietanus ſuper Geneſ. cap. 49. putat fuiſſe Gaditam; quia Iephte fuit filius Galaad, vt dicitur Iudic. cap. 11. verſ. 2. & Galaad, inquit, erat de tribu Gad. Et confirmari poteſt iſta poſitio, ex eo quòd certum eſt, Gaditas habitaſſe in terra Galaad, & in Baſan, vt legimus 1. Paralip. cap. 5. verſ. 16. Ex aduerſo autem probabilius videtur Perério & alijs, quòd fuerit de tribu Manaſſe; quoniam (vt dictum eſt) erat de terra Galaad, quæ olim à Moyſe data fuerat dimidiæ tribui Manaſſe, vt traditur Num. cap. 32. verſ. 39. Sed hæc ratio non videtur intentum conuincere; quandoquidem certum eſt, terram Galaad diuiſam fuiſſe Manaſſenſibus & Gaditis, vt patet Deuter. cap. 3. verſ. 12. & Ioſue cap. 13. verſ. 25. & 31. & videtur Iephte potiùs à Gaditis quàm à Manaſſenſibus fuiſſe requiſitus, quia Gaditæ propinquiores erant filiis Ammon, & propterea magis ab ipſis infeſtabantur: nam vt dicitur loco Ioſue citato verſ. 25. Gaditis olim data fuerat dimidia pars terræ Ammon; illa nimirum quam Amorrhæi priùs ab Ammonitis vi abſtulerant, & quam poſteà ipſi Ammonitæ temporibus Iephte recuperare moliebantur: & præterea probabilius videtur, Gaditas quæſiuiſſe virum de tribu ſua, quàm de aliena, qui pro eis pugnaret. Nec obſtat, quòd Iephte dicatur filius Galaad, & 1. Paralip. cap. 7. verſ. 17. Galaad dicatur filius Machir filij Manaſſe; quia certum eſt, vt benè probat Abulenſis ſuper Iudic. cap 11. quæſt. 6. quòd Iephte non potuit eſſe filius illius Galaad, qui fuit filius Machir filij Manaſſe; ſed neceſſe eſt quòd fuerit filius alterius Galaad, illo longè poſterioris, qui etiam potuit eſſe de tribu Gad. Sed de hoc ſatis.

IEPHTE OBITVS. DE QVA TRIBV FVERIT.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2855. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 312.

DE ABESAN DECIMO HEBRAEORVM IVDICE ANNIS 7.

1 ANNO proximò circiter ineunte, prædicto Iephte successit Abesan de tribu Iuda Bethleemites, qui iudicauit Israelem septem annis, habuitque triginta filios, & totidem filias, quas maritis dedit, & eiusdem numeri vxores accepit filiis suis: Iudic.cap.12.vers.7. vsque ad 11. De hoc Iudice nihil aliud in Sacris voluminibus legimus, neque quidquam nobis dicendum restat, nisi quòd Rabbi Salomon, istum Abesan arbitratur esse illum, qui alio nominè dictus est Booz, cuius nos sub anno mundi 2759. num. 1. meminimus: ad quod asserendum non alio videtur ductus argumento, nisi quòd ambo dicuntur fuisse de Bethleem Iuda, & diuites. Veruntamen, ex his quæ sub anno mundi proximè citato, & item sub anno mundi 2748. num. 3. diximus, manifestum est, præfatum Auctorem falli: nam si annus vitæ Booz nonagesimus quintus, in quo diximus ipsum genuisse Obed, concurrit ferè totus cum anno postremo Principatus Barac, vt patet in tabulis; proculdubiò (quemadmodum ibidem videre est) ab anno vltimo Barac ad initium Præfecturæ Abesan, inueniuntur anni nonaginta quinque. Quare si Booz idem fuisset cum Abesan, oporteret ipsum fuisse centum nonaginta annorum quando factus est Iudex populi, quod nullatenus credibile est.

ORDO GENVIT IESSE, QVI ET ISAI. ISAI TRINOMINIS.

2. Eodem anno circiter inchoante, necesse est quòd Obed, anno vitæ suæ nonagesimo sexto incipiente, vt apparet in tabulis, genuerit Isai, qui posteà fuit pater Dauidis, quemadmodum infrà suo loco dicetur. Quod autem hoc anno genitus fuerit ipse Isai, necessariò consequitur ex his quæ nos sub anno mundi 2748. num. 3. disputauimus. Aduertendum verò hic est, quòd iste Isai Dauidis pater, videtur fuisse trinominis; siquidem 1. Reg. cap. 16. multoties, & in alijs item libris Reg. Paralipom. & Ruth (vt videre est in Bibliorum Concordantia) frequenter vocatur Isai: in pluribus verò alijs vtriusque Testamenti libris, videlicet Psalmorum, Ecclesiastici, Isaiæ, Matthæi, Lucæ, Actorum, & ad Romanos, appellatur Iesse: nonnumquam etiam videtur dictus fuisse Naas, vt colligitur 2. Reg. cap. 17. vers. 25. vbi legimus quòd Amasa fuit filius Abigail filiæ Naas, & sororis Saruiæ: atqui ex 1. Paralip. cap. 2. vers. 16. patet, quòd Abigail & Saruia fuerunt sorores Dauidis, & filiæ Isai; ergo Isai etiam vocabatur Naas. Quod pluribus quoque alijs argumentis confirmat Abulensis super 2. Reg. cap. 17. quæst. 27.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2860. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 317.

DE SEPTIMA POPVLI PRAEVARICATIONE IN TERRA CHANAAN OB QVAM SERVIT PHILISTHAEIS PER ANNOS 40.

1 ANNO Iudicatus prædicti Abesan quarto inchoante, (vt paulò pòst probabimus) oportet cœpisse septimam illam populi præuaricationem, propter quam traditus fuit in manu Philisthinorum quadraginta annis, vt dicitur Iudic. cap. 13. vers. 1. & item acta esse alia, quæ ibidem subiunguntur vsque ad vers. 24. nimirum de viro illo stirpis Dan, vocabulo Manue, qui habebat vxorem sterilem, cui apparuit Angelus Domini, præcipiens ei vt abstineret à vino & sicera, & ab omni immundo, eò quòd paritura esset filium, *qui ex vtero matris*, inquit, *Nazaræus Dei erit; & ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum* (intellige, qui iam ex tunc cœperat Hebræos opprimere.) Quæ cùm illa nuntiasset viro suo, ad preces eius iterùm misit Dominus Angelũ suum,

PRAENVNTIATVR ORTVS SAMSONIS.

qui eis denuò prædicta omnia confirmauit, præcepitque vt, si placeret, holocaustum Domino offerrent hœdum illum, quem ei in cibum parare sponderant, nescientes quòd Angelus esset. Itaque cùm holocaustum obtulissent Domino, ipse Angelus, cum flamma quæ de altari ascendebat, pariter ascendit in cælum. Quod illi videntes, confestim proni ceciderunt in terram; & tunc cognouit Manue illum esse Angelum Domini, ac præ magno timore quem in illa visione senserat, existimans se breui moriturum, dixit vxori suæ: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* illa verò, ex fauore & beneficio quod à Domino acceperant, arguere cœpit oppositum, nimirum salutem ac prosperitatem, & felicem euentum eorum quæ prædixerat eis Angelus.

PROBANTVR PRAEDICTA HOC ANNO CONTIGISSE.

2. Porrò hæc prænotato circiter tempore accidisse, sic deduci potest. In citati capitis initio, vbi describitur prænuntiatio ortus Samsonis, meritò præmittitur breuis compendiosaque narratio seruitutis, quam deinceps per annos quadraginta Hebræi, propter peccata sua, à Philisthæis passi sunt; nimirum vt per hoc Scriptura indicaret, illam seruitutem vel tunc, vel paulò antè iam esse inchoatam; quod etiam confirmatur ex eo, quod

ibidem

ibidem verſ. 5. Angelus de Samſone mox naſcituro prænuntiauit, dicens: *Ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum.* quæ verba ſupponunt, ſeruitutem iam cœpiſſe. Oportet autem eamdem ſeruitutem toto Samſonis tempore perduraſſe, & non niſi in morte eius fuiſſe ſublatam: tum quia in calce Iudic. capitis 15. legimus, Samſonem iudicaſſe viginti annis Iſraelem in diebus Philiſthiim, hoc eſt, quando Philiſthæi dominabantur Hebræis, vt ipſimet Iudæi in eiuſdem capitis verſ. 11. dicebant Samſoni: *Neſcis quòd Philiſthijm imperent nobis?* & cap. 14. verſ. 4. apertè dicitur: *Eo enim tempore Philiſthiim dominabantur Iſraeli.* tum etiam quia in fine capitis 16. dicitur, quòd Samſon *multò plures* (ſubintellige, Philiſthæorum) *interfecit moriens, quàm antea viuus occiderat:* quibus verbis profectò inſinuatur, tunc Philiſthæos ea clade, in qua omnes principes ipſorum perierant, adeò fuiſſe debilitatos, vt deinceps non potuerint ampliùs (vt conſueuerant) dominari Hebræis, vſque ad poſtrema Ducatus Heli tempora, quando rurſus roborati intulerunt bellum Iſraeli, & prælium cum eo inituri, excitabant ſe ipſos 1. Reg. cap. 4. verſ. 9. dicentes: *Confortamini, & eſtote viri, Philiſthiim; ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt vobis.* vtique per hoc indicantes præteritam illam quadraginta annorum ſeruitutem; quæ (vt dictum eſt) in obitu Samſonis deſierat: ſi enim etiam poſt obitum Samſonis illa perſeueraſſet, nullatenus verum eſſe poſſet id, quod de ipſo Angelus anteà prædixerat. Nec refert, quòd non abſolutè Angelus dixerit, *Ipſe liberabit*; ſed, *Ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum*: quandoquidem hoc loquendi modo inſinuare voluit, quòd poſt liberationem à Samſone faciendam, Philiſthæi non ſemel deinceps inſurrecturi erant contra Iſraelem, donec tandem omnino à Dauide ſubacti, ipſe penitus ab eis liberaret Iſraelem. Igitur ſi prædicta quadraginta annorum ſeruitus cœperat paulò ante conceptionem Samſonis, & deſiit in morte eius, vt dictum eſt; proculdubiò ſequitur, prædicta de prænuntiatione conceptionis ortuſque Samſonis, accidiſſe anno ſexto Ducatus Abeſan inchoante; inde enim ad obitum eiuſdem Samſonis computantur anni quadraginta, vt conſtare poterit in tabulis. Vnde etiam fit manifeſtum, omnia quæ in Iudicum cap. 13. habentur, ibidem per recapitulationis figuram eſſe narrata, & Samſonem vix quadrageſimum vitæ annum attingere potuiſſe; quod & in tabulis perſpici poterit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2861. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 318.

ANNO proximo circiter ineunte, vt ex prædictis infertur, neceſſe eſt natum eſſe Samſonem, qui (vt colligi poteſt ex Gloſſa interlineari, & ex Paraphraſi Chaldaica, & tradunt Lyranus & Abulenſis, & alij) 1 Reg. cap. 12. verſ. 11. appellatur etiam in codicibus Latinis, Badan; in Hebraicis verò, Bedan, per eclipſim, hoc eſt BenDan, quod interpretatur filius Dan; quia ipſe fuit de tribu Dan, vt patet ex dictis ſub anno præcedenti num. 1. Porrò huic Samſoni benedixit Dominus, deditque gratiam vt eſſet Nazaræus Dei, hoc eſt conſecratus Deo, & ſanctus ab infantia vſque ad diem mortis ſuæ; abſtinuit enim à vino & ſicera, & ab omni re immunda, & numquam tonſus eſt, vt olim ſolebant qui dicebantur Nazaræi. Sic autem decuit ſanctum eſſe Samſonem, qui ad nihil aliud videtur natus in hoc mundo, niſi vt in vita & in geſtis ſuis (quemadmodum ex his quæ ſub annis mundi 2881. num. 2. & 2899. num. 1. patebit) multa de Chriſto præfiguraret; & quodammodò præadumbraret. Nam ſicuti Samſon primogenitus matris ſuæ, vt quæreret occaſionem contra Philiſthiim, qui tunc dominabantur populo ſuo Iſrael, noluit ducere vxorem de gente & cognatione ſua, ſed duxit vnam natione Philiſthæam; cuius rei nullam aliam reddidit cauſam, niſi *quia*, inquit, *hæc placuit oculis meis*: vt legimus Iudic. cap. 14. verſ. 3. & 4. ita Dominus noſter vnigenitus Dei Filius, vt occaſionem nanciſceretur debellandi principes tenebrarum harum, qui ſibi dominium generis humani vſurpauerant; non Angelicam naturam patriæ cæleſtis incolam, & ſibi dignitate & gratia magis propinquam, ſed humanam quaſi alienigenam aſſumpſit, cui vnione hypoſtatica copularetur; & hoc, quia ſic beneplacitum fuit in conſpectu ſuo. Et ſicut idem Samſon ſæpiùs fortiter pugnauit contra Philiſthæos hoſtes & oppreſſores populi ſui, plurimoſque ex ipſis ſtrauit: ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ceſſauit diuina virtute fugare malignos ſpiritus, & cæleſti doctrina ſua diaboli membra, homines inquam peruerſos, & ſaluti fidelium aduerſantes confutare atque confundere. Et denique quemadmodum Samſon à Dalila, quam poſteà ardenter adamauit, traditus fuit in manus inimicorum

SAMSONIS NATIVITAS

CVR SAMSON SANCTVS.

corum suorum, à quibus captus, ligatus, & illusus fuit, ac demum multò plures ex inimicis suis vltro moriens interfecit, quàm antè viuus occiderat: Iudic. cap. 16. verf. 21. vsque ad finem capitis. sicque populum suum à Philisthinorum seruitute vindicauit, vt nos sub anno mundi 2899. num. 1. ostendemus: ita Christus à Synagoga, quam tantopere dilexerat, traditus fuit in manus peccatorum, à quibus multa atque indigna pertulit, vincula, sputa, carcerem, flagella, opprobria, & tandem voluntariam mortem: (ipse enim, vt prædixerat Isaias cap. 53. verf. 12. *tradidit in mortem animam suam.*) In qua tamen morte, parta de hostibus victoria, Ecclesiam suam de captiuitate diabolica, hoc est de principe huius mundi, liberauit, iuxta illud Ioan. cap. 12. verf. 31. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*

ABESAN MORITVR. 2. Sub finem eiusdem anni, qui (vt patet in tabulis) erat ducentesimus septuagesimus octauus ab introitu Israelitarum in terram Chanaan, necesse est obiisse Abesan Hebræorum Ducem. Hoc siquidem tempore complentur anni septem, quibus dicitur iudicasse Israelem, Iudic. cap. 12. verf. 9.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2862. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 319.

AHIALON XI HEBRÆORVM IVDEX PER ANNOS DECEM. 1 ANNO insequente, prædicto Abesan successit Ahialon, siue Ælon, Zabulonites, qui iudicauit Israelem annis decem: Iudicum cap. 12. verf. 11. Hunc Eusebius in Chronicis vocat Adon, & ait in libro Hebræorum dici, quòd rexerit populum decem annis; sed eos ipse computare noluit, quia, inquit, non habetur præfatus Iudex apud LXX. Interpretes; & propterea (quemadmodum notat venerabilis Beda in lib. de Sex ætatibus mundi, & item in lib. Retractationũ super Actorum cap. 13.) vt conficere posset summam quadringentorum octoginta annorum, qui fluxisse dicuntur ab exitu populi de Ægypto ad prima fundamenta templi Salomonis; ipse Eusebius, annis, quos Iosephus tribuit Iosue, Samueli, Sauli, & Salomoni, addidit, primo quidem & postremo, vnum; mediis autem, reliquos octo. Sic Beda. Sed melius dicendum videtur cum Io. Lucido lib. 2. de Emendatione temporum cap. 8. ipsum Eusebium decem illos Ducatus Ælon annos à se præteritos addidisse Ducatui Iosue, simul & Seniorum regimini, vt sub anno mundi 2591. num. 12. dictum est. Verùm hac nostra tempestate in LXX. Interpretum codicibus, qui passim circumferuntur, & præsertim qui habentur in Bibliis Regiis, & qui Romæ anno salutis 1588. quàm emendatè excusi sunt, certum est in cap. Iudic. 12. post Abesan poni, Ælon præfuisse populo annis decem: vnde necesse est fateri, Codicem illum sacrum, quo vtebatur Eusebius, in hac parte fuisse mancum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2871. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 328.

AHIALON MORITVR. 1 ANNO sui Principatus decimo desinente, vt ex prædictis consequitur, Ahialon siue Ælon mortuus est, & sepultus in Zabulon: Iudicum cap. 12. verf. 12.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2872. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 329.

ABDON XII. HEBRÆORVM IVDEX ANNIS 8. 1 VITA functo Ahialone, iudicauit Israelem Abdon filius Illel Pharathonites: Iudic. cap. 12. verf. 13. fuit ergo iste Iudex de tribu Ephraim; Pharathon enim erat in terra Ephraim, vt ibidem dicitur in fine capitis. De hoc Iudice nihil aliud legimus, nisi quòd habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes; & quòd præfuit Israëli octo annis, vt patet loco citato.

TROIA HOC ANNO CAPTA ATQVE INCENSA. 2. Eodem anno, qui erat regni Theutami Assyriorum Regis vigesimus quartus, & ab ortu Moysi quadringentesimus octauus, vt dinumerari potest in tabulis, oportet captam à Græcis subuersámque fuisse Troiam, si Eusebio in Chronicis credimus; & si verum est quod ipse non semel ibidem asserit, nempe ab exordio regni Atheniensium Cecropisq; primi ipsorum Regis, seu ab anno trigesimo quinto vitæ Moysi, ad Troiam captam, fluxisse annos trecentos septuaginta quinque: totidem namque inde ad hunc annum, etiam in nostris inuenies tabulis. Ab hac opinione parum abest Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Contra Iulianum, non longè à principio, vbi ait, quòd à natiuitate Moysi

Moysi vsque ad destructam Troiam colliguntur quadringenti decem anni. Et sub anno mundi 2849. num. 2. ex Diodoro probauimus, bellum Troianum sub dicto Theutamo accidisse. Quod etiam confirmat B. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Contra Iulianum ferè in principio, & S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 19. Quoniam autem à Troiæ interitu ad primam Olympiadem, quidam ponunt decurrisse annos quadringentos, quidam verò quadringentos sex, vt testatur idem Eusebius ibidem, vel quadringentos septem (vt colligi potest ex antiqua Eratosthenis tabula, quæ videtur anticipasse tempus dicti interitus anno vno) alij autem quadringentos nouem, quemadmodum ex Varrone, Catone, & Dionysio tradit Onuphrius Panuinius in suis Commentariis lib. 1. Fastorum cap. de Olympiade: nos ex hisce opinionibus, relictis duabus extremis, mediam sequendam deligemus; tum quia tutior esse, & minus errandi periculum afferre videtur; tum verò maximè, quia post sex & quadringentos ab hinc annos, vt patet in tabulis, incidit annus primus regni Ioathan Regis Iuda, in quo cœpisse Olympiades, nos ibidem pluribus alijs argumentis ostendemus.

3. *Post captam Troiam atque deletam, Aeneas cum viginti nauibus, quibus portabantur reliquiæ Troianorum, in Italiam venit, regnante ibi Latino, & apud Athenienses Mnestheo, apud Sicyonios Polyphide, apud Assyrios Tautane, apud Hebræos autem Iudex Labdon fuit.* sic ad verbum S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 19. Et hæc omnia tunc concurrisse, perspicuè videri potest in Eusebij Chronico, vbi etiam apparet, quòd præfatus Latinus erat à Iano v. Italiæ Rex, Mnestheus verò xi. Atheniensium, Polyphides autem Sicyoniorum xxiv. & Tautanes Assyriorum xxvi. At verò Labdon, qui & Abdon, ab Othoniele primo Hebræorum Iudice fuit xii. vt in Sacro Iudic. textu dinumerari potest; quamuis Eusebius eum faciat vel xi. quia omisit recensere Samgar, vel x. quia secutus corruptum quemdam LXX. Interpretum codicem, vt nos aliàs quoque notauimus, præterire etiam voluisse videtur Ahialon, qui in eodem Sacro textu xi. est. Creditur autem Aeneas classe in Italiam appulisse anno regni ipsius Latini circiter trigesimo quinto, & duxisse filiam eius, Lauiniam nomine, vxorem, ex qua posteà filium procreauit, de quo paulò pòst dicemus.

AENEAS VENIT IN ITALIAM.

LATINI ITALIÆ REGIS FILIAM DVCIT VXOREM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2873. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 332.

1 TRIENNIO post Troiæ interitum (vt tenet Eusebius in Chronicis, non autem anno quinto, vt scribit S. Cyrillus lib. 1. Contra Iulianum non procul ab initio, neque vt alij putarunt, post annos octo) e vita migrauit Latinus Rex: cui gener successit Aeneas, regnauitque tribus annis, vt tradunt B. Augustinus & Eusebius vbi suprà. Quo ex humanis sublato, quidam putant penes Lauiniam tum de Aenea grauidam remansisse regnum; quod illa, inquiunt, filio quem posteà peperit, vt primùm per ætatem licuit, resignauit: attamen probabilius videtur, quod Eusebius aliique tenuerunt, nempe Ascanium, quem Aeneas ex Creusa, Priami & Hecubæ filia, cùm adhuc staret Ilium genuerat, & secum in Italiam adduxerat, patre mortuo, statim regni habenas moderandas suscepisse, & in Latio regnasse per annos triginta & octo, tametsi ex Lauinia, cuius nomine regnum illud ad Aeneam peruenerat, ipse natus non esset: & hoc, tum quia Lauinia filium de Aenea conceptum necdum pepeterat; tum etiam, quia bellum satis difficile, quod tunc cum Hetruscis, duce Mezentio illorum Rege & Lauso eius filio, Latini gerebant, per feminam ritè administrari posse non videbatur. Vnde aiunt, Lauiniam, vt vidit priuignum imperantem, in rura secessisse, atque in siluis exstructa domo, ibidem edidisse filium, eumdemque Siluium, quòd in siluis, & Posthumum, quòd patre mortuo natus esset, appellasse; quem deinde cum nouerca ex siluis eductum, ferunt Ascanium ambos apud se liberaliter habuisse; quin etiam, cùm morti appropinquasset, eidem Siluio regnum reliquisse, quòd Iulus Ascanij filius adhuc esset paruulus, & nondum rebus regni administrandis idoneus. Sed alij putant, inter Iulum & Siluium eius patruum ortam de regno controuersiam, à populo ea lege fuisse diremptam, vt Siluius, quoniam natu maior erat, & Lauiniæ regni heredis filius, ipse regnaret, & penes Iulum (à quo Iuliorum familia prodiisse proditur) sacrorum potestas esset, quæ secunda erat à regno. Quidquid sit, constat post Ascanium regnasse Siluium Posthumum, ex cuius nomine posteà duodecim eius successores, vsque ad Romulum Vrbis conditorem, & primum Regem Romanorum, Siluij sunt nuncupati, vt tradit S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 20. & videre est apud Eusebium,

LATINO DEFVNCTO SVCCEDIT IN REGNVM ANNIS TRIBVS.

ASCANIVS AENEAE SVCCEDIT IN LATII REGNO.

qui singulos nominatim, & singulorum regni annos successiuè in Chronicis digestos reliquit. De iis autem qui post Romulum in Vrbe fuerunt, Reges, Consules, Dictatores, ac postremò Imperatores, vide plura apud T. Liuium ceterosque Romanarum rerum Scriptores. Sufficit enim hic, quæ fusius prosequi nostri instituti non est, paucis indicasse. Nunc ad rem redeamus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2879. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 336.

ABDON MORITVR.

1 SVB finem anni octaui, ex quo cœperat iudicare Israëlem, Abdon mortuus est, & sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte qui dicebatur Amalec: Iudic. cap. 12. in fine.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2880. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 337.

SAMSON HEBRÆORVM IVDEX XIII. PER ANNOS 20.

1 ANNO proximo circiter inchoante, Samson filius Manue, de tribu Dan, cuius nos supra sub annis mundi 2860. num. 1. & 2861. num. 1. mentionem fecimus, cœpit præesse Israëli: complebat autem tunc Samson annum vitæ decimumnonum, ingrediebaturque vigesimum, vt ex his quæ locis proximè citatis dicta sunt, perspicuè infertur, & apparet in tabulis. iudicauit verò populum viginti annis, Iudic. cap. 15. in fine: quod & sacra repetit Scriptura in calce capitis 16. Vnde meritò Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, *Miror*, inquit, *Masium doctissimum Iosue Interpretem maluisse expungere Samsonem de numero Iudicum, & eius viginti annos, quibus iudicasse Israelem memoratur, adscribere dimidiato Pontificatui Heli, quàm in ceterorum Chronographorum sententia, aut potius disertis Scriptura verbis permanere Iudic. 16. Fortasse voluit partim redundantem Iudæorum traditionem de viginti octo annis Iosue, partim corruptam Græcorum editionem tueri pertinaciùs.* hæc Genebrardus. Qui meritò (vt arbitror) reprehendit Masium, quòd ausus sit delere Samsonem de catalogo Iudicum, contra duo expressa libri Iudic. loca proximè citata, in quibus tam in editione LXX. Interpretum, quàm in Vulgata, & in Paraphrasi Chaldaica apertissimè asseritur, Samsonem iudicasse Israëlem annis viginti. Et meritò item putat Genebrardus corruptos esse codices LXX. Interpretum, qui 1. Reg. cap. 4. non procul à fine habent, Heli iudicasse Israëlem annis viginti. debent enim corrigi, vt dicant, quadraginta, quemadmodum nos sub anno mundi 2900. num. 1. probabimus. Vnde patet decipi eos, qui putant editionem Vulgatam, vbi dicit, Heli iudicasse quadraginta annis, voluisse in eo numero includere etiam annos Samsonis, tamquam, si reuera Heli iudicasset tantummodò per annos viginti, vt habent aliqua LXX. Interpretum exemplaria. quod nullatenus recipi debet: Primò, quia si sic esset, ipsa editio Vulgata non priùs in libro Iudic. expressisset annos Samsonis; satis enim fuisset eos mox in annis Heli includere. Immò quia eos signanter loco proprio expresserat, signum est quòd noluit eosdem posteà cum annis Heli coniungere: non enim credendum est, quòd eos voluerit bis computare, cùm nulla ratio videatur assignari posse, cur ita faciendum esset. Deinde videmus Iosephum quoque lib. 5. Antiq. in calce capitis 10. exprimere, Samsonem obiisse anno Principatus sui vigesimo exacto; (vocat namque Iudicum præfecturas vocabulo Principatus:) & nihilominùs posteà cap. 12. in fine ponere, obitum Heli incidisse anno Principatus sui quadragesimo; & dubium non est, quin hæc eadem ex antiquissimis valdeque probatis Codicibus sacris desumpserit. Quòd si his non obstantibus, pertinaci adhuc concertatione quis contendere voluerit, annos Samsonis in annis Heli fuisse inclusos; is nihil aliud efficiet, quàm quòd sacram horum temporum Chronologiam, quantum in se erit, confundere tentabit: siquidem eodem modo poterit quis dicere, etiam annos 40. Othonielis in illis 80. Aod fuisse computatos, & sic de aliis. Denique si ponamus, Heli viginti dumtaxat annis iudicasse Israëlem, vtique deficient alij viginti ad explendam summam illam 480. annorum, quę 3. Reg. cap. 6. vers. 1. decernitur fluxisse ab exitu Israëlis de Aegypto ad prima Salomonici templi fundamenta. de qua summa nos sub anno mundi 2591. num. 12. vsque ad 18. fusiùs disputauimus. Porrò Samson fuit vir omnium fortissimus, quemadmodum ex his quæ de ipso dicentur planum fiet: vnde non immeritò, teste B. Augustino lib. 18. de Ciuit. cap. 19. putatus est Hercules. Quoniam autem Samsonis res gestæ, sine vlla temporum notatione, in

EIVS PRÆFECTVRAE ANNI NON INCLVDVNTVR IN ANNIS HELI.

ne, in sacra Historia traduntur, antequam ad ea referenda deueniamus, prius hîc subiungere visum est, quòd

2. Sub finem eiusdem anni, qui erat ducentesimus nonagesimus septimus ab ingressu Hebræorum in Terram promissionis (vt videre est in tabulis) & conuenit iuxta Eusebij computum cum anno Samsonis secundo, iuxta nostrum verò (ob causam à nobis sub anno mundi 2848. num. 2. assignatam) cum anno dicti Samsonis primo, mortuus est Tautanes rex Assyriorum, exacto regni sui anno trigesimo secundo, vt ait Eusebius in Chronicis. TAVTANES REX ASSYRIORVM MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2881. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 338.

1 ANNO subsequente circiter inchoante, regnauit in Assyria Tanteus, fuitque Assyriorum Rex vigesimus septimus, vt ibidem Eusebius. REGNAT IN ASSYRIA TANTEVS.

2. Vt autem hîc ad nostrum Samsonem redeamus, hæc ferè sunt quæ in prædictis viginti Præfecturæ suæ annis gessit, vt populum suum à Philisthæorũ seruitute liberaret (eo enim tempore Philisthæi dominabantur Israeli, vt dicitur Iudic. c. 14. vers. 4. & colligitur etiam ex cap. 15. vers. 11. & 20.) Primò igitur, vt iustas nancisci posset causas pugnandi contra Philisthæos, Deo inspirante, duxit vxorem Philisthæam, & in diebus conuiuij, arrepta occasione ex quodam mellis fauo, in ore leonis quem ipse paulò antè occiderat, inuento, proposuit problema triginta sodalibus suis Philisthæis, ea conditione, vt si illud soluere intra septem dies nequirent, darent ei triginta sindones, & totidem tunicas; vel si soluerent, ipse eiusdem numeri sindones ac tunicas eis tradere teneretur. Cùm ergo illi die septimo solutionem problematis, precibus sponsæ ab ipso Samsone extortam, eisque ab eadem indicatam, pronuntiassent, actus Samson Spiritu Domini, descendit in Ascalonem vrbem Philisthinorum, occiditque ibi triginta viros Ascalonitas, ablatisque eorum vestibus, dedit eas ijs qui problema dissoluerant; & iratus valdè vxori suæ, quæ secretum propalauerat, rediens ad parentes suos, eam ad tempus deseruit; illa verò interim nupsit vni de pronubis suis. Samson autem, cùm post aliquantulum temporis instante messe triticea, ad vxorem suam rediens, inuenisset eam traditam alteri viro; iustam prætendens se habere causam nocendi Philisthæis, abiens cœpit trecentas vulpes, & facibus accensis ad earum caudas alligatis, emisit in segetes Philisthinorum, easque combussit: quod audientes Philisthiim, & facti causam intelligentes, vt Samsonem placarent, eam quæ vxor eius fuerat cum patre suo qui eam alteri tradiderat, combusserunt. Sed ille nihilo placatior factus, percussit eos plaga magna; & inde recedens, habitauit in spelunca petræ Etam. Quamobrem Philisthiim coacto exercitu venerunt contra Iudæos; qui vt sedarent iram eorum, perrexerunt ad Samsonem, vt ligatum traderent Philisthæis: permisit autem se ligari Samson, habita priùs ab eis iuratoria cautione ne ipsum occiderent. Sed cùm duceretur ad Philisthæos, illosque contra se conclamantes esset intuitus; confestim facto super eum Spiritu Domini, ruptis vinculis, arreptaque mandibula asini, casu ibidem inuenta, percussit in ea mille viros, reliquis in fugam actis. mox cùm breue canticum cecinisset, & locum illum Ramathlechi, quod interpretatur Eleuatio maxillæ, appellasset, & valdè sitiens clamasset ad Dominum, ipse exaudiuit eum, & eduxit illicò mirabiliter aquas de molari dente illius maxillæ, quibus refocillatus est; ac posteà abiit in Gazam, vbi à Philisthæis conclusus, ipse media nocte non solùm portas ciuitatis aperuit, sed etiam ambas portæ fores cum postibus suis & sera in humeris sublatas detulit in verticem montis, qui respicit Hebron: Iudic. c. 14. & 15. per totum, & 16. vers. 1. vsque ad 4. SAMSONIS HISTORIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2883. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 340.

1 ANNO Præfecturæ Samsonis quarto, incidit Iubileus sextus; erat enim annus trecentesimus ab introitu Israelis in terram Chanaan, vt videre est in tabulis. IVBILEVS SEXTVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2899. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 356.

1 ANNO Ducatus vitæque suæ (vt arbitror) postremo, Samson adamauit mulierem nomine Dalilam: quæ vt ingentem pecuniam à Principibus Philisthinorum sibi repromissam consequi posset, tamdiu molesta importunaq; fuit Sam-

soni, donec tertiò decepta, tandem ab eo didicit in quo tanta eius fortitudo consisteret; nimirum, quia more Nazaræorum numquam tonsus esset; quo cognito, Dalila blanditijs delinitum dormire fecit super genua sua, & rasis per tonsorem crinibus eius, tradidit eum in manibus Philisthinorum, à quibus illicò excæcatus, & in carcerem trusus fuit. Verùm aliquantò pòst, nimitum sub finem illius anni, qui (vt diximus) erat Præfecturæ eius vigesimus, renatis iam capillis, cùm quadam die fuisset eductus, & positus inter duas columnas, quæ totam domum quamdam valdè amplam fulciebant, ad quam populus & omnes Principes Philisthinorum conuenerant, vt eum ibi ludentem viderent, ipse inuocato Domino apprehendit dextera læuaque vtramque columnam, iisque validè concussis, cadens tota domus cunctos oppressit: atque hoc pacto moriens multò plures interfecit, quàm anteà viuus occiderat: Iudic. cap. 16. per totum. Et tunc (iuxta ea quę sub anno mundi 2860. num. 2. diximus,) necessarium videtur fateri, quòd Israelitæ audita hac Philisthinotum clade, & obitu omnium ferè Principum ipsotum, excusserint à se iugum setuitutis, quo ab ipsis premebantur. Nam & tunc implebantur anni quadraginta, quibus seruitutem illam Scriptura sacra perdurasse testatur Iudic. cap. 13. vers. 1. Et exinde in toto Ducatus Heli tempore, nullibi Sctiptura innuit Hebræos subditos fuisse Philisthæis, sicuti priùs fuerant: quin potiùs oppositum ex eo conuincitur, quòd circa postremos Heli annos, mouentibus denuò Philisthæis bellum Israeli, ipse direxit contra eos exercitum, & egressus est obuiàm eis in prælium, quod numquam facere ausus fuerat temporibus Samsonis.

SAMSON MORIENS PLVRES OCCIDIT, QVAM VIVENS OCCIDERAT.

HEBRAEI EVETRAHVNT SE A PHILISTHINORVM SERVITVTE ANNO EIVSDEM 40. EXACTO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2900. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 397.

HELI IVDEX POPVLI XIV. PER ANNOS QVADRAGINTA.

1 ANNO insequenti, vita functo Samsone, Heli de tribu Leuitica cœpit præesse populo, annum ætatis agens quinquagesimum octauum, vt patet in tabulis; iudicauitque Israelem quadraginta annis, vt traditur 1. Reg. cap. 4. vers. 18. in editione Vulgata, quam sequimur: nam licet in LXX. Interpretum codicibus, tum vetustis (quemadmodum testatur Eusebius in Chronicis,) tum recentioribus, Romæ anno salutis 1588. Latinè editis, legamus, Heli iudicasse populum viginti annis (quam opinionem sequitur Andreas Masius super Iosue cap. vlt. num. 31.) quia tamen alij eorumdem LXX. Interpretum codices Gręcè excusi, habent annos quadraginta, vt testantur Scholia, quę super eadem editione Latina habentur; & idem videre est in textu, tum Græco tum Latino, eorumdem Interpretum in Biblijs Regijs, & ibidem in Chaldaica Paraphrasi, & apud Iosephum in calce libri 5. Antiq. idcircò correctiores eò loci arbitramur esse illos codices, qui cum editione Vulgata concordant, eosque cunctis alijs esse præferendos; præsertim cùm iam sub anno mundi 2880. num. 1. probauerimus editionem Vulgatam nequaquam voluisse annos Samsonis includere in annis Heli.

FVIT ETIAM PRIMVS PONTIFEX DE POSTERIS ITHAMAR.

2. Porrò Heli fuit non solùm Iudex populi, sed etiam Sacerdos, vt patet 1. Reg. cap. 1. vers. 9. Quin item (vt testatur Iosephus in calce lib. 5. Antiq. & lib. 8. cap. 1.) idem Heli fuit primus, qui de stirpe Ithamar filij Aaron fuerit summus Sacerdos: nam anteà supremum Sacerdotium successiuè perseuerauerat in progenie Eleazar, qui fuerat frater natu maior dicti Ithamar. Primus namque Pontifex fuit Aaron; secundus, Eleazar filius Aaron; tertius, Phinees filius Eleazari; quartus, Abisue filius dicti Phinees; quintus, Bocci filius Abisue; sextus, Ozi filius Bocci; qui omnes nominatim recensentur in Aaronis posteritate, quæ describitur 1. Paralip. cap. 6. vers. 3. vsque ad 16. & item repetuntur ibidem vers. 50. & 51. Post Ozi (vt tradunt loco ptiùs citato Iosephus, & super 1. Reg. cap. 2. alij Hebræi, ibidem referente Lyrano, & Abulense super 1. Paralip. cap. 6. quæst. 3.) transiuit Pontificatus ad posteros Ithamar, hoc est ad ipsum Heli. Et hoc ideò factum putat eodem loco, de eorumdem Hebræorum sententia, Lyranus, quia dicta Eleazari posteritas, cui ex diuina ordinatione (nimitum habita primogenitorum ex Aarone succedentium ratione) Sacerdotium seu Pontificatus debebatur, ante tempora ipsius Heli fuerat admodum negligens in erudiendo Israeliticum populum, de his quæ ad Dei Legem obseruandam pertinebant; & item in eodem arguendo & increpando, quandocumque eum ad idololatriam declinare, aliaque enormia peccata committere animaduertebat: propterea, inquiunt, Dei iudicio ac prouidentia translatum fuit summum Sacerdotium à filiis Eleazar ad filios Ithamar. Etenim quod dicitur Ecclesiastici cap. 10. vers. 8. *Regnum à Gente in Gentem transferri propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos*; & item quod legimus Daniel. cap. 2. vers. 21. nempe

nempe Deum aliquando propter eiusmodi causas mutare tempora & ætates, & transferre regna, aliaque constituere; idem intelligendum quoque putant de Sacerdotio, alijsque dignitatibus. Verissimum namque illud est, quod posteà etiam ipsi Heli prædixit Dominus 1.Reg.cap.2. vers.30. *Quicumque glorificauerit mei, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Mansit verò deinceps Pontificatus in familia Heli, vsque ad tempora Salomonis,qui (quemadmodum traditur 3.Reg.cap.2.vers.27.) eiecit Abiathar posterum ipsius Ithamar ne esset Sacerdos, vt impleretur sermo Domini, quem locutus fuerat 1.Reg. cap.2. vers.30. vsque ad finem cap. super domum Heli in Silo: & tunc rursum rediit summi Sacerdotij dignitas ad progeniem Eleazar; nimirum ad Sadoc & Achimaas,& eorum successores, vt colligitur 1. Paralip. cap.6. vers.8.& 53.& hoc etiam propter peccata Heli & filiorum eius,quemadmodum ex loco 1. Regum proximè citato manifestum est.

3. Verùm si quis hoc loco forsitan percontaretur, quot annis ipse Heli Pontificatum tenuerit; (id enim nullibi in Sacro eloquio expressum reperimus:) dicimus, probabilius videri, quòd illud retinuerit toto eo tempore quo etiam tenuit Principatum, nempe annis quadraginta, & fortè item anreà per alios viginti annos, vt sub anno mundi 2594.num.3.tetigimus. Nam etsi intra tempus Præfecturæ suæ (quæ forsitan filiis suis Ophni & Phinees occasioné præbuit elationis,& impunè peccandi) ipse Heli,tamquam aliis distentus occupationibus,videatur reliquisse eisdem filiis suis ipsam Sacerdotij administrationem; & tum hac de causa, tum etiam quia, vt posteà audiuit pessima ipsorum facinora quæ in tali ministerio perpetrabant, eosdem à Sacerdotio,vt par erat,amouere neglexit, non semel à Deo acriter admodum increpatus fuit: primò per Prophetam quemdam innominatum,mox etiam per Samuelem; quem (ne vllam haberet tergiuersandi occasionem) ad hoc specialiter à Domino vocatum ipsemet nouerat,vt legimus 1.Reg.cap.2.vers.3. Verumtamen satis probabiliter credendum est, quòd ipse supremam,quoad vixit,Sacerdotij auctoritatem numquam deposuerit; sed functiones dumtaxat delegauerit. Quis autem ei in ea dignitate successerit, nos sub anno mundi 2940. num. 2. dicemus.

QVOT ANNIS PONTIFICATVM TENVERIT.

4. Eodem anno Præfecturæ Heli primo, (vt ex dicendis sub anno subsequenti num. 1.perspicuum fiet) necesse est contigisse ea quæ describuntur 1.Reg. c.1. vers.1. vsque ad 20. de Anna vxore Elcanæ; quæ cùm esset sterilis, & æmulæ improperiis valde afflicta,flens largiter in Silo,votum vouit Domino pro suscipienda prole, & prolixiùs orans,tanta animi corporisque intentione coram eodem Domino puerum tacita postulabat, vt eam Heli Sacerdos obseruans,primò quidem ebriam reputarit; mox verò,pio eius desiderio ac sancta deuotione agnita,eamdem in pace dimiserit,Dominum precatus vt illam voti compotem faceret: quod & exitus comprobauit. Etenim illa rediens in domum suam,de viro suo concepit filium,quem vocauit Samuelem.

ANNA STERILIS VXOR ELCANAE ORANDO IMPETRAT FILIVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2901. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 358.

1 ANNO itaque proximo,circa initia (vt arbitror) anni,credimus natum esse Samuelem; pro cuius natiuitate pater eius ascêdit in Silo, vt immolaret hostiam sollemnem,& votum suum Domino redderet: 1.Reg. cap.1. vers.20. Non ignoramus, quòd iuxta computum Abulensis super 1.Reg. cap.8. quæst. 2. oporteret Samuelem natum fuisse anno circiter octauo Ducatus Heli: supponit enim Abulensis, Samuelem vixisse annis circiter septuaginta; nimirum triginta duobus cum ipso Heli,& triginta octo post obitum Heli:quia,inquit,iudicauit Samuel populum viginti annis antequam regnaret Saul,& posteà superuixit decem & octo annis regnante Saule; obiit namque duobus annis ante mortem Saulis. Verumenimuerò, licet admittendum censeamus, Samuelem vixisse annos triginta & octo post mortem Heli, non tamen ex Sacris libris scire possumus præcisè,quot annis vixerit cum ipso Heli. Et præterea ex positione Abulensis sequeretur, Samuelem anno sui Principatus postremo, quando scilicet Israëlitæ petierunt ab eo vt constitueret super eos Regem, fuisse quinquaginta duorum dumtaxat annorum; & consequenter non potuisse de ipso verè dici, quòd tunc esset senex; præsertim cùm illis temporibus possent homines peruenire ad centesimum propè ętatis annum,vt patet de ipso Heli, qui non naturali sed violenta morte obiit anno vitæ suæ nonagesimo octauo: contrà verò, quia certum est quòd tunc Samuel reuetà erat iam senex,& præ senectute iam incanuerat, quemadmodum testatur

DE TEMPORE ORTVS SAMVELIS.

restatur Scriptura 1. Reg. cap. 8. vers. 1. & 5. & cap. 12. vers. 2. Et confirmari potest, quia cùm, ætate iam ingrauescente, non posset amplius commodè certis temporibus proficisci ad ea loca, quæ priùs adire consueuerat, vt iudicaret populum; iam substituerat sibi duos filios suos Iudices populi, vt dicitur 1. Reg. cap. 7. vers. 15. vsque ad vers. 3. capitis 8. Idcircò visum est rationi & Sacro textui magis consentaneum, ponere ortum Samuelis in anno secundo quàm in octauo Præfecturæ Heli: sic enim poterat Samuel esse propè sexagenarius, quando constituit filios suos Iudices, & populus petiit ab eo Regem, vt patet in tabulis, & propterea verè tunc dici potuit senex & canus.

PROSAPIA SAMVELIS ET HELI QVOMODO DIVERSA.

2. Porrò Samuel fuit ipse quoque, sicut & Heli, de tribu Leuitica, sed non sicut ille, de genere Sacerdotali: nam licet vterque fuerit de familia Caath filij Leui, tamen Heli ortus est per lineam Amram & Aaronis filij eius, in cuius sola progenie remansit genus Sacerdorale, quemadmodum sub anno mundi 2545. num. 16. probatum est. At verò Samuel prodijt per lineam Isaar filij Caath, & fratris dicti Amram, vt colligitur 1. Paralip. cap. 6. vers. 2. & 33. vsque ad 39. vbi genealogia cuiusdam Hemam, qui fuit cantor, & nepos Samuelis, sursum deducitur vsque ad Leui, & concordat cum ea genealogia Elcanæ patris Samuelis, quæ describitur initio libri 1. Regum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2904. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 361.

SAMVEL PVERVLVS OBLATVS EST DOMINO.

1 ANNO Ducatus Heli quinto circiter inchoante, vitæ verò Samuelis tertio iam exacto, Anna, cùm ablactasset Samuelem filium suum, (solebant enim olim matres filijs lac triennio saltem dare, vt colligitur 2. Machab. cap. 7. vers. 27.) adduxit eum cum viro suo Elcana in Silo, vbi erat Tabernaculum Domini; & immolâris ibi victimis, obtulerunt eum Domino, & Sacerdoti eius Heli, vt maneret iugiter in conspectu Domini, prout mater eius Anna vouerat; quæ etiam præ gaudio cecinit ibi Canticum illud Domino, quod incipit, *Exultauit cor meum in Domino*, &c. & reuersa est cum viro suo in domum suam, in Ramatha. Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Domino quàm hominibus; cœpitque à puerili vsque ætate, accinctus ephod lineo, ministrare in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis; & tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat ei, quando statutis diebus ascendebat cum viro suo ad immolandum hostiam sollemnem, & benedixit eis Heli, deprecans Dominum vt redderet illis semen pro Samuele, quem dedicauerant seruire in ministerio Domini. Vnde factum est vt posteà, Deo fauente, Anna de viro suo genuerit tres filios, & duas filias. Ceterùm filij Heli, Ophni & Phinees, multa mala perpetrantes in domo Domini, retrahebant homines à sacrificio Domini: 1. Reg. c. 1. vers. 24. vsque ad finem capitis, & cap. 2. vers. 1. vsque ad 27.

MINISTRAT IN TABERNACVLO AD IVSSVM HELI SACERDOTIS

ANNA MATER SAMVELIS ALIOS GIGNIT LIBEROS.

FILII HELI MALE SE GERVNT IN DOMO DOMINI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2909. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 366.

HELI A DOMINO GRAVITER INCREPATVR.

1 ANNO Ducatus sui circiter decimo, vt arbitror, Heli, cùm esset iam valdè senex, nimirum propè septuagenarius, vt videre est in tabulis, audissetque quòd filij sui dormirent cum mulieribus quæ obseruabant ad ostiû Tabernaculi; & quòd pessima alia facinora quæ perpetrabant in domo Domini, iam essent diffamata per vniuersum populum; & nihilominùs eos nimis leniter reprehendisset, ac præ nimia indulgentia, illos vocem eius minimè audientes, à sacro ministerio, vt par erat, amouere non curasset: ipse acriter admodum à Domino increpatus fuit per virum Dei, cuius nomen in Sacro eloquio reticetur; qui primò quidem cœpit commemorare & obiicere ei beneficia à Deo olim præstita domui suæ, & præcipuè duo illa insigniora, quæ leguntur facta Moysi & Aaroni maioribus ipsius Heli; alterum, quando manente populo Israel in Ægypto in domò, hoc est, in ditione Pharaonis, manifestauit se Deus illis, mandans vt ipsi educerent eumdem populum de Aegypto, quemadmodum legimus, de Moyse quidem in toto Exod. cap. 3. de vtroq; verò c. 4. & specialiter à vers. 14. ad 17. & vers. 27. ad finem capitis; alterum, quando posteà singulariter elegit de vniuerso populo tribû Leui, & de illa Aaronem & filios eius, vt ipsi & posteri eius soli essent Sacerdotes in Tabernaculo & in Templo Domini perpetuis futuris temporibus, nimirum vsque ad Christum venturum, vt latè describitur Exodi cap. 28. & Leuit. 8. Deinde exprobrauit eidem Heli ingratitudinem ipsius & filiorum eius, quòd malè se gerentes in officio

cio sacerdotali, auerterent populum à sacrificijs Domini. Ac demũ minitatus est multa mala deinceps vniuersæ posteritati eius euentura, præsertim verò interitum, in vna eademque met die, duobus filijs eius, 1. Reg. cap. 2. vers. 22. vsque ad finem capitis. Nemini autem mirum videatur, quòd has minas Dominus implere distulerit post annos triginta, nempe vsque ad finem vitæ ipsius Heli: quandoquidem notum est, sæpè Dominum vindictas libenter differre consueuisse, vt aut homines ad pœnitentiam expectet, aut ipsi inexcusabiles fiant: propterea qoando comminatus est Diluuiũ, adhuc posteà indulsit hominibus motam centum viginti annorum, vt sub anno mun. 1537. n. 1. & sequentibus dictum est. & Saulem (quem secundo anno regni exactò reprobauerat ne regnaret super Israel) nihilominùs permisit posteà etiam regnare vsque ad complementum viginti annorum. Possent hic plurima huiusmodi alia exempla proferri, sed ne longiores simus, in re præsertim omnibus manifesta, pro nunc ista sufficiant. CUR DOMINI NUT INTENTATAS DIFFERRE SOLEAT VINDICTAS.

AB ORBE CONDITO ANNUS 2913. — QUARTÆ MUNDI ÆTAT. ANNUS 370.

1 Anno vitæ suæ decimotertio circiter incipiente, Samuel (tunc enim iam expleuerat duodecimum ætatis annum, vt scribit Iosephus 5. Antiq. cap. 11. versus finem capitis) cùm quadam nocte in templo dormiens, quater à Domino vocatus fuisset, diuinam tandem meruit audire reuelationem, & fieri Propheta Domini, qui certò prædiceret ipsi Heli, quòd cuncta aduersa quæ comminatus fuerat ei Dominus per virum Dei, procul dubiò ventura erant super domum eius, eò quòd non corripuisset, vt debuerat, filios suos. Memorandũ sane cunctis parentibus documentum, ne passim filiorum delicta corrigere castigareve negligant; alioqui certò sciant, Deum ipsis & posteris suis aduersitates plurimas immissurum. Oportet autem memoratam Domini reuelationem fuisse factam Samueli non multò ante initium diei, vt planè insinuare voluisse videtur Scriptura 1. Reg. cap. 3. vers. 3. illis verbis, quæ in correctioribus codicibus sic habent: *Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in Templo* (hoc est iuxta Templum) *Domini, & vocauit Dominus Samuel*, &c. Illud enim, *antequam extingueretur*, idem importat, ac si dictum esset: antequam dies elucesceret. & hoc ad denotandum tempus dictæ reuelationis, vt ait Lyranus ibidem. Sed & in citatis verbis aliud obiter aduerte, nimirum, Scripturam sacram (sicuti aliàs non semel) vsurpasse numerum singularem pro plurali: nam ex septem candelabri lucernis, quæ omnes noctu semper ardebant, manc non vna tantùm, sed quattuor extingui solebãt, vt apertè colligitur ex Iosepho 3. Antiq. cap. 9. Cui, tamquam testimonio omni exceptione maiori, (quippe qui cùm esset Sacerdos, etiam id muneris aliquando exercuisse credendus sit) meritò plena fides habenda esse videtur. Porrò Samuel, facto mane, verebatur manifestare visionem: verumtamen ab ipso Heli requisitus, indicauit ei omnia. Hæc & alia, quæ denuò postmodum reuelauit Dominus Samueli in Silo (ipso pariter Deo ad exaltationem Samuelis sic disponente) vulgata deinde sunt in toto populo Israel; qui posteà, quando eadem vidit ad vnguem fuisse impleta, cognouit quòd Samuel fidelis Propheta esset Domini: 1. Reg. cap. 3. per totum. DOMINUS LOQUITUR SAMUELI, ET FACIT EUM PROPHETAM. CONTRA PARENTES, QUI NEGLIGUNT CORRIGERE ET CASTIGARE FILIOS SUOS.

AB ORBE CONDITO ANNUS 2920. — QUARTÆ MUNDI ÆTAT. ANNUS 377.

1 Anno centesimo trigesimo septimo introitus filiorum Israel in terram Chanaan, qui annus secundùm Eusebium concurrit cum vigesimo secundo, seu vt sæpè dictum est, iuxta nostrum computum, cum vigesimo primo Ducatus Heli, mortuus est Tanteus Assyriorum Rex, cùm regnasset annis quadraginta, vt scribit Eusebius in Chronicis. TANTEUS REX ASSYRIORUM MORITUR.

AB ORBE CONDITO ANNUS 2921. — QUARTÆ MUNDI ÆTAT. ANNUS 378.

1 Anno proximo inchoante regnauit Thineus in Assyria, & fuit Rex Assyriorum à Nino vigesimus octauus, vt notat Eusebius vbi suprà. Hunc S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 19. vocat Æneum, quem dicit fuisse vigesimum nonum, subaudi a Belo Nini patre. THINEUS REGNAT IN ASSYRIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2925. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 382.

BERZELLAI GALAADITIS ORTVS.

1 Anno Ducatus Heli vigesimo sexto, oportet natum esse Berzellai Galaaditem, qui posteà fuit valdè amicus Dauidis, prouiditque ei & exercitui eius annonam, quando ipse Dauid ab Absalom pulsus morabatur in Manahaim, vt dicitur 2. Reg. cap. 17. vers. 27. Etenim iste Berzellai, anno regni Dauidis vigesimo quinto (vt infrà sub anno mundi 3004. num. 5. ex 2. Reg. cap. 19. vers. 32. & 35. dicemus) iam erat octogenarius: vnde necesse est ipsum hoc circiter anno esse natum, quemadmodum liquet ex subductione in tabulis notata.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2928. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 385.

REGNI SICYONIORVM FINIS.

1 Anno Ducatus Heli vigesimo nono desiisse regnum Sicyoniorum, expressè tradit Eusebius in Chronicis. & hoc videtur admodum probabile; quia hoc eodem anno finiunt illi 962. anni, quibus dictum regnum (iuxta aliquos) perdurasse nos sub anno mundi 1966. num. 1. diximus. Nec ab hac opinione multùm distat S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 19. vbi triennio antè id accidisse existimat, nimirum post annos 959. ab eius exordio. Ex quibus colligere licet, dicti regni interitum proculdubiò ad hæc circiter tempora pertinere: præsertim cùm S. Augustinus ibidem subiungat, quòd tunc iudicabat Heli Sacerdos Israelem, & in Italia regnabat Siluius Posthumus, in Assyria verò Æneus decimusnonus Assyriorum Rex, quem diximus ab Eusebio vocari Thineum decimumoctauum. Quæ omnia cum istis de quibus nunc agimus temporibus adamussim congruere, patet ex Eusebij Chronicis, vbi prædicta eodem pariter tempore concurrisse inueniuntur. Vnde inferri potest, falsas omnino esse alias de tempore durationis dicti regni opiniones sub anno mundi proximè citato relatas: quandoquidem illæ annorum summæ nullatenus dicti Iudicis & memoratorum Regum temporibus terminare possunt.

2. Eodem tempore cœpit regnum Lacedæmoniorum, vt videre est apud Eusebium in Chronicis, vbi successiuè ponit nouem ipsorum Reges, & singulorũ annos recenset.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2933. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 390.

IVBILEVS SEPTIMVS.

1 Anno Ducatus Heli trigesimo quarto, necesse est incidisse Iubileum septimum; coincidit enim cum anno introitus filiorum Israel in terram Chanaan trecentesimo quinquagesimo, vt patet in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2939. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 396.

HEBRAEI A PHILISTHAEIS BIS PRAELIO VICTI, ET ARCA DEI CAPTA, ET DVO FILII HELI CAESI ET IPSE HELI MORTVVS EST.

1 Anno Ducatus Heli quadragesimo circiter inchoante, exortum est graue inter Philisthæos ac Israelitas bellum: & cùm in primo certamine Iudæi terga vertissent, cecidissentque de ipsis ad quattuor millia virorum; iterùm resumptis viribus congregati, tulerunt Arcam fœderis Domini de Tabernaculo, quod remansit in Silo, & asportauerunt eam in castra; rati illius præsentia ac ope proculdubiò vel victoriam se de hostibus consecuturos, vel saltem ab ea protectum iri, & ab interitu liberandos. Sed contrà accidit: nam inito cum Philisthæis prælio, triginta millia peditum de Israel cæsa sunt, & Arca Dei capta est, & duo filij Heli, Ophni & Phinees mortui sunt, & ipse Heli annum nonagesimum octauum agens, his auditis, præ stupore & terrore illicò de sella retrorsum cecidit, fractisque ceruicibus interijt; nurus autem eius, vxor Phinees, grauida, tali nuntio perterrita, statim magnis correpta doloribus peperit filium, quem vocauit Ichabod, quod Latinè interpretatur, Inglorium. per hoc indicare volens, quod captâ Arcâ Dei, translata esset gloria Domini de Israel: 1. Reg cap. 4. per totum. Oportet autem captam fuisse Arcam mense huius anni circiter septimo; nam septem dumtaxat mensibus mansit in regione Philisthinorum, vt apertè traditur 1. Reg. cap. 6. in principio capitis: & quando remissa fuit in terra Israel, Bethsamitæ mete-

metebant triticum, vt dicitur cap. citato vers. 13. Atqui constat, messem in terra Chanaan & finitimis regionibus, mense Anni sacri primo circiter desinente, vsque ad initia tertij, nimirum inter Pascha & Pentecosten, fieri consueuisse, vt nos sub anno mundi 2584. num. 1. docuimus. Norandum quoque est, quòd præcedentia hæc duo prælia (vt colligitur 1. Reg. cap. 4. vers. 1. & cap. 5. vers. 1.) dicuntur facta iuxta Lapidem adiutorij: qui tamen post annos viginti à Samuele erectus ac sic denominatus fuit, vt nos sub anno mundi 2959. num. 1. ostendemus. Ex quo patet, quod aliàs quoque notauimus, nempe, quæ in libris Regum, præsertim prioribus, traduntur, post plures valdè annos ex quo gesta fuerant, fuisse conscripta; & eorum Auctorem vti locorum nominibus suo tempore vsitatis; licet interdum, quando res gerebantur, nondum talia locis illis nomina fuissent imposita.

PRIORES REGVM LIBROS LONGE POST EORVM GESTA FVISSE CONSCRIPTOS.

2. Sanè in memorata Philisthinorum victoria, probabile est eosdem Philisthæos abstulisse etiam Israelitis plures vrbes, illas nimirum, de quibus paulò pòst mentionem faciemus; & insuper imposuisse eis tributa; & vt à se ampliùs deficere non valerent, prohibuisse illos ne possent arma cuiusuis generis penes se habere, vllásve inter se congre-
5 gationes celebrare, quemadmodum ex infrà dicendis apparebit. Credimus item Hebræos, post prædictam ipsorum cladem, numquam fuisse omnino liberos à Philisthinorum imperio, vsque ad tempora Dauidis, de quo dicitur 2. Reg. in principio capitis 8. quòd ipse percussit Philisthæos, & tulit frænum tributi de manu eorum; sed semper eis aliquomodò fuisse subiectos, licet quandoque magis, & quandoque minùs, prout tempora occasionésque ferebant, quemadmodum patere potest discurrendo per ea, quæ hinc ad ipsum Dauidem gesta in Scripturis traduntur: nam iudicante Israelem Samuele, certum est quòd Philisthiim dominabantur Hebræis; alioqui Samuel, quando (vt habetur 1. Reg. cap. 7. vers. 3.) hortabatur Israelitas vt proiicerent à se deos alienos, & seruirent soli Deo; non subdidisset, *Et eruet vos de manu Philisthiim.* Et quamquam sub finem Præfecturæ ipsius Samuelis, Philisthiim ab Israele victi, eidem vrbes quas anteà abstulerant, reddere coacti fuerint, vt cap. Reg. citato vers. 14. legimus: attamen, quòd deinceps quoque à Philisthæis aliquam seruitutem subiectionémve sustinerent, inde fit manifestum, quòd quando Saul vnctus est in Regem super Israel, & quando innouatum est regnum eius in Galgala, etiam tunc manebat præsidium seu statio Philisthinorum in Gabaa Beniamin, vt dicitur 1. Reg. cap. 10. vers. 5. & clariùs cap. 13. vers. 3. & ibidem vers. 19. vsque ad 22. subditur, quòd faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel: cauerant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium & lanceam; & proptereà descendebat omnis Israel ad Philisthiim, vt acueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum, & tridentem, & vsque ad stimulum quo pungi solent boues. Quamuis autem crediderim, eiusmodi legem Hebræis adeò onerosam primò Samsonis temporibus fuisse introductam, quando Philisthæi omnimodam potestatem habebant super Israelitas: (quandoquidem neque ipse Samson, qui princeps erat in populo, legitur habuisse arma, sed cum maxilla asini percussisse Philisthæos:) nihilominùs probabile est, eamdem legem ab ipsis Philisthæis fuisse renouatam post grandem illam victoriam, quam in fine Ducatus Heli de Hebræis consecuti sunt; vt ex citatis locis apparet, vbi subiungitur, quòd idcircò, id est propter eamdem legem, *cùm venisset dies prælij, non est inuentus ensis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Ionatha, excepto Saul & Ionatha.* Ex quibus omnibus necessariò videtur inferri, quòd quando Philisthæi composita pace sub Samuele reddiderunt prædictas vrbes Israeli, id fecerunt hisce conditionibus, vt scilicet perseueraret prædicta lex, ne vllus faber ferrarius maneret in Israel, qui fabricare posset arma bellica, & ideò tenerentur ire Hebræi ad Philisthæos pro instrumentis rusticis conficiendis, aut acuendis: & item, vt liceret Philisthæis tenere præsidium in Gabaa Beniamin, vt fortè ibi cum Philisthæis tutò morari possent prædicti fabri, ad commodum totius populi Israelitici; & item, vt Philisthiim ibidem commorantes, commodiùs ab ipso tributa exigere possent, & prospicere ne noui quidquam moliri, aut ne contra eos denuò Hebræi insurgere tentarent. Licet autem regnante Saule, bis percussa fuerit prædicta statio Philisthinorum à Ionatha, vt dicitur 1. Reg. cap. 13. & 14. redierintque fabri Hebræi ad populum suum, vt habetur in eodem c. 14. vers. 21. & præterea multoties euentu vario bellatum sit inter Israelem & Philisthæos, vt videre est in toto lib. 1. Regum: attamen, quia in fine regni Saulis, ipse Saul & Ionathas filius ejus cum toto exercitu suo à Philisthæis percussi sunt, proptereà etiam Dauidis temporibus pendebant Hebræi Philisthæis tributa, vsquequò ipse Dauid eos humi-

QVOMODO HEBRAEI SVBDITI FVERINT PHILISTHAEIS.

humiliauit, & Israëlem ab eorum subiectione penitus exemit. Patet ergo, (quod priùs dicebamus) Hebræos ab obitu Heli semper fuisse quoquomodò subditos Philisthæis, donec tandem à Dauide omnino liberati sunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2940. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 397.

SAMVEL IVDEX HEBRÆORVM XV. ET VLTIMVS PER ANNOS 20.

1 ANNVS proximus, intra cuius primos menses Arca Dei ad Hebræos rediit, & in Cariathiarim collocata est, fuit primus Præfecturæ Samuelis. Porrò quemadmodum Heli fuerat simul Iudex & Sacerdos, ita Samuel Iudex pariter & Propheta, ipsi namque omnia quæ acciderant domui Heli, à Deo multò antea reuelata fuerant, vt dictum est. Erat autem Samuel de tribu Leui (vt sub anno mundi 2901. num. 2. ostensum est) & propè quadragenarius, quando cœpit iudicare populum, vt ex sub anno mundi 2901. num. 1. dictis colligitur, & patet in tabulis. Quare arbitror, admodum falli Dionysium Carthusianum, & Abulensem, quorum primus super 1. Reg. cap. 13. dicit Samuelem fuisse adhuc adolescentem, quando statim post obitum Heli cœpit iudicare Israëlem: alter super 1. Reg. cap. 7 quæst. 23. dicit, quòd quando mortuus est Heli, Samuel non erat magnæ ætatis, hoc est tantæ, vt deberet fieri Iudex populi; sed quia erat Propheta Domini, & pro tali habitus in tota terra Israel, vt dicitur 1. Reg. cap. 3. vers. 20. ideò, inquit, delectus fuit in Iudicem. Sed hos omittamus, qui proculdubiò aliter dixissent, si tempora accuratius metiri studuissent. certum verò est, quòd non annorum diuturnitas, sed virtus præcipuè requirebatur ad constituendos Iudices; alioqui numquam delegissent aut habere consensissent Samsonem in Iudicem, qui vt sub anno mundi 2880. num. 1. probatum est, decem & nouem dumtaxat erat annorum, quando cœpit iudicare populum.

QVI SVCCESSERIT HELI IN PONTIFICATV.

2. Verùm quia dictum est, Samuelem successisse dicto Heli in Principatu; quæret fortasse aliquis, quisnam eidem Heli successerit in Sacerdotio seu Pontificatu. Ad quod dicendum est, id in Sacro quidem eloquio expressum non reperiri: verumtamen, si verum est quod sub anno mundi 2900. num. 2. probauimus, videlicet Pontificatum, ex quo transiuit ad Heli, mansisse deinceps in familia Ithamaris vsque ad initia regni Salomonis; videtur nullus alius potuisse dicto Heli legitimè succedere, nisi Achitob, qui fuit nepos eius, frater nimirum Ichabod filij Phinees, filij eiusdem Heli, vt apertè traditur 1. Reg. cap. 14. vers. 3. nam filij Heli ante patrem mortui sunt, & Ophni nullum legitur filium reliquisse, & alter filius dicti Phinees nomine Ichabod, cùm esset posthumus, & proptereà infantulus tempore mortis aui sui, vt patet 1. Reg. in calce capitis quarti, non potuit eidem proximè in Sacerdotium succedere.

CVR ACHITOB INTER PONTIFICES NON SIT COMMEMORATVS.

Relinquitur ergo, dicto Heli successisse ipsum Achitob, qui in sacris Scriptutis tamquam summus Sacerdos non commemoratur, quòd fortè inter alios fuerit valdè obscurus, & nihil scitu dignum gesserit; præsertim cùm vixerit temporibus Samuelis, qui non solùm vt Dux & Iudex populum in temporalibus regebat atque iudicabat, verùm etiam tamquam Propheta valdè clarus, quem omnes libenter auscultabant, ea quoque quæ ad religionem pertinebant, pænè solus administrabat. Cæterùm, quia dictus Achitob (vt colligitur ex collatione eius quod dicitur 1. Reg. cap. 14. vers. 3. cum his quæ habentur cap. 22. vers. 9. 11. & 20.) duos filios habuit, nempe Achiam & Achimelech; qui, quemadmodum ex consequentibus apparebit, ambo vnus post alterum Sacerdotio functi sunt (ex quo obiter inferri potest, Sigonium perperàm in suo Pontificum catalogo, qui habetur lib. 5. de Repub. Hebræorum cap. 2. Achiam prætermisse) si quis quærat, quot annis ipse Achitob, & singuli eius filij Pontificatum tenuerint; dicimus id certò sciri non posse. Nam licet ex 1. Reg. cap. 14. vers. 3. 18. & 19. apertè colligatur, quòd anno regni Saulis secundo, Achias Sacerdotio fungebatur; & ex cap. 22. quòd anno regni eiusdem Saulis decimoquinto, Achimelech frater dicti Achiæ summum gerebat Sacerdotium; & quòd eodem anno (vt arbitror) circiter desinente, iussu Saulis octoginta Sacerdotibus cum dicto Achimelech pariter occisis, Abiathar filius eius, de sacrilega illa internecione cum ephod elapsus, venit ad Dauid, & Sacerdotium summum exercuit à dicto Saulis anno exclusiuè vsque ad primum regni Salomonis: non tamen vspiam legimus, quot annos in Pontificatu seorsum exegerint dicti Achitob, Achias, & Achimelech. Quamquam non procul à vero illum aberrare crediderim, qui illos triginta quinque annos, ab obitu Heli ad initium Sacerdotij Abiathar decursos, ita inter tres medios Pontifices dispertiret, vt ipsi Achitob annos viginti,

QVOT ANNIS POSTERI HELI PONTIFICATVM SINGVLI GESSERINT.

Achiæ

Achiæ decem; & Achimelech quinque circiter tribuendos censeret: quandoquidem talis annorum illorum distributio Sacro textui, si ritè expendatur, admodum quadrare comperietur. Sed iam redeamus ad id vnde digressi sumus, & susceptam historiæ continuationem prosequamur.

CVR ET QVOMODO PHILISTHAEI REMISERINT ARCAM DEI IN ISRAEL.

3. Eodem anno non multò antè iam inchoato, quando scilicet Bethsamitæ metebant triticum, quemadmodum sub anno mundi 2939. num. 1. declarauimus, Philisthæi, cùm vidissent plurima eademque grauissima, quæ ipsis ac regioni eorum euenerant mala, propter Arcam Dei Israel; nimirum corruisse truncumque iacuisse Dagon deum suum, fœdè nimis populum manscis percussum, & à muribus mirum in modum natis demolitam fuisse terram ipsorum; diuinis ac sacerdotibus idolorum suorum consultis, Arcam Dei Israel post septem menses ex quo capta fuerat, in plaustro nouo imposuerunt, cum quinque anis & totidem muribus aureis, iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum, pro voto in capsella exolutis; & iunctis plaustro duabus vaccis lactentibus, atque (vt ait Iosephus 6. Antiq. cap. 1.) in triuio deductis, eas quocumque vellent ire permiserunt, quæ recto itinere venerunt ad terminos Bethsames, stetitque Arca in agro Iosue Bethsamitæ: vbi à Leuitis deposita est, & in eodem loco super lapidem grandem locata, vaccæque super plaustri lignis impositæ, in holocaustum Domino crematæ sunt, & ibidem victimæ à Bethsamitibus oblatæ: 1. Reg. cap. 5. per totum, & 6. vsque ad vers. 19. Hanc redditionem Arcæ graphice refert S. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 17. his verbis: *Deinde ipsi* (nimirum Philisthæi) *prodigiis acti, deformiusq; puniti, Arcam diuini testimonij populo, vnde ceperant, reddiderunt. Ipsa autem redditio qualis fuit? Imposuerunt eam plaustro, eiq; iuuencas, à quibus vitulos sugentes abstraxerant, subiunxerunt, & eas quò vellent ire siuerunt; etiam hinc vim diuinam explorare cupientes. At illæ sine homine duce atque rectore, ad Hebræos viam pertinaciter gradientes, nec reuocata mugitibus esurientium filiorum, magnum sacramentum eius cultoribus reportarunt.* sic S. Augustinus.

PERCVTIT DOMINVS BETHSAMITAS, QVOD AVSI SINT VIDERE ARCAM DISCOOPERTAM.

REDVCITVR ARCA IN GABAA CARIATHIARIM.

QVIS ESSET ISTE ABINADAB.

QVID NOMINE GABAA ACCIPIENDVM.

4. Cùm autem paulò post percussisset Dominus populum plebemque Bethsamiticam plaga magna, eò quòd vidissent Arcam Domini, id est quia eam discoopertam curiosè atq; irreuerenter videre ausi essent; quod sub pœna mortis vetitum fuerat Numer. cap. 4. vers. 20. reducta est à viris Cariathiarim in domum Abinadab in Gabaa, & sanctificauerunt Eleazarum filium eius, vt custodiret Arcam: 1. Reg. cap. 6. vers. 19. vsque ad finem, & cap. 7. vers. 1. Erat autem iste Abinadab (vt scribit Iosephus 6. Antiq. cap. 2.) Leuita, opinione religionis ac iustitiæ celebris; vnde idoneum sacrario locum existimarunt, vbi vir iustus haberet domicilium. Quod verò dictum est, *in Gabaa*, non est accipiendum, quatenus Gabaa nomen est vrbis tribus Beniamin, vt patet Iosue cap. 18. vers. 24. nam quæ ibi in editione Vulgata appellatur Gabee, in editione LXX. Interpretum dicitur Gabaa; neque quatenus eadem esset cum Gabaon, quæ est alia vrbs eiusdem tribus Beniamin, à Gabaa diuersa, vt ex loco Iosue citato constat; sed hic accipi debet Gabaa, prout vniuersaliter significat collem siue celsitudinem; & est ac si dixisset, quæ domus Abinadab erat in colle, seu in altiore parte vrbis Cariathiarim, vt apertè conuincitur ex 1. Paralip. cap. 13. vers. 6. vbi dicitur, quòd *Dauid cum vniuerso Israele ascendit ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda, vt afferret inde Arcam Domini Dei*, &c. Ex quibus verbis manifestè infertur, decipi Lyranum, qui putat dominum dicti Abinadab fuisse in vrbe Gabaa; & Arcam non tunc immediatè de Bethsames ductam fuisse in domum Abinadab, sed post multum temporis. Nam primò quidem, inquit, de Bethsames ducta est in Cariathiarim, inde in Masphath, posteà in Galgalis, mox in Nobe, ac postremò in Gabaa, in domum Abinadab: cuius opinionem late efficaciterque confutat Abulensis super 1. Reg. cap. 7. quæst. 10. vsque ad 18.

REFELLITVR OPINIO LYRANI.

QVAMDIV MANSERIT ARCA IN GABAA CARIATHIARIM.

Mansit ergo Arca Dei in domo Abinadab, quæ erat in Gabaa, hoc est in quodam colle vrbis Cariathiarim, annis circiter sexaginta, donec scilicet Dauid vndecimo regni sui anno (vt infrà sub anno mundi 2990. num. 1. dicemus) eam inde transtulit, primò in domum Obededom Gethæi, posteà in ciuitatem suam, id est in Arcem Sion, quemadmodum fusius describitur 2. Reg. cap. 6. per totum, & 1. Paralipom. cap. 13. 15. & 16. tot autem annos inueniri à postremo anno Heli ad vndecimum regni Dauidis, constare poterit in tabulis. Sanè intra hos annos, non est credendum, Arcam ita iugiter mansisse in domo Abinadab, vt numquam inde mota fuerit: nam ex 1. Reg. cap. 14. versic. 18. certum est, eam fuisse in castris cum Saule, quando Ionathas secundò percussit stationem Philisthinorum. Sed supponere debemus, eamdem aliquando quidem, vrgenti aliqua de causa, de Cariathiarim aliò fuisse allatam: verumtamen semper, causa cessante,

ibi-

ibidem tamquam ad locum ordinariæ mansionis suæ fuisse reportatam.

QVOD TABERNACVLVM FOEDERIS NVMQVAM DEVENERIT IN MANVS PHILISTHINORVM.

5. De Sanctuario autem, seu Tabernaculo fœderis, quod erat in Silo tempore mortis Heli, S. Augustinus, & Euthymius, & alij, super Psalm. 77. exponentes versiculum illum, *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus*. putant, Deum tunc repulisse Tabernaculum illud, quando capta fuit Arca à Philisthæis. Quorum quidem expositio non sic est accipienda, quasi voluerint indicare, quòd tunc etiam Tabernaculum ipsum cum Arca & aliis ad ipsum pertinentibus, in Philisthinorum deuenerint potestatem; sed potiùs, quòd tunc, vel non multò post, Hebræi, Deo per Samuelem præcipiente, qui nolebat Tabernaculum ampliùs permanere in Silo, inde illud aliò transtulerint. Quo fit, vt neque quæ in eodem Psalmo subiunguntur, *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici*, accipienda sint (vt quidam malè exponunt) de virtute & pulchritudine Tabernaculi, sed ipsius Arcæ: nam nusquam reperimus, Philisthæos cepisse Tabernaculum, sed tantummodò Arcam, quam Hebræi paulò antè de Tabernaculo acceptam in castra detulerant: neque item vspiam legimus, Philisthæos tunc, aut aliàs, vsque in Silo excurrisse, indeque aliquid asportasse: & si ipsum quoque Tabernaculum Philisthæi abstulissent, probabile est opinari, quòd illud alicubi tetendissent, & in eo, non autem in templo Dagon, Arcam posuissent; præsertim posteaquam viderunt Dagon cecidisse coram ea, & plagas grandes quas eis Dominus immittebat. Et præterea (quod etiam magis vrget) necessarium esset fateri, eosdem Philisthæos vel tunc quando reddiderunt Arcam, vel aliàs posteà etiam Tabernaculum Hebræis reddidisse; alioqui non potuisset illud idem esse in excelso Gabaon temporibus Dauidis, quemadmodum expressè traditur 1. Paralip. cap. 21. vers. 29. his verbis: *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & Altare holocaustorum, ea tempestate* (id est, quando Dauid viderat Angelum percutientem pestilentiâ populum) *erat in excelso Gabaon*. quin etiam tempore Salomonis; qui, vt legimus 2. Paralip. cap. 1. vers. 3. *abiit cum vniuersa multitudine in excelsum Gabaon, vbi erat Tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine*. Cùm ergo satis constet, ipsum Tabernaculum nequaquam cum Arca fuisse restitutum, (non enim vnico plaustro, neque à duabus dumtaxat vaccis vehi potuisset:) neque vllo alio in loco Scriptura sacra de eiusdem Tabernaculi redditione meminerit; manifestum relinquitur, ipsum numquam deuenisse in manus inimici, hoc est Philisthinorum; sed de Silo vbi fixerat illud Iosue, ab ipsismet posteà Hebræis, Deo sic disponente, aliò (vt consequenter dicemus) fuisse translatum.

QVONAM DE SILO FVERIT TRANSLATVM.

6. Quò autem primò fuerit de Silo transportatum, non vsquequaque certum est: quamquam mihi profectò illud videtur admodum credibile, quod tradunt Abulensis super 1. Reg. cap. 7. quæst. 18. & 19. & Franciscus Ribera lib. 1. de Templi fabrica cap. 2. num. 6. nimirum, de Silo Tabernaculum primò, ob causam à nobis infrà sub anno mundi 2974. n. 4. adducendam, translatum fuisse in Nobe, vbi posteà Achimelech Sacerdos dedit Dauidi esurienti, atque à facie Saulis fugienti, panes propositionis, vt describitur 1. Reg. cap. 21. vers. 6. Nobe autem vrbe Sacerdotum à Saule destructa, deportatum fuisse, ipso fortassis iubente Saule, qui erat de tribu Beniamin, in excelsum Gabaon, in eadem tribu existens; vbi, vt suprà probatum est, posteà mansit vsque ad tempora Salomonis; à quo creditur inde trãslatum fuisse in templum à se constructum in Ierusalem, vt colligi potest ex 3. Reg. cap. 8. vers. 4. & ibidem asserit Abulensis quæst. 2. Quamquam non propriè in templo, vbi erat Arca, positum fuerit; sed in vno ex superioribus templi cœnaculis, cum altero tabernaculo quod posteà fecerat Dauid, & cum virga Aaronis quæ mirabiliter floruerat, & vrna aurea plena Man, & eiusmodi aliis asseruatum, donec demum, in eiusdem templi à Chaldæis conflagratione, omnia combusta consumptaque sunt.

ISBOSETH FILIVS SAVLIS NASCITVR.

7. Eodem anno primo Ducatus Samuelis, oportet Saulem genuisse filium suum Isboseth, qui eidem in regno successit: erat enim Isboseth quadraginta annorum quando regnare cœpit post Saul patrem suum, vt dicitur 2. Reg. cap. 2. vers. 10. tot autem anni computantur in tabulis à primo Ducatus Samuelis ad primum regni Isboseth: si tamen vera est opinio Abulensis, quam sequimur, quòd scilicet ipse Isboseth statim post mortem patris regnare cœperit; non autem post aliquot annos, vt putat Caietanus.

QVID AGERET SAMVEL PRAEFECTVRAE SVAE TEMPORIBVS.

8. Ceterùm Samuel, intra totum ferè tempus Præfecturæ suæ, hoc est intra primos decem & nouem annos, seu vsque ad initium vigesimi anni, ex quo mansit Arca Dei in Cariathiarim, cupiens liberare populum suum de seruitute Philisthinorum, & probè intel-

intelligens id nullo modo fieri posse, nisi priùs remota causa, quæ erat præuaricatio & auersio eiusdem populi à cultu Dei sui, non cessabat omni solicitudine ac totis viribus vacare his quæ pertinebant ad salutem populi; præsertim verò vt eum ab idolis reuocaret, & ad veri Dei cultum perduceret: & propterea discurrebat per singulos annos de vrbe sua Ramatha in Bethel, & in Galgala, & in Masphath; atque in singulis hisce locis, in quibus ad commodiores populi opportunitates solebat iudicare Israelitas, & eorum causas decidere, hortabatur, & nihil non faciebat, vt ipsi in animum inducerent auferre à se deos alienos, & seruire Deo soli; pollicebaturque si id facerent, quòd proculdubiò erueret eos Dominus de manu Philisthinorum. Atque hoc pacto populus huiuscemodi cohortationibus Principis ac Prophetæ sui permotus, paulatim ab idololatria discedebat, & ad Deum suum conuertebatur: ita vt tandem, anno vigesimo circiter incipiente, requieuerit omnis domus Israel post Dominum, vt dicitur 1. Reg. cap. 7. vers. 2. vbi deinceps per recapitulationem, quæ priùs fecerat Samuel pro Israelitarum conuersione, subiunguntur. Quoniam autem quodammodò ad proportionem conuersionis populi, fiebat quoque manus Domini (subintellige, in malum) super Philisthæos cunctis diebus Samuelis, vt cap. citato vers. 13. dicitur; contigit etiam, inchoante prædicto anno vigesimo, quando scilicet omnis pæne Israel conuersus est ad Dominum, vt ipsi etiam Philisthæi pæne omnino deuicti fuerint, & quasi à tota terra Israel profligati, quemadmodum infra sub anno mundi 2959. num. 1. dicemus. Et hæc quidem omnia, licet subobscurè, & quodammodò promiscuè, in dicto Reg. capite descripta inueniantur; tamen hoc, quo nos tradidimus, ordine acta fuisse, accipienda sunt: alioqui multa sequerentur absurda, quæ nunc breuitatis studio prætereunda esse duximus.

AB ORBE CONDITO	QVARTÆ MVNDI ÆTAT.
ANNVS 2950.	ANNVS 407.

1 ANNO vndecimo ab obitu Heli, siue ab initio Ducatus Samuelis, inchoante, natus est Dauid filius Isai, seu Iesse, vt colligitur ex 2. Reg. cap. 5. vers. 4. vbi dicitur, quòd triginta annorum erat Dauid cùm regnare cœpisset: totidem verò inueniri ab hoc anno ad primum regni Dauidis, liquet ex tabulis. Expleuerat autem Isai tunc annum ætatis suæ nonagesimum quintum, quando natus est ei Dauid, vt patet in tabulis, & sub anno mundi 2748. num. 3. probatum est. IESSE GENVIT DAVIDEM.

2. In fine eiusdem anni, qui iuxta Eusebium fuit à morte Heli duodecimus, iuxta nostrum verò computum, vndecimus, necesse est mortuum esse Thineum Assyriorum Regem: siquidem in fine huius anni, explentur triginta anni, quibus ipse regnasse perhibetur, quemadmodum videre est apud Eusebium in Chronicis. THINEVS ASSYRIORVM REX MORITVR.

AB ORBE CONDITO	QVARTÆ MVNDI ÆTAT.
ANNVS 2951.	ANNVS 408.

1 ANNO immediatè sequenti circiter inchoante, regnauit in Assyria Dercilus, qui fuit Rex Assyriorum vigesimus nonus, vt ibidem scribit Eusebius. REGNAT IN ASSYRIA DERCILVS.

AB ORBE CONDITO	QVARTÆ MVNDI ÆTAT.
ANNVS 2959.	ANNVS 416.

1 INCHOANTE anno vigesimo, ex quo mansit Arca Dei in Cariathiarim, siue (quod idem est) ab initio Ducatus Samuelis, videns Samuel quòd iam pæne omnis domus Israel requieuisset post Dominum, vt dicitur 1. Reg. cap. 7. vers. 1. congregauit vniuersum Israel in Masphath; vbi Israelitæ proiectis à se omnino dijs alienis, Baalim & Astaroth, effusaque aqua in conspectu Domini, in signum siue submissionis, vt exponunt Rabbini; siue contritionis, vt putat Abulensis; siue perfectæ abdicationis idololatriæ, vt Caietanus; ieiunantes & orantes, veniamque transgressionum suarum postulantes, conuersi sunt ad Dominum. Cumque ibi ex improuiso Philisthæi cum principibus Tyriorum (quemadmodum apertè colligitur Ecclesiastici c. 46. vers. 21.) conglobati, & magno impetu facto irruissent in eos; ipsique statim rogassent Samuelem vt pro ipsis Dominum deprecaretur; & ille protinus lactentem vitulum Domino in holocaustum obtulisset: ecce, ipso Samuele orante, & Domino tonitruis, tempestatibus, HEBRAEI A SAMVELE IN MASPHATH CONGREGATI PROIICIVNT A SE IDOLA. MAGNAM REPORTANT DE PHILISTHAEIS VICTORIAM, ET AMISSAS VRBES RECVPERANT.

tibus, ac terræmotibus horribilibus hostes mirabiliter perterrente, grandem Hebræi de Philisthæis consecuti sunt victoriam, inter Masphath & Sen; vbi ad perpetuam rei memoriam magnum Samuel erexit saxum, quem vocauit Lapidem adiutorij. Et denique rebus cum hoste compositis, recuperauerunt Israelitæ omnes vrbes quas priùs amiserant, ab Accaron vsque Geth: 1. Reg. cap. 7. vers. 4. vsque ad 15. nam quæ ibidem vsque ad finem capitis subiunguntur de Samuele, quòd scilicet iudicabat Israelem circuiens per singulos annos Bethel, & Galgala, & Masphath, ac rediens in Ramatha vbi habitabat, exexeratque altare Domino; hæc, inquam, quæ ante dictam victoriam à Samuele fieri solebant, per recapitulationis figuram posterius transposita sunt. Nam alioqui constat, quòd non multò post memoratam victoriam, Samuel, electo Saule in Regem, deposuit Principatum, vt numeris insequentibus dicemus.

SAMVEL SENEX SVBSTITVIT SIBI FILIOS.

2. Eodem anno, non multò (vt arbitror) post prædicta, Samuel, cùm iam senuisset, (erat enim tunc propè sexagenarius, vt videre est in tabulis) aduertissetque se ampliùs præ senectute non posse singulis annis ad prædicta loca, quemadmodum priùs consueuerat, discurrere, vt iudicaret populum; substituit sibi duos filios suos Iudices populi in Bersabee: 1. Reg. cap. 8. vers. 1. Nemini autem mirum videatur, quòd Samuel ante electionem Saulis in Regem dicatur senex, qui ex quo Saul regnare cœperat, etiam decem & octo annos superuixit: quandoquidem etiam Abraham & Sara dicuntur fuisse senes quando genuerunt Isaac, & tamen vterque superuixit multis annis; nimirum Abraham septuaginta, & Sara septem & triginta, & Isaac erat senex centum & quadraginta octo annorum (vt patet in tabulis) quando benedixit filio suo Iacob; & tamen deinceps etiam vixit triginta duobus annis, videlicet vsque ad annum 180.

HEBRAEI POSTVLANT CONSTITVI SVPER SE REGEM.

3. Sub finem eiusdem anni (videlicet mense circiter nono, aut decimo ineunte, vt ex sub anno mundi proximo num. 1. dicendis patebit) videntes Israelitæ quòd filij Samuelis non ambularent in vijs patris sui, sed declinassent ad auaritiam, & munera accipientes peruerterent iudicia: ex alia verò parte audientes quòd Naas Rex Ammonitarum aduersus ipsos bellum suscipere pararet, vt colligitur 1. Reg. cap. 11. vers. 1. & c. 12. vers. 12. venerunt vniuersi seniores populi ad Samuelem in Ramatha, postulantes vt constitueret super Israel Regem. Quæ petitio, primò quidem ex humana infirmitate, displicuit Samueli; quòd ad sui filiorumque suorum submissionem redundaret: verumtamen cùm esset vir sanctus, & Deo in omnibus obtemperare paratus; illicò ad ipsum Dominum precandum consulendumque accurrit, vt quid magis ei placitum esset intelligeret: à quo edoctus, senioribus quidem, in eo quod petierant, obsequi non recusauit; verumtamen priùs operæpretium duxit, contestari eis ius Regis, id est, ipsis ante oculos ponere aliqua eorum, quæ quasi in ius proprium vindicare sibi per potentiam solebant Reges, vt ex paucis plura discere liceret: sunt autem eiusmodi, puta, subditos in suam pæne omnino redigere seruitutem, & habere tamquam seruos; eorum filios & filias, seruos & ancillas, pro libito ad sua suorumque seruitia & commoda destinare; agros, & vineas, & olíueta, & optima quæque eorumdem sibi accipere, & in proprios vsus conuertere, & alia his similia facere: non quòd reuerà Reges tale ius haberent, aut quidquam licitè possent moliri contra ius diuinum ac naturale, sicuti ea quæ proximè retulimus, proculdubiò esse manifestum est; sed, quia omnia sibi licere putarent. Nam alioqui esto, quòd interdum plura pro communi bono, & iusta vrgente necessitate, à subditis etiam inuitis extorquendi ius habeant; certè, non ad propriam tantùm vtilitatem & commodum, vt latè probat Abulensis super 1. Reg. cap. 8. quæst. 19. vsque ad 24. Quare, quod hic Scriptura sacra vocat *Ius Regis*, tamquam impropriè vsurpatum, nimirum quia ipsi Reges sic putabant; vel etiam, vt vulgò (quòd iste abusus iam quasi pro vsu probato ac iuridico inoleuisset) credebatur, accipiendú est. De his ergo potissimùm malis, quibus subditi à proprijs Regibus valdè opprimi solebant, placuit Samueli annuente Deo populum præmonere, si fortè horum consideratione eum à proposito deterreri contingeret. At verò, vt vidit Samuel quòd illi nihilominùs in sententia persisterent, iterùm consulto Domino, intellexit petitioni eorum omnino esse indulgendum: quod & paulò pòst haud cunctanter præstitit, vt infrà num. 5. dicemus.

SAMVEL PRAEMONET HEBRAEOS DE HIS, QVAE SIBI VSVRPARE SOLENT REGES.

SAMVEL CLAM VNGIT SAVLEM REGEM SVPER ISRAEL.

4. Intereà contigit vt Saul, missus ad perquirendas asinas patris sui, declinaret ad consulendum de ipsis Samuelem: de quo communis opinio erat apud omnes, quòd quidquid ipse futurum prænuntiaret, sine vlla dubitatione eueniret. Vt primùm ergo Saulem vidit Samuel, Dei monitu honorificè eum suscepit ad prandium, & altera die clàm vnxit in Regem super Israel, ac dimisit, prædicens omnia quæ ventura ei erant in itinere, vt ex eorum euentu firmiter quoque posset arguere, omnino etiam fore implenda,

plenda, quæ eidem de regno vaticinatus fuerat: 1. Reg. cap.9. per totum, & cap.10. verſ.1. vſque ad 17. Portò inter cetera quæ prædixit Samuel Sauli, illud admodum memorabile videtur, quod cap.10.proximè citato verſ.5. refertur his verbis: *Poſt hæc venies in collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum; & cùm ingreſſus fueris ibi vrbem* (hoc eſt Gabaa Beniamin, vt paulo pòſt probabitur) *obuium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes* (id eſt laudes Deo canentes, vt ſub anno mundi 2545.num. 14. probatum eſt,) *& inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* quæ omnia adamuſſim euenisse, ibidem infrà verſ.10.narrantur. Dixi, vrbem, in qua Saul obuium habuit prædictum cuneum Prophetarum, fuiſſe eam quæ dicebatur Gabaa Beniamin, eratque patria eiuſdem Saul, vt colligitur ex eodem cap. verſ.26. vbi dicitur, quòd Saul abiit in domum ſuam in Gabaa: nam & ibi erat ſtatio Philiſthinorum, vt patet cap.13. verſ.3. & ibidem (quemadmodum ſubiungitur 1.Reg. cap.10. verſ.11.) qui nouerant Saulem heri & nudiuſtertius, id eſt eius cóciues, videntes quòd Saul eſſet cum Prophetis, & prophetaret, admirati dixerunt ad inuicem: Quænam res accidit filio Cis? Numquid & Saul inter Prophetas? Vbi etiam Scriptura ſacra proſequitur narrans, quòd cùm Saul ceſſaſſet prophetare, veniſſetque ad excelſum, hoc eſt, aſcendiſſet prædictum collem, interrogauit eum patruus eius, Quò ipſe puerque eius abiſſent? cui reſponderunt: Quærere aſinas, quas cùm non reperiſſemus, venimus ad Samuelem. Rurſus ille Sauli: Quid dixit tibi Samuel? Ipſe verò: Indicauit, inquit, nobis, quia inuentæ eſſent aſinæ. Ex his ergo cum Abulenſe inferri poteſt, dictam ciuitatem verè fuiſſe patriam Saulis, in qua patruus, & reliqua cognatio eius, & conciues habitabant; alioqui non eſſet veriſimile, quòd ibi patruus eius interrogaſſet: Quò abiſſet? potiùs enim dicere debuerat: Ad quid huc veniſti? ſi ibidem ipſe quoque Saul manere non conſueuiſſet: neque illius vrbis homines tam benè potuiſſent noſſe Saulem quòd non eſſet Propheta, & mirari quòd cum Prophetis graderetur prophetaretque.

CVR PRAEDIXERIT OMNIA, QVAE VENTVRA EI ERANT IN ITINERE.

QVOD SAVL IN PATRIA SVA PROPHETAVERIT INTER ALIOS PROPHETAS.

5. Poſt paucos (vt arbitror) dies, Samuel, conuocato populo in Maſpha, comitiorum, hoc eſt creandi Regis cauſa, primò quidem exprobrauit eidem populo peccatum ab eodem in Regis petitione commiſſum. Vel potiùs exprobrauit Samuel populo peccatum, non quod contra ſe, ſed contra Dominum commiſerat, ſubtrahendo ſe ab illo peculiari regimine, quo ab ipſomet Deo gubernari conſueuerat, ex quo poſt datam ab ipſo, acceptatamque ab Iſraelitis Moyſaicam Legem, Deus ſingulari quadam dilectione elegerat eos ſibi in populum peculiarem de cunctis Gentibus, vt dicitur Deuter. cap.7.verſ.6. & repetitur cap.14.verſ.2. & cap.26.verſ.18. ſiquidem ab eo tempore Hebræi, non vt ceteræ nationes, à mundanis Regibus plenum in eos dominium habentibus regebantur; ſed principaliter quidem ab ipſo Deo ſupremo omnium Rectore, ac ſpeciali etiam ipſorum Principe: ſecundariò autem à Iudicibus, qui non habebant regiam poteſtatem, vt paulò pòſt probabitur; ſed erant veluti Reipub. Moderatores, & diuinæ voluntatis Interpretes, & tamquam miniſtri ac vicarij ipſius Dei ſupremi Hebræorum Regis. Inter quos ſpeciales Dei miniſtros computamus etiam Moyſen & Ioſue, non tamen ſub nomine Iudicum; quia licet ipſi quoque eodem pænè modo quo Iudices populum regerent, erant tamen longè maioris auctoritatis; quàm vmquam fuerint qui poſteà dicti ſunt Iudices. Quòd autem ipſe Deus, qui eſt ſuper omnes Rex regum & Dominus dominantium, ſpeciali quadam ratione tunc diceretur dominari Hebræis, & regnare ſuper eos, non obſcurè colligi poteſt ex his quæ Gedeon, quando (vt ſub anno mundi 2601.num. 2. probatum eſt) volebant Iſraelitæ conſtituere eum Regem, reſpondit dicens: *Non dominabor veſtri, neque dominabitur in vos filius meus; ſed dominabitur vobis Dominus*: Iudic.cap.8.verſ.23. & item ex his quæ Samuel 1.Reg. cap.12.verſ.12. dicebat coram vniuerſo populo non ſine admiratione quòd peterent Regem qui imperaret eis: *Cùm Dominus Deus veſter* (inquiens) *regnaret in vobis.* Et adhuc clariùs ex verbis ipſiuſmet Domini, quæ 1.Reg.cap.8.verſ.7. dixerat Samueli: *Non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* apertè conteſtans, quòd in illa Regis humani petitione, abiecerant Deum ne eo ſpeciali quo diximus, & infrà magis explicabimus, modo regnaret ſuper eos, & inſipienter, ne dicam impiè, tam ſancto atque honorato regimini, quod propriæ ipſorum libertati nihil prorſus præiudicabat, renuntiantes, mallent habere Regem ſicut ceteræ habebant nationes, qui more aliorum terræ Regum, id eſt iuxta regni legem ſuprà num.3. relatam, ipſis omnino dominaretur, atque in ſeruitutem eos redigeret. Et hoc arbitror eſſe peccatum, quod exprobrauit populo Samuel, quod Dominus ſola dictæ petitionis conceſſione puniuit. Vel ingratitu-

DE PECCATO HEBRÆORVM IN REGIS PETITIONE COMMISSO.

dinis erga ipsum Samuelem, à quo fuerant (vt suprà num. 1. dictum est) ab idolis ad veri Dei cultum reducti, & pænè à Philisthæis ipsorum hostibus liberati. De quo peccato videnda sunt quæ latè differit Abulensis super 1. Reg. cap. 8. quæst. 9. & sequentibus. Deinde applicuit Samuel omnes tribus Israel, ceciditque sors in tribu Beniamin; quam cùm per cognationes & domos virosque successiuè applicuisset, peruenit sors vsque ad Saul filium Cis. Quem cùm in vniuersali illo conuentu non comperissent, consulto Domino, vt cognouerunt quòd domi lateret, confestim ad eam accurrentes, tulerunt eum inde, & adductum in medio populi constituerunt Regem super Israel. Samuel autem scripta ac publicata lege regni, dimisit populum; abiitque Rex cum parte exercitus & ipse in domum suam in Gabaa, dissimulans audire quosdã qui eum despexerant, & munera eidem adferre neglexerant: 1. Reg. cap. 10. vers. 17. vsque ad finem capitis. Igitur cùm res Hebræa ab initio Præfecturæ Othonielis, iam per annos fermè trecentos sexaginta, vt dinumerari potest in tabulis, à Iudicibus administrata fuisset; tandem diuinitus, vt relatum est, per Samuelem postremum Iudicem Saul primus Hebræorum Rex creatus fuit, sub finem postremi, hoc est vigesimi anni Præfecturæ Samuelis. Vnde annus regni Saulis primus, ferè totus concurrit cum anno sequenti, vt videre est in tabulis. Hoc autem diffidebat inter statum Reipub. Hebræorum sub Iudicibus, ab eo qui mox fuit sub Regibus; quòd tametsi vterque status sub Monarchis fuisse quodammodò dici possit; (quia Iosephus 11. Antiq. cap. 4. Iudices appellat Monarchas, quòd fortè ab illorum sententia appellare non fas esset,) attamen reverà ipsi Iudices, vt dictum est, non erant Reges aut Monarchæ, nec eorum potestas in populo tanta erat, quanta postmodum fuit Regum: quandoquidem Iudices neque diadema, proprium supremæ potestatis insigne, sibi vmquam imposuisse legimus; neque hereditario iure sibi inuicem succedebant, vt Reges; sed speciatim diuino quodam fauore excitabantur, vt à populo ad sui commodum eligerentur vel reciperentur. Et item ipsi non imperabant exigebantque à populis tributa, sicuti posteà solebant Reges; sed tantummodò subditorum quæstiones dirimere, & ipsos ab hostibus, cùm opus esset, defendere, & alia eiusmodi, ad publicam ipsorum vtilitatem spectantia, agere ac perficere sedulò curabant; non quæ sua essent quærentes, sed quæ communi bono ipsius populi magis conducere viderent. Itaque Iudicum potestas nihil violentum, nihil tyrannicũ in se habebat; sed tota ciuilis erat, & ad bonum communitatis directa atque instituta. Ex quo appatet, quantum differret à regia mundanaque dominatione, quæ sæpius, propter peccata populorum (Deo sic permittente) ad propria magis quàm subditorum commoda deflexisse videtur; & interdum quoque (in Principibus à fide Catholica alienis) ad manifestam peruenisse tyrannidem. Erant igitur Iudices non veluti Reges terreni, merum & mistum imperium in subditos exercentes, & cuncta ex propria libidine moderantes; sed tamquam particulares quidam diuini Regis ministri, eius vicem gerentes, vt suprà dictum est. Vnde non modica fanè rerum mutatio tunc temporis facta est, quando abrogato Iudicum regimine, constitui cœperunt Hebræorum Reges. De quibus antequam dicere incipiamus, illud hoc loco obiter adnotandum duximus, quòd prædictorum Iudicum temporibus in Græcia floruisse dicuntur Linus & Orpheus Poëtæ, & Musici antiquissimi; quorũ meminit Virgilius Ecloga 4. dicens:

SAVL IN CONVENTV POPVLI REX CONSTITVITVR.

LINVS ET ORPHEVS.

Non me carminibus vincat nec Thracius Orpheus,
Nec Linus ——

QVOT ANNOS ESSET NATVS QVANDO AD REGNVM FVIT ASSVMPTVS.

6. Quoniam autem 1. Reg. cap. 13. vers. 1. legimus, quòd *filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset*; (quæ vtique verba perspicuum est, non esse accipienda prout sonant ad litteram, quandoquidem capite 10. vers. 23. traditur, quòd idem Saul in eius electione quando stetit in medio populi, altior fuit vniuersis ab humero & sursum; sed in eo sensu accipi debent, quem nos infrà sub anno mundi 2961. num. 3. indicabimus:) quæret hîc fortasse aliquis, quotnam Saul annos haberet ætatis, quando factus est Rex. Ad hoc dicimus, quòd licet id Scriptura sacra non astruat, possumus tamen satis probabiliter credere, ipsum tunc fuisse annorum circiter nouem & triginta: nam ipse regnauit annis viginti; & Isboseth, qui (vt colligitur 1. Paralipom. cap. 8. vers. 33. & cap. 9. vers. 39.) alio nomine dicebatur Esbaal, eratque filius eius in ordine quartus, successit ei in regno annos natus quadraginta, vt dicitur 2. Reg. cap. 2. vers. 10. Neque verisimile est, aut vspiam legimus, Saulem genuisse ante consuetum naturæ cursum, hoc est ante decimumquartum aut decimumquintum ætatis suæ annum: neque item probabile est, quòd multò post, puta anno vitæ suæ vigesimo, vel in prouectiori ætate Saul generare cœperit, quia sequeretur, Saulem fuisse sexaginta quattuor annorum, vel amplius, quando

quando mortuus est in bello. Atqui hoc repugnare videtur his quæ de ipso dicuntur 1. Reg. cap. 28. vers. 8. 20. & 25. nimirum quòd paulò ante eius obitum, mutato habitu, profectus est cum duobus viris ad Pythonissam in Endor itinere vnius diei, sine cibo; & responso ab ea accepto, ambulans tota nocte reuersus est ad castra: & item his quæ habentur 2. Reg. cap. 1. vers. 19. vsque ad finem; vbi in planctu illo, quem fecit Dauid super morte Saulis & Ionathæ, toties commemoratur robur & fortitudo ipsorum, illis verbis: *Clypeus fortium clypeus Saul. Gladius Saul non est reuersus inanis. Saul & Ionathas aquilis velociores, leonibus fortiores. Quomodo ceciderunt fortes? quomodo ceciderunt robusti?* & his similia. Ex quibus omnibus fit manifestum, quòd Saul erat adhuc fortis robore, & validus ad pugnandum atque ad alios belli labores sustinendos, quando occisus in prælio fuit; & consequenter non videtur probabile, quòd tunc esset sexaginta quattuor annorum, aut senior; sed potius ad summum sexagenarius. quod si verum est, oportet (vt diximus) ipsum fuisse annos natum circiter triginta nouem, aut quadraginta, quando electus fuit in Regem. Nullatenus ergo admittenda est opinio Melchioris Cani lib. 11. Locorum Theologicorum cap. 5. ad 12. existimantis textum 1. Reg. cap. 13. vers. 1. esse corruptum seu mancum, & pro *filius vnius anni*, debere legi *filius viginti & vnius anni*. Neque item audiendi sunt, qui pariter (vt refert Dionysius Carthusianus super cap. lib. 1. Reg. citato) putabant Saulem fuisse viginti & vnius annorum quando regnare cœpit, id elicientes ex citati capitis initio, vbi legitur: *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset*, hoc est, vt ipsi exponebant, vnius anni supra vigesimum; quoniam (inquiunt) apti ad pugnam recenseri solebant à viginti annis & supra, vt patet Num. cap. 1. vers. 3. Insulsa sanè expositio, ex qua sequeretur, Saulem vno tantùm anno fuisse seniorem filio suo Isboseth. Non est etiam probanda quædam lectio loci Regum allegati, relata in quodam scholio, ad dictum cap. in editione LXX. Interpretum adiecto, quæ sic habet: *Triginta annorum erat Saul cùm regnare cœpisset*: quia sequeretur, ipsum Saul anno vitæ suæ septimo genuisse filium suum primogenitum Ionathan, & octauo secundum Melchisua, & nono tertium Abinadab, & decimo quartum Isboseth; quod videtur omnino impossibile.

7. Post mensem ferè vnum ab electione Saulis in Regem, vt paulò pòst probabitur, viri Iabes Galaad ab Naas Rege Ammonitarum obsessi, & in angustiis magnis positi, miserunt nuntios in Gabaa Saulis, petentes ab eo auxilium, (dicitur autem hæc Gabaa Saulis, 1. Reg. cap. 11. vers. 4. quia in ea habitabat Saul, vt intelligamus hanc esse Gabaa tribus Beniamin, ad differentiam alterius Gabaa, quæ erat in tribu Iuda, vt patet Ios. cap. 15. vers. 57.) Porrò Saul, his auditis, statim spiritu Dei accensus, concisis in frusta bobus suis quos sequebatur, & transmissis eorum partibus in omnes terminos Israel, protulit edictum in hæc verba: *Qui non secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius.* Quo audito, confestim congregatus est vniuersus populus, & recensuit Saul in Bezech trecenta millia virorum de Israel, & triginta millia de tribu Iuda, & diuiso in tres partes exercitu, atque in vigilia matutina derepentè à tribus lateribus simul aggressus hostium castra, irruit aduersus Ammonitas, percussitque ac profligauit eos, vt latiùs describitur 1. Reg. cap. 11. vers. 1. vsque ad 12. Dixi hæc contigisse vno ferè mense post electionem Saulis in Regem; quia sic expressè habent textus emendatiores loci citati, vt videre est in editione tum Vulgata tum LXX. Interpretũ, quæ Romæ postremò recognitæ prodiderunt: & prædictum caput 11. sic exordiuntur: *Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites*, &c. & item, quia Iosephus lib. 6. Antiq. sub finem capitis 5. expressè testatur, prædictum bellum gestum fuisse post vnum mensem ab electione Saulis. Vnde arbitror corruptos diminutosque hac in parte esse textus illos Hebraicos, in quibus asserit Caietanus non reperiri verba illa, *Et factum est quasi post mensem*, &c. & pariter codices illos Hebraicos, Latinos, Græcos, & Chaldaicos, ex quibus desumpta est editio Bibliorum Regiorum; vbique enim ibi prædicta verba deficiunt: atque adiicienda esse credimus. Porrò iste prædictorum verborum defectus, qui etiam nunc in quibusdam Sacris codicibus reperitur, vt puto, in causa fuit, vt sanctus Eucherius cap. 12. Commentariorum suorum in 1. Reg. dixerit; quòd *Saul vno anno posteaquam electus fuit Rex, in domestica domo sedens, dissimulauit se esse Regem; reliquis duobus annis publicè iudicauit omnem Israelem, tenens obedientiam cum humilitate; & hoc fuit antequam transgrederetur præceptum Domini in Amalecitas: reliquo verò tempore quo vixit & imperauit, transgressor mandati Domini extitit.* hucusque S. Eucherius. Qui si in suo Sacro codice prædicta verba habuisset, profectò (vt arbitror) non dixisset, Saulem toto primo suæ electionis anno in priuata sedisse domo, ac se esse Regem dissimulasse. Ete-

SAVL FELICITER PVGNAT CONTRA AMMONITAS.

PROBATVR PRAEDICTVM PRAELII TEMPVS.

EXCVSATVR S. EVCHERII LAPSVS.

nim hoc si verum esset, sequeretur, prædictum bellum contra Ammonitas accidisse post annum, non autem quasi post mensem, vt Scriptura asserit, quemadmodù monstratum est. Ceterùm antequam Naas Rex Ammonitarum obsidere cœpisset Iabes vrbem primariam Galaaditarum, oportet (ad mentem S. Hieronymi super c. 1. Amos) supponere, ipsum Naas priùs vi occupasse plures alias ipsorum vrbes minùs munitas, & crudelia multa in eis patrasse, ac præsertim illud de quo (Amos cap. 1. vers. 13.) increpat Dominus ipsos Ammonitas, & prædicit eis multa mala, eò quòd dissecuerint prægnantes Galaad ad dilatandos terminos suos. id est, gladiis perfoderint prægnantium ventres, vt etiam necdum natos extinguerent, atque ita ipsi & posteri eorum ciuitates Galaaditidis inhabitarent in ipsisque terminos regionis suæ latiùs extendere possent. Hæc enim post dictam Iabes obsidionem facere non potuerunt; quoniam ante captam vrbem, ipsi à Saule (vt diximus) profligati sunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2960.	QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 417.

QVANDO INNOVATVM FVERIT REGNVM SAVLIS.

1 ANNO primo regni sui iam per quatuor circiter menses inchoato, Saul parta ingenti de Ammonitis victoria, iterùm constitutus sollemniterque confirmatus est Rex in Galgalis: ibi enim innouatum est regnum eius summo omnium consensu, & magna totius populi lætitia, vt describitur 1. Reg. cap. 11. vers. 12. vsque ad finem capitis. Oportet autem id contigisse mense circiter secundo anni sacri tunc currentis, vt colligitur ex cap. 12. vers. 17. vbi notatur, quòd tunc erat messis tritici. Porrò iam sæpiùs probatum est, messem tritici in calidioribus illis regionibus inter Pascha & Pentecosten fieri consueuisse. Quare hinc perspicuè infertur, quòd à tempore quo Arca Dei de terra Philisthinorum deuenit in Bethsames, quando Bethsamitæ metebant triticum, vsque ad hanc regni Saulis innouationem, quæ pariter triticeæ messis tempore facta est; interfluxerunt præcisè anni viginti, vt suprà dictum est, qui attribuuntur Ducatui Samuelis.

QVAE FECERIT SAMVEL DEPONENS PRAEFECTVRAM SVAM CORAM REGE ET POPVLO.

2. In hac celebri innouatione seu confirmatione regni Saulis, Samuel, veluti renuntians Præfecturæ suæ coram Rege & omni populo, ostendit quàm innocenter se gesserit in ea: quod sanctus vir, non tam ad sui commendationem, quàm ad successoris exemplum, diuino instinctu fecisse creditur. Deinde redarguit populum ingratitudinis erga Deum, à quo cùm tanta beneficia accepisset, ac toties de manibus hostium liberatus esset; ipse nihilominùs econuersò antiquis præuaricationibus nouas semper addiderit: quamobrem hortatus est eos, vt tandem inducerent animum omnes cum Rege suo timere Dominum, & seruire ei semper; alioqui certò scirent, Dominum eis plurima aduersa calamitatesque grauissimas immissurum. Vt autem hæc quæ dicebat, arctiùs in audientium cordibus infigerentur; inuocauit Samuel Dominum, ac precatus est eum cunctis audientibus, vt manifesto aliquo cælesti signo comprobare dignaretur, vera esse quæ dixerat; qui statim mirabiliter horrificas de cælo dedit voces & pluuias, quibus omnes valdè perterrefacti, publicè palamque fatebantur, se in petitione Regis grauiter deliquisse, ac proinde veniam à Deo postulantes, precabantur Samuelem vt pro ipsis orare non desisteret. quod ille, pro sua charitate, se facturum repromisit, iterùm cohortans eos, vt manere satagerent in timore Domini, ne ipsi pariter cum Rege suo perirent. Quæ omnia explicatiùs tradùnt in toto cap. 12. lib. 1. Regum.

QVALIS ESSET SAVL QVANDO FACTVS EST REX. EXPONITVR LOCVS 1. REG. C. 13. VERS. 1.

3. Ceterùm Saul, quando electus fuit Rex, erat vir bonus & rectus, & non erat vir melior illo in filiis Israel, vt dicitur 1. Reg. cap. 9. vers. 2. cuius bonitatem ac simplicitatem Scriptura sacra etiam cap. 13. vers. 1. figurata illa locutione indicat, dicens: *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset.* quæ verba, iuxta germanam sancti Gregorij, Ruperti, Lyrani, Abulensis, Carthusiani, & aliorum expositionem, posita sunt ad significandam ipsius Saulis innocentiam; ac si dictum esset: Saul, quando regnare cœpit, erat veluti filius vnius anni, hoc est purus & simplex, ac sine malitia; iuxta illud 1. ad Corinth. cap. 14. vers. 20. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Quod verò cap. Reg. proximè citato de eodem Saule subiungitur, *Et duobus annis regnauit super Israel.*

SAVL QVOT ANNIS REGNAVERIT.

non ita est accipiendum, tamquam significare velit Scriptura sacra, quòd Saul simpliciter & absolutè duobus tantùm annis regnauerit; vt perperàm Hebræi, litteræ plus iusto inhærentes, arbitrati sunt: id enim ex multis apertè falsum esse deprehenditur. nam & hoc dictum, in hoc sensu acceptum, nullatenus conciliari posset cum cap. Actorum 13. vers. 21. vbi regno Saulis attribuuntur anni quadraginta. Et certum est, quòd

quòd Saul cum multis populis plurima bella gessit, quæ in toto pænè lib. 1. Reg. narrantur; & speciatim cap. 14. vers. 47. capitulatim ac breuiter referuntur, quæ proculdubiò non videntur spatio duorum annorum vllatenus confici potuisse. Et præterea ex infrà dicendis cõstabit, ipsum Saul plures annos insumpsisse, in occulta primò, deinde etiam in manifesta Dauidis persecutione. Huc accedit, quòd Iosephus quoque in calce lib. 6. Antiq. dicit, Saulem longè plus quàm duobus annis regnasse; nimirum, inquit ipse, *regnauit decem & octo annis viuente Samuele, & post mortem eius annis viginti.* Nos autem infrà sub anno mundi 2979. nu. 10. & 11. probabimus, ipsum Saul in summa viginti tantùm annis regnasse. Aliter igitur exponendus est memoratus Scripturæ locus, vbi ait Saulem regnasse duobus annis; nimirum, ante eius reprobationem; non quidem intentatam, sed verè factam, atque per Samuelem eidem intimatam ac declaratam: scimus enim quòd Saul, intra duos primos regni sui annos, bis legitur violasse præceptum Domini; primò, quando non expectauit Samuelem in Galgalis (quod ex ipsa Sacri textus serie videtur contigisse anno regni eius primo) quam ob rem acriter à Samuele correptus fuit; 1. Reg. cap. 13. vers. 11. vsque ad 15. & tunc quidem, vt super eodem capite latè probat Abulensis quæst. 11. iam meruerat Saul reprobari; sed quòd tunc reipsa non fuerit reprobatus, planè indicare videntur verba illa, quæ postmodum locutus est ei tamquam nondum adhuc reprobato Samuel, & habentur in initio capitis 15. *Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem,* &c. *nunc ergo audi vocem Domini.* & post pauca: *Vade, & percute Amalec,* &c. ex quibus verbis apparet, quòd iterùm voluit Dominus experiri, vtrùm vellet Saul obedire ei, nec ne; & quòd prior illa increpatio, fuerat potiùs veluti prædictio quædam futuræ reprobationis, quàm indicatio iam factæ. Secundò autem inobediens fuit Saul, quando contra præceptum Domini reseruauit Agag Regem Amalec viuum, & pepercit optimis ouium gregibus, & armentorum, & vestibus Amalecitarum, vt dicitur in eodem cap. vers. 9. tunc enim lata fuit contra eum à Domino reprobationis sententia illis verbis: *Pænitet me quòd constituerim Saul Regem,* &c. & posteà eamdem sententiam declarauit ac promulgauit Samuel ibidem vers. 23. dicens: *Pro eo ergo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex.* quod pænè iisdem verbis repetitur vers. 26. & paulò pòst, nimirum vers. 28. *Scidit Dominus* (subiungit Samuel) *regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Et id ipsum replicauit posteà Samuel etiam post mortem suam, quando à Pythonissa suscitatus fuit, quemadmodum describitur 1. Reg. cap. 28. vers. 17. Et hoc est quod multò antè prophetauerat Balaam Numer. cap. 24. vers. 7. dicens: *Tolletur propter Agag, Rex eius,* (ibi enim loquitur de Israele) *& auferetur regnum illius* (id est à Saule.) Hanc autem Saulis reprobationem credimus contigisse sub finem anni secundi, vel circiter inchoante anno regni eius tertio; & propterea dici in Sacro textu, quòd Saul regnauit duobus annis super Israel; nimirum, vt dictum est, ante eius reprobationem. Vnde arbitror falli Caietanum, qui putat Saulem regnasse duobus annis, id est in prima illa sua simplicitate, quæ describitur fuisse tamquam filij vnius anni: siquidem ex dictis, & ex num. sequenti dicendis, manifestum fit, ipsum vix toto primo anno in ea permansisse.

QVANDO REPROBATVS FVERIT

4. Igitur primis duobus annis regni Saulis, acta sunt ea quæ describuntur 1. Reg. cap. 13. 14. & 15. videlicet Primò Saul, statim post innouationem regni sui in Galgala, elegit sibi tria millia bellatorum; reliquum verò populum ibidem tunc existentem remisit in tabernacula sua. Deinde Saul morabatur in Machmas, & in monte Bethel cum duobus millibus virorum, mille autem iusserat permanere in Gabaa Beniamin cum Ionatha filio suo: qui cùm percussisset stationem Philisthinorum ibi propè commorantem, ipsique Philisthiim magno belli apparatu congregarent se contra filios Israel, Saul conclamari iussit in vniuersa ditione sua, Ionathan percussisse stationem Philisthinorum: quo audito, cucurrit populus post Saul in Galgala; vbi cùm approximare cœpisset Philisthinorum exercitus, Hebræorum viribus multò potentior, videns Saul populum suum valdè perterritum, paulatim à se dilabi incipientem, & abscondere se in speluncis, & in petris, & in antris, non sustinuit expectare septem diebus integris Samuelem, iuxta placitum ipsius Samuelis; sed die septimo, non expectato Samuele, contra præceptum Domini, obtulit holocaustum Domino: propter quã transgressionem meruit quidem ipse tunc reprobari: verumtamen, pro prima vice obiurgatus tantummodò fuit à Samuele, & dilata fuit reprobatio eius, vt numero præcedenti dictum est; vsque ad alteram transgressionem, quæ posteà contigit in reseruatione Regis ac prædæ Amalecitarum; quemadmodum paulò antè tactum est, & infrà sub anno mundi 2962. num. 1. pleniùs dicetur. Quòd si quis hîc quærat, quando Saul acceperit

ACTA SAVLIS POST INNOVATVM REGNVM EIVS

IONATHAS PRIMO PERCVTIT STATIONEM PHILISTHINORVM.

PRIMA SAVLIS TRANSGRESSIO.

à Domino priùs memoratum præceptũ, quod posteà transgressus est; dicimus, probabiliter credi, illud ei tunc à Samuele fuisse intimatũ, quando vnxit eum in Regem, & haud obscurè insinuari 1. Reg. c. 10. vers. 8. vbi dicitur: *Septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.* quę verba aliqui putant accipiẽda esse tamquã pro regula seu mandato vniuersali tradito Sauli; vt scilicet quotiescumq; congregasset exercitum contra hostes, priùs expectaret septem diebus donec veniret ad eum Samuel, qui doceret eum quid agere deberet: alij verò putant, istud fuisse præceptũ quoddam particulare, ad probandam eius obedientiam, pro hac vice tantùm eidem iniunctum. Sed quidquid sit, constat Saulem illud violasse, eo modo quo suprà explicatum est.

PHILISTHAEI EXEVNT AD VASTANDAM TERRAM ISRAEL.

5. Itaque Philisthæi, cùm vidissent quòd Saul non ausus esset inire cum eis prælium, eò quòd multi de suis ab eo dilapsi essent, & exercitus eius inuentus esset inermis; miserunt tres militum cuneos in tres Israeliticæ terræ partes; vtique, vt exponit Caietanus, ad eam vastandam: 1. Reg. cap. 13. per totum. Causa autem cur Israelitæ inuenti essent sine armis, assignatur in eodem cap. vers. 19. quia, inquit, cauerant Philisthiim, ne vllus faber ferrarius esset in terra Israel, ne fabricaret eis arma bellica. Vnde tria deduci posse videntur: Primò, verum esse quod iam sub anno mundi 2939. num. 2. probatum est, nimirum Israelitas, etiã ex quo cœperunt habere Regem, fuisse aliquo modo Philisthæis subiectos. Secundò, non esse intelligendum, quòd Hebræi prorsus essent sine armis; sed sine armis ferreis, puta sine ensibus, & lanceis, &c. non tamen sine baculis, fundis, saxis, & huiusmodi. Sed neque sine tridentibus, falcibus, & securibus, & similibus, quibus etiam vti poterant ad dimicandum cum hostibus. Tertiò, non de omnibus vniuersaliter Israelitis accipi debere quòd essent sine armis bellicis ferreis, sed tantummodò de illis sexcentis viris, qui remanserant cum Saule, vt etiam exprimitur in littera: alioqui non videretur credibile, quòd in toto Israele, etiam stante prædicta Philisthinorum lege, non esset ensis, & lancea; præsertim cùm paulò antè dimicasset cum Ammonitis, vicissetque eos, à quibus plurima arma bellica abstulisse verisimile est.

IONATHAS SECVNDO PERCVTIT STATIONEM PHILISTHINORVM.

6. Non multò pòst, iterùm percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa Beniamin, hoc est, non in ipsa vrbe, sed in colle proximo naturaliter tuto; siquidem præruptis quibusdam rupibus erat circumdatus; ad ipsum enim Ionathas & armiger eius, non nisi manibus pedibusque reptantes, ascendere potuerunt, vt patet 1. Reg. cap. 14. vers. 4. & 13. Porrò Saul, qui cum sexcentis viris morabatur in extrema parte vrbis Gabaa, sub Malo granato, eùm audisset primò per speculatores, deinde etiam propriis auribus, tumultum in castris Philisthinorum paulatim crescentem; imperauit Sacerdoti nomine Achias filio Achitob fratris Ichabod filij Phinees filij Heli, qui tunc portabat ephod, vt applicaret Arcam Dei, quæ tunc erat cum eo in castris Hebræorũ; & conclamauit Saul, venitque cum populo suo ad locum certaminis, & vidit seditionem grandem mirabiliter inter ipsosmet Philisthæos exortam, & cædem magnam nimis. Atque eo tẽpore Hebræi qui fuerant cum Philisthæis, id est (vt exponit Abulensis) fabri illi ferrarij, quorum sub anno mundi 2939. num. 2. meminimus, reuersi sunt ad populũ suum Israel; & similiter ij qui in præcedenti prælio præ timore Philisthinorum se absconderant, audientes fugisse Philisthæos, & stationem ipsorum percussam, redierunt ad Saul; ita vt cum eo reperirentur quasi decem mille viri; quos illicò adiurauit Saul ne manducarent vsque ad vesperam, donec vlcisceretur se de inimicis suis; quos cùm percussisset tota illa die, tandem defatigatus populus occidit oues, & boues de hostium præda captos, & præ famę non sustinens expectare vsquequò de more sanguis effunderetur, cœpit coquere & manducare cum sanguine; sed id vt audiuit Rex, prohibuit, præcipiens vt super saxo ab eo designato omnes effunderent animalium sanguinem, antequam ea ad cibos pararent. Cùm autem manducasset ac refocillatus esset populus, consuluit Saul per Sacerdotem Dominum, num persequi deberet nocte illa hostes; quo non respondente, intellexit Saul, aliquod graue peccatum ab aliquo fuisse commissum. Itaque protinus breui oratione ad Dominum emissa, iussit dari sortes inter se Ionatham que ex parte vna, & populum ex altera; & cùm cecidisset sors in partem Saulis & Ionathæ, iterùm datis sortibus inter ipsos, captus est Ionathas: qui requisitus à Rege, fassus est se gustasse paululum mellis, quando Saul, ipso inaduertente, adiurauerat populum ne comederet. Quamobrem statim à proprio patre adiudicatus est morti: verumtamen reclamante vniuerso populo, eò quòd ipse, percussa secundò Philisthinorum statione, primarius quodammodò magnæ illius victoriæ auctor extitisset, confestim liberatus fuit: 1. Reg. cap. 14. vers. 1. vsque ad 46.

SAVL PERSEQVITVR PHILISTHAEOS.

ADIVDICAT MORTI IONATHAM, QVI RECLAMANTE POPVLO LIBERATVR.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2961. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 418.

1 ANNO regni Saulis fecundo iam per plures menfes inchoato, credimus Saulem à Domino per Samuelem admonitum, fufcepiffe, geffiffe, ac feliciter confeciffe bellum contra Amalecitas, de quo 1.Reg.cap.15.verf.1.vfque ad 9. vbi verf. 12. fubditur, quòd idem Saul re benè gefta erexit fibi fornicem triumphalem in Carmelo, non in eo huius nominis monte, qui erat in tribu Iffachar prope Mediterraneum, fed in eo qui pofitus erat in tribu Iuda ad Meridiem, non procul à via, qua de terra Chanaan ad regionem Amalecitarum pergebatur; & quòd inde venerat Saul cum exercitu fuo in Galgala.

FELICITER PVGNAT CVM AMALECITIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2962. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 419.

1 ANNO regni fui (vt ex fupradictis infertur) tertio circiter inchoante, Saul, quoniam in præfato bello aduerfus Amalecitas contra expreffum Domini præceptum referuauerat Agag Regem Amalec viuum, & optimos greges ouium atque armentorum, grauiter à Samuele increpatus, cùm fefe excufare niteretur, protinus à Domino reprobatus eft; atque hæc ei reprobatio publicè per Samuelem irrogata fuit illis verbis, quæ nos fub anno mundi 2960.num.3.retulimus. Qui Samuel non multò pòft, occifo Agag Rege Amalec in Galgala coram Domino, & in frufta concifo, abiit in Ramatha: 1.Reg.cap.15.per totum. Illud verò quod ibidem verf. 35. fubiungitur, *Et non vidit Samuel vltrà Saul vfque ad diem mortis fuæ*, non abfolutè accipiendum eft, ita vt poftea numquam acciderit Samueli videre Saulem, aut contrà; hoc enim manifeftè repugnaret his quæ dicuntur 1.Reg. cap. 19. in fine, videlicet quòd Saul audiens Dauidem effe cum Samuele in Naioth in Ramatha, miffis eò priùs ter nuntiis, qui ftatim prophetare cœperant, poftremò venit etiam ipfemet Saul, qui pariter cum ceteris prophetauit coram Samuele. Senfus igitur prædictorum verborum eft, quòd Samuel deinceps non venit ampliùs inuifere & falutare Saulem, ac monita falutis, confiliaque recta atque opportuna, pro bono populi regimine, dare illi, ficuti anteà confueuerat; quoniam fciebat ipfum à Deo effe reprobatum. Et hanc expofitionem confirmat Caietanus ex alia textus Hebraici verfione, quæ (inquit) non habet, *Et non vidit Samuel vltrà Saul*; fed dicit: *Et non addidit Samuel ad videndum Saulem*. Ceterùm, ne quis fufpicetur Samuelem ex paffione aliqua aut odio abftinuiffe à confortio Saulis; fubiungit Scriptura, quòd ipfe Samuel, ex quo Saul reprobatus fuerat, non ceffabat lugere Saulem, fi quo modo poffet ei à Domino veniam impetrare & (vt arbitror) in hoc luctu duobus annis perfeuerauit, nimirùm vfquequò miffus fuit ad vngendum Dauid in Regem, vt ex infrà dicendis apparebit. quòd enim fatis longum fuerit tempus dicti planctus, indicant verba illa quæ habentur 1.Reg.cap.16.verf. 1. *Dixitque Dominus ad Samuelem, Vfquequò tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum ne regnet fuper Ifrael?* Igitur

A DOMINO PER SAMVELEM REPROBATVR.

EXPONITVR LOCVS 1.REG.C.15. VERS. 35.

SAMVEL LVGET PECCATVM SAVLIS, DIVQVE ORAT PRO EO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2964. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 421.

1 ANNO, vt arbitror, regni Saulis quinto circiter definente, arguit Dominus Samuelem, quòd tamdiu lugeret Saulem iam reprobatum, prohibetque ne ampliùs id faciat; quin potiùs præcipit ei, vt impleat cornu oleo, & pergat in Bethleem, vngatque ibi vnum de filiis Ifai in Regem, illum inquam, quem ei demonftrauerit: & ne ex hac profectione mali quidquam Saul fufpicari poffet, & propterea nocere Samueli, iubet Dominus Samuelem tollere vitulum, & inuitare ipfum Ifai & filios eius ad victimam. Iuit itaque Samuel in Bethleem; & cùm inuitatus veniffet Ifai cum feptem filiis fuis ad facrificium, interrogaffetque Dominum Samuel fuper vnoquoque ipforum, intellexit nullum ex his effe vngendum: quamobrem fcifcitatus eft ipfum Ifai, num alium haberet filium; & vt audiuit reliquum effe vnum paruulum pafcentem oues, iuffit eum accerfiri, & adduci ad fe: quem cùm accedentem effet intuitus, ftatim iubente Domino vnxit eum in medio fratrum eius; qua quidem in vnctione

DE PRIMA VNCTIONE DAVIDIS IN REGEM.

ctione consecutus est ius regni, non possessionem, & insuper etiam spiritum propheticum, vt infrà apparebit. Quibus peractis, abiit Samuel in Ramatha: 1. Reg. cap. 16. vers. 1. vsque ad 14. Erat autem qui vnctus fuerat, nomine Dauid, filiorum Isai octauus, & omnium natu minimus; poteratque tunc vix expleuisse decimumquintum ætatis suæ annum, vt videre est in tabulis, & ex infrà dicendis constabit. Sacra igitur vnctione delibuto Dauide, recessit spiritus Domini à Saule, quem eius loco spiritus nequam à Domino missus exagitabat. Econuersò autem, à die illa & deinceps directus est spiritus Domini in ipsum Dauidem, 1. Reg. cap. 16. vers. 13. nimirum spiritus prophetiæ. Quamquam non desint qui putent, ex tunc, vi illius gratiæ quam in ea vnctione diuinitus acceperat, mirificè quidem in ipso adauctam fuisse psallendi scientiam quam callebat; sed præcipuè in eo creuisse virium robur, mentisque prudentiam: & propterea mirum non esse, si paulò pòst ab vno de pueris Saul appellatus fuerit vir bellicosus & prudens, vt patet in eodem cap. vers. 18. vir, inquam, non ætate (erat enim adhuc adolescentulus, vt dictum est) sed animi corporisque vigore, fortitudine, atque industria; ita vt præmonstraret breui se in virum valdè bellicosum ac prudentem proculdubiò euasurum.

SAVL QVANDO A SPIRITV MALO CORPERIT EXAGITARI.

SACRAE VNCTIONIS EFFECTVS IN DAVIDE.

2. Ab hac vnctione Dauidis facta per Samuelem in Bethleem, quæ fuit prima, ad secundam, quæ posteà facta fuit in Hebron, quando Dauid iam triginta erat annorum, vt dicitur 2. Reg. cap. 5. vers. 3. interfluxerunt anni ferè quindecim, in quibus Dauid multa gessit; quæ si velimus verisimiliter scire, quo singula circiter tempore acta sint, cùm id Scriptura non exprimat, oportet dictos annos quindecim in tres partes dispartiri; ita vt prima pars terminetur ad occisionem Goliath; altera ad fugam Dauidis à Saule ad Samuelem, hoc est, ad illud tempus in quo cœpit Saul apertè persequi Dauidem: tertia ad memoratam Dauidis vnctionem in Hebron. Prima pars necesse est quòd plurium fuerit annorum; vt inde satis euidenter colligitur, quòd Dauid, quando obtulit se dimicaturum contra Goliath, non agnoscebatur à Saule; quamuis anteà fuisset armiger eius, vt infrà num. 3. dicemus: valdè enim iam erat immutatus aspectu, propter auctam in eo ætatem & staturam, præcipuè verò ob barbam posteà exortam, quemadmodum affirmant Caietanus super 1. Reg. cap. 17. & ibidem Abulensis quæst. 40. & 41. passim namque videmus eiusmodi mutationes potissimùm intra tertium ætatis septennium, hoc est ab anno vitæ decimoquarto ad vigesimum secundum fieri solere. Vnde patet decipi Abulensem, qui super 1. Reg. cap. 16. quæst. 1. dicit, Dauidem vigesimum ætatis annum excessisse quando à Samuele vnctus est in Bethleem. Secunda dicti temporis pars non multorum valdè annorum fuisse ex eo coniici posse videtur, quòd Saul inuidia tabescens, non tamdiu creditur continere se potuisse ab aperta persecutione Dauidis. Tertiam ad plurimos perdurasse annos colligi potest, tum quia 1. Reg. cap. 25. vers. 7. (vt aliquot habent exemplaria) legimus, Dauidem, quando persecutionem patiebatur à Saule, ex multis annis moram traxisse in deserto Maon, vbi manere consueuerant greges Nabal Carmeli: tum etiam quia, licet plurima alia exemplaria, præcipuè verò probatiora, loco citato non habeant illa verba, *Ex multis annis*, &c. attamen, si quis diligenter attendat plurima quæ in tertio hoc tempore gesta esse describuntur 1. Reg. cap. 19. vers. 9. vsque ad finem libri, & ab initio 2. Reg. vsque ad vers. 4. capitis 2. vbi narratur vnctio Dauidis in Hebron; quæ nos quoque inferiùs ab anno mundi 2974. vsque ad annum 2986. memorabimus: proculdubiò ea non nisi multorum annorum spatio fieri potuisse iudicabit. Itaque satis probabiliter opinari possumus, & supponere, primum temporis interuallum, septem circiter fuisse annorum: alterum verò non minùs trium, quandoquidem in eo multa bella gessit Dauid contra Philisthæos: tertium autem relinquitur quinque ferè annorum extitisse. Igitur

RATIO ORDINANDI GESTA DAVIDIS VSQ AD ANNVM VITAE SVAE 30. QVALITER INEVNDA.

☞ 3. Eodem anno, vt creditur, ad finem appropinquante, quo Dauid à Samuele vnctus fuerat, Saul, cùm frequenter à quodam malo spiritu exagitari se sentiret, de consilio seruorum suorum accersiri iussit Dauidem; quo citharam percutiente, dulciterque psallente, recedebat spiritus malus à Saule, ac meliùs se habebat; quamobrem dilexit eum valdè, præsertim cùm videret eum etiam pro ætate fortem viribus, & animo bellicosum. Horum namque hominum consuetudine seruitioque specialiter Rex delectari consueuerat; ita vt quemcumque videret virum fortem & aptum ad prælium, sociaret sibi, quemadmodum dicitur 1. Reg. cap. 14. in fine: propterea retinuit penes se Dauidem, fecitque eum armigerum suum: 1. Reg. cap. 14. vsque ad finem capitis. Ex dictis ergo apparet, Dauidem vsque ab ineunte ætate in Musicis artibus, prout illa ferebant

DAVID FIT ARMIGER REGIS SAVLIS.

MVSICAM AB INEVNTE AETATE CALLVIT.

tebant tempora, fuisse eruditum apprimeque versatum: verumtamen Musicos cantus sonosque non vulgari voluptate, sed fidei voluntate dilexit, vt asserit S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 14. Cuius rei signum illud est, quòd eos posteà ad Dei veri cultum, cum admirabili sollemnitate, ipse omnium primus adhibuerit, vt paulò pòst memorabimus, & sub anno mundi 3019. num. 3. pleniùs dicemus. Et quoniam in tota ferè vita sua Dauid frequenter citharam aliáve organa musica personare, pariterque cantilenas spirituales, quas Psalmos vocamus, componere canereque consueuerat, hinc pòsteà Psalmistæ nomen adeptus est. PSALMISTAE NOMEN ADEPTVS.

4. Vtrùm autem omnium Psalmorum qui nunc in Psalterio habentur, ipse Dauid solus Auctor extiterit, an etiam cum eo alij, si quis hoc loco scire desideret; dicimus duas esse Patrum de hac re celeberrimas opiniones, quas hîc breuiter recensere non erit inutile; & fortasse etiam non iniucundum. Prima fuit SS. Athanasij in Synopsi, Hilarij in Prologo super Psalmos, Hieronymi in Epistola 134. & 139. Isidori lib. 6. Etymologiarum cap. 2. item Lyrani in Expositione 1. Psalmi: qui putant plures fuisse Psalmorum scriptores; & eos præcipuè, qui in eorumdem Psalmorum titulis notati reperiuntur: nimirum Moysen, Salomonem, Asaph, Ethan, Eman, Idithun, & præter hos, illos quoque qui dicuntur filij Core, & ante omnes Daudem. Ac primò quidem ipsi Dauidi attribuunt Psalmos septuaginta tres, in quorum titulis aiunt prænotati nomen eiusdem Dauidis: quamquam si numerentur omnes Psalmi, qui tam in editione Vulgata, quàm in ea quæ est LXX. Interpretum, nunc inueniuntur cum his aut similibus verbis inscripti: *Psalmus Dauid. Psalmus Cantici Dauid. Intellectus Dauid. Laus cantici Dauid. Laus cantici ipsi Dauid. Oratio Dauid. Ipsius Dauid. Ipsi Dauid*, & eiusmodi; erunt multò plures quàm septuaginta tres. Si verò forte quis existimet, illos Psalmos, qui habent in suis inscriptionibus, *Ipsi Dauid*, aut quid simile, non esse ipsius Dauidis, sed alterius Auctoris, ipsi Dauidi dedicatos: quod tamen refellit S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 14. pauci admodum essent Psalmi à Dauide compositi; siquidem in editione LXX. Interpretum ferè omnes sic inscribûtur, *Ipsi Dauid*. Porrò Asaph filio Barachiæ tribuunt Psalmos vndecim vel duodecim, videlicet 49. & 72. cum decem sequentibus, ex eius nomine inscriptos. Eman verò Ezrahitæ, vnum, qui est in ordine 87. & præter Eman habet pariter in titulo, *filiis Care*. Ethan item Ezrahitæ vnum, nempe 88. Idithun duos, hoc est 38. & 61. & filiis Core vndecim, vel decem, (dempto 87. quem diximus etiam tributum esse ipsi Eman) videlicet 41. 43. & quinque sequentes, & item 83. 84. & 86. Erant autem Asaph, Heman, & Idithun, principes Cantorum, quorum filios posteà constituit Dauid vt prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis, ante Arcam Domini, priusquam ædificaretur templum à Salomone, de quibus fit mentio 1. Paralip. cap. 25. vers. 1. & 6. Moysi quoque tribuunt Psalmos vndecim, scilicet 89. & decem sequentes: licet enim nunc in vtraque editione, Vulgata scilicet & LXX. Interpretum, omnes isti vndecim Psalmi, tribus dumtaxat exceptis, Dauid nomine prænotati inueniantur; attamen inquiunt in libris Hebraicis originalibus aliter haberi. Hunc Moysen prædictorum Psalmorum auctorem, Rabbi Aben Ezdra (vt refert Sixtus Senensis lib. 1. suæ Bibliothecæ sanctæ) putat fuisse vnum de cantoribus Dauid: at verò B. Hieronymus in Explanatione Psalmi 99. ad Cyprianum, asserit esse Moysen illum Legislatorem, & primum Hebræorum Ducem. Nec obstat, quòd in dicto Psalmo 99. cuius titulus est, *Oratio Moysi viri Dei*, fiat mentio Samuelis, qui plusquam trecentis annis ab obitu Moysi natus est: quandoquidem non mirum est, quòd Moyses, lumine prophetico quo plenus erat, vt alia multa, ita etiam Samuelis nomen & sanctitatem prænuntiauerit, quemadmodum ille vir Dei in Bethel nomen Iosiæ, 3. Reg. cap. 13. vers. 2. & Isaias nomen Cyri, Isaiæ cap 45. vers. 1. quamuis Iosias fuerit posterior illo Propheta plusquam trecentis triginta annis, & Cyrus ipso Isaia ferè ducentis, vt colligi potest ex tabulis. *Tales namque sunt Prophetæ* (inquit B. Chrysostomus super Psal. 43.) *omnia tempora percurrunt, præterita, præsentia, & futura*. Nam & hoc quoque fateri coguntur, qui putant omnes Psalmos esse Dauidis: siquidem in Psal. 136. qui manifeste inscribitur *Psalmus Dauid*, & incipit *Super flumina Babylonis*, &c. memorantur calamitates quas Iudæi in captiuitate Babylonica perpessi sunt, quæ tamen captiuitas contigit plus quadringentis triginta annis post mortem Dauidis. & Psalmus 43. qui secundum B. Chrysostomum vbi suprà, decantatus fuit ex persona Machabæorum, qui fuerunt annis ferè nongentis post defunctum Dauidem, vt in tabulis dignosci potest. Assignant etiam Salomoni Psalmum vnum, nempe septuagesimum primum, qui licet in LXX. Interpretibus absolutè inscribatur, *In Salomonem*,

AN IPSE SOLVS PSALTERII AVCTOR.

PRIMA OPINIO.

nem; in Vulgata verò, *Psalmus in Salomonem*; in quibusdam tamen codicibus inscribitur, *Psalmus Dauid in Salomonem*, ac si fuerit à Dauide compositus, quando tradidit regnum Salomoni. S. Athanasius autem in Synopsi, præter prædictum, alios quoque duos eidem tribuit Salomoni, videlicet 66. & 126. & Origenes lib. 3. Periarchon, prodit quosdam existimasse, quindecim Cantica Graduum fuisse Salomonis. Reliquos denique Psalmos, qui sine vllo Auctoris titulo habentur, quidam putant esse Dauidis; quidam verò referendos esse ad Auctorem in titulo præcedentis Psalmi positum. Et hæc fuit prima opinio.

PROPRIMA OPINIONE ARGVMENTA.

5. Pro cuius confirmatione, sex potissimùm adduci solent argumenta. Primum est: Si Dauid omnium fuisset auctor Psalmorum, ipsi adscriberetur Psalterium, & sub nomine Dauidis idem liber alicubi in Sacris libris prænotatus inueniretur: atqui hoc in Sacris voluminibus non reperimus, signum ergo est, omnes Psalmos in Psalterio contentos non esse Dauidis. Secundò sic arguunt: Plures Psalmi nomine Dauidis, alij aliorum Auctorum nominibus præsignantur, quidam etiam nullius Auctoris titulum præferunt; consequens igitur est, non omnes esse Dauidis. Tertiò: Psalmus 71. *Deus iudicium tuum Regi da*, &c. habet hanc in calce appendicem, *Defecerunt Laudes, seu Hymni Dauid filij Iesse*. siue, vt legimus in Bibliis Regiis, *Completa sunt orationes Dauid filij Iesse*. quibus verbis apertè indicatur, Psalmos Dauidis ibidem terminari; præsertim cùm sequens Psalmus inscribatur *Psalmus Asaph*. ergo qui sequuntur, non sunt Dauidis, sed alterius, vel aliorum Auctorum. Quartum argumentum desumitur ex quibusdam sacræ Scripturæ locis, & primò ex 2. Paralip. cap. 29. vers. 30. vbi hæc habentur: *Præcepitque Ezechias & principes Leuitis, vt laudarent Dominum sermonibus Dauid, & Asaph Videntis*. Ex quo loco patet, sermones illos laudatorios, hoc est Psalmos qui publicè canebantur à Leuitis, fuisse partim Dauidis, partim verò ipsius Asaph. Item ex Matthæi cap. 13. vers. 34. & 35. vbi legimus: *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis; vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum*, &c. Soper quæ verba, ibidem & in Expositione Psalmi 77. S. Hieronymus ex Eusebio reprobat quosdam Matthæi codices antiquos, qui habebant: *Per Isaiam Prophetam. Quia* (inquit S. Doctor) *id in Isaia minimè inuenitur*. & proptereà putat, nomen Isaiæ à quibusdam prudentibus viris fuisse sublatum. Verumtamen addit, sibi videri priùs scriptum fuisse, *Per Asaph Prophetam*. quia Psalmus 77. de quo hoc sumptum est testimonium, Asaph Prophetæ titulo inscribitur. Ex qua S. Doctoris additione colligi potest, locum Matthæi citarum posse suffragari his qui putant, non omnes Psalmos fuisse Dauidis, sed aliquot etiam Asaph, & aliorum Et hæc eadem opinio potest roborari ex Psalmo 83. qui adscribitur filiis Core: ipsis namque videntur magis congruere illa eiusdem Psal. verba: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ*. nam alia huius loci versio habet: *Elegi ad limen stare*. quod erat munus Contarum, qui deputati erant ad custodiam vestibulorum Tabernaculi, vt apertè traditur 1. Paralip. cap. 9. vers. 19. Quintò aiunt non obstare, quòd communiter omnes Psalmi habeantur tamquam si fuissent Dauidis: quandoquidem id fieri potuit pluribus de causis, nimirum propter dignitatem personæ ipsius Dauidis: à nobiliori namque fieri solet denominatio. Item, quia Dauid creditur fuisse primus auctor & inuentor Psalmorum, sicuti Moyses Canticorum. Et denique, quoniam plures ipse fecit Psalmos quàm quiuis alius, neqoe solùm fecit, sed etiam vsum rirumque eosdem publicè canendi ipse primus instituit. Sextò & postremò adducunt styli differentiam, quæ reperitur inter Psalmos ipsius Dauidis, & illos qui ipsi Asaph & alijs adscribuntur: hos enim non solùm in Latina editione, sed multò magis in Hebræa & Græca, aiunt non tam facilè ac leniter fluere, sicuti qui creduntur esse Dauidis. Et hoc (inquiunt) arguit Auctorum diuersitatem.

ALTERA OPINIO PRIORI CONTRARIA RATIONIBVS CONFIRMATVR.

6. Altera opinio priori penitus contraria, Dauidem facit omnium Psalmorum in Psalterio contentorum auctorem, saltem quoad argumenta seu materiam vel doctrinam ipsorum, vt infrà num. 7. declarabimus. Hanc sententiam sequuntur S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 14. & B. Theodoretus, Cassiodorus, Beda, Euthymius, Paulus Burgensis, & Caietanus in suis Prologis super Psalmos. Et præterea SS. Ambrosius in Psal. 43 & 47. Basilius in Expositione Psal. 44. Greg. Nazianzenus Orat. in encænia, & Oratione ad ciues Nazianzenos, Epiphanius aduersus Origené, & Ioan. Chrysostomus in 1. & 2. Prologo super eosdé Psalmos, vbi insuper opinatur, Dauidem, præter Psalmos centum quinquaginta qui in Psalterio habentur, alios etiam plures composuisse, quos temporum iniuria putat interiisse; sicuti certum est, plura ex operibus Salomonis esse abolita;

abolita; quin etiam & de aliis Sacris libris multos esse deperditos, vt nos sub anno mundi 2583. num. 12. ostendimus. Potest autem hæc præfatorum Doctorum opinio hisce rationibus confirmari: Primò, quia videmus ex sacra Scriptura apertissime colligi posse, plures Psalmos, qui non habent in titulis nomen Dauidis, nihilominus esse ab ipso Dauide compositos, vt patet de Psalmo 2. *Quare fremuerunt gentes*, &c. Actorum cap. 4. vers. 25. & de Psalmo 94. *Venite, exultemus Domino*, &c. ad Hebr. cap. 4. vers. 7. & de Psalmo 104. *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius*, &c. 1. Paralip. cap. 16. vers. 8. & de Psalmis 105. 106. & 135. qui incipiunt, *Confitemini Domino quoniam bonus*, &c. 1. Esdræ cap. 3. vers. 10. & 11. vbi legimus, Leuitas stetisse *in cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid Regis Israel, & concinebant in hymnis & confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* ac si diceretur: Laudabunt Deum in Psalmis à Dauide compositis; illis nimirum, qui incipiunt, *Confitemini Domino quoniam bonus*, &c. Præterea, non solùm Psalmi qui non habent in inscriptione Dauidem, aut alium Auctorem, sed etiam qui habent in titulis aliqua nomina à Dauide diuersa, probari possunt nihilominus fuisse Dauidis: nam Psalmus 71. *Deus iudicium tuum Regi da*, habet in titulo Salomonem; & tamen quòd sit Dauidis, præter alia, apertè declarat appendix illa ad calcem ipsius apposita, de qua dictum est suprà num. 5. Insuper quòd Psalmi illi vndecim, quos prima opinio tribuit Moysi, non sint ipsius Moysi, sed Dauidis, dupliciter videtur posse colligi: Primò, quia nulla prorsus ipsorum fit mentio in libris ipsius Moysi; vbi cùm describantur duo eius Cantica, alterum Exod. cap. 15. alterum Deuter. cap. 32. verisimile etiam videretur aliquid fuisse indicatum de singulis, vel saltem de aliquo ex dictis Psalmis, si fuissent ab eodem Moyse facti. Deinde, quia Psalmum 89. *Domine refugium factus es nobis*, &c. qui Moysi reperitur adscriptus, ex eo apparet non esse ipsius Moysi, quòd in ipso legimus, *Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni: si autem in potentatibus octoginta anni; & amplius eorum, labor & dolor.* hæc autem nullatenus quadrare posse videntur sæculo ipsius Moysi; de quo tamen se loqui indicant illa verba, *Dies annorum nostrorum.* nam auus Moysi nomine Caath, vixit annis centum triginta tribus, Exod. cap. 6. vers. 18. pater verò eius Amram, annis centum triginta septem: ibidem vers. 20. ipse autem Moyses, centum viginti; & Aaron frater eius, centum viginti tribus; & Maria soror eius, centum viginti septem; & Iosue, minister ac in Principatu successor eiusdem Moysi, annis centum decem, vt patet in tabulis. Igitur probabilius videtur illum Psalmum fuisse Dauidis, cuius temporibus vita hominum communiter vix pertingere poterat ad septuagesimum, aut in paucioribus ac robustioribus, ad octogesimum annum, vt infrà suis locis de ipso Dauide & Salomone filio eius, & aliis, manifestum fiet. Cùm ergo præter Psalmos, Dauidis nomine inscriptos, probatum sit, etiam esse Dauidis non solùm eos qui propria Auctoris inscriptione carent, sed & illos qui certam alterius Auctoris inscriptionē prænotatam habent: vtique satis euidenter inferri posse videtur, proprium totius Psalterij auctorem esse Dauidem: præsertim cùm videamus, quòd Scriptura sacra, quandocumque citat aliquem Psalmum, ferè semper de ipso Dauide, tamquam de eius Auctore, meminisse videtur; vt patet locis paulò antè citatis, & item Luc. cap. 20. vers. 42. vbi dicitur: *Quomodo Dauid dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo*, &c. Ex quo allegandi modo satis apertè insinuatur, Auctorem libri Psalmorū non alium esse nisi Dauidem. Huc accedit, quòd hæc opinio videtur magis pia, & consona ei quod communiter creditur; & proptereà, licet non sit omnino certa, meritò tamen priori præferenda.

7. Restat vt ad argumenta in contrarium adducta respondeamus. Ad Primum itaque dicimus, non semper in Sacris libris nomen Auctoris præponi solere. In promptu sunt exempla librorū, Pentateuchi, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Esther, Iudith, Machabæorum, & Actorum. Etenim certum est, quinque modis Sacros libros inscribi consueuisse: nimirum, Vel ex prima dictione à qua liber ille incipit; sic se habent apud Hebræos singulæ quinque librorum Moysi inscriptiones: nam primus inscribitur *Beresith*, quod Latinè interpretatur *In principio.* Secundus, *Veellesemoth*, hoc est, *Et hæc nomina.* Tertius, *Vaicra*, id est, *Et vocauit.* Quartus, *Vaiedabber*, quod significat, *Et locutus est.* Quintus, *Ellehaddebarim*, videlicet, *Hæc sunt verba.* Constat autem, singulos libros à prædictis verbis exordiri. Vel inscribuntur Sacrorum librorum volumina ex principali operis materia & argumento, vt libri Regum, Iudicum, Iob, Ruth, Iudith, Esther, & huiusmodi: de istorum enim gestis & actionibus principaliter agitur in eisdem libris. Vel ex nomine proprij Auctoris, sicuti inscribuntur libri Prophetarum. Vel ex genere & forma doctrinæ quæ ibi traditur, quemadmodum se habet inscriptio Ec-

RESPONSIO AD ARGUMENTA IN CONTRARIUM ADDUCTA.

LIBRI SACRI QUOT MODIS INSCRIPTI.

clesiastici, Prouerbiorum, & similium. Vel denique ex eo, quòd illa quæ tractantur, sunt poëticè & ad rationem metricam composita, atque ad modos seu concentus musicos accommodata: & sic liber Psalmorum & Cantica Canticorum sortiti sunt titulos. ***Omnes enim Psalmos apud Hebræos metrico carmine constat fuisse compositos***, vt testatur S. Isidorus lib. 6. Etymologiarum cap. 2. ***Nam in morem Romani Flacci*** (inquit) ***& Græci Pindari, nunc alij Iambo currunt, nunc Elegiaco personant, nunc Sapphico nitent trimetro, vel tetrametro incedentes.*** Ad Secundum dupliciter responderi potest cum Beda in Prologo super Psalmos, videlicet, quòd Esdras, qui creditur fecisse titulos Psalmorum, inscripserit eorum aliquos nominibus Asaph, Ethan, Eman, Idithun, & alijs, non quia reverà ipsi fuerint dictorum Psalmorum auctores; sed, Vel quia, cùm illi essent principes Cantorum, vt colligitur 1. Paralip. cap. 15. 16. & 25. credibile est eosdem adiuuisse Dauidem, in ipsa eorumdem Psalmorum compositione metrica, & harmonica melodia disponenda. Vel quia (quod magis placet ipsi Bedæ, & ante ipsum tetigit S. Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 14. sæpiùs citato) illa Auctorum nomina mysticè interpretata atque intellecta, Psalmis quibus præposita sunt mirabiliter conueniunt. Potest etiam fortassis non incongruè dici, quòd sicuti Esdras posuit in titulo Psalmi 95. ***Canticum ipsi Dauid, quando domus ædificabatur post captiuitatem***; non quia ille Psalmus tunc factus sit, (patet enim 1. Paralip. cap. 16. vers. 23. & sequentibus, dictum Psalmum decantatum fuisse, quando Dauid reduxit Arcam Dei in domum suam) sed quia fortè, quando templum post Babylonicam captiuitatem reædificabatur, tunc maximè frequentare solebant cantum dicti Psalmi: ita potuit idem Esdras inscripsisse plures alios Psalmos nominibus illorum Cantorum, quos potissimùm consueuisse dictos Psalmos frequentiùs decantare intellexerat: & fortè etiam eadem de causa, idem Esdras posuit in titulo Psal. 111. ***Alleluia reuersionis Aggæi & Zachariæ***, & Psal. 145. ***Alleluia Aggæi & Zachariæ***; quia scilicet potissimùm suadente Aggæo & Zacharia, primus horum Psalmorum in reuersione populi de dicta captiuitate; alter verò, quando templum sub Dario Artaxerxe ædificabatur, frequentiùs decantati fuissent. Ad Ternum dicimus, proculdubiò negari non posse, quin in Psalterio post Psalmum 71. reperiantur plures alij Psalmi, quos constat esse Dauidis, nempe Psalmus 104. vt colligi potest 1. Paralip. cap. 16. vers. 8. & Psalmus 109. vt patet Matthæi cap. 22. vers. 43. & Marc. c. 12. vers. 36. & Luc. cap. 20. vers. 42. Dices: Quid igitur sibi vult illa appendix? Respondemus cum Beda & Caietano, haberi ex antiqua traditione, quòd Psalmi olim, cùm fuissent huc atque illuc dispersi, collecti tandem fuerunt ab Esdra, & in vnum volumen, eo ordine quo paulatim reperiebantur, redacti; quę traditio confirmari potest ex loco 2. Machab. cap. 2. vers. 13. vbi dicitur quòd Nehemias (subaudi, operâ Esdræ, vt nos sub anno mundi 3610. num. 15. 16. & 18. declarabimus) ***congregauit de regionibus libros, & Prophetarū, & Dauid***, &c. Quare cùm Psalmi in Psalterio dispositi sint prout ordo temporis, non quo singuli compositi, sed quo reperti fuerant, postulabat: non mirum est, si plures Psalmi à Dauide priùs facti, positi tamen inueniuntur post 71. quem præfata appendix attestatur fuisse postremum à Dauide compositum, siquidem accidit post ipsum alios fuisse inuentos. Neque item mirum erit, si infrà sub anno mundi 2974. num. 4. inuenies Psalmum 55. ***Miserere mei Deus***, &c. compositum fuisse à Dauide ante Psal. 33. ***Benedicam Dominum***, &c. & ante Psal. 51. vt sub eodem anno num. 8. patet, & alibi huiusmodi exempla inueniri poterunt. Ad Quartum quod attinet, ad locum 2. Paralip. dupliciter respondere possumus. Primò, demus quòd Asaph aliquot fecerit Psalmos ex his qui olim publicè canebantur: non tamen consequitur, illos in nostro Psalterio contineri: nec obstat, quòd in titulis nomen ipsius Asaph positum reperiatur, hæc enim obiectio in responsione ad Secundum iam diluta est. Deinde dicimus, tria in Psalmis posse considerari; videlicet materiam, formam, & pronunriationem. Si materiam spectes seu doctrinam quam tradunt; dicere possumus, omnes Psalmos, qui in Psalterio habentur, esse Dauidis. Si formam, hoc est rationem metricam & poëticam ad modos musicos accommodatam; sic non inconueniit dicere, quorumdam Psalmorum auctores fuisse qui nominantur in titulis; quia videlicet secundùm materiam & argumentum sibi à Dauide traditum vel carmina composuerint, vel tantummodò ad cantus musicos adaptauerint. Si autem attendatur pronuntiatio, qua Psalmi vel humanis dumtaxat vocibus, vel simul cum instrumentis musicis decantabantur: sic oportebit paucos admodum Psalmos Dauidi tribuere; nimirum nouem tantummodò, vt sensisse videtur S. Augustinus super titulo 1. Psalmi. Ad locū S. Matthæi dicimus, quòd S. Hieronymus non assertiuè, sed veluti coniecturam faciens ex Psalmi 77. inscriptione, putat

tat in Sacro textu olim extitisse illa verba, *Per Asaph Prophetam.* Et nihilominùs neque ipse, neque Vulgata editio ponit ibi, *Asaph*, sed indeterminatè, *Per Prophetam.* Et dato, quòd S. Hieronymus & aliqdot alij (vt suprà num. 4. dictum est) senserint plures fuisse Psalmorum Auctores; extant tamen plures alij, & non minoris auctoritatis Doctores suprà num. 5. adducti, qui totius Psalterij auctorem faciunt Dauidem, quos hîc sequimur. Ad illud ex Psalmo 83. dici potest, verba illa, *Elegi abiectus esse, siue, ad limen stare in domo Dei mei*, neque etiam omnino posse congruere filiis Core; non solùm quòd non in numero plurali, sed in singulari fuerint prolata; verumetiam quia non ipsi elegerant stare ad limen Tabernaculi ac Templi, sed à Domino per Moysen primò, & inox per Dauidem ad id muneris fuerant addicti. Quare potiùs conuenire videntur ipsi Dauid, de quo legimus quòd humiliter admodum tripudiabat ante Arcam Domini; & vxori Michol exprobranti sibi respondit: *Ante Deum qui elegit me*, &c. *vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis*, &c. vel possunt adaptari cuiuis pio viro, qui erga diuinum cultum adeò sit benè affectus, vt malit inter abiectos reputari, & humiliora quæque munia in templo exercere, quàm in tabernaculis seu conuentibus peccatorum gloriosè versari. Ad Quintum dicimus, quòd licet Psalmi quoquomodò dici possint Dauidis, ob causas suprà num. 5. in eodem 5. argumento positas; tamen veriùs dicentur esse eiusdem Dauidis, si ponamus ipsum fuisse primarium illorum omnium Auctorem: quia nimirum ipsa Psalmorum materia & doctrina fuit ipsius Dauidis; quemadmodum nos sub anno mundi 3798. num. 4. probabimus, libros Ecclesiastici & Sapientiæ, quod attinet ad sententias in ipsis contentas, proculdubiò esse Salomonis, ac propterea meritò inter eius libros computari: quamuis eædem Salomonis sententiæ partim à Philone quodam collectæ, & in volumen quod Sapientiæ liber inscribitur; partim à Iesu filio Sirach, & in librum qui Ecclesiasticus prænotatur, redactæ credantur. Et per hoc respondere possumus ad Sextum seu postremum argumentum de styli differentia, dicentes, non esse mirandum, quòd stylus illorum qui quosdam Psalmos secundùm materiam & doctrinam sibi à Dauide traditam, conscripserunt, differat à stylo ipsius Dauidis; quemadmodum stylus Salomonis differt ab eo quo prædicti Auctores eiusdem Salomonis sententias in libris Sapientiæ & Ecclesiastici tradiderunt.

8. Ceterùm, si quis percontetur quibus temporibus Psalmi, & quanam occasione singuli à Dauide fuerint compositi: breuiter respondeo, de omnibus id sciri posse, omnino videri impossibile: multi enim sunt quorum argumenta adeò sunt vniuersalia, vt nullo modo alicui proprio tempori assignari posse videantur; vt patet de his, in quibus nihil aliud ferè agitur, nisi quòd Psalmista de maximis periculis & angustijs se postulat liberari; cuiusmodi sunt Psalmus 21. *Deus meus respice in me*, &c. & 24. *Ad te Domine leuaui animam meam*, &c. & 27. *Ad te Domine clamabo*, &c. & 34. *Iudica Domine nocentes me.* & alij permulti. Tales etiam sunt illi, in quibus vniuersaliter perditus sui temporis mores deplorat ac redarguit, docetque & hortatur ad sectandam iustitiam, ac Dei cultum & timorem, aut quid simile; vt sunt Psalmus 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus.* & 13. ac 52. qui incipiunt, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* & 35. *Dixit iniustus vt delinquat in semetipso.* & 36. *Noli æmulari in malignantibus.* & 48. *Audite hæc omnes gentes.* & 81. *Deus stetit in synagoga deorum.* Eodem modo dicendum est de his, in quibus funduntur preces pro futuris calamitatibus, quas Psalmista spiritu prophetico post multa tempora venturas præuidebat, quasque populus Hebraicus posteà passus est à Nabuchodonosor, ab Antiocho, & alijs; vt in Psal. 73. *Vt quid Deus repulisti in finem.* & 78. *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam.* & 79. *Qui regis Israel, intende.* & 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* & 136. *Super flumina Babylonis.* Ad eamdem regulam reduci posse videntur Psalmi illi, in quibus Dauid videbatur hortari populum ad fundendas preces vniuersaliter pro pugna feliciter ineunda, siue ad agendas Deo gratias pro victoria de hostibus parta, & eiusmodi alia, quæ non magis vni tempori conuenire possunt quàm alteri: huius enim argumenti Psalmos, prudens atque accuratus Lector plurimos inueniet. Quis autem possit coniectari quando talia contigerint? ac signanter distinguere singillatimque discernere, quæ fuerint illa pericula, illæ calamitates & angustiæ, illæ pugnæ, illæ victoriæ? præsertim cùm tota ferè Dauidis vita in eiusmodi vicissitudinibus versata sit, pluresque ac varios habuerit persecutores & hostes, Saulem, Absalom, Philisthæos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Syros, & in summa, omnes per circuitum nationes, quibuscum plurima bella suscepit, ac de ipsis plures reuexit triumphos. Quis item scire valeat, quando prædicta moralia meditaretur scriberetve? aut quonam tempore prophetico spiritu

QVANDO, ET QVA OCCASIONE SINGULI PSALMI FVERINT COMPOSITI.

spiritu prævideret varias populi calamitates post multa sæcula futuras, & pro ipsis Dominum deprecaretur? Verumenimuerò, præter Psalmos in memoratis regulis contentos, constat alios quoque non paucos reperiri, quos siue ex titulis, siue ex his quæ in ipsis dicuntur, non admodum difficile est discernere, quo quique tempore, quaue occasione facti fuerint, de quibus infrà proprijs locis mentionem faciemus. Et hæc pauca hic de Psalmis breuiter attigisse sufficiat.

QVAMDIV DAVID MANSERIT CVM SAVLE.

9. Redeamus nunc ad Dauidem, quem aliquot dumtaxat, puta decem circiter mensibus, arbitror mansisse cum Saule, id est vsque ad finem illius anni in quo ipse Dauid vnctus fuerat; qui annus, vt dictum est, erat quintus regni Saulis. Nam licet neque Scriptura sacra, neque alij Scriptores, quos viderim, exprimant quanto tempore Saul retinuerit penes se Dauidem; videtur tamen ex suprà dictis necessariò colligi, tempus illud non fuisse nimis longum: tum quia non est verisimile, Saulem valdè diu stetisse sine bellis; tum quia à tempore quo Dauid reuersus est à Saule, ad tempus quo rediit ad ipsum vt congrederetur cum Goliath ad singulare certamen, oportet non minus sex vel septem circiter annos interfluxisse, quia eum tunc Saul ampliùs non agnoscebat, vt patet 1. Reg. cap. 17. vers. 55. vsque ad finem capitis, tametsi priùs fuisset armiger eius, & ab eo valde dilectus, vt dicitur cap. 16. vers. 21. Diximus autem suprà num. 2. ad mentem Doctorum, quòd Dauid non agnoscebatur propter aspectus ac faciei mutationem, ex ætate aucta, ac barba postmodum exorta, factam, vt communiter contingere solet in tertio ætatis septennio. Igitur

AB ORBE CONDITO ANNVS 2965. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 432.

EXORTO BELLO CVM PHILISTHAEIS, SAVL REMITTIT DAVIDEM IN DOMVM PATRIS SVI.

1 ANNO regni Saulis sexto inchoante, exorto iterùm bello cum Philisthæis, profectus est Saul ad bellandum contra eos, secutique sunt illum tres fratres Dauidis natu maiores. Visum est autem tunc Regi remittere Dauidem ad patrem suum; siue quia ipse ampliùs non curaret de eo, vt solent Principes interdum facilè ac leui de causa auersari eos, quos priùs vnicè dilexerant, & præcipuè si malo aliquo spiritu agitari eos contingat, vt Saul consueuerat. Vel fortè remisit illum, ad intercessionem patris iam valdè senis: probabile enim est, ipsum iniunxisse tribus filiis suis maioribus, vt ex quo ipsi vellent ire ad bellum, saltem obtinerent sibi à Rege reditum Dauidis, qui solari senectam eius posset, & habere curam gregis. Sed quidquid sit de causa huius reditus, (nihil enim certi habemus) constat Dauidem rediisse, vt apertè exprimitur 1. Reg. cap. 17. vers. 15. his verbis: *Tribus ergo maioribus secutis Saulem, abiit Dauid, & reuersus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui in Bethleem.* Vtrùm autem prædictum bellum, cuius occasione diximus Dauidem fuisse remissum à Saule ad patrem suum, sit illud idem bellum de quo agitur in toto ferè citato Reg. capite, an fuerit aliud illo longè anterius, non omnino exploratum habetur: verumtamen certò credendum putamus, quòd si fuit vnum idemque bellum, vt ex ipsa Sacri textus serie insinuari videtur, oportet illud saltem sex circiter annis continuis perdurasse, ita vt in principio ipsius remissus sit Dauid à Saule in Bethleem, & sub finem eiusdem belli redierit idem Dauid ad Saulem, vt pugnaret contra Goliath. Interim verò oportet Dauidem transegisse in Bethleem dictos sex annos in pascendis gregibus patris sui, & intra idem tempus frequenter pugnasse contra bestias ferocissimas pro defensione sui gregis, interfecisseque leones ac vrsos insurgentes contra eum, quemadmodum ipsemet posteà referebat Sauli 1. Reg. cap. 17. vers. 34.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2969. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 426.

DE BELLO AB HEBRAEIS TRANS IORDANEM HABITANTIBVS, CONTRA AGAREOS FELICITER GESTO.

1 ANNO circiter decimo, hoc est circa medietatem regni Saulis, ratione inferiùs adducenda, ponendum duximus accidisse magnum illud bellum, cuius obiter fit mentio 1. Paralip. cap. 5. vers. 10. & 18. vsque ad 24. gestum à Rubenitis & Gaditis ac Manassensibus trans Iordanem habitantibus, contra Agareos (sic enim haber editio Vulgata Romæ postremò excusa, non Agarenos, vt aliæ) & Itureos, & Naphæos, & Nodabæos, qui venerant in auxilium Agareorum. Erant autem Iturei & Naphæi, ipsi quoque quodammodò Agarei; siquidem prodierant à Ietur & Naphis, qui Genes. cap. 25. vers. 15. numerantur inter filios Ismaelis filij Agar. Porrò ab Itureis

posteà

postea denominata est regio Ituræ, quæ temporibus nostri Saluatoris pertinebat ad tetrarchiam Philippi fratris Herodis Galilææ tetrarchæ, vt colligitur Luc. cap. 3. vers. 1. At verò Nodab seu Nodabæi erant populi Agarzis finitimi. Sanè in eo bello, memorati Israelitæ licet ipsi essent tantummodò quadraginta quattuor millia septingenti sexaginta, hostes verò fortè plus triplo dictam excederent summam; nihilominus Hebræi, Deo quem inuocauerant mirabiliter eis propitio, tam grandem consecuti sunt victoriam, vt præter vulneratos & occisos, ceperint captiuos centum millia hominum, & camelorum quinquaginta millia, & ouium ducenta quinquaginta millia, & asinorum duo millia, & pro ipsis habitauerunt in terra ac tabernaculis eorum, vsquequò postea, in diebus Phaceæ Regis Israel, translati sunt in Assyrios, vt nos sub anno mundi 3295. num. 2. dicemus. Quamquam autem 1. Paralip. cap. 5. vers. 10. dicatur memoratum bellum accidisse in diebus Saul, nec exprimatur annus regni eius in quo gestum fuerit: quia tamen necesse est accidisse vel circa initia, aut finem, aut medietatem annorum regni Saul; rationabilius visum est, illud sub hoc circiter anno ponere, quia sic propius veritati accedere possumus, quàm si illud in primis aut postremis dicti regni annis poneremus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2971. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 428.

1 ANNO circiter regni Saulis duodecimo inchoante, vt ex supradictis infertur, qui erat vitæ Dauidis vigesimus secundus, quemadmodum videre est in tabulis, venit Dauid missus à patre ad visendos fratres suos in castris, vbi audiuit milites inter se loquentes de Philisthæo viro procceritate gigantea, roboreque fortissimo, qui quotidie procedebat prouocans Hebræos, vt eligerent ex se virum, qui exiret secum ad singulare certamen, ea conditione, vt si ipse vinceret, Hebræi omnes seruirent Philisthæis; sin autem contrà, Philisthæi serui essent Hebræorum. Quæ propositio totum turbauerat Israëlitarum exercitum, eò quòd non esset in Israël, qui pugnare auderet cum tali ac tàto viro, quamuis Saul Rex publicum in castris suis proferri iussisset edictum in hæc verba; *Qui percusserit Philisthæum, ditabit eum Rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel.* Hæc & eiusmodi Dauid cùm à pluribus referri audisset (erat enim tunc de hac re frequens admodum sermo in castris Hebræorum) & insuper eùm propriis ipsemet oculis vidisset Goliath Philisthæum de proximo monte exclamantem atque exprobrantem agminibus Israël; zelo Domini accensus, ac fremens Dauid ceteris trepidantibus, cœpit eum stomacho sic loqui: *Quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis? Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel?* satis apertè insinuans, se ad hoc esse paratum. Quæ verba cùm nuntiata fuissent Sauli, statim accersitus coram Rege Dauid, generosè admodum sese exhibuit pugnare solus contra Philisthæum; & vt Regis diffidentiam compesceret, narrauit ei, se etiam vrsos ac leones interemisse, atque eodem modo ipsum quoque Goliath interfecturum. Missus itaque à Rege, lætus processit Dauid obuiàm Philisthæo, ac Deo benè iuuante præualuit in lapide & funda, percussumque Philisthæum strauit, ac proprio eiusdem Philisthæi gladio eidem caput abscidit, inspectantibus vtrimque duobus exercitibus, Israëlitarum scilicet & Philisthinorum. Statim autem ac viderunt Philisthiim fortissimum ex suis cecidisse, consternati animo, terga verterunt: contrà verò Israelitæ alacriter insurgentes, irruerunt in eos, ac percusserunt illos plaga magna. Vt autem reuersus est Israel à cæde hostium ad castra, introductus Dauid ab Abner principe militiæ Saulis, attulit caput Goliath coram Rege, qui gauisus est, & interrogauit eum de qua progenie esset, (siquidem neque ipse Rex, neque Abner, neque vllus de domo Regis recognouerat eum, ob caulas à nobis sub anno mundi 2964. num. 2. adductas) cui respondit Dauid, se esse filium Isai Bethleemitæ: 1. Reg. cap. 17. per totum. Creditur autem Dauid hoc tempore composuisse ac cecinisse Psalmum 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium,* &c. vt apertè innuit titulus, qui tam in Vulgata quàm in LXX. Interpretum editione habetur, & sentit B. Augustinus in eiusdem tituli Expositione: quamquam Cornelius Iansenius & alij nonnulli dixerint, prædictum titulum in Græcis atque in Hebraicis codicibus minimè reperiri; & consequenter putent, dictum Psalmum non occasione memoratæ monomachiæ, sed post alias victorias de inimicis suis reportatas, à Dauide fuisse compositum: nos autem memoratis

DAVID A PATRE MITTITVR AD CASTRA, VT INVISAT FRATRES.

PVGNAT PRÆLICITER CVM GOLIATH PHILISTHÆO.

DEFERT CAPVT PHILISTHÆI CORAM REGE.

DE PSALMIS QVOS, TVNC CREDITVR COMPOSVISSE.

moratis sacrorum Bibliorum editionibus & B. Augustino magis credendum putamus. Quoniam verò in citata LXX. Interpretum editione, in fine Psalterij additur Psalmus 151. qui incipit: *Paruus eram in fratribus meis*, &c. tali titulo: *Hic Psalmus idiographus, id est priuatim scriptus in Dauid, & extra numerum, quando monomachiam iniit cum Goliath*. Si verè Psalmus iste esset Dauidis, vt aliâ habet inscriptio ibidem in Scholiis relata; oporteret ipsum quoque hoc tempore fuisse compositum. Sunt item qui putant, Psalmum 9. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, post deuictum Goliath à Danide fuisse conscriptum: sed de hoc nihil certi afferre possumus.

DAVID MANET CVM REGE, ET A IONATHA VALDE DILIGITVR. IONATHAS PERCVTIT CVM DAVIDE FOEDVS PERPETVAE SOCIETATIS. DAVID SIT CENTVRIO.

2. Postquam autem Dauid attulit caput Philisthæi coram Saule, non permisit eum Rex redire ad domum patris sui, sed voluit vt penes se permaneret. Fuit verò Dauid adeò acceptus Ionathæ filio Regis, vt eum diligeret quasi animam suam, & propriis exutus vestibus ac armis, dederit ea Dauidi, inientque cum ipso fœdus perpetuæ societatis & amicitiæ. Videns ergo Saul quòd Dauid incunctanter egrediebatur ad omnia ad quæ eum mittebat, ac prudenter in cunctis se gerebat, constituit eum Ducem militum, hoc est (vt arbitror) Centurionem; nam posteà dignitate auctum fecit Tribunum super mille viros, vt paulò pòst dicetur: eratque acceptus in oculis vniuersi populi, potissimùm verò totius familiæ Regis. Verùm non multò pòst, cùm exisset Saul, ac veluti triumphans circuiret vrbs Israel, habens secum Dauidem cum capite Goliath ante se gradientem: exirentque mulieres de cunctis vrbibus obuiàm Regi, in tympanis & sistris psallentes, chorosque ducentes atque canentes: *Saul percussit mille, & Dauid decem millia*; indignatus grauiter Saul, quòd publicis hisce vocibus Dauid sibi præferri videretur, cœpit ab illa die inuidia atque interno agitatus odio clàm persequi Dauidem, licet omnino insontem: quem cùm altera die malo stimulatus spiritu lanceâ ad parietem configere semel atque iterùm frustrà tentasset, timuit Saul, aduertens quòd Dominus esset cum Dauide, & à se recessisset: itaque amouit eum ab illa iugi consuetudine sua; & ne videretur id ex maleuolentia fecisse, constituit eum Tribunum super mille viros bellatores; qui prudenter admodum gubernabat eos ac dirigebat, egrediens cum eis ad prælia, & feliciter excursiones faciens aduersus hostes, ita vt omnes planè intelligerent Deum esse cum eo, videntes cuncta ei prosperè & ad vota succedere. Et hæc erat causa, quòd Dauid non solùm à Iudæis contribulibus suis, sed etiam ab omni Israële in dies magis ac magis diligeretur. Quamobrem cœpit Rex, ob causas sub anno proximo commemorandas, magis cauere ab eo: 1. Reg. cap. 18. vers. 1. vsque ad 17.

SAVL INVIDVS, CLAM INCIPIT PERSEQVI DAVID. CONSTITVIT DAVID TRIBVNVM VIRORVM MILLE. DAVID OB RES PROSPERE GESTAS AB OMNI ISRAELE ADMODVM DILIGITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2972. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 419.

1 ANNO, vt arbitror, proximo, qui erat regni sui decimustertius, videns Saul Dauidem quotidie magis in virtute ac strenuitate proficere, atque in rebus fortiter gerendis prosperari, veritus est ne aliquando populi fauore fretus, causam aduersum se quæreret, & mali aliquid moliretur, tum quòd sine causa eum lancea configere tentasset, tum etiam quia non dedisset ei, post occisum Goliath, filiam suam vxorem, quemadmodum propositi edicti forma continebat. Itaque hisce suspicionibus agitatus Saul, callidè cogitauit simul & propriæ fidei atque existimationi consulere, & astu Dauidem gladio Philisthinorum e medio tollere. Vt igitur, quemadmodum dici solet, equo currenti calcar adderet, atque ipsum Dauidem ad præliandum ardentiùs incitaret, pollicitus est dare ei Merob filiam suam maiorem, si tamen fortiter dimicasset: existimabat enim Saul Dauidem suapte natura strenuum ac generosum, tali pollicitatione audaciùs pericula subiturum, ac proculdubiò semel in ipsis interemptum iri. Sed contrà accidit; nam ille quidem deinceps fortiùs pugnabat, sed quotidie feliciùs. At verò Saul id iniquiùs ferens, vt primùm promissionis adimplendæ tempus aduenit, maligna vincente Regem passione, non erubuit, præter fas Dauidi fidem frangere, & filiam suam Merob alteri viro dare. Verùm non multò pòst veritus Saul, ne Dauid, tametsi tunc prudenter commoueri non videretur, grauiùs tamen intus acceptam ferret iniuriam, & data occasione iustam de ipso vltionem sumeret: & insuper audiens, quòd Michol altera filia eius, oculos iniecisset in Dauidem, eumque valdè diligeret, vt hanc quoque non prætermitteret occasionem incitandi atque impellendi illum, vt iterùm maioribus sese periculis exponeret, quò tandem aliquando, quemadmodum sperabat, eum in bello interire contingeret; rursum (explorata tamen

SAVL CALLIDE SED FRVSTRA CVRAT DAVIDEM AB HOSTIBVS INTERFICI. FRANGIT DAVIDI FIDEM.

tamen priùs per seruos suos intentione Dauidis) promisit illam ei dare, si afferret sibi ducenta Philisthinorum præputia. Egressus ergo post paucos dies cum suis Dauid, sub finem (vt arbitror) illius anni percussit Philisthæos, ducentaque ipsorum præputia attulit Regi; postulans, iuxta conuentum, fieri gener eius. Itaque

AB ORBE CONDITO ANNVS 2973. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 430.

1 ANNO insequente circiter ineunte, qui erat vitæ Dauidis vigesimus quartus, Saul cùm nullus iam sibi videretur relictus tergiuersandi locus, dedit, licet inuitus, Michol filiam suam Dauidi vxorem: perspicuè enim cognouerat, quòd Dominus esset cum eo, & cuncta eius opera dirigeret feliciterque prosperaret, & ideò non potuerant insidiæ contra eum præualere. Quamobrem, non obstante quòd esset gener eius, adhuc magis timebat eum, tamquam dignitate auctum; & quia videbat, quòd magis quàm putauerat, à filia sua Michol diligebatur, & quòd valdè iam celebre factum esset nomen eius: quoniam ex quo cœperant Principes Philisthinorum exire ad præliandum contra Israel, nullus ex omnibus Ducibus ipsius Saul prudentiùs ac fortiùs ipso Dauide aduersus eos se gesserat. Quare virtus & gloria Dauidis, quæ charior ac magis grata in oculis soceri sui esse debuerat, apud eumdem inuidiæ atque odij fomitem ministrabat, ita vt non post valdè plures (vt arbitror) menses, idem Saul ampliùs non valens internam illam, quæ angebat eum torquebat, amaritudinem occultare, cœperit agere cum Ionatha filio suo & cum aliis Ducibus suis, vt prudenter aliquam adinuenirent occasionem perdendi Dauidem. Quo tempore creditur ipse Dauid composuisse Psalmum 10. qui incipit: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer*, &c. ibi enim ostendit confidentiam suam in Domino, videturque respondere amicis suis, qui agnoscentes malignitatem Saulis, suadebant Dauidi vt fugeret ab eo, ac in montibus locisque tutissimis sese reciperet. Verùm interea Ionathas, clàm admonito Dauide, vt sese aliquantulùm obseruaret & absconderet, ipse pluribus rationibus placauit patrem suum, qui iurauit ei quòd non occideret Dauidem; atque hoc pacto, opera nimirum ipsius Ionathæ, reconciliatus est Dauid Regi: post quam reconciliationem cùm rursum Philisthæi mouissent bellum Israeli, egressus Dauid, iubente Rege, percussit eos plaga magna: 1. Reg. cap. 18. vers. 27. vsque ad finem capitis, & cap. 19. vers. 1. vsque ad 9.

DAVID FIT GENER REGIS.

SAVL CVM SVIS AGIT DE PERDENDO DAVIDE, SED PRVDENTER A IONATHA DE SENTENTIA DEDVCITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2974. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 431.

1 ANNO regni Saulis, quemadmodum ex prædictis consequitur, decimoquinto, qui erat vitæ Dauidis vigesimus quintus, circa huius anni initia, vt infrà n. 5. probabitur, Saul ob proximè memoratam eiusdem Dauidis victoriam, denuò suptra quàm credi potest, inuidiæ stimulis ac malo spiritu exagitatus, cùm iterùm psallentem Dauidem lanceâ confodere conatus esset, illeque statim declinato ictu fugam arripuisset, cœpit Saul, contra proprium quod emiserat iusiurandum, posthabito Dei timore ac bonorum omnium iudicio, apertè persequi Dauidem, à quo nihil vmquam mali, quin potiùs multa beneficia acceperat. Itaque, missis satellitibus, iussit custodiri tota nocte ianuam domus eius, vt manè exeuntem interficerent. Quod cùm Michol viro suo retulisset, ille confestim ad orationem conuersus, dicitur composuisse Psalmum 58. *Eripe me de inimicis meis Deus meus*, &c. vt ex eiusdem Psalmi titulo manifestum est: deinde clàm, eadem nocte, per fenestram ab vxore demissus, fugiens de manu satellitum euasit; quos postmodum Michol, statua ritè in lecto composita, delusit, dicens quòd Dauid ægrotaret. Fraude verò deinde detecta, sese excusauit Michol coram patre suo, quòd sic dimisisset Dauidem, quia alioqui volebat eam interficere. Interim autem Dauid venit ad Samuelem in Ramatha, cui narrauit omnia quæ fecerat ei Saul, mox ambo pariter profecti sunt in Naioth. erat autem Naioth (quod aiunt significare pulchritudinem) locus quidam pulcher & amœnus valdè in vrbe Ramatha, vel prope ipsam, in quo Samuel eum cuneo quodam Prophetarum diuinis laudibus & sanctis collocutionibus vacare solebat. Vt ergo audiuit Saul quòd Dauid esset in Naioth in Ramatha, misit eò lictores qui eum caperent: qui cùm venissent, vidissentque cuneum Prophetarum vaticinantem, hoc est, diuinas laudes canentem; diuino ipsi quoque acti Spiritu, prophetare cœperunt. Quod cùm nunciatum esset Sauli, misit alios secundò, & ter-

SAVL COEPIT APERTE PERSEQVI DAVIDEM.

DAVID FVGIT A SAVLE.

SAVL FRVSTRA TENTAT COMPREHENDERE DAVIDEM IN NAIOTH.

& tertiò: audiens autem quòd idem ipsis, sicut & prioribus contigisset, iratus voluit ipsemet illuc proficisci: quò cùm propiùs accessisset ac peruenisset, statim ibidem pariter cum alijs prophetare cœpit coram Samuele, id est canere laudes Dei cum ceteris, inter quos præsidebat Samuel: 1. Reg. cap. 19. vers. 9. vsque ad finem capitis. Quòd autem hîc *prophetare* non significet futura prædicere, sed diuinas laudes canere, expressè colligitur ex fine dicti capitis, vbi de ipso Saule dicitur, quòd nudus, hoc est vestibus regiis exutus, cecinit tota die illa & nocte. Patet etiam ex 1. Paralip. cap. 25. vers. 1. vsque ad 4. quòd non humanis solùm vocibus, sed musicis quoque organis psallentes Domino, prophetare dicebantur.

IONATHAS SOLATVR DAVIDEM.

2. Post hæc fugiens Dauid de Naioth, venit ad Ionatham, conquestusque est coram eo, quòd sine causa pater eius quæreret se ad necem; qui conatus est consolari eum, & de hac opinione ac timore remouere, dicens: *Absit, non morieris, neque enim faciet pater meus quidquam grande vel paruum, nisi priùs indicauerit mihi*, &c. Ex quibus verbis Lyranus, Caietanus, & alij nonnulli colligunt, Ionatham fuisse absentem quando Saul lancea voluit configere Dauidem, & misit qui custodirent domum eius, vt manè posset eum occidere; & item quando posteà ter misit alios in Naioth in Ramatha, qui eumdem Dauidem comprehenderent; ac demum ipsemet illuc ad hoc venit: alioqui non videretur Ionathas sic potuisse respondere Dauidi. Abulensis autem considerans illa verba Dauidis 1. Reg. cap. 20. vers. 6. *Si respiciens requisierit me pater tuus*, &c. & illa pariter Saulis, vers. 27. *Cur non venit filius Isai nec heri nec hodie ad vescendum?* &c. putat quòd inter aduentum Saulis in Naioth, & fugam Dauidis de Naioth, secuta fuerit aliqua reconciliatio Saulis cum Dauide, fortassis opera Prophetarum ibi existentium; vel meliùs, quia prophetans ibidem Saul, diuino munere cognouerit se iniustè persequi Dauidem; & pœnitentia ductus, eum tunc quidem denuò in gratiam receperit: verumtamen paulò pòst, iterùm maligno actus spiritu, eumdem occidi mandauerit; propter quod Dauid siue à Samuele, siue ab alio admonitus, ad Ionatham aufugerit: nisi enim dicta reconciliatio præcessisset, non videretur Dauid potuisse rationabiliter suspicari, quòd Saul requireret, cur non venisset ad vescendum cum eo: neque rationabilis videretur fuisse hæc interrogatio Saulis; meritò namque potuisset ei respondere Ionathas: Quid est quòd mireris non venisse Dauidem, si eum apertè quæris occidere? Quidquid sit, fieri etiam posse putamus, quòd tametsi nulla facta fuisset reconciliatio Dauidis cum Saule in Naioth, & Ionathas probè edoctus esset de omnibus quæ fecerat pater suus contra Dauidem; ea nihiluminus adscribens maligno spiritui, qui solebat interdum agitare Saulem, non crederet Ionathas, quòd pater suus ea sciens volensque faceret; præsertim cùm nihil ei de hac re, vt aliàs consueuerat, indicasset; & propterea sic responderit Dauidi: *Non morieris*, &c. tamquam certò credens, quòd cessante violenta illa patris sui commotione, proculdubiò cessaret quoque illa Dauidis persecutio. Contrà verò Dauid, qui non immeritò suspicari poterat, quòd Saul non tam malo impulsus spiritu, quàm deliberata iam animi voluntate eum quæreret ad mortem; vt hoc quoque in gratiam Ionathæ de hac re experimentum faceret, rogauit Ionatham, dicens: *Ecce cras festum Neomenia est, in quo de more soleo sedere iuxta Regem in mensa, sine me abscondi in agro vsque ad vesperam diei tertia. Si respiciens requisierit me pater tuus, dices: Rogauit me Dauid vt iret celeriter in Bethleem, quia victima sollemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis. si dixerit, Benè: pax erit seruo tuo. si autem fuerit iratus; scito quia completa est malitia eius.* Hæc omnia libenter se facturum etiam iureiurando repromisit Ionathas, & insuper iactu trium sagittarum, ac quibusdam verbis, tamquam puero dictis, fideliter rei euentum eidem renuntiaturum. Cùm ergo Saul secundo dicti festi die interrogasset Ionatham de Dauide, illeque superiùs memoratam excusationem attulisset, iratus Rex, filium contumeliis affectum etiam lancea confodere tentauit. Quamubrem contristatus valdè Ionathas, abijt, mansitque præ tristitia tota illa die sine cibo; & iam certior factus de mala patris sui voluntate erga Dauidem, surgens in crastinum perrexit cum puero in agrum non procul ab eo loco in quo latebat Dauid, & iuxta condictum simulans sese exercere ad iaciendas sagittas, signo inter ipsos conuento, indicauit Dauidi Regis indignationem; ac posteà clàm conuenientes, & inuicem cum lacrymis deosculantes, ictumque fœdus denuò confirmantes, recesserunt ab inuicem, & Ionathas quidem regressus est in ciuitatem suam, id est in Gabaa Beniamin; Dauid verò abijt in Nobe: 1. Reg. cap. 20. per totum. Oportet autem Dauidem non solum, neque cum multo comitatu, vt aliàs solebat, venisse in Nobe: quandoquidem aliquos cum ipso extitisse, ac de propositionis panibus manducasse, euidenter colligitur Matthæi

A PATRE CONTVMELIIS AFFECTVS INDICAT DAVIDI REGIS INDIGNATIONEM

IONATHAS ICTVM CVM DAVIDE FOEDVS DENVO CONFIRMAT.

DAVID VENIT AD ACHIMELECH IN NOBE.

Matthæi cap. 12. verſ. 3. & 4. & 1. Reg. cap. 21. verſ. 4. & 5. Vnde quod ibidem verſ. 1. dixerat Achimelech, *Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum?* per exaggerationem dictum accipi debet: tamquam admirans, quòd qui multis militibus ſemper comitatus incedere conſueuerat, tunc quaſi ſolus, id eſt cum duobus aut tribus dumtaxat famulis illuc veniſſet. Niſi fortè primò quidem reverà comparuit ſolus Dauid coram ipſo Achimelech, poſteà autem ſubſecuti ſunt duo aut tres ſerui eius.

3. Illud autem hic obiter prætereundum non eſt, ex his quæ 1. Reg. cap. 20. verſ. 25. dicuntur de Saule; nimirum, quòd cùm ſediſſet ſuper cathedrā ſuam ſecundùm conſuetudinem, quæ erat iuxta parietem, ſedit Abner ex latere Saul, vacuuſque apparuit locus Dauid: proculdubiò inferri, quòd olim Hebræi non conſueuerant ad conuiuia in lectulis recumbere, quemadmodum fieri ſolebat in regno Perſarum ac Medorum, vt colligitur Eſther cap. 1. verſ. 6. & apertiùs cap. 7. verſ. 8. ſed ſuper cathedras ad menſam ſedebant. Et hoc etiam confirmari poteſt ex conuiuio quod fecit Ioſeph fratribus ſuis Geneſ. cap. 43. verſ. 33. vbi omnes dicuntur ſediſſe coram Ioſeph, vnuſquiſque iuxta ordinem ætatis ſuæ. Quare ſi tempore Saluatoris, vt multi putant, vſus erat apud Hebræos in conuiuiis non ad menſas ſedere, ſed in lectulis & tricliniis recumbere, quemadmodum videntur atteſtari plurima Euangeliſtarū loca, quæ numquam quemquam ſediſſe, ſed ſemper recubuiſſe, aut, quod idem eſt, diſcubuiſſe aſſerunt: oportet talem conſuetudinem poſt reditum populi de captiuitate Babylonica fuiſſe introductam, & ab illis nationibus, inter quas captiui diu vixerant, fuiſſe mutuatam. DE ANTIQUO SEDENDI AD MENSAM VSV.

4. Sed iam ad noſtrum Dauidem redeamus, qui (vt dictum eſt) abierat in Nobe. Erat autem hæc ciuitas trans Iordanem, in forte mediæ tribus Manaſſe, & olim vocabatur Chanath; quando autem illa regio data fuit Manaſſenſibus, vnus ex eis vocabulo Nobe, occupata ciuitate vocauit eam ex nomine ſuo Nobe, vt legimus Num. cap. 32. in fine. Et hæc poſtmodum dicta eſt ciuitas Sacerdotū, vt patet 1. Reg. cap. 22. verſ. 19. non quia in diſtributione vrbium, quam fecerat Ioſue, aſſignata fuiſſet Sacerdotibus: ſiquidem ipſis datæ ſunt vrbes tredecim de tribubus Iuda, Simeon, & Beniamin, vt patet Ioſue cap. 21. verſ. 4. & verſ. 9. vſque ad 18. & nos ſub anno mundi 2591. num. 7. diximus; inter quas tredecim vrbes non erat Nobe: ſed quia ex quo capta fuerat Arca Dei à Philiſthæis, timentes Iſraelitæ ne caperent quoque Tabernaculum fœderis quod tunc manebat in Silo; ad maiorem eius ſecuritatem, tranſtulerunt illud trans Iordanem in Nobe, quæ erat valdè à Philiſthæis remota; & conſequenter coacti ſunt eòdem quoque transferre Sacerdotes, qui poſſent offerre ſacrificia ſuper Altare holocauſtorum, ibidem coram Tabernaculo exiſtente. Cùm ergo veniſſet Dauid in Nobe ad Sacerdotem Achimelech amicum ſuum, (per ipſum namque ſæpiùs conſuluerat Dominum, vt colligitur 1. Reg. cap. 22. verſ. 15.) & ab eo eſuriens accepiſſet panes propoſitionis, qui ablati fuerant à facie Domini, & gladium Goliath, qui erat ibi inuolutus pallio poſt ephod; conſulto (quemadmodū ex capite proximè citato verſ. 13. elicitur,) per eumdem Sacerdotem Domino, eadem die inde diſcedens, venit ad Achis Regem Geth, putans ſe ibi tamquam aduenam atque ignotum tutò poſſe permanere: verumtamen delatus Regi, quòd ipſe eſſet Dauid, qui plura bella aduerſus Philiſthæos geſſerat; extimuit valde, & ad Deum in oratione recurrens, compoſuit Pſalmum 55. *Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo*, &c. vt ex eiuſdem Pſalmi titulo patet. Deinde ab Allophylis ſeu Philiſthæis ibidem tentus, & coram Rege perductus, inſanum ſe eſſe prudenter admodum ſimulans, permiſſus eſt abire: 1. Reg. cap. 21. per totum. & tunc pro gratiarum actione compoſuiſſe dicitur Pſalmum 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*, &c. vt plerique illius Pſalmi Expoſitores colligunt ex titulo, qui ſic habet: *Dauidi cùm immutauit vultum ſuum coram Achimelech, & dimiſit eum, & abijt.* Nec refert quòd cap. Reg. citato verſ. 13. dicatur Dauid immutaſſe os ſuum coram Achis, non autem coram Achimelech: quia (quemadmodum iidem Expoſitores ex S. Baſilij Homilia in citatum Pſalmum tradunt) idem erat Achis & Achimelech; Achis namque erat homen proprium viri, Achimelech autem nomen commune Regum Palæſtinorum, ſicut Pharao Regum Ægypti: pro cuius rei confirmatione, in editione Vulgata ad calcem prædicti tituli, citatur cap. 21. 1. Regum, vbi prædicta ſimulatæ coram Achis ſtultitiæ hiſtoria deſcribitur. Dixi *Achimelech*, quia ſic habet in citati Pſalmi titulo textus Sixtianus: nam alioquin omnia ferè alia exemplaria ſacra legunt Abimelech, & ſimiliter S. Baſilius vbi ſuprà; & concordat cum illis S. Scripturæ locis, nempe Geneſ. cap. 20. & 26. ex quibus idem Sanctus colligit, Reges Philiſthinorum Abimelech fuiſſe appellatos. VRBS NOBE VBI, ET CVR SIC DICTA. DE NOBE VENIT AD ACHIS REGEM GETH.

5. De

DE GETH VENIT AD NAAS REGEM AMMONITARUM.

5. De Geth dicitur David fugisse ad speluncam Odollam, 1. Reg. cap. 22. vers. 1. Veruntamen hic oportet supponere, quod asserunt B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, & Auctor Historiæ Scholasticæ 1. Reg. cap. 20. & Glossa ordinaria, & Abulensis super 2. Reg. cap. 10. nempe Dauidem non rectà de Geth venisse ad dictam speluncam, sed prius abiisse ad Naas Regem Ammonitarum, contra quem Saul initio regni sui bellum gesserat; à quo in odium Saulis benignè exceptus, & fortè etiam rebus ad victum necessariis ac pecunia donatus creditur; & hanc putant esse misericordiam, quam sibi à Naas patre Hanon præstitam fatetur ipsemet David 2. Reg. cap. 10. vers. 2. & nos sub anno mundi 2993. num. 3. dicemus. Inde postmodum rediit David in terram Israel, missisque ad suos nuntiis, abdidit se in speluncam Odollam, expectans eos ibi. Erat autem Odolla, siue Adulla, vel Odulla, olim vna de ciuitatibus Chananæorum regalibus; eius namque Rex connumeratur in catalogo Regum à Iosue occisorum Iosue cap. 12. vers. 15. Ad hanc vrbem longè prius diuerterat Iudas filius Iacob, quando inde accepit vxorem, vt patet Genes. cap. 38. vers. 1. & nos sub anno mundi 2298. num. 1. diximus. Obtigit posteà hæc ciuitas tribui Iuda, vt videre est Iosue cap. 15. vers. 35. vbi appellatur Adulla; vnde nomen accepit spelunca in eius territorio posita. Ibi David maxima in afflictione positus, composuisse creditur ac cecinisse Psalmum 56. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea*, &c. vt ex eiusdem titulo colligi potest. Porrò fratres Dauidis, & tota domus patris sui, fortè (vt benè aduertit Caietanus) quòd eos quoque propter Dauidem, Saul exosos haberet vexaretque, vel etiam veriti (vt addit Abulensis) ne se interficiendos curaret: vt primùm audierunt Dauidem sese in dicta spelunca recepisse, venerunt omnes ad eum. Ad quem etiam conuenerunt alij amaro animo, æreque alieno oppressi, atque aliis de causis in angustiis constituti, vyi ferè quadringenti; & factus est eorum princeps, 1. Reg. cap. 22. vers. 1. & 2. Inter quos primi (vt sensit Abulensis) venerunt illi tres viri fortissimi, qui memorantur 1. Paralip. cap. 11. vers. 15. & 2. Reg. cap. 23. vers. 13. vbi additur, quòd isti venerant tempore messis, id est mense primo, vel secundo, ad Dauid in speluncam Odollam. Ex quo loco manifestè infertur, Saulem circa initia huius anni cœpisse persequi apertè Dauidem, quemadmodum suprà num. 1. dicebamus. Inter eosdem quoque quadringentos ferè viros (vt multis argumentis probat Abulensis super 1. Paralip. cap. 12. q. 7.) computandi sunt illi vndecim principes militum, & viri robustissimi de tribu Gad, qui nominatim recensentur cap. Paralip. citato vers. 8. vsque ad 16. vbi ad declarandam eorum strenuitatem ac fortitudinem, subiungitur, quòd transierunt Iordanem mense primo, quando admodum inundare consueuit, & quòd fugauerunt omnes qui morabantur in vallibus Iordanis, hoc est in magna illa valle quæ Aulon dicebatur, per quam fluit Iordanis: & quod nouissimus illorum, centum militibus præerat, & maximus mille. ac si dixisset, primarios ex ipsis fuisse Tribunos; ceteros verò Centuriones. Quod vtique non est intelligendum de toto illo tempore quo Saul persequebatur Dauidem; constat enim, quòd intra dictum tempus David nusquam legitur habuisse plus sexcentis viris; sed illa verba referri debent vel ad priora tempora, vel ad posteriora; ita vt velint significare, quòd prædicti vndecim principes, vel antequam transfugissent ad Dauidem (vt sentit Abulensis) erant Tribuni & Centuriones, licet non omnes eorum milites timore Saulis, sed aliqui tantùm ipsos sequi ausi essent; vel (vt putat Caietanus) ita, vt velint innuere id quod posteà factum est, nimirum quando David constitutus fuit Rex in Hebron: tunc enim (quemadmodum sub anno mundi 2980. num. 4. dicemus) prædictos omnes fecit in exercitu suo Tribunos & Centuriones, prout merita ipsorum & virtus exigere videbantur. Ceterùm multi credunt, Dauidem eodem tempore quo venerunt ad ipsum prædicti quadringenti ferè viri, cecinisse Psalmum 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*, &c. quamquam ex titulo apparet illum fuisse decantatum, quando David, post prudenter simulatam coram Achis Rege Geth insaniam, inde dimissus fuit, vt suprà numero præcedenti dictum est. Nisi fortè satis probabiliter dici possit, Dauidem, eumdem tunc quoque Psalmum, tamquam valdè appositum ad agendas Deo gratias pro tantis beneficiis opportunisque auxiliis nuper acceptis, iterùm cecinisse.

INDE AD SPELUNCAM ODOLLAM. DE VRBE ODOLLA.

QUI VENERINT AD DAVIDEM IN DICTA SPELUNCA LATITANTEM.

6. De memorata spelunca David cum iis qui ad ipsum conuenerant, profectus est in Maspha terræ Moab. Additum verò hîc est *terræ Moab*, ad differentiam aliarum eiusdem nominis vrbium existentium in terra Chanaan; quarum vna erat in regione Galaad, vbi olim manebat Iephte Galaadites, quemadmodum dicitur Iudic. cap. 11. vers. 34. altera in tribu Beniamin, vt patet Iosue cap. 18. vers. 25. in qua interdum con-

MASPHA QUOTUPLEX.

gregari

gregari solebat populus, sicuti sub anno mundi 2594. num. 13. dictum est: quia omnibus valdè commoda erat, eò quòd ferè in medio totius populi Israelitici esset sita, nimirum prope Gabaa Beniamin & Rama, vt colligitur 3. Reg. cap. 15. vers. 22. & 2. Paralip. cap. 16. vers. 6. vbi dicitur, quòd Asa Rex Iuda tulit lapides & ligna, quæ pro ædificanda seu munienda Rama præparauerat Baasa Rex Israel, & ex eis ædificauit seu muniuit Gabaa Beniamin & Maspha, nimirum Ramæ proximas. Porrò Rama (teste Iosepho 8. Antiq. cap. 6. distabat ab Ierusalem stadiis dumtaxat quadraginta. vnde inferri potest, hanc quoque Maspham fuisse Ierosolymis proximam. Dictum quoque fuit, *Maspha terra Moab*, ad differentiam euiusdam regionis ad radices montis Hermon positæ, quæ dicebatur Terra Maspha, Iosue cap. 11. vers. 3. de qua nos sub anno mundi 1931. num. 40. meminimus. Cùm ergo venisset Dauid ad Regem Moabitarum, obtinuit ab eo publicam fidem, quò possent in ditione eius tutò permanere ipse, & viri, & parentes sui, quorum specialis fit mentio 1. Reg. cap. 22. vers. 3. Vnde inferri potest, Isai patrem Dauidis ad hæc vsque tempora peruenisse, vt etiam in tabulis adnotabimus. Mansit itaque Dauid, concedente Rege, aliquamdiu cum viris suis in præsidio, hoc est, in quadam prædicti Regis arce, quam ab hostibus tutandam acceperat, vt dicitur cap. Reg. proximè citato vers. 3. & 4. Quo tempore confluxerunt ad eum plures alij, non solùm de tribu Iuda, hoc est ipsius, sed etiam de tribu Beniamin, quæ erat Saulis inimici eius, præferentes Innocentiam Dauidis cognationi quam habebant cum Saule. Isti venerunt ad præsidium in quo morabatur Dauid: qui cùm eis obuiàm egressus dixisset, si pacificè venissent; respondit pro omnibus Amasai princeps inter triginta, dicens: *Tui sumus ô Dauid. pax tibi, & pax adiutoribus tuis*, &c. Quibus auditis, suscepit eos Dauid, & distributis inter ipsos ministeriis, prout in exercitibus fieri solet, quò omnia ordine administrari valerent, adiunxit eos turmis suis: 1. Paralip. cap. 12. vers. 16. vsque ad 19.

DAVID OB SPELVNCA ODOLLA VENIT CVM SVIS AD REGEM MOAB.

QVI VENERINT AD DAVIDEM IN TERRA MOAB COMMORANTEM.

7. Monitus deinde Dauid à Gad Propheta (quem vel priùs ipsum quoque transfugisse ad Dauidem, vel à Deo posteà specialiter ad hoc missum esse oportet) de licentia Regis Moab reuersus est cum omnibus viris suis in terram Iuda: 1. Reg. cap. 22. vers. 5. Quamdiu autem Dauid moratus sit in terra Moab, adhuc pressius explorare non potuimus: credimus tamen per paucos dumtaxat menses eum ibi mansisse. Verùm quia cap. proximè citato vers. 4. legimus, parentes Dauidis moratos esse in terra Moab donec ipse Dauid fuit in præsidio; quæri potest, num & ipsi cum filio redierint in terram Iuda, an paulò antè obierint. Et quidem hoc quod posteriùs dictum est, multò probabilius videtur. nam alioqui non videretur verisimile, quòd aut Gad suadere ausus esset, aut Dauid sustinere potuisset, eosdem iam ætate decrepitos (erat enim tunc Isai annorum centum viginti, vt patet in tabulis) secum modò huc, modò illuc, per saltus & loca deserta circumducere. Et ad confirmandum, eos tunc iam fuisse defunctos, quando Gad dixit Dauidi ne ampliùs maneret in præsidio, facit, quòd nulla deinceps in Sacro eloquio fit mentio parentum Dauidis. Venit ergo Dauid in saltum Haret, nimirum qui erat in territorio vrbis Haret, quæ & Maret, positæ in tribu Iuda, vt patet Iosue cap. 15. vers. 59. Ibi Dauid cùm vidisset maximam illius deserti, ad quod Prophetæ monitu aduenerat, sterilitatem, ac rerum omnium ad vsus humanos necessariarum penuriam; conuersus ad Dominum, postulans sibi diuina virtute in temporalibus prouideri, sed & animam quoque suam spirituali consolatione repleri atque impinguari; cecinit Psalmum 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, &c. vt planè colligitur ex titulo, qui sic habet: *Psalmus Dauid cùm esset in deserto Idumææ*. Vbi (vt notat grauis Psalmorum Commentator incerti nominis) quamquam quidam codices pro *Idumææ*, legant *Iudææ*, nihilominùs, quia magis probati habent *Idumææ*, oportet hîc vocabulo Idumææ non terram Edom significari (iam enim probatum est, quòd saltus Haret erat in Iudæa, non autem in Idumæa) sed quòd ipsa vox sonat, rubram: siquidem Idumæa interpretatur Rubra. vt idem sit dicere, *Cùm esset in deserto Idumææ*. ac si diceretur, Cùm esset in deserto habente terram rubram, hoc est sterilem & omnino infructiferam: talis namque erat saltus ille Haret, quemadmodum ipsemet Dauid in eodem Psalmo insinuat dicens: *In terra deserta, inuia, & inaquosa*. Et hæc tituli expositio satis confirmari potest auctoritate editionis Vulgatæ, quæ eidem titulo adiicit locum 1. Reg. cap. 22. vers. 5. vbi describitur aduentus Dauidis in saltum Haret.

PARENTES DAVIDIS MORTVOS ESSE IN TERRA MOAB.

DAVID DE TERRA MOAB VENIT IN SALTVM HARET TRIBVS IVDAE.

8. Porrò Saul, qui tum morabatur in Gabaa, cùm esset quadam die non procul ab vrbe, in quodam nemore nomine Rama, stipatus caterua seruorum suorum, audissetque apparuisse Dauidem in terra Israel; cœpit vehementer conqueri coram eis, quasi

omnes

omnes aduersum se coniurassent pro filio Isai, & propterea nemo ipsorum curasset denuntiare ei, vbi nam esset Dauid. Quæ audiens Doëg Idumæus, dixit se vidisse Dauidem in Nobe, accusauitque Regi Achimelechum Sacerdotem, quòd consuluisset Dominum pro Dauide, dedissetque ei cibaria, & gladium Goliath. Quamobrem iratus Saul, accersitum ad se Achimelechum, per eumdem Doëg (quòd ceteri nefas illud patrare recusassent) iussit occidi, & cum eo Sacerdotes octogintaquinque; & Nobe ciuitatem ipsorum impiè admodum percussit in ore gladij. Ex qua cæde cùm euasisset Abiathar filius Achimelechi, nuntiauit omnia Dauidi; à quo benignè exceptus, mansit deinceps apud eum: 1.Reg.cap.22.vers.6.vsque ad finem capitis. Tulerat autem Abiathar secum de Nobe ephod, vt dicitur cap.23. vers.6. & in eo posteà, quotiescumque opus erat, consulebat pro Dauide Dominum. Eodem ergo tempore cecinit Dauid Psalmum 51. *Quid gloriaris in malitia*, &c. contra memoratum Doëg, vt probat eiusdem Psalmi titulus. Sunt etiam qui putant, Dauidem tunc quoque alios composuisse Psalmos aduersus eumdem Doëg, aliosque Saulis adulatores, nempe Psalmum 108. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est*, &c. & Psal. 139. *Erue me Domine ab homine malo*, &c.

SAVL INTERFICIT SACERDOTES NOBE PROPTER DAVIDEM.

ABIATHAR SACERDOS FVGIENS VENIT CVM EPHOD AD DAVID.

9. Credimus item per hæc circiter tempora venisse (nescio quo modo) ad aures Dauidis verba illa, quæ contra ipsum malitiosè composuerat Saul, palamque obloquebatur coram seruis suis de Dauide, asserens quòd callidè insurrexisset aduersum se, & insidiaretur sibi: vt habemus 1.Reg.c.22.vers.8. Cùm tamen econuersò Saul ipse esset, qui reverà non cessabat machinari, moliri, & struere insidias contra Dauidem, licet insontem, & se tantummodò ab eius persecutionibus tutari satagentem. Puto autem quòd Dauid, his auditis, cecinerit Psalmum 7. qui incipit: *Domine Deus meus in te speraui*, &c. Nam in eo Psalmo videtur purgare se coram Deo & hominibus ab illa calumnia, imprecando sibi ipsi multa mala, si vera erant quæ sibi obiiciebantur. Et propterea exclamat, dicens: *Domine Deus meus si feci istud* (id est, si insurrexi in Dominum meum Regem; & si insidiatus sum ei, aut insidiari vmquam in animo habui) & *si est iniquitas in manibus meis, & si reddidi retribuentibus mihi mala*, (id est, si quid iniquè egi in Regem, siue reddendo ei mala pro bonis, siue etiam mala pro malis) *decidam meritò ab inimicis meis inanis* (id est, cadam inglorius coram inimicis meis) vel potiùs, *persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat*. id est, non solùm persequatur, sed etiam capiat; neque tantùm capiat, sed etiam interficiat me inimicus meus; neque solùm interficiat, sed morte turpissima me afficiat, cum perpetua infamia ac ignominia memoriæ meæ. Deinde orat Deum, vt respiciat, & faciat sibi secundùm iustitiam atque innocentiã suam, subdens: *Iudica me Domine secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meã super me*, &c. Neque his obstat eiusdem Psalmi titulus, qui non modò quidquam meminit de Saule; verùm etiam sic habet: *Psalmus Dauid quem cecinit pro verbis Chusi filij Iemini*. quia iste Chusi non videtur posse accipi pro illo Chusi Arachite, cuius fit mentio 2.Reg.cap.15.vers.32.& cap.16.vers.16.vt S. Augustinus in Expositione huius Psalmi, & alij nonnulli ipsum secuti, crediderunt. Nam (vt aiunt Hebraicæ linguæ periti) Chusi Arachites scribitur per litteram Chet; iste verò Chusi de quo in dicto Psalmi titulo agitur, per Chaph. Et præterea ex locis Reg. citatis constat, Chusi Arachitem non fuisse hostem sed amicum Dauidis, eique benefacere admodum studuisse: & probari non potest, quòd eum verbo aut opere vmquam offenderit, offendereve attentauerit; neque quòd fuerit filius Iemini, hoc est, de tribu Beniamin: siquidem illa citatio (2.Reg.cap.16.) quæ in dicto Psalmi titulo in editione Vulgata per parenthesim interposita est, & remittit Lectorem ad locum vbi Scriptura sacra loquitur de dicto Chusi Arachita, satis probabiliter credi potest, quòd ab aliquo S. Augustini sectatore ibidem fuerit adiecta: quoniam neque in textu Hebraico neque in Græco reperitur. Quare, meo iudicio, præstat sentire cum aliis Auctoribus, & præcipuè cum S. Hieronymo, qui in eiusdem Psalmi Expositione, per Chusi in eius titulo nominatum, intelligit Saulem, de quo dubium non est quin fuerit de stirpe Iemini, id est, de tribu Beniamin, vt planè colligitur 1.Reg.c.9.vers.1.& 2. Et inquit idem sanctus Doctor, quòd totus iste Psalmus secundùm historiam, in persona Saulis interpretari potest. Vocatur autem Saul in dicto titulo, Chus, id est Æthiops, non propriè, sed figuratè; quoniam ob multa eius crimina, iam penes viros probos habebatur tamquam denigratus in moribus & in fama. Et hæc S. Hieronymi opinio nobis magis placet, & præferenda videtur alteri quorumdam opinioni, qui per Chusi filium Iemini, existimarunt debere intelligi Semei filium Gera. Nam licet Semei esset ipse

quoque

quoque de tribu Beniamin, & maledixerit Dauidi fugienti à facie Absalom, vt traditur 2.Reg.cap.16.vers.7.& 8. tamen quæ in dicto Psalmo habentur de innocentia Dauidis, non videntur omnino quadrare posse tempori dictæ fugæ; quia quando Dauid ab Absalom filio suo fugatus fuit valdeque afflictus, non erat adeò innocens sicuti quando persecutionem patiebatur à Saule: siquidem ante dictam fugam, Dauid iam adulterio fœdauerat vxorem Vriæ, ipsumque iniustè occidi curauerat: propter quæ peccata permisit posteà Deus ipsum de suo regno eiici à proprio filio, & ab eodem fœdari concubinas eius, quemadmodum non obscurè prædicendo insinuauerat ei Nathan Propheta 2.Reg.cap.12.vers.11. Denique, si nomen leonis, de quo in eiusdem Psalmi versu 2. dicitur: *Ne quando rapiat, vt leo, animam meam*, eodem S.Hieronymo attestante, magis conuenit Sauli quàm Absalomo, aut alij ipsius Dauidis inimico; multò minùs videtur competere posse Semeo, qui magis propriè (2.Reg.cap.16. vers.9.) comparatus est cani, quòd latrare quidem posset aduersus Dauidem, non autem ipsum mordere aut lædere.

10. Ceterùm hîc aduertere oportet, quòd Abulensis super 1.Paralip. cap.6. quæst.3. cui assentiri videtur Sigonius lib.5.de Repub.Hebræorum cap.2.putat, Saulem, statim postquam iussit occidi Achimelechum, & alios suæ stirpis Sacerdotes, dedisse Pontificatum Sadoco,& tunc redisse summum Sacerdotium à sobole Ithamar ad progeniem Eleazar. Sed huic opinioni obstat, quòd 1.Paralip.cap.12. vers.23. & 28. vbi Sadoc recensetur inter eos qui de tribu Leuitica venerunt ad Dauid in Hebron, vt transferrent regnum Saulis ad eum, idem Sadoc appellatur puer egregiæ indolis. Si ergo tum erat puer, certè oportet eumdem fuisse puerulum, vel etiam infantem, quando occisus fuit Achimelechus: id namque accidit duodecim ferè annis antequam Dauid constitueretur Rex super omnē Israel, vt dignosci potest in tabulis. Non igitur potuit Sadoc statim post necatum Achimelechum summus fieri Sacerdos, præsertim cum Iosephus 8. Antiquit. cap.1. dicat, quòd Sadoc non Saule, sed Dauide regnante creatus est Pontifex. Sed demus, quòd Scriptura sacra, vt aliàs interdum solet, dicat Sadoc fuisse puerum, hoc est adolescentem, puta vigintiquattuor circiter annorum; & consequenter, quòd annum ageret duodecimum tempore necis dicti Achimelechi; & quòd tali non obstante eius ætate, voluerit eum Saul constituere summum Sacerdotem: profectò videtur Saul illum quidem Arcæ fœderis & Tabernaculo præficere potuisse, non autem facere Pontificem; quandoquidem iam Abiathar ad Dauidem aufugiens, tulerat secum ephod, quod erat proprium ac præcipuum Pontificis indumentum, & tamquam legitimus paternæ dignitatis successor, quandocumque opus erat, eo vtebatur, & in eodem consulebat Dominum, quod pariter munus erat summi Sacerdotis: nec vspiam legimus Saulem tunc aliud fecisse ephod, quo Sadoc vmquam vsus fuerit. Præterea (quod magis vrget) 3.Reg. cap.2. vers.35. perspicuè habemus, quòd Salomon posuit Sadoc pro Abiathar Sacerdotem, id est, fecit eum pro Abiathar Pontificem (ibi enim, vt aliàs sæpè, Sacerdotis vocabulum pro Pontifice vsurpatur: nam alioqui vterque natus Sacerdos, nedum tunc factus erat) & confirmatur, quia 1.Paralip.cap.vlt. vers.22. vbi describitur secunda Salomonis vnctio in Regem, subiungitur, quòd etiam vnxerunt Sadoc in Pontificem (subaudi, post depositum de Sacerdotio Abiathar, vt sub anno mundi 3020.num.8.explicabitur.) Sed neque credendum est, duos eodem tempore eiusdemquemet auctoritatis extitisse Pontifices; quin potiùs, si duo erant, fuisse inter se subordinatos: alioqui, nisi maior fuisset ipsius Abiathar auctoritas, frustrà & inanis videretur fuisse illa Sadoc in eius locum suffectio. Vnde refelli posse videtur opinio Cardinalis Toleti, qui super Ioan.cap.18. Annotatione 1. putat, semper quidem apud Iudæos vnum tantùm fuisse Pontificem, hoc est summum Sacerdotem, sed ab hac generalitate excipit tempora Sadoc & Abiathar, quos vno eodemque tempore ambos pariter Pontifices parisque auctoritatis fuisse credidit. Sed si rem accuratiùs expendamus, nihil (vt reor) inueniemus, quòd ad dictam exceptionem faciendam cogere possit: quin potiùs, si semel plures eodem tempore Pontifices esse permissum fuisset, probabile admodum fit, quòd aliàs quoque aliquando id in vsum inductum esset, propter æqualem competitorum potentiam, & ad sedandas inter eos quæstiones ambitionis ergò exortas.

QVOD NON SADOC SED ABIATHAR SVCCESSERIT ACHIMELECHO IN PONTIFICATV.

11. Sed quid dicemus ad id quod vbi suprà asserit Iosephus, nempe, Sadoc Dauide regnante factum fuisse Pontificem? id enim si verum est, vtique oportet duos eodemmet tempore extitisse Pontifices. Ad hoc dicimus, quòd Dauid (quemadmodum legimus 2.Reg.cap.16.vers.39.) post reductam Dei Arcam ad domum suam in Ierusalem, relicto

DILVVNTVR OBIECTA.

relicto Tabernaculo fœderis in Gabaon, vt vtrobique (ficuti par erat) Deus follemniter coleretur; diuifit Sacerdotes & Leuitas, vt alij miniftrareot coram Arca Domini in Ierufalem, alij verò coram Tabernaculo fœderis in Gabaon. Et ijs quidem qui remanferant in Ierufalem, quia ibidem quoque maoebat Abiathar, verus ac legitimus Pootifex, neminem præfeciſſe legitur: ijs autem qui miſſi funt miniftrare in Gabaon, præfecit Sadoc. Qui propterea licet quodammodò eſſet vereque dici poſſet factus Pontifex, (fiquidem poterat ibidem munia pontificalia exercere;) nihilominùs recta ratio dictat, quòd non fuerit generalis; fed veluti partialis, & vt ita dixerim, foraneus Pontifex; & confequenter; non fupremus, fed fupremo fubordinatus, nimirum ipfi Abiathar, qui etiam ipſo erat fenior, & manebat in Ierufalem vbi erat Arca Domini, quæ proculdubiò longè dignior erat ipfo Tabernaculo, & proinde maiorem cultum digniorem que Pontificem exigere videbatur. Quòd fi talis non fuiſſet Abiathar, vtique non fuiſſet poſteà in eius locum Sadoc fubrogarus. Fuit ergo Sadoc non primus, fed fecundus Sacerdos, Dauidis temporibus; ficuti poftmodum regnante Sedecia primus Sacerdos erat Saraias, & fecundus Sophonias, vt apertè traditur 4. Reg. cap. vlt. verf. 18. Initio autem regni Salomonis, quemadmodum fuprà dictum eſt, depofitus fuit de fummo Sacerdotio Abiathar, & pro eo fuffectus Sadoc: quare etiam Abiatharis & Sadoci tempore, vnus tantùm erat apud Iudæos fummus Sacerdos. Nec refert quòd Scriptura facra 2. Reg. & 1. Paralip. vbicumque (quod non raròaccidit) duo, & interdum tres memorantur Dauide regnante Sacerdotes, femper priùs nominat Sadoc quàm Abiathar & Achimelechum eius filium: id enim facere potuit, quoniam Abiathar breuì erat de fummo Sacerdotio deponendus, Sadoc autem eidem fubrogandus; & quòd huius progenies dignior eſſet, vrpote quæ ex Aaronis primogenito prodiret, & propterea eidem Sacerdotij dignitas magis deberetur, & apud quam deinceps ferè iugiter permanfura præuidebatur. Vel etiam, quia Auctores libr. Reg. & Paralip. qui Abiathar & Sadoc multò pofteriores fuerunt, cùm vidiſſent iam ablarum eſſe Sacerdotiũ de domo Abiathar, & tranflatum in domum Sadoc, ob reuerentiam eius, cunuenientius duxerunt priùs nominare Sadoc. Quidquid fir, oporter hoc factũ fuiſſe, non quia runc Abiathar non eſſet fummus Pontifex, quemadmodum probarum eſt; fed vel ob allegatos, alióſve eiuſmodi refpectus. Denique ad comprobationem eorum quæ de Abiathar Pontificaru hactenus dicta funt, facient eriam ea quæ fub anno mundi 3020. num. 13. dicenda erunt. Igitur ab hoc, vel potiùs à confequenti anno, oumerandi funt anni Pontificatus Abiathar. Er quoniam ipfe poft Achimelechum patrem fuum Sacerdotio functus eſt, donec tandem à Salomone fuit depofitus, ideoque ex Sacro textu certa & euidens remanet feries annorum Sacerdotij eius, æquum erit eam fpeciatim in tabulis quoque digerere, iuxta pollicitationem à nobis fub anno mun. 2583. num. 6. factam.

De annis Pontificatus Abiathar.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2975. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 432.

Miphiboſethi ortus.

1 ANNO regni Saulis decimofexto circiter incipiente, qui fuit quintus ante obitum eius, oportet natum eſſe Miphiboſeth filium Ionathæ: fiquidem ipſe erat puerulus quinquenois quando venit nuntius de morte patris fui Ionathæ & aui Saulis, vt habemus 2. Reg. cap. 4. verf. 4.

Dauid liberat ab obſidione Ceilah.

2. Per hæc (vt credimus) tempora, audiens Dauid quòd Philifthæi oppugnarent Ceilam vrbem tribus Iudæ, cuius fit mentio Iofue cap. 15. verf. 43. confulto femel atque iterùm Domino (fubaudi, per Abiathar Sacerdotem, qui ad eum confugerat cum ephod, vt dictum eſt) percuſſit Philifthæos plaga magna, & liberauit ab obſidione vrbem, inhabitauitque cum viris fuis in ea. Verùm cùm poſteà audiſſet quòd Saul cogetet exercirum, vt veniret & comprebenderet ipfum in Ceila; veritus ne ab oppidanis traderetur in manus Saulis, confulto priùs iterùm per Abiathar Dumino, egreſſus eſt cum viris fuis iam ferè vfque ad fexcentos auctis: qui primò quidem huc atque illuc vagabantur, incerti quónam fefe recipere deberent, ne à Saule reperirenrur; ac tandem confederuot in folitudine Ziph, in locis montofis ac rutiſſimis filuæ, & fpecialiter in quodam colle qui vocabatur Hachila, qui erat opacus, & admodum opportunus ad fecurè latitandum in eo. Saul autem, vt audiuit Dauidem exiſſe de Ceila, diſſimulauit exire, nimirum finxit fe ooluiſſe cum exercitu ire in Ceilam. At verò Ionathas, vt audiuit quòd Dauid eſſet in loco fatis tuto, & quòd iam multi de Ifrael viri fortiſſimi ad eum cooſluxiſſent vt adiuuarent partes eius; clàm venit ad eum, & confortauit eum,

Egreſſus de Ceila ſeſe recipit in collem Hachila deſerti Ziph.

præ-

IONATHAS TERTIO FIRMAT FOEDVS CVM DAVIDE ICTVM.

prædicens quòd certò regnaturus esset in Israel, & renouato, ac tertiò iam confirmato fœdere quod pariter inierant, reuersus est Ionathas in domum suam: 1. Reg. cap. 23. vers. 1. vsque ad 19.

ZIPHAEI PRODVNT DAVIDEM REGI.

SAVL CVM EXERCITV PERSEQVITVR DAVIDEM.

DAVID DE DICTO COLLE VENIT IN DESERTVM MAON.

3. Post hæc Ziphæi, licet essent de contribulibus Dauidis (Ziph enim erat ciuitas tribus Iuda, vt patet Iosue cap. 15. vers. 55. à qua proximum desertum appellabatur Desertum seu Solitudo Ziph) scientes se Regi gratum facturos, denuntiauerunt ei, Dauidem latitare apud eos, & insuper obtulerunt se tradituros illum in manum Regis: qui, commendata eorum fidelitate, remisit eos, ac præmisit vt diligentius scrutarentur atque inuestigarent omnia latibula eius: ipse verò Saul non multò pòst cum magna militum manu venit ad perquirendum Dauidem; qui hoc audito, statim descendit de colle, & versabatur in deserto Maon, quod erat proximú deserto Ziph, vel potiùs pars eius, sic denominata ex nomine vrbis Maon, quæ non valdè procul inde aberat, siquidem istæ quattuor vrbes, Maon, & Carmel, & Ziph, & Iota, ex loco Iosue proxime citato, videntur fuisse finitimæ, & in eadem solitudine seu regione positæ. Cùm autem peruenisset Saul ad desertum Maon, pergeretque cum suis ad latus montis, Dauid autem cum suis esset in altero eiusdem montis latere, & aduertisset quòd viri Saul eum in modum coronæ iam vndique cingebant, ac proptereà videns se suosque in arcto positos, desperaret posse de manibus Saulis euadere, ad solitum orationis confugium conuersus, clamauit ad Dominum in Psalmo 53. dicens: *Deus in nomine tuo saluum me fac*, &c. vt constat ex titulo. Atque hoc pacto, confestim Dei ope de maximo illo periculo liberatus est. Etenim tunc temporis appulit nuntius ad Saulem, qui coëgit eum festinatò inde abire, & occurrere Philisthæis impetum facientibus in terram Israel: 1. Reg. cap. 23. vers. 19. vsque ad finem capitis.

DAVID IN ANGVSTIIS POSITVS, ORANDO MIRABILITER LIBERATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2976. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 433.

ITERVM SAVL PERSEQVITVR DAVIDEM.

DE ENGADDI, ET EIVS MONTIBVS.

1 ANNO, vt arbitror, insequenti, Saul post pulsos profligatosque de terra Israel Philisthæos, cum tribus millibus viris ex omni militia sua electis persequitur Dauidem commorantem in locis tutissimis Engaddi. Porrò Engaddi computatur inter ciuitates tribus Iudæ, Iosue cap. 15. vers. 62. erantque ibi olim vineæ speciosissimæ & celeberrimæ, quarum fit mentio Cantic. cap. 1. vers. 13. illis verbis: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*. Ex eiusdem item vrbis nomine, Engaddi quoque nuncupabatur mons in territorio eius existens, non longè ab Occidentali littore Maris mortui; siquidé de Segor, quæ erat proxima Mari mortuo, ad ascensum montis Engaddi, vnam dumtaxat itineris leucam ponit Brocardus diligens atque oculatus illorum locorum spectator: qui etiam addit, montes Engaddi esse sublimes valdè, & præruptis rupibus adeò incompositos, vt videntibus horrorem incutiant; & ipse numquam tales se vidisse asserit. In his ergo Saul latitantem Dauidem perquirens, loca etiam solis ibicibus peruia peruestigare non omittebat. Adeò præualuerat in eo inuidiæ atque odij vis, vt nullis parcere laboribus, nihil intentatum relinquere operæpretium duceret, quò insontem comprehendere ac necare posset. Sed ecce diuina prouidentia, quæ vt insanos labores & iniquos conatus frustraret, quin etiam regij cordis malignitatem confunderet, permisit, vt dum purgandi alui gratia à suis sese incautus Rex segregat, ad specum diuertat, in cuius interiori parte admodum cauernosa & capaci atque obscura absconditus erat Dauid. Porrò tunc orabat Dominum Dauid in Psalmo 141. *Voce mea ad Dominum clamaui*, &c. cuius titulus est: *Intellectus Dauid, cùm esset in spelunca, oratio*. (1. Reg. 24.) Viri autem qui ibidem cum Dauide latitabant, ex luce quæ aliquantulùm intra os antri sese expandebat, agnoscentes Saulem ingredientem, qui eos, contra tenebras obscurissimas spectans, cernere non poterat, submissa voce hortati sunt Dauidem, vt illum interficeret: at ipse sensim ac leuiter à tergo accedens, cùm præcidisset oram chlamydis eius, illicò pœnituit; & ait intra se: *Propitius sit mihi Dominus, ne mittam manum meam in christum Domini*. Itaque neque ipse eum voluit occidere, neque permisit quemquam ex suis illum lædere: sed illo de specu egresso clamauit post eum, eidemque abscissam chlamydis oram ostendens, ac certiorem faciens, quòd illum, si voluisset, sine vllo negotio potuisset occidere, conquestus est, quòd eum iniustè ac sine causa persequi non desisteret. Quo facto, Saul, tum horrore periculi in quod inciderat, tum tali ac tam insperato ab hoste beneficio, in semetipso confusus, palàm fateri coactus est, iustiorem seipso esse Dauidem, qui reddidisset ei bona pro

DAVID SAVLEM SE PERSEQVENTEM IN SPELVNCA INVENTVM INTERFICERE RENVIT.

malis. Exemplum sanè pietatis, præsertim ante aduentum Saluatoris, admirabile. Et quoniam Saul vel ex hoc iam pro certo habebat, quòd Dauid regnaturus esset super Israel, adegit eum, iureiurando vt promitteret se non deleturum semen eius. Atque his dictis, abiit Saul in domum suam, & pro tunc cessauit persequi Dauidem, qui tunc dicitur secundò cecinisse Psalmum 56. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam*, &c. quemadmodum deducitur ex postrema loci Reg. citatione, quæ in eiusdem Psalmi titulo habetur. Deinde Dauid veritus nouam à Saule persecutionem, sese cum suis recepit ad tutiora loca deserti: 1. Reg. cap. 24. per totum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2977. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 434.

OBITVS SAMVELIS.

1 SVB finem anni regni Saulis decimioctaui (vt infrà sub anno mundi 2979. n. 10. & 11. probabimus) oportet decessisse Samuelem, quem planxit vniuersus Israel, & sepelierunt in domo sua in Ramatha, vt dicitur 1. Reg. cap. 25. vers. 1. & c. 28. vers. 3. Egregia verò eius præconia celebrantur Ecclesiastici cap. 46. vers. 16. vsque ad finem capitis, vbi sic legimus: *Dilectus à Domino Deo suo Samuel Propheta Domini, renouauit imperium, & vnxit principes in gente sua* (quia Hebræorum regimen ipse primus à Iudicibus ad Reges transtulit, vnxitque primò Saulem, posteà etiam Dauidem in Reges.) *In lege Domini congregationem iudicauit, & vidit Deus Iacob*, (ac si diceretur, inspectante Deo Iacob) *& in fide sua probatus est Propheta. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis:* (hoc est, diuina illustrabatur luce:) *& inuocauit Dominum omnipotentem in oppugnando hostes circumstantes vndique, in oblatione agni inuiolati.* (hoc explicatius traditur 1. Reg. cap. 7. vers. 7. vsque ad 12.) *Et intonuit de cœlo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam, & contriuit Principes Tyriorum, & omnes Duces Philisthiim:* (vt nos explicatius sub anno mundi 2959. num. 1. tradidimus) *& ante tempus finis vitæ suæ & sæculi*, (subaudi, Iudicum) *testimonium præbuit in conspectu Domini, & Christi, pecunias & vsque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusauit illum homo Et post hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra in prophetia, delere impietatem gentis.* (nimirū quando prædixit interitum populi cum suo Rege, 1. Reg. cap. 28. vers. 19.) hactenus verba Ecclesiastici.

EIVS PRÆCONIA EX ECCLESIASTICO.

QVOS SCRIPSERIT LIBROS.

2. Ceterum, Samuelem scripsisse multos libros, nempe Iudicum, Ruth, & 1. Reg. tradit S. Isidorus lib. 6. Originum cap. 2. Verùm quod attinet ad lib. 1. Reg. oportet non totum à Samuele fuisse conscriptum: quandoquidem capite eiusdem lib. 25. ponitur mors ipsius Samuelis. vnde necesse est aliqua saltem antè dictum caput, & omnia quæ post ipsum habentur, ab alio fuisse scripta. Quod si verum est, vt credimus, quomodo (dicet aliquis) saluari poterit id quod in fine lib. 1. Paralip. traditur, videlicet, *Gesta Dauid regis priora & nouissima scripta esse in libro Samuelis Videntis?* Respondери potest, illud *priora & nouissima* non debere referri tantummodò ad Samuelem, sed etiam copulatiuè ad duos alios Scriptores ibidem subiunctos, sequitur enim: *Et in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad Videntis*; ita vt gesta Dauidis intelligantur scripta non omnia à singulis, sed omnia ab omnibus tribus hisce Auctoribus. Quòd si mauis credere, gesta Dauidis prima & nouissima contineri in libro Samuelis, dic (& melius) Esdram auctorem libri Paralip. per librum Samuelis, Hebræorum more, intelligere voluisse duos priores Reg. libros priùs vnico volumine exaratos, posteà sic distinctos; in quibus reverà continentur omnia gesta Dauidis, prima & nouissima: nam, vt ait S. Hieronymus in Prologo Galeato, quem nos 1. & 2. Regum dicimus, Hebræi Samuel appellant: & ita eosdem libros inscribunt LXX Interpretes. Ratio autem huius inscriptionis, vt arbitror, non est, quia Hebræi crediderint eos à Samuele fuisse conscriptos; sed quia sciebant Samuelem primò cœpisse scribere gesta Dauidis, quæ sunt in toto ferè 1. Regum libro, sed morte præuentum, eadem perficere non potuisse; propterea operæpretium existimarunt, etiam ea quæ posteà ab alio vel ab aliis suppleta sunt, eidem Samueli tribuere, & à primario eius Auctore totum illud opus denominare. Rectè ergo in fine libri 1. Paralip. dicitur, Gesta Dauidis priora & nouissima scripta esse à Samuele, sed *in libro Samuelis*, accipiendo librum Samuelis eo modo quo expositum est. Quis autem suppleuerit in 1. & 2. Reg. quæ Samuel morte interueniente, prosequi non potuit, non est omnino certum: quidam enim, inter quos est etiam S. Isidorus vbi suprà, putant ea ab ipsomet Dauide fuisse conscripta. Quidam verò à Nathan & Gad Videntibus; idque colligunt ex his quæ in fine libri 1. Paralip. habentur. Sed reverà ibi tantum-

tantummodò dicitur, eos scripsisse gesta Dauidis, quod credendum est non simul sed seorsum singulos præstitisse. Vnde nec videtur inde elici posse quis eorũ, sed nec quòd alter ex ipsis scripserit postremam partem libri 1. Reg. & totum 2. Itaque probabiliùs forsitan posset quis suspicari, vel Ieremiam Prophetam (si tamen ipse quattuor librorum Regum, non autem duorum posteriorum tantùm auctor fuit) vel aliquem alium duos priores Regum libros ex his quæ olim Samuel & Nathan & Gad scripserant, compilasse.

3. Defuncto Samuele, descendit Dauid de monte Engaddi in desertum Pharan, id est ad initia deserti Pharan, quæ attingebant ex parte fortem tribus Iudæ Meridianam, in solitudine Maon & Ziph, quæ fortè erant partes dicti deserti Pharan (erat enim amplissimum, excurrebatque ad Austrum ferè vsque ad montem Sinai.) Porrò in solitudine Maon, siue non procul ab ea, situs erat mons Carmelus; non ille quidem, qui Iosue cap. 19. vers. 26. ponitur in termino tribus Aser, appellaturq; Carmelus mons, quia pertingit vsque ad mare Mediterraneum; in quo monte postmodum ad Eliæ instantiam congregati sunt Prophetæ Baal, & occisi, quemadmodum traditur 3. Reg. cap. 18. vers. 19. sed alter mons Carmelus in tribu Iuda positus, & sic denominatus à proxima ciuitate, quæ dicebatur Carmel, non valdè distans à Maon, vt colligi potest Iosue cap. 15. vers. 55. Cùm igitur audisset Dauid, quòd in hoc monte Carmelo quidam vir valdè diues, nomine Nabal, quadam die tonderet gregem suum, faceretq; conuiuium in domo sua quasi conuiuium Regis; misit ad eum decem iuuenes, qui commemorarent ei beneficia à se & à comitatu suo frequenter pastoribus suis præstita, quos iam aliquamdiu in illis solitudinibus protegere consueuerant; belleque pariter eidem insinuarent præsentem ipsius Dauidis & suorum indigentiam, agerentque cum eo, vt de bonis ad victum pertinentibus, quibus largiter abundabat, instanti eorum necessitati subuenire non recusaret. At verò vt audiuit, quòd vir ille durus & inclemens non solùm vacuos remisisset, verùm etiam asperiùs quàm deceret respondisset; indignatus vehementer Dauid, confestimque cum fermè quadringentis viris accinctus, properabat perdere Nabal & vniuersam familiam eius; idque opere impleuisset, nisi prudentissima dicti Nabal vxor, nomine Abigail, occurrisset cum opportunis muneribus, & magna humilitate aptaque deprecatione iram illius superasset, furorem extinxisset, impetum retardasset. Itaque Dauid prudenti mulieris oratione placatus, suscepit munera, eidem gratias agens, quòd ipsum retinuisset, ne in cædes irrueret; & ea honorificè dimissa, ipse ad loca sua reuersus est: 1. Reg. cap. 25. vers. 1. vsque ad 37.

DAVID DE MONTE ENGADDI VENIT IN SOLITVDINEM MAON ET ZIPH.

DE DVPLICI MONTE CARMELI.

ABIGAIL PRVDENTER AVERTIT DAVIDEM A EVERSIONE DOMVS VIRI SVI VALDE INCLEMENTIS

4. Sequenti verò die, vt audiuit ab vxore sua Nabal quæ acciderant, protinus præ nimio periculi maximi, quod ex rusticitate sua incurrerat, timore atque horrore perterritus, morbo quodam interno correptus est; cumque eius cor ab humore melancholico vehementer obtueretur, pòst decem dies tali nece à Domino percussus interiit. Post hæc autem, requisita Abigail ex parte Dauidis si vellet ei nubere, illa confestim & singulari quadam cum humilitate annuit, & facta est vxor eius: fortè autem iam audierat Dauid, Saulem dedisse Michol filiam suam, vxorem ipsius Dauidis, alteri viro, nempe Phalti filio Lais de Gallim. Sed & aliam per eadem (vt arbitror) tempora accepit Dauid vxorem, nomine Achinoam, de Iezrael: (1. Reg. c. 25. vers. 37. vsque ad finem capitis) non de illa Iezrael quæ erat in tribu Issachar, vt patet Iosue cap. 19. vers. 18. sed de ea quæ erat in tribu Iuda, & proxima illis locis, in quibus morari solebat Dauid, videlicet deserto Ziph & Maon, & monti Carmelo, quemadmodum colligi potest ex Iosue cap. 15. vers. 56. vbi Iezrael continenter cum prædictis locis recensetur. Vtrùm verò Dauid priùs duxerit Abigail vxorem, an Achinoam, dubitari posse videtur; quoniam loco Reg. proximè adducto priùs narratur coniugium cum ipsa Abigail contractum, 2. autem Reg. cap. 3. vers. 2. & 1. Paralip. cap. 3. vers. 1. ex hisce duabus Dauidis vxoribus primò memoratur Achinoam. Sed aduertendum est, quòd locis 2. Reg. & 1. Paralip. citatis non attenditur ordo vxorum Dauidis, sed filiorum eius: & ideò per accidens priùs nominatur Achinoam, quia ipsa prior ceteris genuit Dauidi filium, fuitque mater primogeniti eius Amnon. Vnde magis credendum est, Abigail prius à Dauide fuisse ductam, quemadmodum 1. Reg. cap. 25. vers. 42. & 43. clarè habetur in littera, à qua, vbi nihil obstat, recedendum non est. Et hinc refelli potest illa Hebræorum opinio, quam ex Rabbi Salomone refert Lyranus super 2. Reg. cap. 3. & 1. Paralip. cap. 3. nempe quòd filius Abigail, qui 2. Reg. appellatur Cheleab, & 1. Paralip. Daniel, ideò fuerit binominis, quià tunc erant quidam irrisores, dicentes, quòd ille non erat filius Dauid, sed Nabal; & quòd Abigail illum de priori viro suo conceperat, antequam

NABAL MORITVR.

ABIGAIL FIT VXOR DAVIDIS.

IEZRAEL DVPLEX.

VTRVM DAVID PRIVS DVXERIT ABIGAIL AN ACHINOAM VXOREM.

OPINIO RABBINORVM REFELLITVR.

eam Dauid duxisset vxorem. Ad cuius rei falsitatem ostendendam, inquiunt, mutata est à Deo facies pueri, & assimilata est faciei Dauid, qui quem priùs vocauerat Daniel (quod interpretatur Iudicium Dei; ac si diceret, Iudicet Dominus, & ostendat cuiusnam iste sit filius) posteà appellauit eum Cheleab, quòd Hebraicè significat, Quasi pater, vel Similis patri. Sed hæc, ni fallor, magis redolent Rabbinorum commentum & adinuentionem, quàm veram historiam: nullum enim solidum habent fundamentum. immò ex Sacro textu oppositum colligi potest. Nam si dictus filius Abigail natus est in Hebron, & Dauid post ductam Abigail, duxit & Achinoam, quæ prius peperit ei filium quàm Abigail; vtique nulla poterat suspicio suboriri, quòd filius Abigail, qui natus est post filium alterius vxoris posteriùs ductæ, non de Dauide, sed de Nabal conceptus fuisset: sic enim à nupta Dauidi Abigail ad natum Cheleab oportet decem saltem menses interfluxisse, & ab obitu Nabal integrum ferè annum; quin & multò ampliùs, vt ex suprà dictis infraque dicendis colligi potest. Nec refert quòd duplici nomine puer fuerit appellatus; quia pluribus aliis id commune est, & alia de causa potuit contingere; vt omittam quòd vocabulum Cheleab alias quoque habet significationes: nam iuxta Glossam ordinariam super 1. Paralip. cap. 3. interpretatur etiam, Vindicans patrem; & iuxta alios, Consummatio, vel Prohibitio patris. Sed esto, Cheleab significet etiam, Similis patri, & priùs vocatus fuerit Daniel (quod tamen probare non possunt) quid prohibet opinari, dictum filium posteà tale nomen fuisse sortitum, quòd quò magis cresceret, eò magis Dauidi patri naturaliter assimilari videtur? Ecce quàm facilè ac leuiter Hebræi in Sacra historia quædam confingunt, quæ cum Sacro textu cohærere nullo modo possunt. Sed magis mirandum est, nonnullos itèm reperiri Catholicos Scriptores, qui ex confictis hisce Hebræorum commentis, morales etiam quosdam allegoricosque sensus eliciunt, tamquam ex Sacro eloquio haustos: quibus & seipsos, & speciatim verbi Dei concionarores in Sacris libris parum exercitatos sæpissime fallunt. Videant ergo quomodo cautè ac prudenter se gerant in eiusmodi librorum lectione iidem concionatores, nec facilè talium conceptuum raritate ac dulcedine capti, talibus credant Auctoribus, nisi priùs dictarum allegoriarum fundamenta fideliter in Sacro textu recognouerint; memores eorum, quæ nos ex B. Gregorio in huius Operis Præfatione num. 2. diximus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2978.	QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 435.

1 ANNO, vt putamus, subsequente, iterùm Ziphæi deferunt Sauli in Gabaa, quòd Dauid clàm habitaret apud eos in colle Hachila, vbi aliàs quoque latitauerat. Saul verò immemor, vel potiùs violator promissionis antè factæ, delectis de Israel tribus millibus, non est cunctatus denuò persequi Dauidem. Veniens itaque cum exercitu suo in desertum Ziph, castra posuit in prædicto colle. Dauid autem qui in alia deserti parte recesserat, vt primùm per exploratores cognouit illuc venisse Saulem, iterùm cecinit Psalm. 53. *Deus in nomine tuo saluum me fac*, &c. vt patet ex altera loci Regū citatione, eius titulo adiecta. Dein cùm secretò ipsemet recognouisset loca castrorum, & tentorium in quo dormiret Rex, & non longè ab eo Abner princeps exercitus eius: venit quadam nocte ipse & Abisai ad castra Saulis, inueneruntque Regem dormientem, & Abner ac populum in circuitu eius pariter dormientes: cumque Dauid Saulem commodè posset occidere, mirabili virtute non solùm se continuit, verùm nec permisit Abisai volentem illum lancea confodere; sed ablatis tantummodò hasta Regis, & scypho qui erat ad caput eius, abierunt. Posteà verò de vertice montis exclamans Dauid contra Abner, exprobrare cœpit ei somnolentiam & incuriam in custodiendo Rege: deinde audita expergefacti Regis voce, conqueri cum eo, quòd necdum cessaret ipsum iniustè persequi, tametsi ipse iam secundò potuisset illum occidere, & pepercisset extendere manus suas in eum. Saul ergo hæc audiens, & in semetipso confusus, palàm fassus est se peccasse, ac stultè egisse; ac subinde repromisit se nolle illi ampliùs malefacere; sicque per puerum hasta scyphoque receptis, ac benedicto Dauide, reuersus est in locum suum, hoc est in Gabaa: 1. Reg. c. 26. per totum. Sed nec valdè diu in proposito permansit: siquidem posteà quoque rursum cœpit quærere Dauidem, vt ex subsequentibus apparebit.

DAVID SAVLEM DORMIENTEM NEC IPSE VOLVIT INTERFICERE, NEC A SVIS INTERFICI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 1979. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 436.

DAVID CVM SVIS HABITAT INTER RA PHILISTHINORVM, ET SAVL CESSAT EVM PERSEQVI.

1 ANNO regni Saulis vigesimo, mense, vt num. 2. probabitur, octauo iam per aliquot dies inchoato, videns Dauid quòd non cessaret Saul ipsum quærere in cunctis finibus Israel, veritus ne aliquando incideret in manus eius, cogitauit magis expedire sibi suisque, si exiret de terra Israel, & transiret ad terram Philisthinorum. Itaque inito fœdere cum Achis Rege Geth, habitauit per aliquot (vt arbitror) dies in Geth cum viris, hoc est militibus, vxoribus, & vniuersa familia sua. Quod vt audiuit Saul, cessauit vltrà eum persequi: 1. Reg. cap. 27. vers. 1. vsque ad 5. Quo tempore Iansenius credit Dauidem composuisse Psalmum 25. *Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum,* &c. siquidem in eo videtur protestari coram Deo & hominibus, & notam facere innocentiam ac sinceritatem animi sui; quòd scilicet non malo animo, neque vlla sinistra intentione, sed tantummodò declinandæ persecutionis gratia recessisset de terra Israel, atque in hostium populi sui ditionem sese recepisset. Et quoniam hic, vt diximus, cessauit persecutio Saulis, non abs re fuerit, eodem quoque loco obiter adnotare, quòd idem Iansenius in Psalmos putat, Dauidem per illud tempus, quo prænotatas sustinuit persecutiones à Saule, plures etiam alios Psalmos præter hactenus signatos composuisse, nempe 5. qui incipit: *Verba mea auribus percipe Domine,* &c. & 12. *Vsquequò Domine obliuisceris me in finem.* & 16. *Exaudi Domine iustitiam meam.* & 26. *Dominus illuminatio mea,* &c. quamquam ex titulo apparet, hunc Psalmum fuisse decantatum priusquam Dauid liniretur in Regem, nimirum secundò super Iudam, & tertiò super omnem Israel, vt sub anno mundi proximo, num. 1. & 2987. num. 3. dicemus. Item putat Iansenius, Dauidem intra prædictum toleratæ persecutionis suæ tempus composuisse ac cecinisse Psalmum 57. *Si verè vtique iustitiam loquimini.* & 85. *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me.* & 93. *Deus vltionum Dominus.* atque hisce Psalmis tunc maximè quando variis hostium suorum, ac præcipuè Saulis molitionibus frequenter affligebatur, ad Deum auxilij causa deuotè admodum confugere solitum fuisse. Hos autem omnes hic Psalmos signanter notare visum est, quoniam de ceteris, quonam singuli tempore magis determinato decantari fuerint, accuratiùs tradere nequimus.

DE PSALMIS A DAVIDE PERSECVTIONIS TEMPORE COMPOSITIS.

CVR DAVID DE GETH TRANSTVLERIT DOMICILIVM IN SICELEG.

2. Non multò postquam venerat Dauid habitare in Geth, puta post quindecim circiter dies, cogitauit viditque non expedire sibi suisque, diutiùs ibidem cum Rege morari. Itaque siue ad declinandam seruorum illius inuidiam, quòd viderent alienigenam adeò acceptum Regi; siue ne occasionem præberet suis declinandi ad idola, exemplo præsertim Regis & Principum eius; siue vt commodiùs posset in cibis aliisque cærimonialibus obseruare Legem diuinam per Moysen latam; siue vt cautiùs, & insciis Rege ac Philisthæis, posset de præda hostium populi sui, sibi suisque necessaria prouidere, cùm alioqui aliunde cibaria non suppeterent; siue demum ombibus hisce aliisque eiusmodi de causis, petiit obtinuitque à Rege licentiam habitandi in vna ex aliis vrbibus eius; & assignauit ei Rex vrbem nomine Siceleg, in quam ipse Dauid cum viris suis & omnibus ad se pertinentibus migrauit, mansitque vsque ad obitum Saulis. Et ideò hæc vrbs, licet olim cecidisset in sortem tribus Simeon, vt patet Iosue cap. 19. vers. 5. quia tamen non reperitur, quòd ab ipsis Simeonitis vmquam de manu Philisthinorum fuisset capta, & reipsa tribui ipsorum incorporata; & nunc ab Achis eorumdem Philisthinorum Rege data fuerat Dauidi, qui erat de tribu Iuda: *Propter hanc causam* (inquit Scriptura 1. Reg. cap. 27. vers. 6.) *facta est Siceleg Regum Iuda vsque in diem hanc.* id est reputata fuit, tamquam si contenta fuisset in sorte tribus Iudæ. Mansit ergo Dauid in terra Philisthinorum quattuor menses, vt apertè traditur cap. Reg. proximè citato vers. 6. Iosephus tamen 6. Antiq. cap. 14. prope finem, addit insuper viginti dies: quem secutus est Auctor Historiæ Scholasticæ 1. Reg. cap. 24. Quibus etiam videntur adstipulari textus Hebraici, & Chaldaicæ Paraphrasis, & Santis Pagnini, qui, vt videre est in Bibliis Regiis, habent *dies & quattuor menses.* hoc est aliquot dies supra menses quattuor. Quod si verum est, oportet accipere, textum Scripturæ sacræ Vulgatum loqui de mensibus integris, & suo more prætermisisse quintum, quòd non esset completus. Non est etiam hic prætermittendum, quòd Caietanus & alij, ex quodam textu Hebraico, vt aiunt, putant, Dauidem mansisse in regione Philisthinorum anno vno & mensibus quattuor. Sed quia ille textus omnino aduersatur textui tum editionis Vul-

DE VRBE SICELEG.

QVAMDIV DAVID MANSERIT IN TERRA PHILISTHINORVM.

gatæ, tum LXX. Interpretum, qui sunt magis in sancta Ecclesia recepti, quàm quiuis ex aliis; propterea opinio illa prorsus reiicienda est. Neque enim ed vllatenus suffragari possunt verba illa, quæ 1.Reg.cap.29. vers. 3. dicebat Achis Rex Principibus Philisthinorum: *Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul regis Israel, & est apud me multis diebus vel annis?* quia illud *vel annis*, aut per exaggerationem, vt fit, adiecit Achis; aut mentitus est, vt vel sic Satrapas suos in propriam traheret sententiam; aut significate voluit, se in illis paucis mensibus, quibus mansit apud se Dauid, adeò plenè bonam eius fidem explorasse, ac si mansisset apud ipsum multis annis.

QVI TRANSFVGERINT AD DAVID IN SICELEG, ET QVID IPSE CVM SVIS IBI AGERIT.

3. Sanè eo tempore quo mansit Dauid in Siceleg, transfugerunt ad eum de Israel viri illi fortissimi strenuique pugnatores de tribu Beniamin, qui per singula nomina recensentur 1.Paralip.cap.12.vers.1.vsque ad 8. Ipse verò Dauid cum ipsis aliisque bellatoribus suis multas quotidie faciebat excursiones, deprædabaturque regiones Gessuritarum, & Gerzitarum, & Amalecitarum, qui omnes habitabant in terra ferè inter Chananæam & Ægyptum posita: & quos spoliabat, etiam interficiebat, ne Rex scire posset vnde spolia ablata essent; siquidem quando redibat Dauid, ostendebatque Regi prædas ouium, & armentorum, & vestium; illeque interrogabat: *In quem irruisti hodie? Respondebat Dauid* amphibologicè: *Contra Meridiem Iuda, & contra Meridiem Ierameel, & contra Meridiem Ceni.* erant autem Ierameel & Ceni quædam Iudææ regiones in finibus eius Australibus, quę continebant singulæ vrbes plurimas, vt colligitur 1.Reg. cap. 30. vers. 29. Itaque ratus Achis memoratas deprædationes fieri in terra Iuda, non ampliùs suspectum habebat Dauidem, quòd (vt putabat) tanta mala fecisset in populo Israel: 1. Reg.cap.27.vers.8.vsque ad finem capitis.

DE GESSVRITIS, GERZITIS, ET AMALECITIS.

4. Ceterùm hic si quis quærat, quinam essent prædicti populi, nempe Gessuri, Gerzi, & Amalecitæ, quos deprædabatur Dauid; dicimus, de Amalecitis quidem satis sub anno mundi 2319.num.9. actum esse. De Gessuritis verò & Gerzitis, quod attinet ad eorum originem, nihil aliud nos habere quod proferamus, quàm quod sub anno mundi 2931. num. 39. probabiliter disseruimus; quare ad eum locum Lectorem remittimus. Hic tamen aduertendum censemus, Abulensem super 1.Reg.cap.27. quæst.16. existimasse, quòd qui hic dicuntur Gerzi, & nusquam aliàs, sub hoc saltem nomine, quòd viderim, in Sacro eloquio memorari repetiuntur, fuerint iidem, quos alibi Scriptura sacra vocat Machati, ita vt hi populi fuerint binomines. Nam, inquit, quemadmodum hic iunguntur Gessuri & Gerzi; ita Deuteron.cap.3.vers.14. & Iosue cap. 12. vers.5. & cap.13. vers.11.& 13.simul memorantur Gessuri & Machati. Sed hæc coniectura videtur valde leuis, cùm nihil prohibeat, quin Gessuri aliquando cum Machatis, aliquando verò cum Gerzis memorari potuerint; sicuti legimus Apcalyp. cap. 20. vers. 7. Magog iungi cum Gog. & Ezechiel. cap 27. vers. 13. & cap.38. vers. 2. cum Thubal; nec propterea sequitur, eumdem fuisse populum nominatum Gog, cum eo qui nuncupatur Thubal. Cùm ergo probari non possit easdem fuisse gentes Machati & Gerzi, tutius arbitramur, sicuti littera ipsa indicat, fuisse diuersos. Ponamus igitur, quod probabilius est, Gessuri, & Machati, & Gerzi, tres fuisse populos, non nomine tenus, sed reipsa quoque inter se distinctos. Et quod quidem spectat ad loca habitationis eorum, credimus non fuisse eadem: nam Gessuri pro maiori parte, & Machati omnes (nusquam enim eos alibi domicilia habuisse comperimus) confines erant Manassensibus; & eorum terra pertinuisse videtur ad dimidiam illam tribum Manasse, cui data est possessio trans Iordanem, in regno quod olim fuerat Og regis Basan, vt colligi potest ex locis Deuter. & Iosue suprà citatis, & videre est in tabula sub anno mundi 2591.3.inter & 4. num. posita. Reliquos verò Gessuritas oportet terram longè procul à prædicta incoluisse, nempe ad Meridiem Iudæ, & propè Gerzitas & Amalecitas existentem. Quòd mirandum non est: quandoquidem & de Heuæis Iosue cap. 11. vers.3. & 19. legimus, quòd plurimi eorum habitabant ad radices montis Hermon in terra Maspha, & aliqui item in Gabaon, quæ loca ab inuicem valde distabant, & inter ea plures alij populi medij reperiebantur. Fallitur quoque ibidem Abulensis, existimans prædictos populos non in vrbibus habitare consueuisse, sed in tabernaculis, & per illas solitudines vagari fuisse sólitos. Et hunc errorem hausit ex quodam Sacro codice corrupto, qui 1.Reg. cap.27. vers. 8. vbi editio Vulgata habet, *hi enim pagi habitabantur*; ipse legit, *hi enim vagi habitabant.* Supponit postremò idem Abulensis, non solùm quæst. 16. superius citata, verùm etiam in tribus ibidem sequentibus, Gessuritas & Gerzos à Dauide spoliatos, eosdem fuisse qui locis Deuteron. & Iosue adductis memorantur. Qua in re, tota (quod aiunt) aberrat via. nam Scriptura sacra manifestè ponit,

nit, Gessuritas & Gerzitas à Dauide infestatos habitasse ad Meridiem Iudæ; & apertè tradit, quòd eorum pagi Chananæam inter & Ægyptum erant positi; & quòd Dauid Regi Achis sciscitanti respondere solitus erat, se irruisse ad Meridiem Iudæ, & Ietameel, & Ceni, regionum eius Australium. At verò Gessuritæ & Machati, qui incolebant terram Basan, erant Orientales & Aquilonares terræ Chanaan & Iudæ, & trans Iordanem, & remotissimi ab vrbe Siceleg in qua morabatur Dauid. Vnde non est credibile, quòd Dauid posset aut vellet adeò frequenter transuadare Iordanem, & tam longè proficisci, & excurrere per totam ferè longitudinem terræ Israel, & exponere sese suosque manifesto periculo, ne à Saule aliquando comprehenderentur. Ad Austrum verò Iudæ multò commodiùs excursiones facere poterat sine vllo Iordanis impedimento, & absque quòd tangeret terram Israel à Saule hoste suo possessam. Deprædabatur ergo Dauid regiones Ægyptum versus positas, nempe Amalecitarum, Gessuritarum, & Gerzitarum, vt iam sæpiùs dictum est.

5. Sed rursus dicet aliquis, Quo iure poterat Dauid prædictos populos deprædari atque occidere, qui sibi & suis nihil nocuerant? Respondemus primò, de Amalecitis tem esse claram atque apertam: quia enim ipsi olim sine causa infensi valdè fuerant Israeli de Ægypto redeunti; meritò eidem mandauit Dominus Deut. cap. 25. vers. 17. vt Amalecitas deleret, quemadmodum nos sub annis mundi 2319. num. 9. & 2544. num. 35. adnotauimus. Vnde liquet, quòd eosdem deprædando atque occidendo, Dauid non modò non delinquebat, sed etiam plurimum coram Deo merebatur, vtpote strenuus dicti præcepti ac diuinæ voluntatis executor. Et eodem modo credendum est de Gessuritis & Gerzitis: nam vel iidem erant populi cum Gergesæis, vt ex ipsa nominis similitudine aliquatenus coniici posse videtur; & sic ius habuisset Dauid eos deprædandi ac perdendi, quoniam Deuter. cap. 20. vers. 17. præceperat Dominus Israelitis, vt Chananæos omnino disperderent, atque in ore gladij interficerent. Vel (quemadmodum nos sub anno mundi 1931. num. 39. docuimus) non erant de genere Chananæorum: & sic nihilominùs poterat eos Dauid vexare & interimere, eo iure quo poterant Israelitæ penitus exterminare Philisthæos, nimirum quia ipsi, licet (vt sub anno mundi proximè citato num. 30. monstratum est) non essent Chananæi, sed de stirpe Mesraim fratris Chanaan; attamen occupabant terram filiis Israel repromissam, & propterea iustè poterant ab eis interimi, iuxta illud Deuter. cap. 20. vers. 16. *De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere.* Quòd verò prædicti populi habitarent in medio Israel, hoc est inter Israelitas, patet Iosue cap. 13. vers. 13. vbi legimus, quòd *Gessuri & Machati habitauerunt in medio Israel vsque in præsentem diem.* & 2. Reg. cap. 2. vers. 9. habemus, quòd Abner constituit Isboseth filium Saulis Regem etiam super Gessuri; nimirum quia ipsi inter Israelitas habitabant, vt dictum est. Quòd si dixeris, in his duobus locis Scripturam loqui de illis Gessuræis, qui habitabant trans Iordanem inter Manassenses; dicimus idem quoque intelligendum esse de aliis qui habitabant inter Amalecitas, vel prope eos. Nam certum est, quòd termini Australes terræ Chanaan, quatenus protrahebantur vsque ad Riuum Ægypti (vt nos sub anno mundi 2118. num. 14. diximus) includebant quoque omnes illas regiones, quæ ad Austrum Iudæ à prædictis populis incolebantur. Quare sicuti certum est peccasse Israelitas, qui iniqua miseratione commoti noluerunt disperdere Gessuritas & Machatos, vt dicitur loco Iosue paulò antè citato, sed neque Gerzitas, (siquidem etiam hôc Dauidis tempore extabant) & pariter non deleuerunt plures alias Chananæorum vrbes & populos, vt dicitur Iudic. cap. 1. vers. 27. vsque ad finem capitis, & cap. 3. vers. 1. vsque ad 7. quia in hoc transgressi sunt expressum Domini præceptum Deuter. cap. 20. vers. 16. & Numer. cap. 33. vers. 52. de illis disperdendis traditum; & ibidem vers. 55. & Iosue c. 23. vers. 12. (quibus in locis insuper comminatur Dominus Israeli mala, si eis pepercerit) replicatum: ita certissimè tenendum est, non solùm non peccasse, sed etiam benè apud Deum meruisse Dauidem, prædictos Gessuritas ac Gerzitas spoliando atque occidendo. Cuius rei etiam illud signum est, quòd sacra Scriptura, quæ ipsum Dauidem de quibusdam peccatis, puta de homicidio Vriæ, de adulterio cum Bethsabee, & de curiosa populi dinumeratione, grauiter reprehendit, atque à Domino castigatum docet; nusquam illum vel leuiter arguit, quòd in Gessuritarum, Gerzitarum, atque Amalecitarum deprædatione & occisione deliquerit.

QVOD DAVID PRÆDICTOS POPVLOS DEPRÆDANDO ATQVE OCCIDENDO NON PECCARIT.

6. Sub finem prædictorum quattuor mensium, quibus diximus Dauidem mansisse in terra Philisthinorum, quando pariter ad finem appropinquabant, annus regni Saulis vigesimus, & vitæ Dauidis trigesimus, exorto rursus bello inter Philisthæos & Israelitas,

POSTREMVM BELLVM INTER PHILISTHÆOS ET SAVLEM.

tas, illi congregati sunt primò in Sunam, 1. Reg. c. 28. versf. 4. deinde in Aphec, cap. 29. versf. 1. demum in Iezrael, ibidem in fine capitis. Erant autem istæ tres vrbes non procul ab inuicem, neque admodum remotæ à montibus Gelboë, quamuis Aphec esset in tribu Aser, vt patet Iosue cap. 19. versf. 30. Iezrael verò, & Suna, quæ & Suuem, in tribu

DE VRBE SVNA.

Issachat, vt patet Iosue cap. citato versf. 18. Porrò Suna fuit patria pulcherrimæ illius mulieris, nimirum Abisag Sunamitis, quæ ex toto Israële postmodum electa fuit vt foueret ac calefaceret Regem Dauid in senectute sua, cuius non semel fit mentio 3. Reg. cap. 1. & 2. Eadem quoque ciuitas memoratur 4. Reg. cap. 4. versf. 8. & deinceps, vbi narratur historia Elisei, qui cùm frequenter transiret per Sunam, ibi hospitio acceptus à muliere Sunamitide, eidem pro remuneratione à Domino filium imperrauit, & eumdem, cùm mortuus esset, resuscitauit. Itaque cùm audisset Saul Philisthæos conuenisse in Sunam, ipse congregauit Israelitas in montem Gelboë, non procul à dicta vrbe positum: verumtamen viso Philisthinorum exercitu, supra quàm quod crediderat

SAVL NVLLVM HABENS A DOMINO RESPONSVM, CONFVGIT AD PYTHONISSAM.

numeroso & forti, nimio timore perculsus, consuluit Dominum: quo nihil prorsus neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas ei respondente, Rex mutato habitu, ne à quoquam agnosci posset, venit cum duobus tantùm viris in Endor ad Pythonissam, iussitque adhuc ieiunus sibi suscitari Samuelem; à quo, cùm de suo suorumque interitu postridie secuturo certior factus esset, confestim præ timore ac inedia viribus destitutus prolabebatur in terram; sed à seruis suis, ac simul ab ipsa Pythonissa coactus cibum sumere, statim vt comedit, tota nocte ambulans reuersus est ad castra: 1. Reg. cap. 28. per totum.

DE SAMVELIS APPARITIONE TRES OPINIONES. PRIMA, QVOD NON FVERIT VERA.

7. Quoniam autem ad historiæ veritatem pertinere videtur, nosse, vtrùm memorata Samuelis apparitio fuerit, vt ita dixerim, realis & vera, an imaginaria & à dæmone conficta; dicimus tres de hac re circumferri opiniones. Prima est quorumdam ex antiquis Scriptoribus, quos citat Cardinalis Bellarminus libro 2. de Purgatorio, cap. 6. nimirum Auctoris Quæstionum apud Iustinum, quæst. 12. & item Auctoris Quæstionum veteris Testamenti apud S. Augustinum quæst. 27. & Auctoris librorum de Mirabilibus sacræ Scripturæ, lib. 2. cap. 11. & Tertulliani libro de Anima, prope finem, & Procopij, & Eucherij super 1. Reg. cap. 28. & Isidori libro 8. Etymologiarum cap. 9. Isti putant non esse credendum, quòd Samuel potuerit cogi à Pythonissa, aut quòd inuocatus sponte venerit: quia sic artem Necromantiæ videretur confirmasse. Et si ille qui apparuit verè fuisset Samuel, non se (inquiunt) adorari permisisset, sicuti fecit illa vmbra; neque dixisset: *Cras tu & filij tui mecum eritis*, quippe qui sciret Saulem iam à Deo fuisse reprobatum, & propterea animam eius non in sanctorum Patrum limbum, vbi erat ipse Samuel, sed in infernum descensuram. Et postremò, quia in eodem Reg. cap. versf. 6. dicitur, Deum noluisse respondere Sauli per Prophetas; ergo neque per Samue-

SECVNDA, QVOD QVI APPARVIT, POTVERIT ESSE VEL SAMVEL VEL DAEMON. TERTIA, QVOD VERE FVERIT SAMVEL.

lem, qui erat Propheta. Alij putant, vtrumque posse admitti, videlicet quòd vel fuerit Samuel, vel dæmon in forma Samuelis. Et huius secundæ sententiæ auctorem faciunt S. Augustinum lib. 2. ad Simplicianum quæst. 3. quem sequi videntur Rabanus, Hugo Cardinalis, & alij. Tertia demum sententia fuit, quòd verè fuerit Samuel qui Sauli apparuit. Et hæc communior est ac verior: communior, quia est plurimorum eorumdemque grauissimorum Doctorum, tum veterum tum recentiorum, videlicet Iosephi 6. Antiq. cap. 15. Iustini in Dialogo cum Tryphone vltra medium, S. Basilij Epistola 80. ad Eustatium Medicum, S. Ambrosij in cap. 1. Lucæ, B. Hieronymi in cap. 7. Isaiæ, S. Augustini lib. de Cura pro mortuis cap. 15. quem scripsit post librum ad Simplicianum, vbi de hac re dubitauerat. & ferè omnium primariorum Expositorũ lib. 1. Reg. cap. 18. nimirum Lyrani, Abulensis, Gaietani, Carthusiani, & aliorum, & ipsius Bellarmini vbi suprà. Veriorem quoque putamus tertiam hanc sententiam, quia eam ipsamet Scriptura sacra confirmat Ecclesiastici cap. 46. versf. 23. vbi inter laudes Samuelis illud additur, quòd post mortem prophetauerit, ac prædixerit Regi, id est Sauli, finem vitæ suæ. Item quia certum est, diabolum futura contingentia scite certóve prædicere non posse, quemadmodum fecit Samuel, qui prædixit Sauli, quòd sequenti die ipse & filij eius perituri erant, & castra Israel à Philisthæis perdenda, & posteà regnum Israel Dauidi tradendum. quæ omnia adamussim euenerunt. Et præterea, quia eadem Scriptura sacra capite citato, illum qui apparuit Sauli, sæpiùs absolutè ac sine vlla adiectione nominat Samuelem, & de ipso semper loquitur tamquam de vero Samuele, quod non fecisset, si non ipse fuisset verè Samuel, sed dæmon in forma eius. Denique certum est, prioris sententiæ Auctores pro maiori parte aut obscuros esse, aut incertos: quod de contrarium sentientibus dici non potest. Itaque ad obiecta responderi potest, Samue-

lem

lem non propriè vi incantationis à Pythonissa præmissæ, suscitatum fuisse; (siquidem certum est, quòd in eos qui in Dei gratia iam sunt confirmati, nihil omnino possunt artes dæmonum) sed ex speciali prouidentia Dei id contigisse: neque enim absurdum videri debet, vt ait S. Augustinus, quòd Deus, qui permisit Christum à diabolo ad maiorem eiusdem diaboli confusionem, in montem transferri, & supra pinnaculum templi; sic etiam permiserit ab eodem Prophetæ animam portari coram Saule: non vt Magiæ artem confirmaret, sed vt vel sic ipsum Saulem iam reprobatum magis perterrefaceret, quippe qui sciret, Samuelem veracem semper extitisse Prophetam, nec de vaticinij eius euentu vllatenus esse dubitandum. Porrò illa Saulis adoratio Samueli impensa, non fuit latriæ, quæ soli Deo conuenit; sed duliæ, quæ debetur Sanctis, qualis erat Samuel. Quod autem dixit Samuel Sauli: ***Cras tu & filij tui mecum eritis***, interpretari debet, perinde ac si subiunxisset, In numero mortuorum. Sensus enim est, veluti si diceretur: Cras tu & filij tui moriemini. vt apertè explicat lectio LXX. Interpretum, dicens: ***Cras tu & filij tui tecum cadent***. Denique illud quod dicitur, Deum noluisse respondere Sauli per Prophetas; proculdubiò subintelligendum est, viuentes, illos nimirum, qoos priùs interrogauerat, vt relatum est in eodem cap. vers. 6. Sed jam ad historiæ seriem redeamus. SOLVVNTVR OBIECTA.

8. Eodem tempore quo Philisthæi congregabant agmina sua contra Israelem, cùm Rex ipsorum Achis inuitasset Dauidem, vt veniret secum cum viris suis ad bellandum contra Saul, quemadmodum dicitur 1. Reg. cap. 28. vers. 1. ipseque Dauid venisset in castra Philisthinorum, (nimis enim se suspectum Regi Achis reddidisset, si inuitatus, cum illo ire recusasset) diuina prouidentia factum est, vt Satrapæ Philisthinorum, timentes ne Dauid eos proderet, cogerent Regem Achis, vt eum cum suis ab ipsorum exercitu dimitteret, quod & factum est, vt late describitur 1. Reg. cap. 29. per totum, & breuiter tangitur 1. Paralip. cap. 12. vers. 19. Intereà verò Amalecitæ, quos Dauid sæpiùs deprædatus fuerat, audientes quòd ipse Dauid cum suo comitatu profectus esset cum Achis ad castra Philisthinorum, arrepta temporis opportunitate sese vlciscendi, impetu facto ex parte Australi, percusserunt Siceleg, & ablatis omnibus succenderunt eam igne. Reuersus ergo Dauid tertia die ipse & viri eius in Siceleg, cùm inuenissent eam succensam, & vxores ac filios ipsorum ductos in captiuitatem, planxerunt vehementer. Et Dauid contristatus est valdè, parumque abfuit quin lapidaret eum populus, præ animorum amaritudine, quam sentiebant ex amissione charorum. Veruntamen confortatus in Domino, iussit Dauid Abiathar applicare ad se ephod, & consulto Domino, dum parat persequi latrunculos, ecce quidam viri fortissimi de tribu Manasse transfugerunt ad ipsum, vt traditur 1. Paralip. cap. 12. vers. 19. vsque ad 22. vbi ijdem nominatim recensentur, & subditur, quòd isti adiuuerunt eum aduersus latrunculos. Profectus itaque Dauid cum sexcentis viris vsque ad torrentem Besor, ibi reliqoit ducentos viros, qui præ lassitudine ampliùs progredi non poterant; ipse verò cum reliquis quadringentis progrediens, inuenit in via puerum Ægyptium, præ triduana iam inedia semimortuum; etenim cùm ægrotare cœpisset, à domino suo Amalecita relictus ibi fuerat: hunc ergo cùm refocillari iussisset Dauid, & de cuneo Amalecitarum, qui succenderant Siceleg, interrogasset, ab eo directus, comprehendit Dauid Amalecitas discumbentes atque bibentes, ac exultantes super capta præda; quibus subitò inuasis atque percussis, reduxit Dauid omnem prædam quam tulerant, non solùm de Siceleg, sed etiam de Australibus quibusdam vrbibus terræ Iudæ: & Dauid (contraria nonnullorum ex suis opinione prudenter redarguta) diuisit eam ex æquo, tam his qui præliari fuerant, quàm ijs qui lassi remanserant ad sarcinas custodiendas. Quod exinde, tamquam pro lege, habitum atque obseruatum fuisse in Israel, ibidem sacra Scriptura testatur; quamquam olim quoque adhuc viuente Moyse; idem quodammodò præceptum factum fuisse legimus de præda Madianitarum, Numer. cap. 31. vers. 27. Vt autem redierunt in Siceleg, separauit Dauid de spolijs munera, quæ misit senioribus Iuda proximis suis habitantibus in aliquot vrbibus terræ Iudæ, & in his locis, in quibus tempore persecutionis suæ moratus fuerat cum viris suis. quæ omnia latiùs descripta inuenies 1. Reg. cap. 30. per totum.

DAVID A PHILISTHINORVM EXERCITV DIVINA PROVIDENTIA DIMITTITVR.

AMALECITAE DEPRAEDANTVR INCENDVNTQVE SICELEG.

DAVID CVM VIRIS SVIS AMISSAS PLANGIT FAMILIAS.

CONSVLTO DOMINO PERSEQVITVR LATRVNCVLOS.

PERCVSSIS AMALECITIS REDVCIT PRAEDAM.

PRAEDAE DIVISIO QVALITER FACIENDA.

DAVID MITTIT MVNERA SENIORIBVS IVDAEORVM.

9. Eodemmet tempore quo Dauid percussit latrunculos Amalecitas, Philisthæi pugnauerunt feliciter aduersus Saulem, & cæsus est Israel in montibus Gelboë, non procul à Iezrael, cecideruntque tres filij Saulis, inter quos etiam Ionathas periit: ipse autem Saul à sagittariis admodum vulneratus, cùm mandasset armigero suo vt eum occideret, ne ab incircumcisis illuderetur, illeque recusasset, incumbens super gladium suum

SAVL CVM EXERCITV SVO IN ISRAEL CAESVS.

suum Rex mortuus est: quod videns armiger eius, ipse quoque eodem modo seipsum interfecit. Hæc cùm audissent Israelitæ qui habitabant in valle, quæ Aulon dicebatur, quam mediam secabat Iordanis, fugerunt relictis vrbibus suis, quas posteà inhabitarunt Philisthæi: quod non de omnibus vrbibus existentibus in Aulon intelligendum est; siquidem ista vallis longissimè sese extendebat secus amnem, à Septemtrione ad Meridiem excurrens, & in ea plurimæ erant ciuitates: sed de illis dumtaxat vrbibus accipi debet, quæ erant viciniores loco in quo commissum est prælium. Altera verò die colligentes Philisthæi spolia occisorum, inuentoque corpore Saulis & filiorum eius, abscissum caput Saulis & arma portauerunt in circuitu per terras ipsorum, ac tandem repositis capite & armis eius in templo Astaroth, corpora ipsius & filiorum eius suspenderunt in muro Bethsan; quæ posteà viri aliquot fortissimi de Iabes Galaad, clàm tota nocte ambulantes abstulerunt, & combusserunt in Iabes, ac deinde ossa in proximo nemore sub quercu sepelierunt, ieiunantes septem diebus in funere ipsorum: 1. Reg. cap. vlt. & 1. Paralip. cap. 10. per totum. Cùm autem venisset nuntius de morte Saulis & Ionathæ, nutrix Miphiboseth filij ipsius Ionathæ, qui tunc erat quinquennis, tollens puerum, ac festinanter fugiens, cecidit, & allisis ad terram pueri pedibus, claudus ille deinceps perpetuò mansit, vt obiter traditur 2. Reg. cap. 4. vers. 4.

CORPORA SAVLIS ET FILIORVM EIVS A PHILISTHÆIS SVSPENSA, GALAADITÆ RAPIVNT ET SEPELIVNT.

MIPHIBOSETH CLAVDVS EFFICITVR.

DE TEMPORE QVO SAMVEL ET SAVL PRÆFVERVNT ISRAELI.

¶ 10. Tempus ergo quo Samuel & Saul præfuerunt populo, alter sub titulo Iudicis, alter verò Regis, fuerunt quadraginta anni, vt sentit Eusebius in Chronicis, & colligi etiam potest ex eodem Eusebio lib. 9. de Præparatione Euangelica c. 4. circa medium, vbi ex Eupolemo infert, Saulem regnasse annis viginti & vno (intellige, tantùm inchoato) si eius dictum conferre voluerimus cum eo, quod nos sub anno mundi 2959. num. 3. & 4. supposuimus, nempe, Saulem vnctum fuisse in Regem sub finem anni vigesimi, ex quo Arca Dei manserat in Cariathiarim: inde enim proculdubiò sequitur, transisse annos quadraginta ab obitu Heli ad mortem Saulis. Et hoc est quod dicitur Actorum cap. 13. vers. 20. vbi hæc habentur: *Et post hæc dedit Iudices vsque ad Samuel Prophetam. Et exinde postulauerunt Regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis virum de tribu Beniamin annis quadraginta.* Quo in loco videtur Scriptura voluisse metiri tempora Iudicum vsque ad Samuelem exclusiuè. nam quòd ait, *Vsque ad Samuel Prophetam*, vtique innuit, se ibidem loqui de Samuele non tamquam Iudice, sed tamquam Propheta: quod etiam fieri videtur Ecclesiastici cap. 46. vbi posteaquam vers. 13. & sequentibus egit de Iudicibus, posteà vers. 16. vsque ad finem capitis, agit de Samuele tamquam de Propheta, vt ibidem videre est, nulla facta Iudicis mentione. Vnde non mirum est si citatus Actorum locus, vbi Scriptura tribuit Sauli quadraginta annos, rectè à sacris Expositoribus accipitur, computatis nimirum etiam annis Præfecturæ Samuelis, vt paulò pòst probabimus: ita vt illi quadraginta anni numerari debeant à tempore quo ipse Samuel communiter agnitus fuit esse Propheta Domini, hoc est ab obitu Heli, quando capta est Arca Domini, & duo filij eius Ophni & Phinees pariter interfecti sunt. Tunc enim ab illo euentu cognouit vniuersus Israel, quòd Samuel, qui hæc longè antè prædixerat, esset fidelis Propheta Domini, vt dicitur 1. Reg. cap. 3. vers. 20. Ad eiusdem sententiæ confirmationem facit, quod Glossa interlinearis, loco Actorum adducto, super illa verba *annis quadraginta*, notat, videlicet, *cum tempore Samuelis*. Et Beda ait: *Liber Regũ non apertè exponit quot annis Saul regnauerit; sed Apostolus vulgò loquens, hoc quod fama crebrior habebat, dixit. Chronica verò testantur, quod Samuel & Saul annis quadraginta Israeli præfuerunt.* hæc Beda. Et hoc idem quod postremò dictum est, etiam Glossa ipsa asserit. Abulensis item super 1. Reg. cap. 7. quæst. 10. affirmat, in præcitato Actorum textu computari simul tempora vtriusque, nimirum Samuelis & Saulis, quasi fuerint tantummodò ipsius Saulis. & quæst. 11. super 2. Reg. cap. 2. idem probat aduersus Rabanum. & super eodem 2. Reg. cap. 15. quæst. 12. idem confirmat, citatque Iosephum 6. Antiq. in eamdem sententiam. Sed verè, in horum temporum supputatione valde diuersus est à sacra Scriptura Iosephus 6. Antiq. cap. 14. vltra medium capitis, & in fine eiusdem libri: nam licet videatur tribuere aliqua tempora Samueli simul & Sauli, dicens, Saulem regnasse decem & octo annos viuente Samuele; tamen ponit inter obitum Heli & Saulis fluxisse non quadraginta annos, vt testatur Scriptura; sed quinquaginta, nempe duodecim, in quibus, inquit, præfuit Samuel solus. quod manifestè repugnat sacræ Scripturæ, quæ ab obitu Heli, cui diximus immediatè successisse Samuelem, ad electionem Saulis in Regem numerat annos viginti, vt patet 1. Reg. cap. 7. vers. 2. Addit deinde Iosephus annos decem & octo, quibus præfuit Saul populo, viuente Samuele. & in hoc benè dixit; est enim hoc sacræ Scripturæ consentaneum;

EXPONITVR LOCVS ACTORVM.

REFELLITVR IOSEPHVS IN HORVM TEMPORVM DINVMERATIONE.

neum, vt vel hinc optimè Abulensis super 1.Reg.cap.8. quæst.2. & alij desumpserint, Saulem superuixisse Samueli duobus tantùm annis. Demum adiungit Iosephus alios viginti annos, quibus, inquit, præfuit Saul solus post mortem Samuelis. Et hoc à veritate prorsus alienum putamus: quandoquidem hoc posito sequeretur, persecutionem Dauidis perdurasse plus viginti annis: certum namque est, eam cœpisse multo tempore ante obitum Samuelis, vt patet ex his quæ dicuntur 1.Reg.cap.19.& deinceps vsque ad 25.vbi narratur mors Samuelis.& item constat, Saulem numquam persequi desiisse Dauidem, nisi quattuor circiter mensibus ante suum obitum, quando scilicet intellexit, Dauidem cum viris suis exisse de terra Israel, & habitasse in regione Philisthinorum in Siceleg; vt apertè colligitur 1.Reg.cap.27.vers.4.& 7.& nos suprà num.2. & 6. probauimus. Sed & aliud multò maius inconueniens consequeretur. Nam si Dauidis persecutio fuit diuturnior viginti annorum, vtique necesse est quòd ipse fuerit minor decem annorum, quando pugnauit cum Goliath: quandoquidem hæc duo verissima sunt, & persecutionem cœpisse post occisum Goliath, & Dauidem fuisse triginta annorum, quando statim post mortem Saulis regnare cœpit in Hebron.

SAMVEL QVAMDIV PRAEFVERIT POPVLO.

11. Itaque, vt meliùs, ac magis ad veritatem in Sacro eloquio traditam distinguamus tempora, quibus populo præfuerunt Samuel & Saul, dicimus, quod spectat ad Samuelem, ipsum proculdubiò iudicasse Israelem, ante electionem Saulis in Regem, toto illo viginti annorum interuallo, quo dicitur 1.Reg.cap.7. vers.2. mansisse Arca Dei in Cariathiarim; & consequenter, hallucinati Iosephum in eo quod vbi suprà ait, Samuelem præfuisse populo duodecim dumtaxat annis ante Saulem; nisi fortè non statim ab obitu Heli, sed post annos octo iudicare cœpisset: de qua re tamen nihil omnino constat. Quin etiam eo casu oporteret ponere Interregnum octo annorum inter Heli & Samuelem, cuius tamen Interregni neque Scriptura sacra, neque ipse Iosephus, aut alius, quòd sciam, Auctor, vmquam meminit. Cum ipso autem Saule iudicauit populum Samuel (vel saltem illam populi partem quæ despexerat Saulem) toto illo tempore quod fluxit ab electione Saulis in Regem, vsque ad innouationem regni eius celebratam in Galgalis. Cuius rei signum est, quòd quando Saul, sectis in frusta bobus suis, conuocauit populum aduersus Ammonitas; non seipsum solùm, sed simul quoque Samuelem nominauit in edicto, dicens: *Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius:* 1.Reg. cap.11. vers.7. vnde apparet, quòd tunc ambo simul quodammodò essent Duces populi. Post confirmatum verò Saulis regnum, Samuel non propriè dici potest præfuisse populo tamquam Iudex, sed tamquam Propheta. Nec obstant illa verba quæ habentur 1.Reg.cap.7. vers.15. videlicet: *Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ.* quia, vt ait Abulensis, ibi subintelligendum est, quibus mansit in Principatu, seu quibus potuit proficisci ad illa tria loca vbi consueuerat iudicare populum. Nisi fortè quis opinari velit, post reprobationem Saulis Samuelem accidentaliter quoque interdum iudicasse aliquos de populo ad se recurrentes, quemadmodum Dauidem, quando ad eum confugit ob Saulis persecutionem; & in hoc sensu accipiendum esse quod ait Iosephus vbi suprà, nimirum quòd Saule regnante Samuel præfuit populo decem & octo annis, id est, donec vixit. Sed quòd Samuel regnante Saule vmquam iudicauerit Israelem, non nisi satis impropriè dici potest. Quod verò attinet ad Saul, certum est ipsum regnasse annis viginti. Nam si, vt sæpè diximus, ex Actorum cap.13.vers.20. colligitur, fluxisse annos quadraginta ab obitu Heli ad obitum Saulis, & ex 1.Reg. cap.7. vers.2. apparet, Samuelem post Heli iudicasse populum vsque ad finem ferè vigesimi anni ex quo manserat Arca Domini in Cariathiarim; proculdubiò remanent alij viginti anni, quibus regnauit Saul, quemadmodum hactenus à nobis digestum est, & in tabulis clariùs videri poterit. Quòd si quis nobis opponat textum 1.Reg.cap.13. vers.1. vbi dicitur, Saulem regnasse duobus annis; iam ad hoc satis sub anno mundi 2960. num.3. responsum est, id debere intelligi, ante eius reprobationem: post ipsam verò reprobationem, adhuc regnauit aliis decem & octo annis; in quibus tametsi quodammodò dici possit fuisse legitimus Rex, quia semper deinceps dum vixit, regiam penes se retinuit potestatem, vt latè Dionysius Carthusianus super 1.Reg. cap.13. art.25. probat ex eo, quòd Dauid non semel dixit de ipso Saule: *Quis extendet manum suam in christum Domini, & innocens erit?* & ideò ipsemet pœnitentia ductus, percussit pectus suum, dolens quòd abscidisset oram chlamydis eius; & demum adolescentem, qui dixerat se occidisse Saulem, iussit interfici, dicens: *Quare non timuisti mittere manum tuam vt occideres christum Domini?* Attamen quia constat Saulem anno regni sui secundo circiter desinente à Deo fuisse reproba-

QVOT ANNIS REGNAVERIT SAVL.

tum, eique sententiam reprobationis per Samuelem Prophetam fuisse intimatam; videtur etiam posse defendi, quòd exinde non legitimè, sed violenter ac tyrannicè regnauerit. Sed quidquid sit, constat, ipsum, donec superstes fuit, semper pro legitimo Rege communiter reputatum habitumque fuisse, & propterea Dauidem appellasse illum Christum Domini.

AB ORBE CONDITO ANNUS 2980. QUARTÆ MUNDI ÆTAT. ANNUS 437.

DE AMALECITA QVI SE SAVLIM INTEREMISSE NVNTIAVIT.

1 ANNO Regni Saulis vigesimo, & ab obitu Heli quadragesimo exactis, nimirum proximo circiter inchoante, qui postea fuit primus regni Dauidis, cùm die tertia, ex qua redierat de cæde latrunculorum Amalecitarum in Siceleg, audisset Dauid cladem maximam quam fecerant Philisthæi in populo Israelitico, & mortem Saulis ac Ionathæ, iussit occidi virum Amalecitam, qui se interfecisse Saulem nuntiauerat; quem tamen mentitum, quòd sic magnam se à Dauide mercedem consecuturum speraret, communior Expositorum illius loci sententia est, quia constat 1. Reg. cap. vlt. vers. 4. Saulem sibi ipsi mortem consciuisse. Quamquam Iosephus 7. Antiq. cap. 1. Amalecitam vera retulisse existimauerit, putans, quòd tametsi Saul in proprium gladium incubuisset, non tamen illicò interierit, sed adhuc semiuiuus iusserit se ab ipso Amalecita interfici. Planxit deinde Dauid scissis vestibus interitum Saulis & Ionathæ, & canticum quoddam in modum flebilis elegiæ composuit, cecinitque in hæc verba: *Considera Israel*, &c. vt latiùs videre est 2. Reg. cap. 1. per totum. Denique, consulto priùs Domino, ascendit Dauid cum duabus vxoribus & tota familia sua, cunctisque viris militaribus qui sequebantur eum, in Hebron, ibique vnctus est Rex super vniuersam tribum Iuda: 2. Reg. cap. 2. vers. 1. vsque ad 5. Creditur autem non multò antequam palàm vnctus esset, composuisse Psalmum 26. *Dominus illuminatio mea*, &c. vt colligi potest ex titulo, qui habet: *Psalmus Dauid priusquam liniretur.* Quamquam aliqui referant illum ad hanc secundam vnctionem, aliqui ad tertiam; mihi non improbabile videtur, Dauidem prædictum Psalmum composuisse ac cecinisse ante hanc secundam vnctionem, quando adhuc recens erat memoria interitus Saulis & aliorum inimicorum ipsius Dauidis, vt videntur innuere illa verba, quæ ibidem habentur vers. 2. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt.* & nihilominùs eumdem Psalmum cecinisse etiam ante tertiam vnctionem, vt præpararet se ad rectam tanti regni administrationem. Erat autem Dauid triginta annorum, intellige completorum, quando regnare cœpit in Hebron, vt dicitur 2. Reg. cap. 5. vers. 4. & ibidem regnauit septem annis cum dimidio super solam tribum Iuda, quemadmodum expresse traditur in eiusdem libri cap. 2. vers. 11. & cap. 5. vers. 5. Nec refert, quòd 3. Reg. cap. 2. vers. 11. absolutè dicatur, ipsum regnasse annis septem, nulla sex mensium habita ratione: quia ibidem Scriptura, vt aliàs quandoque, integros tantùm annos recolit, & minutias temporum præterit; & quod ibi omisit, locis suprà citatis suppleuit. Porrò Dauid intra memoratum septennium, præter duas vxores quas habebat antequam factus esset Rex, videlicet Achinoam Iezraelitem, & Abigail, quæ fuerat vxor Nabal Carmeli; duxit alias quattuor, nempe Maacha filiam Tholmai Regis Gessur, & Haggith, & Abital, & Eglam; genuitque ex his in Hebron filios sex, videlicet Amnon primogenitum, de Achinoam; alterum nomine Cheleab, qui & Daniel, de Abigail; tertium Absalom, de Maacha; quartum Adoniam, de Haggith; quintum Saphatiam, de Abital, & sextum Iethraan, de Egla: 2. Reg. cap. 3. vers. 2. vsque ad 6. & 1. Paralip. cap. 3. vers. 1. vsque ad 4.

PLANGIT DEINDE DAVID INTERITVM SAVLIS ET IONATHAE.

VNGITVR IN HEBRON REX SVPER TRIBVM IVDA, ANNO AETATIS SVAE 30. EXPLETO.

QVOT ANNIS REGNAVERIT IN IVDA.

DE VXORIBVS SIVE, ET FILIIS IN HEBRON NATIS.

DE LEGATIONE DAVIDIS AD VIROS IABES GALAAD.

2. Vt primùm autem audiuit Dauid Rex, quòd viri Iabes cadauera Saulis & filiorum eius à Philisthæis furtim sublata honorificè sepeliissent, misit qui suo nomine collaudarent eos, & contestarentur, eam rem sibi non modò non displicuisse, quemadmodum fortè existimare potuissent, scientes quòd Saul donec vixerat ipsum persequi non desierat: quin potiùs acceptum valdè habuisse quod fecerant, & paratum se, ipsis gratiam referre; quandoquidem ipse quoque casum Saulis & cladem populi pariter deplorasset; nihilominùs, non debere eos animo concidere, quòd Regem belliqúe ducem amiserint, sed magis corda erigere aduersos hostes, hoc est Philisthæos; tacitè offerens se pugnaturum pro populo Israel, præsertim nunc, ex quo iam constitutus esset Rex super tribum Iuda: 2. Reg. cap. 2. vers. 5. vsque ad 8.

3. Non multò pòst (vt paulò infrà ostendemus) cùm audisset Abner Princeps militiæ Saulis,

Saulis, quòd filij Iuda vnxissent Regem super se Dauidem; tulit Isboseth, qui solus de filiis Saul legitimis superstes remanserat, & 1. Paralip. cap. 8. vers. 33. & cap. 9. vers. 35. appellatur Esbaal; (nam tres priores, nempe Ionathas, & Melchisua, & Abinadab cum patre suo Saul, in postremo prælio cum Philisthæis inito ceciderant, vt dicitur 1. Reg. cap. 31. vers. 2. & 6.) & circumducens eum per castra, tunc (vt arbitror) existentia prope vrbem nomine Manahim, quod etiam Castra interpretatur, constituit Regem super Galaad, & super Gessuri, & super Iezrael, non tribus Iuda, sed Issachar, (dictum est enim sub anno mundi 2977. numero 2. duas fuisse Iezrael) & super Ephraim, & super Beniamin, & super Israel vniuersum, excepta dumtaxat tribu Iuda, quæ sola (vt dictum est) sequebatur Dauidem: 2. Reg. cap. 2. vers. 8. vsque ad 10. Ex eo autem quod diximus, Dauidem duxisse filiam Tholmai Regis Gessur in vxorem, & Isboseth filium Saulis constiturum fuisse Regem super Israel, ac etiam super Gessuri, videtur necessariò esse inferendum, ipsos quidem Gessuritas habuisse proprium ex gente sua Regem, sed tamen etiam fuisse tributarios, aut aliquo modo subditos Israëli; alioqui non potuisset constitui Isboseth Rex super Gessuri tunc, quando super eos iam regnabat Tholmai. Ceterùm, quadraginta annorum erat Isboseth quando regnare cœpit; & duobus annis regnauit super Israel, vt dicitur cap. Reg. proximè citato vers. 10. Qui locus non absolutè videtur esse intelligendus, sed respectiuè ad inferiùs dicenda; nimirum quòd Isboseth regnauit duobus annis in pace, hoc est antequam oriretur longa illa concertatio inter domum Saulis & Dauidis, de qua sub anno mundi 2982. dicemus. Nam reverà oportet quòd Isboseth regnauerit ferè annis septem cum dimidio, vt latè probat Abulensis super 2. Reg. cap. 2. quæst. 12. & super cap. 5. quæst. 1. & 5. vbi disputat contra opinionem Hebræorum, & Historiæ Scholasticæ, & aliorum. Quamquam autem Caietanus super 2. Reg. cap. 3. contendat, ipsum Isboseth non regnasse super Israel toto illo tempore quo regnauit Dauid in Hebron, sed duobus tantùm annis; non primis, neque postremis, sed intermediis: putat enim, quòd non statim ac mortuus est Saul, sed multò pòst constitutus fuerit Isboseth Rex super Israel, & quòd mortuo Isboseth, non statim, sed multò pòst translatum sit regnum Israel ad Dauidem. Attamen quidquid sit, mihi satis plana & probabilis & Sacro textui consona videtur Abulensis opinio, quam sequor. Neque verò alicui durum videri poterit, id quod Scriptura sacra 2. Reg. cap. 2. vers. 10. ait, Isboseth regnasse doobus annis, non simpliciter & absolutè esse accipiendum; si recolat, eamdem Scripturam 1. Reg. cap. 13. in principio idem quoque de Saul dixisse, quòd scilicet duobus annis regnauerit; & tamen certissimum est, ipsum multò plures annos in regno exegisse, vt nos sub anno mundi 2960. num. 3. demonstrauimus.

ISBOSETH SVCCEDIT PATRI IN REGNO ISRAEL.

QVOT ANNIS REGNAVERIT ISBOSETH.

4. Sanè Dauid circa initia regni sui, quemadmodum ex paulò inferiùs dicendis manifestum fiet, præuidens posse sibi derepentè bella superuenire, siue ab Amalecitis aliisque finitimis populis, quos frequentibus excursionibus non multò antè deprædatus fuerat; siue à Philisthæis perpetuis Hebræorum hostibus; siue etiam ab ipsis Israëlitis, qui sequebantur Isboseth filium Saul: ne imparatus offenderetur, si populum ad propria tabernacula redire sineret; aut econuersò, ne nimis populum grauaret, si eumdem iugiter in castris detineret, nec possent singuli quandoque rebus domesticis vacare; diuidit omnes aptos ad pugnam, nimirum à viginti annis & suprà, in duodecim turmas, quarum singulæ succedentibus temporibus, vt paulò pòst dicetur, adeò creuerunt, vt vnaquæque ipsarum contineret viginti quattuor mille viros, præficiens vnicuique turmæ proprium Principem, & sub eo Tribunos qui millenis præessent, & sub his Centuriones, qui centuriis, & Præfectos: puto autem hîc Præfectorum nomine comprehendi alios belli ministros minores, puta Quinquagenarios, Decanos, & si qui erant huiusmodi alij. Constituit præterea, vt vicissim singulis mensibus vna ex hisce turmis cum suo Principe ac ceteris ministris sois præstò esset Regi, in omnem belli euentum. Quòd si quandoqoe vna non sufficeret ad sustinendos hostium impetus, alteram pariter, vel etiam plures, prout opus esset, confestim conuocare consueuerat. Porrò hanc turmarum dispositionem & ordinationem, quæ posteà perseuerauit vsque ad finem regni Dauidis, vel fortè etiam Salomonis, institutam primò fuisse ab ipso Dauide circa initia regni sui in Hebron, vt dictum est, inde necessariò infertur, quòd 1. Paralip. cap. 27. (vbi vers. 1. vsque ad 16. hæc turmarom distinctio describitur; & singularum Principes nominatim recensentur) expressè vers. 7. habemus, Asahelem fratrem Ioab fuisse Principem quartæ turmæ, quæ quarto anni mense Regi præstò esse tenebatur, & in turma eius viginti quattuor millia viri. Scimus autem, quòd iste Asa-

DE DIVISIONE ET ORDINE TVRMARVM EXERCITVS DAVIDIS.

hel occisus fuit ab Abner, vt traditur 2. Reg. cap. 2. vers. 23. nimirum anno circiter tertio regni Dauidis, vt nos sub anno mundi 2982. num. 2. dicemus: vnde euidenter colligitur, istam turmarum partitionem anteà fuisse institutam, nempe (vt diximus) circa initia regni eiusdem Dauidis. Nemo autem miretur, ipsum Dauidem, eo præsertim tempore quo solùm regnabat super tribum Iuda, habere potuisse exercitum adeò copiosum: quia præterquam quòd illa tribus ferè semper inter ceteras maior fuit, plurimi quoque de aliis tribubus per singulos dies ad ipsum transibant, vsque dum fieret grandis numerus quasi exercitus Dei; quemadmodum expressè traditur 1. Paralip. cap. 12. vers. 22. quod de hoc tempore, videlicet quando Dauid regnare cœpit in Hebron, intelligendum esse, benè probat Abulensis super cap. Paralip. citato quæst. 18. Dictum est autem, quòd exercitus Dauidis paulatim eousque excreuit, vt videtur esse quasi exercitus Dei, hoc est pænè innumerabilis, quemadmodum exercitus Angelorum Dei, de quo dicitur Iob cap. 25. vers. 3. *Numquid est numerus militum eius?* quasi dicat, Non. Quòd si quis adhuc contendat fieri non posse, vt Dauid, quando regnabat super solam tribum Iuda, habuerit in exercitu suo ducenta octoginta octo millia militum; sed hunc numerum (qui ex vigintiquattuor millibus duodecies ductis resultat) esse referendum ad tempus in quo regnabat super vniuersum Israel, vt etiam videtur posse colligi ex eodem capitulo Paralipom. vbi post recensitos turmarum Principes, consequenter recensentur quoque Duces tribuum: Dicimus fieri posse, & probabilius esse, quòd singulæ illæ turmæ ab exordio suæ institutionis longè minùs numerosæ essent; sed posteà, aucto Dauidis regno, ipsæ quoque auctæ admodū fuerint, & ad memoratas summas reductæ; & quòd Auctor libri Paralip. ibidem quodammodò & initium ipsarum, & statum perfectum ad quem posteà perductæ sunt, tangere voluerit, initium quidem, recensendo nomina Principum, qui primi singulis præfecti fuerant, statum verò perfectum, notando præcisè numerum militum, quem singulæ postremò continebant, & singularum tribuum Duces.

PRIMARII DAVIDIS REGIS MINISTRI.

5. Credimus insuper, Dauidem eodem tempore quo constitutus fuit Rex super Iudam in Hebron, delegisse sibi viros de regno suo prudentiores, quorum consilio, in rebus præsertim arduis ac difficilioribus ritè disponendis ac diiudicandis, vtebatur: & item constituisse sibi varios substantiæ regiæ præfectos; nimirum qui tributis exigendis, qui thesauris conseruandis, & præterea qui vineis, oliuetis, ficetis, agrisque colendis præessent; & item, qui cellis vinariis, horreis, & apothecis olei, aliarumque rerum præpositi essent: necnon qui pecorum & armentorum, quæ variis in locis pascebantur, curam haberent, vt ex eodem 1. Paralip. cap. 27. vers. 25. vsque ad finem colligi posse videtur. Nam etsi ille locus non propriè ac præcisè de hoc tempore, sed magis de eo in quo Dauid vniuerso Israëli dominabatur, accipiendus esse videatur: nihilominùs rationi valdè consonum est, credere, eadem munera quæ ibi memorantur, ab initio quidem regni eius, pro rectâ administratione domus ac rerum suarum, sic fuisse disposita atque ordinata; deinceps verò, crescentibus diuitiis ac regimine, ministrorum quoque numero valdè admodum fuisse aucta ac multiplicata.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2982. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 439.

DE BELLO INTER DAVID ET ISBOSETH.

1. ELAPSIS duobus annis, ex quo cœperant regnare Dauid super Iudam, & Isboseth super Israel, videlicet anno tertio regni ipsorum circiter inchoante, quemadmodum ex his, quæ nos sub anno mundi 2980. num. 3. diximus, inferri potest, cœptum est bellum & longa illa concertatio inter domum Dauid & domum Saul, ista quotidie decrescente, illa verò maiora indies incrementa suscipiente, vt apertè traditur 2. Reg. cap. 3. vers. 1. Dicitur autem fuisse longa ista concertatio; quia per annos ferè quinque cum dimidio perdurasse creditur, hoc est vsque ad interitum ipsius Isboseth; quemadmodum ex dictis sub anno proximè allegato colligi potest. Ex his autem quæ interim gesta sunt, pauca quædam breuiter commemorantur 2. Reg. cap. 2. vers. 12. vsque ad initium capitis 5.

IVDAEORVM ET ISRAELITARVM EXERCITVS APPROPIANT.

2. Et primò quidem Abner princeps militiæ Isboseth, cùm de Manahim transmisso Iordane venisset cum exercitu in Gabaon, quæ erat vrbs terræ Beniamin, vt patet Iosue cap. 18. vers. 25. & creditur extitisse vel in confinio, vel non procul à finibus Iudæ Aquilonaribus; Ioab princeps militiæ Dauidis, vt audiuit Israëlitas armis instructos Iudaicæ ditioni appropinquasse, suspicatus aliquod ab eis malum, protinus illis cum exer-

exercitu suo occurrit ad piscinam quamdam prope Gabaon existentem: cumque inter Iudæos & Israelitas media tantùm esset piscina, & primus Abner prouocasset ipsum Ioab, vt vtrimque gladiatores duodecim exponerentur, qui cunctis inspectantibus inter se cominus decertarent; protinus, annuente Ioab, ex vtraque parte viri fortissimi audacter prodeuntes, ac statim sese inuicem aggredientes, pariterque se gladiis confodientes, cuncti simul occubuerunt. Quamobrem vocatum posteà fuit nomen loci illius, Ager robustorum. Ac subinde ortum est bellum durũ inter vtrumque exercitum, tandemque fugatus est Abner, & ceciderunt in illo conflictu de seruis Isboseth trecenti sexaginta viri, ac multò plures cecidissent, nisi Ioab post solis occasum, rogante Abner, receptui canens reuocasset suos à cæde fratrum suorum. De seruis verò Dauid interierunt tantummodò decem & nouem, & Asahel frater ipsius Ioab, qui cùm persequeretur fugientem Abner, & ab eo non semel monitus desistere renuisset, ab eodem Abner auersa hasta in inguine confossus interiit, sepultusque est in sepulchro patris sui in Bethleem. Porrò Abner cum reliquis copiis suis tota illa nocte ambulans, peruenit trans Iordanem ad Castra, hoc est in Manahim, vbi morabatur Isboseth, vt ait Iosephus 7. Antiq. cap. 1. non longè ab initio; Ioab verò cum suis rediit in Hebron: 2. Reg. cap. 2. vers. 13. vsque ad finem capitis.

DVODECIM VTRIMQVE GLADIATORES SESE INVICEM CONFODIVNT.

ISRAELITAE A IVDAEIS CAESI FVGANTVR.

AB ORBE CONDITO	QVARTÆ MVNDI ÆTAT.
ANNVS 2983.	ANNVS 440.

1 ANNO regni Dauidis super Iudam, & Isboseth super Israel quarto, necesse est incidisse annum Iubilei octaui: erat enim annus ab introitu Israelis in terram Chanaan quadringentesimus, vt videre est in tabulis.

IVBILEVS OCTAVVS.

2. Per hæc quoque tempora & deinceps, perseuerante bello inter domum Dauidis & Saulis, probabile admodum est, plurima alia accidisse certamina inter sequaces Dauidis & Isboseth, ac ferè semper cessisse in detrimentum partis ipsius Isboseth: quæ tamen Scriptura sacra narrare non curauit, vel quia fortè non fuerint valdè memorabilia, vel quia satis indicari posse videntur in iam memoratis verbis 2. Reg. cap. 3. vers. 1. relatis, nimirum quòd pars Dauidis in dies augebatur, contrà verò pars Isboseth sensim iugiter decrescebat. Ceterùm, quæ in eodem cap. 3. vers. 6. subduntur de Abner, qui indignatus aduersus Regem suum Isboseth, quòd ipsum arguisset pro muliere ad quam accesserat, clàm fœdus iniit cum Dauide, & sollicitare cœpit corda seniorum Israel vt transferrent regnum de domo Saulis ad ipsum Dauidem, credimus contigisse non multò antequam id re ipsa præstitum fuit. Itaque

DE SVCCESSIVO REGNI DAVIDIS INCREMENTO.

AB ORBE CONDITO	QVARTÆ MVNDI ÆTAT.
ANNVS 2986.	ANNVS 443.

1 SVB finem, vt arbitror, anni septimi regni Dauidis super Iudam, & Isboseth super Israel, cùm Abner ingressus esset ad Respham, quæ fuerat concubina Saulis, & de hac re correptus fuisset ab Isboseth Rege, indignè admodum id ferens Abner, quòd pro muliere ipsum arguere non pepercisset, qui eidem vt regno Israel potiretur, auctor fuerat: iracundia fremens, iurauit se translaturum regnum Israel de domo Saul ad Dauidem. Et vt id opere impleret, non multò pòst misit nuntios ad ipsum Dauidem, offerens se, si placeret, libenter initurum cum eo amicitiam; qui protinus annuit, hac tamen conditione, vt priusquam ad se veniret, curaret sibi restitui vxorem suam Michol filiam Saulis, quam valdè diligebat. Quod cùm factum fuisset, cœpit Abner loqui cum senioribus Israel, & seorsum quoque cum viris Beniamin, & tandem omnes in sententiam suam adduxit, de transferendo regno totius Israel ad ipsum Dauidem: 2. Reg. cap. 3. vers. 6. vsque ad 19.

CVR ABNER DEFECERIT A REGE SVO ISBOSETH.

AB ORBE CONDITO	QVARTÆ MVNDI ÆTAT.
ANNVS 2987.	ANNVS 444.

1 ANNO autem, vt reor, regni Dauidis & Isboseth octauo iam inchoato, venit Abner ad Dauid in Hebron cum viginti viris; vbi regio exceptus conuiuio, rebusque pro voto benè dispositis, cùm à Rege dimissus ad suos rediret, fraudulenter à Ioab reuocatus, ac dolosè occisus est, in vltionem Asahel fratris sui, quem Abner anteà occiderat. Quamobrem Dauid contristatus est valdè, & grauiter ferens tale facinus,

ABNER FOEDVS PERCVTIT CVM DAVIDE, ET A IOABO INTERFICITVR.

DAVID MALEDICIT IOABO, ET PLANGIT ABNERVM.

facinus, maledixit ipsi Ioab & domui eius, imprecans ei iustam à Domino vltionem; deinde planxit ipsum Abner, ac præsens cum populo suo honorificè admodum celebrauit exequias eius: quem cùm sepelissent in Hebron, iterùm fleuit Rex super tumulum eius cunctis videntibus, & omnis populus cum eo, ac præ tristitia iurauit Rex, nolle se cibum sumere nisi post solis occasum. Ex quibus omnibus manifestè cognouit vniuersus Israel, quòd Rex non modò esset omnino innocens à sanguine Abner, quin etiam quòd eidem reverà plurimùm displicuisset interitus eius, vt latius videre est 2. Reg. cap. 3. vers. 19. vsque ad finem capitis. Et tunc credunt nonnulli, Dauidem composuisse Psalmum 138. qui incipit: *Domine probasti me, & cognouisti me*, &c. vt se purgaret coram Deo & hominibus à falsis quorumdam suspicionibus, qui de integritate ipsius quodammodò hæsitare videbantur, eò quòd talis vir à Principe militiæ Regis, in ipsa ciuitate regia occisus fuisset.

ISBOSETH ET OMNIS ISRAEL VALDE PERTVRBATI OB NECEM ABNERIS.

BAANA ET REMMON INTERFICIVNT REGEM ISBOSETH, ET IPSI IVSSV DAVIDIS NECANTVR.

2. Ceterùm Isboseth, vt audiuit cecidisse Abner Principem militiæ suæ, ac totius regni sui administratorem, & à viris Dauid fuisse interfectum, dissolutus est animo ac viribus, omnisque Israel perturbatus est. Accidit autem non multò pòst, attestante Iosepho 7. Antiq. cap. 2. fere in principio capitis, vt duo principes latronum, Baana & Rechab, filij Remmon Berothitæ, de tribu Beniamin, qui hactenus exulauerant in Gethaim, quæ creditur fuisse vrbs Philisthinorum, ingressi latenter domum Isboseth dormientis in meridie super stratum suum, occiderint eum, & ablato eius capite, fugientes tota nocte, attulerint illud ad Dauidem in Hebron, putantes id pergratum Regi futurum, & propterea grandem se ab eo remunerationem consecuturos. Sed valde eos spes sua fefellit: nam Rex, cognita eorum nequitia & impietate, confestim eos quidem iussit interfici, caput autem Isboseth in sepulchro Abner in Hebron tumulari: 2. Reg. cap. 4. per totum.

DE VNCTIONE DAVIDIS SVPER VNIVERSVM ISRAEL.

3. Eodem anno, mense sexto circiter desinente, congregatus omnis Israel vnanimiter venit ad Dauid in Hebron, & percusserunt seniores populi fœdus cum eo coram Domino, vnxeruntque (nimirum per Sacerdotes & Prophetas) ipsum in Regem super omnem Israel: 2. Reg. cap. 5. vers. 1. vsque ad 4. & 1. Paralip. cap. 11. vers. 1. vsque ad 4. Sanè Principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum vt Rex fieret super omnem Israel, recensentur in eodem Paralip. cap. à vers. 10. vsque ad 23. capitis sequentis. Numerus autem Principum & virorum, qui de singulis tribubus tunc venerunt ad Dauid in Hebron, vt facerent eum Regem, describitur 1. Paralip. cap. 12. vers. 23. vsque ad finem capitis. vbi etiam subiungitur, quòd manserunt ibi tribus diebus, comedentes & bibentes cum lætitia; & quòd à cunctis tribubus Israel, tam proximis quàm remotis, vndique afferebantur ad victum pertinentia, & gaudium magnum erat in Israel. Et hæc fuit tertia eademque postrema vnctio Dauidis in Regem. Nam prima facta fuerat à Samuele in Bethleem, quando Dauid adhuc erat adolescentulus, quindecim circiter annorum, vt sub anno mundi 2964. num. 1. diximus; in signum quòd iam ex tunc designatus erat Rex. Secunda vnctio facta fuit in Hebron, cùm iam esset Dauid triginta annorum, quando constitutus est Rex totius tribus Iudæ, vt sub anno mundi 2980. num. 1. dictum est. Tertia patet in Hebron, anno vitæ suæ trigesimo octauo, vt patet in tabulis: de qua nunc agimus, quando scilicet vno omnium Israelitarum consensu, sollemniter admodum vnctus factusque est Rex totius populi Israelitici. Et tunc paulò antequam vngeretur, creditur secundò cecinisse Psalmum 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea*, &c. quemadmodum sub anno numeroque proximè citatis adnotauimus. Et item putant nonnulli, eumdem Dauidem composuisse ac cecinisse Psalmum 138. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, &c. qui posteà inter quindecim Cantica graduum computatus est.

DAVID OPPVGNAT EXPVGNATQVE ARCEM SION IN IERVSALEM.

4. Consummata celebritate huius tertiæ vnctionis, quæ tribus diebus (vt dictum est) absoluta fuit, abiit Dauid Rex & omnis Israel cum eo in Ierusalem, quæ dicebatur Iebus, eò quòd longo admodum tempore habitata fuerat à Iebusæis, & cœpit oppugnare arcem Sion, de qua ipsi Iebusæi post obitum Iosue numquam expelli potuerant; erat enim natura arteque munitissima. Quamobrem ijdem Iebusæi, existimantes eam esse omnino inexpugnabilem, ad irridendos conatus Dauidis, posuerant super muros eius aliquot cæcos & claudos, tamquam vel ipsi soli possent eam defendere; & subsannantes dicebant Dauidi: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos.* Dauid autem præclari illius facinoris difficultate nihil territus, vt viris suis alioqui fortissimis, animum adderet, proposuit edictum dicens: *Qui primus ascenderit, & primus percusserit Iebusæum, erit Princeps & Dux.* Itaque cùm primus ascendisset Ioab, ceterisque aditum

ape-

aperuisset, qui priùs fuerat Princeps militiæ Dauidis in tribu Iuda, declaratus deinde fuit Princeps militiæ eiusdem Regis in toto Israele. Percussis ergo Iebusæis, & capta arce, cœpit habitare Dauid in ea, & ampliare illam, ædificando muros & turres ab vno capite magnæ cuiusdam voraginis, Mello nuncupatæ, in gyro, vsque ad aliud caput ipsius, intra quem circuitum, Ioab de mandato Regis reliqua postmodum vrbis extrui curauit: & idcircò illa deinceps dicta est ciuitas Dauid. Atque ita exinde vsque ad initia regni Roboam filij Salomonis, sedes regni totius populi Israelitici permansit in Ierusalem: 2. Reg. cap. 5. vers. 6. vsque ad 10. & 1. Paralip. cap. 11. vers. 4. vsque ad 9. Porrò Dauid, vt dicitur cap. Reg. citato vers. 11. & Paralip. vers. 10. admodum proficiebat atque crescebat in Ierusalem. Regnauit autem ibi annis triginta tribus, quemadmodum apertè traditur 2. Reg. cap. 5. vers. 5. & 3. Reg. cap. 2. vers. 11. intra quos annos duxit alias vxores & concubinas; natique sunt ei in Ierusalem, præter filios concubinarum, alij filij, quorum omnium nomina recensentur 2. Reg. cap. 5. vers. 13. vsque ad 17. & plenius 1. Paralip. cap. 3. vers. 5. vsque ad 10.

SION CVR DICATVR CIVITAS DAVID.

IERVSALEM REGNI SEDES SACTA.

DAVID QVOT ANNIS REGNAVERIT IN IERVSALEM.

ALIAE VXORES ET FILII DAVIDIS.

FILIVM SEXTVM DAVIDIS NON ESSE NATHAN.

¶ 5. Quoniam autem manifestè locis proximè citatis inter quattuor filios Dauidis de Bethsabee natos in Ierusalem, computatur etiam Nathan; hinc inferri potest, hallucinari eos qui putant filium sextum Dauidis in Hebron de Egla natum, qui 2. Reg. c. 3. vers. 5. vocatur Iethraam, esse Nathan: & Abulensem, qui corrupto Iosephi codice deceptus, super dicto Reg. loco quæst. 4. ait, dictum Iethraam secundùm Iosephum 7. Antiq. vocari Nathan. Atqui certum est, quòd in correctioribus eiusdem Iosephi codicibus 7. Antiq. cap. 1. circa medium, sextus Dauidis filius non Nathan, sed Galam nuncupatur: & constat ex locis Scripturæ sacræ adductis, Nathan non de Egla, sed de Bethsabee, & non in Hebron, sed in Ierusalem esse natum. Vtrùm autem iste Nathan idem fuerit cum Nathan Propheta, infrà sub anno mundi 2990. num. 7. disputabimus.

QVOT ET QVOS DAVID DE BETHSABEE GENVERIT LIBEROS.

Vetumtamen hîc non prætereundum duximus, quòd Dauid de Bethsabee duos tantùm naturaliter filios genuit; vnum ex adultero concubitu, qui septimo die ortus sui mortuus est, vt habetur 2. Reg. cap. 12. vers. 18. & iste non potuit recenseri inter filios Dauid, quoniam ante eius circumcisionem ac nominis impositionem, quæ octauo die fieri solebant, decesserat. Alter fuit Salomon, quem genuit Dauidi Bethsabee, posteaquam defuncto primo viro suo Vria, eiusdem Dauidis vxor facta est, post quem nullum alium genuisse legitur, & propterea ipse Salomon, Prouerbiorum cap. 4. vers. 3. dicit se fuisse vnigenitum coram matre sua, videlicet Bethsabee. Quæ quidem verba non sic accipienda sunt, ac si vellent inferre, quòd Salomon ita à matre sua vnicè dilectus fuerit, tâmquam si fuisset eius vnigenitus, quemadmodum Auctores paulò pòst citandi exponunt; sed simpliciter sunt intelligenda in sensu quem verba ipsa sonant, videlicet quòd Salomon, modo superiùs exposito, verè fuerit vnigenitus matris suæ, vt manifestè indicat lectio editionis Vulgatæ, & exponunt Glossa ordinaria, & Lyranus, & Hugo Cardinalis, & Carthusianus, & alij. Vnigenitus, inquam, Bethsabee ex ipso Dauide: nam alij tres, videlicet Samua, qui & Simmaa, & Sobab, & Nathan, qui 2. Reg. cap. 5. vers. 14. & 1. Paralip. cap. 3. vers. 5. & cap. 14. vers. 4. ante ipsum Salomonem nominantur, fuerunt quidem filij Bethsabee, sed de primo viro Vria; computantur autem inter filios Dauidis, quia eos posteà Dauid, tum vt aliquo modo satisfaceret pro iniusta nece illata Vriæ, tum vt ipsi Bethsabee, quam vnicè diligebat, morem gereret, adoptauit in filios; quemadmodum asserunt Hebræi, & Lyranus super 1. Paralip. cap. 3. & Abulensis ibidem quæst. 4. & Carthusianus super Prouerb. cap. 4. vbi non solùm id ipse asserit, sed ab aliis quoque communiter locum illum ita exponi testatur.

NATHAN NON FVIT NATVRALIS FILIVS DAVIDIS SED ADOPTIVVS.

Equidem non ignoro, Iansenium super loco Prouerbiorum citato, & Baradium lib. 5. cap. 9. suæ Concordiæ Euangelicæ, & Pinedam lib. 1. de Rebus Salomonis cap. 8. mordicus tenere, non Salomonem tantùm, sed & Nathan, aliosque duos quos diximus de Bethsabee natos, fuisse filios Dauidis naturales. Verum isti Auctores, & si qui alij eos sequuntur, præterquam quòd coguntur exponere memorata Prouerbiorum verba, *Vnigenitus coram matre mea.* in sensu diuerso ab eo quem ipsa editio Vulgata satis apertè videtur exprimere; insuper non possunt rationem reddere, cur 2. Reg. cap. 5. vers. 14. & 1. Paralip. cap. 3. vers. 5. & cap. 14. vers. 4. Salomon vltimo loco post fratres suos vterinos recenseatur; cùm tamen illos ipse & dignitate, & sapientia, & potentia longè superaret, & constet, ipsum Salomonem proximè ab obitu paruuli, quem Dauid ex adulterio de ipsa Bethsabee genuerat, fuisse procreatum, vt apertè testatur Scriptura 2. Reg. cap. 12. vers. 24. illis verbis: *Et consolatus est Dauid Bethsabee vxorem suam* (subaudi, de obitu memorati paruuli mœrentem) *ingressusq; ad eam dormiuit cum ea; quæ genuit filium, & vo-*

cauit nomen eius Salomon, nec posteà vſpiam tradit, quòd alios Dauid de ipſa Bethſabee genuerit. Ergo oportet alios fratres Salomonis vterinos priùs eſſe natos, videlicet ante obitum Vriæ; & conſequenter non ex Dauide, ſed ex ipſo Vria naturaliter fuiſſe generatos. Igitur fateri neceſſe eſt, Salomonem inter fratres ſuos vterinos non alia de cauſa vltimo loco ſemper recenſeri, niſi quia poſt ipſos natus erat; & dici vnigenitum coràm matre ſua, quia ipſa poſt coniugium cum Dauide initum, nullum alium filium genuit. Denique quomodo poterunt memorati Auctores oſtendere verum eſſe quod omnes fatentur, & nos ſub anno mundi 4051. num. 16. demonſtrabimus, videlicet, S. Matthæum deriuaſſe generationes Chriſti à Salomone per lineam Regiam; ſanctū verò Lucam eaſdem per lineam Sacerdotalem perduxiſſe ad Nathan, ſi vterque, Salomon ſcilicet & Nathan, fuiſſent filij naturales Dauidis? ſiquidem neuter ipſorum verè de ſtirpe Sacerdotali eſſe dici vel vllo modo potuiſſet, quemadmodum ex his quæ nos ſub anno mundi proximè citato num. 17. dicemus, perſpici poterit. Neque verò prædictis obſtant illa verba, quæ 2. Reg. cap. 5. verſ. 14. & 1. Paralip. cap. 3. verſ. 5. habentur, videlicet: *Porrò in Ieruſalem nati ſunt ei* (hoc eſt Dauidi) *filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quattuor de Bethſabee filia Ammiel.* quia tametſi Scriptura ſacra per hæc & ſimilia verba, *Nati ſunt ei, Peperit ei, Genuit ei, Filius eius. Suſcepit*, vel *habuit ex ea filium*, & huiuſmodi, vt plurimùm ſoleat intendatque exprimere generationes naturales; nonnumquam tamen his & ſimilibus verbis etiam exprimere conſueuit quaſdam alias generationes, quæ non ſunt naturales, ſed vel legales, vel remotæ, vel impropriæ, & latiſſimo quodam modo ſumptæ. Nam de legalibus, quæ fiebant per adoptionem, exemplum habemus 1. Paralip. cap. 2. verſ. 23. vbi dicitur: *Omnes iſti filij Machir patris Galaad.* conſtat enim ibi inter filios Machir connumerari Segub verſ. 21. memoratum, qui cùm fuerit filius naturalis Heſron ex filia ipſius Machir, vt ibidem dictum fuerat, non poteſt intelligi fuiſſe filius Machir, niſi adoptiuus. Quod & ſenſit Abulenſis ſuper cap. Paralip. citato quæſt. 10. vt nos ſub annis mundi 2387. num. 1. & 2583. num. 27. diximus. De his verò generationibus, quæ iuxta Legem antiquam fiebant per ſuſcitationem ſeminis defuncti, ſcimus quòd in genealogia Saluatoris, Ioſeph quem Matthæus dicit filium Iacobi, Lucas appellat filium Heli; & vterque S. Euangeliſta verum dicit, *Quia* (ſicuti ait S. Hieronymus lib. 1. in Matthæum) *alter ſecundùm naturam, alter ſecundùm Legem ei pater fuit.* Eodem modo exprimit Scriptura ſacra generationes quaſdam remotas, hoc eſt, per plures intermedios factas, vt Matthæi cap. 1. verſ. 1. vbi dicit Chriſtum filium Abrahæ & Dauidis, quia de ipſorum ſtirpe prodiit; & verſ. 8. vbi ait, quòd Ioram genuit Oziam, videlicet, mediantibus Ochozia, Ioa, & Amaſia. Et hæc (vt ita dixerim) filiatio tam latè extendebatur apud Hebræos, vt omnes poſteros ſuos, filios dicerent. Proptereà non mirum eſt, ſi in Scripturis ſacris, omnes qui erant de tribu Iudam dicuntur filij Iuda; & qui de tribu Ruben, filij Ruben; & ſic de aliis tribubus; & omnes tribus, nomine filiorum Iſrael ſignificantur, ad differentiam eorum qui non erant de populo Iſrael, qui generaliter filij Gentium, vel filij alienigenarum appellari ſolent. Neque ſolùm naturaliter geniti, ſed etiam qui per adoptionem, & ipſorum quoque adoptiuorum poſteri, filiorum nomine nuncupantur, vt patet ex adductis Paralip. verbis, videlicet: *Omnes iſti filij Machir*, &c. quibus profectò comprehenduntur tum ipſe Segub filius adoptiuus dicti Machir, tum poſteri ipſius Segub. Sed & interdum non modò poſteri alicuius viri, verùm etiam incolæ alicuius ciuitatis vel oppidi, dicuntur illius filij. Vnde eſt illud Lucæ c. 23. verſ. 28. *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me*, &c. & 1. Machab. cap. 3. verſ. 45. *Et Ieruſalem non habitabatur; non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius*: & cap. 5. verſ. 8. *Et cepit Gazer ciuitatem, & filias eius.* Ecce quàm late Scriptura ſacra vſurpare conſueuit nomen *filij*. Denique prædictis quoque dicendi modis expreſſæ inueniuntur aliæ etiam generationes minùs propriæ, pura quæ fiebant quando vna mulier per aliam de viro filium ſuſcepiſſe dicebatur, vt, verbi gratia, Noëmi per nurum ſuam Ruth. Vnde quando Booz genuit Obed ex dicta Ruth, dicebant mulieres: *Natus eſt filius Noemi*: Ruth cap. 4. verſ. 17. & quando Sara, Rachel, & Lia dederunt ancillas ſuas viris ſuis, dicebant ſe ſuſcepiſſe habereque ex illis filios, vt videre eſt Geneſ. cap. 16. verſ. 2. & cap. 30. verſ. 3. & 6. Vides ergo apertiſſimè, prudens Lector, quòd prædictis dicendi modis Scriptura ſacra ſignificare ſolet generationes non ſolùm naturales, ſed etiam non naturales & improprias. Non igitur ſatis firma eſt expoſitio illa locorum 2. Reg. & 1. Paralip. quam, vt diximus, afferunt Ianſenius, Baradius, & Pineda, exiſtimantes propter memorata Scripturæ verba, *Nati ſunt ei*, &c. quattuor ibidem recenſitos, verè omnes fuiſſe filios naturales Dauidis: quia benè poſſunt debentque in-

intelligi, vt dicitur, respectiuè, ita vt Salomon quidem fuerit filius naturalis ipsius Dauidis; tres verò priores, adoptiui, vt dictum est. Et hoc ad similitudinem eorum, quæ sub anno mundi 2329. num. 6. diximus de filiis Iacob, qui Genes. cap. 35. vers. 26. & de filiis ac nepotibus Liæ, qui Genes. cap. 46. vers. 15. dicuntur nati in Mesopotamia. Quod non debet accipi absolutè de omnibus (aliqui enim nati erant in terra Chanaan) sed respectiuè, vt ibidem explicatum est. Verùm hîc dicet aliquis: Si Nathan non fuit naturalis filius Dauidis, sed adoptiuus, non videretur S. Lucas cap. 3. sui Euangelij deducere debuisse Christi genealogiam per lineam ipsius Nathan: siquidem hinc sequeretur, Christum non naturaliter, sed tantummodò legaliter prodiisse de Dauid, & consequenter, non verè ac reipsa fuisse de semine eius; quod esset dictu absurdissimum. Ad hoc responderi potest, quòd si idem S. Lucas ibidem, in recensendo gradatim maiores S. Ioseph sponsi sanctissimæ Genitricis Domini nostri Iesu Christi, incipit ab Heli, qui proculdubiò non fuit eius pater naturalis, sed legalis, quemadmodum testatur S. Ioannes Damascenus Fidei Orthodoxæ lib. 4. cap. 15. nemini mirum videri debet, quòd eamdem genealogiam sursum progrediendo deducat ad Nathan filium legalem ipsius Dauidis. Quin etiam patet, eumdem Euangelistam aliàs non semel, in eadem genealogia, ad legales generationes declinasse, præsertim quando peruenit ad Zorobabel & Salathiel, qui erant de linea naturali Salomonis, vt patet Matthæi c. 1. vers. 12. Non enim iste egressus de linea Nathan in lineam Salomonis, & rursum de linea Salomonis ad lineam Nathan, videtur fieri potuisse, nisi per transitum ad generationes legales. Nec propterea consequitur dici posse, Christum legaliter dumtaxat à Dauide originem duxisse, tum quia cuius progeniem S. Lucas per legales generationes ad Nathan perducit, eamdem S. Matthæus per rectam ac continuatam naturalium generationum seriem à Salomone deriuat; tum verò maximè, quia certissimum est, Christi fetum, non ex virili semine conceptum, sed ex purissimis sanguinibus beatissimæ Virginis eius matris diuinitus fuisse plasmatum. Vnde si ipsa de semine Dauidis verè naturaliterque descendit, vt nos sub anno mundi 4037. num. 2. euidentissimè probabimus; vtique necessariò fit consequens, idem quoque de filio eius sic concepto esse dicendum.

OBIECTIO.

RESPONSIO.

6. Ceterùm si quis quærat de memorato Nathan, ac de patre eius naturali Vria, cuius nam tribus fuerint, dicimus id quidem certò sciri non posse, quandoquidem in Sacris libris nusquam reperitur expressum. Verumtamen non improbabiliter (vt arbitror) posse nos suspicari, dictum Vriam fuisse de tribu Leuitica & Sacerdotali; tum quòd ipse (vt legimus 2. Reg. cap. 11. vers. 11.) tantopere solicitus fuisse visus fuerit de Arca Dei, & ob eius reuerentiam noluerit declinare in domum suam, & ibidem commodè morari, considerans quòd tunc Arca Dei esset in castris, & sub papilionibus posita; tum verò euidentiùs, quia de filiis eius postmodum à Dauide adoptatis, rectè accipi potest, verè dictum fuisse 2. Reg. cap. 8. in calce: *Filij autem Dauid Sacerdotes erant*: quemadmodum nos sub anno mundi 2993. num. 1. dicemus. Non enim huic opinioni obstat, quòd cap. Reg. priùs citato, idem Vrias vocetur Hethæus: nam & Obededom 2. Reg. c. 6. vers. 10. appellatur Gethæus; quem tamen nos sub anno mundi 2990. num. 1. probabimus non solùm fuisse Israelitam, sed etiam Leuitam; & item sub anno mundi 4018. num. 6. perspicuè ostendemus, plures Hebræorum, ex prouinciis ac locis, in quibus ipsi aut maiores eorum aliquamdiu habitassent, cognomentum accepisse. Itaque si verum est, Vriam de tribu Leuitica Sacerdotalique extitisse; proculdubiò id maximè fauet arridetque sententiæ sanctorum Hilarij & Ambrosij, quorum primus can. 1. in Matthæum, & alter super Lucæ cap. 3. affirmant, S. Matthæum narrasse regiam Christi generationem per lineam Salomonis: sanctũ verò Lucam, Sacerdotalem, per lineam ipsius Nathan. Et eorumdem Doctorũ opinionem non rectè videtur redarguisse Cardinalis Toletus super Lucæ c. 3. sub finem Annotationis 58. vbi addit, quòd licet sanctus quoque Augustinus in libro Octoginta trium Quæstionum, quæst. 61. idem quod illi asseruisse videatur; nihilominùs, quomodo dictum suũ intelligi debeat, ibidem explicauit, subiungens, memoratum Nathan filium Dauidis, & consequenter de tribu Iuda, à quo Christi posteritatem S. Lucas deducit vsque ad Ioseph virum sanctissimæ Virginis Matris Iesu, vxorem duxisse de tribu Sacerdotali; & sic Christum ex regia pariter ac Sacerdotali tribu originem traxisse. Sed hæc accuratiùs discutere, non est præsentis loci: nam de his sub anno mundi 4051. nu. 15. vsque ad 20. fusiùs pleniusque agendum erit; & quomodo Christus etiam de stirpe Sacerdotali prodierit, signanter num. 17. explicabimus. Nunc ad id vnde digressi sumus redeamus.

NATHAN DE QVA TRIBV FVERIT.

7. Quæ verò alia gesserit Dauid, posteaquam regnare cœpit super vniuerso Israele

in

QVOMODO GESTA DAVIDIS PROPRIIS TEMPORIBVS ASSIGNARI POSSINT.

in Ierusalem, describuntur 2. Reg. cap. 5. vsque ad finem libri. & item lib. 3. vsque ad vers. 12. cap. 2. & item 1. Paralip. cap. 11. vsque ad calcem libri. Verùm quia neque hisce in locis, neque alibi semper notantur anni, in quibus singula gesta fuerint; neque facile est omnia propriis assignare temporibus: vt id, quatenus fieri potest, præstare possimus; supponere primò oportet, ea quæ narrantur 2. Reg. cap. 9. de Miphiboseth filio Ionathæ, contigisse anno circiter sexto regni Dauidis in Ierusalem, qui erat decimusquartus ex quo regnare cœperat in Hebron: siquidem poterat esse Miphiboseth decem & nouem circiter annorum, quando fecit cum eo Dauid misericordiam, vt notat Abulensis super cap. Reg. proximè citato quæst. 1. iam enim habebat filium paruulum, puta trium vel quattuor annorum, nomine Micha, vt ibidem dicitur vers. 12. Neque verisimile est, ipsum Miphiboseth, qui ob collisionem pedum, vt 2. Reg. cap. 4. vers. 4. & cap. 9. vers 3. & 13. colligitur, debilis remanserat, citiùs quàm anno vitæ suæ decimoquinto aut decimosexto generare potuisse. Quòd autem annus decimusnonus vitæ Miphiboseth concurrat cum decimoquarto regni Dauidis, patet tum ex tabulis, tum etiam quia ipse Miphiboseth quinque erat annorum, quando mortui sunt Saul & Ionathas, vt dicitur 2. Reg. c. 4. v. 4. quibus si addas quattuordecim regni Dauid annos, fient anni vitæ Miphiboseth decem & nouem. Ex his ergo inferri potest, intra primos sex annos, ex quo transtulit Dauid sedem regni sui in Ierusalem, acta esse omnia illa quæ narrantur 2. Reg. cap. 5. vers. 6. vsque ad finem capitis 9. vbi describitur quomodo Dauid benefecerit ipsi Miphiboseth: quorum multa repetuntur 1. Paralip. cap. 11. & 13. vsque ad initium capitis 19. Igitur

PHILISTHÆI BELLVM INFERVNT DAVIDI.

8. Hoc eodem anno regni Dauidis octauo, qui pro posteriori medietate concurrit cum primo translatæ sedis in Ierusalem, arbitror Dauidem incboasse plura ædificia in arce Sion quam ceperat, sed non multò pòst ab ipsis prosequendis fuisse auocatum: siquidem vt primum audierunt Philisthæi, quòd Dauid vnctus esset Rex super vniuersum Israel (quod propter regionis vicinitatem satis citò audire potuisse videntur) conspiratione facta congregati sunt omnes, vt venirent contra eum, antequam ampliùs in regno confirmatus augeret vires suas. Et tunc creditur Dauid, his auditis, composuisse ac cecinisse Psalmum 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* &c. Quem Psalmum si ad litteram de ipso Dauide exponere velimus; vtique per gentes & populos, & Reges ibidem memoratos, ritè possumus intelligere Philisthæos, qui inter se distincti erant in plures prouincias & populos, habebantque quinque Reges: isti præ furore frementes *conuenerunt* cum exercitibus suis *in vnum, aduersus Dominum*, cuius prouidentia regnabat Dauid in monte Sion: *& aduersus christum eius*, hoc est Dauidem, quem iam tertiò idem Dominus vngi fecerat in Regem. Ipse verò Dauid in eo Psalmo prophetizans, prædicit eosdem à Domino irridendos fore, atque aduersis successibus conturbandos; & propterea excitat sese suosque ad excutiendum iugum eorum; adhuc enim Israel eis tributa pendebat, vt ex dicendis sub anno mundi 2991. num. 1. constabit. Igitur cùm venissent Philisthæi, ac diffusi essent in valle Raphidim, hoc est Gigantum, quæ erat in confinio tribus Iudæ & Beniamin, non multùm distans ab Ierusalem, vt colligi potest Iosue cap. 15. vers. 8. egressus est Dauid obuiàm eis, & descendit in quoddam præsidium satis benè munitum, non procul ab eis, expectans præliandi opportunitatem: 2. Reg. cap. 5. vers. 17. vsque ad 19. & 1. Paralip. cap. 14. vers. 8. vsque ad 10. Et tunc, quando scilicet Dauid in dicto morabatur præsidio, &

VIRI DAVIDIS MAGNO SVO PERICVLO AFFERVNT REGI AQVAM DE CISTERNA BETHLEEM

Philisthæi stationem tenebant in Bethleem, credimus memorabile illud factum accidisse, quod 2. Reg. cap. 23. vers. 14. vsque ad 18. & 1. Paralip. cap. 11. vers. 15. vsque ad 20. veluti per recapitulationem describitur, nimirum de Dauide, qui cùm quadam die, ardenti quodam æstuaret desiderio bibendi aquam de cisterna existente iuxta portam Bethleem patriæ suæ, resque viris suis innotuisset: ecce tres viri fortissimi ex his qui cum eo erant, derepentè & audacter per media hostium castra irrumpentes, tulerunt de dicta cisterna aquam domino suo Regi, qui ne videretur tanto cum suorum periculo voluisse appetitui suo satisfacere, noluit eam bibere, sed libare maluit eam

9 Domino. Dixi hanc aquæ Dauidis historiam accidisse anno regni eius octauo, qui fuit

DAVID QVANDO LIBAVERIT AQVAM DOMINO.

primus regni super vniuersum Israël; tum quia id colligi potest ex loco Paralip. proximè citato, vbi ipsa describitur paulò post dictam eius electionem in Regem, & certum est quòd cap. Reg. adducto, vbi idem repetitur, non proprio loco, sed velut obiter, & vt dixi, per recapitulationem narratur in catalogo virorum fortium ipsius Dauidis, qui ibidem post omnia eius gesta describitur; tum etiam quia ratio dictat, eam non nisi anno prænotato potuisse contingere, quando scilicet Philisthæi, qui tum erant admodum

dum

dum potentes, & quodammodò dominabantur Hebræis, prementes eos tributis, statim vt audierunt quòd Dauid electus esset Rex super Israel, vnanimes venerunt vniuersi contra eum in vallem Raphidim Ierosolymis proximam; ipse verò, vt dictum est, sese recepit in præsidium. Nam alioqui, posteaquam eos Dauid aliquot præliis victos valdè humiliauit, & tulit frenum tributi de manu eorum (vt traditur 2. Reg. cap. 8. vers. 1.) non est credendum, neque vspiam legitur quòd deinceps vmquam ausi sint venire prope Ierusalem, & occupare Bethleem eidem proximam. Itaque si hoc verum est, vt putamus, vtique oportet hæc accidisse multò antequam Dauid committeret adulterium cum Bethsabee, & consequenter ad hæc non aduertisse S. Gregorium Homil. 34. in Euangelia prope finem, vbi ait, Dauidem ideò noluisse bibere dictam aquam, quam sine peccato concupierat, quia meminerat se illicitè concupiuisse abstulisseque vxorem Vriæ. Sed redeamus ad historiam. Post hæc videns Dauid quòd Philisthæi non audebant ipsum prouocare ad prælium, consulto priùs Domino, ipse eos aggressus, percussit ac fugauit agmina eorum, & idola ibidem ab eis relicta exuri iussit, locumque victoriæ appellauit Baalpharasim, dicens: *Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ*: 2. Reg. cap. 5. vers. 20. vsque ad 22. & 1. Paralip. cap. 14. vers. 10. vsque ad 13.

DAVID PHILISTHAEOS PERCVTIT ET FVGAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2988. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 445.

1 ANNO (vt arbitror) insequente, qui erat regni Dauidis nonus, & à translatione sedis in Ierusalem secundus, Philisthæi resumptis viribus iterùm congregati sunt, & diffusi in eadem valle Raphidim. Quod eùm audisset Dauid, egressus aduersus eos, consuluit bis Dominum, Primò, num deberet inire cum eis prælium, vt priùs fecerat: & respondit negatiuè. Secundò, num in gyrum vertere se deberet post tergum ipsorum, & ex aduerso pyrorum illos aggredi: quo annuente, confestim Dauid clàm ducto illuc exercitu, irruit in hostes, & percussit eos de Gabaa vsque Gezer; siue, quod idem est, de Gabaon vsque Gazera: quo facto, diuulgatum est nomen Dauidis in vniuersis per circuitum regionibus, & cœperunt timere eum: 2. Reg. cap. 5. vers. 22. vsque ad finem capitis, & 1. Paralipom. cap. 14. vers. 13. vsque ad finem.

ITERVM FELICITER CVM EISDEM PVGNAT.

2. Eodem anno, nimirum post pulsos secundò Philisthæos, conuertit se Dauid ad extruenda ædificia, quæ statim post captam arcem Sion inchoauerat, vt dictum est: quo tempore misit ad eum Hiram Rex Tyri nuntios, nimirum vt congratularetur ei de victoriis paulò antè partis; & posteà ad petitionem eiusdem Dauidis, misit ei ligna cedrina, & artifices lignorum lapidumque, ad easdem fabricas extruendas: 2. Reg. cap. 5. vers. 11. & 1. Paralip. cap. 14. vers. 1. Itaque fecit sibi Dauid domos, vel potiùs domum vnam amplissimam ac Regiam continentem multas domos, siue multis variisque distinctam mansionibus, aptè ad varios ministeriorum Regiæ vsus accommodatis; & hanc magnum domum fecit sibi Dauid in ciuitate sua, hoc est in Sion; & ædificauit locum Arcæ Domini, quam, vt erat valdè pius, designabat reducere in domum suam; iussitque confici ac præparari Tabernaculum nouum, sub quo eam decentissimè collocaret: 1. Paralip. cap. 15. vers. 1. nam Tabernaculum quod olim fecerat Moyses, erat temporibus Dauidis in Gabaon, mansitque ibi vsque ad tempora Salomonis, quemadmodum sub anno mundi 2940. num. 4. probatum est. Probabile verò admodum videtur, prædicta ædificia non citiùs quàm duobus circiter annis potuisse absolui; (erant enim satis ampla & regia) quare consequenter credimus, reductionem Arcæ, de qua nunc dicturi sumus, non nisi anno circiter quarto, ex quo Rex habitare venerat in Ierusalem, fuisse celebratam. Itaque

AEDIFICIA EXTRVIT IN SION.

PARAT LOCVM ARCAE FOEDERIS IN DOMO SVA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2990. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 447.

1 ANNO regno sui vndecimo, qui erat habitationis suæ in Ierusalem quartus, Dauid expletis fabricis, & præparato seorsum in domo sua decenter loco, in quo Arcam Dei reponere disposuerat, inito cum Tribunis & Centurionibus & vniuersis regni sui Principibus consilio, congregauit Sacerdotes & Leuitas & cunctum Israelem, ascenditque ipse cum eo ad collem Cariathiarim, qui erat in tribu Iuda,

REDVCERE VOLENS AD SE ARCAM DOMINI, DIVERTIT EAM IN DOMVM OBED-EDOM.

Iuda, vbi (quemadmodum sub anno mundi 2940. num. 3 diximus) reposita fuerat Arca Domini in domo Abinadab; & inde eam tollentes per manus Leuitarum, imposuerunt super plaustrum nouum, ac perduxerunt in Ierusalem, Oza interim & Ahio fratribus, & filiis Abinadab, Leuitis minantibus plaustrum, & Dauide Rege cum omni Israële ludentibus coram Domino, cum canticis, & citharis, & psalteriis, aliisque eiusmodi omnibus musicorum organorum generibus & tubis. Cùm autem peruenissent ad locum quemdam, qui Area Chidon aut Nachon dicebatur, percussissetque ibidem Dominus Ozam morte subitanea, eò quòd tetigisset Arcam Domini; contristatus Dauid ac timore perterritus, non est ausus ducere eam in domum suam, sed diuertit illam in domum Obededom Gethæi. Dicitur autem iste Obededom Gethæus, non quia verè esset de vrbe Geth, quæ fuit ciuitas Philisthinorum, sed quia aliquamdiu manserat cum Dauide in Geth, aut alia aliqua simili de causa sic denominabatur; cùm tamen reverà ipse esset Israelita, & de tribu Leui, vt colligi potest ex 1. Paralip. cap. 15. vers. 18. & 21. & 25. & cap. 16. vers. 38. vbi inter cantores & ianitores connumeratur. Sic etiam sexcenti illi Dauidis milites, qui cum eo profecti fuerant in Geth, & inde cum ipso pariter redierant in terram Israel, licet essent Hebræi, nihilominus eadem de causa vocantur Gethæi, 2. Reg. cap. 15. vers. 18. Mansit ergo Arca Dei in domo dicti Obededum tribus mensibus, vt videre est 2. Reg. cap. 6. vers. 1. vsque ad 12. & 1. Paralip. cap. 13. per totum.

CVR PERCVSSERIT DOMIN. OZAM.

¶ 2. Verumenimverò hîc si quis percontetur, quamobrem percusserit Deus Ozam, qui necessaria quodammodò de causa videtur Arcam tetigisse, ne scilicet de plaustro eam dilabi fineret; breuiter respondemus, certissimè tenendum esse, ipsum non simpliciter aut ex puta necessitate, sed ausu quodam temerario eam tetigisse, vt colligitur loco Reg. citato, vbi expressè dicitur, quòd *iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate*. Quæ autem fuerit ista temeritas, hoc variè à Scriptoribus explicatum reperitur. Quidam enim aiunt, quòd Oza periit, quia tetigit Arcam cùm esset immundus; nimirum quia præcedenti nocte cognouerat vxorem suam. Sed hoc probari non potest; & si hoc esset, potiùs percuti debuisset quando cum fratribus suis imposuit Arcam plaustro, quàm quando peruentum est ad dictam aream. Alij dicunt temerarium fuisse Ozam in eo, quòd imposuit Arcam in plaustrum, quam vectibus gestare propriis debebat humeris; vt colligitur ex his quæ dicuntur Num. cap. 4. vers. 6. & clarius cap. 7. vers. 9. Sed neque hoc videtur admittendum; tum, quia nescimus num ipse aut alius fuerit in causa, vt Arca non Leuitarum humeris, sed in plaustro portaretur; tum etiam, quia Scriptura sacra apertè aliam tradit causam interitus Ozæ, dicens, quia temere tetigerat eam. Iosephus verò, qui 6. Antiq. cap. 2. dixerat Abinadabum Ozæ patrem fuisse Leuitam, postea 7. Antiq. cap. 4. ait: quòd *Oza, cùm non esset Sacerdos, ausus manum sustentandi causa admoliri, in vestigio expirauit*. Cuius opinionem teprobat Abulensis super 2. Reg. cap. 6. quæst. 10. & super 1. Paralip. cap. 13. quæst. 26. *quia, inquit, si Leuitis licitum erat Arcam portare, vt patet Num. capitibus proximè citatis; ergo & eam aliquo modo tangere; ergo non quia simpliciter tetigit, sed quia irreuerenter ac temerè tetigit, occisus est.* Contrà verò Franciscus Ribera lib. 3. de Templi fabrica cap. 3. num. 4. contendit ex Num. cap. 4. vers. 15. apertè colligi, quòd Leuitæ poterant portare Arcam, sed non eam tangere; & propterea probat causam mortis Ozæ à Iosepho allatam; quia nimirum, cùm non esset Sacerdos, ausus fuerat eam tangere. Sed demus Ozam, vt ait Iosephus, fuisse solùm Leuitam, non autem Sacerdotem: si Ribera intelligit prohibitum fuisse Leuitis tangere Arcam nudam, hoc est antequam à Sacerdotibus operta velamentis inuolutaque esset; hoc ad Iosephi positionem confirmandam nihil facit, vt paulò pòst probabitur. Si autem putat vetitum quoque fuisse Leuitis, eam etiam velaminibus contectam atque inuolutam quoquomodò contingere: dicimus, ex nullo sacræ Scripturæ loco id posse inferri: quin potiùs oppositum multò rationabilius videtur, nimirum, vt qui eam opertam portare poterant, etiam possent, cùm opus esset, aliquo modo contingere. Nam si sub eadem pœna mortis cautum erat, non solùm ne Arcam tangerent, sed etiam ne vlla curiositate eam viderent, vt patet Numer. cap. 4. vers. 20. & prohibitio eam videndi ibidem apertè declaratur, priusquam inuoluta esset, non autem posteà, alioqui necesse fuisset, vt eam clausis oculis portarent: profectò idem prorsus videtur intelligendum de prohibitione eamdem tangendi. Itaque cùm non sit verisimile, Ozam tetigisse Arcam nudam, sed velamentis obuolutam: (non enim nuda deferri poterat, sed priùs à Sacerdotibus inuoluta, eo modo quo præceperat Dominus cap. Num. allegato;) propterea potiùs in hac parte

pro-

probanda videtur sententia Abulensis, quàm Riberæ, & dicendum; quòd Oza à Domino interemptus fuit, non quia, cùm non esset Sacerdos, Arcam tetigerit; sed quia eam temerè, hoc est irreuerenter, ac sine necessitate tetigit, ac sustinere præsumpsit. Si enim aduertisset, se tunc non arcam communem vehere, sed Arcam à Deo sanctificatam comitari, ac debitam ergà ipsam exhibuisset, vt debebat, reuerentiam; non tam facilè, quòd paululum inclinatam videret, dubitasset fore casuram, neque tam facilè ei manum admouisset. Ad quod tenendum, illud etiam me mouet, quòd si Oza ideò percussus fuisset, quoniam, cùm non esset Sacerdos, Arcam tetigerat, vt sentiunt Iosephus & Ribera, non videretur propterea Dauid tantopere sibi timere debuisse, si Arcam in domum suam reduceret: poterat namque esse securus, quòd eam ipse non tangeret, præsertim quando ibidem sub Tabernaculo, in quo ipsi introire fas non erat, reposita fuisset. Atqui quoniam non ita securus esse poterat, ne aliquam irreuerentiam circa ipsam aliquando committeret, ideoque grauiter à Domino plecteretur; propterea timuit Deum tunc temporis, dicens: ***Quo modo possum ad me introducere Arcam Dei?*** tamquam subintelligi volens, quæ tantam meretur exigitque reuerentiam, vt meritò vereri debeam, ne si quid minus à me præstitum fuerit, pro benedictione inducat super me & super domum meam maledictionem? ***Et ob hanc causam***, inquit Scriptura, ***non adduxit eam ad se, sed diuertit in domum Obededom Gethæi***: 2. Reg. cap. 6. vers. 9. & 10. & 1. Paral. cap. 13. vers. 12. & 13.

3. Post tres menses, audiens Dauid quòd benedixisset Dominus, hoc est, benefecisset domui Obededom, eamque in cunctis admodum prosperasset propter Arcam Dei ibi existentem; decreuit reducere eam ad se, nempe ad locum quem iam ei præparauerat seorsum in domo sua. Itaque conuocato rursus populo, ac præcipuè Sacerdotibus ac Leuitis, quorum Principes nominatim 1. Paralip. cap. 15. vers. 5. vsque ad 12. recensentur, cum longè maiori deuotione ac sollemnitate celebrari fecit eius translationem. Siquidem iussit priùs sanctificari Sacerdotes & Leuitas; & vt ipsi Leuitæ propriis humeris portarent Arcam in vectibus; & vt septem Sacerdotes, quorum nomina habentur 1. Paralip. cap. 15. vers. 24. induti (vt arbitror) vestibus Sacerdotalibus, clangerent tubis argenteis coram Arca Domini. Ceteros verò Sacerdotes & Leuitas cum populo, diuiserat Dauid in septem choros, in circuitu Arcæ; & in singulis choris Leuitæ, qui recensentur 1. Paralip. cap. 15. vers. 17. vsque ad 24. stolis induti byssinis, dulciter canebant, musicis pariter omnium generum instrumentis personantes. Concinebant ergo lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina miscebantur. Et cùm progressi essent sex passus qui portabant Arcam, immolabant Sacerdotes septem tauros & septem arietes, nimirum vnum taurum & vnum arietem per singulos choros. Dauid autem & ipse accinctus ephod lineo, seu quod idem est, indutus stola byssina, deuotè admodum tripudiabat ante Dominum. Atque hoc pacto Rex vniuersusque Israel deducebant Arcam fœderis Domini cum iubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, aliisque eiusmodi organis suauiter concrepantibus. Et tunc putat Iansenius, Dauidem composuisse Psalmum 23. ***Domini est terra, & plenitudo eius***, &c. & 46. ***Omnes gentes plaudite manibus***, &c. Cùm autem introducta esset Arca Domini, & locata in medio tabernaculi quod tetenderat ei Dauid, obtulerunt holocausta & hostias pacificas pro gratiarum actione coram Domino, cecinitque Dauid in consummatione tabernaculi Psalmum 28. ***Afferte Domino filij Dei***, &c. quemadmodum ex eiusdem Psalmi titulo patet: deinde benedixit populo in nomine Domini; distribuitque vnicuique munusculis ad cibum pertinentibus, dimisit eos. Coram Arca verò Domini reliquit Leuitas à se delectos, quorum alios quidem fecit ianitores, alios autem sub Asaph principe constitutos, qui ministrarent, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel per singulos dies ac vices suas coram Arca Domini, canerentque Psalmum 104. à se compositum, qui incipit: ***Confitemini Domino, & inuocate nomen eius***, &c. & de Sacerdotibus quosdam posuit vt tuba canerent iugiter coram Arca fœderis Domini: quosdam verò reliquit in Excelso Gabaon, vbi erat Tabernaculum fœderis quod olim fecerat Moyses, vt offerrent ibi holocausta Domino super Altare holocautomatis iugiter manè & vespere, iuxta omnia quæ præceperat Dominus in Lege Moysaica, & cum eis Leuitas, cantores, ac ianitores. Quæ omnia ex 2. Reg. cap. 6. vers. 12. vsque ad 20. & 1. Paralip. cap. 15. & 16. breuiter excepimus.

DAVID REDVCIT ARCAM DEI IN DOMVM SVAM.

4. Expleta verò sollemnitate, cùm rediret Dauid vt benediceret domui suæ, in cuius dedicatione cecinit Psalmum 29. ***Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me***, &c. vt colligitur

HVMILITAS DAVIDIS A MICHOL NON IMPVNE SVBSANNATA, A DEO MIRIS PRAEMIIS AFFICITVR. ligitur ex titulo, Michol filia Saulis (quæ priùs, quando scilicet ingrediebatur Arca in montem Sion, de fenestra prospiciens, despexerat in corde suo Regem coram ipsa Arca ludentem) egressa in occursum Dauidis, subsannare cœpit eum quòd saltasset coram Arca Domini; sed ab eo grauiter obiurgata, etiam sterilitatis pœna à Deo punita fuit vsque in diem mortis suæ: 2.Reg.cap.6.vers.20. vsque ad finem capitis, & 1.Paralip.cap.15.vers.29. Contrà verò Deus, vsqueadeò sibi in illa interna pariter & externa Dauidis humilitate complacuit, vt eum posteà idoneum reddiderit, cui iureiurando repromitteret, Christum verum Dei filium de stirpe eius fore nasciturum, quemadmodum norat Hugo Cardinalis super 2.Reg. cap.6. Et hæc est illa repromissio, quæ ab eodem Dauide refertur in Psalmo 131.vers.11.illis verbis: *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hunc etenim locum eiusdẽ Psalmi Expositores, & B.Hieronymus super Matth.cap.1. & communiter omnes Catholici Doctores, de prædicta repromissione intelligendum esse censent. Et Christum de Dauidis prosapia natum esse, omnis Scriptura testatur; cuius nos sub anno mundi 4051. plura testimonia adducemus.

DAVID COGITAT EXTRVERE TEMPLVM DOMINO. 5. Eodem (vt arbitror) anno, non multò postquam collocauerat Dauid Arcam Dei in area domus suæ, sub tabernaculo quod eidem fieri mandauerat; considerans quadam die Rex, quòd ipse habitaret in domo cedrina, Arca verò Dei adhuc maneret sub pellibus, cogitare cœpit de templo eidem extruendo; tunc præsertim, quoniam nullam ab hostibus molestiam patiebatur. Voluit tamen priùs consulere Nathan Prophetam, cuius fit mentio Ecclesiastici cap.47. vers.1. iste enim temporibus Dauidis in magna erat sanctitatis existimatione apud Regem & populum. Et quidem huic sancto viro prima fronte res bona visa est; & talis quæ non egeret consultatione; itaque statim dixit Regi: *Omne quod est in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum est.* verumtamen nocte proxima locutus est Dominus ad Nathan, & misit eum vt diceret Regi: *Non aedificabis tu mihi domum ad habitandum.* & post multa, subintulit, quòd filius qui ex ipso nasciturus erat, *Ipse*, inquit, *aedificabit domum nomini meo.* Et subinde prædixit Nathan Dauidi multa bona, cùm temporalia tum spiritualia, quæ collaturus erat Dominus domui eius, & lariùs describuntur in Psal.88.vers.20.vsque ad 39. Porrò inter alia etiam satis manifestè insinuatur bonum illud omnium maximum, quòd scilicet Christus, verus ac naturalis Dei filius, de fructu, hoc est, semine eiusdem Dauidis, vt habemus in Psal.131. vers.11. nasciturus esset, & ædificaturus domum spiritualem Deo, hoc est sanctam Ecclesiam, & in æternum regnaturus. Pro quibus omnibus Dauid in multas gratiarum actiones ac Dei laudes magno spiritus ardore erupit; ac tandem humiliter precatus est Dominum, vt cunctas huiusmodi promissiones opere impleret: 2.Reg. cap.7. per totum, & 1.Paralip.cap.17.

SED PROHIBITVS EST PER NATHAN PROPHETAM, QVI MVLTA BONA EIDEM PRAENVNTIAT.

6. De hac pia Dauidis intentione & voluntate ædificandi templum Domino, & pariter de prohibitione eidem diuinitus facta, fit mentio etiam 1.Paralip. cap.22. vers.7. vsque ad 11.& cap.28.vers.2. vsque ad 8. & 3.Reg.cap.8.vers.17.vsque ad 20.& 2.Paralip.cap.6.vers.7. vsque ad 10. Causa autem cur noluerit Dominus templum sibi à Dauide, sed potiùs à Salomone ædificari, non tam fuit illa, quam pluribus comprobare nititur rationibus Abulensis super 1.Paral. cap.22. quæst.18. videlicet, quia Dauid propter plures assiduasque bellorum occupationes, non poterat huiuscemodi ædificio vacare, quàm illa, quæ signanter assignatur 1.Paralip. cap.22. vers.8. & 9. & cap.28. vers.3.& habetur in Epistola Decretali Felicis Papæ IV. quæ refertur can.2. de Consecratione, distinct.1. videlicet, quia Dauid vir bellator fuerat, & multum sanguinem fuderat, licet iustè id fecisset. econuersò autem Salomon, vir quietissimus & pacificus erat futurus; vnde etiam nomen sortitus est; siquidem Salomon, Pacificus interpretatur. Proptereà igitur maluit Dominus sibi à Rege pacifico quàm à bellicoso templum extrui; non quia in Lege veteri aliqua huiusmodi extaret prohibitio seu irregularitas, sed vt hoc signo atque exemplo posteà intelligerent sancti Legis Euangelicæ Rectores, quantæ mansuetudinis ac benignitatis esse deberent inprimis Sacerdotes, qui ad Ecclesiam Domino viuis ex lapidibus spiritualiter ædificandã vocati sunt. Ad quod fortè etiam posteà respicientes Summi Pontifices diuinitus inspirati, canonicum irregularitatis ex homicidio, etiam iusto, impedimentum sanxerunt; cauentes ne quis eo irretitus, ad sacros Ordines promoueri, aut iam promotus in illis ministrare valeat.

CVR DEVS MALVERIT A SALOMONE QVAM A DAVIDE SIBI TEMPLVM AEDIFICARI.

7. Verùm, quoniam hîc primùm cœpimus mentionem facere de Nathan Propheta, de quo aliàs quoque sermo habendus erit: si quis quærat, quisnam ille fuerit; an scilicet (vt quidam putant) sit ille Nathan, qui 2.Reg.cap.5.vers.14.& 1.Paralip cap.3.vers.5. con-

connumeratur inter filios Dauidis, ei natos in Ierusalem, an non: breuiter respondemus, nobis probabilius videri, non esse illum, sed alium eiusdem nominis. Nam loco Paralip. proximè citato apertè dicitur, quòd ille Nathan filius Dauidis fuit etiam filius Bethsabee; vnde si ipsa Bethsabee reuera illum genuit ex Dauide, non potest iste Nathan idem esse cum Nathan Propheta; siquidem certum est, quòd Dauid aliquot annis antequam cognosceret ipsam Bethsabee, consuluit Nathan Prophetam, num deberet ædificare Templum Domino. Si verò Nathan filius Bethsabee, fuerat prius de Vria primo eius viro generatus, deinde Vria mortuo, à Dauide cum ceteris Bethsabee liberis adoptatus, quemadmodum nos sub anno mundi 2987. num. 5. diximus; res magis dubia fit: quoniam constar (vt paulò pòst & item sub anno mundi 3059. num. 1. dicemus) Nathan Prophetam scripsisse acta prima & nouissima Salomonis; ex quo apparet, ipsum eidem saltem aliquantulùm superuixisse; & consequenter potuisse filium esse Bethsabee. Ex alia verò parte etiam certum est, quòd antequam Dauid duceret ipsam Bethsabee in vxorem, iste Nathan iam erat Propheta; & talis, vt eum Rex valdè reuereretur, & consilium eius acquiesceret: vnde oportet quòd iam tunc maturæ esset ætatis, puta saltem triginta annorum. Ex quo non fit credibile, quòd iste Nathan esset filius Betbsabee: siquidem oporteret ipsam fuisse quinquaginta ferè annorum, quando adamata fuit à Dauide; nam ipsa genuerat duos alios filios, videlicet Simmaa & Sobab, ante Nathan, vt patet 1. Paralip. cap. 3. vers. 5. quare si Nathan erat triginta annorum quando consuluit eum Rex, num deberet extruere Templum Domino, necesse est quòd tunc mater eius Bethsabee esset ad minus quadraginta sex annorum; & consequenter quinquagenaria, & Dauide senior, quando post annos quattuor (vt infrà dicetur) ab eodem Dauide cognita fuit. Atqui non est verisimile, quòd mulier nupta, & plurium mater filiorum, in tam prouecta ætate, tam pulchra esset, vt Regem ipsa iuniorem allicere potuerit ad se tam ardenter concupiscendam atque amandam. Quamobrem magis credendum est, Nathan Prophetam non fuisse filium naturalem Bethsabee, neque adoptiuum Dauidis. Et ad hoc confirmandum facit, quòd 3. Reg. cap. 1. vbi sæpiùs fit mentio ipsius Nathan Prophetæ, & etiam Bethsabee, nihil prorsus innuitur, quòd illa mater eius fuerit; neque ex modo loquendi ipsius Prophetæ ad ipsam Bethsabee, tale quid suspicari quidquam posse videtur; quin potiùs oppositum, cùm videatur eidem loqui non tamquam matri, sed tamquam alteri personæ ad se non pertinenti, vt etiam notauit Abulensis super 1. Paralip. cap. 3. Et præterea Ecclesiastici cap. 47. vers. 1. legimus: *Post hæc surrexit Nathan Propheta in diebus Dauid.* ex quibus verbis profectò insinuatur, ipsum non magis pertinuisse ad cognationem Dauidis, quàm ceteros Prophetas ad illos Reges, in quorum diebus surrexisse dicuntur. Quòd si reverà Nathan Propheta filius fuisset adoptiuus Dauidis, vtique Scriptura sacra, ad Prophetæ commendationem, loco illorum verborum, *in diebus Dauid*, dixisset, *filius Dauidis*. His adde, quòd S. Epiphanius in lib. de Vita Prophetarum, vbi agit de Nathan Propheta, dicit, ipsum fuisse ex prosapia Thock, & non de vrbe Ierosolyma, de qua fuit Nathan filius Bethsabee, sed de Gabath vrbe Galilææ; & alia quædam de ipso profert, quæ certè filio Dauidis conuenire nequaquam possunt. Sed nec S. Isidorus in libro de Vita & morte Sanctorum, quidquam meminit, agens de Nathan Propheta, quòd fuerit filius Betbsabee aut Dauidis; quin potiùs oppositum indicat, dicens, ipsum fuisse ex Gabaonitis: nec videtur credendum, quòd si fuisset filius Dauidis, id omnes qui de ipso loquuntur, silentio inuoluissent. Deniq; sanctus quoq; Augustinus lib. 2. Retractationum cap. 16. tenet, Nathan Prophetam fuisse diuersum ab eo qui dicitur filius Dauidis. Si autem, vt diximus, iste Nathan Propheta iam triginta saltem erat annorum, quando Dauid ipsum consuluit, num deberet ædificare Templū Domino; proculdubiò oportet ipsum ad centesimum circiter vitæ annum peruenisse: siquidem ipse scripsit gesta tum Dauidis, tum etiam Salomonis, prima & nouissima, vt dictum est, & expressè traditur 1. Paralip. cap. vlt. vers. 29. & 2. Paralip. cap. 9. vers. 29. Verumtamen scripta eius, temporum iniuria perierunt.

DE NATHAN PROPHETA, QVOD FVERIT DIVERSVS A NATHAN FILIO BETHSABEE.

8. Sub finem huius anni oportet de hac vita abiisse Dercilum Regem Assyriorum. hoc enim circiter tempore (vt videre est in tabulis) expleti sunt quadraginta anni, quibus eum regnasse tradit Eusebius in Chronicis.

DERCILI REGIS ASSYRIORVM OBITVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2991. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 448.

REGNAT IN ASSYRIA EVPALES.

1 ANNO proximo circitet inchoante, qui erat tegni Dauidis duodecimus, regnauit in Assyria Eupales Rex Assyriorum trigesimus, vt videre est apud Eusebium in Chtonicis.

DAVID OMNINO LIBERAT ISRAELIMA SVBIECTIONE PHILISTHINORVM CAPTA GETH.

2. Eodem anno Dauid successiuè lacessitus, vt arbitror, à finitimis populis, bellum gessit ptimò aduersus Philisthæos, quos percussit valdeque humiliauit, & cepit vrbem Geth, quæ erat metropolis ac sedes vnius ex Regibus eorum; & prætereà abstulit iugum ttibuti, quod vsque ad illum diem pendere consueuerant Istaelitæ Philisthæis: 2.Reg.cap.8.vers.1.& 1.Paralip.c.18.vers.1. Deinde profectus est Dauid contra Moabitas, quorum alios quidem, nimirum qui ei resistere ausi fuerant, omnino deleuit, coæquans tetræ municipia eorum; alios vetò, videlicet non reluctantes, coëgit seruire Israeli sub tributo. Et hoc arbitror indicari figurato illo loquendi modo, qui loco Reg. adducto subiungitut illis vetbis: *Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* Et hæc quidem duo bella, quæ breuiter locis citatis tanguntut, anno tegni eius duodecimo gesta esse ctedimus.

FACIT MOABITAS ISRAELI TRIBVTARIOS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2992. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 449.

DILATAT, CAPTA SYRIA, IMPERIVM SVVM VSQVE AD EVPHRATEN

1 ANNO autem insequente, qui erat tegni eius decimustertius, Dauid duo alia bella prædictis multò illustriota suscepit, ac felicitet confecit. Et primò quidem, cum exetcitu benè instructo, perrexit in Syriam, vt dilataret imperium suum vsque ad flumen magnum Euphtaten, quemadmodum olim promiserat Dominus Abrahæ, Genes.cap.15.vers.18. & posteà Moysi, Deuter. cap.1. vers.7. & cap.11. vers.24. & tefertur etiam Iosue cap.1.vers.4. Cùm ergo peruenisset Dauid in eam Syriæ partem, quæ Soba siue Sobal tunc vocabatur, petcussit ibi exercitum Adadezer Regis illius regionis, captis septem millibus equitum, & viginti millibus peditum, & mille quadtigis, quarum centum sibi teseruauit, teliquos vetò curruum iugales subneruauit. Cùm autem superuenissent Syri Damasceni, vt auxilium ferrent dicto Regi Adadezet; inito etiam cum eis prælio, Dauid percussit de ipsorum exercitu alios viginti duos mille viros; & capta Damasco vrbe nobilissima, posuit in ea præsidium; fecitque sibi tributariam etiam illam Syriæ partem, quæ Damascena, seu Syria Damasci vocabatur: abstulitque arma & pharetras auteas à seruis Adadezet, & de ciuitatibus eius asportauit spolia multa, & præsertim magnum æris pondus, de quo posteà Salomon fecit vasa & columnas æteas in templo. Sanè in hoc bello à Dauide in Syria gesto, oportet etiam accidisse id quod in titulo Psalmi 59. notatum est, nempe ipsum Dauidem succendisse Mesopotamiam Syriæ & Sobal, intellige, non omnes dictæ Ptouinciæ vtbes, sed eas tantùm quas vi ceperat. Quæ omnia vt audiuit Thoü Rex Hemath, quæ est alia Syriæ ptouincia, olim Syria Hemath dicta; misit Iotam siue Adoram filium suum cum vasis aureis, argenteis, ac æteis, ad Dauidem, postulans ab eo pacem; & vt congratularetur ei de victoriis habitis; & præsertim vt eidem gratias agetet, quòd expugnasset Adadezet, qui hostis quoque fuerat ipsius Thoü. Atque in his omnibus Dauid à Domino mirabilitet adiutus seruatusque fuit: 2.Reg.cap.8.vers.3. vsque ad 11.& 1.Paralip.cap.18.vers.3.vsque ad 11. Accidit autem eo tempore quo pugnabat Dauid contta Adadezer, vt Syrus quidam nomine Razon, fugeret Adadezer dominum suum; & congregaret contra eum viros, factusque sit princeps latronū, qui posteà temporibus Salomonis occupata Damasco constiturus fuit ibi Rex, & ipse deinceps infestare cœpit Istaelem, vt ex 3.Reg.cap.11.vers.23.nos sub anno mundi 3058.num.1.dicemus.

RAZON SYRVS.

SVBIGIT ISRAELI IDVMÆAM.

2. Cùm autem rediret Dauid capta Syria, aliud bellum gessit contta Idumæos, & percussis per vnum ex ducibus suis nomine Abisai, de ipsorum Idumæorum exercitu decem & octo millibus virorum in valle Salinarum, fecit sibi nomen, hoc est, vt multi exponunt, erexit sibi fotnicem, seu signum, vel titulum triumphalem, subegitque totam Idumæam; ac relicto in ea præsidio, abiit: 2.Reg.cap.8.vers.13.& 1.Paralip.cap.18. vers.12. Ac tunc cecinit Dauid Psalmum 59. *Deus repulisti nos, & destruxisti nos,* &c. vt ex eiusdem Psalmi titulo manifestum est. Quoniam autem 3.Reg. cap.11. vers.15. ad hanc histotiam additur, quòd cùm ascendisset Ioab in Idumæam ad sepeliendum

eos

eos qui fuerant interfecti, sex mensium spatio, quibus ibidem cum exercitu moram traxit, interemit omnes masculos in Idumæa. Hinc nonnulli crediderunt, Dauidem propter illud quod dictum fuerat Deuter. cap. 23. vers. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.* hanc eisdem Idumæis humanitatem præstitisse, nimirum post eorum cladem misisse ipsum Ioab in Idumæam, vt curaret sepeliri eos qui in bello ceciderant. Sed non videtur probabile, quòd pro hac re Dauid mitteret Ioab Principem militiæ suæ cum exercitu, neque quòd ipse Ioab hac de causa tanto tempore ibidem moraretur: quin etiam, quod magis vrget, si ad sepeliendos Idumæos à Dauide in prælio occisos missus fuisset Ioab, profectò ipse non interemisset omnes masculos eorum. Itaque multò meliùs, vt arbitror, Caietanus ex citato 3. Reg. loco colligit, Idumæos, non longè postquam à Dauide subacti fuerant, ab eodem defecisse, ac interfecisse Israelitarum præsidia in Idumeæ vrbibus relicta; & propterea statim à Dauide missum illuc fuisse Ioab cum exercitu, vt Israelitas ab Idumæis peremptos sepeliri curaret, & noxios plecteret, ac denuò prouinciam sub Dauidis ditione redigeret: & ideò ipsum tamdiu ibidem mansisse; ac non solùm pessimi illius facinoris auctores, sed etiam, ad maiorem ceteris timorem incutiendum, omnes Idumæorum mares interfecisse. quod non absolutè accipiendum est, tamquam si solæ feminæ in tam ampla prouincia reseruatæ fuerint: hoc enim repugnat rationi, præsertim cùm certum sit, Idumæam deinceps fuisse tributariam Dauidi, & filio eius Salomoni; & absurdum sit arbitrari, à solis feminis accepta fuisse eiusmodi tributa. Igitur occidit Ioab omnes Idumæorum masculos non absolutè, sed respectiuè; nimirum omnes quos probabiliter credere poterat, posse denuò Israelitis reluctari, & nouam aliquam aduersus eos rebellionem moliri aut commouere. Fuerunt autem hi quos occidit Ioab in Idumæa, duodecim millia, vt in titulo proximè citati Psalmi exprimitur. Eo autem tempore, quo talis à Ioab cædes exercebatur, Adad tunc puer paruulus de semine Idumæorum regio, fugit inde cum seruis patris sui in terram Madian, & dein in Pharan, ac denique in Ægyptum; vbi inuenit gratiam coram Pharaone, qui dedit ei domum, & cibos constituit, & terram delegauit; cui etiam, cùm creuisset, dedit vxorem, videlicet sororem reginæ vxoris suæ Taphnes; ex qua posteà genuit filium nomine Genubath, quem Pharao nutriri & educari iussit cum filiis suis: 3. Reg. cap. 11. vers. 15. vsque ad 21. Et iste Adad, post mortem Dauidis & Ioab, rediit in Idumæam, fuitque aduersarius Salomoni, quemadmodum nos sub anno mundi 3058. num. 1. dicemus.

ADAD IDVMÆVS FVGIT IN ÆGYPTVM.

3. Ceterùm Dauid, cùm reuersus esset in Ierusalem, pro gratiarum actione de tantis victoriis diuino fauore partis, imperioque aucto, & quòd eum Deus in tot tantisque periculis seruasset incolumem, consecrauit Domino omnia vasa aurea, & argentea, æneaque, cum reliquo auro atque argento, quod vsque tunc abstulerat de vniuersis gentibus quas subegerat, nimirum de Amalecitis, Iebusæis, Philisthæis, Moabitis, Syris, ac Idumæis: 2. Reg. cap. 8. vers. 11. & 1. Paralip. cap. 18. vers. 11. nam quod hisce in locis etiam dicitur de Ammonitis, ibidem per anticipationis figuram dictum debet intelligi: non enim hactenus bellum gesserat Dauid cum Ammonitis, sed illud posteà gessit, vt sub anno mundi proximo num. 3. dicemus. Ista autem anticipatio non frustrà hîc adhibita creditur, sed ad insinuandum quòd Dauid, præ mira sua pietate, etiam deinceps consecrare consueuit Domino omne aurum & argentum, quod in aliis quoque bellis ab eo posteà gestis acquisiuit.

DAVID CONSECRAT DOMINO ARGENTVM, AVRVM, ET ÆS, IN BELLIS PARTA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2993. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 450.

1 ANNO regni sui decimoquarto Dauid, intermissis aliquantisper præliis, conuersus est ad ipsius regni gubernacula, & iustè admodum iudicabat regebatque vniuersum Israelem: erantque ministri eius maiores, qui recensentur 2. Reg. cap. 8. vers. 15. vsque ad finem capitis, & 1. Paralip. cap. 18. vers. 14. vsque ad finem. Inter quos ponitur primò Ioab super exercitum, hoc est Dux generalis post Regem in his quæ ad bellum spectabant, & Princeps militiæ eius. Hanc enim dignitatem à Rege propositam ei qui primò percussisset Iebusæos, ipse Ioab sua strenuitate fuerat consecutus, vt 2. Reg. cap. 5. vers. 8. innuitur, & clariùs exprimitur 1. Paralip. cap. 11. vers. 6. & nos sub anno mundi 2987. num. 4. diximus. Ponitur deinde Iosaphat à Commentariis. & post pauca, Saraias, qui & Susa, Scriba. Puto autem alterum ex his fuisse supremum Regis Cancellarium, videlicet Iosaphat, si illud *à Commentariis*, idem est ac si dictum

REGNVM IVSTE GVBERNAT.

MINISTRI EIVS MAIORES QVI.

IOAB PRINCEPS MILITIÆ.

IOSAPHAT, ET SARAIA, ALTER SCRIBA, ALTER A COMMENTARIIS.

esset, ab Epistolis. Et hoc posito, dicimus Saraiam fuisse Scribam, hoc est, Theologum Regis in Lege doctissimum. Siquidem apud Hebræos ordo Scribarum erat, veluti est apud nos ordo Theologorum. Si verò Iosaphat erat à Commentariis, id est (vt alij exponunt) Chronista Regis, qui eius gesta & annales conscribere ex officio tenebatur: profectò dicendum erit, Saraiam fuisse Scribam, hoc est Cancellarium: vsque hodie enim etiam mos est apud Heluetios, & quasdam alias nationes, Scribæ vocabulo, Cancellarios indicare. Quin etiam Ier em cap. 36. vers. 26. & 32. legimus Baruch appellari Scribam ipsius Ieremiæ, cùm tamen certum sit, eumdem Baruch non Theologum, sed veluti Cancellarium eius extitisse. Sadoc autem & Achimelech, erant Sacerdotes, hoc est principes Sacerdotum; nimirum primi post Abiathar, qui tum erat summus Sacerdos, vt sub anno mundi 3020. num. 13. probabitur. Quòd verò sequitur, *Banaias super legiones Cerethi & Phelethi*, per istas legiones aliqui intelligunt balistarios & fundibularios: sed melius est intelligere legiones quasdam, ad aulæ regiæ ac personæ ipsius Regis custodiam specialiter deputatas, quales apud Romanos dicebantur Prætoriæ cohortes. Quamquam Cerethi vocabulo nonnumquam in Sacris libris significentur Palæstini, vt patet 1. Reg. cap. 30. vers. 14. vbi per Australem plagam Cerethi, intelligitur Australis plaga terræ Palæstinorum, & Ezech. cap. 25. vers. 16. vbi, quod in Hebræo legimus *Cerethi*, Vulgata editio Latinè reddit *Philisthæos*. non tamen existimare debemus memoratas legiones, vel saltem Cerethæos, quibus Banaia præfuisse dicitur, fuisse Philisthæos. Quis enim vmquam credat, quòd Rex Dauid Philisthæos alienigenas, ac perpetuos Israëlis hostes, ad corporis sui custodiam destinare voluerit? Neque verò quemquam fallat, quòd 2. Reg. cap. 15. vers. 18. sexcenti illi milites, qui præcedebant Regem, dicantur Gethæi; quia (vt sub anno mundi 2990. num. 1. dictum est) reuerà erant Hebræi: sed dicuntur Gethæi, quoniam (quemadmodum ibidem subditur) secuti fuerant Dauidem, quando declinandæ persecutionis gratia, coactus fuit diuertere & habitare in Geth, vrbe Philisthinorum; & item quando posteà rediit in Israel. Dicuntur igitur dictæ legiones, Cerethi & Phelethi, non ad denotandam nationem aliquam aut regionem, de qua collectæ essent; sed ad exprimendam fortitudinem ac ferocitatem virorum illorum, qui in ipsis continebantur. Siquidem, vt aiunt, Hebraicè *Cerethi*, Latinè idem significat, ac si diceremus, *Interfectores*. Et propterea, vt diximus, Palæstini interdum Cerethi vocabulo nominantur; quia erant valdè fortes, & sæpiùs in bello Israelitas interfecerant. *Phelethi* verò vocabulum tamquam à voce quadam Hebraica significante *eripere* seu *liberare*, deductum, quodammodò *ereptores* seu *liberatores* interpretari posse perhibent. Itaque istæ legiones, Cerethi & Phelethi sunt denominatæ, ad insinuandum, quòd institutæ fuerant, non solùm ad ipsius Regis defensionem, vt scilicet à periculis eum eriperent ac liberarent; verumetiam, vt cùm opus esset, vindicarent offensas ei factas, interficiendo quoscumque Rex ipse iuberet interfici. Denique, quod postremò subiungitur, *Filij autem Dauid, Sacerdotes erant*. non sic accipiendum est, quasi reuerà ipsi essent Sacerdotes, erant enim de tribu Iuda, *de qua*, vt testatur Apostolus ad Hebr. c. 7. vers. 13. *nullus altari præsto fuit*. Quandoquidem Ius diuinum, in quo Reges dispensare non poterant, non permittebat Sacerdotium illud Legale exire de tribu Leuitica: quin etiam neque omnes filij Leui, sed sola Aaronis posteritas eiusmodi officij ac dignitatis capax esse poterat. Vnde Num. cap. 3. vers. 10. & cap. 18. vers. 7. cautum fuerat sub pœna mortis, ne alij in tale ministerium sese quomodolibet ingerere auderent; & scimus Oziam Regem lepra à Domino derepentè fuisse percussum, eò quòd incensum offerre ausus esset, quemadmodum traditur 4. Reg. cap. 15. vers. 5. & clariùs 2. Paralip. cap. 26. vers. 16. vsque ad 22. & eadem de causa ducentos quinquaginta viros cælitus exustos legimus, Num. cap. 16. vers. 35. Dicuntur ergo filij Dauid fuisse Sacerdotes, quatenus vox Hebraica, quæ hîc interpretatur Sacerdos, etiam significat Principem, & virum honorabilē; ac si dicere voluisset, quòd filij Dauidis nullum quidem singulare munus habebant; sed erant Principes, ac ceteris honorabiliores, & veluti super omnes ministros, ac omnium primi qui cum Rege agerent, vt clariùs explicatur 1. Paralip. in calce capitis 18. vbi eadem historia repetitur; & loco eius quod 2. Reg. in fine capitis 8. dicitur, *filij autem Dauid, Sacerdotes erant*, legimus: *Porrò filij Dauid, primi ad manum Regis*. Sic à sacris Doctoribus prædicta duo Scripturæ loca exponi solent, & benè, vt arbitror: tametsi etiam rectè existimari possit, non otiosè editionem Vulgatam idem vocabulū Hebraicum vno in loco transtulisse, *Sacerdotes*; & in alio, *primos ad manum Regis*, seu Primates curiæ Regis: nimirum ad insinuandum, ni fallor, quòd de filiis Dauidis alij, videlicet naturales, erant primates in domo

BANAIAS DVX LEGIONVM CERETHI ET PHELETHI.

QVOMODO FILII DAVID DICANTVR FVISSE SACERDOTES.

domo Regis: alij verò, nimirum de Vria priùs nati, & mox à Dauide in gratiam Bethsabee adoptati, inter quos (vt sub anno mundi 2987. num. 5. & 6. dictum est) erat etiam Nathan, reuera erant Sacerdotes, hoc est de genere Sacerdotali & tribu Leuitica, sicut pater eius naturalis Vrias; & propterea reuera sacerdotij munere fungebantur, quemadmodum sub anno mundi proximè allegato num. 6. explicauimus. Ceterùm oportet prædictos Sacerdotes hîc per figuram quam vocant recapitulationis seu anticipationis fuisse memoratos: nam alioqui certum est, quòd hoc tempore Dauid neque Bethsabee duxerat vxorem, neque eius ex priori viro liberos adhuc sibi in filios adoptauerat.

DAVID BENEFACIT MIPHIBOSETH IN GRATIAM PATRIS SVI IONATHAE

2. Eodem anno, nimirum regni sui decimoquarto, quemadmodum sub anno mundi 2987. num. 6. probatum est, recordatus Dauid fœderis, quod non semel pepigerat cũ Ionatha filio Saulis, à quo vnicè dilectus fuerat (vt patet ex his quæ sub annis mundi 2971. num. 2. & 2973. num. 1. & 2974. num. 2. & 2975. num. 2. dicta sunt) memor, inquam, Dauid amici, licet iam defuncti, requisiuit num remansisset aliquis de domo Saulis, cui in recognitionem beneuolentiæ ipsius Ionathæ benefaceret. Cumque intellexisset superesse Miphiboseth (qui & Meribbaal 1. Paralip. cap. 8. vers. 34. & cap. 9. vers. 40. appellatur) filium Ionathæ; confestim illo accersito, donauit ei omnes agros qui fuerant Saulis aui eius, præcepitque Sibæ seruo domus Saul, & omni cognationi eius, vt seruirent ipsi Miphiboseth, ac filio eius paruulo nomine Micha: ipsum verò Miphiboseth, licet esset claudus vtroque pede, retinuit Rex penes se in Ierusalem, ac regium commensalem deinceps esse perpetuò voluit: 2. Reg. cap. 9. per totum.

DAVID MITTIT REGI AMMONITARVM CONSOLATORIAM LEGATIONEM.

3. Eodem quoque (vt arbitror) anno, Naas Rege Ammonitarum defuncto, illo, inquam, Naas, contra quem strenuè pugnauerat Saul anno regni sui primo, quemadmodum sub anno mundi 2959. num. 6. dictum est, misit Dauid consolatoriam legationem ad Hanon filium eius, qui eidem in regno successerat; vt gratiam quam à patre acceperat, filio rependeret. Quamuis autem quando, aut qualem dictus Naas gratiam Dauidi contulisset, Scriptura sacra nusquam tradiderit, dubitare tamen non debemus, Dauidem aliquod à memorato Rege beneficium accepisse, tunc præsertim quando persecutionem patiebatur à Saule; cui Naas cùm hostis esset, probabile admodum est, quòd in odium Saulis, data occasione aliquando iuuerit Dauidem ab illo profugum: quod B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, & alij putant accidisse inter Dauidis fugam de Geth, & aduentum eius ad speluncam Odollam; quemadmodum sub anno mundi 2974. num. 5. dictum est. Porrò Hanon filius Naas, consiliariis suis erga Dauidem malè affectis nimiùm credulus, fraudem ab ipso Dauide perperàm suspicatus, iussit radi legatis dimidiam barbæ partem, & præcidi vestes eorum vsque ad nates, ac sic turpiter confusos dimitti. Veritus deinde, quod indubitanter expectabat, ne eiusmodi iniuriam Dauid armis vlcisci moliretur; conduxit Syros in auxilium sibi. Quæ cùm audisset Dauid, protinus misit in occursum legatis, præcipiens eis vt morarentur in Iericho, donec cresceret barba eorum: & accersito Ioab, iussit vt quantocyùs properaret cum exercitu contra Ammonitas: qui confestim mandata Regis perficiens, diuisit cum Abisai fratre copias, vt ille seorsum aduersus Ammonitas, ipse verò contra Syros dimicarent; quo facto, eodem conflictu vterque præualuit, & Syris pariter Ammonitisque ruptis ac profligatis, reuersus est Ioab in Ierusalem. Verùm non multò pòst audiens Dauid, quòd Syri iterùm essent congregati & aucti sub Principe militiæ Adadezer Regis, nomine Sobach: ipsemet Dauid coacto exercitu transiuit Iordanem, & commisso prælio fugauit Syros, occiso eorum Duce, ac de exercitu eius percussit septingentos currus, & quadraginta millia equitum. Reliqui verò quinquaginta & octo millia Syri, qui fuga euaserant, composita cum Dauid pace, deinceps seruierunt ei; nec vltrà ausi sunt Syri præbere auxilium filiis Ammon: 2. Reg. cap. 10. per totum, & 1. Paralip. cap. 19. per totum.

LAESVS A DICTO REGE, BELLVM ADVERSVS IPSVM SVSCIPIT.

PRIMO PRAELIO AMMONITAS SYROSQVE VINCIT.

SECVNDO PRAELIO SYROS PERCVTIT ET FVGAT.

SYRI COMPOSITA PACE SERVIVNT DAVIDI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2994.	QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 451.

IOAB OBSIDET RABBA METROPOLIN AMMONITARVM.

1. ANNO proximo (vt apertè colligitur 2. Reg. cap. 11. vers. 1. & apertiùs 1. Paralip. cap. 20. vers. 1.) qui erat regni Dauidis, quemadmodum ex antecedentibus consequitur, annus decimusquintus, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, nimirum ineunte Vere, hoc est, circa Anni sacri initia, iterùm misit Dauid Ducem suum Ioab, cum exercitu & Arca Dei contra Ammonitas; qui vastata terra

Ppp 4 eorum,

DAVID COMMITTIT ADVLTERIVM CVM BETHSABEE. eorum, tandem venit ad Rabba siue Rabbath, quæ erat ipsorum metropolis, & obsedit eam. Dum autem hæc in exercitu agerentur, accidit vt Dauid, qui remanserat in Ierusalem, quadam die surgens de strato suo post meridiem, deambulansque in solario domus suæ, videret ex aduerso mulierem pulcherrimam sese lauãtem, & concupiscentia accensus misit ad ipsam, adductamque dormiuit cum ea: erat autem hæc Bethsabee vxor Vriæ Hethæi, qui tum erat in exercitu, militabatque sub Ioab militiæ Principe. Cùm autem non multò pòst innotuisset Regi, quòd Bethsabee de ipso concepérat; vt occultaret Dauid adulterium suum, accersiuit ad se Vriam, sub prætextu quodam interrogandi ipsum de his quæ in exercitu agerentur; deinde nihil non callide latenterque fecit ac dixit, quò eum induceret vt in propriam domum se reciperet, ac dormiret cum vxore sua; sic enim posteà dici potuisset, ipsam de viro suo esse grauidam, sed cùm ille (fortassis quia aliquid audisset de his quæ acciderant) sese coram Rege OCCIDIT VRIAM. excusasset, nec voluisset ire ad domum suam; Dauid callidè remisit eum ad Ioab cum epistola, in qua mandabat ei Rex, vt exponeret Vriam maioribus belli periculis, ita vt hostium gladio caderet. Vt autem nuntiatum est Regi, quòd Vrias in prælio ceciderat, ipse duxit Bethsabee, post planctum viri eius, in vxorem: 2. Reg. cap. 11. per DVCIT BETHSABEE IN VXOREM. totum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2995.	QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 452.

NATHAN ARGVIT DAVIDEM DE ADVLTERIO ET HOMICIDIO. I. ANNO insequente circiter inchoante, paulò postquam Bethsabee pepererat filium Regi, venit Nathan Propheta missus à Domino ad Dauidem; & opportunè proposita priùs parabola viri diuitis, qui parcens sumere de gregibus suis tulerat ouem pauperis vnicam, vt daret epulum peregrino; increpauit Regem de adulterio & homicidio, cum multorum scandalo commissis, & exprobrans plurima ei à Deo collata beneficia, & ingrati animi noxam hanc maximam, comminatus est ipsi & DAVIDIS POENITENTIA. domui eius multa mala. Quæ audiens Dauid, statim pœnituit, agnouitque, & sine vlla excusatione palàm fassus est se peccasse, conuersusque ad Dominum, cecinit Psalmum 50. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*, &c. quemadmodum ex titulo eius manifestum est. Quin etiam sunt qui putant, Dauidem tunc aliis quoque Psalmis diuinam implorasse misericordiam, ac cecinisse pariter Psalmos 6. & 37. qui incipiunt: *Domine, ne in furore tuo arguas me*, &c. & 31. cuius initium est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, &c. Sed quidquid de hoc sit, illud quidem certissimum est, quòd Dauid verè atque ex toto corde pœnituit, obtinuitque peccatorum suorum veniam, & commutationem pœnæ æternæ in pœnas ac calamitates afflictionesque temporales, quas posteà passus est, præsertim à proprio filio Absalom, qui eum non multò pòst à regni sede deiecit; & concubinas eius publicè turpiterque fœdauit; & vt fugatũ patrem comprehẽderet ac perderet, totius Israelitici regni viribus laborauit; quemadmodum infrà suis locis dicemus, & ipsi Dauidi subobscurè memoratus prædixerat Nathan. Sed & ante hæc valdè contristatus est Dauid ob infirmitatem mortemque paruuli, quem ei tunc pepererat Bethsabee, siquidem quantumuis pro eo multùm affligeretur pater, illumque orationibus, fletibus, ac ieiuniis ab interitu liberare conatus esset; id tamen à Domino consequi minimè valuit: mortuus est enim (vt idem Propheta prænuntiauerat) idque accidit die septimo, nimirum ab eius natiuitate; & tunc cessauit Rex à ieiunio & lacrymis, & diuinæ voluntati acquieuit. Hæc sunt quæ post memorata eius peccata Dauidem fecisse, ex Sacro textu didicimus: quare nescio quomodo S. Ambros. lib. 1. De Apologia S. Dauid cap. 2. vbi mixtim loquitur de peccatis ipsius Dauid, videlicet de ambitiosa populi dinumeratione, de adulterio cum Bethsabee, & de iniusta occisione Vriæ, potuerit verè de Dauide dicere, quòd *ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam*. cùm tamen constet, à dicto adulterio ad eius pœnitentiam intercessisse nouem menses & aliquid amplius: siquidem quando Dauid à Nathan correptus pœnituit, iam natus ei erat filius adulterinus de ipsa Bethsabee susceptus, vt patet 2. Reg. cap. 12. vers. 14. & ibidem cap. vlt. vers. 8. etiam dicitur, quòd Ioab & socij eius missi à Dauide vt numerarent populum, non nisi post menses nouem & dies viginti redierunt; & subinde vers. 10. narratur pœnitentia Dauidis post dinumeratum populum subsecuta. Et quidem licet de tam illuminato viro probabile sit credere, quòd non tam diu potuerit ignorare se grauiter admodum peccasse: nihilominùs, vt saluemus dictum sancti Doctoris, necessarium videtur coniectari,

iectari, ipsum Oratorio potiùs quàm Historico stylo, piè studuisse Dauidem quantum poterat excusare, & moram eius in peccato ferè ad momentũ contrahere, computando eam, in priùs memorato casu, ab absoluta populi dinumeratione; in altero autẽ à correctione illi à Nathan adhibita. Nescio item quomodo idem sanctus Doctor lib. eius citato cap. 4. dixerit, quòd Dauid pœnitentiam de peccato suo agens, *humi stratus deplorauit ærumnam, ieiunauit, orauit, confeßionis suæ testimonium in perpetua secula vulgato dolore transmisit*; cùm sacra Scriptura 2. Reg. cap. 12. vers. 15. vsque ad 24. ter apertè repetat, Dauidem dictas corporis afflictiones vltrò assumpsisse pro infirmo paruulo deprecans ne moreretur: quo posteà mortuo, patrẽ ab his omnibus abstinuisse. Nisi fortè alicui non inconueniens videatur etiam credere, quòd sanctus Propheta in eiusmodi pœnitentię actus erupenit, vt simul & peccati veniã, & pœnæ peccati remissionem obtineret: tametsi primum Scriptura sacra non expresserit, sed rationabiliter subintelligendum reliquerit. Sanè expleto filij luctu, Dauid non se solùm aliqua consolatione leniuit; sed etiam pariter afflictam pueri matrem consolari cœpit, quæ non multò pòst de eodem Rege concepit alterum filium, vt sub anno mundi proximo num. 1. dicemus.

2. Putant autem Hebræi, & B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis libr. 3. Reg. Dauidem, ad maiorem Bethsabee consolationem, tunc iurasse ei, se filium quem ex ipsa susciperet relicturũ regni sui successorem. Verumtamen, quia 3. Reg. c. 1. vers. 13. 17. & 30. vbi hoc memoratur iuramentum, numquam fit mentio pueri nascituri, sed semper nominatim Salomonis, tamquam iam nati: videtur dici posse, aut non ante, sed post ortum Salomonis hoc ipsi Bethsabee iuramentum fuisse præstitum, aut si ante, vt prædicti asserunt, profectò Dauidem Spiritu prophetico præcognouisse, alium se de Bethsabee filium suscepturum Salomonem nomine, qui sibi in regno succederet, alioqui nisi priùs sciuisset sic à Deo fuisse præordinatum, non est verisimile quòd ausus esset tale quid iureiurando affirmare. Nam quod ait Abulẽsis, hoc à Nathan Propheta iam priùs Dauidi fuisse prædictũ, quando eum monuerat ne de templo à se ædificando solicitus esset, quandoquidem opus illud filio eidem mox nascituro Deus reseruauerat, non videtur omnino tollere difficultatem, siquidem ex 2. Reg. cap. 7. & 1. Paralip. cap. 17. vbi hæc prænuntiatio describitur, constat, quòd tunc Nathan, de quanam vxore, vna scilicet illarum quas iam duxerat, an de mox ducenda, gignendus esset filius ille, Dauidi non indicauerat; sed solùm (vt ipsemet Dauid testatur 1. Paralip. cap. 22. vers. 9.) quòd vocandus esset Pacificus, quia, inquit, *erit vir quietißimus, faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum; & ob hanc causam Pacificus vocabitur.* Sic ibi. Quare necesse est quòd posteà Dauid vel ab eodem Propheta, vel à Deo, cùm ipse quoque esset Propheta, didicerit Salomonem de Bethsabee nasciturum, & post se super Israel regnaturum: ac proptereà memoratum Bethsabee iuramentum præstiterit de eodem Salomone regni successore relinquendo. Sanè historiam hîc traditam, 2. Reg. cap. 12. vers. 1. vsque ad 25. descriptam inuenies.

DAVID IVRAT BETHSABEE SE RELICTVRVM FILIO LIVS REGNVM.

3. Eodem (vt arbitror) anno, Ioab, qui vt sub anno mundi 2994. num. 1. diximus, obsidebat vrbem Rabbath, cùm aduertisset eam non diu ampliùs ab Ammonitis posse defendi, sed potiùs breui à se fore capiendam, ne Regi suo, cuius auspiciis bellum illud ipse gerebat, gloriam auferre ac sibi vsurpare velle videretur, admonuit Dauidem Ierosolymis tunc commorantem; qui reliquo exercitu congregato profectus est in terram Ammonitarum, & expugnauit cepitque Rabbath vrbem ipsorum regiam, & tulit coronam auream pondo vnius talenti gemmis pretiosissimis exornatam, quam reperit in capite Moloch idoli Ammonitarum, quod etiam Melchom nuncupabant, hoc vocabulo significantes, ipsum esse primarium Regem ipsorum. ex qua postmodum corona fecit sibi Dauid diadema, quod imposuit capiti suo. Asportauit quoque Dauid inde spolia multa, & prædam multiplicem valdeque copiosam. Memor autem malignitatis eorum, qui impulerant Regem sine iusta causa, sed ex sola leui ac temeraria falsaque suspicione, vt tantam legatis suis & sibi in ipsis inferret iniuriam, & conduceret contra se Syros; & item recolens diabolicam obstinationem eorum, qui fuerant in causa, quòd Ammonitæ toties à Dauide victi, numquam acquieuissent aliquomodò sibi subesse: sed denuò semper rupto fœdere contra se insurrexissent: ne tantam adeoque irrationabilem pertinaciam impunitam relinqueret, & vt simul etiam aliis finitimis populis timorem incuteret, diligenti præmissa inquisitione, omnes quos tum in ipsa Rabbath, tum in aliis Ammonitarum vrbibus reperit huiusmodi criminis reos, sæuis iussit necari tormentis: nimirum alios cultris diuersimodè secari; alios violenter trahi per duros incompositosque lateres, donec eorum corpora miserabiliter disrumperentur, interirentque,

EXPVGNAT RABBATH METROPOLIM AMMONITARVM.

CVR PLVRES AMMONITARVM ACRITER ADMODVM TOLSERIT ET PERIMERIT.

rentque; & super alios extra vrbes eductos & in via prosternatos transire ac circumagi graues currus, totis ferratis pariterque ferratis sustentatos, qui laceros ipsorum artus horribiliter contundebant, & quemadmodum in area paleas tritutabant: 2. Reg. cap. 12. vers. 26. vsque ad finem capitis, & 1. Paralip. cap. 20. vers. 1. vsque ad 5. De Hanon autem Rege Ammonitarum licet in Sacro textu expressum non sit, verisimile tamen est, quòd eum quoq; Dauid aliquo modo interfecerit; & quòd in gratiam patris sui Naas, à quo, vt dictum est, beneficia acceperat, ei substituerit (sine Regis tamē titulo) fratrem

DE SOBI FRATRE REGIS AMMONITARUM. eius nomine Sobi. Ad hoc enim credendum, illud me mouet, quòd nulla deinceps fit mentio dicti Hanon; sed tantummodò Sobi, qui 2. Reg. cap. 17. vers. 27. connumeratur inter illos Dauidis amicos, qui obtulerunt ei munera, quando ab Absalom filio de Ierusalem expulsus, morabatur trans Iordanem in vrbe vocabulo Manahim, quod interpretatur Castra. Ceterùm, nemo miretur Dauidem, virum cuius mansuetudo tantopere commendatur in Psalmo 131. illis verbis: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, &c. adeò acriter torqueri atq; occidi iussisse prædictos Ammonitas: quandoquidem certissimè supponendum est, quòd etsi grauiter, tamen pro modo culpæ eos

QUOD REGIA MANSUETUDO NON EXCLUDERE DEBEBIT IUSTITIAM. puniuerit. Constat autem, veram Deoque acceptam mansuetudinem non excludere iustitiam, in viris præsertim iurisdictionem habentibus: nam & Moyses quoque, de quo Numer. cap. 12. vers. 3. legimus, quòd ipse *erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra*, iussit vna die promiscuè interfici viginti tria millia hominum, pro peccato adorationis vituli. Sed quid opus est quærere huiusmodi mitissimorum hominum exempla? Quid mitius Deo esse excogitarive vmquam potest? Et tamen quis nesciat quàm multa ac terribilia peccatoribus in hac vita intulerit supplicia, & longè omnium grauiora comminetur in alia? Sed ad intentum nostrum redeamus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 2996. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 453.

SALOMONIS ORTUS, ET CUR SIC APPELLATUS. 1 ANNO proximo qui fuit regni Dauidis decimusseptimus, non longè (vt reor) post initia anni, Bethsabee peperit Regi alterum filium, quem ipsa vocauit Salomonem, hoc est Pacificum. quod ideò factum puto, quia (quemadmodum anno præcedente num. 2. dictum est) Dauid eidem iurauerat, quòd filius quem ex ipsa suscipéret, sibi in regno successurus erat; & iam ipsa audierat per Nathan Prophetam fuisse prænuntiatum, quòd Dauidis successor, Pacificus foret nuncupandus. Porrò Nathan Propheta, vt audiuit Salomonem esse natū, prophetico Spiritu præuidens Deum ipsi non solùm largiturum ab hostibus pacem, sed etiam diuitias maximas, & omnium rerum temporalium affluentiam, super omnes qui fuerant ante ipsum in Ierusalem, (vt ipsemet posteà testatum reliquit Ecclesiasticæ cap. 2.) & insuper, quod maius est, daturus erat ei cor sapiens & intelligens, ita vt nullus ante ipsum similis ei fuerit, nec post ipsum tantam esset sapientiam habiturus, quemadmodum dicitur 3. Reg. cap. 3. vers. 12. addidit priori aliud nomen, vocans eum etiam Hebraicè Idida, quod

DE ALIO SALOMONIS NOMINE. Latinò sonat, Amabilis Domino: 2. Regum capite 12. versic. 24. Præter memorata duo Salomonis nomina, ipse posteà tertium sibimet imposuit, vt apertè constat ex initio libri, quem sub titulo Ecclesiastes edidit: ibi enim seipsum Coheleth, hoc est Ecclesiasten seu Concionatorem vocat, illis verbis: *Verba Ecclesiastæ filij Dauid Regis Ierusalem*. Sed hoc muneris potiùs quàm personæ nomen fuit, muneris, inquam, quod tunc agere volebat, quando librum illum composuit, in quo tamquam ad cœtum populumque coram se congregatum loqui profitetur, dirigens sermonem suum (vt ait S. Hieronymus in Prologo in libros Salomonis) non ad vnum aut alterum, sed generaliter ad vniuersos, in his quæ ad ipsorum salutem pertinent, erudiendos. Cur autem idem Salomon Prouerb. cap. 4. vers. 3. dicat se vnigenitum fuisse coram matre sua, quæ præter illum qui septimo sui ortus die mortuus est, quattuor dicitur genuisse filios, sub anno mundi 2987. num. 5. iam declaratum fuit.

DE INCESTU AMNONIS CUM SORORE THAMAR. 2. Eodem anno accidit incestus, quem commisit Amnon primogenitus Dauidis cum Thamar sorore sua, ex parte patris tantùm, & sorore Absalom etiam vterina; quod facinus à Dauide dissimulatum, fuit in causa, vt posteà Absalom callidè interficeret ipsum Amnon, cum magna Regis indignatione & dolore, vt suo loco dicetur. Quoniam autem huius incestus historia accuratè admodum & apertè describitur 2. Reg. cap. 13. vers. 1. vsque ad 23. ideò libenter Lectorem ad eum locum remittimus.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 2998. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 455.

1 POST biennij tempus, anno scilicet regni Dauidis decimonono, Absalom qui hactenus fraudulenter dissimulauerat iniuriam illatam sorori suæ, expectata occasione satis opportuna temporis, quo tondebantur oues eius in quadam villa nomine Baalhasor, prope confinia sortis Ephraim existente, fecit ibi, vt mos erat, conuiuium magnum; ad quod inuitauit omnes fratres suos; qui tandem, licet ægrè admodum consentiente Rege, profecti sunt. In ipso autem conuiuij feruore, ad vltionem violatæ Thamar sororis suæ, Absalom per seruos suos Amnonem vino temulentum ac nihil minus suspicantem interfecit coram fratribus suis, qui tam inopinato casu attoniti, & fortè etiam sibi timentes, confestim de mensa surgentes, fugerunt in Ierusalem; Absalom verò ne in manus irati patris deueniret, illicò etiam ipse fugit ad Tholmai Regem Gessur auum suum; erat enim Maacha mater Absalom, filia dicti Regis, vt traditur 2. Reg. cap. 3. vers. 3. mansitque ibi tribus annis; post quos cessauit Dauid lugere Amnon primogenitum suum, & persequi Absalom, qui eum occiderat: 2. Reg. cap. 13. vers. 23. vsque ad finem capitis.

ABSALOM FRATREM AMMON INTERFICI CVRAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3001. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 458.

1 POST tres annos, nimirum currente anno regni Dauidis vigesimo secundo, aduertens Ioab quòd mitigata esset indignatio Regis, siue ex ipsa temporis diuturnitate, siue etiam fortassis ob assidua, quemadmodum credibile est, soceri sui pro nepote officia; & quòd iam cor Regis videretur satis benè affectum erga filium suum Absalom, submissa solerti muliere Thecuita, impetrauit à Dauide licentiam reuocandi ab exilio ipsum Absalom; sed hac tamen lege, vt non videret faciem patris. Venit ergo Absalom in domum suam, & mansit in Ierusalem duobus annis, intra quos numquam ausus est venire in conspectum Regis; ac per idem tempus nati sunt ei tres filij, & vna filia. Et hæc omnia fusiùs tradita inuenies 2. Reg. cap. 14. vers. 1. vsque ad 29.

ABSALOM REVOCATVR AB EXILIO, NON TAMEN ADMITTITVR IN CONSPECTV REGIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3003. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 460.

1 SVB finem secundi anni, seu tertio inchoante, ex quo Absalom de Gessur redierat in Ierusalem, hoc est anno regni Dauidis circiter vigesimo quarto, Absalom non sustinens ampliùs visione & consuetudine Regis interdici; semel atque iterùm aduocato Ioab, vt eum pro se mitteret ad Regem, & illo venire non curante, præcepit seruis suis vt exurerent hordei messem existentem in agro ipsius Ioab. Ex quo patet hoc accidisse circa initia Anni sacri; siquidem hordeum aliquantò antè maturescere solebat quàm triticum, vt colligitur Exod. cap. 9. vers. 31. & triticum sub finem primi mensis colligi consueuerat, vt aliàs probauimus. Igitur, hoc facto, venit Ioab ad Absalom, causans quòd segetem suam comburi iussisset; ille verò reddita facti ratione, misit eum ad Regem; ac per ipsum plenè reconciliatus est patri: 2. Reg. cap. 14. vers. 29. vsque ad finem capitis.

QVOMODO PLENE RECONCILIATVS SIT PATRI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3004. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 461.

1 ANNO insequente, nimirum post proximè memoratam reconciliationem, elatus animo Absalom, quòd in integram Regis gratiam restitutum se videret; & iuuenili quadam ambitione putans sibi omnia licere, quòd tanti Regis filius esset, & fortasse inter fratres suos tunc superstites primogenitus; fecit sibi currus & equites, & quinquaginta viros qui præirent ipsum. Ac deinde paulatim regnandi cupiditate incensus, cœpit variis modis atque artibus captare populorum beneuolentiam, & præsertim illorum, qui pro causis suis veniebant in Ierusalem, ac sensim sollicitare corda filiorum Israel, vt se potiùs quàm patrem suum Regem habere in animum inducerent, quem-

QVOMODO POPVLOS SOLLICITAVERIT, VT A PATRE AD SE DEFICERENT.

quemadmodum videre est 2. Reg. cap. 15. vers. 1. vsque ad 7. Neque verò difficile fuit ipsi Absalom gratiam hominum consequi, & animos omnium sibi conciliare, quippe qui cùm esset formosus præ cunctis filiis Israel, vt colligitur 2. Reg. cap. 14. vers. 25. consequenter etiam erat in cunctis actibus suis gratiosissimus & amabilis valdè. Ad hæc cùm viderent quàm ipse esset splendidus ac generosus, & erga omnes affabilis atque ufficiosus; facilè omnium oculos animosque ad se amandum, commendandum, sequendumque rapiebat; præsertim verò cùm insuper quoque aduerterent, quòd fineret eum pater suus facere quæcumque vellet. Itaque

AB ORBE CONDITO ANNVS 3005. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 462.

CONIVRATIONE FACTA OCCVPAT SIBI REGNVM PATRIS.

1 ANNO proximo circiter inchoante, qui erat regni Dauidis vigesimus sextus, hoc est (quemadmodum dicitur in Sacro textu) post quadraginta annos, quos credimus à prima vnctione Dauidis, (vt numero proximo probabitur, & apparet in tabulis) esse numerandos; Absalom, conciliatis sibi fraudulenter populis, & coniuratione facta, occupauit sibi regnum Israel, expulso patre, quemadmodum latè describitur 2. Reg. cap. 15. vers. 7. vsque ad 16.

EXPONITVR TEXTVS 2. REG. C. 15. VERS. 7.

2. Dixi hoc accidisse post quadraginta annos à prima vnctione Dauidis: quia tametsi non ignorem, plurima Sacri textus exemplaria, loco Reg. proximè citato, vice eius quod dictum est *Post quadraginta annos*, habere, *Post quattuor annos*, eosque diuersimodè à sacris Expositoribus computari: & item Iosephum 7. Antiq. circa medietatem capitis octaui asserere, Absalom inuasisse regnum patris anno post reconciliationem quarto, quem sequuntur Glossa interlinearis, & B. Theodoretus, aliique nonnulli: attamen, quia codices Bibliorum emendatiores, nimirum editionis Vulgatæ & LXX. Interpretum Romæ postremò excusi, & Summorum Pontificum auctoritate editi, qui proculdubiò inter omnes alios in sancta Ecclesia maioris sunt auctoritatis, non legunt *Post quattuor*, sed *Post quadraginta annos*; idcircò hos in primis sequendos duximus: præsertim cùm etiam S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis lib. 2. Reg. cap. 15. dicat: *Caue, Lector, plerosq; mendosos codices, in quibus scriptum inuenitur* post quattuor, *non* post quadraginta annus. *In veracioribus vero codicibus, & in Hebraica veritate, non quattuor, sed quadraginta scribuntur anni*. sic ille. Reiiciendum tamen omninò putamus opinionem quorumdam Hebræorum, quam refert Abulensis super capite Reg. proximè citato quæstione 12. dicentium, hosce quadraginta annos esse computandos ab eo tempore, quo à Samuele Hebræi petierunt constitui sibi Regem; & expletos esse tribus annis ante mortem Dauidis, nempe anno regni sui trigesimo septimo: nam hæc opinio manifestè, vt ibidem citatus Auctor planè ostendit, multa falsa supponit, & apertè pugnat cum recta temporum ratione; quæ proculdubiò ponit à dicta Regis petitione ad trigesimum septimum regni Dauidis annum, non quadraginta, sed septem & quinquaginta fluxisse annos; nimirum viginti regni Saulis, & triginta septem ipsius Dauidis. Non etiam probare possumus, quæ refert B. Hieronymus (siue ex propria, siue ex aliorum sententia, nescio) loco proximè allegato, dicens: *Quadragesimus agebatur annus, ex eo tempore quo Saul Nobe ciuitatem cum Sacerdotibus octogintaquinque, propter Dauid interemit. & idcircò hîc idem quadragesimus annus ponitur, vt monstretur, diuinam vltionem suscitari super Dauid, eò quòd Achimelech Sacerdotem fefellerit, & propter eum tot Sacerdotum cædes facta fuerit*. hactenus ille. Cuius sententiam sequuntur Lyranus & Hugo Cardinalis super cap. Reg. citato, & Historia Scholastica eiusdem capitis, & alij. Sed nos eidem subscribere nullo modo possumus: quia non videtur debere admitti, quòd Dauid, petendo panes ab Achimelech, peccauerit, vt multis benè probat Abulensis super 1. Reg. cap. 22. quæst. 32. & 33. præsertim cùm necessitate cogente id fecerit. Neque obstat quòd ipsemet Dauid cap. Reg. proximè adducto vers. 22. dixerit Abiathar ad se confugienti: *Sciebam in die illa, quòd cùm ibi esset Doëg Idumæus, proculdubiò annuntiaret Sauli. Ego sum reus omnium animarum patris tui*. non, inquam, hoc obstat: quin potiùs hinc licet colligere singularem Dauidis virtutem, qui quamtumuis ad quælibet magna arduaque gerenda animo esset impauido, admodumq; generoso & forti; nihilominùs in his, quæ ad Dei proximiue offensam quoquomodò spectare poterant, timidioris, seu, vt aiunt, timoratæ admodum conscientiæ erat, ita vt, quemadmodum de se ipso fatebatur S. Iob capite libri sui 9. vers. 28. vereretur omnia opera sua. Etenim, vt optimè dicebat S. Gregorius Epistolarum lib. 12. cap. 10. circa medium,

dium, *bonarum mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, vbi culpa non est, quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa.* Quid igitur mirum est, si is de quo alibi, nempe 1. Reg. cap. 24. vers. 6. legimus, *Percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul,* nunc timeret se in causa fuisse, quòd cæsi à Saule fuissent Sacerdotes; cùm tamen id sine vlla sua culpa accidisset? Licet enim ipse, viso in Nobe prædicto Doëg, facilè credidisset eum relaturum Regi quæ viderat; non ideò tamen tenebatur abstinere à petitione panum, ac perire cum pueris suis fame; præsertim cùm numquam putasset, Saulem eò impietatis deuenturum, vt tam leui de causa, tantam vellet tamque sacrilegam patrare cædem. Et fieri facilè potest, quòd Dauid viderit Doëgum, non antequam petisset ab Achimelecho panem & gladium, sed post, quando scilicet iam inde abire volebat. Denique, vtcumque res fuerit, certa res est, quòd eum excusauit Dominus Matthæi cap. 12. vers. 3. & 4. Itaque sicuti dicitur ad Rom. cap. 8. vers. 33. *Quem Deus iustificat; quis est qui condemnet?* Si ergo Dauid in hoc non deliquit, vanum est credere, quòd ideò post annos quadraginta punitus pulsusque regno fuerit. Huc accedit, quòd (vt ex horum temporum ratione hactenus tradita, & in tabulis digesta, manifestè colligi potest) à dicta Sacerdotum internecione ad occupatum ab Absalom paternum regnum, non quadraginta, sed vnus & triginta dumtaxat anni inueniuntur: totidem enim, & non plures, ab anno mundi 2974. in quo (vt ibidem num 8. dictum est) memorata Sacerdotum cædes facta est, vsque ad hunc 3005. de quo agimus annum, numerātur. Oportet ergo cum Abulense vbi suprà prædictos quadraginta annos ab alio fonte deriuare, nimirum à prima vnctione Dauidis in Regem per Samuelem Prophetam facta in Bethleem: ita vt huius loci sensus sit: Post quadraginta annos, hoc est, anno quadragesimo primo ineunte, ex quo Dauid, anno vitæ suæ decimoquinto circiter desinente, (vt sub anno mundi 2964. num. 1. diximus) Dei monitu vnctus primò electusque ac designatus fuerat Rex super Israel, à proprio filio eiectus spoliatusque regno fuit.

3. Sed videamus, num salua hac sententia admitti quoque possit alia lectio, quæ habet *post annos quattuor.* Ad hoc dicimus, quòd si ponamus quattuor hos annos fluxisse (quemadmodum sensisse videtur Iosephus loco superiùs citato) à plena integráve reconciliatione Absalom cum patre, ad tempus quo ipse Absalom sibi regnum patris occupauit; vtique annus huius inuasionis regni non poterit coincidere cum anno à prima Dauidis vnctione quadragesimo primo, qui proculdubiò concurrebat cum anno vitæ eiusdem Dauidis quinquagesimo sexto, regni verò vigesimo sexto, vt patet in tabulis; nisi mortem Naas Regis Ammonitarum, quam sub anno mundi 2993. num. 3. & in tabulis, posuimus in anno regni Dauidis decimoquarto, ponamus incidisse triennio antè, nimirum anno vndecimo. Sic enim adulterium, quod deinde anno post mortem dicti Naas proximè sequenti commisit Dauid cum Bethsabee, incideret in annum duodecimū regni Dauidis, & partus pueri ex eodem adulterio concepti, in decimumtertium, & natiuitas Salomonis, incestusque Amnonis cum Thamar sorore, in decimumquartum: quibus si adderemus annos duos inde vsque ad Amnonis occisionem decursos, & tres exilij Absalom in Gessur, & item duos à reditu eiusdem de Gessur, vsquequò plenè reconciliatus est patri; certè caderet reconciliatio hæc in annum regni Dauidis vigesimum primum, & consequenter, si poneremus, Absalom quadriennio post dictam eius reconciliationem inuasisse occupasseque regnum patris; proculdubiò incideret ista inuasio in exordium anni vigesimi sexti regni Dauidis, & pariter inchoante anno quadragesimo primo à prima vnctione eiusdem Dauidis; & sic vtraque lectio, nempe tam ea quæ habet, *post quattuor annos*, quàm illa quæ habet *post quadraginta*, vera vtique inueniri posset. Verumenimuerò, si res accuratiùs expendatur, inueniemus nullo modo obitum prædicti Naas poni posse in anno regni Dauidis vndecimo; alioqui sequeretur, ipsum Dauidem eodem anno regni sui vndecimo, vel etiam aliquantò anteà, benefecisse Miphiboseth filio Ionathæ, sicuti narratur in toto cap. 9. 2. Regum: siquidem initio capitis 10. quod ibidem sequitur, Scriptura sacra apertè testatur, mortem Naas posteà accidisse, illis verbis: *Factum est autem post hæc, vt moreretur Rex filiorum Ammon, &c.* atqui ex tabulis manifestum est, vndecimum regni Dauidis annum concurrere cum anno decimosexto vitæ Miphiboseth; qui quando præsentatus fuit coram Dauide, iam habebat filium paruulum (puta duorum vel trium annorum:) 2. Reg. cap. 9. vers. 12. Non videtur autem verisimile, quòd ipse Miphiboseth, ob eius debilitatem (quemadmodum sub anno mundi 2987. num. 7. probatum est) generare potuerit annum agens duodecimum aut decimumtertium. Præterea, quod magis vr-

An alia lectio possit admitti.

get, sequeretur, ipsum Dauidem, interuallo trium dumtaxat annorum, omnia bella gessisse, fabricasque & multa alia opera absoluisse, quæ describuntur 2. Reg. à cap. 5. vsque ad 10. & 1. Paralip. à cap. 13. vsque ad 19. Etenim cuncta hæc facta fuisse ab anno eiusdem regni octauo iam per sex menses inchoato, hoc est ab initio regni eius super vniuersum Israel, vsque ad mortem prædicti Naas Regis Ammonitarum, quæ post prædicta in vtroque libro citato refertur, certissimum est. Porrò hæc si diligenter attendantur, tam multa & grauia sunt, vt tam breui temporis spatio nullatenus confici potuisse videantur. Quomodo enim in tantis temporum angustiis potuisset Dauid totius Regni Israelitici administrationem suscipere; negotia, quæ plurima eademque grauissima in ipsis potissimùm regni initiis occurrunt, expedire; bellum gerere contra Iebusæos, arcem Sion munitissimam expugnare, plura regiaque in Ierusalem ædificia, lignis ac lapidibus de Libano vsque præcisis ac deuectis, extruere; duo bella grauissima aduersus Philisthæos conficere, Arcam Dei cum vniuerso Israele de Cariathiarim in Ierusalem ad domum Obededom, & tertio pòst mense ad propriam suam domum, ac locum eidem præparatum, ritu sollemnissimo reportare; deinde iterùm expeditionem contra Palæstinos suscipere, Geth vrbem ipsorum regiam capere, insuper omnem quoque terram Moabitarum subiugare, & præterea copias in Syriam ducere, Regis Adadezer exercitum non semel percutere, vrbes eius depopulari, & inde prædas maximas in Ierusalem aduehere; præsidium in Damasco ponere, & Syriam sibi tributariam facere; ac denique etiam Idumæam vniuersam suo sub imperio redigere? Ad hæc & huiusmodi peragenda, quæ (vt diximus) certum est gesta esse ante obitum Naas, quis non videt longè plurium quàm trium annorum tempus fuisse necessariũ? Igitur fit manifestum, mortem Naas non posse poni sub anno vndecimo, sed debere collocari sub decimoquarto regni Dauidis, quemadmodum suprà, & in tabulis digestum est. Hoc autem posito, etiam consequitur, adulterium Dauidis cum Bethsabee incidisse anno regni eius decimoquinto; & ortum pueri ex adulterio concepti, anno decimosexto; & natiuitatem Salomonis, incestumque Amnonis cum Thamar sorore, anno decimoseptimo; & eiusdem Amnonis interitum, anno decimonono; & reuocationem Absalom de Gessur, anno vigesimo secundo; & integram eius cum patre reconciliationem, anno vigesimo quarto; & denique regni inuasionem, anno regni vigesimo nono circiter inchoante; qui concurrit cum anno vitæ eiusdem Dauidis quinquagesimo nono, vt patet in tabulis. Atqui à decimosexto vitæ Dauidis anno, circa cuius initia diximus ipsum primò fuisse vnctum, ad annum ætatis suæ quinquagesimum nonum, non anni quadraginta, sed ferè quadraginta quattuor inueniuntur. Non ergo potest (vt quidam existimarunt) in idem coincidere Sacer textus cum textu Iosephi, quòd scilicet Absalom inuaserit regnum patris anno quadragesimo à prima Dauidis vnctione, & quarto ab integra Absalom reconciliatione cum suo patre. Sed si volumus hasce lectiones inter se concordes facere, dicere possumus cum Hugone Cardinali, quòd siue legamus, *post quattuor annos*, siue vt aliqui, inquit, Sacri textus habent, *post sex*; siue vt probatiores, *post quadraginta*; omnia erunt consona, si dixerimus quòd Absalom, & quadriennio postquam de Gessur redierat in Ierusalem, & sex annis post occisum Amnonem, & post quadraginta annos, non à nece Sacerdotum, vt idem Hugo aliique perperàm existimarunt, sed à prima vnctione Dauidis, quemadmodum probatum est, callidè inuasit obtinuitque, pulso patre, regnum Israel. Quòd si etiam voluerimus Iosephi dictum cum sacra Scriptura quoquomodò conciliare, necesse erit illa illius verba, quæ habent, *quarto post reconciliationem anno*, sic accipere, tamquam si non de secunda reconciliatione, quæ integra plenaque fuit, sint dicta, sed de prima illa conditionata, quæ facta est, quando concessit pater vt filius rediret de exilio, ea lege, ne vllo modo coram se in eius conspectum accederet. Et hæc de hisce annis sint dicta: prosequamur historiam.

QVOMODO POSSIT TEXTVS SACER CVM TEXTV IOSEPHI CONCILIARI.

4. Quæ autem in dicta regni inuasione contigerint, hæc ferè sunt: Absalom, vt se vidit iam de populi fauore securum, texta clàm cum intimioribus suis tanti facinoris tela, adit Regem, postulans ab eo licentiam eundi in Hebron, soluendi voti causa quod in Gessur emiserat: qua facilè impetrata, expeditis ad omnes vrbes Israel nuntius, qui clàm amicos ac factiosos suos die præstituta ad coniurationem in Hebron stabiliendam conuocarent, & ea firmata, buccinis vbique personantes conclamarent: *Viuat Rex Absalom*, & similia; ipse, ne stratagema facilè detegi posset, cum ducentis viris prædictæ coniurationis omnino insciis, sed quasi ad sacrificia inuitatis, profectus est de Ierusalem in Hebron: vbi iis qui priùs moniti fuerant vndique confluentibus, inter ipsos quoque in-

QVOMODO ABSALOM REGNVM PATRIS INVASERIT.

inprimis affuit Achitophel, qui cùm esset primarius Dauidis consiliarius, nihilominùs ad partes Absalom desciuerat. Cùm ergo omnes in Hebron conuenissent, iamque sacrificia fieri cœpta essent, ecce protinus stabilita est coniuratio, & ibidem sollemniter vnxerunt Absalom in Regem super Israel; quemadmodum obiter exprimitur 2. Reg. cap. 19. vers. 10. Vidisses ad primas proclamantium voces, illicò cursores ad hoc præparatos, circumquaque ad vrbes singulis assignatas aduolare; & eos qui in vrbibus aduentum ipsorum sedulò præstolabantur, vix eisdem de longè agnitis, protinus (vt in mandatis acceperant) buccinis concrepare, conclamare; ac magnis crebrisque replere omnia vocibus: Regnat Absalom in Hebron, Dispereat Dauid, Viuat Rex Absalom, & huiusmodi. Quibus auditis, continenter cœperunt in singulis vrbibus omnia commoueri, consurgere omnes, & exire confestim de domibus suis, circumcursare per vicos & plateas, inquirere, interrogare obuios, quidnam hoc esset; & audire alios Dauidi temerè procaciterque detrahentes, alios miris Absalom laudibus extollentes, ac beatos prædicantes populos; quibus tam gratioso ac munifico Regi inseruire cælitus datum esset. Denique certatim plurimos, præsertim nobiliores, accurrere Hebronem versus, vt primi nouum consalutarent Regem, & eidem sese ad omnia paratos vltrò offerrent.

ACHITOPHEL A DAVIDE DEFICIT AD ABSALOM.

5. Intereà audiens Dauid, quòd vniuersus Israel toto corde promptisque animis sequebatur Absalom, & prudenter aduertens, se tunc non posse impetum noui Regis sustinere; & nihil dubitans de pessima filij intentione, qui nec patri, nec ciuitati pro se insurgenti parceret: operæpretium duxit, nimiis pro tunc aduersariorum viribus cedere, & exire cum suis de Ierusalem, ac sese suosque in tuto ponere, donec quid magis conduceret ac facto opus esset, consilio atque oratione indagaret. Itaque relictis ad regiæ custodiam decem concubinis, ipse Rex pedes egressus est cum omni domo sua. Porrò legiones Cerethi & Phelethi, ac sexcenti viri Gethæi pugnatores validi (nimirum qui olim Dauidem Saulis persecutionem declinantem secuti fuerant in Geth) pedites præcedebant Regem: qui, cùm relicta ciuitate peruenisset ad torrentem Cedron non procul ab ea existentem, substitit, expectans qui se turmatim sequebantur, vt eos recognosceret ac videret, sciretque quos ad sui sequelam admittere, remittereve expediret. Cùm verò inter alios vidisset præcipuũ quemdam Philisthæum, nomine Ethai, qui paulò antè de Geth venerat in Ierusalem ad visendum Regem, quem valdè diligebat, & à quo pariter admodum diligebatur; rogauit eum Rex vt rediret cum suis: quo non acquiescente, sed & iureiurando affirmante, se velle siue in vita, siue in morte, esse cum Rege domino suo; permisit eum ire cum ceteris, & transire torrentem. Videns deinde Rex Sadoc & Abiathar Sacerdotes cum Leuitis portantibus Arcam fœderis Domini, iussit eos cum Arca redire in Ierusalem; & vt posteà per filios suos Achimas & Ionathan, certiorem se facerent de his quæ ibidem agerentur: ipse verò Rex eo modo quo dictum est, cum populo suo, prosecutus est iter suum ad campestria deserti: & vt audiuit, quòd Achitophel quoque esset in coniuratione cum Absalom, precatus est Dominum vt infatuaret consilia eius, quæ prudentissima optimaque esse consueuerant. Cùm autem ascenderet Dauid montem Oliueti, vt ibi adoraret Dominum, recolens (vt arbitror) intra se, quàm grauiter iamdudum in Vriam peccasset, Deumque offendisset, & quæ sibi ex tunc prædixerat Nathan Propheta, ac proinde meritò se præsentia mala pati probè intelligens, cœpit nudis pedibus & operto capite ambulare, atque humiliter non tam propriam calamitatem, quàm culpam qua illam commeruerat, deplorare; vt his quoque publicis pœnitentiæ actibus Deum sibi aliquo modo placatum redderet, & ad temperandam (vt erga vere pœnitentes assolet) iustam miserationibus suis vindictam prouocaret. Sed & omnis populus qui cum Rege erat, ipsum imitatus, pariter operto capite ascendebat plorans. Cùm verò ei Chusai Arachites scissa veste, & puluere conspersus caput (hoc enim tunc temporis magnæ signum erat mœstitiæ) occurrisset, hunc se sequi volentem precatus est Rex, vt magis iret in Ierusalem, & simulans se partium Absalomi studiosum, dissiparet consilia Achitophelis. ex quo infertur, quòd iste quoque Chusai, vir magni esset consilij. Non multò pòst apparuit Siba seruus Miphiboseth cum commeatu, accusauitque dominum suum Regi, à quo obtinuit, pro remuneratione, omnia quæ fuerant dicti Miphiboseth. Vbi verò peruenit Rex vsque Bahurim; ecce Semei, vir de cognatione Saulis, inde egressus, & per montis iugum gradiens, demittebat lapides ac terram contra Regem seruosque eius, per viam quæ humilior erat incedentes; maledicebatque Regi maledictione pessima: quamobtem voluit eum Abisai interficere; sed prohibuit eum Dauid, illo vsus argumento,

DAVID AVDITA FILII CONIVRATIONE EXIT CVM SVIS DE IERVSALEM.

DE DAVIDIS POENITENTIA.

DE CHVSAI ARACHITA.

mento, quòd si ipse à proprio filio ad mortem tunc quætebatur, multò tolerabiliùs maledicta ab extraneo sibi sustinenda erant. Denique, vt ventum est ad campestria deserti, præ itineris labore animique afflictione, lassus Rex cum populo suo ibidem refocillatus est: 2. Regum cap. 15. vers. 7. vsque ad vers. 24. capitis 17. Ceterùm in hac sua à facie Absalomi fuga, cecinit Dauid Domino Psalmum 3. *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me*, &c. & Psalmum 142. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam*, &c. vt patet ex titulis. & Psalmum 30. *In te Domine speraui*, &c. vt placet Theodoreto & Euthymio in eorum eiusdem Psalmi expositionibus. Credidit item Iansenius, ipsum Dauidem hoc eodem tempore plures quoque alios composuisse Psalmos, nimirum 38. *Dixi: Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*, &c. & 39. *Expectans expectaui Dominum*, &c. & 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, &c. & 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*, &c. & 42. *Iudica me Deus, & discerne causam meam*, &c. & 54. *Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris*, &c. & 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine*, &c. Nec desunt qui probabiliter putant, Dauidem hoc quoque tempore composuisse cecinisseque Psalmum 37. cuius initium est: *Domine ne in furore tuo arguas me*, &c.

ABSALOM VENIT IN IERVSALEM CVM LAETITIA EXCEPTVS. CHVSAI INTER ABSALOM CONSVLTORES COOPTATVR

6. Interea Absalom cum omni populo qui sequebatur eum, venit in Ierusalem; ad quem consalutandum omnibus concurrentibus, venit etiam Chusai, & à nouo Rege interrogatus, cur pristinum Regem dereliquisset, simulatè respondit, se velle obedire ei, quem elegit Dominus & vniuersus populus: quibus verbis, Deo sic permittente, tantam Absalom adhibuit fidem, vt ipsum Chusai non solùm inter suos statim admiserit, verumetiam eumdem inter primarios belli contra Dauidem gerendi consultores delegerit, quemadmodum ex mox dicendis apparebit. Expletis deinde salutationibus, faustisque populi acclamationibus quibus in vrbe exceptus fuerat, Absalom de consilio Achitophelis, vt omnibus palàm faceret auer-

ABSALOM CVR INGRESSVS AD CONCVBINAS PATRIS

sionem, quam aduersus patrem suum gerebat in pectore, & cunctos sectatores suos certiores redderet, quòd ipse deinceps numquam cum patre suo foret reconciliandus, & propterea illi fiducialiùs sibi arctiusque adhærerent; (alioqui enim satis probabiliter vereri potuissent, ne aliquando rebus inter patrem & filium compositis, ipsi desertionis suæ pœnas luerent) vt, inquam, Absalom graui hac suos cura solueret, iussit tendi in domate regiæ tabernaculum, & in eo palàm ingredi ad concubinas Dauidis, ac paternum fœdare thorum non erubuit. Ecce ad quæ indigna committenda deueniunt, qui vt suas expleant voluntates, debitam patri obedientiam obseruantiamque violare audent. Cessit autem hæc Absalom iniquitas patri ad castigationem adulterij, quod commiserat cum Bethsabee vxore Vriæ, quemadmodum prædixetat ei Dominus per Nathan Prophetam, 2. Reg. cap. 12. vers. 11. illis verbis: *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu*

CHVSAI REPROBAT CONSILIVM ACHITOPHELIS.

Solis. Post hæc Absalom consuluit Achitophelem, quid facto opus esset pro regni rebus firmè stabiliendis; cui consilium è re ipsius Absalom optimum dedit; nimirum, vt belli ducem cum duodecim millibus electis ex Israel iuberet quantocyùs persequi Dauidem suosque, donec pauci erant, & antequam vires colligerent; facile enim esse nunc omnes petimere aut comprehendere, vtpote iam itineris labore admodum fessos, & animorum nimia afflictione deiectos. Sed Deus, qui suos interdum licet castiget, non tamen deserit, Dauidis oratione exaudita dissipauit consilium Achitophelis, continuò suggerens ipsi Absalom, vt super hac quoque re interrogaret Chusai Arachitem; qui diuersis rationibus oppositum suasit, dicens, Notissimum esse omnibus, Dauidem & qui cum eo erant, viros esse valdè robustos, & in re bellica apprimè versatos; quin etiam nunc, amissione bonorum, amaro admodum animo reperiri; quòd si se insuper insequi, & pro vita quoque dimicandum fore perspexerint, proculdubiò euasuros desperatione multò fortiores: non expedire nouo Regi rem in discrimen ponere; ne si quid fortè aduersi acciderit, frangantur corda Israëlitarum, atque ad pristini Regis partes paulatim defluere incipiant. Itaque multò consultius videri cautiùs agere, & ad rem certam proficisci; quod vtique, inquit, fiet, si Rex Absalom, congregato ad se vniuerso Israële, ipsemet cum eo prodierit ad inquirendum Dauidem: sic enim vbicumque fuerit, viuus aut mortuus, certissimè comprehendi poterit, & regnum in summa pace constitui. Hæc fuit sententia Chusai; quæ quia magis

placuit

placuit Absalom ac senioribus Israel, indignatus Achitophel (cuius consilia hactenus haberi consueuerant tamquam consilia Dei) & prudenter præuidens, Dauidem, si res differatur, regnum suum facilè recuperaturum, ac se, tamquam præcipuum hostium suorum consultorem, interemptum iri, de propria salute desperans, abiit in domum suam; vbi dispositis quæ ad eam pertinerent, vltrò vitam suspendio finiuit, & in sepulchrum patrum suorum condi voluit. Chusai verò, iuxta placitum Dauidis, clàm de cõsiliis datis edocuit Sadoc & Abiathar Sacerdotes, qui confestim per filios suos Achimaas & Ionathan in suburbiis secretò expectantes, Dauidem moneri curarunt, vt eadem nocte ipse suique transirent Iordanem; qui protinus amne transmisso, cùm venissent in vrbem vocabulo Mahanaim, quod interpretatur Castra; (sic enim olim à Iacob nuncupatus fuerat locus ille, vt traditur Gen. cap. 32. vers. 2.) venerunt ad Dauidem tres amici eius, nempe Sobi filius Naas quondam Regis Ammonitarum, & Machir, qui aliàs educauerat in domo sua Miphiboseth filium Ionathæ filij Saulis, vt dicitur 2. Reg. cap. 9. vers. 4. & Berzellai Galaadites, de quo num. proximo dicemus. Isti cùm essent valdè diuites, & amici Dauidis, attulerunt ei & exercitui eius vtensilia, & ad victum pertinentia. Interim verò Absalom, iuxta consilium quod dederat Chusai, congregato omni Israële, & Amasa generali militiæ Principe constituto, properabat copias ducere trans Iordanem, vt pugnaret cum Dauide; qui confestim instructo exercitu suo, diuisit illum in tres partes; quarum vnam dedit sub manu Ioab, alteram tradidit Abisai, & tertiam Ethai Gethæo; volebatque Dauid egredi cum eis, & ire obuiàm Absalom; sed populo reluctante, acquieuit voluntati eius; mansitque iuxta portam vrbis, præcipiens audiente populo Ducibus suis, vt seruarent puerum Absalom, quem sciebat tunc quidem Deo mortuum esse; sperabat autem, si seruaretur, posse ad Dei gratiam reduci. Igitur exercitibus sibi inuicem appropiantibus, commissum est prælium in saltu Ephraim; qui saltus cùm esset trans Iordanem, non poterat ad sortem Ephraim pertinere; sed fortè ob aliquid notabile ibidem aliàs ab ea tribu perpetratum, communiter sic denominabatur. Sanè in eo conflictu cæsus est Israel ab exercitu Dauidis; Absalom verò, cùm casu quodam de quercu pendere visus fuisset, tribus lanceis à Ioab confossus, occubuit; & qui dum viueret, insigne sibi in valle Regis, ab Ierusalem duobus stadiis dissita, monumentum erexerat, quod Manus Absalom vocari voluerat; miserrimè in foueam saltus, vbi ceciderat deiectus, aceruo lapidum desuper congesto, sepelitur. Quo mortuo, Ioab dato receptus signo, cohibuit Dauidis exercitum, ne fugientem Israëlem ampliùs persequeretur. Dauid autem, vt audiuit cecidisse filium suum Absalom, adeò inconsolabiliter lugere cœpit eius mortem, non tam corporalem, quemadmodum putabat Ioab, quàm spiritualem, vt vix tandem ab eodem Ioab acrioribus potuerit increpationibus à luctu reuocari. Surrexit tamen, & dolore dissimulato, sedens in porta vrbis, excepit exercitum de parta victoria lætum ad se redeuntem: 2. Reg. cap. 17. vers. 24. vsque ad vers. 9. capitis 19.

[ACHITOPHEL LAQVEO SE SVSPENDIT] [CHVSAI DE CONSILIIS NOVI REGIS CLAM DAVIDEM CVRAT EDOCERI.] [ABSALOM BELLVM PARAT ADVERSVS PATREM.] [ISRAEL AB EXERCITV DAVIDIS CAEDITVR.] [ABSALOM NECATVR.] [DAVID LVGET FILIVM ABSALOM.]

7. Non multò postquam à seruis Dauid percussus fugatusque est Israel in tabernacula sua, exortum est murmur magnum in populo, & contentio in cunctis tribubus Israel, de reducendo Rege. Dicebant enim multi, & præsertim qui inter ceteros magis cordati habebantur: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum, ac præcipuè Philisthinorum, qui tributis & exactionibus nos opprimebant; nos autem propter Absalom coëgimus eum fugere, reddentes ei mala pro bonis: nunc ergo quid faciemus? Absalom mortuus est; & in toto Israële alius Dauidi similis non est, quem Regem facere possimus; cur non magis Regem nostrum naturalem, nobis à Deo datum, ad nos reducere curamus? quid cunctamur? an nescimus, quòd si vltrò nos ei subdere non renuerimus, ipse qui mitissimus est, gratiosè suscipiet nos; sin autem, fortissimus est, & potens inuitos quoque sibi subiugare? si enim, Deo iustam eius causam fouente, nunc aduersus numerosissimum exercitum profugus & cum paucis præualuit, quanto magis ac faciliùs ruptos ac fugatos, & sine Rege, poterit in omnem sui potestatem vel inuitos redigere? His & huiusmodi rationibus cõuictæ vndecim tribus Israel, Iudæis dumtaxat exceptis, miserunt qui dicerent Regi, se paratos esse obedire ei sicut priùs, & deducere ipsum in regiam. Placuit id valde Regi; sed tantumdem ei displicuit, quòd Iudæi qui priores esse debuerant, adhuc neminem misissent. Itaque, ratus eos magis timere, operæpretium duxit eosdem anteuertere, mandans Sadoc & Abiathar Sacerdotibus, qui erant in Ierusalem, vt communem ceterarum tribuum deliberationem notam facerent senioribus Iuda, & dicerent eis: *Quare nouissimi reducitis Regem?* & insuper Amasæ suggererent, quòd eum Rex diligeret, & cogitaret militiæ suæ Magistrum facere:

[VERBA POPVLI DE REDVCENDO REGE.] [VNDECIM TRIBVVM LEGATIO AD REGEM. CVR TRIBVS IVDA, ET PRAECIPVE AMASA, NOVISSIMI LEGATOS MISERINT REGI.]

VENIENTI REGI OMNES CERTATIM OBVIARE PROPERANT. SEMEI VENIAM IMPETRAT.

SIBA ET MIPHIBOSETH DIVIDVNT INTER SE PRAEDIA SAVLIS. BERZELLAI INTIMVS REGIS AMICVS.

OB CONTENTIONE INTER IVDAEOS ET ISRAELITAS EXORTA, SEBA AVERTIT ISRAELEM A DAVIDE.

cere: quibus auditis, qui priùs se Regi magis exosum putauerat, ac propterea hæsitabat quid consilij caperet, deinceps festinauit inclinare corda filiorum Iuda, vt & ipsi mitterent legationem Regi. quod non solùm confestim factum est; sed vt primùm audierunt Regem precibus ipsorum annuisse, primi vnanimiter occurrerunt ei vsq; ad Galgala, interim namque Rex cum suis recesserat de Mahanaim, & veniebat ad Iordanem. Porrò venienti Regi plures certatim obuiàm properabant; inter quos Semei, qui eidem fugienti maledixerat, primus cum mille viris de tribu Beniamin trāsgressus Iordanem, ac prostratus coram Rege, supplicitet veniam petiit, & Abisai licet reclamante, obtinuit. Item Siba, qui Regi dum fugeret cibaria subministrauerat, & accusato domino suo Miphiboseth, omnes eius possessiones impetrauerat; nunc cum omni domo sua venerat, vt famularetur Regi & seruis eius in transitu Iordanis. Sed & ipse Miphiboseth; quem cùm Rex interrogasset, ac pro se dicentem audisset, præcepit vt cum Siba seruo suo bona diuideret. Venit quoque Berzellai Galaadites, intimus Regis amicus, qui traduxit cum eo Iordanem, paratus etiam vltrà prosequi; verumtamen Rex, ne grauaret amicum suum ætate iam ingrauescentem, (erat enim octogenarius,) eumdem osculatus remisit in pace, duxitque pro eo secum Chamaam filium eius. Vt ergo venit Rex in Galgala, & ab omni tribu Iuda, ac media tantùm parte ceterarū tribuum, (reliqua enim nondum aduenerat) honorificè susceptus est; ecce, super præuentione deducendi eum in Ierusalem, contentio non leuis oboritur inter Iudæos & Israëlitas; eaque in tantum processit, vt Israëlitæ relicto Dauid Rege, secuti sint virum belial de tribu Beniamin, nomine Seba, qui duriora virorum Iudæ responsa non ferens, dato buccina recessus signo, seditiosè admodum auocauit Israëlitas à Rege suo, quem tunc sola tribus Iuda perduxit in Ierusalem: 2. Reg. cap. 19. v. 9. vsq; ad vers. 3. capitis 20.

DAVID, VT VENIT IN REGIAM, SEPARAT A SE CONCVBINAS. PRO IOABO CONSTITVIT AMASAM MILITIAE SVAE PRINCIPEM.

8. Vt autem venit Dauid in regiam suam, separauit à se decem illas concubinas quas fœdauerat Absalom, constituitque eis alimenta, vt possent viuere tamquam in viduitate, vsque ad diem mortis suæ. Deinde ablato militiæ principatu à Ioab, eò quòd occidisset Absalom, dedit illum Amasæ; quod licet in Sacro textu expressum non sit, colligitur tamen ex iuramento quod fecit Dauid 2. Reg. cap. 19. v. 13. illis verbis: *Et Amasæ dicite: Nónne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non Magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Et item quia posteà, vt dicemus, mandauit ipsi Amasæ vt congregaret exercitum, quod proprium militiæ Principis officium est. Sed & hoc idem quoque confirmari potest ex illa subsannatione sociorum Ioab, iuxta cadauer ipsius Amasæ dicentium: *Ecce qui esse voluit pro Ioab comes Dauid:* 2. Reg. cap. 20. vers. 11. Et denique 3. Reg. cap. 2. vers. 5. & 32. vbi memoratur occisio Amasæ, etiam additur, quòd erat Princeps exercitus. Post vnum verò saltem (vt paulò inferiùs apparebit) mensem, ex quo Rex venerat in Ierusalem, & ratus sine bello posse ad se Israëlitas reducere, iam exercitum dimiserat; videns rem ad vota non cedere, & Sebam obstinatiùs fouere seditionem quam excitauerat; & viribus iam, non verbis, ad eam sedandam opus esse, idque quantocyùs, antequam malum magis excresceret; accito Amasa Principe militiæ, præcepit ei vt conuocaret ad se in diem tertium omnes bellatores Iuda. Cùm autem ad præstitutum diem non rediisset Amasa, audissetque Rex Sebam iam peragrasse ac transisse per omnes tribus Israel; (quod non minus, vt dictum est, vnius mensis interuallo fieri potuisse videtur) & electos quosque ad se congregasse, & maiora indies pro Regni diuisione moliri; dixit ad Abisai: Vereor ne nos Seba magis affligat, quàm fecerit Absalom, si non ei maturiùs occurratur; & Amasa adhuc cum exercitu non comparet: quamobrem sume tibi legiones Cerethi & Phelethi, & bellatores quoscumque ad manum habere poteris, & festina ad persequēdum Seba. Confestim ergo egressus est Abisai, & cum eo frater eius Ioab, & viri eius, & omnes robusti bellatores qui reperti sunt in Ierusalem. Quibus cùm occurrisset in Gabaon Amasa rediens ad Regem, Ioab qui ferre non poterat, quòd sibi ille abstulisset militiæ principatum, inuidiæ stimulis actus, dolosè eum salutans, & deosculari simulans, inaduertentem gladiò impigrè perfodit; & mortuum ibidem relinquens, prosecutus est cum Abisai fratre persequens Seba: quem tandem conclusum in quadam vrbe, cui nomen erat Abela, eamdem munitionibus circumdatam oppugnare cœperunt. Adnitentibus autem quadam die viris Ioab destruere murum, mulier quædam valdè prudens, verita ciuitatis ruinam, vocato priùs & sermone habito cum ipso Ioab, suasit ciuibus suis, vt pro bono patriæ traderent ei caput Sebæ: quo facto, statim soluta est obsidio, & sublato eius auctore, posteà cessauit seditio. Ioab verò cum capite Sebæ reuersus ad Regem, ab eodem denuò constitutus est super exercitum.

CONVOCAT EXERCITVM ADVERSVS SEBA PERDVELLEM.

IOAB INVIDIA ACTVS OCCIDIT AMASAM.

OCCISO SEBA CESSAT SEDITIO. IOAB DENVO CONSTITVITVR MILITIAE PRINCEPS.

Banaias

Banaias autem erat super Cerethi & Phelethi, & Aduram præfectus tributis, & Iosaphat à Commentariis, Siua verò Scriba, Sadoc autem & Abiathar principes Sacerdotum, & Ira Iairites particularis Sacerdos Dauidis: 2. Reg. cap. 20. verſ. 3 vſque ad finem. Ceterùm per hæc circiter tempora creditur Dauid compoſuiſſe Pſal. 96. cuius initium eſt: *Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ*, &c. vt colligi poteſt ex titulo, qui habet: *Quando terra eius reſtituta eſt.* PRIMARII REGIS OFFICIALES.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3006. QVARTAE MVNDI AETAT. ANNVS 463.

1 ANNO (vt arbitror) proximo, qui erat regni Dauidis vigeſimus ſeptimus, facta eſt fames in terra Iſrael tribus annis continuis, quemadmodum expreſsè traditur 2. Reg. cap. 21. verſ. 1. vbi licet non notetur particulare tempus quo cœperit iſta fames; nihilominùs quia Ioſephus 7. Antiq. cap. 10. circa medium, & alij ipſum ſecuti tenent, eam poſt hactenus prænarrata, & ante quattuor bella quæ mox dicemus contra Philiſthæos fuiſſe geſta, accidiſſe; probabiliter quoque credere poſſumus, eamdem famem hoc circiter anno inchoante cœpiſſe. DE FAME TRIVM ANNORVM IN ISRAEL.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3007. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 464.

1 SVB finem anni proximi, qui erat dictæ famis ſecundus, & regni Dauidis vigeſimus octauus, videns Rex quòd fames diutiùs perduraret, indieſque magis ac magis regnum ſuum premeret, conſulto Domino, intellexit eam eueniſſe ob peccatum Saulis, qui dum regnaret, zelo quodam inordinato leuibus de cauſis occidere ſolebat Gabaonitas; ſenſim volens eos penitus delere, eò quòd eſſent de genere Chananæorum; & hoc contra expreſſum iuſiurandum eis olim præſtitum à Ioſue & Principibus Iſrael, vt patet Ioſue cap. 9. verſ. 15. Vocatis igitur Rex Gabaonitis, petiit quid pro delicti huius expiatione exoluendum eſſet: quibus reſpondentibus Regi, nō opus eſſe vlla argenti auri ve oblatione, ſed oportere ſobolem viri, qui eos inique oppreſſerat, prorſus de medio tollere; ſic enim iratum Deum, & non aliter, Iſraëli placatum iri: dedit eis Dauid duos filios, Armoni & Miphiboſeth, quos genuerat Sauli Reſpha concubina eius; & alios quinque, quos Hadrieli filio Berzellai viro ſuo genuerat quidem filia Saulis nomine Merob, ſed eos poſteà ſoror eius Michol adoptauerat ſibi in filios, eò quòd naturales nullos haberet. Ita tradunt ſuper cap. Reg. proximè citando Gloſſa ordinaria, Lyranus, Hugo Cardinalis, Carthuſianus, & Abulenſis quæſt. 29. & Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ 2. Reg. cap. 20. Porrò Rabbi Salomon (vt ibidem refert Lyranus) putat memoratos duos Reſphæ filios, Armoni & Miphiboſeth, ideò ſpeciatim fuiſſe propriis nominibus recenſitos, *quia ipſi* (inquit) *cùm eſſent adhuc pueri, ſimul cum Doëg Idumæo, iubente Saule, interfecerant Sacerdotes Domini in Nobe tunc habitantes; & poſteà etiam occidere ſolebant Gabaonitas.* Quam opinionem ſequuntur omnes quoq; proximè citati Auctores, præter vnum Abulenſem, qui quæſt. 22. quod attinet ad filios Reſphæ, in oppoſitam magis videtur inclinare ſententiam. Nos verò allegati Rabbini dictum ſine vlla probatione prolatum neque facilè recipere, neque omnino reiicere audemus, propter auctoritatem Catholicorum Doctorum, qui in hoc ipſum ſine vlla hæſitatione ſequuntur. Nam quod ſpectat ad alios quinque filios Merob, certum putamus, ipſos memoratæ Sacerdotum occiſionis tempore vix fuiſſe natos, nedum ad tale facinus patrandum idoneos: ſiquidem ab eo tempore quo Merob viro ſuo Hadrieli tradita fuerat, vſque ad dictos Sacerdotes interemptos, duo tantùm circiter anni inueniuntur; quemadmodum ex ſub annis mundi 2972. num. 1. & 2974. num. 8. dictis manifeſtè colligi poteſt. Pepercit autem Dauid Miphiboſeth filio Ionathæ filij Saulis, & poſteritati eius, propter fœdus anteà ictum, plurieſque confirmatum inter ipſum Dauidem & dictum Ionathan. Et hæc omnia deſcripta inuenies 2. Regum cap. 21. verſ. 1. vſque ad 10. QVID ACTVM SIT A REGE PRO TOLLENDA FAME.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3008. QVARTAE MVNDI AETAT. ANNVS 465.

1 ANNO proximo (vt proximè apparebit) inchoante, Gabaonitæ acceptos à Rege ſeptem Saulis poſteros crucifixerunt in monte proximo vrbi Gabaa, quæ fuerat patria ipſius Saul; & hoc factum fuit tempore meſſis hordeaceæ inchoante, hoc

POSTERI SAVLIS SVSPENSI MANENT IN PATIBVLIS DONEC DAT DOMINVS PLVVIAM.

MATERNVM PIETATIS EXEMPLVM SINGVLARE.

DAVID IVBET SEPELIRI OSSA SAVLIS ET POSTERORVM EIVS IN SEPVLCHRO CIS PATRIS EORVM.

te, hoc est circa Anni sacri initia; eorumque cadauera ibidem in patibulis suspensa reliquerunt, donec complacuit Domino pluuiam de cælo dare (quod quidam putant, non nisi septimo pòst mense circiter incipiente euenisse) ad irrigandas ac fecundandas sequentis anni fruges. Vnde infertur, famem illam ex pluuiæ defectu, tamquam ex causa proxima, prouenisse. Interim verò Respha mater, substrato sibi pro culcitra cilicino crassoque panno, supra petram patibulis proximam mansit, custodiens occisorum corpora, ne à volucribus per diem, & à feris per noctem dilaniarentur. rarum profectò ac mirandum pietatis exemplum. Vt primùm autem pluere cœpit, intelligens Dauid iam placatum esse Dominum, iussit asportari ossa Saulis ac Ionathæ de loco in quo aliàs à viris Iabes Galaad sepulta fuerant, & simul cum prædictorum septem cadaueribus condi in sepulchro Cis patris eorum, quod erat in terra Beniamin: 2. Reg. cap. 21. vers. 1. vsque ad 15. Igitur sub finem huius anni, ob frugum proximè colligendarum vbertatem, cessare cœpit prædicta fames.

DE QVATVOR BELLIS CONTRA PHILISTHÆOS A DAVIDE GESTIS.

2. Quoniam autem loco Reg. proximè adducto subiunguntur quattuor bella contra Philisthæos deinceps successiuè gesta, quæ etiam (primo dumtaxat excepto) replicara habentur 1. Paralip. cap. 20. vsque ad finem capitis: licet multi ex sacris Expositoribus putent, intentionem sacræ Scripturæ locis citatis esse, simul repetere omnia bella quæ gesserat Dauid contra gigantes; illaque non post prædictam famem, sed multò ante fuisse confecta; eo præsertim ducti argumento, quòd in tertio bello fiat mentio occisionis Goliath, quam temporibus Saulis accidisse certum est: & propterea exponunt illa verba quæ habentur 2. Reg. cap. 21. vers. 19. videlicet, *In quo* (nimirum bello) *percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethleemites Goliath Gethæum*. exponunt, inquam, per Adeodatum intelligi debere Dauidem, quia à Deo datus fuerat Israeli, vt liberaret ipsum ab inimicis eius; & addunt, eumdem, quem constat fuisse Bethleemitem, vocari etiam filium Saltus, eò quòd educatus esset in pascuis, quæ haberi solebant in saltibus; dicique polymitarium, quòd mater eius fuerit de prosapia Beseleel, qui olim fecerat cortinas Tabernaculi vestesque Sacerdotales opere polymitario, quemadmodum traditur Exod. cap. 28. Attamen his non obstantibus, magis placet opinio eorum, qui tenent, memorata quattuor bella post prædictam famem accidisse; quia Iosephus 7. Antiq. cap. 10. eadem collocat inter præfatam famem & dinumerationem populi Dauide iubente factam, & eodem loco atque ordine ponuntur in capite 2. Reg. proximè allegato, & ibidem Abulensis quæst. 39. dicit, magis conuenire Textui sacro positionem Iosephi, quàm aliorum, & super loco 1. Paralip. citato, quæst. 16. 19. 20. & 21. multis probat argumentis, eadem bella conuenientiùs poni debere post prædictam famem; quod etiam indicant illa verba Sacri textus: *Factum est autem rursum prælium Philisthinorum*, &c. illud enim *rursum* proculdubiò denotat ordinem ad prænarrata consequentem, & est ac si dixisset: Post hæc initum est bellum, &c. quemadmodum legimus 1. Paralip. cap. 20. vers. 4. vbi, quamuis inter subactos à Dauide Ammonitas & prædicta prælia aduersus Philisthæos multa prætermissa sint, quæ ordinatè descripta erant 2. Reg. cap. 11. vsque ad 22. nempe adulterium Dauidis, natiuitas Salomonis, incestus Thamar, Amnonis occisio, exilium Absalom, eiusdem reconciliatio, ac bellum quod posteà intulit patri, & denique fames, quæ accidit, posteaquam occiso Absalom Dauid restitutus fuit regno: nihilominus loco Paralip. citato expressè traditur, memorata bella cum Palæstinis accidisse post domitos Ammonitas; quod maximè aduersatur contrariæ opinioni, quæ (vt dictum est) tenet, tertium bellum temporibus Saulis gestum fuisse. Videmus item, quòd tam 2. Reg. quàm 1. Paralip. post prædictorum bellorum descriptionem ponitur dinumeratio populi, tamquam non multò pòst facta; ex quo etiam inferri potest, eadem bella non ante interitum memorati Absalom, & memoratam famem, sed post accidisse.

RESPONSIO AD OPPOSITA.

3. Nec obstant in contrarium adducta; quia intentio Scripturæ sacræ locis citatis est, describere bella facta cum gigantibus, non antequam regnaret Dauid in Israel, nec intra priores regni eius annos, sed posteriores, nimirum quando iam senescere incipiebat, vt colligunt Doctores ex eo, quod in proximo ex hisce quattuor bellis describitur, videlicet, quòd deficiente Dauid percussisset eum vnus gigas, nisi ipsum adiuuisset Abisai, & proptereà iurarunt tunc serui eius, non permissuros eum amplius exire cum ipsis ad prælium; *ne*, inquiunt, *extinguas lucernam Israel*. ex quo facto satis insinuatur, Dauidem tunc non solùm fuisse Regem Israel, sed etiam præ senectute viribus deficere incipientem. Nec refert, quòd in tertio bello fiat mentio de occisione Goliath: siquidem iste Goliath non est idem cum eo, quem interfecit Dauid antequam

quam regnaret; sed frater eius, vt expressè traditur 1. Paralip. cap. 20. v. 5. vbi in editione LXX. Interpretum insuper additur, quòd iste frater Goliath Gethæi, appellabatur Lachmi, quod erat nomen eius proprium; nuncupatur autem 2. Reg. & ipse Goliath, quoniam, vt benè notat Abulensis super 1. Paralip. cap. 20. qu. 20. iste Lachmi erat paruulus, quando frater eius Goliath à Dauide occisus fuerat; deinde verò, siue ad renouandam memoriam fratris, siue quia cùm creuisset, viderent eum esse eiusdem proceritatis ac fortitudinis, ac quodammodò per omnia similem fratri iam defuncto, quandoquidem & ipse gestabat hastam, cuius hastile erat magnitudinis ferè liciatorij texentium, quemadmodum vtrobique in Sacro textu traditur, propterea ipsum quoque ex fratris sui nomine, Goliath appellarunt: & sic iste Goliath valde differt ab illo. Præterea neque concedendum est, quòd istum Lachmi, qui etiam dicebatur Goliath, occiderit ipse Dauid, sed vnus ex viris eius fortissimis, qui duplici nomine appellabatur; nam Iosephus vbi suprà, vocat eum Nephanum, & dicit fuisse cognatum, id est de cognatione Dauidis (erat enim & ipse Bethleemites) Scriptura autem sacra tam 2. Reg. quàm 1. Paralip. in editione Vulgata appellat eum Latinè Adeodatum; in ea verò quæ est LXX. Interpretum, Eleanam, quod Hebraicè idem significat; & iste reverà erat polymitarius, hoc est, callebat artem polymiticam, videlicet conficiendi pannos diuersis coloribus variatos; fuitque filius cuiusdam viri qui dicebatur Saltus: vnde pater diuersitas tum occisi, tum eius qui occidit. Nam quod aiunt alterius opinionis sectatores, per Adeodatum Bethleemitem polymitarium filium Saltus, debere intelligi Dauidem, gratis dictum videtur; quandoquidem numquam huiuscemodi nominibus Dauidem aliàs significatum fuisse inuenimus, neque probare possunt, quòd mater eius fuerit de prosapia Beseleel; neque vlla ratio adduci potest, cur Scriptura sacra, quem hactenus Dauidem Regem Israel appellare consueuit, tunc tantum virum nominibus etiam indignis nuncupandum censuerit. Cùm igitur conuinci nullo modo possit, vllum ex hisce quattuor bellis gestum fuisse ante prædictam famem, & (vt sæpiùs dictum est) non sit sine euidenti causa recedendum ab ipso Sacræ narrationis ordine, ipsum hîc omnino sequendum duximus. Et quoniam etiam conuenientius videretur arbitrari, eadem quattuor bella non vno eodemque anno, sed singula singulis annis sibi inuicem subsequentibus gesta fuisse (non enim sine grandi exercitus & magno apparatu contra Regem adeò potentem Philisthæos prodire consueuisse, & posteaquam semel rupti profligatique essent, non citiùs quàm anno sequenti vires resumere potuisse, credendum est) propterea satis probabiliter credimus, eadem bella annis infrà notandis accidisse. Igitur

AB ORBE CONDITO ANNVS 3009. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 466.

1 ANNO regni Dauidis circiter trigesimo, rursum Philisthæi mouerunt bellum contra Israel. In quo bello illud memorabile accidit, quòd Dauid viribus iam præ labore ac senecta deficientibus (erat enim iam sexagenarius) pænè à quodam gigante vocabulo Iesbibenob occisus fuisset, nisi eidem præstò fuisset Abisai, qui & Regem illæsum seruauit, & Philisthæum interfecit; quo permoti periculo, iureiurando sese vltrò obstrinxerunt serui Regis, ne deinceps ampliùs finerent Regem cum ipsis in prælium exire: 2. Reg. cap. 21. vers. 15. vsque ad 18. DAVID A GIGANTE OCCIDI PERICLITATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3010. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 467.

1 ANNO (vt arbitror) proximo initum est alterum bellum contra Philisthæos, in Gazer, vt dicitur 1. Paralip. cap. 20. vers. 4. siue in Gaza, vt ait Iosephus vbi suprà, siue in Gob, vt legimus 2. Reg. cap. 21. vers. 18. quæ nomina, licet diuersa, vnum eumdemque locum denotare credenda sunt. Sanè in hoc bello nihil aliud memoria dignum accidisse describitur, nisi quòd vnus de seruis Dauid, nomine Subochai Husatites, hoc est, de quadam vrbe seu oppido nomine Husati, percussit quemdam gigantem, qui dicebatur Saph, vel Saphai, de stirpe Arapha, & humiliauit Philisthæos. Si quæratur de Arapha, siue Rapha, vtrùm sit nomen viri, an mulieris; dicimus id certò sciri non posse: nam licet Abulensis super 2. Reg. cap. 21. in fine, videatur supponere quòd sit nomen mulieris, & super 1. Paralip. cap. 20. quæst. 17. testetur Hebræos sic sensisse: ALTERVM BELLVM IN QVO OCCIDIT SAPH GIGAS.

fiſſe: attamen ibidem contradicit eorum opinioni, non ſolùm in eo quòd falsò crediderunt Arapham eſſe eamdem cum Orpha, cuius fit mentio Ruth cap. 1. verſ. 4. quia ibidem manifeſtè Scriptura ſacra facit Orpham Moabitidem; Arapha autem locis Reg. & Paralip. citatis, dicitur fuiſſe de Geth, quæ erat vrbs Philiſthinorum. Verumetiam ſubdit Abulenſis, Arapham viri potius nomen fuiſſe, quàm mulieris; quia, inquit, progenies magis denominantur per lineam virorum, quàm mulierum. Quidquid ſit, certum eſt, de Arapha ſiue Rapha prodiiſſe quattuor illos gigantes à ſeruis Dauid occiſos, vt patet locis Reg. & Paralip. allegatis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3011. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 468.

TERTIVM BELLVM, IN QVO OCCISVS FVIT LACHMI GIGAS.

1 ANNO inſequenti, vt credimus, qui erat regni Dauidis trigeſimus ſecundus, factum eſt tertium prælium contra Philiſthæos in Gob, vt dicitur 1. Paralip. cap. 20. verſ. 6. & 2. Reg. cap. 21. verſ. 19. atque in eo prælio magnam tulit laudem quidam de viris fortiſſimis Dauid, vocabulo Eleanan, quod Latinè interpretatur Adeodatus, qui erat polymitarius, filius viri nomine Saltus, de Bethleem, & vt ait Ioſephus 7. Antiq. cap. 10. etiam dicebatur Nephanus, ętatque de cognatione Dauidis: ſiquidem iſte Adeodatus occidit alium gigantem, cuius proprium nomen fuit Lachmi, communiter autem dicebatur Goliath, eò quòd eſſet ſimul & frater, & quodammodò heres proceritatis ac fortitudinis illius Goliath, contra quem Saule regnante Dauid adhuc adoleſcens præualuerat in lapide & funda, quemadmodum deſcribitur 1. Reg. cap. 17. Porrò memoratum bellum breuiter tangitur 2. Reg. cap. 21. verſ. 19. & 1. Paralip. cap. 20. verſ. 5.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3012. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 469.

QVARTVM BELLVM, IN QVO PERCVSSVS EST ALIVS GIGAS, FRATER TRIVM PRIORVM.

1 ANNO regni Dauidis trigeſimo tertio, vt ex ſuprà dictis deduci poteſt, accidit aliud bellum in Geth, quod ex prænotatis fuit quartum, contra Philiſthæorum gigantes geſtum. In quo quidem bello quartus gigas de ſtirpe Arapha, qui erat corpore admodum procerus, ac viribus valde robuſtus, ſenoſque in vtraque manu, & totidem in vtroque pede digitos habebat, hoc eſt in ſumma, vigintiquattuor; cùm blaſphemaſſet, hoc eſt maledixiſſet Iſraeli, percuſſus fuit à Ionathan nepote Dauidis, ex fratre Samaa: 2. Reg. cap. 21. verſ. 20. & 1. Paralip. cap. 20. verſ. 7. Et hoc fuit vltimum bellum, quod regnante Dauide geſtum fuiſſe legimus. ¶ Quoniam autem diximus, poſtremum ex quattuor proximè memoratis bellis, in Geth, hoc eſt, iuxta ipſam Geth, fuiſſe geſtum; & ſuprà ſub anno mundi 2991. num. 2. dictum eſt, eamdem vrbem, quæ erat Philiſthinorum, à Dauide anno regni ſui duodecimo fuiſſe captam: oportet hîc neceſſariò ſupponere, vel Philiſthæos dictam ciuitatem poſteà recuperaſſe (de qua tamen re nihil in Sacris litteris, neque alibi reperimus ſcriptum) ac proptereà Dauidem anno regni ſui trigeſimotertio iterū eam inuadere tentaſſe; vel contrà (quod magis reor) Philiſthæos eo conſilio tunc ibidem intuliſſe bellum Iſraëlitis, vt iam diu amiſſam vrbem recipere molirentur. Quod tamen non videntur conſequi potuiſſe: ſiquidem non in hoc quarto tantùm, ſed in aliis quoque tribus præcedentibus hiſce bellis Philiſthæi cum Iſraëlitis infeliciter pugnaſſe dicuntur. & ſcimus quòd inter illas vrbes, quas Roboam filius Salomonis nepoſque Dauidis ædificaſſe, hoc eſt inſtaurari ac benè muniri curaſſe deſcribitur 2. Paralip. cap. 11. verſ. 8. ponitur etiam ipſa Geth. Signum ergo eſt, quòd ex quo eam primò Dauid ceperat, ſemper deinceps vſque ad Roboami tempora, manſit ſub ditione Iudæorum; præſertim cùm interim à nullo alio capta fuiſſe legatur. Immò etiam vſque ad tempora Ioas regis Iuda eamdem Geth fuiſſe Iudæis ſubditam, apertè colligi poteſt ex 4. Reg. cap. 12. verſ. 17. vbi dicitur, quòd Hazaël Rex Syriæ quando venit contra regnum dicti Ioas, primò expugnauit Geth, mox direxit exercitum vt aſcenderet contra Ieruſalem. Sed neceſſarium eſt fateri, ipſam Geth deinde (neſcio quando aut quomodo) rurſus ad Philiſthæos rediiſſe; ac demum Oziæ temporibus iterùm in Iudæorum poteſtatem fuiſſe redactam: nam 2. Paralip. cap. 26. verſ. 6. legimus, quòd dictus Ozias egreſſus pugnauit contra Philiſthiim, & deſtruxit murum Geth. Redeamus ad Hiſtoriam.

GETH QVANDO CAPTA A IVDAEIS.

☞ 2. Eodem circiter anno, videns Dauid quòd ceſſaſſent vndique bella, & quòd dediſſet

disset sibi Dominus victorias de cunctis inimicis suis, cecinit pro gratiarum actione Domino Psalmum 17. cuius initium est: *Diligam te Domine fortitudo mea*, &c. vt ex titulo eius manifestum est, & etiam traditur 2. Reg. cap. 22. Sed & non desunt, qui putant, Dauidem (quod non videtur improbabile) eodem quoque tempore alios item composuisse decantasseque Psalmos, nimirum 45. qui incipit: *Deus noster refugium & virtus*, &c. & 106. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Dicant qui redempti sunt à Domino*, &c. & 123. *Nisi quia Dominus erat in nobis*, &c. qui inter Graduum Cantica connumeratur. Et quidem, quamquam neque ex titulis, neque ex alio certo argumento probari possit quosnam alios Psalmos post bella composuerit: non tamen dubitandum videtur, quin (vt asserit Iosephus 7. Antiq. cap. 10. vltra medium) ipse Dauid perfunctus iam bellis ac periculis, & in altissima pace degens, vario genere carminum odas & hymnos in honorem Dei composuerit, partim trimetro versu, partim pentametro. Ceterum catalogus præcipuorum virorum fortium, quorum auxilio Dauid tot tantasque de hostibus suis victorias reportauit, breuiter describitur 2. Reg. cap. 23. vers. 8. vsque in finem, & 1. Paralip. cap. 11. vers. 10. pariter vsque in finem capitis. Quin etiam Principes tribuum, qui fuerunt temporibus Dauidis, nominatim recensentur 1. Paralip. cap. 27. vers. 16. vsque ad 25. Vbi aduertendum est, quòd (vt ibidem probat Abulensis quæst. 13.) isti non dicebantur Principes tribuum, quia vnusquisque fuisset à Rege constitutus super vnam tribum; sed singuli primogeniti, qui recta linea per primogenitorum successionem prodibant à singulis filiis Iacob, ij dicebantur Principes, vnusquisque in tribu sua.

SOLVTVS BELLIS DAVID PSALLOS CANIT DOMINO.

CATALOGVS VIRORVM FORTIVM REGIS DAVID.

QVI ESSENT PRINCIPES TRIBVVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3016. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 473.

1 Anno circiter regni sui, vt arbitror, trigesimo septimo, Dauid, cùm fine vllis belli curis iam aliquamdiu, hoc est per annos quattuor, iugiter in summa pace regnasset, haberetque sub se vniuersum Israeliticum populum, & alios quos subegerat, sibi in omnibus obsequentissimos; & insuper aduerteret, quòd finitimæ nationes, de sua potentia iam satis edoctæ, non solùm sibi bellum inferre non auderent, sed potiùs obsequia præstare, atque beneuolum conseruare satagerent; in superbiam elatus est, quemadmodum in maxima præsertim rerum temporalium affluentia, tranquillitate, otioque euenire sæpè solet, iuxta illud quod habetur in Psal. 72. vers. 5. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideò tenuit eos superbia.* & post pauca: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Itaque mense eiusdem anni quarto, vt sub anno mundi proximo num. 2. probabitur, cùm quadam die insidiis satanæ vehementer tentatus, tumore quodam intimæ elationis admodum inflatus esset, vt certior fieret de maxima quæ prædicabatur regni sui potentia, posseteque aliquando data occasione ad ostentationem & inanem gloriam proferre numerum pænè immensum militiæ suæ, mandauit Ioabo Principi totius exercitus sui, vt exiens recenseret vniuersos ad pugnam aptos in cunctis tribubus Israel. Qui, licet inuitus, posteaquam vidit non posse Regem de hac sententia dimoueri, lustrauit vniuersum Israelem: 2. Reg. cap. 24. vers. 1. vsque ad 8. & 1. Paralip. cap. 21. vers. 1. vsque ad 5.

IVBET DAVID DINVMERARI POPVLVM SVVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3017. | QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 474.

1 Anno proximo, mense circiter secundo, vt paulò pòst probabitur, Ioab post nouem menses ac viginti dies ex quo exierat, reuersus in Ierusalem, consignauit Regi numerum populi quem descripserat, & inuenta sunt mille millia & centum millia virorum educentium gladium, præter illos qui erant in tribubus Beniamin & Leui, quas Ioab adhuc dinumerare non curauerat, eò quòd non libenter talem Regis iussionem exequeretur. Quamquam totus iste numerus non potuerit ordinatè registrari in libris Fastorum Regis, propter superuenientem mox plagam, vt expressè dicitur 1. Paralip. cap. 27. vers. 24. & hanc assignant causam differentiæ numeri, qui reperitur scriptus 2. Reg. cap. 24. vers. 9. ab eo qui habetur 1. Paralip. cap. 21. vers. 5. Hîc enim (inquiunt) ponitur tota summa ex vndecim tribubus collecta à Ioab & militiæ Principibus, qui cap. Reg. citato vers. 4. dicuntur egressi cum ipso, & qui singuli per singulas vrbes & oppida proficiscêtes, describebant vnusquisque in proprio libro aptos ad pugnam,

NVMERVS PVGNATORVM AD REGEM DELATVS.

pugnam, posteà in libro maiori; siue in Fastis redigendos. Horum namque singulæ summæ simul subductæ faciebant summam mille millia & centum millia pugnatorum ibi notatam. In 2.autem Reg. ponitur summa illa imperfecta, quæ ex particularibus Principum descriptionibus iam relata erat in Fastis, quando superuenit pestilentia, ob quam illa reductio perfici non potuerat: restabant enim adhuc alia trecenta millia in ipso Fastorum libro reportanda; & propterea eo in loco octingenta dumtaxat millia notata inueniuntur. Pro qua re videndus est Abulensis super 2.Reg. cap. 24. vers.14. Quòd autem in 2.Reg. dicatur, tribum Iuda habuisse quingenta millia pugnatorum, in 1.autem Paralip. tantummodò quadringenta septuaginta millia; ideò factum credi potest, vel quia fortè pestilentia superueniente, restabant adhuc triginta millia viri de Iuda in Fastis redigendi, vel quia solet interdum Scriptura sacra vsurpare numeros perfectos pro imperfectis, id est, quod alicubi numero imperfecto ac præciso expressit, alibi latiori quodam modo, vt fit in communi vsu loquendi, per numerum vniuersaliorem ac magis plenum pronuntiare, licet ab omnino vero & proprio nonnihil dissideat. Sic communiter dicimus, Ducem aliquem habere sub se mille viros, tametsi fortè vix habeat nongentos. Ceterùm non multò postquam rediit Ioab in Ierusalem,

POENITET REGEM QVOD IVSSERIT NVMERARI POPVLVM SED NON SINE GRAVI POENITENTIA OBTINET VENIAM.

pœnituit Regem quòd iussisset recenseri populum, supplexque à Deo veniam petiit, non tantùm (vt putat Iosephus) quòd oblitus esset in hoc censu colligere semisiclum per singula capita, expendendum in vsus Tabernaculi, quemadmodum præceperat Moyses Exod.cap.30.vers.12. sed multò magis, quòd sine causa legitima & ad solam ostentationem populum recenseri iussisset. Verumtamen, non sine graui pœnitentia expiare hoc peccatum valuit, quandoquidem missus à Domino Gad Propheta, Regi optionem dedit, vt quod mallet ex tribus propositis flagellis deligeret; aut famem septem triúmve saltem annorum; aut ineuitabilem hostium persecutionem tribus mensibus duraturam, aut trium dierum pestilentiam. Qui cùm vndique coangustatus, postremum tandem diuina fretus misericordia flagellum acceptasset, ac non multò pòst audisset, cecidisse septuaginta millia virorum pestilentia in Israel, & præterea ipsemet quoque vidisset Angelum Domini euaginato gladio stantem inter cælum & terram, vt percuteret Ierusalem; cecidit Rex, & maiores natu, induti ciliciis, proni in terram, accusansque semetipsum Dauid, deprecabatur Dominum vt populo parceret. Admonitus deinde Rex ab Angelo Domini per Gad Prophetam, venit ad Areuna, qui & Ornan, Iebusæum, emitque ab eo aream suam sexcentis siclis aureis, & boues quinquaginta siclis argenteis; & extructo ibidem altari, obtulit super eo holocausta & pacifica, exaudiuitque eum Dominus in igne, qui mirabiliter descendit de cælo super altare; & sic cessauit plaga ab Israel: 2.Reg. cap. vlt. vers.8. vsque ad finem capitis, & 1.Paralip. cap.21.vers.4. vsque ad finem.

QVANDO PLAGA PESTILENTIAE ACCIDERIT.

2. Diximus memoratam pestilentiæ plagam mense circiter secundo huius anni accidisse; quia, vt traditur cap. Paralip. proximè citato, vers.20. tunc temporis Ornan cum quattuor filiis suis terebat in area triticum, & cùm suspicientes vidissent Angelum, absconderunt se: dictum verò sæpiùs est, quòd in Palæstina messis tritici fieri solebat sub finem mensis primi, & consequenter tritura mense secundo circiter delinente. Et hinc quoque infertur, verum esse quod sub anno præcedente num.1. diximus, nimirum populi dinumerationem cœptam fuisse mense quarto anni antecedentis: siquidem Ioab in ea decem ferè menses consumpserat, vt cap. Reg. citato vers.8. traditum est.

QVOMODO LOCVS TEMPLI AEDIFICANDI FVERIT DAVIDI DEMONSTRATVS.

3. Itaque Dauid Rex, signo ignis cælitus delapsi certior factus, quòd non solùm exaudisset eum Dominus, sed etiã accepta habuisset sacrificia, quæ eidem in area Ornan Iebusæi, in monte Moria existente, obtulerat, intellexit illum esse locum à Domino electum, pro cultu eius ibidem exercendo; & propterea decreuit vt Templum, quod à successore suo ædificandum erat Domino, in eadem area omnino extrui deberet. Vnde, quod dicitur 2.Paralip.cap.3.vers.1. locum istum fuisse demonstratum Dauidi, potest intelligi, non solùm fuisse demonstratum ab Angelo, vt quibusdam placet; aut à Gad Propheta, vt alij putant; sed etiam signo prædicti ignis ibidem de cælo super holocausta delapsi. Et quoniam Dauid tam sancti ædificij admodum ardebat desiderio,

QVAE PRAEPARAVERIT DAVID PRO TEMPLO EIVSQVE VASIS EXTRVENDIS.

videbatque Salomonem filium suum, qui sibi in regno successurus erat, esse iuuenem in deliciis enutritum, & consequenter minùs habilem ad excogitanda ac præparanda quæ pro tam grandi opere opus essent; statuit ipse omnia ei prouidere ac præparare. Itaque, quod reliquum vitæ habuit, totum ferè in eiusmodi præparationibus insumpsit. Præcepit ergo vt congregarentur omnes proselyti existentes in terra Israel; & constituit ex eis latomos, ad cædendos de lapidicinis poliendosque lapides. Ferrum quoque plurimum,

rimum, & æris immensum pondus congregauit, & ligna cedrina per Tyrios ac Sidonios pænè innumerabilia comportari mandauit: 1. Paralip. cap. 22. verſ. 1. vſque ad 6. Item omnium pænè artium plurimos alios præparauit artifices, cæmentarios, lignarios, ferrarios, & ærariôs, argentarios quoque atque aurifices omnium excellentiſſimos: ibidem verſ. 15. & 16. Inſuper ſeparauit certa auri argentique pondera, ad ſingula miniſterij vaſa conficienda; atque alia item, ad fabricanda candelabra aurea; eorumque lucernas pariter aureas; & candelabra argentea, cum ſuis eiuſdem metalli lucernis; & prætereà menſas propoſitionis aureas atque argenteas, pro diuerſitate menſarum, & ad conficiendas fuſcinulas, & phialas, & thuribula ex auro puriſſimo, & leunculos (hoc eſt vaſa quædam ad leunculorum ſimilitudinem conformata) aureos argenteoſque: 1. Paralip. cap. 28. verſ. 14. vſque ad 18. Speciatim verò etiam deſtinauit aliud auri puriſſimi pondus, vt ex eo fieret additamentum quoddam, ornatus gratia, ad Altaris incenſi latera. erat autem ornamentum iſtud, ad ſimilitudinem quadrigæ Cherubim, extendentium alas ſuper ipſum Altare, eo ferè modo quo Cherubim olim à Moyſe fabrefacti expandebant alas ſuper Arcam fœderis Domini (vt dicitur 1. Paralip. cap. 28. verſ. 18. & nos ſub anno mundi 3030. num. 14. effigiatum oſtendemus) præparauit etiam lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, alioſque pretioſos cuiuſuis generis pro Rationali exornando: & marmor Parium copioſiſſimum, ad atria ſumptuoſiſſimè ſternenda; & tria millia auri talenta, ac ſeptem millia argenti probatiſſimi ad deaurandos pariter ac inargentandos interiores Templi parietes: 1. Paralip. cap. 19. verſ. 2. vſque ad 5. Oſtenderat autem Dominus Dauidi non ſolùm ſpirituale quoddam totius Templi exemplar, quemadmodum olim Moyſi typum Tabernaculi; ſed etiam reipſa eidem dederat tabulas quaſdam delineatas atque depictas, quæ optimè ſingularum Templi partium formas repræſentabant, habebantque ſuis locis diligenter notatas atque deſcriptas rerum omnium fabricandarum magnitudines atque menſuras; vt vel ſic meliùs intelligere poſſet Rex opera exemplaris, id eſt, qualiter ſingulæ Templi partes, tum interiores tum exteriores, puta porticus, atria, cellaria, cœnacula, cubicula, gazophylacia, exedræ, & huiuſmodi alia fabricanda forent, & formam exemplaris eidem præoſtenſi; & idem intelligendum videtur de vaſis, aliiſque quibuſcumque ad cultum Dei in eodem Templo exercendum pertinentibus: 1. Paralip. cap. 28. verſ. 11. & 12. & 19. Neque ſolùm quæ pro extruendo exornandóve templo opus erant, Dauid in poſtremis vitæ ſuæ annis præparare curauit, verumetiam, quæ ad cultum Dei in eodem Templo magnificentiſſimè præſtandum conuenientia videbantur, diſponere ac prærordinare non omiſit, nempe Leuitarum Sacerdotumque miniſteria per vices ſuas, de quibus infrà ſub anno mundi 3020. num. 3. fuſiùs agemus.

QVAENAM TEMPLI AC PARTIVM EIVS EXEMPLARIA SINT DATA DAVIDI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3018. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 475.

1 SVB finem anni trigeſimi noni regni Dauidis, Salomon genuit Roboam de Naama Ammanitide, vt colligitur 3. Reg. cap. 14. verſ. 21. & 31. & 2. Paralip. cap. 12. verſ. 13. Quando autem hanc Salomon duxerit vxorem, Scriptura ſacra non meminit. Illud verò certum eſt, quòd iſte Roboam, qui poſteà patri ſucceſſit in regno, natus eſt anno vno antequam Salomon regnare cœperit, vt colligitur 3. Reg. cap. 14. verſ. 21. & 2. Paralip. cap. 12. verſ. 13. quibus in locis dicitur, quòd quadraginta & vnius anni erat Roboam cùm regnare cœpiſſet: & tunc iam regnauerat Salomon annis quadraginta, vt legimus 3. Reg. cap. 11. verſ. 24. & 2. Paralip. cap. 9. verſ. 30. erat autem Salomon annorum viginti trium quando genuit Roboam, vt colligi poteſt ex tabulis. Vnde manifeſtum fit, fabuloſam eſſe quorumdam Hebræorum opinionem, quæ ponit Salomonem anno vitæ ſuæ decimo vel vndecimo genuiſſe Roboam; ſed eam nulla ratione ſacræve Scripturæ teſtimonio ſuffultam, pluribus quoque argumentis efficaciter confutat Abulenſis ſuper 3. Reg. cap. 11. quæſt. 14. Nec refert quòd B. Hieronymus in Epiſtola ad Vitalem, quæ in ordine eſt 132. eiuſdem cum Hebræis videatur fuiſſe ſententiæ: quia ibidem S. Doctor non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione loqui videtur; quandoquidem, ſuppoſita quæſiti veritate, tamquam fundata ſuper annorum Salomonis ſupputatione à Rabbinis inita, à ſe autem minimè diſcuſſa, ad interrogationem ſibi factam reſpondere nititur. quòd ſi in mentem veniſſet ſancto viro, priùs quæſiti veritatem diſcutere; profectò, vt arbitror, illud (quod ad Salomonem attinet)

SALOMON GENVIT ROBOAM.

REDARGVITVR OPINIO HEBRAEORVM DE AETATE SALOMONIS QVANDO GENVIT ROBOAM.

tunet) non admisisset. Sed fortè de hoc non curauit, quia nihilominùs quæsiti veritas saltem in exemplo Aehaz ibidem pariter adducto, quod inficiari non poterat, persistebat; & propterea omnino necessarium videbatur quæsito satisfacere. Sed dicet fortè aliquis: Quî fieri potest vt Salomon viginti trium esset annorum quando genuit Roboam, anno scilicet vno antequam factus sit Rex, si de eodem Salomone 1.Paralip. cap.22.vers.5. Dauid pater eius, anno vltimo vel pænultimo vitæ regnique sui dicebat: *Salomon filius meus puer paruulus est & delicatus.* & cap.29.vers.1. *Salomonem filium meum vnum elegit Deus adhuc puerum & tenellum.* & ipsemet Salomon circa initia regni sui, quādo videlicet petiit obtinuitque à Deo sapientiam, 3.Reg.cap.3.vers.7. de seipso dixit: *Ego sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum.* Si ergo tunc erat paruulus, vtique non poterat circiter biennio antè, quando scilicet genuit Roboam, fuisse viginti trium annorum. Ad hoc dicendum est, quòd illa verba, *Puer paruulus ac delicatus, ignorans egressum & introitum*, &c. in eo sensu sunt accipienda, ac si velint indicare, Salomonem tunc fuisse in rebus gerendis adinstar pueri paruuli & simplicis, ac propterea ad tanti ponderis opera perficienda minùs aptum: quoniam etsi esset adolescens, fuerat tamen in deliciis enutritus, & in negotiis gerendis minimè versatus. Et quando Dauid dixit, Deum elegisse Salomonem adhuc puerum & tenellum, videtur dicere voluisse, non quòd tunc Salomon esset puer tenellus; sed quòd vsque ab eius infantia electus à Deo fuerat, qui postea patri in regnum succederet. Quamquam illud quoque certissimum est, quòd (quemadmodum etiam sub anno mundi 3309. num.2. probabitur) Scriptura sacra aliquando vsurpat nomen pueritiæ pro adolescentia. Nam & Isaac quando ductus est immolari, Genes. cap.22. vers.5. & 12. vocatur puer, quem tamen nos sub anno mundi 2163. num.4. probauimus tunc fuisse viginti quinque annos natum. Et Ioseph quando sexdecim erat annorum, vocatus est puer, Genes. cap.37. vers.30: immò etiam quando erat annorum vigintiocto, videlicet biennio antequam trigesimum annum agens ductus est coram Pharaone, vt patet Genes. cap.41. vers.12. Dauid quoque quando pugnaturus erat cum Goliath gigante, licet 1.Reg. cap. 17. vers. 42. dicatur adolescens; tamen vers.33. appellatur à Saule puer. Similiter Absalom, quando bellum gessit cum Dauide patre suo, tametsi iam haberet tres filios & vnam filiam (vt patet 2. Reg. cap. 14. vers. 27. nihilominùs cap.18. vers.5.12.29.& 32. appellatur puer. Denique eumdem Salomonem, qui locis suprà citatis dictus est puer & paruulus, pater eius Dauid paulò antequam moreretur, appellauit virum sapientem, vt videre est 3. Reg.cap.2. vers.9. Potuit ergo ipse Salomon esse viginti trium annorum quando genuit Roboam.

PVERITIA INTERDVM PRO ADOLESCENTIA VSVRPATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3019. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 476.

DAVID NONNISI ADOLESCENTVLAE AMPLEXV CALEFIERI POTEST.

1 ANNO regni Dauidis quadragesimo, vitæ verò eius septuagesimo circiter inchoante, Rex cùm præ senecta, calore naturali indies magis ac magis deficiente, iam, quantumuis vestibus operiretur, non posset calefieri; quæsierunt serui eius, de Medicorum consilio, adolescentulam in omni Israele formosissimam, nimirum Abisag Sunamitidem, quæ ministraret Regi, dormiensque cum eo foueret languida membra eius; non enim aliter calefieri, aut in vita conseruari poterat. Rex ergo non cognouit eam, sed ad frigus dumtaxat arcendum in eiusdem amplexibus morabatur. Circa medietatem autem, vt arbitror, eiusdem anni, Adonias filius Dauid de Haggith, videns quòd Rex diu admodum superuiuere non poterat, ratus se patri in regno successurum, quòd ipse esset secundus natu post Absalom iam defunctum; fecit sibi currus & equites, & quinquaginta viros qui ipsum præcederent: 3. Reg. cap.1. vers.5. & 6.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3020. — QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 477.

ADONIAS INSCIO PATRE PROCVRAT SE VNGI IN REGEM.

1 ANNO autem proximo circiter inchoante, (vt ex his quæ num. 11. dicemus inferri potest) Adonias cùm aduertisset se valdè acceptum esse populo, & quòd Rex sciens omnia quæ faciebat, videbatur silentio suo cuncta probare; (nihil enim vmquam indicauerat Rex Adoniæ, quòd regius ille comitatus, cum quo incedebat, ei vllatenus displiceret) propterea crescente indies magis regnandi libidine,

moræ impatiens, tandem consilio inito cum Ioab Principe exercitus & Abiathar Sacerdore, qui adiuuabant partes suas, quadam die inuitauit omnes fratres suos, Salomone dumtaxat excepto, ad locum quemdam non procul ab vrbe existentem, iuxta insignem quemdam lapidem nomine Zoheleth, ac prope fontem pariter famosum, vocabulo Rogel, ibique coadunatis sectatoribus suis, procurabat post victimas sollemniter admodum immolatas, inscio patre, acclamari se vngique in Regem. Sed hoc præuidens Nathan Propheta, nuntiauit Bethsabee matri Salomonis, illa verò Regi Dauid: qui confestim præcepit Sadoc Sacerdoti, & Nathan Prophetæ, ac Banaiæ Præfecto legionũ Cerethi & Phelethi, vt ducerent Salomonem in montem Gihon super mulã regiam, & ibi eum vngerent in Regem super Israel; quò cùm concurrisset omnis populus, statim vt per Sadoc Sacerdotem & Nathan Prophetam vnctus est nouus Rex, dato buccina signo, conclamare cœperunt omnes, Viuat Rex Salomon; & præ gaudio exultantes, secuti sunt eum redeuntem in Ierusalem, tota interim tibiis tubisque personante ciuitate, & in occursum noui Regis concurrentibus omnibus, eidemque fausta acclamantibus, donec tandem eum sedere fecerunt super solium Regni. Quibus auditis, territi sunt omnes qui inuitati fuerant ab Adonia; & eo relicto, abierunt vnusquisque in viam suam; sed & ipse Adonias, veritus à Rege Salomone necem, fugit in tabernaculum quod fecerat Dauid in domo sua, tenuitque cornu Altaris, (erat enim tunc temporis Altare, tamquam Asylum, iis qui propter delicta quærebantur ad necem) sed inde reuocatus, & adductus coram Rege Salomone, adorauit eum, & ab eo dimissus est in domum suam: 3. Reg. cap. 1. per totum, & hoc prudenter admodum fecit Salomon, tum quia voluit priùs experiri num regnandi affectationem Adonias omnino deponeret, vt planè colligitur capite Reg. citato vers. 52. tum etiam quia Salomon, ob reuerentiam patris, & ne ipsum contristaret, noluit eo viuente occidere fratrem.

SALOMON DE MANDATO PATRIS PRIMO VNGITVR IN REGEM, ET IN SOLIO REGNI SEDIT.

ADONIAS ET FAVTORES EIVS TERRITI FVGIVNT.

ADONIAS ADORATO REGE DIMITTITVR IN DOMVM SVAM.

2. Eodem anno regni Salomonis primo, Dauid suffectum sibi nouum Regem vocauit ad se, præcepitque ei ante omnia, vt ædificaret domum Domino Deo Israel; protestatusque est, hanc esse voluntatem Dei, qui prohibuit ipsum Dauidem ne illam extrueret, prædicens velle vt filius ac successor eius illam exædificaret. Pluribus ergo eum ad hoc opus excitare atque animare non destitit, vt illud viriliter aggrederetur ac perficeret, deprecans ei prosperitatem à Domino, non solùm in ipsa Templi fabrica prosequenda atque absoluenda, verumetiam ad bonum totius populi regimen: subiungens, eidem proculdubiò cuncta feliciter admodum successura, si accuratè diuinam Legem, Moysi ministerio traditam, custodierit. De cetero, vt eidem Salomoni negotium memoratæ ædificij facilius redderet, addidit, se iam præparasse omnes eius impensas, & materiam, & artifices; & insuper præcepturum se cunctis regni Principibus, vt ipsum in toto hoc opere adiuuare ne omitterent: quæ omnia fusiùs traduntur 1. Paralip. cap. 22. vers. 6. vsque ad finem capitis. Igitur Dauid post hæc (quemadmodum colligitur ex eiusdem libri cap. 23. vers. 1. & cap. 26. vers. 31.) congregauit omnes Principes Israel, tam tribuum ac familiarum, quàm exercitus, & item Sacerdotes ac Leuitas, vt omnibus nota faceret, quæ ipse pro Templo extruendo, ac etiam pro debito Dei cultu in eodem instituendo, atque deinceps iugiter exercendo, ordinate intendebat. Congregatis ergo omnibus, iussit Dauid primò numerari Leuitas, volens eorum ministeria ordinare, & in quibusdam etiam pro ratione temporis locique reformare, vicesque ipsorum distribuere, quibus singuli tenerentur in Templo, cùm fabricatum esset, deseruire: (ad illud enim tempus, tota hæc Leuitarum ac Sacerdotum recognitio ac reordinatio dirigebatur.) Facta autem fuit hæc Leuitarum dinumeratio, non ad Moysaicæ Legis formam Numer. cap. 4. vers. 3. & cap. 8. vers. 24. traditam, nempe à trigesimo, vel saltem à vigesimo quinto anno, ad quinquagesimum; sed à viginti annis & supra, ob causam assignatam 1. Paralip. cap. 23. vers. 24. vsque ad 28. quam paulò pòst memorabimus. Cùm ergo sic recensiti Leuitæ, inuenti essent triginta octo millia, ante omnia, vt arbitror, declarauit Dauid præcipuum munus ipsorum omnium in eo esse positum, vt essent sub manu filiorum Aaron, in cultu domus Domini, quemadmodum dicitur vers. 28. citati capitis, id est, vt obedientes ministrarentque Sacerdotibus, in his quæ ad diuinum cultum pertinebant, intra limites tamen ipsis à Lege præscriptos: hoc enim præceperat Dominus Num. cap. 8. vers. 19. & cap. 18. v. 2. vsque ad 7. & consequenter, cùm id esset de Iure diuino, nulla poterat humana potestate tolli aut immutari. Quòd si quis quærat, Quinam essent isti Sacerdotes, quibus Leuitæ Iure diuino inseruire tenebantur; breuiter respondeo, quòd (vt etiam sub anno mundi 2545. num.

DAVID PRÆCIPIT SALOMONI VT ÆDIFICET TEMPLVM DOMINO.

LEVITAS RECENSET, ET EORVM MINISTERIA REFORMAT, AC PER VICES DISTRIBVIT.

PRÆCEPTVM MVNVS LEVITARVM QVOD ESSET.

QVINAM ESSENT SACERDOTES.

num. 16. dictum est) præter Moysen, solus Aaron & omnes ac soli eius posteri dicebantur erantque Moysaicæ Legis Sacerdotes; ipsi etenim soli separati fuerant à ceteris Leuitis, vt ministrarent in Sancto sanctorum in sempiternum: 1. Paralip. cap. 23. vers. 13. & applicati, vt Sacerdotio fugerentur Domino; Exod. cap. 28. vers. 1. &c, quod idem est, constituti super cultum Sacerdotij, quemadmodum etiam traditur Numer. cap. 3. vers. 10. Ceteri autem omnes qui erant de posteris Leui, etiam qui de Moyse propagati erant, in communi (vt expressè dicitur 1. Paralip. cap. 23. vers. 14.) Leuitarum numero computabantur. Et isti sunt, qui dono dati sunt à Domino Aaroni & posteris eius, vt ministrarent eis in his quæ ad diuinum cultum pertinerent, vt clarè traditur Num. cap. 3. vers. 6. vsque ad 10.

CVR LEVITAS DEINCEPS A VIGESIMO AETATIS ANNO RECENSENDI.

3. Et quoniam extructo Templo, consequenter cessaturum erat illud satis graue munus circumferendi Sanctuarium, Leuitis olim à Moyse iniunctum, quod validiores exigere vires videbatur; propereà statuit quoque Dauid, vt deinceps Leuitæ Templi ministeriis applicandi, recenseri deberent à viginti annis & supra, nullo senectutis termino limitato; tum quia exinde multò leuior ac facilior futura erat eorum ministrario, tum etiam quia iuniores, ad quædã ministeria peragenda solent esse aliis promptiores atque elegantiores; & plura quoque erant officia, quæ etiam à senioribus commodè præstari poterant; puta oblationum custodia, & huiusmodi alia. Itaque loco prædicti muneris quod cessabat, alia Leuitis Dauid assignauit; non quidem promiscuè

24000. EX IPSIS IN MINISTERIVM DOMVS DOMINI APPLICATI.

omnibus, sed cum hac distinctione. Siquidem ex memorato triginta octo millia Leuitarum numero, delegit viginti quattuor millia, qui posteà distributi sunt in ministerium Domus Domini, quemadmodum dicitur 1. Paralip. cap. 23. vers. 4. id est, vt explicat Iosephus lib. 7. Antiq. cap. 11. qui curarent ædificium Templi; & item, qui eo absoluto ministrarent Sacerdotibus, quæ ad sacrificia opus essent præparantes, prout super citaro Paralip. capite exponit Abulensis quæst. 12. & etiam, vt in loco purificationis inquinatam è labris aquam funderent, puramque imponerent, ad Sacerdotum victimarumque ablutiones, & alia huiusmodi facerent.

6000 DEPVTATI, VT ESSENT IVDICES ET PRAEPOSITI IN VRBIBVS.

Ex aliis verò quattuordecim millibus Leuitis qui restabant, deputati sunt sex mille, qui essent Præpositi & Iudices in vrbibus Israel, intellige in his quæ ad Legalia cærimoniasq; pertinerent, & in caussis quæstitisve minoris momenti, nam maiora ad domum consilij existentem in Ierusalem, cui præerat summus Sacerdos, deferri debebant, quemadmodum præceptum fuerat Deuter. cap. 17. vers. 8. vsque ad 14.

4000 IANITORES ET THESAVRARII.

Alij verò quattuor mille constituti sunt partim ianitores siue ostiarij, & qui posteà custodirent quattuor Templi portas, ad quattuor cæli partes respicientes; & partim thesaurarij, qui custodirent exedras & gazophylacia in Templi atriis fabricanda, pro asseruandis thesauris, hoc est oblationibus populi & Principum; præsertim verò illas magni pretij, quas de hostium manubiis sanctificauerant Domino Dauid & Ioab, & antè Samuel, & Saul, & Abner, & alij; vt obiter dicitur

4000. CANTORES ET PSALTAE.

1. Paralipom. cap. 26. vers. 26. vsque ad 29. Reliquos denique quattuor mille Leuitas voluit Dauid vt essent cantores, & psaltæ, qui quotidie, quando manè ac vespere offerebatur iuge sacrificium, & in Sabbatis ac Neomeniis, aliisque sollemnitatibus, canerent Psalmos ab ipso Dauide compositos; & pariter in variis organis ab eodem fabrefactis dulciter personarêt in domo Domini, id est in Atrio Sacerdotum, ad Orientalem partem Altaris, vt colligitur 2. Paralip. cap. 5. vers. 12. Et de istis tantùm, non autem de omnibus Leuitis accipiendum est illud, quod tradit Iosephus lib. 7. Antiq. cap. 10. vbi ait: quòd *Dauid perfunctus iam bellis ac periculis, & in altissima pace degens, instrumentis musicis comparatis, docuit Leuitas ad pulsum eorum laudes Dei decantare, tam in Sabbatis diebus, quàm in ceteris festiuitatibus.* Et subinde, quædam de hisce instrumentis breuiter tangens, subiungit: *Genera autem instrumentorum hæc fuere: Cinnyra decem chordis intenditur, & plectro pulsatur: nabla duodecim sonos continet, sed digitis carpitur; cumq; his aderant & cymbala area, magna atque lata: quod sanè de prædictorum instrumentorum natura, ne prorsus ignorentur, dixisse sufficit.* hucusque Iosephus. Et hæc est generalis illa Leuiticæ tribus dinumeratio & distinctio, quæ traditur 1. Paralipom. cap. 23. vers. 3. vsque ad 6.

VICES, ET MVNIA SINGVLORVM LEVITARVM.

4. Specialis verò mentio eorum qui distributi sunt in variis ministeriis Domus Domini, & Principum ipsorum recensio, habetur ibidem à vers. 6. vsque ad 25. Cantorum autem diuisio, & familiæ vicesque eorum vigintiquattuor, habentes singulæ duodecim Doctores, qui erudirent alios, describuntur 1. Paralip. cap. 25. per totum. Vbi etiam ponuntur tres Principes cantorum, videlicet Asaph, Heman, & Idithun. Creditur autem, vt notat Abulensis super 1. Paralip. cap. 25. quæst. 6. iste Idithun fuisse binominis;

nis, esseque illemet, qui 1.Paralip.cap.6.vers.44.alio nomine vocatur Ethan; vbi pariter memorantur tres Principes cantorum, videlicet Eman, Asaph, & Ethan, qui singuli de singulorum trium filiorum Leui progenie descendisse dicuntur: ibidem namque à vers.33.vsque ad 48.deducuntur singulæ eorum genealogiæ; primò ipsius Eman, vsque ad Caath secundum filium Leui; deinde ipsius Asaph, vsque ad Gerson primum filium Leui; postremò ipsius Ethan, vsque ad Merari tertium filium eiusdem Leui. Ianitorum verò & thesaurariorum vices & officia, & quibus assignata fuerit cura portæ Orientalis, & cuiuslibet aliarum trium, vide 1.Paralip.cap.26.vers.1.vsque ad 29. Denique Præpositorum Iudicumque distributio, & Principum nomina, & subiectorum numerus, breuiter tanguntur ibidem à vers.29.vsque ad finem capitis. Plura quoque de Iudicum ac Præpositorum officiis vide apud Abulensem super 1.Paralipom. cap. 26. quæst.44.vsque ad 48.Ceterum, vt idem Auctor ibidem quæst.23.latè probat, oportet non solùm cantores, sed & alios Leuitas, tam eos qui ad ministrandum Sacerdotibus in Templo, quàm qui ad particularum portarum exedrarúmve eiusdem Templi custodiam specialiter deputati fuerant, singulos, pro officij & particularis assignationis ratione, similiter vt cantores & Sacerdotes, æqua lance in vigintiquattuor vices fuisse distributos; alioqui non sine magno incommodo ac rerum domesticarum iactura, singuli temporibus suis munia sua in Templo obire potuissent. De Iudicibus autem & Præpositis non eadem videtur ratio militare; quia ipsi non in Templo, sed in vrbibus Israel officia sua exercere tenebantur; quorum conditio non videbatur posse pati tam frequentem officialium mutationem.

5. Recensuit posteà Dauid etiam filios Aaron, hoc est Sacerdotes, per familias suas; quæ inuentæ sunt viginti quattuor: quarum sexdecim prodierant de Eleazaro Aaronis filio, octo autem de Ithamar dicti Eleazari fratre minore, vt legimus 1.Paralip.cap.24. vers.1.vsque ad 20. Vbi tametsi non exprimatur Sacerdotum omnium numerus, sicuti cap.præcedenti factum fuerat de Leuitis; recensentur tamen nominatim, & iuxta eductæ sortitionis ordinem, prædictæ omnes vigintiquattuor Sacerdotum familiæ, inter quas octauo loco exiit familia Abiæ. Vnde fit clarum, Zachariam S. Ioannis Baptistæ patrem fuisse de octaua hac Sacerdotum familia: fuit enim de vice Abia, quemadmodum traditur Luc.cap.1.vers.5.& Sacerdotio fungebatur in ordine vicis suæ, hoc est, octauæ. De cetero, quod attinet ad munia Sacerdotum, de quibus nos sub anno mundi 2545.num.17.& 18. fusiùs disseruimus, nihil hîc à Dauide immutatum innenimus; quippe cuius primaria intentio solùm fuit (quoniam videbat necessarium fore, vt extructo Templo, iugiter in ipso diuina ministeria exercerentur) curare ne tum Sacerdotes tum Leuitæ nimis grauarentur, si singuli tantis tamque variis eiusdem Templi ministeriis semper prestò esse tenerentur; sic enim oportuisset eosdem ferè omnes morari in Ierusalem, & à cunctis domesticis curis omnino esse immunes, & ciuitates illis olim a Moyse assignatas, desertas relinquere: propterea, ad hæc omnia incommoda remouenda, & vt ipsorum ministratio facilior ac suauior euaderet, operæpretium duxit sanctus Rex, priusquam decederet, totam tribum Leuiticam, vt etiam tradit Iosephus lib.7.Antiq.cap.11.in partes viginti quattuor distribuere; ita vt tam Sacerdotibus quã Leuitis octoni ministerij dies obuenirent, quibus per singulas quisque vices hebdomadasque, interdiu noctuque circa cultum diuini Numinis versarentur; interim ab vxoribus seiuncti, & in ipsis Templi ædibus habitantes: expleta autem vice sua, quæ à Sabbato in Sabbatum extendebatur, vnusquisque venientibus successoribus ad proprias ciuitates domosque rediret, rebusque domesticis reliquo toto tempore vacare posset.

24. SACERDOTVM FAMILIAE PER VICES DISTRIBVTAE.

Ceterùm, memoratam Sacerdotum ac Leuitarum distributionem à Dauide factam fuisse, Domino ita iubente, per manus Gad & Nathan Prophetarum eius, colligitur ex 2.Paralip.cap.29.vers.25.vbi id obiter insinuatur, specialiter de cantoribus, & videtur idem esse intelligendum de aliis Templi ministris: non enim maior ratio est de vno ministrorum ordine, quàm de aliis.

SACERDOTVM LEVITARVMQVE DISTRIBVTIO A DAVIDE, DOMINO IVBENTE, FACTA.

6. His peractis, Dauid aliquantulùm in lectulo suo erectus, locutus est cunctis Principibus, quos ad hoc conuocauerat, nimirum Ducibus tribuum, Præpositis turmarum, quæ vicissim singulis mensibus seruiebant Regi, (quemadmodum sub anno mundi 2980.num.4.dictum est) & item Tribunis ac Centurionibus, virisque exercitus sui fortissimis, necnon & iis qui præerant substantiæ Regis, & filiis ac seruis suis potentioribus; dixitque eis, se aliàs cogitasse Templum Domino extruere, in quo requiesceret Arca Dei, verumtamen denuntiatum sibi fuisse, quòd ipse Dominus, qui eum elegerat in Regem super Israel, elegerat quoque de filiis suis Salomonem iam designatum vn-

HORTATVR DAVID PRINCIPES ET SALOMONEM VT SERVIANT DOMINO, ET AEDIFICENT EI TEMPLVM.

vnctumque in Regem, vt sibi in regnũ succederet, & ipse ædificaret Templum, & atria Domino. Et vt cunctorum animos Salomoni magis obsequentes redderet, subiunxit, Dominum elegisse eum sibi in filium; & pollicitum esse, eumdem se paterno affectu prosecuturum, ac firmaturum regnum eius in æternum; si tamen ipse & posteri eius implere præcepta eius non omisissent. Deinde breui quidem, sed graui atque admodum efficaci oratione obtestari cœpit eos, & in ipsis vniuersum Israelem, per diuinam præsentiam, vt satagerent custodire præcepta Domini, quò possent ipsi & posteri eorum possidere terram ipsis hac lege à Deo promissam ac datam, vsque in sempiternum, tacite insinuans, alioqui proculdubiò eos illam amissuros. Denique sanctus senex ad Salomonem filium conuersus, grauiter eum coram omnibus quantum potuit hortatus est, primò ad cultum Dei internum; vt scilicet seruire Deo patris sui corde perfecto ante omnia procuraret, sciens quia ipse scrutator est cordium, & vniuersas mentium cogitationes intelligit: & vt hoc, quod caput est omnium, cordi Salomonis arctiùs insigeretur, primariam hanc paternæ huius exhortationis partem grauissimis illis conclusit verbis, dicens: *Si quæsieris eum, inuenies: si autem dereliqueris eum, proijciet te in æternum.* Mox eumdem admonuit, vt ad exteriorem quoque cultum Deo honorificentiùs adhibendum, templum extrui curaret; deditque ei descriptionem illam omnium rerum fabricandarum, cuius nos sub anno mundi 3017. num. 3. meminimus; & item omnia quæ pro eodem ædificio ipse iam præparauerat; nec non & quas fecerat Sacerdotum ac Leuitarum diuisiones, in ministeriis Domus Domini vicissim obeundis, vt latiùs videre est 1. Paralip. cap. 28. per totum.

PRIMATES POPVLI DAVIDE HORTANTE OFFERVNT AVRVM ET ARGENTVM ET AES PRO TEMPLI FABRICA.

7. Post hæc iterum locutus est Dauid ad omnem ecclesiam, hoc est ad regni sui Primates atque Optimates & Proceres, qui totum Israeliticum populum repræsentabant, repetens quæ aliàs etiam non semel dixerat, nimirum, quòd Deus elegisset Salomonem filium suum, qui præpararet ei habitaculum; quod quidem, quia grande admodum ac magnificum esse decebat, & Salomon adhuc valdè iuuenis esset, & solus tanto operi impar videretur; propterea ipse Dauid omni conatu præparauerat impensas Domus Dei extruendæ: quæ quia fortè non sufficerent, hortatus est eos, vt si quid ipsi quoque vellent in illud opus conferre, vltroque offerre Domino, gratum sibi futurum, vt id ipso Dauide adhuc viuente facerent. Qui his auditis, statim vnanimiter & cum magna cordium alacritate ac promptitudine, totius populi nomine polliciti sunt, ac postea reipsa dederunt in opera Domus Domini, auri talenta quinque millia, & solidos decem millia, & argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia, ac ferri centum millia talentorum; & apud quemcumque inuenti sunt lapides pretiosi, dederunt illos in thesauros Domus Domini; lætatusque est Rex Dauid, & deuotissima oratione habita, benedixit Domino coram vniuersa multitudine; ac pro Salomone precatus est, vt daret ei Dominus cor perfectum ad custodienda mandata & testimonia ac cærimonias eius. Dein, præcipiente Rege, benedixit quoque omnis ecclesia Domino, adorauerùntque cuncti Deum, ac postea Regem: 1. Paralip. cap. vltimo vers. 1. vsque ad 21.

IMMOLANT VICTIMAS DOMINO.

8. Die verò insequente immolauerunt victimas & holocausta Domino, tauros mille, arietes mille, & agnos mille, cum libaminibus suis, ritu celeberrimo, pro omni Israele; & cum grandi lætitia comederunt coram Domino, hoc est coram Tabernaculo & Arca Domini, quam reduxerat Dauid in domum suam; ibique multò quàm antea sollemniori ritu denuò vnxerunt Salomonem in Principem, & Sadoc in summum Pontificem, seditque Salomon super solium regni pro Dauid patre suo, & placuit cunctis; paruitque & subiectus est ei omnis Israel: sed & ceteri filij Dauidis, & cuncti Principes ac potentes consensum quoque suum præbentes, acceptauerunt eum in Regem: ibidem vers. 21. vsque ad 26. Quod autem dictum est de vnctione Sadoc in Pontificem, per anticipationis figuram in Sacro eloquio vsitatam ibidem adiectum credimus, occasione nimirum narratæ vnctionis memorati Salomonis in Regem: nam alioqui ratio dictat, hanc Sadoc vnctionem non tunc fuisse factam, sed post Abiatharis depositionem, quam Dauide iam mortuo contigisse, ex consequentibus apparebit: tunc enim, & non priùs, Sadoc pro Abiathar suffectus dicitur 3. Reg. cap. 2. vers. 35.

SALOMON SECVNDO VNGITVR IN REGEM.

DE VNCTIONE SADOC IN PONTIFICEM.

DAVID MORTI PROXIMVS DAT POSTREMA MONITA SALOMONI.

9. Circa medietatem verò (vt num. 11. dicetur) eiusdem anni, sentiens Dauid se morti iam appropinquare, dedit postrema monita Salomoni filio suo, præcipiens ante omnia, atque instantissimè eidem commendans exactam totius Moysaicæ Legis obseruantiam, *vt confirmet*, inquit, *Dominus sermones suos*, nimirum promissiones sibi factas de continuatione regni in domo & successione sua. Deinde eidem Salomoni mandauit,

vt

vt memor esset vltionem sumere de Ioab, qui duos Principes exercitus, Abner scilicet & Amasa, dolosè & omnino contra Regis voluntatem occiderat; & ne impunitum relinqueret Semei, qui maledictione pessima Regi maledixerat, quando fugiebat à facie Absalom. Econuersò autem, vt esset gratus filiis Berzellai Galaaditis, qui eodem tempore benefecerat sibi; & propterea facies, inquit, eos commensales tuos: 3. Reg. cap. 2. vers. 1. vsque ad 10.

10. Quibus expletis, sanctus ille vir & Regius Psaltes Spiritu sancto plenus, nouissima illa eademque sanctissima ac prophetica verba protulit, quæ habentur 2. Reg. cap. 23. vers. 1. vsque ad 8. *Spiritus Domini locutus est per me*, &c. Nam etsi Abulensis super eodem capite quæst. 2. & 3. secutus Rabbi Dauid Canbi, putet prædicta verba, aliquot priùs annis à Dauide fuisse prolata; dicique nouissima, non quia non amplius posteà locutus sit, quod absurdum videretur asserere; sed quia, inquit, numquam deinceps alia verba prophetica protulisse credatur: tamen mihi magis placet opinio eorum, qui secuti Glossam interlinearem, aiunt, hæc verba dici nouissima, quia hanc laudem Dauid in articulo mortis deuotè Domino decantauit. Neque enim verisimile est, Dauidem, qui toto ferè quo vixit tempore plurimos Psalmos prophetico Spiritu plenos componere edereque solebat, in postremis vitæ annis ab hoc tam sancto exercitio abstinere voluisse; quando præsertim, bellorum solutus occupationibus atque impedimentis, sapientiæ magis vacare poterat, & circa Dei laudes cultumque deuotior videbatur. Quinimmò longè probabilius est, tantum virum, qui dum viueret, prophetico Spiritu frequenter agi, atque in diuinis laudibus feruenti quodam impetu sæpiùs prosilire consueuerat, nouissimè etiam eodem Spiritu actum prophetasse; & qui viuens dulciter Psalmos canere solitus fuerat, in morte quoque sua, nitidissimi instar oloris, multò suauiùs cecinisse; & non aliter sanctissimum vitæ cursum, quàm prophetando psallendoque conclusisse. POSTREMA DAVIDIS VERBA.

11. Obdormiuit itaque Dauid cum patribus suis eiusdem anni regni Salomonis primi mense sexto circiter desinente, vt ex paulò pòst dicendis apparebit; & sepultus est in ciuitate sua, hoc est in arce Sion, quæ propriè ciuitas Dauid dicebatur: 3. Reg. cap. 2. vers. 10. Sepeliuit autem eum (vt ait Iosephus in calce lib. 7. Antiq.) Salomon filius eius Ierosolymis magnificè, præter sollemnia illa in Regum funeribus, illatis etiam in monumentum eius maximis diuitiis, quarum magnitudinem facile sit coniectare ex hoc quod dicemus. *Nam post annos mille trecentos, Hircanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio, Demetrij filio, volens pecuniam ei dare vt abducto exercitu obsidionem solueret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit, sicut & alibi indicauimus. Ac rursum post multos annos elapsos, Herodes Rex alia cella aperta magnam pecuniam sustulit; ad loculos tamen qui Regum cineres continebant, neuter eorum peruenit; singulari enim arte ita erant sub terram conditi, vt ab ingredientibus monumentum inueniri nequirent.* hæc Iosephus. Credimus quoque Salomonem, pro sua in omnibus operibus magnificentia, honorificè celebrari iussisse luctum patris, saltem per integrum mensem, more maiorum. Sic enim legimus Num. cap. 20. in fine, & Deuter. cap. vlt. vers. 8. factum fuisse in obitu Aaron & Moysi. De annis verò regni Dauidis, quamquam 2. Reg. cap. 5. vers. 5. & 1. Paralip. cap. 3. vers. 4. dicatur, ipsum regnasse in Hebron septem annis & sex mensibus, & in Ierusalem triginta tribus annis: quia tamen 3. Reg. cap. 2. vers. 11. & 1. Paralip. cap. vlt. vers. 27. nulla fit mentio sex mensium, & in omnibus hisce quatuor locis citatis semper in summa dicitur, ipsum regnasse quadraginta annis; necessariò oportet vel Scripturam sacram (more suo, vt sub anno mundi 1659. num. 2. probauimus) sex illos menses, tamquam modicum quid, præteriisse; aut (ne vllum quantumuis paruum sacræ Chronologiæ offendiculum iniciamus) eosdem sex menses posteà defecisse, vel in anno vltimo, quo Dauid regnauit in Ierusalem, vel in quadragesimo regni Salomonis; ita vt postremus annus alterius istorum Regum fuerit incompletus: vel fortè etiam (quod magis verisimile videtur) sex illos menses supra quadragesimum annum regni Dauidis, fluxisse à prima ad secundam Salomonis vnctionem, vel ipsius Dauidis mortem: & propterea Scripturam sacram verè semper dixisse, Dauidem in summa regnasse tantummodò annis quadraginta; quia sex illi menses quos posteà superuixit, non computandi sunt in annis regni eius, sed regni Salomonis. Et hanc opinionem, tamquam Sacro textui magis consonam, nos secuti sumus. Gesta autem Dauidis scripta esse dicuntur in libro Samuelis, & in libris Nathan Prophetæ & Gad Videntis, vt habemus in calce

DE OBITV, ET SEPVLTVRA, ET LVCTV DAVIDIS.

DE ANNIS REGNI EIVS

GESTA DAVIDIS A QVIBVS SCRIPTA.

libri 1. Paralipomenon. Verumtamen libri Nathan & Gad temporum iniuria perierunt: Liber verò Samuelis proximè citatus, creditur esse is, quem nos 1. & 2. Regum dicimus: hos enim Hebræi collectiuè, vt dicitur, vocant Samuel, quemadmodum testatur B. Hieronymus in Prologo lib. Regum. non quia totus à Samuele scriptus sit, siquidem ipse mortuus est, antequam acta essent quæ cap. 25. 1. Reg (in cuius initio notatur mors Samuelis) vsque ad finem lib. 2. scripta inueniuntur: sed quia in principio libri agitur de Samuele, ideò (vt ait Abulensis in Prologo 1. Reg. quæst. 4.) ab eo totus liber nomen assumpsit. Hoc si verum est, appositè Scriptura sacra dixit, Gesta Dauidis scripta fuisse non à Samuele, sed in Libro Samuelis; nimirum in libro, qui apud Hebræos, vt dictum est, inscribitur Samuel. Nam eius secunda pars, quam nos 2. Reg. dicimus, manifestè tota est de rebus à Dauide gestis. Porrò Dauidem scripsisse librum Psalmorum, opinio communiter receptissima est, quam nos sub anno mundi 2964. num. 6. plurimis sanctorum Doctorum testimoniis cõprobauimus. Vtrùm verò etiam idem Dauid scripserit propria sua gesta, vt quidam opinati sunt; nimirum ea quæ Samuel morte præuentus scribere non potuit, hoc est, quæ à cap. 24. 1. Reg. vsque ad finem 2. Reg. habentur, mihi non admodum videtur probabile, quia, si verè Dauid fuisset scriptor maioris partis eorum quæ in duobus primis Reg. libris continentur, non esset verisimile, quòd olim Hebræi duos illos libros, seu duas illius libri partes, suppresso Dauidis nomine, quod semper fuit celeberrimum, Samuel inscribere maluissent.

EIVS ENCOMIA EX LIB. ECCLESIASTICI.

12. Ceterùm præclara Dauidis encomia, præter ea quæ sparsim in Sacris libris reperiuntur, breuiter perstricta habentur Ecclesiastici cap. 47. vers. 2. vsque ad 14. in hæc verba: *Et quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israel. Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in vrsis similiter fecit sicut in agnis ouium in iuuentute sua. Numquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente? In tollendo manum, saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ: nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera eius, tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ. Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini in offerendo illi coronam gloriæ: contriuit enim inimicos vndique, & extirpauit Philisthiim contrarios vsque in hodiernum diem: contriuit cornu ipsorum vsque in æternum. In omni opere dedit confessionem Sancto & Excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam: & stare fecit Cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ, vt laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent manè Dei sanctitatem. Dominus purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cornu eius: & dedit illi testamentum regni, & sedem gloriæ in Israel.* hactenus verba Ecclesiastici.

ADONIAS CVR IVSSV REGIS OCCISVS.

13. Expleto Dauidis luctu, rogauit Adonias Bethsabee matrem Salomonis, vt postularet à Rege dari sibi Abisag Sunamitidem in vxorẽ. quod cùm illa fecisset, intelligens Rex Salomon, vt erat sapientissimus & ingenio valdè perspicaci, quónam tenderet ista Adoniæ petitio, nimirum, vt hac ratione pararet sibi viam ad occupandum regnum, quod adhuc etiam eum adhæsione Abiathar Sacerdotis, & Ioab qui fuerat Princeps exercitus Dauid, affectare videbatur, putabatque se faciliùs id posse consequi, si Abisag habuisset vxorem; siue quia illa magnam valdeque opulentam haberet dotem, vtpote multis à Dauide, vt credibile est, ditata diuitiis pro sedula iugique seruitute eidem præstita; siue etiam quia ipsa esset valdè accepta cunctis regni Principibus, tum ob eximiam eius pulchritudinem, tum etiam fortassis ob multas eisdem gratias per ipsam à Dauide obtentas; siue aliqua alia eiusmodi de causa eidem Salomoni cognita: propterea iratus Rex non modò postulata non concessit, sed & ipsum Adoniam eodemmet die interfici mandauit. Quo mortuo, etiam in eius fautores animaduertere cœpit. & quidem à cæde Abiathar Sacerdotis abstinuit, quòd particeps fuisset laborum atque angustiarum Dauidis patris sui, quando persecutionem sustinebat à Saule, sed eiecit illum in Anathoth, ne ampliùs esset Sacerdos Domini in Ierusalem. Quod Scriptura sacra restatur euenisse, vt impleretur sermo Domini, quem locutus fuerat super domum Heli in Silo, 1. Reg. cap. 2. vers. 32. eò quòd non castigasset filios suos; quemadmodum nos sub anno mundi 2909. num. 1. diximus. Porrò Ioab, vt audiuit quòd Rex interfecisset Adoniam, & eiecisset Abiathar, & non ignoraret se quoque partes Adoniæ fuisse secutum, veritus quod erat, ne & ipse ad necem exquireretur; fugit ad Tabernaculum Domini, tenebatq; cornu Altaris. Verumtamen nec sic potuit euadere manum Regis, qui probè tenens, quòd Altare non prodesset iis

ABIATHAR DE PONTIFICATV DEPONITVR, ET EIICITVR.

IOAB INTERFICITVR.

qui

qui proximum de industria (vt apertè dicitur Exod. cap. 21. vers. 14.) occidissent, quemadmodum fecerat Ioab duobus Principibus, Abner & Amasæ; ibidem eum iussit occidi à Banaia filio Ioiadæ; quem constituit pro eo Rex super exercitum, hoc est Principem militiæ, quemadmodum erat ipse Ioab temporibus Dauidis. Pro Abiathar autem Sacerdote subrogauit Sadoc, quem vnxerunt in Pontificem, vt dicitur 1. Paralip. cap. 29. vers. 22. & a nobis suprà num. 8. dictum est. Memor quoque Rex Salomon mandati quod à patre acceperat, nimirum vt aliquam aucuparetur occasionem iustè occidendi filium Gera, nomine Semei, pro maledictione pessima olim Dauidi inusta; interdixit ei, pœna capitis apposita, ne ab vrbe exire trans torrentem Cedron ei proximum vmquam auderet: 3. Reg. cap. 2. vers. 13. vsque ad 39.

BANAIAS FIT PRINCEPS MILITIAE PRO IOAB.

SADOC FIT PONTIFEX PRO ABIATHAR.

SEMEI INTERDICITVR AB EGRESSV TRANS TORRENTEM CEDRON.

¶ 14. Sanè ex eo quod dictum est, Salomonem abstulisse Pontificatum Abiatharo, ac dedisse illum Sadoc, colligere licet, quòd tametsi 2. Reg. cap. 8. vers. 17. & 1. Paralip. cap. 18. vers. 16. Achimelech filius Abiathar, & Sadoc, dicantur fuisse Sacerdotes tempore Dauidis; & aliàs quoque non semel Sadoc eodem Dauide regnante vocetur Sacerdos; (quòd nomen frequenter pro summo Sacerdote seu Pontifice in Sacro eloquio vsurpari solet) non tamen inde inferendum est, quòd aut ipse Sadoc statim post occisum à Saule Achimelech successerit ei in Pontificatu, vt credidere Abulensis & Sigonius, quorum nos sententiam sub anno mundi 2974. num. 9. refutauimus: neque quòd posteà Abiathar aliquando ante hunc annum desierit esse summus Sacerdos; sed potius, quòd quemadmodum sub anno mundi 2900. num. 3. diximus de Heli, qui sine vllo supremæ auctoritatis suæ detrimento permittebat filios suos fungi officio summi Sacerdotis, ita ipse Abiathar prædictos duos, nempe Achimelech filium, cui legitimè debebatur successio, & Sadoc, tamquam Regi valdè acceptum, ob causam quæ traditur 1. Paralip. cap. 12. vers. 23. & 28. & qui proptereà à Rege præfectus fuerat Tabernaculo fœderis, quod tunc erat in Gabaon; & item tamquam primarium stirpis Eleazar, quæ magnum habebat ius in ea dignitate; assumpserit sibi quodammodò in sui ministerij socios seu collegas, retenta tamen sibi suprema auctoritate Pontificia; quam eidem posteà Abiatharo ac posteris eius, ex causa numero præcedenti allegata, abstulit Salomon Rex, deditque eam dicto Sadoc. Sed & illud hîc quoque notandum est, hoc esse primum translati Pontificatus exemplum, de Pontifice adhuc viuente in alterum: nihil enim tale vmquam priùs actum in sacra Scriptura legimus, quippe cùm aliàs hæc dignitas non nisi per mortem naturalem amitti soleret. Fallitur ergo Iosephus 15. Antiq. cap. 3. vbi ait, quòd *primus hanc legem violauit Antiochus Epiphanes, pro Iesu subrogato in hoc Sacerdotium fratre ipsius Onia. Secundò Aristobulus in Hircano fratre eum honorem in se transtulit. Tertius Herodes Aristobulum adolescentem viuo adhuc Pontifici successorem dedit.* sic ibi Iosephus: qui eò loci pro Iesu & Onia, procuIdubiò Iasonem & Menelaum intelligit, iuxta explicationem ab ipsomet anteà lib. 12. cap. 6. factam. Quòd si quis dixerit, Abiathar quidem propriam ob culpam, prædictos autem ex mera Regis voluntate Sacerdotio fuisse priuatos, & de eiusmodi Iosephum loqui: respondere possumus, multò maioris culpæ reum fuisse Iasonem quàm Abiathar, quoniam etsi ille quodammodò non videatur peccasse in Regem, peccauerat nihilominùs vel maximè in Deum, vt patet 2. Machab. cap. 4. vers. 10. & sequentibus. Sed vtcumque hoc sit, certè Iosephum ab errore nemo vindicare poterit in eo quod ibidem asserit, primum Pontificem de sua dignitate ab Antiocho depositum, fuisse memoratum Iasonem; cùm ex capite Machab. proximè citato luce meridiana clariùs constet, dictum Antiochum priùs iniquè sanctum Oniam Pontificatu spoliasse, dedisseque illum Iasoni; mox eumdem honorem ab Iasone sublatum Menelao adiudicasse. Sed non mirum est hunc Auctorem hîc lapsum esse; quippe qui non hîc solùm, sed aliàs quoque non rarò facilè à Sacro textu perperàm discedere non vereatur.

QVOD ABIATHAR ANTE MEMORATAM EIVS DEPOSITIONEM VERE FVERIT SVMMVS PONTIFEX.

PRIMVM TRANSLATI A VIVENTE PONTIFICATVS EXEMPLVM.

REFELLITVR IOSEPHVS.

15. Verùm ex quo iam de Sadoc Pontifice agere cœpimus, duo quæri hoc loco possunt. Primum, Quinam post ipsum Sadoc, vsque ad Babylonicam captiuitatem, successiuè Pontifices fuerint: nam de aliis qui post ipsam Pontifices extiterunt, infrà sub anno mundi 3517. num. 4. agendum erit. Alterum, quot annis dictus Sadoc & singuli eius posteri in Pontificatu vixerint. Et quidem hoc posterius neque ex Sacris libris, neque ex Iosepho alióve probato Scriptore explorare potuimus: nusquam enim de hac re vllum fieri verbum inuenimus. quò fit, vt non sicuti Regum, ita & Pontificum continuata per singulos ipsorum annos successio, in nostris Annalibus & tabulis deduci potuerit. Ad id verò quod primò quærebamus, sciendum est, quòd tametsi (vt aliàs diximus) 1. Paralip. cap. 6. vers. 4. vsque ad 15. recenseatur genealogia seu poste-

QVINAM SADOC IN PONTIFICATV SVCCESSERINT VSQVE AD BABYLONICAM CAPTIVITATEM, ET QVOT ANNIS SINGVLI PONTIFICATVM TENVERINT.

posteritas Eleazari filij Aaron, vsque ad Iosedec, qui posteà ductus fuit captiuus in Babylonem; non tamen inde inferri potest, omnia huius temporis Pontificum nomina in Scripturis sacris fuisse memorata: quandoquidem (vt sub anno mundi 2583. num. 6. probauimus) prædicto Paralipomenon loco recensiti, neque omnes, neque soli Pontificatum tenuisse creduntur. Nam & inter Sadoc & Iosedec (seclusis terminis) vndecim tantummodò numerantur: apud Iosephum autem, vt paulò pôst patebit, quindecim. Porrò in libris Reg. & Paralip. vbi res gestæ ab extructo Salomonis Templo, ad idem à Chaldæis incensum atque exterminatum, describuntur, nonnullorum dumtaxat Pontificum sparsim interruptoque ordine fit mentio. Traditur enim, quòd Salomone regnante Sadoc summus erat Sacerdos, quemadmodum num. 13. & 14. præcedentibus monstratum est; & non exprimitur quis ei proximè successerit, licet constet, ipsum duos filios habuisse, nempe Achimaan (vt dicitur 1. Paralip. cap. 6. vers. 8. & 2. Reg. cap. 11. vers. 19. 22. & 27.) & Azariam, 3. Reg. cap. 4. vers. 2. & probabile sit; quòd post dictum Sadoc Pontificatum gesserint, primò Achimaas, deinde Azarias, filij eius, vt numero sequenti ex Iosepho dicemus: non tamen, vt arbitror, ille Azarias, qui regnāte Asa memoratur 2. Paralip. cap. 15. vers. 1. tametsi tempora consonent; quia is non Sadoc, sed Obed filius ibidem fuisse perhibetur; & nequaquam Sacerdos, sed Propheta appellatur. Item Regis Iosaphat temporibus erat Sacerdos & Pontifex Amarias, vt apertè traditur 2. Paralip. cap. 19. vers. 11. qui quidem Amarias non videtur esse potuisse vllus ex iis duobus, qui in citata Eleazari genealogia recensentur 1. Paralip. cap. 6. vers. 7. & 11. nam primus fuit auus Sadoc, & consequenter videtur ad tempora potiùs Iudicum quàm Regum pertinuisse: alter verò, post tempora ponitur Oziæ Regis, quæ fuerunt longè posteriora temporibus regni Iosaphat. Regnantibus autem Athalia, ac deinde Ioa, Ioiadam fuisse Pontificem, sæpiùs repetitum inuenies 4. Reg. cap. 12. & 2. Paralip. cap. 23. cui posterioribus eiusdem regni Ioæ annis successit in Pontificatu Zacharias filius eius, vt colligitur ex ejusdem lib. Paralip. cap. 24. v. 20. & tamen neuter horū in dicta Eleazari genealogia recensetur. Porrò Oziæ Regis temporibus, præsertim verò posterioribus, Pontificatum tenebat Azarias, vt patet 2. Paralip. cap. 27. vers. 17. & 20. Regnante autem Achaz, Sacerdotio fungebatur Vrias ille, qui aliquoties memoratur 4. Reg. cap. 16. vers. 10. vsque ad finem capitis. & neque hic Vrias reperitur in prællegata Eleazari genealogia. At verò sub Ezechia Rege, Azarias Pontifex, & primus de stirpe Sadoc nominatur 2. Paralip. cap. 31. vers. 10. & 12. (intellige, non primus huius nominis qui exierit de stirpe Sadoc; sed primus, hoc est primogenitus dictæ stirpis, dum ipse viueret) vnde oportet istum fuisse diuersum ab illo Azaria, quem diximus nominari secundo loco inter filios Sadoc; & item (vt arbitror) ab eo, qui Pontificatum gerebat Ozia regnante; & multo magis ab eo, cujus fit mentio 1. Paralip. cap. 9. vers. 10. & dicitur filius Helciæ filij Mosollam filij Sadoc. Qui enim ibi recensentur, de captiuitate Babylonica redierant, vt docet Abulensis ibidem. Sub eodem Ezechia Rege, post dictum Azariam memoratur quidam Eliacim 4. Reg. cap. 18. vers. 18. & 37. & cap. 19. vers. 2. & Isaiæ cap. 36. vers. 3. & 22. & cap. 37. vers. 2. qui quoniam ibidem dicitur Præpositus domus, siue super domum, creditur à Lyrano & aliis fuisse Præpositus domus Domini, & consequenter summus Sacerdos: verumtamen nos sub anno mundi 3322. num. 5. cum Abulense probabimus eumdem Eliacim non fuisse Sacerdotem, sed laicum, & domus regiæ Præpositum. Quamquam & eodem Ezechia regnante credimus post memoratum Azariam extitisse alium Pontificem nomine Sobna: illum scilicet, contra quem prophetat Isaias cap. 22. vers. 15. vsque ad finem capitis. Sunt etiam qui putant, temporibus Manasse Regis Pontificem fuisse illum Eliacim, quem Isaias capite proximè citato vers. 20. prædicit loco Sobnæ in Pontificatu fore collocandum. Et ij duo quoque, Sobna videlicet & Eliacim, in Eleazari genealogia iam sæpiùs allegata minimè reperiuntur. Iosiæ verò Regis tempore Helciam fuisse Pontificem, apertè ac frequenter replicatur 4. Regum cap. 22. & 23. & 2. Paralip. cap. 24. Denique sub Sedecia Rege fit mentio Saraiæ primi Sacerdotis 4. Reg. cap. vlt. vers. 18. & Ierem. cap. pariter vlt. vers. 24. nam Sophonias filius Maasiæ, qui apud Ierem. cap. 29. vers. 25. 26. & 29. videtur eisdem temporibus fuisse Pontifex, reuerà non Sacerdos primus fuit, sed post Saraiam secundus; quemadmodum in postremis 4. Reg. & Ierem. capitibus versibusque proximè citatis manifestè traditur. Ceterùm de Phassur Sacerdote filio Emmer, qui Ieremiam vinxit in carcerem, vt ipsemet cap. Prophetiæ suæ 20. testatur, quidnam sentiendum sit, nos sub anno mundi 3439. num. 2. dicemus. Isti ergo sunt Iudæorum Pontifices, quos ceteris inter-

PONTIFICES A SADOC AD BABYLONICAM CAPTIVITATEM IN SACRIS PAGINIS MEMORATI.

intermediis prætermissis Sacræ paginæ nominatim recolunt, & intra memorata tempora extitisse produnt.

AVCTORVM VARIETAS IN HISCE PONTIFICIBVS RECENSENDIS.

16. Ceteri verò Scriptores, nimirum Iosephus 10. Antiq. cap. 11. aliquantò post initium, & B. Nicephorus Ecclesiasticæ Historiæ lib. 2. cap. 4. & Auctor Glossæ ordinariæ super cap. 3. lib. 2. Machab. & Abulensis super c. 6. lib. 1. Paralip. & Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, & alij, in recensendis hisce Pontificibus varij admodum sunt, & non solùm inter se discrepant, verumetiam ab his quæ de eisdem Pontificibus sacra Scriptura in Reg. Paralipomenonque libris tradit, non parum dissentire videntur, vt cuiuis eorum scripta accuratè conferenti facilè constare poterit. Verumenimverò, nullus est, vt arbitror, cui hac in re magis tutiúsve credi posse videatur, quàm vni Iosepho, vtpote qui & Iudæus, & de stirpe Sacerdotali, & antiquitatum Hebraicarum studiosissimus omniumque peritissimus, & multò quàm ceteri huius generis Scriptores, antiquior fuerit. Is itaque loco citato sic ait: *Ergo primus omnium in templo recèns à Salomone extructo Pontifex fuit Sadocus, cui filius Achimaas successit, post Achimaam Azarias, & post hunc Ioramus, post Ioramum Isus, & deinceps Axioramus, Phideas, Sudeas, Iulus, Iothamus, Vrias, Nerias, Odeas, Saldumus, Elcias, Sareas, Iosadocus, qui captiuus Babylonem ductus est. Hi omnes, quasi per manus traditum Sacerdotium, filij parentum successores acceperunt, continuata generis serie.* hæc Iosephus. Cur autem Pontificum successio quam ponit Iosephus, tantopere differat ab ea quæ in Sacro eloquio reperitur, non tam in ipsorum numero, quàm etiam in nominibus: dicimus, quod quidem spectat ad nomina, duo potissimùm in causa esse potuisse. Alterum, quia fortè quidam ipsorum fuerint binomines, & altero eos Iosephus, altero Scriptura sacra nuncupauerit. Proptereà non desunt qui putant, quòd quem Auctor 2. Paralip. cap. 19. vers. 11. appellat Amariam, Iosephus vbi suprà vocet Ioramum, aut Isum; & quos Scriptura 4. Reg. cap. 12: & 2. Paralip. c. 23. nominat Ioiadam, & cap. 24. Zachariam, Iosephus Sudeam & Iulum dixerit. Et item duos Azarias, primum qui restitit Oziæ Regi incensum adolere tentanti, & alterum qui sub Ezechia Rege 2. Paralip. cap. 31. vers. 12. memoratur; primum quidem vocauerit Ioathamum, alterum verò Neriam; & denique Sobnam atque Eliacim, Isai. cap. 22. vers. 15. & 20. commemoratos, Odeæ & Saldumi vocabulis significauerit. Altera causa est, quia ex quo Iudæi Græcis, hoc est Ægypti Syriæque Regibus ac Alexandri Magni successoribus subditi esse cœperunt, paulatim ad Græca vocabula declinare assueuerunt, plurima ipsorum propria cum illis vel quoquomodò commiscentes, vel omnino commutantes; quemadmodum apertè testatur Iosephus 12. Antiq. cap. 6. de Iesu, qui se Iasonem vocari maluit; & de Onia, qui Menelaus dici voluit. Qui mos subsequentibus posteà temporibus magis inualuisse creditur, ita vt non hominum dumtaxat, sed vrbium quoque plurima nomina immutata fuerint: siquidem certum est, quòd quæ priùs Sichem, posteà Napolis dicta est; & quæ Bethsan, Scythopolis; & quæ Lydda, Dispolis; & eiusmodi aliæ aliis vocabulis sunt appellatæ. Similiter credendum est accidisse Iudæis, quando sub Romanorum Imperio redacti sunt; quòd scilicet interdum nomina sua Latinis nominibus aliquatenus, præsertim in eorum desinentiis, assimilare studerent: dicentes verbi gratia pro Ioram, Ioramum; pro Sellum, Seldumum; pro Saraia, Saream; pro Iosedec, Iosadocum; & sic de aliis. Quid igitur mirum est, si Iosephus in recensendis Pontificum nominibus, eadem, vt suo tempore in vsu erant, protulit? nimirum quædam Græcè, quædam Hebraicè, & nonnihil Latini redolentia? Quod verò attinet ad differentiam numeri Pontificum qui in Scriptura sacra & apud Iosephum recensiti inueniuntur, dicimus eam quoque duplici alia de causa oriri potuisse. Vel quia fortè Iosephus inter summos Sacerdotes, quosdam quandoque computauerit, qui tametsi non essent summi, aliquando tamen pro summis supplebant, eorum officio fungentes. Vel quoniam Scriptura sacra illorum dumtaxat meminerit, qui continuata primogenitorum successione Pontificatū tenuerunt: Iosephus autem eos quoque recensuerit, qui licet primogeniti non essent, Pontifices tamen fuerunt, quemadmodum accidere solebat, quando primogenito absque liberis defuncto, frater eius, vel etiam quandoque fratres eius, vnus post alterum in Pontificatu succedebant. Sed iam tempus est, vt ad institutam historiam narratio nostra recurrere debeat.

CVR DIFFERAT IOSEPHVS A SCRIPTVRA SACRA IN PONTIFICVM NOMINIBVS RECENSENDIS.

CVR IN EORVNDEM NVMERO.

LEGATIONES ET CONVENTA INTER SALOMONEM ET HIRAM TYRI REGEM.

17. Per idem tempus, hoc est circa initia regni sui, necesse est fateri missam fuisse Salomoni ab Hiram Rege Tyri legationem illam congratulatoriá, cuius, licet subobscurè & per recapitulationem fit mentio 3. Reg. cap. 5. vers. 1. & clariùs à Iosepho explicatur 8. Antiq cap. 2. Siquidem credibile est, Regem Tyri, vtpote Israelitis regione proximum, celeriter audiuisse de Salomone, quòd non solùm vnctus Rex, verumetiam

æmulo

æmulo eiusque sequacibus occisis, iam in regno patris confirmatus esset; & propterea non multùm distulisse dictam transmittete legationem: alioqui non videtetur fuisse opportuna. Crediderim quoque, iam ex tunc, vel non multò pòst, fieri cœpisse ea omnia quæ narrantur in toto cap. proximè citato,& ferè eadem sunt cum his quæ traduntur 1.Paralip.cap.2.per totum. Et primò quidem,prædictæ legationis occasione,oportet memoratos Reges inuicem fœdus percussisse, ac obfirmasse pacem & amicitiam quæ fuerat inter dictum Hiram & Dauidem: ac deinde Salomonem, cùm decreuisset fabricare domum Domino, & palatium sibi, postulasse ab Hiram Rege Tyri cedros, & alia de monte Libano ligna, abiegna, pineaque, & eiusmodi alia, ad fabricas tam grandes opportuna; conuenisseque cum ipso, vt Rex Tyri curaret cædi diuersi generis ligna de Libano, ac perduci ad mare Mediterraneum,ibique in ratibus componi,& in Ioppen aduehi: Salomon autem curaret ea inde transferri in Ierusalem,daretque Tyrio Regi in cibum domui suæ, hoc est seruis qui cædebant ligna, tritici coros viginti millia, & hordei totidem,& vini metretas viginti millia,& olei sata pariter viginti millia, per singulos annos, intellige donec explerentur fabricæ. Petiit quoque Salomon à Rege Tyri, vt mitteret sibi virum gnarum & eruditum in cunctis artibus atque operibus auri atque argenti,æris & ferri, lignorum quoque & marmoris, nec non purpuræ, hyacinthi,byssi,& coccini, quique in omnibus cælaturis, aliisque eiusmodi pulchetrimis operum adinuentionibus valdè esset peritus & excellens. & misit ei Rex Tyri, Hiram patrem suum,hoc est,virum eiusdem quo Rex nominis,quem ob ętatem eminentemque prædictarum artium scientiam apud se habebat, honorabatque tamquam patrem. Erat autem iste Hiram, de patre quidem Tyrio natus, sed de matre Hebræa vidua, cuius parentes fuerant, alter de tribu Nephthali, altet de tribu Dan, vt colligitur ex 3.Reg.cap.7.vers.14.& 2.Paralip. cap.2. vers.14. & sic possunt duo ista loca conciliari.& hic erat in omnibus prædictis artibus omnium sui temporis excellentissimus. Iussit insuper Salomon in toto Israele cogi triginta millia operariorum, ex quibus vicissim singulis mensibus decem millia irent cum seruis Hiram Regis Tyri ad cædenda ligna de Libano. Et prætereà mandauit denuò, post dinumerationem à patre suo factam, recenseri proselytos in toto Israele existentes, qui inuenti sunt centum quinquaginta tria millia & sexcenti; quorum octoginta millia deputata sunt, vt cæderent lapides grandes in montibus; & septuaginta millia, vt portarent onera, hoc est,eosdem lapides de montibus, & ligna de Ioppen in Ierusalem; reliqui verò ter mille & sexcenti, præfecti sunt operibus. Atque omnis iste apparatus, sicuti videtur fieri cœpisse hoc anno primo regni Salomonis, vt dictum est; ita oportet quòd posteà continuauerit vsque ferè ad consummationem fabricarum, hoc est per annos viginti, quemadmodum colligi potest 3.Reg.cap.9. vers.10. & 11.

DE OPERARIIS A SALOMONE PRO TEMPLI FABRICA INDICTIS.

ADAD CVR DE AEGYPTO REDIERIT IN IDVMAEAM TERRAM PATRVM SVORVM.

18. Eodem circiter anno regni Salomonis primo, Adad de semine Idumæorum regio, qui (vt sub anno mundi 2992. num.2. dictum est) quando Ioab percutiebat Idumæos, transfugerat ad Pharaonem in Ægyptum; audita (quemadmodum dicitur 3.Reg.cap.11.vers.21.) morte Dauidis & Ioab, petiit obtinuitque à Pharaone licentiam redeundi in patriam suam, sperans se posse recuperare regnum patrum suorum, hoc est ipsam Idumæam, quam Dauid & Ioab subegerant Israeli: verumtamen quòd ipse Adad,propter Salomonis potentiam,nihil attentare ausus fuerit,præsertim quamdiu Salomon in veri Dei cultu permansit,manifestum est;nam 3.Reg. cap.5.vers.4. de seipso dicit Salomon: *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non est satan*, hoc est aduersarius, *neque occursus malus*.& cap.4.vers.24.de eodem Salomone dicitur,quòd *habebat pacem ex omni parte in circuitu, habitabatq́; Iuda & Israel absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee,cunctis diebus Salomonis*. intellige, quibus verum Deum coluit. Ex quibus omnibus apertè infertur, ipsum Adad venisse quidem hoc anno ad suos, animo sollicitandi Idumæos,vt ab Israelitis deficientes ad se redirent; sed non ausum fuisse tunc id facere, præsertim cùm non multò pòst audiuerit, Salomonem duxisse filiam Pharaonis in vxorem; & proptereà distulisse consilium suum exequi, vsque ad postrema eiusdem Salomonis tempora, quemadmodum sub anno mundi 3058.num.1.dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3021. QVARTAE MVNDI ÆTAT. ANNVS 478.

1 ANNO regni Salomonis secundo, (vt ex Sacro narrationis ordine, à quo sine vrgenti causa, quæ hîc non apparet, recedendum non est, coniici posse videtur,) nimirum inter occisionem Adoniæ ac Ioab, eiectionemque Abiathar, primo anno factam; & profectionem Regis in Gabaon, quam anno tertio accidisse, sub anno insequenti probabimus: Salomon, confirmato iam regno suo per mortem eiectionemque inimicorum suorum, duxit filiam Pharaonis Regis Ægypti in vxorem; & adduxit eam in ciuitatem Dauid, hoc est in arcem Sion, donec ædificaret domum suam, & Domum Domini, & murum in circuitu Ierusalem: 3. Reg. cap. 3. vers. 1. Vbi Abulensis quæst. 1. ait, quòd hæc fuit prima vxor quam duxit Salomon ex quo factus est Rex, & propterea eam posteà semper præ ceteris honorauit, vt videtur colligere ex illis verbis Cantic. cap. 6. vers. 7. *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea.* & post pauca: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ, & laudauerũt eam.* Non est autem credendum, quòd post occisos Adoniam & Ioab hostes suos primarios, multùm distulerit Salomon ducere hanc vxorem; nimirum, vt adhuc magis firmaret regnum suum, nec tam facile esset finitimis populis insurgere contra ipsum, scientes quòd affinitate iunctus esset Pharaoni, qui & ipse erat Rex valdè potens: & per hoc comprobari potest, quod suprà dictum est, videlicet, Salomonem hoc circiter anno prædictã duxisse vxorem; cui etiam dedit Pharao in dotem Gazer, vrbem tribus Ephraim, de qua dicitur Iosue cap. 16. in fine: *Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitauitq; Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius.* Porrò hanc vrbem posteà cepit Pharao & succendit, interfecto Chananæo, deditque eam in dotem filiæ suæ vxori Salomonis, vt dicitur 3. Reg. cap. 9. vers. 16.

SALOMON DVCIT FILIAM PHARAONIS VXOREM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3022. QVARTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 479.

1 ANNO regni sui tertio, vt numero proximo probabitur, Salomon rebus imperij sui iam satis firmiter stabilitis, videns quòd Deus esset cum eo, & prosperaret ac magnificaret eum valdè, vt pro his debitas gratiarum actiones Domino rependeret, congregato vniuerso Israele, nimirum Tribunis, Centurionibus, Ducibus, Iudicibus, ac Principibus familiarum, abiit cum eis in excelsum Gabaon, vbi tunc erat Tabernaculum fœderis & Altare æneum, quæ olim fabricauerat Beseleel, iubente Moyse, in deserto; & solemniter obtulit ibi Salomon mille hostias. Et ecce in ipsa nocte, quæ post oblatas victimas subsecuta est, per somnium apparuit illi Dominus, præcepitque ei, vt postularet ab eo quæcumque vellet: cui Salomon, considerans magnitudinem regni quod dederat ei Dominus, & multitudinẽ subditorum, nihil aliud petiit, nisi vt ex quo subiecerat sibi populum pænè infinitum, daret quoque sapientiam & prudentiam talem, qua rectè & conuenienter posset eum regere ac iudicare. Tantopere igitur placuit in oculis Domini hæc Salomonis sancta petitio, vt dederit ei cor sapiens & intelligens, quale nullus ante eum habuerat, aut habiturus esset. Sed & diuitias & gloriam dedit ei supra omnes Reges Israel qui eum præcesserant, aut post ipsum fuerint. Et insuper promisit ei valdè diuturnam vitam; si tamen ita obseruasset præcepta Domini, quemadmodum fecerat Dauid pater eius. Expergefactus ergo Salomon, Dei gratia cognouit quòd illud somnium non esset vanum aut illusorium, qualia esse solent quæ interdum à diabolo, opera Dei nequiter imitante ac subuertente, excitantur, vt incautos decipiat; sed missum sibi fuerat à Deo, qui, vt dicitur Iob cap. 33. vers. 15. *per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina*, &c. Cùm verò rediisset Salomon in Ierusalem, obtulit ibi quoque pro gratiarum actione Deo holocausta & victimas coram Arca fœderis Domini, quam reduxerat Dauid de Cariathiarim, vt sub anno mundi 2990. num. 3. dictum est, & fecit grande conuiuium vniuersis famulis suis, nimirum his qui ipsum comitati fuerant euntem ac redeuntem de Gabaon. Hæc latiùs tradita inuenies 3. Reg. cap. 3. vers. 4. vsque ad 16. & 2. Paralip. cap. 1. vers. 1. vsque ad 14.

SALOMON SACRIFICAT DOMINO IN GABAON.

PETIT OBTINETQVE A DOMINO SAPIENTIAM.

PROBANTVR PRAEDICTA IN GABAON ACTA CONTIGISSE ANNO REGNI SALOMONIS TERTIO.

2. Dixi prædicta contigisse anno regni Salomonis tertio, quod etiam sentit Abulensis super 2. Paralip. cap. 1. quæst. 2. quamuis id rectè non probet: ait enim, profectionem Salomonis in Gabaoo factam esse post occisum Semei; eo motus argumẽto, quòd tam loco citato quàm 3. Reg. cap. 3. dicatur Salomon abiisse in Gabaon, quando iam confirmatus erat in regno; *& tunc propriè* (inquit) *dicebatur confirmatus in regno, quando interfecit omnes inimicos suos, inter quos etiam erat Semei: ergo*, &c. Deinde sic arguit: Semei occisus est triennio post initium regni Salomonis; ergo in fine anni tertij, vel circa initia quarti ipsius Salomonis. Sed mihi profectò probabilius videtur dicendum, quòd tunc verè Salomon dici poterat confirmatus in regno, quando occidit Adoniam & Ioab, & expulit à se Abiathar: isti enim erant viri admodum potentes; & quia cor eorum non erat cum Salomone, non poterat satis firmum esse regnum eius, nisi posteaquam illi de medio sublati sunt. At Semei nusquam legitur quòd secutus fuerit partes Adoniæ, neque quòd vllatenus aduersatus fuerit Salomoni; sed nec erat vir tantæ auctoritatis in populo, vt posset turbare regnum Salomonis; & certum est, ipsum non ob tale quid, sed tantummodò propter iniuriam olim Dauidi irrogatam iussum fuisse interfici. Præterea si Salomon profectus est in Gabaon antequam cœpisset fabricare Templum, vt ex ipsa Sacri textus serie manifestum est, & ipsemet concedit Abulensis; proculdubiò fit consequens, id accidisse aote necem Semei. Nam siue supputemus annos regni Salomonis à prima, siue à secunda eius vnctiooe, oportet ipsum Semei occisum fuisse post iam inchoatam Templi fabricam. Ad quod probandum, primò supponimus duo quæ certissima suot, oec in dubium vocari possunt. Alterum est, interitum Semei accidisse post tres annos, noo (vt putat Abulensis) ex quo cœperat regnare Salomon, sed ex quo ipse Salomon interdixerat illi exitum de Ierusalem. Alterum, quòd ista interdictio noo fuit facta nisi post obitum Dauidis, quando iam aliquot diebus antè Salomoo vnctus secundò fuerat in Regem. Deinde dicimus, Salomonem post obitum patris, integrum saltem mensem cum vniuerso Israele traduxisse in celebrando luctu eius, quemadmodum sub anno mundi 3020. num. 11. dictum est: quo expleto, non statim, vt est verisimile, sed post aliquot dies Adoniam induxisse matrem Salomonis, vt postularet à Rege dari sibi Abisag in vxorem, & propterea fuisse interfectum; & posteà Salomonem expulisse Abiatharum, ac iussisse occidi Ioab; & denique ex hac occasione recordatum præcepti paterni de puniendo Semeo, præcepisse ei, nimirum circa medietatem secundi mensis ab obitu Dauidis, ne exiret de Ierusalem; alioqui sciret se moriturum. Cùm igitur post tres annos ab hoc præcepto, vt dicitur 3. Reg. cap. 2. vers. 39. transfugerint serui Semei ad Achis Regẽ Geth, & vbi hoc audiuit Semei, ipse profectus sit in Geth, ac inde reduxerit seruos suos in Ierusalem, & post hæc delatus ad Regem Salomonem, iussus sit interfici: profectò apparet, necem Semei oon potuisse contingere, nisi quindecim circiter diebus post elapsos prædictos tres annos; & consequenter, si supputarentur anni regni Salomonis à secunda eius vnctiooe, oporteret Semei fuisse occisum mense octauo anni quarti, & consequenter aliquanto post inchoatam Templi fabricam. Nam si à secunda vnctione Salomonis ad mortem Dauidis fluxerunt aliquot dies, puta octo vel decem; & à morte Dauidis ad dictum præceptum mensis vnus cum dimidio; & post tres ab hoc præcepto annos contigit fuga seruorum Semei, & post quindecim circiter dies idem Semei occisus fuit, vtique oportet eius necem contigisse mense tertio iam per aliquot dies iochoato anni quarti regni Salomonis. Si verò anni eiusdem Salomonis supputentur à prima eius vnctione, quæ sex ferè mensibus præcessit secundam (quemadmodum supputandos esse iam nos sub anno mundi & numero proximè citatis probauimus) numera meoses sex à prima Salomonis vnctione ad obitum Dauidis, & inde mensem cum dimidio vsque ad præceptum factum Semeo, & annos tres ad fugam seruorum eius, & dies circiter quindecim ad necem ipsius, & inuenies interitum Semei incidisse anno regni Salomonis quarto, sub finem mensis octaui aut circa initia nooi, & per consequens adhuc multò post initium dictæ fabricæ. Insuper cùm certum sit, vt expressè traditur 3. Reg. cap. 6. vers. 1. & 2. Paralipom. cap. 3. vers. 2. Salomonem cœpisse Templi ædificium anno regni sui quarto, mense secundo; etiã si coocederemus Semei fuisse occisum circa medietatem eiusdem mensis, non videretur Salomon potuisse post interitum Semei ire cum toto Israele in Gabaon, & celebrare ibi sacrificia sollemnissima, ac inde cum eodem comitatu redire in Ierusalem, aliaque ibidem sacrificia & conuiuia facere, & posteà eodem quoque mense Templi fabricam inchoare; præsertim cùm post prædicta conuiuia videatur Salomon quædam alia gessisse, vt paulò pòst dicemus, quæ aliquam etiam moram inter memorata cooiuia & Templi

Templi fabricam intercessisse arguunt. Ex his ergo omnibus patere iam posse arbitror, prædictam Salomonis profectionem in Gabaon factam esse ante occisum Semei, non autem post; & propterea potius sub anno regni Salomonis tertio quàm sub quarto esse ponendam: tunc enim iam satis confirmatus erat in regno, quia non solùm sustulerat inimicos suos, sed etiam affinitatem cum Pharaone potentissimo Rege iam contraxerat, vt dictum est.

3. Eodem anno regni sui tertio, Salomon reuersus in Ierusalem, post sacrificia & conuiuia superiùs memorata, cœpit edere signa sapientiæ sibi à Deo traditæ admirabilia. Et primò quidem, cùm quadam die vacaret publicæ populi audientiæ, ecce duæ mulieres meretrices, quarum vna infantem suum dormiens oppresserat, & mortuum cum alterius infante viuo clàm commutauerat, contendere cœperunt coram Rege; vtraque affirmante, infantem viuum esse filium suum: neque vlla conueniens probatio magis pro vna quàm pro altera parte adduci poterat; quia solæ in vna eademque domo ambæ pepererant. In hoc tam obscuro atque ancipiti iudicio, prudentissimus Rex, cunctis qui aderant cæcutientibus, & quid in tali casu fieri posset ignorãtibus, iubet adferri gladium, & diuidi infantem viuum, & vtrique medietatem dari; non sine tacita astantium irrisione: verumtamen cùm diligentius obseruasset Rex mulieres, & alteram quidem sententiæ libenter annuisse, alteram verò econtrariò valdè commotam videret, ac protestantem malle se filio suo viuo, quàm filium suum vita priuari; statim cognouit eam esse veram pueri viuentis matrem, eidemque ipsum dari imperauit: obstupescentibus omnibus & commendantibus tantam in Rege suo iuniore prudentiam. quæ res confestim in omni Israele diuulgata, fecit vt omnes deinceps timerent Regem, videntes sapientiam Dei in eo esse, ad faciendum iudicium: 3. Reg. cap. 3. vers. *16.* vsque ad finem. Cœpit deinde Salomon congregare sibi currus & equites pænè innumerabiles, & argentum atque aurum, quasi lapides in viis existentes; & cedrorum copiam, ac si essent veluti sycomori, quæ ibidem passim nascuntur in campestribus; aliaque multa insignia ac generosi admodum cordis indicia facere, cum magna tum subditorum suorum, tum etiam exterorum admiratione, vt locis opportunioribus in sequenti Orbis ætate dicemus.

SALOMON OSTENDIT SAPIENTIAM SVAM IN SVBDITORVM CAVSIS DIIVDICANDIS.

4. Ceterùm, quoniam hîc desinit Quarta mundi ætas, de cuius annorum summa non eadem est omnium sententia, breuiter hoc loco, iuxta pollicitationem nostram in Operis Præfatione præmissam, tangendæ sunt causæ huius diuersitatis inter Auctores, qui de gestis horum temporum scripserunt. Sunt autem, si benè recolo, præcipuæ tantummodò duæ: Altera est, quia variæ repetiuntur de tempore seu duratione Ducatus Iosue opiniones, vt nos sub anno mundi 2591. num. 10. differuimus. Altera, quoniam nonnulli existimant annos in libro Iudicum notatos Interregnorum & seruitutum, quæ frequenter illis temporibus acciderunt, non esse computandos in annis ipsorum Iudicum, sed ipsis potiùs superaddendos; & propterea ab introitu Israelis in Terram promissionis, vsque ad iacta Templi Salomonis fundamenta, numerant annos quingentos nonaginta & vnum. Nos verò secuti textum Scripturæ sacræ expressum 3. Reg. cap. *6.* vers. 1. ponimus tantummodò annos quadringentos octoginta: cuius rei rationes fusiùs sub anno mundi proximè adducto, à num. 10. vsque ad 16. inclusiuè adduximus.

CVR AVCTORES DE SVMMA ANNORVM MVIVS MVNDI AETATIS NON CONVENIANT.







TABVLÆ

Computationis & concursus annorum [illegible]-tæ Ducatuúmque Procerum, & Ærarum quartæ Mundi ætatis.

	ANNI									
	Ab orbe condito.	Adiluuio	Monarchiæ Assyriorum.	Vitæ Iob.	Vitæ Mariæ sororis Moysi.	Vitæ Aaronis.	Vitæ Moysi.	Vitæ Iosue.	Regni Cecropis.	Vitæ Caleb.
Moyses educit populum de Ægypto inch. anno	2544	888	529	216	88	84	81	61	47	39
Erigit Tabernaculum inch. an. & desinente, Iob moritur.	2545	889	530	217	89	85	82	62	48	40
Iduinæi ab Amorrhæis de propriis sedibus pelluntur an.	2546	890	531		90	86	83	63	49	41
Cecrops primus Atheniensium Rex moritur sub finē anni	2547	891	532		91	87	84	64	50	42
Atheo.s prima Areopagi institutio anno Post annos 23.	2548 23	892 23	533 23		92 23	88 23	85 23	65 23		43 23
Naasson genuit Salmon anno Post annos 4.	2571 4	915 4	556 4		115 4	111 4	108 4	88 4		66 4
Ascadas Rex Assyriorum moritur in fine anni	2575	919	560		119	115	112	92		70
Amyntas regnat in Assyria inchoante anno Post annos 6.	2576 6	920 6	561 6		120 6	116 6	113 6	93 6		71 6
Israëlitæ faciunt 32. mansionem in Asiongaber anno	2582	926	567		126	122	119	99		77
Veniunt in Cades. Maria, Aaron, & Moyses moriūtur an.	2583	927	568		127	123	120	100		78
Iosue Dux introducit populū in Terrā promissā, inch. an. Post annos 5.	2584 5	928 5	569 5					101 5		79 5
Iosephi ossa in Sichem sepeliuntur anno	2589	933	574					106		84
Prima terræ diuisio, & 1. annus Sabbaticus anno	2590	934	575					107		85
Tabernaculū transfertur in Silo. Terræ diuisio absoluitur. Post annos 2.	2591 2	935 2	576 2					108 2		86 2
Iosue moritur in fine anni	2593	937	578					110		88
Interregnum sub regimine seniorum inch. anno Post annos 7.	2594 7	938 7	579 7							89
Cœperunt computari anni Ducatus Othonielis. Post annos 15.	2601 15	945 15	586 15							
Corinthus creditur condita anno Post annos 4.	2616 4	960 4	601 4							
Amyntas Rex Assyriorum moritur sub finem anni	2620	964	605							
Regnat Belothus in Assyria inch. anno Post annos 12.	2621 12	965 12	606 12							
Annus Iubilei primi. Post annos 7.	2633 7	977 7	618 7							
Othoniel moritur in fine anni	2640	984	625							
Incipiunt an. qui tribuuntur Ducatui Aod anno Post annos 4.	2641 4	985 4	626 4							
Belothus Rex Assyriorum moritur sub finem anni	2645	989	630							
Bellepares in Assyria regnat inch. anno Post annos 19.	2646 19	990 19	631 19							
Salmon genuit Booz de Rahab anno Post annos 10.	2665 10	1009 10	650 10							
Bellepares Rex Assyriorum moritur sub finem anni	2675	1019	660							
Lamprides regnat in Assyria inch. anno Post annos 7.	2676 7	1020 7	661 7							

Vitæ

ANNI																		
Vitæ Naasson.	Regni Ascadæ Regis Assyriorũ.	Ducatus Moysi.	Ab exitu Israëlis de Ægypto.	Sacerdotij Aaronis.	Vitæ Salmon	Regni Amynthæ in Assyria.	Sacerdotij Eleazari.	Ducatus Iosue.	Ab introitu Israel in Terram promissionis.	Regiminis Seniorum.	Ducatus Othonielis.	Regni Belochi in Assyria.	Ducatus Aod.	Regni Belleparis in Assyria.	Vitæ Booz	Regni Lampridis in Assyria.	Sabbatici.	Iubilæorum.
31	9	1	1															
32	10	2	2	1														
33	11	3	3	2														
34	12	4	4	3														
35 23	13 23	5 23	5 23	4 23														
58	36 4	28 4	28 4	27 4	1 4													
	40	32	32	31	5													
		33 6	33 6	32 6	6 6	1 6												
		39	39	38	12	7												
		40	40	39	13	8	1											
			41 5		14 5	9 5	2 5	1 5	1 5									
			46		19	14	7	6	6									
			47		20	15	8	7	7								1	
			48 2		21 2	16 2	9 2	8 2	8 2									
			50		23	18	11	10	10									
			51 7		24 7	19 7	12		11 7	1 7								
			58 15		31 15	26 15			18 15	8	1 15							
			73 4		46 4	41 4			33 4		16 4							
			77		50	45			37		20							
			78 12		51 12				38 12		21 12	1 12						
			90 7		63 7				50 7		33 7	13 7						1
			97		70				57		40	20						
			98 4		71 4				58 4			21 4	1 4					
			102		75				62			25	5					
			103 19		76 19				63 19				6 19	1 19			9	
			122 10		95 Quo vero anno superuixerit Salmon, incertum est.				82 10				25 10	20 10	1 10			
			132						92				35	30	11			
			133 7						93 7				36 7		12 7	1 7		

ANNI	Ab orbe condito.	A diluuio.	Monarchiæ Aſſyriorum.	Ab exitu Iſraelis de Ægypto.	Ab introitu Iſrael in Terram promiſſionis	Ducatus Aod.
Annus Iubilei ſecundi. Poſt annos 24.	2683 24	1027 24	668 24	140 24	100 24	43 24
Lamprides Rex Aſſyriorum moritur in fine anni	2707	1051	692	164	124	67
Soſares regnat in Aſſyria inchoante an. Poſt annos 12.	2708 12	1052 12	693 12	165 12	125 12	68 12
Obiit Aod circa initia, & Samgar in fine anni	2720	1064	705	177	137	80
Incipiunt an. attributi Præfecturæ Debboræ & Barac.	2721	1065	706	178	138	
Ianus 1. Italiæ Rex, regnare cœpiſſe creditur an. Poſt annos 5.	2722 5	1066 5	707 5	179 5	139 5	
Soſares Aſſyriorum Rex obiit deſinente an.	2727	1071	712	184	144	
Lampares regnat in Aſſyria inchoante an. Poſt annos 5. incidit	2728 5	1072 5	713 5	185 5	145 5	
Annus Iubilei tertij. Poſt annos 15.	2733 15	1077 15	718 15	190 15	150 15	
Incipit hiſtoria libri Ruth an. Poſt annos 9.	2748 9	1092 9	733 9	205 9	165 9	
Lampares Rex Aſſyriorum moritur ſub finem anni	2757	1101	742	214	174	
Pannias regnat ſuper Aſſyrios inchoante an.	2758	1102	743	215	175	
Noëmi cum nuru Ruth redit in Bethleem inchoante an. & ſub finem an. Booz genuit Obed ex Ruth.	2759	1103	744	216	176	
Concurrit ferè totus cum an. 1. vitæ Obed: & Debbora & Barac moriuntur in fine anni	2760	1104	745	217	177	
Incipiunt anni Principatui Gedeonis attributi. Poſt annos 22.	2761 22	1105 22	746 22	218 22	178 22	
Annus Iubilei quarti. Poſt annos 17.	2783 17	1127 17	768 17	240 17	200 17	
Gedeon mortuus eſt in fine anni	2800	1144	785	257	217	
Abimelech fit Dux populi Iſraël inchoante an.	2801	1145	786	258	218	
Pannias Aſſyriorum Rex obiit in fine anni	2802	1146	787	259	219	
Soſarmus regnat in Aſſyria inchoante an. & Abimelech moritur in Iſraël ſub finem anni	2803	1147	788	260	220	
Thola fit Dux in Iſraël inchoante an. Poſt annos 17.	2804 17	1148 17	789 17	261 17	221 17	
Soſarmus Rex Aſſyriorum moritur in fine anni	2821	1165	806	278	238	
Mitreus regnat in Aſſyria inchoante an. Poſt annos 4.	2822 4	1166 4	807 4	279 4	239 4	
Thola Iſraëlitarum Dux moritur in fine anni	2826	1170	811	283	243	
Iair iudicat Iſraelem inchoante an. Poſt annos 4.	2827 4	1171 4	812 4	284 4	244 4	
Iſrael traditur in manus Philiſthinorum an. Poſt annos 2.	2831 2	1175 2	816 2	288 2	248 2	
Annus Iubilei quinti. Poſt annos 9.	2833 9	1177 9	818 9	290 9	250 9	
Heli naſcitur circa initia an. Poſt annos 6.	2842 6	1186 6	827 6	299 6	259 6	
Mitreus Rex Aſſyriorum, & Iair Dux Hebr. decedunt in fine anni	2848	1192	833	305	265	

Vitæ

ANNI

Vitæ Booz	Regni Lampridis in Assyria.	Regni Sosaris in Assyria.	Ducatus Debboræ & Barac.	Regni Lamparis in Assyria.	Regni Panniæ in Assyria.	Vitæ Obed	Ducatus Gedeonis.	Ducatus Abimelech.	Regni Sosarmi in Assyria.	Ducatus Tholæ.	Regni Mitreiin Assyria.	Ducatus Iair.	Vitæ Heli.	Sabbatici.	Iubileorum.
19 24	8 24														2
43	32														
44 12		1 12													
56		13													
57		14	1												
58 5		15 5	2 5												
63		20	7												
64 5			8 5	1 5											
69 15			13 15	6 15											3
84 9			28 9	21 9											
93			37	30											
94			38		1									25	
95			39		2										
Quot autem annis supervixerit Booz, incertum est.			40		3	1									
					4 22	2 22	1 22								
					26 17	24 17	23 17								4
					43	41	40							31	
					44	42		1							
					45	43		2							
						44		3	1						
						45 17			2 17	1 17					
						62			19	18				34	
						63 4				19 4	1 4				
						67				23	5				
						68 4					6 4	1 4			
						72 2					10 2	5 2			
						74 9					12 9	7 9			5
						83 6					21 6	16 6	1 6	37	
						89					27	22	7		

	ANNI							
	Ab orbe conditio.	A diluuio	Monarchiæ Assyriorum.	Ab exitu Israelis de Ægypto.	Ab introitu Israel in terram Chanaan.	Vitæ Obed	Vitæ Heli.	Regni Tautanis in Assyria.
Tautanes in Assyria regnat, & Iephte fit Dux in Israel inchoante anno	2845	1193	834	306	266	90	8	1
Iephte interficit Ephraimitas an. Post annos 4.	2850 4	1194 4	835 4	307 4	267 4	91 4	9 4	2 4
Iephte moritur sub finem anni.	2854	1198	839	311	271	95	13	6
Abesan Dux Israel, & Obed genuit Iesse inch. an. Post annos 5.	2855 5	1199 5	840 5	312 5	272 5	96 Quot vero annis superuixerit Obed, definire non possumus.	14 5	7 5
Septima Israelis præuaricatio an.	2860	1204	845	317	277		19	12
Sanson nascitur inch. an. & Abesan moritur in fin.	2861	1205	846	318	278		20	13
Ahialon fit Dux in Israel inch. an. Post annos 9	2862 9	1206 9	847 9	319 9	279 9		21 9	14 9
Ahialon moritur in fine an.	2871	1215	856	328	288		30	23
Abdon Dux Israel inch. an. & Troia capta est. Post annos 3.	2872 3	1216 3	857 3	329 3	289 3		31 3	24 3
Æneas regnat in Italia an. Post annos 4.	2875 4	1219 4	860 4	332 4	292 4		34 4	27 4
Abdon moritur sub finem an.	2879	1223	864	336	296		38	31
Sanson iudicat Israelem inch. an. & Tautanes rex Assyriorum moritur in fin. an.	2880	1224	865	337	297		39	32
Tauteus regnat in Assyria inch. an. Post annos 2	2881 2	1225 2	866 2	338 2	298 2		40 2	
Annus Iubilei sexti. Post annos 16.	2883 16	1227 16	868 16	340 16	300 16		42 16	
Sanson moritur in fine anni	2899	1243	884	356	316		58	
Heli fit Iudex populi Israelitici inch. an.	2900	1244	885	357	317		59	
Samuel natus creditur an. Post annos 3.	2901 3	1245 3	886 3	358 3	318 3		60 3	
Offertur Domino in ministerium tabernaculi anno Post annos 5.	2904 5	1248 5	889 5	361 5	321 5		63 5	
Heli acriter à Domino corripitur anno Post annos 4.	2909 4	1253 4	894 4	366 4	326 4		68 4	
Reuelatur Dominus Samueli anno Post annos 7.	2913 7	1257 7	898 7	370 7	330 7		72 7	
Tanteus Rex Assyriorum moritur sub fin. anni	2920	1264	905	377	337		79	
Thineus regnat in Assyria inch. anno Post annos 4.	2921 4	1265 4	906 4	378 4	338 4		80 4	
Betzellai Galaadites natus an. Post annos 3.	2925 3	1269 3	910 3	382 3	342 3		84 3	
Deficit regnũ Sicyoniorum, & incipit regnũ Lacedæm. an. Post annos 5.	2928 5	1272 5	913 5	385 5	345 5		87 5	
Annus Iubilei septimi Post annos 6.	2933 6	1277 6	918 6	390 6	350 6		92 6	
Heli cessit è vita in fine an.	2939	1283	924	396	356		98	
Samuel fit Iudex populi inch. an. Post annos 10.	2940 10	1284 10	925 10	397 10	357 10			
Iesse genuit Dauidem inch. an. & Thineus rex Assyriorum moritur in fin. anni	2950	1294	935	407	367			
Dercilus regnat in Assyria inch. anno, Post annos 8.	2951 8	1265 8	936 8	408 8	368 8			

Duca-

ANNI

Ducatus Iephte.	Ducatus Abesan.	Vitæ Iesse.	Vitæ Samsonis.	Ducatus Ahialon.	Ducatus Abdon.	A Troia capta & subuersa.	Ducatus Samsonis.	Regni Tantei in Assyria.	Ducatus Heli.	Vitæ Samuelis.	Regni Thinei in Assyria.	Vitæ Bersellai Galaaditis.	Ducatus Samuelis.	Vitæ Dauidis.	Regni Dercili Regis Assyriorum.	Sabbatici.	Iubileorum.
1																38	
2																	
4																	
6																	
	1	1															
	5	5															
	6	6															
	7	7	1														
		8	2	1													
		9	9	9													
		17	11	10													
		18	12		1	1											
		3	3		3	3											
		21	15		4	4											
		4	4		4	4											
		25	19		8	8											
		26	20			9	1										
		27	21			10	2	1									
		2	2			2	2	2									
		29	23			12	4	3									6
		16	16			16	16	16									
		45	39			28	20	19									
		46				29		20	1								
		47				30		21	2	1							
		3				3		3	3	3							
		50				33		24	5	4							
		5				5		5	5	5							
		55				38		29	10	9							
		4				4		4	4	4							
		59				42		33	14	13						47	
		7				7		7	7	7							
		66				49		40	21	20						48	
		67				50			22	21	1						
		4				4			4	4	4						
		71				54			26	25	5	1					
		3				3			3	3	3	3					
		74				57			29	28	8	4					
		5				5			5	5	5	5					
		79				62			34	33	13	9				50	7
		6				6			6	6	6	6					
		85				68			40	39	19	15					
		86				69				40	20	16	1			51	
		10				10				10	10	10	10				
		96				79				50	30	26	11	1			
		97				80				51		27	12	2	1		
		8				8				8		8	8	8	8		

	ANNI						
	Ab orbe condito.	A diluuio	Monarchiæ Aſſyriorum.	Ab exitu Iſraëlis de Ægypto.	Ab introitu Iſraelis in terram Chanaan.	Vitæ Ieſſe.	A Troia capta & ſubuerſa.
Samuel purgat Iſraëlem ab idololarria, inch. anno : & Saul eligitur Rex populi ſub finem anni	2959	1303	944	416	376	105	88
Concurrit eum anno regni Saulis primo.	2960	1304	945	417	377	106	89
Saul exterminat Amalecitas anno	2961	1305	946	418	378	107	90
Idem à Deo reprobatur inch. anno	2962	1306	947	419	379	108	91
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2	2	2
Dauid primò vngitur à Samuele ſub finem anni	2964	1308	949	421	381	110	93
Concurrit cum anno primo à prima vnctione Dauidis.	2965	1309	950	422	382	111	94
Poſt annos 4.	4	4	4	4	4	4	4
Hebræorum victoria de Agareis anno	2969	1313	954	426	386	115	98
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2	2	2
Dauidis monomachia cum Goliath gigante anno	2971	1315	956	428	388	117	100
Saul falso promittit dare Merob Dauidi vxorem, anno	2972	1316	957	429	389	118	101
Dat Michol Dauidi vxorem anno	2273	1317	958	430	390	119	102
Incipit apertè perſequi Dauidem, & Ieſſe creditur obiiſſe	2974	1318	959	431	391	120	103
Miphiboſeth naſcitur, & Abiathar fit Pontifex inch. anno	2975	1319	960	432	392		104
Saul perſequitur Dauidem in montibus Engaddi, anno	2976	1320	961	433	393		105
Samuel moritur ſub finem anni	2977	1321	962	434	394		106
Saul perſequitur Dauidem in deſerto Ziph, anno	2978	1322	963	435	395		107
In prœlio contra Philiſthæos perit, anno	2979	1323	964	436	396		108
Dauid ſuper Iuda, & Iſboſeth ſuper Iſrael regnant inch. an.	2980	1324	965	437	397		109
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2		2
Cœpit bellum inter domum Saulis & Dauidis anno	2982	1326	967	439	399		111
Annus Iubilei octaui.	2983	1327	968	440	400		112
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3		3
Abner curat ſubdere Iſraelem Dauidi ſub finem anni	2986	1330	971	443	403		115
Iſboſeth mortuo, regnat Dauid in Iſrael anno	2987	1331	972	4 44	404		126
Dauid bellum gerit contra Philiſthæos anno	2988	1332	973	445	405		127
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2		2
Reducit Arcam Dei in Ieruſalem anno Et Dercilus Rex Aſſyriorum moritur in fine anni	2990	1334	97 5	447	407		129
Eupales regnat in Aſſyria inchoante anno	2991	1335	976	448	408		120
Dauid dilatat imperium ſuum in Syria, anno	2992	1336	977	449	409		121
Conuertit ſe ad regni gubernacula, anno	2993	1337	978	450	410		122
Committit adulterium cum Bethſabee anno	2994	1338	979	451	411		123
Increpatur à Nathan de adulterio & homicidio, anno	2995	1339	980	452	412		124
Genuit de Bethſabee Salomonem anno	2996	1340	981	453	413		125
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2		2
Abſalom occidit Amnonem fratrem, anno	2998	1342	983	455	415		127
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3		3
Reuocatur ab exilio, anno	3001	1345	986	458	418		130
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2		2
Plenè reconciliatur Regi anno	3003	1347	988	460	410		132
Facit ſibi currus & equites anno	3004	1348	989	461	421		133
Inuadit regnum patris anno	3005	1349	990	462	412		134
Cœpit fames in terra Iſrael anno	3006	1350	991	463	423		135
Gabaonitæ crucifigunt 7. Saulis poſteros, anno	3007	1351	992	464	4		136

Vitæ

ANNI

Vitæ Samuelis.	Vitæ Berzelai.	Ducatus Samuelis.	Vitæ Dauidis.	Regni Dercili in Assyria.	Regni Saulis in Israel	A prima vnctione Dauidis.	Vitæ Miphiboseth.	Pontificatus Abiathar.	Regni Dauidis.	Regni Isboseth.	Regni Eupalis in Assyria.	Vitæ Salomonis.	Sabbatici.	Iubileorum.
59	35	20	10	9										
60	36		11	10	1									
61	37		12	11	2								54	
62 2	38 2		13 2	12 2	3 2									
64	40		15	14	5									
65 4	41 4		16 4	15 4	6 4	1 4								
69 2	45 2		20 2	19 2	10 2	5 2								
71	47		22	21	12	7								
72	48		23	22	13	8								
73	49		24	23	14	9								
74	50		25	24	15	10								
75	51		26	25	16	11	1	1					56	
76	52		27	26	17	12	2	2						
77	53		28	27	18	13	3	3						
	54		29	28	19	14	4	4						
	55		30	29	20	15	5	5						
	56 2		31 2	30 2		16 2	6 2	6 2	1 2	1 2				
	58		33	32		18	8	8	3	3			57	
	59 3		34 3	33 3		19 3	9 3	9 3	4 3	4 3				8
	62		37	36		22	12	12	7	7				
	63		38	37		23	13	13	8					
	64 2		39 2	38 2		24 2	14 2	14 2	9 2					
	66		41	40		26	16	16	11					
	67		42			27	17	17	12		2			
	68		43			28	18	18	13		2			
	69		44			29	19	19	14		3			
	70		45			30	20	20	15		4			
	71		46			31	21	21	16		5			
	72 2		47 2			32 2	22 2	22 2	17 2		6 2	1 2	59	
	74 3		49 3			34 3	24 3	24 3	19 3		8 3	3 3		
	77 2		52 2			37 2	27 2	27 2	22 2		11 2	6 2		
	79		54			39	29	29	24		13	8	60	
	80		55			40	30	30	25		14	9		
			56			41	31	31	26		15	10		
			57	hucusq; Miphiboseth vixisse reperitur; quãdiu ve-				32	27		16	11		
			58	rò superuixerit, ignoratur.				33	28		17	12		

	ANNI Ab orbe condito.	A diluuio	Monarchiæ Assyriorum.	Ab exitu Israel de Ægypto.	Ab introitu Israelis in terram Chanaan.	A Troia capta & subuersa.	Vitæ Dauidis.	Pontificatus Abiathar.	Regni Dauidis.	Regni Eupalis in Assyria.	Vitæ Salomonis.	Vitæ Roboam.	Regni Salomonis.	Sabbatici.
Desinit memorata fames in fine anni	3008	1352	993	465	425	137	59	34	29	18	13			
Bellum gerit Dauid contra Philisthæos, anno	3009	1353	994	466	426	138	60	35	30	19	14			
Alterum Dauidis bellum contra eosdem, anno	3010	1354	995	467	427	139	61	36	31	20	15			61
Tertium eiusdem bellũ aduersus Philisthæos, anno	3011	1355	996	468	428	140	62	37	32	21	16			
Quartum & postremum bellum contra eosdẽ, an.	3012	1356	997	469	429	141	63	38	33	22	17			
Post annos 4.	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4			
Dauid iube. numerari populum, anno	3016	1360	1001	473	433	145	67	42	37	26	21			
Percutitur pestilentiâ populus ob peccatum Dauidis, anno	3017	1361	1002	474	434	146	68	43	38	27	22			62
Salomon genuit Roboam in fine anni	3018	1362	1003	475	435	147	69	44	39	28	23			
Concurrit cum primo anno vitæ Roboam, & cum vltimo Dauidis.	3019	1363	1004	476	436	148	70	45	40	29	24	1		
Salomon regnat inch. anno, & mense circiter sexto moritur Dauid.	3020	1364	1005	477	437	149	71	46		30	25	2	1	
Ducit filiam Pharaonis vxorem anno	3021	1365	1006	478	438	150				31	26	3	2	
Sacrificat in Gabaon, & sapientiam à Deo impetrat anno	3022	1366	1007	479	439	151					27	4	3	

ADDITIVNCVLÆ, *seriùs ab* AVCTORE, *quàm vt suis locis inseri potuerint, ad Typographum transmissa.*

PAG.97.*lin*.47. Transfusa sunt.] *adde:* Ceterùm si quis quærat, cur Deus permiserit primos parentes nostros Adamum & Euam præuaricari, & seipsos prolemque suam in tot tantaque mala præcipitare: Dicimus cum Ruperto Abbate lib.2. in Genes. cap.39. causam huius permissionis fuisse ipsorum ingratitudinem. Siquidem nusquam legitur, quòd quando creati sunt, & in terrestri paradiso positi, & cunctis animantibus dominari cœperunt, & de omnibus terræ fructibus nullo ipsorum labore prouisi fuerunt, debitas de his Deo gratias egerint, neque quòd in Dei laudes, vt par erat, proruperint. Propterea, sicut ad Rom.cap.1.vers.21.& deinceps de Ethnicis & infidelibus dicitur: *Quia cum* (subaudi, lumine naturali) *cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*. post pauca subiungitur: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*. hoc est, vt ibidem exponit Titelmannus, permisit illos Deus pertrahi à concupiscentiis praui affectus sui.& paucis interpositis: *Et in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum*, &c. Ita & de nostris primis parentibus dici potest, quòd quia ingrati fuerunt Deo, nec pro tot tamque magnis beneficiis ei debitas gratiarum actiones rependere curarunt; ideò iusto Dei iudicio permissi sunt ab infernali serpente decipi, & vnicum quod à Deo acceperant præceptum transgredi, & in profundum malorum ruere. Ingratus enim homo non solùm meretur noua beneficia non accipere, sed etiam acceptis priuari. Quamuis tandem ipsi, diuina superabundante gratia, resipiscentes veniam in oculis Domini inuenerint.

Pag.131.*lin*.36. Sustineri solent.] *adde*. Et hęc de Adami salute sint dicta. Quæ etiam de Eua eius vxore dici debere intelligenda sunt: nam si per primum hominem loco Sapientiæ adducto descriptum, accipiamus Adamum & Euam, vt ratio dictat, & apertè accipit Scriptura sacra Genes.cap.1. vers.26.vbi ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæq́; terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.* (hęc enim omnia tam Euæ quàm Adamo conueniunt.) & clariùs versu sequenti illis verbis: *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* & quid ibi per hominem intelligat, magis declarat, subiungens: *Masculum & feminam creauit eos.* Si, inquam, vocabulo primi hominis vterque sexus accipitur; vtiq. fateri oportet, ipsam quoque Euam à delicto suo fuisse eductam, & ab æterna damnatione liberatam. Et confirmatur; Quia hæresis Tatiana, contra quam scripserunt memorati aliiq; Auctores, asserebat primos nostros parentes, Adamum scilicet & Euam (vt tradit Alfonsus de Castro vt suprà) esse damnatione perpetua in infernum detrusos propter eorum primum inobedientiæ peccatum: & qui eam impugnant sancti Ecclesiasticique Doctores, non distinguunt de Adamo & Eua; sed Adami seu primi hominis nomine intelligunt vtrùmque coniugem, quemadmodum facit Scriptura sacra locis allegatis, & de ipsis coniunctim loquuntur, nec à salute excipiunt Euam. Immò memoratus Alfonsus etiam speciatim probat ipsam nequaquam fuisse damnatam; & hoc eademmet ratione, qua hoc idem de viro eius probauerat; (ratione, inquam, ab ipsorum punitione desumpta.) Nam cùm priùs de Adamo dixisset, quòd ipsum puniens Deus, non ita eum maledixit, vt vocaretur maledictus, quemadmodum hi qui æterno igni sunt destinati; & quemadmodum posteà dixit Deus serpenti & Caino: *Maledictus eris*, &c. sed terram maledixit in operibus eius, in punitionem illi infligens tædia, & terrenum laborem, & comedere panem in sudore vultus sui, & conuerti in terram de qua sumptus est. Posteà protinus subiungit: Similiter & mulier punita est per tædia, labores, gemitus, tristitias, dolores partus. Hoc autem dispensatiuè (inquit) à Deo factum est, vt neque maledicti à Deo in totum perirent; neque sine punitione viuentes, Deum contemnerent. Ecce quomodo iste Auctor meritò sanè inter Adami & Euæ salutem nihil discreuit, sed ambos pariter saluos esse affirmat & probat. Quod & nos quoque sentire & fateri debemus.

Pag.524.*lin*.1. Per totum.] *dele* Item. *& adde:* Quamuis autem hoc munus portandi Tabernaculum, & omnia in eo contenta, esset proprium Leuitarum, ita vt etiam ipsa Arca fœderis priùs velis aliisque operimentis à Sacerdotibus inuoluta, ordinariè portari soleret ab ipsis Leuitis, & non à quibuscumque, sed à Caathitis tantùm, vt patet citato Numer. cap.4. nihilominùs quandoque etiam portabatur à Sacerdotibus, vt exempli gratia, in transitu Iordanis: Iosue cap.3.& in circuitu murorum Iericho: ibid.cap.6. & item quando ipsa Arca, iubente Salomone, translata fuit in Templum ab ipso ædificatum: 3. Reg.cap.8.& 2.Paralip.cap.5. Quamquam ex hisce duobus locis proximè adductis videatur colligi posse, quòd ipsi Leuitæ tulerint Arcam vsque ad Atrium ipsorum; Sacerdotes autem, quibus licebat intrare in Ædem sacram, intulerint eam in locum sibi præparatum. Neque prædictis obstat locus 1.Paralip.cap.15.vers.2. vbi Dauid dicit, *illicitum esse, vt à quocumque portetur Arca Dei, nisi à Leuitis*: quia ad illud *à quocumque*, subintelligi debet, inferioris ordinis quàm essent Leuitæ: nam Sacerdotes, quia erant superioris ordinis, vtique poterant eam portare, & re ipsa portarunt in quibusdam solemnioribus occasionibus, quales fuerunt proximè memoratæ. & ratio est, quia iuxta regulam etiam nunc communem, Quidquid possunt minores, possunt & maiores; sicuti videmus, quòd quæ facere possunt Clerici, possunt & Sacerdotes, & quæ Sacerdotes, possunt & Episcopi; sed non econuersò. Ad eosdem quoque Leuitas pertinebat deponere ——

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XX.


ABORE ET
ONSTANTIA

